Staatl. Bibliothek
Regensburg

EX BIBLIOTHECA
CONVENTUS RATISBONENSIS
CARMELITARUM
DISCALCEATORUM.
K. II.

Theol. syst. 99

VENERABILIS PATRIS FRATRIS

JOHANNIS A JESU MARIA

OPERA OMNIA.

OPERA OMNIA.

IOANNIS
ALBERTI MARIA
BENEVENTANI PATRIS ERVDITI

Venetiis, 1744.

VEN. PATRIS FRATRIS

JOHANNIS A JESU MARIA

CARMELITAE EXCALCEATI CALAGURITANI

OPERA OMNIA

POSTREMA HAC EDITIONE AUCTA, ET ILLUSTRATA

PER

P. FR. ILDEPHONSUM A S. ALOYSIO

EJUSDEM ORDINIS IN ETRURIA.

TOMUS PRIMUS.

FLORENTIAE MDCCLXXI.

TYPIS JOHANNIS BAPTISTAE STECCHJ, ET ANTONJ JOSEPHI PAGANI.

PRAESIDUM FACULTATE

Augustana
Bibliothek Wallis
Hagenbuch

Kng (1/3) 744

IOANNIS PARISIENSIS

EIUSDEM ORDINIS IN ETRURIA

PROVINCIÆ VICARII

OPERA OMNIA

CARMELITANÆ EXCALCEATI CALAGURRITANI

TOMUS PRIMUS.

VEN. PATRIS F. K. A. T. R. I. S.

REVERENDISSIMO PATRI

JOSEPHO ALBERTO XIMENEZ

CARMELITANI ORDINIS PRIORI GENERALI,

AC INTER PRIMARIOS HISPANIAE MAGNATES MERITISSIME ADLECTO &c. &c.

FR. ILDEPHONSUS A S. ALOYSIO

CARMELITA EXCALCEATUS FELICITATEM.

UAE duae res, Reverendissime Pater, in Operis alicujus nuncupatione maxime quaeri solent, Viri nimirum dignitas, Et auctoritas, cui inscribatur, Et idonea decensque ratio quare Illi potissimum inscribatur; eae ipsae sunt, quae cogitanti mihi adcuratiorem hanc auctiorem-

que

que Venerab. noſtri Iohannis a Ieſu Maria Operum editionem, te ſtatim humillime advocandum propoſuerunt. Et ſane quod Opus adtinet, Scriptorem obfero, qui Et Coeli, Nationisve cognatione, Et Inſtituti ſimilitudine, Et vitae, animique conformitate neminem, praeter te unum Auſpicem, Patronum, Tutorem ſatis aptum, adeove conſentaneum ſibi adſciſcere videbatur. Scilicet Et illum ex Hiſpania ſplendide genitum, in Hiſpania liberaliter altum, educatumque Hiſpania ipſa ad maximum ſibi Saecularis gloriae incrementum reſervabat; quum ſuperno ipſe conſilio, egregia mundanae felicitatis ſpe, ditiori patrimonio, conſluentibus Saeculi deliciis, Et quae innumera alia blandior fortuna ſpondebat, in ſanctioris vitae propoſitum divina prorſus generoſitate commutatis, tenello adhuc humilique Excalceatorum auſteriori Carmelo nomen dedit: cui non diu poſt ſeu doctrinam ſpectes, Et haec ipſa elegantioris ſapientiae Volumina, ſeu exactiſſimam vitae ſanctimoniam, ſeu denique perfuncta glorioſiſſime munera, exantlatoſque labores conſideres, validiſſimum firmamentum, ac decus immortale fuerat ipſe futurus. Quem proinde Italia, Et ipſa Urbs Domina Roma, poſtquam ſinu ſuo complexa eſt, ſuum perpetuo fecit, Et ceu aliquem ex primaevis Eccleſiae Patribus, vel, ut vulgo dicebatur,

no-

novum quemdam Apoſtolum, viris Principibus, Et ipſis Pontificibus Summis adprime carum, graviſſimiſque negotiis occupatum, omnium ore celebravit. Haec Tui, Reverendiſſime Pater, brevi epilogo praeformata Species, Et Exemplar; quam ſi velis Modeſtia Tua ſingulari obtegere, ea ipſa ſplendidiorem efficies, Et explicatiorem. Praetereo enim avitam Familiae Tuae Illuſtriſſimae claritatem, tam longa Maiorum Tuorum, qui de utraque Republica optime, laudatiſſimeque meruerunt, Serie toto Hiſpaniae Regno glorioſam. Praetereo vetuſtam, aeque ac amantiſsimam omnium retro Catholicorum Regum in Gentem Ximeniam benevolentiam; ex qua tot, tantaque omni aevo, iure ac merito egregie factis conlata munera, Et ampliſſimi honores. Praetereo tandem ſplendidiſſima Dignitatum ſubſellia, quae modo ipſius Caroli III. Fauſtiſſimi Regis munificentia uterque Frater Tuus lectiſſimus obtinet, alter in Politica, alter in Eccleſiaſtica Hierarchia. Quamquam nullo Modeſtiae Tuae conatu, nulla vel inurbaniſsima orationis meae negligentia praeterire poſſum quae de Te, deque Tuis in ea, qua polles, ſublimi totius Carmelitici Ordinis Praeſidentia Subceſſoribus, tam honorifice idem Rex Potentiſsimus, tamque liberaliter conſuluit, ut inter Primarios Regni Magnates perpetuo cenſeremini. Externa

ta-

tamen iſthaec ſunto, Et a Te prorſus aliena; quandoquidem haec eadem, Et forte etiam majora, Tu ipſe heroica ſane, Et raro admodum videnda magnanimitate, Relligioſa Profeſſione ablegaſti, Et in humilem Chriſti paupertatem vertiſti. Quae vero Tua proprie ſunt, Et Monaſticae Inſtitutioni omnino conformia quis heic ſilendo aut negligere, aut diſſimulare valeat? quis contra omnia, Et ſingula, non encomio dixerim, ſed vel ſimplici complecti ſermone poſſit? Vel tria illa potiſſimum advoco, quibus adeo Et Tuis, Et univerſis, quotquot Te noverint, longe lateque praefulges, quaeque Te ad celſiſſimum hunc Auctoritatis gradum ſponte ſua, nolentem etiam Et incogitantem duxerunt; ſolidam nimirum, vaſtiſſimamque ſacrae, profanaeque doctrinae eruditionem; profundam, tutamque in rebus agendis prudentiam; dulciſſimam cum gravitate miſtam, nobilemque in omnes comitatem; ex quibus caeterae affluentiſſime proficiſcuntur praeclarae Virtutes Tuae, Pontificio illo Clementis XIII. oraculo, in frequentiſſimo Patrum Ordinis conſeſſu laudatae, quum ab Eo in Tua ad hanc Dignitatem electione feſtiviſſime dictus es, Dilectus Deo & Hominibus. *Nam quod doctrinam adtinet, Te vidit Hiſpania Tua, ſemper Et opum, Et ingenio-*

niorum feracissima, Te Iuvenem omni liberaliori disciplina adolescentem ita in iis studiis percurrere, quin Et pervolare, ut non aequales modo, sed Magistros ipsos brevi antecellere potueris. Quo factum est, ut Tibi etiam propediem utraque simul Philosophiae, ac Theologiae Cathedra fuerit demandata, tum publicum praeterea docendi munus laetissime commissum, ac tandem Tu Ipse solemni Doctoris laurea coronatus. Quis vero commemoret, longa illa quindecim annorum exercitatione, quanto aestu, quantave assiduitate in omnem politioris Litteraturae provinciam excurreris? quale ad studia incitamentum, Et conatus Alumnis Tuis exstiteris? quae, Et quanta Reipublicae, Et Ecclesiae in iis praeformaveris, ac praestiteris solidissima subsidia? Heinc plausus, heinc Litteratorum Coetum in te vivissimae adclamationes, heinc adlati Tibi undique honores, Et munia gravissima, nimirum Synodalis, ut ajunt, Examinatoris pro variis Hispaniae Episcopis, ac Theologi pro Nunciis Apostolicis, tum vero a sacris Confessionibus, Et a secretioribus Consiliis eximiis Ecclesiae Praesulibus, Et summis etiam saeculi Principibus praelectus. Quorum exemplo, aut verius penitiori Tui cognitione, postquam Italiam quoque nostram praesentia tua inlustrasti, Celsissimus, Et Eminentissimus Cardinalis Dux

Ebo-

Eboracenſis in ſuum Te voluit Theologum. Quid modo commemorem Eloquentiae tuae facundiam, qua longe lateque per Hiſpanias verbum Dei adnunciare populis dudum ſueviſti, eoſque coeliſti Evangelicae doctrinae pabulo reficere? Id melius ſubclament, plaudant, & exsultent Urbes illae, & Oppida, quae uberrimos conlectos inde Chriſtianarum virtutum fructus adhuc concelebrant. Nam illa iam me revocat, quam dixi rerum agendarum Prudentia, cuius veraciſſima, non ſecus ac univerſali exiſtimatione ad ſupremas Ordinis Tui Praefecturas communi plauſu adceſſiſti. O felicem Carmeli epocham aureis ſignandam litteris, nec ulla temporum oblivione delendam! Providentiſſimi quoque Patres illi conſcripti, qui ſtatim ac Venetiis ad Comitia Generalia congregati in Te, partem utique illorum potiorem acceptioremque, oculos animumque converterunt, & coram probata, quae communi iam, reſonantique opinione ferebatur, tanta in uno Homine virtutum omnium iuncta congerie, imprimis vero earum, quae humanum uſum, perſpicientiam, regimen ſpectant, Supremi Praeſidis tunc denuo adlecti ſtudium excitarunt, confoverunt, ut neminem praeter Te Romam in Socium, & pro Natione Tua Generalem Adſiſtentem adcerſeret. Inde enim Italiam noſtram exornare, & praeclaro Nomine

Tuo

Tuo augere coepisti. Inde Romae ipsi, numquam non suorum vetustate Heroum superbae, adfulsisti, atque magnum historiae, Et laudationis argumentum praebuisti. Inde tandem sequenti Patrum Generali Congressu Procurandis totius Ordinis negotiis destinatus es. Quae quidem Dignitas cum huic Supremae, qua modo potiris proxime adcedit, tum ad eam paratissimam Tibi viam fecit; quam nescio, an tantorum veluti praemium meritorum, an potius ut meritis merita in dies augeres, unanimi omnium voto, Te uno excepto, Tuis equidem gratulantibus universis, Urbe ipsa plaudente, Hispania Tua longe adclamante, Purpuratis, Infulatisque Principibus, Romanisque Summatibus laetantibus, Et vel ipso Pontifice Maximo adprobante, felicissime obtinuisti. At quid sibi vult tam longa, tamque inrequieta primorum horum in Ordine praestantissimo munerum in Te subcessio, nisi prorsus mirabilem, Et omnium consensione testatam gubernandi aptitudinem, eximiamque rerum humanarum peritiam? Quis enim nesciat, propterea supremas hasce dignitates onera rectissime dici, quod tot, ac tanta in dies obcurrant implicata, Et salebrosa, Et molesta, ut nisi robustissimae mentis, Et expeditissimi ingenii hominem reperiant, illum penitus demergunt, Et subfocant? Heinc porro eminet Prudentia Tua singularis

quod

quod nulla illi obſiſtat conceptae rei difficultas, nullo umquam diſcrimine terreatur, nullo frangatur labore, ſemper ſibi conſtans, ubique omnibus praeſentiſſima, blanda quoque, ac lenis, quae aliorum animos non admiratione ſolum, ſed amore etiam, Et dilectione pelliciat. Nam praenobilem modeſtamque in omnes Comitatem Tuarum tertio loco dicebam caput, Et coronidem virtutum, qua eas omnes, Et ſingulas Et pulcriores efficis, Et humaniores. Huc vero, ſi utique dies mihi ſubpeteret, cuiuſvis naturae homines libenter adpellarem, quibus ſeu conſilio, ſeu opera, ſeu auctoritate, aut miſeratione quoque, Et patrocinio adfuiſti. Scilicet ea ipſa Benignitas Tua eſt, quae greſſu, quae vultu, quae moribus numquam non ſuaviſſima, Et malos ad frugem, Et bonos ad virtutis faſtigium, non poenae incoſtanti terrore, nec vili oblectamento mercedis, ſed ſponte, ac liberaliter ducit. Ea, quae afflictis ſolamen, miſeris adiumentum, maioribus obſequium, aequalibus benevolentiam, inferioribus amorem reddit copioſiſſime. Ea, quae ſummis quibuſque viris Te carum, optatumque praeſertim fecit; quae egregiis factis, Et maximis coeptis pro Tui Ordinis, Et Eccleſiae, ac Reipublicae incremento foecundiſſima parens adeſt, ac dux tutiſſima; quae tandem Te hominem communi

ni

ni ominum bono natum ubique gentium praedicat. Quae quum ita sint haud mirari omnino subest, si dum Romae in hoc ipso eminenti Dignitatis Tuae culmine publicis, privatisque favoribus adstuebaris, honorificentissimo, supremoque Castiliae Senatusconsulto in Hispaniam vocaris, non modo ut amplissimum Tibi, Tuisque Subcessoribus, quod dicebam, Magnatis Nomen, Regia beneficentia reciperes, sed ut etiam Institutī Tui res cunctas ad nova iura publica communi, suavique concordia componeres, validius firmares, ampliorique felicitate augeres: quorum alterum peramantissime, alterum copiosissime, tum Et alia plurima, Regali munificentia cumulatissima, quae ne cogitaveras quidem, es consequutus. Verum quorsum haec ita moror? quum etsi omnia illa, Et caetera innumera, quae Modestia Tua singularis severiori me lege vetat referre, non adessent, unus erga nos, nostramque Excalceatorum Congregationem eximius Amor Tuus satis mihi, superque foret, cur istud, qualecumque sit, grati animi monumentum, omnium nomine exhiberem? Quis enim nesciat, Te ita res nostras universas inspicere, curare, provehere, ac si uniius essent, eiusdemque Familiae, nec alia quam communi uniius Ordinis adpellatione eas vocari Te velle decreviisse? Idcum pluribus aliis, tum vero vel hoc uno solemni, celebratoque demonstrare

pos-

possum argumento, quod nullam praecelsam validissimamque operam Tuam, cum Romae apud Pontificios Iudices, tum Matriti apud Regem Catholicum omisisti, quin etiamnum studiis omnibus adlaboras, ut quae coram Pontifice Optimo Maximo vehementi ardore a nostris aguntur Causae, in Vitam, actusque Venerabb. Servorum Dei Iohannis de Palafox *Oxomiensis Episcopi, necnon* Fr. Francisci a Puero Iesu *e nostra Excalceatorum Familia, ut in album Beatorum publico Ecclesiae decreto censeantur, quam citius ad optatum faustumque finem perveniant. Quae quum dico incredibili iam erigor spe, ut qua es cum Ven. Scriptore Nostro tanta similitudine coniunctus, qua in omnes humanitate, in nos autem paterna prorsus benevolentia profusus, qua Dignitate fulgentissimus, Et Illum ceu Filium carissimum tenerrimo amore complecti, Et hoc Primum suorum Operum Volumen bene, laetanterque auspicari, nos vero, qui hac potissimum in Te fiducia tantum opus, humeris nostris longe graviius adgressi sumus, Tuo fulciri Patrocinio, Tutelaque dignari velis; quae quidem altera mihi ratio erit, cur Tibi, Universoque Carmelitarum Ordini perenni observantia, gratoque animo devinciar. D.*

S. Paulli, Florentiae v. Idus Martii, an. MDCCLXXI.

Prae-

PRAEFATIO.

EN quod diu optaveramus, & quod erat in votis noſtris iam inde ab adoleſcentia, quum Venerabilis Patris noſtri Iohannis a Ieſu Maria ſcripta, ingenti quadam cum litteraria, tum etiam ſpirituali voluptate, (utinam vero ſimili quoque progreſſu) evolventes, ea perrara admodum, nec ulla ferme induſtria comparanda a noſtris intelleximus; intimo iam tum ſenſu dolentes, Scriptorem, qui nobis quaquaverſus eximius videbatur, parum vulgatum, & prope vel inter ſuos obſcurum, ingnotumque manere. En, inquam, quod diu votis ferventiſſimis optaveramus, Deo Optimo Maximo favente, ad fortunatum, fauſtumque initium perductum; ſic autem adſit Ille, qui bonis ſemper coeptis aſpirat, ut nec imparem finem auſpicamur. Scilicet iam tum & avidiſſime deſideravimus, & nutanti adhuc inexpertoque animo taciti volutabamus novam aliquam ampliorem, nitidioremque tanti Patris, qui & ſanctitate, & doctrina, & ſcriptorum varietate inter maxima Ordinis noſtri Ornamenta iure meritoque ſuſpici ſolet, Operum editionem; heinc procedente aetate vota ipſa in ſpem non modicam verſa ſunt, eamque, quo magis conatus omnes noſtri incitarentur atque obligarentur, publice patefecimus, in Vita quam adornavimus, Ven. Matr. Agnetis a Ieſu Sodalis noſtrae, heic Florentiae edita an. MDCCLII. Huc igitur quum iam exultantibus animis, domeſticis, exteriſque viris apprime doctis vehementiſſime, boniſque auſpiciis ſollicitantibus, impellentibus, Praeſulibus autem noſtris pleniſſima auctoritate, ampliſſimis privilegiis, ſponſione etiam bona annuentibus, probantibus, ac ſi dici abſque arrogantia fas eſt, plaudentibus pervenerimus, non multa tamen nobis praefari operae pretium eſt. Quid enim Scriptoris laudibus fruſtra, impotenterque deti-

ne-

nebor? quum ſi eius inculpatiſſimae ʌitae geſta, ſole utique ſplendidiora, quaerantur, id me vetet non minus argumenti dignitas, quam vetus opinio vulgi, qua conlata a domeſticis encomia ſubſpecta perpetuo habentur, necnon quod eadem illa virtutum acta ſeries, in ea, quam heic ſubiiciemus, eius Vitae hiſtoria, a noſtro Iſidoro a S. Ioſeph Generali Congregationis Chronographo exarata, facile ab omnibus conligi, perſpicique poſſit? Quid haec, quae modo recudimus, ſcripta morabor? quum ipſa per ſe huc ſtyli ſublimitatem, elegantiam, ſuaviſſimamque, & ingenitam facundiam loquantur, quibus Caeſari Tullio, Salluſtio, illuc vero rerum altiſſimarum conceptiones, ſententiarum gravitatem, eruditionis amplitudinem, & quamdam imprimis ubique ſeſe menti, animoque legentium alte, blandeque ſimul inſinuandi vim concelebrent, quibus Baſilio, Chryſoſtomo, Leoni Magno, Bernardo dudum eſt, nec equidem temere, comparatus? Loquuntur autem vel maxime non quos rerum inutilium, aut etiam vituperabilium otioſiſſima, ac miſerrima occupatio delectat, ſed quibus vere divinae, humanaeque, omnigenae ſapientiae latices ſapiunt. His ergo ſuo cuique ſtudio libere miſſis, quae noſtra ſunt, quaeque in hac nova editione praeſtitimus, breviter expediamus.

Ac primo, quum perſpectum habuerimus alteram, quae proxime, anno ſcilicet MDCL. Coloniae Agrippinae a Noſtris facta eſt, Operum Iohannis Conlectionem, quatuor in minori folio voluminibus contentam, multo vero minus quae ibidem anno MDCXXII. praeceſſerat, tribus tantum eiuſdem magnitudinis tomis, non omnia revera, & ſingula Iohannis ſcripta complecti; quod multa in archivis Ordinis latentia, aut manu Auctoris exarata, aut ex eius certiſſimis ἀρχέτυποις exſcripta, nec umquam publici iuris facta, celerioribus typis acquiri tunc non potuerint; heinc nihil intentatum reliquimus, non precibus, non conatibus, non officiis, non Praeſidum etiam noſtrorum auctoritati patrocinio, implorationi pepercimus, datis quoque ἐγκυκλίοις litteris, ut ſi quae uſpiam gentium quovis idiomate exſtarent ſive epiſtolae, ſive commentationes, ſive alia quævis tanti Scriptoris ἀνέκδοτα, ad nos liberaliter, humaniterque mitterentur, humanitatem ipſam, gratiamque, quo potuerimus honorificentius, publice repenſuri, commodantium nomina, ſuis apte locis, grati animi ſignificatione referentes. Neque id ſane infelici hactenus eventu: nam quaeque ſcita erant, & quae etiam memoriam noſtrorum eluſerant, pene omnia, & ſingula comperimus, conlegimus, & apud nos eſſe, non leviter, non inaniter nobis blandimur, aut certe futura aliorum benevolentia confidimus, manu fere ſingula Ven. Auctoris conſcripta; cuiuſmodi ſunt, *Brevior alia in Cantica Canticorum Explanatio*, & *De Sacramento Ordinis parvus Commentarius*, ſeu potius ad eos, qui ſacris ſunt Ordinibus initiandi compendioſiſſima κατήχησις; quae forte illa ipſa eſt, quam idem P. Iſidorus in Catalogo eius Operum ſub nomine *Tractatus de Sacramentis* innuit; item Novemdecim piiſſima ad Deum *Animae Fidelis Soliloquia*,

to-

totidemque, non tamen integre ad nos usque servatae, *Dei ad Animam Responsiones*, a nullo umquam commemorata; *Consulta* quaedam brevissima seu Theologiae, seu Canonici Iuris, a Summis Pontificibus petita, ictuque oculi legenda; *Epistolae* aliquot, & alia Commentaria ad rem Monasticam spectantia; *Miscellanea*, sive Adparatus ad sacras Conciones, & ad varia eloquentiae σύνταγματα exornanda. Quibus si alia interim adcedant, propriis locis commemorabuntur. Horum porro ἀνεκδότων quae alio a latino sermone scripta sunt a Ven. Patre, nos latinè reddimus tum lege consensionis, tum universarum commodo Nationum, non secus ac a praeteritis Conlectoribus factum est; quod suis quoque locis praenotabimus.

Ordo, quo in prioribus illis editionibus congesta Iohannis Opera tribuebantur, tumultuarius, nullaque lege distinctus videri poterat; quem proinde corrigendum, ac certa aliqua methodo reficiendum nobis existimavimus. Illum autem prae ceteris elegimus, quem commodiorem, acceptioremque legentibus intelleximus; ut adfines, similesve materiae sub uno, eodemque volumine, quoad fieri possit, contineantur; quae vero mista sunt, nullave certa ratione iungenda, postremo claudantur Tomo; tum quae ἀνέκδοτα nunc primum parent, vel Appendicis loco suis quaeque tomis addantur, vel si breviora quaedam ceu fragmenta sint, in seriem similium συγγραμμάτων hac nota *, praeviaque nostra monitione signata attexantur. Quum igitur tribus sit animus universam hanc conlectionem maioribus voluminibus terminare, nisi rerum novarum adcessio adeo subcrescat, ut quartum addere cogamur, sic rem partiemur; ut hic prior ea complectatur, quae ad divinarum faciunt expositionem Scripturarum, cui, ut ad praefinitam molem pertingeret, Librum inseruimus *de Prudentia Iustorum*, ex secundo veteris editionis Tomo avulsum; quippe qui totus iisdem sacrarum Litterarum verbis concinne sit, eleganterque adsutus; tum breviorem illam ἀνέκδοτον *in Cantica Canticorum Explanationem* in Appendicem contulimus. Alter Tomus ea omnia habebit, quae Christiani hominis, vitaeque ἀσκητικῆς, nullo peculiari statu inspecto, institutionem, profectum, solatiumque curant, pietatemque generatim promovent, & augent. Tertius autem vel in binas dividetur partes, quarum altera Monasticas, altera promiscuas tractationes comprehendet, scilicet Theologiae, Iurisprudentiae, Politices, Rhetorices, Poetices, & alia id genus multa; vel haec eadem quartum, si opus fuerit, Tomum complebunt, cui fortasse nonnullas in loca Ven. Patris difficiliora Animadversiones, Exercitationesve nostras adiiciemus.

Ne quid autem huic nostrae editioni desit, quod in posteriori illa Colonienſi legeretur, omnia prorsus tum Auctoris, tum Editorum ipsorum, tum etiam aliorum seu Praefationes, seu nuncupatorias Epistolas, seu Facultates, seu Elogia, seu aliud quidpiam sit, vel in hisce ad hunc priorem Tomum Prolegomenis praefigemus, vel suis concinnius locis sarta tecta servabimus. Quae Venerabilis Viri

Ope

Opera, praeſtituti ordinis cauſſa, e priſtino loco movebuntur, praeterquam quod ſingillatim a nobis praemonebitur, id etiam ex conlatione, quam in poſtremo dabimus Tomo, veteris cum novo ſingulorum Indice facillime ad oculi iactum apparebit. Præterea, quod in aliis editionibus omnino deſiderabatur, tempus, magno noſtro taedio ac labore veſtigatum, quo ab Auctore Opus quodlibet ſcriptum vel certo ſcire, vel probabilius coniicere licuit, in praeviis noſtris ad unumquodque Monitionibus praedicimus, atque inde in capite cuiuſque paginae adponimus; genium, exemplumque cum in hoc, tum in aliis ſectati doctiſſimorum Monachorum S. Mauri in ſuis iure celebratiſſimis Patrum editionibus. Ad haec notulas obſervationis rerum in corpore memorabiliorum, locorum, auctorumque commendatorum citationes, diverſo, varioque charactere, perpetuo, continenterque adfiximus. Indices tandem copioſiſſimos ſingulis Tomis dedimus, quos omnes in unum generaliorem ad calcem ſupremi voluminis conligemus. Huic vero priori quae praeſtitimus, haec ferme ſunt. Vitae, quam diximus Auctoris, aliquot adnotatiunculas noſtras hinc inde ſubiunximus; elogia a Viris aeſtimatione quavis, extra tamen domeſtica ſepta, praeſtantibus, Scriptori noſtro tributa pro modulo auximus, & ampliavimus; Iconem excellenti inciſione ex aere, ad vivum picturae exemplar, quod apud nos eſt, expreſſam praefiximus; & ſi quae ſunt alia, quae univerſim noſtram expoſtularent induſtriam, ſtudium, laborem, ſumtum, equidem non omiſimus. In quibus omnibus, ut nos aliis ſaepe diſtrahimur, rapiimurque dietim exercitationibus, manus adiutrices, atque amantiſſimas habuimus Sodalium noſtrorum P. F. Leonis Mariae a SS. Trinitate, necnon P. F. Alberti Mariae a Ieſu, quos honoris, gratique animi ergo libentiſſime adpellamus.

Etſi vero nullae a nobis omiſſae vigiliae, nulla ſollicitudo neglecta, ut emendatiſſima evaderet haec editio, quemadmodum certe evaſiſſe confidimus, ſi pauca, minoriſque momenti errata excipias, quae ad calcem tomi cuiuslibet deſcribentur; quae tamen ad textum, loquutionem, orthographiam, apices ipſos Auctoris adtinent, & vere ſua eſſe, facta plurium ἀρχετύπων conlatione, comperimus, nil penitus inverti, mutarive voluimus; quamquam & noſtra modo, & communis ſcribendi ratio ab ea diſcrepet, quae tunc vulgo frequentabatur. Timere enim, ac revereri dudum aſſuevimus doctorum hominum, & eorum praeſertim, qui antiquitatis reliquias amant, lamentationes, quibus nos iure meritoque reprehenderent, ſi praeter ſimplices Editorum limites pedem figeremus; quorum princeps munus eſt Opera aliorum ἐκτυπόειν. Quae quum ita ſint, id tantum ſupereſt, ut quiſquis es, ſive domeſticus, ſive extraneus, humaniſſime Lector, labores hoſce noſtros, ac ſtudia aequi bonique facias, opemque ſumtuoſiſſimis coeptis facile adferas, tuae inde eruditioni, ac pietati uberrime conſulturus, ac tandem ex voto noſtro bene, diuque valeas.

EPI-

EPISTOLA NUNCUPATORIA

ET ADPROBATIONES, QUÆ VETEREM COLONIENSEM EDITIONEM PRÆCEDEBANT.

Eminentissimo JOANNI PHILIPPO *Archiepiscopo Moguntino S. R. I. per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, nec non Episcopo Herbipolensi, Franciæ Orientalis Duci &c.*

MOrem hujus sæculi, simul & affectum nostrum sequimur *Emin. Princeps*, illum suadentem libros æquè ac liberos optimo cuique in tutelam dare, hunc persuadentem in illis optimis Te sic eminere, ut præter titulos, quibus olim *Illustris*, ac demum *Illustrissimus* audivisti, jam insuper *Celsitudinem* adnumeres, quâ (quod verè es) *Eminentissimus* ex æquo, & bono dici possis, imo & debeas. Porro sequuti, en Tibi adsumus, & quàm licet humillimè sacratæ manui osculum primùm, deinde & donum porrigimus: impar quidem dignitati Tuæ, sed tamen paupertatem nostram haud indecens. Id hic liber est, omnia complexus, quæcunque *Joannes à Jesu-Maria*, vir non modo in Carmelo, sed & omni Ecclesiâ doctrinâ & virtute clarissimus utroque stylo, ad bonum publicum, publici juris fecit. Hunc ferimus, ac offerimus Tibi vicissimque tutelam eidem cum à favore Tuo petimus, tum à bonitate speramus. Speramus? imo indubii confidimus. Neque enim quod affectu ducimur, eo nobis de Te errare videmur. Nutat, quin & labat vetus paræmia. Non omnis Amor, aliquis duntaxat est cœcus. Nam quem Ratio moderatur, aliquem Profecto oculum, cumque videntissimum habet. Videsis nullumne habeat qui nos tibi stitit. Vidit invidendas virtutes Tuas: nec ejus aciem tanta illarum altitudo frustravit. Fortassè (ut es modestissimus) eum censebit Galilæi perspicillo usum. Non fecit. Cur enim illas precariâ magnitudine augeret, quæ, instar syderum, satis se nativâ produnt, uti quivis in jubar earum [quanquam connivendo] sufficiat? Illas ergo vidit, dignasque continuò censuit, quæ meritâ apotheosi, imperiali cœlo donarentur: quo exinde tanto benigniùs, in commune bonum influerent, quanto sublimiùs honoris radio coruscarent. Nec latum unguem abibat à verò hic sensus. Protinus ergo communi assensu receptus est, eaque omnia votis omnium tibi destinata, quæ sensim liberis certorum suffragiis collata sunt, Sensim? imo statim, ac nullo pene intervallo. Quantulum enim temporis alteram ab alterâ Tui electione discrevit? Planè non gressu, sed cursu, imo volatu in eum apicem ascendisti, ex quo in Cæsarum vertices laureæ, & diademata promanant. Altum culmen, & in quo difficilè constet, nisi quem *Deus* eo vehit, & firmat. Nam qui fortunæ beneficio istuc efferuntur, ferè in lubrico sunt, eâque nituntur:

Quæ solum constans in levitate sua est.

Omnino. Neminem illa sic fert in oculis, quem non subindè limis aspiciat. Cœterum absit omen. Hoc quantumcunque fastigium, non tu sanè invadens, sed vocatus: electus non intrusus: ex merito, non à casu bonorum calculo, non violentiâ perditorum: non proinde à Fortunâ, sed palam à *Deo* per homines accepisti; qui quæ agitat, efficit, quæ discernit consummat; quæ tribuit manu-tenet; suaviter, fortiterque conservat. Hoc promotore efferente, quin etiam asserente, quis Fortunæ turbo Te de gradu tuo deiiciat? Rotam illa quaquà volet circumrotet, stabis equidem; nec in ejus eris potestate, sed ipsa in Tua. Eam scilicet vicisti, & signum victoriæ, non *herbam* prisco more, sed novo jure *Herbipolim* accepisti. Vexillum etiam Franconiæ quod jam tuo fulget in stemmate [sit modo conjecturæ locus Sortis] spolium existimabimus, illi ademptum, tibi adeptum! Porro Rota Maguntia quid? annon ejusdem insigne, in tuum eo jure translatum quo victi exuviæ, victori cedunt ad gloriam? Et verò qui mobilem sufflamminasti, decebat haberes pro trophæo quietam: ne ignorat orbis, quanto vanâ Deâ sis altior, qui pro *Deo* vero fide, ac pietate stetisti stas etiamnum, ac imposterum stabis. Hoc vertice sublimis, videri posses nil ultra habere, quo dignitatis ascenderes. Sed Gentilitius Leo tuus, tria tribus pedibus fastigia calcans, quarto porrò libere exporrecto, satis insinuat, præter Franciæ Orientalis sæcularem; & Ecclesiasticum Principatum, Archiepiscopatum insuper Moguntinum, ipsumque adeò primi Electoratus culmen, quidquid amplius est, posse ejus tibi deesse voluntatem, capacitatem, ac meritum supereſſe. Id autem quid aut quale sit, nobis haud est facilius indicare, quam fœlicitati tuæ pertingere. Itaque macte hac virtute, hoc successu, hac [pene diximus] temporalli beatitudine. Æterna ut hanc excipiat, vehementer optamus, optantes oramus, orantes speramus, sperantes Deus Opt. Max. pro eo quod est, & plurimum exaudit. Tu modo *Optime* ac *Eminentissime Princeps* [iterum repetimus] Donum simul ac Dantes excipe, illud fove, istis fave, & vale.

Eminentiæ Tuæ

Humiles subditi, FF. Carmelitæ Discalceati Conventus Herbipolensis.

APPROBATIO

HENRICI FRANKEN SIERSTORPFFII

S. THEOL. D. REGENTIS LAURENTIANI, LIBRORUM CENSORIS.

OPera Reverendi adm. P. Fratris Joannis à Jesu Maria Calaguritani, Carmelitæ Discalceati, passim antehac diversis in locis, variisque linguis, accedente Ordinariorum approbatione, ad communem utilitatem edita; nunc verò unum in corpus quatuor distinctum Tomis collecta, utpote ad rectam morum institutionem, & facilem quorundam S. Scripturæ locorum intelligentiam plurimum conducentia, digna omnino arbitror, quæ typis & luce publica donentur. Scriptum Coloniæ die 26. Julii, Anno M. DC. XXXXIX Henricus Francken ec.

Henricus Francken Sierstorpffius S. Theol. D. Regens Laurentianus Librorum Censor

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM, ET PRIVILEGIUM CÆSAREUM

F R. G E R A R D U S A S. L U C A

Provincialis Provinciæ SS. Sacramenti in Germania, FF. Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Congregationis S. Eliæ.

CUm decreto Sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibs serio, firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Carmelitis Discalceatis hactenus editos, aut in posterum edendos, vel eosdem ab aliis hominibus in diversas linguas translatos, aut in compendium redactos intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, aut forma, sive in toto, sive in parte excudere, vel recudere, vel alio excudendos, vel recudendos mittere, aut alibi etiam impressos, seu recusos adducere, vendere, vel distrahere clam, seu palam, sine facultate Provincialis Ordinis nostri pro tempore existentis in scriptis habendâ, sub pœnâ confiscationis omnium librorum, & aliis gravioribus, audeat, vel præsumat: Tenore præsentium facultatem concedimus *Iodoco Kalcoven* Bibliopolæ Colonienſi recudendi *Opera omnia* Venerabilis P. N. Joannis à Jesu-Maria *in quator Tomos digesta*, quorum quartus nunc primum prodit studio & labore *R. P. F. Pauli ab omnibus Sanctis*. Provinciæ nostræ Sacerdotis. In quorum fidem præsentes dedimus manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas. Pragæ die 7. Martii Anno 1648.

F. GERARDUS A S. LUCA.

IN

IN SEQUENTEM

VEN. PATRIS VITAM, EJUSQUE SCRIPTOREM

PRAEMONITIO.

DIU hæsimus animis, num breviorem ex noſtris Hiſtoricis excerptum Ven. Patris Vitæ epilogum heic præponeremus, qui generalis inſtar præclariſſimi Scriptoris ideæ eſſe poſſet, in ſupremum inde volumen, ut in anteriori Colonienſi editione exſtabat, hanc, quam P. Iſidorus a S. Joſeph, Superiorum juſſu, fuſius edidit, conlaturi; an potius eam ipſam, ut jacet, hoc loco præferremus? Utrumque enim a diligentiſſimis alienorum Operum editoribus factitatum pro arbitrio conſpicimus. Verum ne velle videremur multis, inutilibuſque noſtris lucubratiunculis, aut verius quiſquiliis, hæc reverenda volumina refercire, faſtidioque, ac ſumtu Lectores augere, & vanam ab iis inde gloriolam mendicare, poſtremum tandem conſilium magis adriſit, eique prorſus adquievimus. Si quem autem ardor, ſtudiumve inceſſerit noſſe, quis ille fuerit P. Iſidorus a S. Joſeph, cujuſve nominis apud nos, ac dignitatis, quanti etiam in Ordinis hiſtoria valeret, paucis exſolvo.

Hypris in Belgio, ut ex Catalogo Profeſſorum alios, qui Dunchercanum eum faciunt, corrigit noſter Euſebius ab omnibus Sanctis, in ſuo Enchiridio, *clara Gente de Baes an. circ. ut conjicio, MDXCVI. ortus, nomine Levinus è Sacro Fonte eſt adpellatus; ibique in famigerata Duacenſi Academia ſingulis humanioribus litteris cum Græcis, tum Latinis, Philoſophicis etiam, ac Theologicis diſciplinis adultior jam excolebatur, optimaque indole, pernicique ingenio juvenis magna de ſe ſupra coetaneos ſuos ſpondebat, majora etiam ipſe mente moliebatur; quum illuc, e celebri Proteſtantium victoria divinitus accepta redux, tranſiens V. P. noſter Dominicus a Jeſu Maria, eum ab antiqua, obſtinataque ægritudine prodigio liberavit, atque ad Religionis propoſitum dudum ante conceptum, ſed valetudinis ergo remiſſum, revocavit, in eoque ita firmavit, ut non diu poſt, anno ſcilicet ſequenti MDCXXII. prid. non. Aprilis, D. Tereſiæ generoſiſſime nomen dederit. Nec vero dici compendio poteſt, quantum ſtatim virtutum omnium exercitatione, humilitatis imprimis, ſuique contemtus, & ſuorum a natura, ab induſtria donorum occultatione præcelluerit. Statim a Profeſſione Theologiæ Cathedræ munus illi demandatum in patria primum, inde Romæ in Seminario Miſſionum, annos circiter duodeviginti egregie adeo explevit, ut etiam invitus, ac refugiens Litteratis quibuſque viris ſummo eſſet in pretio, & veluti divinarum præſertim diſciplinarum oraculum ſuſpiceretur, in difficillimis queſtionibus, maxime verò quæ tunc univerſam Germaniam exagitabant, diſſiciebantque, de Cornelii Janſenii doctrina, undique conſultus. Heinc ad Ordinis Præfecturas, Melitenſis primum Conlegii Prioris, tum bis Romæ a procurandis totius Congregationis negotiis, iterumque Definitoris Generalis, ut*

ajunt

aiunt, evectus, in Generalem quoque Præpositum conspirantibus votis optatus, omnia & singula ea munia sanctissime obiit. Ob eam vulgatissimam doctrinæ opinionem, a Fidei Quæsitore Melitæ Sacro illi Tribunali, Romæ vero a Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. variis, ut vocant, Congregationibus Consultor adlectus, ad censuram præsertim Operum præclaudati Jansenii felicissime, & magna Urbis adclamatione adhibitus est: a quibus etiam in Visitatorem Apostolicum Clericorum Regularium Infirmis ministrantium ab an. MDCXLVIII. destinatus, eam provinciam usque ad obitum protraxisse creditur. Tot inter litterarias vigilias, & gravissimas negotiorum sollicitudines, quas numquam a severiori Regularis disciplinæ observantia sejunxit, commissum sibi scribendorum Ordinis Annalium onus ita sustinuit, atque constantissime ad finem usque vitæ provexit, ut priorem eorum eximiæ molis Tomum ferme ad umbilicum perduxerit, non modica etiam pro altero comparata materie; quamquam morte præventus nec illum expolire, exornare, pluresque interspersas lacunas petitis monumentis replere, neque hanc digerere, & in ordinem locare valuit: quod muneris P. Petro a S. Andrea postmodum obtigit. Ad hæc, pluria alia præcipue in re Dogmatica, tum varii argumenti manuscripta Commentaria, doctissimorum hominum judicio luce dignissima, magnoque usui futura reliquit, quæ numquam suaderi potuit, ut in publicum ederet; si unam excipias Orationem a se habitam dum in Belgio ageret, in obitu Comitis Tencinii Poloni, Typis Bruxellensibus commissam an. 1630. itemque Romæ Orationem e Græco a se latinè redditam S. Gregorii Decapolitæ, ac tandem Superiorum jussu hanc, quam modo damus Ven. nostri Johannis Vitam, primo Romanis formis vulgatam an. 1649. deinde quarto, ut diximus, horum Operum Volumini Coloniensis editionis insertam. Obiit Vir meritis, doctrina, virtute cumulatissimus Romæ, ad S. Mariæ de Scala, septuagenario major, anno MDCLXVI. mense Majo. Quibus omnibus patet integram Viro huic optimo, ac sapientissimo in iis, quæ de Ven. Patre scribit, fidem deberi; maxime quod propinquitate temporis ea rescire potuit ab iis, qui coram cum illo versati sunt. Eam ad mensem Maii an. 1648. absolverat, ut constat ex sequentibus Facultatibus; quamquam non ante sequentem annum 1649. a prioribus Typis Romanis soluta sit, quibus sub forma minoris voluminis publice paruit; cui hæ Censuræ præcedebant, ut etiam in Coloniensi horum Operum editione legebantur.

FR. LAURENTIUS A S. ELIA

PRÆPOSITUS GENERALIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

VIsam virtutesque Reverendi admodum Patris nostri Fratris JOANNIS A JESU MARIA Congregationis nostræ, dum viveret, Præpositi Generalis, à Rever. Patre Nostro Fr. Isidoro à S. Joseph ejusdem nostræ Congregationis Procuratore Generali ex fide dignis relationibus collectam, & à peritis Theologis recognitam & commendatam, probo ut typis mandetur, si placuerit Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Vicesgerenti, & Reverendissimo Patri Magistro sacri Palatii Apostolici. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ de Scala, die 27. Maii 1648.

Fr. Laurentius à S. Elia Præp. Generalis.

Fr. Faustus à S. Basilio Secret.

JUbente Rever. adm. Patre nostro P. Fr. Laurentio à S. Elia Congregationis Italiæ Carmelitarum Discalceatorum Præp. Generalis, Compendium Vitæ Venerabilis P. Fr. JOANNIS A JESU MARIA attenta mente decurri, nihilque in eo, quod jure quempiam remorari possit, offendi: Fidem quippe firmat, Ecclesiam illustrat, mores informat. Opus sanè suum sapit auctorem, Rever. scilicet Patrem nostrum Fr. Isidorum à S. Joseph totius nostræ Congregationis Gen. Procuratorem, cujus, ô liceat grandiora intueri volumina, Præludit in parvo, quod molitur in magno. Habes in hoc Joanne generalium totius nostræ Congregationis historiarum, quibus ille concinnandis insudat, præcursorem. Ex uno hoc flosculo amænissimi veris delicias valeas præsagire. Sic in opere nullius censuræ indigo censeo. In hoc nostro Conventu S. Mariæ de Scala Romæ die 14. Februarii 1648.

Fr. Hieronymus à S. Teresia Definitor Gener.

Imprimatur, si videbitur Rever. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Rivaldus Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capisuccus Mag. & Socius Reverendissimi P. F. Vincentii Candidi Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prad.

PROTESTATIO
SEQUENTIS VITÆ SCRIPTORIS

Ad S. R. E. Decretorum Præscriptum.

NON intendo hac mea enarratione ullius Beatificationi, aut Venerationi viam struere, aut Prælatorum prævenire judicium: Sed simplicem historicum ago, nihilque hoc scripto molior, aut prætendo, quàm, ut ego, & Fratres mei, Virtutum Religiosarum exempla sequamur: Omnia S. R. E. judicio decretisque subiciens.

VI-

VITA AUCTORIS

QUAM EX FIDE DIGNIS RELATIONIBUS

COLLIGEBAT F. ISIDORUS A S. JOSEPH BELGA EJUSDEM ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM PROCURATOR, ET HISTORICUS GENERALIS

PRÆFATIO

OPus aggredior hactenus ab animo meo longè, lateque remotum: cui sive amicis sollicitantibus, sive Superioribus invitantibus allubescere, aut non volui, aut non valui: Refugiebam enim, immò potius exhorrebam ad solum nomen hujus scriptionis, duas præsertim ob causas sibi invicem pugnantes; nimirum eorum, quæ à me dicenda expectabantur amplitudinem, ac dignitatem; & relationum, quas penes me habebam, imparem tanti viri virtutibus memoriam. Prima animum prosternebat: ne ingenii culpa detererem, quod in scriniis exaratum conservabam. Secunda beneficium temporis expectare suadebat, quo tandem aliquando dicendorum copia, dicentis inopiam excusaret, Fratrum meorum piam expectationem satiaret, sanctæ aviditati satisfaceret.

Verùm enim verò supremus ille rerum nostrarum Arbiter paucis ab hinc mensibus, cum vitæ meæ desperata momenta ad hunc finem ulterius decurrere jussisset, tenebras absterserit, mentis horrorem excussit, vertit in voluptatem, qua delibutus, allectusque,

En benigne Lector ad describendam vitam, virtutesque Venerabilis Patris nostri Joannis à Jesu Maria *dilatato corde procurro: nondum quidem obfirmata valetudine corporis, sed animo tanto libentiori, quanto fruor convalescentia benigniori, quam ejus precibus, ac Fratrum nostrorum cum Christo regnantium, quorum gloriæ desudo, acceptam refero, dicoque.*

Pro secunda tantum difficultate, te deprecatum, ac monitum volo: ut multa omissa intelligas, condonesque, quæ postmodum facilius inserentur. Interim paupertate mea ex ultima, nobilissimaque Christianitatis Insula Melita, in qua nunc dego, fruere, & Patris nostri religiosissimas virtutes imitari stude.

Nec me amplius terret arduitas dicendi, aut dicentis retrahit imbecillitas. Didici enim à sanctissimo Patre Gregorio Nysseno, Orat. in Thaumat. Quod præstantissimi viri laus est, si ejus virtus major demonstretur, quam laudantium facultas dicendo assequi possit.

ELENCHUS

EORUM QUAE HOC PRIMO TOMO

CONTINENTUR.

	Vita Auctoris.	*pag.* I.
	Paraphrasis in Librum Iob.	1.
Interpretatio	Cantici Canticorum Interpretatio.	209.
	Lamentationum Ieremiae Interp.	383.
	Psalmi CXXXVI.	489.
	Psalmi LXXXIII.	495.
	Psalmi XLI.	501.
APPENDIX.	De Prudentia Iustorum Liber singularis in quinque partes distributus	507.
	Cantici Canticorum brevior explanatio.	557.

MONITUM PRO BIBLIOPOLA.

Imago ex aere immediate ante Opus Paraphrasis in Librum Iob Adponatur.

VEN·P·F·IOHANNES·A·IESV-MARIA·CALAGVRITANVS·
SPIRITVS· CANDORE· DOCTRINAE· PRAESTANTIA·
CADAVERIS· INTEGRITATE·CLARISSIMVS· *Ob. an. Dñi. 1615. aet. 51.*

Giuliano Traballesi del. *Carlo Faucci Sc.*

VITA VEN. P. JOHANNIS
A JESU MARIA.

CAPUT I.

Ortus, & infantia.

Scripta An. 1648.

An. 1564.

Patria & ortus tempus.

Parentes. A

NAtus est frater JOANNES A JESU MARIA anno ab Incarnatione Dominica MDLXIV. in civitate Calaguritana, patria S. Dominici, in Hispaniis, & ad diem XXVII. Januarii in Ecclesia Cathedrali Sacro fonte renatus, Joannis nomen accepit. Patrem habuit Didacum à S. Petro artium, & Medicinæ Doctorem præstantissimum, qui propter talentorum famam, ac præsertim Philosophiæ eminentiam Baccalaureus à S. Petro celebri nomenclatura colebatur. Pietatem, temperantiam, aliasque virtutes adjunxerat, quibus in credito sibi munere vitam agebat Christiano nomine dignissimam, Mater Domina Anna Uztarroz nobilem prosapiam, & antiquam originem ducebat ex regno Navarræ à Toparchis Uztarroz in montibus vallis Roncallæ: animam nobilioribus virtutibus, & omnimodo pietatis ornamento reddiderat illustriorem. Sed honorabile matrimonium, thorumque pudicum illustrissimum Deus fecit, unicum masculini sexus elargitus filium, qui utriusque parentis cognomine deinceps Joannes de S. Petro, & Uztarroz more gentis fuit appellatus. Locus ipse præcisus, in quo lucis usuram accepit, ad annum MDCXXVIII. Sanctissimo Sacramento in hospitium domus in Conventum S. Francisci fratribus cessit: Deo servi sui natalitia sanctissimæ suæ humanitatis habitaculo luculenter exornante.

In matre gravida miraculum. B

Genitrix cum Joannem nostrum adhuc utero gereret, adeò gravi casu de gradibus inopinè corruit: ut os tibiæ in duas partes diffractum, ægrè tandem, & inter acerbissimas chirurgorum manus coaluerit: habitumque est à medicorum peritissimis prodigii loco, tam gravem lapsum, cruciatus acutissimos, inopinam commotionem sede sua

Partus absque dolore.

fœtum non emovisse. Voluit autem Dei Sapientia, ut tempus partus hominum opinionem falleret. Adeoque sola sese sine obstetrice, sine famularum adjutorio, in extremas angustias redactam cernens, graviter ingemisceret. Sed ille qui Joannem nostrum ex æternæ prædestinationis utero in servum sibi perpetuum segregare disposuerat, voluit, ut vix partus dolorem mater sentiret, dum eniteretur: quemadmodum neque tædia, neque solitas stomachi nauseas perpessa fuerat dum utero gestaret.

Materterae visum, ac vaticinium

Clariùs, manifestiusque futuram infantis sanctitatem testari voluit divina Sapientia. Splendebat in patria civitate Calaguri non mediocris sanctitatis fama, quam solidis virtutum meritis adepta fuerat, matertera Joannis nostri nondum ætatis quinquennium supergressi. Theresia Espanola nomen habebat. Hæc vitæ dies plenos operibus bonis, beato fine propediem clausura jacebat in lecto mortali, certamen ultimum Deo commendans. Cum ecce paroxismo vehementi mortuæ similis extra se rapta est: & tandem in se reversa ad astantem Joannis nostri matrem hilari vultu: *Lætare Anna; vidi enim, inquit, filium tuum Romæ inter Fratres Carmelitas Discalceatos, eorum habitu vestitum, & sanctitatis gloria præclarum.* In qua prædictione nonnulla mihi ponderanda video, ab historiæ munere

C

non aliena. Primum: quod ad annum MDLXIX. contigisse supputatio temporis ostendat: quando Teresia nostra sanctissima monialium reformationi vix septenniò desudaverat: quando paucorum Fratrum Discalceatorum manipulus obscuro Duruelli tugurio ab anno circiter uno in Hispaniis latebat: quando de Italicis, aut Romana fundatione nulla spes effulgebat. Secundum; eo tempore per quinquennium habitum S. Francisci gestabat voti, vel devotionis maternæ causa. Quid ergo mulieris mentem movit, ut ad alterius professionis adhuc obscuræ, habitum, normamque deflecteret; nisi vis aliqua superior divinæ Veritatis? Tertium: meritò Ioannem nostrum in cœlesti visione Romæ, & non alibi terrarum designatum fuisse habitu Carmelitarum Discalceatorum, & sanctitate splendentem. Quod is Romano ubi semel illuxit hemispherio, Conventus alios præsentia corporali non obierit: sed veluti Congregationis nostræ mater domi ad penetralia residens filios foverit, ac eduxerit, qui in cæteras mundi partes Carmeli primitivi disciplinam, & educationem inferent. Denique certissima rerum ac circunstantiarum, cum non ambigua prædictione,

Veritatis vaticinii demonstratio.

Puer a matre S. Francisco devotus.

D

concordia facilè me adducunt, ut assentiar vires omnes humanæ mentis, aut sagacitatem intellectus naturalis eam excedere, & ut ad Dei magnalia attollar, qui jam tunc Congregationi nostræ virum providerit, à quo Religionis Teresianæ spiritum Roma susciperet,

& in

Scripta An. 1648. & in totum terrarum orbem derivaret. Non enim modicam benignitas hæc laudem à nobis exigit, & ad cultum, obſervantiamque inſtituti noſtri provocat ſingularem. Nunc ad puerilem ætatem eamus, & eos annos adoleſcentiæ, quos conſumpſit in ſæculo.

A

CAPUT II.

Pueritia, & Adoleſcentia.

An. circ. 1570. & ſeqq. JOANNIS noſtri pueritia nihil habuit puerile, niſi florem ætatis, & teneritudinem corporis. Jam enim tunc modeſtiæ ſpecimen conſodalibus præbebat, devotionis fervore, Deo ſeſe initiabat, morum gravitatem, quam tota vita expreſſit delineabat, obedientiam erga ſuperiores, pietatem erga parentes, obſervantiam erga majores, quibus poterat operibus, exprimebat. Erga pauperes, ægroſque ampliſſima gerebat viſcera pietatis; ut & majora ſubſidia, quam ætas ferret, afferre moliretur. Unde propriæ detrahebat commoditati, quod miſerorum impenderet infirmitati, & magnam partem eorum, quæ domi in uſum vitæ mortalis accipiebat à matre, clam erogabat pauperibus in Hoſpitali, fœnus expectans æternæ miſericordiæ. Matrem etiam, ſororeſque compoſito ſermone, blanditiiſque alliciebat, ut ſibi liberaliter tribuerent, quod æterni Patris filiis, ac Jeſu fratribus in Noſocomio jacentibus cederet in ſolatium; moxque incredibili jucunditate perfuſus ad eos puerulus accurrebat, & veluti Chriſto Domino pauperi reverenter, alacriterque offerebat. Quantum etiam fuerit in illa ætate circumſpectus, ne puerili levitate, aut cupiditate (ut ferè moris eſſe ſolet, & S. Auguſtinus in ſeipſo fatetur, ac deflet) vicinorum pomaria attingeret, manifeſtum ex eo evadit: quod decerptos in horto flores pauculos, cum adhuc puer eſſet, voluit à matre compenſari; quod ſine expreſſa Domini licentia ſumpſiſſe vereretur.

In pauperes miſeratio.

B

Æqui amor.

Ingenium. Pueri ſtudia.

Emicabat in teneris annis ingenii præcellentis aurora, & adducebat prognoſticum ſeſe maturioribus annis evaſuram in ſapientiam ſereniſſimam. In arte grammatica, dicendique facultate ſic in patrio ſolo promovit, ut coætaneos longo poſt ſe reliquerit intervallo; Græcis etiam litteris animum exornavit, atque humanioribus diſciplinis excultus, gravem, politumque ſtylum induit, quem deinceps magno noſtræ Congregationis bono, variis in libris ad pietatem exercuit. (1) Nondum egreſſus pueritiam in Salmanticenſis Univerſitatis ſchola celeberrima artium facultatem eſt aggreſſus. Quantum vero per aliquot annos indefeſſo ſtudio, ſumma contentione, audiendo, ſcribendo, diſputando, aliiſque Scholarum artibus, tum privatis, tum publicis profecerit intellectus ille perſpicax, ac nitidiſſimus in ſinu matris ſapientiſſimæ, & virorum doctiſſimorum corona, quid attinet modo pluribus enarrare? cum ipſa per ſemetipſam res proclamet, ac quæ deinceps dicturi ſumus abundè confirment.

Majoribus diſciplinis incumbit.

C

CAPUT III.

Inter Carmelitas Diſcalceatos Paſtranæ profitetur.

An. 1582. SED alia intus clamitabat ſapientia, docebatque per contemptum mundi tendere ad regna cæleſtia. Jam hoc tempore recens S. Tereſiæ Reformatio ex turbulentiſſimo perſecutionum oceano caput extulerat. Jam anno MDLXXXI. ad diem IV. Martii in primo Capitulo Provinciali Compluti celebrato, facultate litterarum Apoſtolicarum Gregor. XIII. Provinciam ſibi conſtituerat a proprio Superiore gubernandam. Vidit adimpletum deſiderium ſuum Tereſia, adhuc mortali carne circumdata, & Deo gratias agens de filiorum ſuorum fœlici progreſſu toto corde jubilabat: donec anno MDLXXXII. ad amplexus Sponſi evolavit, patrocinium Fratribus ſuis præſtitura in curia cœleſti, quos in exilio terreſtri materna cura foverat, eduxeratque.

Tereſianae Reformationis initia.

D

S. Tereſiae obitus.

Hoc

[1] Miror profecto, nec Iſidorum noſtrum heic, nec in Latina generali Congregationis Hiſtoria, ubi a cap. XXVI. lib. 1. ac deinceps eamdem hanc Vitam revocans ferme ad verbum exſcribit, nec Philippum a SS. Trinitate in ſuo *Decore Carmeli*, *par.* 3. *p.* 7. *& ſeqq.* in quo pariter ejus Acta compendioſius refert, nec Euſebium in ſuo *Enchyridio*, nec Martialem in *Bibliotheca*, nec alios bene multos e noſtris, qui de illo ſcripſerunt, eum Hebraicè quoque excultum fuiſſe non adiicere; quum tamen mihi adeo perſuaſum ſit, ut nihil ſupra: quod praeter alia multa eae ipſae, quae hoc Volumine potiſſimum continentur, variae Sacrarum Litterarum Expoſitiones evidentiſſime ni certe fallor demonſtrant, in quibus ſaepiſſime ad Hebraicam veritatem ſe confert, non raro Hebraicum Textum Hebraico adducit, ac tot ex illius vi & energia voces, dicta, ἀξιώματα explicat, & illuſtrat. Forte hujuſmodi noſtrorum Hiſtoricorum ſilentium inde ortum eſt, quòd modeſtiſſimus Pater per ſeſe abique Magiſtro, & clanculum, aetate adultiori Hebraicam Linguam edoctus, illam ornamenti, & litterariae facultatis, adceſſionem, quae tunc plurimi aeſtimabatur, caute verſando, colloquendoque celaverit, ac ſcribendo tantum, & veluti rei alienae mutuo ea uſus fuerit, ut vel hanc inanis gloriae umbram perfugeret.

Scripta An. 1648.

Hoc eodem anno Spiritus Sanctus adoleſcentem à ſæculi vinculis, ac periculis eripere, & in novæ reformationis ſecuram ſtationem voluit educere. Admirabili uſus ſanctæ prædeſtinationis arcano, non in ſibilo auræ tenuis, ſed in ſpiritu vehementi, & fluctibus procellæ terribilis ſpecioſam illam cymbam, velis, remiſque mundi fluctibus innatantem excuſſit. Cum enim audiſſet Joannes tremendum vitæ exitum, quo Dei juſtitia manum ſuam aggravavit, ſuper Udonem Archiepiſcopum Magdeburgenſem, qualiter à Deipara Virgine fœliciſſimo dotatus ingenio, cum prius craſſa, rudique Minerva in ſtudiis operam oleumque perderet: quomodo ad infulam ſublimatus, impinguatus, dilatatus recalcitravit: oves tandem Chriſti deglutiens, mactanſque, rapinis, compotationibus, ſcortationibus omnia complevit, uſque dum viſus eſt à Divinæ juſtitiæ ſatellitio in Eccleſiam trahi, voce ſupremi Judicis in Deiparæ præſentia, condemnari, perforato collo, quas conſecraverat hoſtias excipi, ac denique cum tortoribus æternis infœliciſſimum corpus, animamque proiici in horribiliſſimum illud ſine fine ſupplicium: hoc, inquam, exemplo timorem ſanctum concepit, pericula mundi deſeruit, & ad extremum halitum, ceu pædagogum ſeveriſſimum filiorum Dei, non ſervili metu, ſed filiali reverentia ſuſtinuit. Neutiquam igitur Spiritui Sancto vocanti reluctatus inter S. Tereſiæ Fratres Carmelitas Diſcalceatos annumerari à novo Provinciali petiit, obtinuitque ut in Novitiatu Sancti Petri Paſtranæ Religionis habitu donaretur, & Reformationis obiret tyrocinium. Relictum eſt ei Joannis nomen, quod in Baptiſmate acceperat, Deo providente, ut regenerationis gratiam non recuperare, ſed augere per pœnitentiæ ſtatum in Religione ſuſceptum Joannem ſuum indicaret: addita dulciſſima ſalutis noſtræ Nomina pro Reformationis more; vocatuſque eſt Frater Joannes à Jeſu Maria.

Johannis vocatio.

Udonis Archiepiſcopi terribile exemplum.

A

Paſtranae habitum induit.

In ſapientiſſima Jeſu Chriſti ſcola, quæ in clauſtro Paſtranæ non in ſublimitate ſermonis, ſed in profunditate virtutis, non in magnis titulorum umbris, ſed in vera humilitate totius hominis, non in ſcientia inflante, ſed in oratione compungente radium Divinæ lucis inquirit, frater Joannes noſter, ut Aquila cæteris altius volans, fœliciter emenſus eſt novitiatus ſtadium; & anno MDLXXXIII. ſemetipſum Deo, ac Deiparæ Virgini Mariæ de monte Carmelo, ejuſque primitivæ Regulæ ſub Inſtituto Tereſiano votis ſolemnibus conſecravit, cum annum ageret ætatis decimum nonum. Rarum in hac occaſione ſpecimen ſolidæ virtutis amoriſque in Deum dederunt Fratris Joannis noſtri pater, materque; nam cum unicam hanc haberent maſculini ſexus prolem, cui facultatibus mundanis locupletem hæreditatem tranſmitterent, nomen familiæ, decuſque propagarent, ipſi nihil inopinata filii determinatione conqueri, nihil triſtari, ſed lætari animo, ac exultare; quod dignaretur Deus nobiliorem portionem ſeminis ſui adoptare in partem ſortis Sanctorum. Sed Fratris Joannis conſtantia ex eo commendabilior eluxit, quod non ſolum divitis hæreditatis ſpem certam, blandicias parentum, honores ſæculi poſtpoſuerit paupertati Chriſti; ſed quod audito optimi patris ad meliorem vitam tranſitu, dum adhuc liber à votis eſſet, nihil de conſtantia dimiſerit: non de adeunda hæreditate nutaverit, non ſororum ſe præſidium, matris unicum relictum eſſe ſolatium: quis defendat viduam? quis tueatur orphanas? abſciſſum nomen, decuſque parentum ad ſe unum reſpicere, jure ſuo revocare, in ſe incumbere: irreparabili caſu ruere, ſi renuat ſuſtentare. Sed Novitius noſter ea, quæ plerique nectuntur in laqueum, conſtantiæ ſuæ ſubjecit in trophæum, ut ab omni mundana commoditate elevatior, quantò majora calcabat ornamenta ſæculi per conſecrationem ſui, tantò meliora chariſmata gratiæ ſuſciperet à munificentiſſima manu Dei.

Tyrocinium agit.

B

Parentum pietas.

Johannis conſtantia.

C

Abnegavit ergo cuncta frater Joannes nec unquam ad domus maternæ memoriam reflexit animum. Nec ab eo tempore matrem unquam videre curavit, aut vidit, niſi ſemel cum Calaguram ex obedientia ad alium Conventum miſſus pertranſivit. Solebat pia mater filium eò magis charum, quo à Deo charior dicebatur, frequenter per epiſtolas convenire, cum Genuæ, ac Romæ degeret (pervenit enim ad annum MDCII.) & in ejus ſinum familiæ caſus, afflictioneſque animæ ſuæ deponere, ut ejus orationibus ab Altiſſimo ſubſidium impetraret, & mutuis litteris conſolationem acciperet. Verum qui omnibus ob amorem Chriſti vale fecerat, raro ac non niſi obedientiæ præſcripto reſpondebat: Tranquillum in religioſa reſignatione ſpiritum, nec parentem proſperis elevari, nec adverſis deprimi ſinebat: cùm licitum erat, matris epiſtolam ad menſem integrum coram ſe jacentem non aperiebat, & tunc Superiorem, aut Confeſſarium rogabat, ut eam ipſe legeret, ac combureret, & ſi quid à lege charitatis, aut obſervantiæ, aut ſcribendum aut agendum judicarent, hoc ipſi ſignificare dignarentur: ſe qui in Chriſto amabat omnes, piam matrem colere, ac venerari, precibusque apud Deum, qui ubique præſens eſt, enixè commendare. Cum igitur ab omnibus ſæculi rebus elongatus haberetur, poſt matris obitum, à ſororibus, aliiſque conſanguineis nullam moleſtiam deinceps paſſus, nunquam etiam in animum induxit in Hiſpanias remeare: ſed procul à patria, procul à parentibus, & corpore, & mente patriam inquirebat meliorem: in Superiore patrem reverebatur, in conſodalibus amplectebatur Chriſti fratres, in religione matrem agnoſcebat omni carnali genitrice dulciorem. Hîc igitur non immorabor in recenſendis obſervantiæ exemplis, quæ vel novitius, vel recenter profeſſus exercuit. Satiùs enim faciliuſque mihi fuerit creſcentes cum ætate virtutes in ſequentes paragraphos aperiri.

Rerum domeſticarum contemptus.

D

Scripta An. 1648.

CAPUT IV.

Anno ſecundo poſt profeſſionem Genuam mittitur ad novum Conventum S. Annæ.

A

An. 1585. & ſeqq.

SI ad omnem periodum hiſtoriæ noſtræ in ſollicitam mentem incurrimus ſupremi Moderatoris, maximè fratres noſtros in decurſu vitæ Patris noſtri Joannis attollere oportet oculos, & gratum animum advertere ad aſſiduum Dei in noſtram Congregationem affectum. Movit ille virum incomparabilem Nicolaum à Jeſu Maria Genuenſem de gente Doria ætate maturum, moribus, quàm ſanguine nobiliorem, ut Hiſpali ad S. Tereſiæ hortamenta, relictis ſæculi divitiis, commoditatibus, pompis, auſteræ Reformationi nomen, vitamque conſecraret. Movit ejus zelum in proximi charitate & obſervantia religioſa flagrans, ut Procurator Ordinis ad negotia peragenda in Italiam miſſus, januam aperiret Reformationi Tereſianæ, & fratribus ſuis hoſpitium ad S. Annæ MDLXXXIV. fundaret, in quo primitivum Carmeli ſpiritum exemplo ſuo induxit, curaque, ac gubernatione ſua ſemen fovit, quod in arborem excreſceret maximam, quæ Religionis ramalia ad utrumque diffunderet polum. Movit Patres Capituli Ulliſiponæ in Luſitania celebrati ad diem IX. Junii, ut abſentem extraneumque eligerent, totamque Provinciam Diſcalceatorum ejus regimini, ac prudentiæ committeret; movit denique ut in proximis Congregationis Comitiis, quæ in Hiſpaniis convocavit hoſpitium in Conventum erigeret, & Joannis juventem in eo educari juberet in futuræ Congregationis præcipuum columen, & firmamentum. Ab eo ergo miſſus Frater Joannes a Jeſu Maria Genuam pervenit anno Chriſtianæ ſalutis MDLXXXV. cum annum ageret vigeſimum primum, & à nuncupata profeſſione ſecundum, & S. Annæ fundatio numeraret primum.

V. P. Nicolaus à Jeſu Maria.

Hoſpitium S. Annae Genuae fundatum.

Johannis Genuam adventus.

B

Certè ex iis omnibus, qui ex Hiſpaniis ad propagandam Carmeli noſtri vineam in Italiam venerunt, & ad mortem uſque conſtanter coluerunt Frater Joannes à Jeſu Maria, & temporis ſerie primus fuit, & ad ſobolem ex nationum varietate, ſub auſtero reformationis jugo ſuaviter efformandam, ſui ipſius genium ſingulariter inſinuavit. Hic in Conventu paupere, ventis, & pluviis pervio, & pluribus alii incommoditatibus obnoxio fervorem, quem in Novitiatu concepit, operibus exercuit, omnium religioſarum virtutum ſemetipſum, exibens eam normam, & exemplum, ut à cunctis ad inſtar Angeli mortali carne circundati amaretur, & coleretur: adeò ut Novitios, qui paulò poſt ſub magiſterio R. P. Fr. Ferdinandi à S. Maria Supprioris exercebantur, ipſe jam tum eorum dux, & anteſignanus erudiret exemplo, punctualitate præiret, ſpiritus fervore alliceret, mortificationum frequentia animaret, graviora præripiens ſublevaret, in humilioribus præveniens erigeret, in peragendis dirigeret, morum ſuavitate recrearet.

Inſigne Novitiis exemplar fit.

CAPUT V.

C

Navat operam ſtudiis ſcholaſticis.

An. 1585. & ſeqq.

QUibus etiam temporibus, dum Genuæ degeret, ſtudio ſcientiarum, & præſertim Theologiæ, ex obedientiæ præſcripto, mentem impigrè, fœliciterque tradidit erudiendam; nam cum in finem R. P. noſter Nicolaus à Ieſu Maria lectorem ſapientiſſimum providerat, & ad S. Annæ ex Hiſpaniis ablegarat R. P. Fr. Dominicum à Præſentatione, qui ex Foronda oppido Alabæ oriundus, non ſolùm in religione, ſed adhuc in ſæculo degens, celebris in ſcientiis habebatur, atque in Academia Granatenſi Theologiam publicè docuerat, frequenti diſcipulorum concurſu, & eximia ſapientiæ fama. Sed titulis, & magni nominis umbris animosè valedicens, maluit in ſchola Chriſti humilem diſcipulatum inire; quàm doctoratus prærogativa ſublimi periculum experiri præcipitis ſuperbiæ, In qua certè pro ingenii præſtantia, ſpiritu quoque religionis excelluit, eamque non mediocriter, utroque in munere promovit. Tantum ergo præceptorem Frater Joannes in Scholaſticis diligenter audivit, & præcellens ingenium ſic exornavit, & Myſtica Theologia Scholaſticæ Speculationis acumen non obtunderet, & Scholaſtica ſpiritus vigorem non emaſcularet: ſed una tenebras mentis divinis veritatibus abſtergeret: altera lignis ignem ſupponeret, ut utriusque auxilio mens accenſa holocauſtum fieret ſuaviſſimi odoris, quod totum in odorem Domini, totum accenderetur in ſalutem proximi.

P. Dominicus a praeſentatione ejus praeceptor.

Mira cum ſtudiis pietatis conjunctio.

D

Quantum verò Frater Joannes, in Theologicis excelluerit, quam ſubtilis diſputator inſiſteret, quàm liquidè difficultates arduas defendendo enodaret, uno inter omnium ex-

Scripta An. 1648.

exemplo oſtendam *cap.* 7. cum ſub hoc ſuo lectore, tunc Cataloniæ Provinciali in generalibus totius Ordinis Comitiis Cremonæ convocatis, concluſiones ſingulari laude defendit. Quàm verò ſolidè doctus evaſerit, hiſtoriæ noſtræ decurſus pluribus in locis explicabit.

Memoria ab eo culta.

Quæ didicerat non in oblivionem ire ſinebat religioſus ſapientiæ amator; ſed ruminabat, ponderabat, inculcabat memoriæ, congeſſeratque ſibi theſaurum incomparabilem eruditionis in capaciſſimo mentis ſcrinio, quem deinceps procurrentibus annis auxit, locupletavit, & ad manum habuit. Nam in memoriæ exercendæ laborem bonus ſcholaris, &

A

in obedientiæ ſcopum intentus libenter exantlabat: in eum finem diebus ſingulis ex Scriptura Sacra, aut S. Thoma, aut Sanctis Patribus periodum aliquam ei imprimebat; & immenſum illud, admirandumque gazophilacium, quod ad imaginem ſuam Deus in humana mente condidit, in Fratre Joanne noſtro gemmis ditabatur precioſiſſimis, & continuo exercitio ad majorem ſeſe extendebat capacitatem, proniori in dies facilitate divitias ſapientiæ

Ejuſque exercitatio poſteris commendata.

innumeras condens, promenſque. Unde ſenior factus, non ferebat quorundam religioſorum pro functionibus ſacris excuſationem; quam ex memoriæ defectu prætexebant, affirmare ſolitus; nemini Deum tam parcè providiſſe de ſacro hoc ſuæ æternitatis ſimulacro; quin continuatis exercitiis evadere poſſit in dives promptuarium, eumque qui in ſtudiis gloriam Dei quærit, intento obedientiæ ſatisfacere, non tam ad ſubtilium quæſtionum explanationem mente aſcendere, & evolare, non in ingenii vivacitate, judicii maturitate gloriam debere, quam ſolida S. Theologiæ principia, ac momenta penes ſe in numerato poſſidere, & bibliothecam vivam ſecum in mente deferre. Imò memoriæ cultum in ſchola Novi-

Lib. Inſtructionis Magiſt. Novitor.

tiatus, ut exerceri jubeant, magiſtros inſtruit *p. 3. c. 6.* his verbis *Poſtquam verò in memoriæ exercitium devenimus: utile conſilium erit, novitios in propria ipſorum inſtructione exerceri, propoſito nimirum præmio aliquo ei, qui rogatus de prima, aut de ſecunda inſtructionis parte, ſummam paragraphi cujuslibet fideliùs, promptiuſque retulerit. Sic enim æmulatioone alterutra proficient, tempusque in re utiliſſima fructuosè inſument, quod in tenera præſertim ætate maximi ponderis eſt.* Faxit Deus, ut hoc ſanctiſſimi viri propoſitum, &

B

exemplum ſtudentes noſtros excitet, animetque ad alacriter excolendæ memoriæ ſubeundos labores ac tædia, dum juventute valent, ut in maturitate dulciſſimos fructus metant.

Digreſſio.

Spiritum hunc à primis Patribus noſtræ Reformationis in Paſtranæ Novitiatu Frater Joannes didicerat: Illi verò ab antiquis Patribus noſtris, quorum nomine, & ſucceſſione gloriamur. Nam in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſcriptum legimus, ſanctos Eremi Patres ita co-

Memoriae cultus quod veteres Eremi patres.

dicum ſacrorum textuum memoria calluiſſe, ut quamvis Imperatorum juſſu volumina omnia contigiſſet exuri, ex ſcrinio tamen imperſcrutabili mentis potuiſſent iterum memoriter dictari, & fideliter exſcribi. *Sanctus Atonius memoriam pro libris habebat*, inquit

S. Antonius. Ammonius.

S. Athanaſius c. 3. *Ammonius, vetus, & novum teſtamentum dicebat memoriter, & in doctorum virorum Origenis, & Didimi, & Pierii, & Stephani ſcriptis ita erat verſatus, ut ſexagies centena millia verſuum percurrerit*: Hiſt. Lauſiaca lib 8. cap. 12. & ibid, cap.

Hero Monachus.

32. de Herone Monacho, inquit Palladius; *Cùm nihil guſtaſſet, pedes ingrediens, pronunciabat memoriter quindecim pſalmos, deinde magnum pſalmum, deinde epiſtolam ad Hebræos: deinde Iſaiam, & partem Prophetiarum Hieremiæ: deinde Lucam Evangeliſtam: deinde Proverbia.* Et ut altiora Religionis primordia aſcendamus; Eſdram Inſtituti Eliani

Eſdras.

cultorem fuiſſe concorditer affirmant Hiſtorici noſtri, tum antiqui, tum moderni. Hunc

C

nonnulli ſanctorum Patrum ſacros veteris Teſtamenti Codices priùs omninò deperditos, vel in captivitate Babylonica exuſtos, aut Ieroſolimæ deſtructione conſumptos ex memoria reſtituiſſe, aut repoſuiſſe teſtantur S. Baſilius *Epiſtola ad Chilonem*. Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & narrat *lib.* 4. Eſdræ *cap.* 14. Quod ſi verum eſt, habemus argumentum irrefragabile, quo Studentes noſtri, certò ſibi perſuadeant, tunc ſe prædeceſſorum ſuorum veſtigia ſancta egregiè ſequi, quando in codicibus Sanctorum menti imprimendis defatigantur, & memoriæ theſaurum cæleſtibus eruditionibus implent. Huc libentius, liberiuſque digreſſus ſum, non inutiliter, ut ſpero, nec injucundè. Multorum enim curſuum experientia didici, nihil æquè Scholaribus meis obfuiſſe, quàm memoriæ cultum.

Ejus in S. Scripturam reverentia. *S. Gregorius.*

Scripturam Sacram humili tractabat reverentia, affectu devotiſſimo perlegebat, velut epiſtolam Omnipotentis Dei ad creaturam ſuam miſſam, ut ait S. Gregorius. Ideoque quoties ſacros Codices uſurpabat, peragebat id genibus flexis, ac capite detecto, ſed magis inclinato corde omnibus finibus mentis ad Creatoris ſui vocem arrectis, apertisque. Simile

Et in S. Thomae ſcripta.

honoris genus ad lectionem librorum S. Thomæ exhibuiſſe narratur: Reverenter enim ſuſcipiebat doctrinam Angelici Doctoris à Conciliis, à Summis Pontificibus, ab ipſius Crucifixi oraculo comprobatam, & ad ejus miram ſapientiam ſtudiorum indefeſſo labore,

D

jejunio, oratione, ſilentio, cæterarumque virtutum ejus æmulatione nitebatur attingere.

Diligens exercitiorum diſtributio.

Punctualem inter hæc duo fidelitatem obſervavit, ut nec ſimplicitatem orationi debitam Theologiæ ſpeculationes abblandiendo deciperent, nec decerperet oratio tempus, quod ſtudio conceditur, ſed aſſignata utrique pondera juſta bilance partiretur. Ad primum campanæ ſonum, relictis omnibus curis, ac cogitationibus ſtudiorum, in Chorum advolabat, moxque finitis Dei laudibus alacri ſollicitudine regreſſus in cellam, ad Dei gloriam protinus jam philoſophabatur in libro. Non omittebat tamen unquam, quin defixis in

Oratio ſtudiis praemiſſa

terram poplitibus, orationem brevem, fervore, affectibuſque plenam ſtudiis præmitteret, ut depurato mentis oculo à cogitationum terrenarum fecibus abſtractam intentionem diri-

Scripta An. 1648. dirigeret ad omnis veritatis fontem, & sanctitatis autorem, eique scientiæ, salutisque progressum medullitus commendaret. Ea est, quam hujus viri, exemplo, stylo, ac methodo ex Instructione solemus usurpare, cum ad studiorum initium genibus flexis dicimus: *Domine Jesu Christe, qui vera Sapientia Dei es quam non nisi puris, sinceris que mentibus suevisti communicare; purga hanc animam meam igne amoris tui; intellectum, memoriamque confirma ad prediscendas, quas tu ipse præcipis sacras, vel honestas literas, quibus te unum quæram, te unum diligam, te unum sapiam; extra quem quisquis aliquid quærit, quisquis diligit, quisquis aliquid sapit, manifeste desipit. Qui vivis &c.*

Instruct. Studior.

A

CAPUT VI.

Sacerdotio initiatur, & nonnullis muneribus à fratribus honoratur. (1)

An. circ. 1590. NOn potui hactenus præcisum Sacerdotii tempus exp scari; nisi quod in libris Conventus S. Annæ sub mensem Februarium anni MDLXXXX. Pater Fr. Joannes appellari incipit more Sacerdotum: neque ob ætatem multo antea licuerat ad ordinem illum ascendere. Non tamen est silentio obvolvendum, adhuc ætate juvenem, & à Sacerdotio recentem concordibus Capitularium Patrum suffragiis electum fuisse in Conventus Discretum, anno, & mense jam dicto; quamvis plures alii Patres adforent non mediocris meriti, annorum numero superiores. Et quod me magis movet, lego ad annum MDLXXXXI. in electione Clavariorum Conventus primo loco nominatum Pat. Fr. Joannem à Jesu Maria; secundo verò loco, & inferiore P. Fr. Joannem à S. Hieronymo, virum ætatis provectæ, austeritate vitæ illustrem, qui paulo post totius Reformationis Procuratorem, mox Congregationis Hispanicæ multis annis exercuit. De quo in Historiæ libro sæpius honorificam mentionem facimus.

Adhuc Juvenis Discretum eligitur.

P. Johan a S. Hieronymo

Sacerdotii dignitatem adeptus, non ea usus est ad teporem; non ad minimarum rerum neglectum non ad exemptiones à Fratrum exercitiis; non ad honoris gradum sublimiorem, non ad commoditates ampliores, ne audiret à Gregorio Nisseno, de vita Moysis; *Fructum video, sacerdotalem arborem non agnosco.* Magis autem satagebat sublimiorem statum humilioribus officiis exornare: suave Angelorum epulum jejuniis promereri, & ad pretiosissimum illud Altaris sacrificium ipse sacrificium mortificatæ carnis, & contriti cordis sic afferre, ut plerumque resolveretur in copiosum lachrymarum imbrem, sudaria humore repleret, & ex adstantium accolytorum oculis, suaves devotionis rivulos eliceret. Sed Angelica modestia, actionum gravitas, spiritus fervor, quibus hoc ministerium jugiter totaque vita peregit, gravissimas inter occupationes, afflictionesque; semper eodem tenore æternitatis hostiam immolando, Seraphinum immortali carbone succensum repræsentare videbantur ad thronum Divinæ Majestatis, pavida mente, trementibus aliis assistentem; ut maximi beneficii loco Fratres certatim ambirent, Patri Joanni ad Altare ministrare, quod compunctionis, & devotionis uberem fructum haurirent, & dignam Domino sacrificandi normam ediscerent.

Hist. Gen. lib. 1.
Fervor irremissus.
S. Gr. Nyssenus.
In sacro faciendo eximia devotio.

B

C

CAPUT VII.

In Capitulo totius Ordinis Cremonæ celebrato, Conclusiones publicas celebri laude defendit.

D

An. 1593. AGebatur annus ab Incarnatione Filii Dei MDLXXXXIII. (2) & P. Fr. Nicolaus à Jesu Maria Vicarius Generalis Discalceatorum ex Hispaniis Genuam appulit, suis cum Provincialibus, Vicariis, ac sociis, aliisque Religiosis doctrina, ac sermone præstan-

[1] Hoc Caput sic exorditur idem P. Isidorus in sua *Histor. Gener. lib. 1. c. 29. Hucusque sub humilis Fratris nomine, ac conditione V. P. N. Joannes à Jesu Maria in Castris Religiosæ Observantiæ militaverat, ætate potius, quàm merito, ne ad altiorem gradum eveheretur, obstante. Jam verò neutro eorum, non suis quidem, sed communibus tum Superiorum, tum aliorum Religiosorum eumdem cum ipso Conventum incolentium votis officiente, ad sublimem illam, sibique numeris omnibus debitam Sacerdotii dignitatem evectus est: ut qui pro gloria Dei, animarumque salute tanto charitatis æstu flagrabat, millieſque semetipsum pro utraque veluti hostiam offerre, ac sacrificare voluisset: sacrificium offerendo, ab hac divini ignis fornace novos æstus conciperet, aliisque seu Religiosis, seu sæcularibus communicaret.* Quod heic subdere placuit, ne quid aut historiae integritati, aut gloriae Ven. Scriptoris nostri deesset.

[2] Typographiae lapsu in veteri Coloniae editione legebatur MDLXXXIII. Sic certissime, ut posuimus, corrigendum.

Scripta An. 1648.

ſtantibus: aſſumptiſque è Conventu Genuenſi P. Fr. Joanne à Jeſu Maria, ac P. Fr. Petro à Matre Dei, Cremonam ad totius Ordinis Carmelitici Comitia perrexit. Duo Patres hi, adhuc ætate juvenes præparati erant, ut more in Religine uſurpato publicam Cathedram ſuſtinerent. Hic quidem ſub P. Fr. Auguſtino à Regibus, Pater verò Joannes ſub Patre Dominico à Præſentatione Provinciali Cataloniæ, ſuo quondam Prælectore. Contigit autem Hiſtoria non illepida, ſed devota.

Diſcalceatorum ſimplicitas irriſa.

A

Nam rudis, & pauper Diſcalceatorum habitus, totius corporis modeſta ſimplicitas, gens nova à paucis hactenus cognita pleriſque deſpicatui erant, præſertim iis, qui in actibus publicis plus exteriori tribuunt pompæ, quam interno ſpiritui. Cum ad ſolemnes Capituli actus, aut ſupplicationes quiſque ſuo ordine vocaretur, omneſque Capituli Patres tituli magiſterii forent inſignes, & Rev. P. Magiſter, appellarentur; dum ad nomina Diſcalceatorum perventum fuit quibus Magiſtri titulus non præponebatur, ſed ſolummodo, Fratres ſimpliciter vocabantur, ſimulque ſimplicitatem mentis vultu, geſtuque præ ſe ferrent, quaſi per jocum ſuccłamabat Bedellus, inquiens: *Accedant Fratres noſtri ſimplices*. Hi verò ſimpliciter obedientes locum oſtenſum acceperunt, pleriſque ex aſtantium corona cachinnantibus, & ut fieri ſolet, verſa in proverbium ironia; *Fratres ſimplices, vel Magiſtri ſimplices*, promiſcuè, tam à Religioſis, quàm à ſæcularibus appellati ſunt.

Eorum doctrina laudata.

Verum juxta ſeriem diſputationum ac Concionum feria quarta poſt Dominicam Pentecoſtes P. Fr. Auguſtinus à Regibus vir eruditiſſimus, reſpondente Fr. Petro à Matre Dei Cathedram Theologicam in Eccleſia S. Bartholomæi, frequentiſſima doctiſſimorum corona, ſumma cum laude ſuſtinuerunt; cùm matutino tempore ex eadem Congregatione celeberrimus Concionator egregiè munus ſuum expleſſet. Et primum quidem mirari plerique ſub humili pallio profundam in diſputando ſapientiam; devotam in dicendo facundiam. Sed poſtea quàm ſub P. Dominico à Præſentatione Cataloniæ Provinciali ſabbato ſequenti concluſiones defendit P. Fr. Joannes à Jeſu Maria in publicum præconium Diſcalceatorum erupere, tum Prælati, ac Canonici, aliique civitatis primores, tum graviſſimi Patres, qui ex orbe toto convenerant ad Comitia: & ſcommate in laudem verſo, dictitare ſolebant: *Iſtine ſunt Magiſtri ſimplices?* Certè Pater Frater Joannes tanta ingenii vivacitate, judicii maturitate, memoriæ promptitudine munus ſuum præſtitit, ut nihil ultra deſiderari poſſe videretur: cumque oppugnantium argumentis ita ſatisfeciſſet ut ab urgendo deſiſterent, nec adhuc elapſum eſſet diſputationi præfixum tempus ipſe ſibi varias, ac ſubtiliſſimas replicabat inſtantias, quas ordine ſuo pari promptitudine refellebat. Quod cùm non ex animi nimium ſibi blandientis vanitate, ſed ex ſingulari modeſtia, atque humilitate procedere videretur, mirum, quàm celebrem apud omnes, non illi ſolùm, ſed toti etiam Reformationi conciliaverit exiſtimationem, & gratiam. Nec erraverim, ſi dixero, hac de cauſa pleroſque Capituli Patres, proniùs in totalem Congregationis noſtræ ſeparationem incubuiſſe: adeò ut Reformatio Tereſiana bonum hoc, doctrinæ, virtutique P. Fr. Joannis à Jeſu Maria, magna ex parte acceptum referre debeat.

Mira ejus ingenii in defendendo alacritas celebrata.

B

Et ſimul modeſtia.

Congregationis a Calceatis diviſio illi debita.

C

CAPUT VIII.

Genuam revertitur, & educationi Novitiorum incipit attendere.

MOX finita functione, Genuam reverſus P. Fr. Joannes, ibidem ex obedientia Vicarii Generalis remanſit in futuræ Congregationis ſubſidium, quam in Hiſpanias navigaturus manifeſtis indiciis didicerat, & non obſcuris verbis prædixerat, viis incognitis à Deo ſtabiliendam. Interea Novitiorum quorumdam ipſe vota ſuſcepit; juſſitque veſtiendis educandiſque tyronibus in Conventu S. Annæ operam dari; quod ipſum, Patre noſtro Nicolao ad meliorem vitam non ſine ſanctitatis fama tranſlato P. Fr. Elias à S. Martino confirmavit, mox ut in Propoſitum Generalem electus fuit anno inſequenti. MDLXXXXIV. Tunc tyronibus in ſpiritu noſtræ Reformationis educandis intendere cæpit, & maximo Religionis emolumento præclariſſimam ſobolem procreavit; ex cujus præſtantia Patris excellentiam liceat non ambiguè conjecturare.

D

V. P. Nicolaia Jeſu Maria obitus.

P. Fr. Elias a S. Martino Praepoſitus Generalis.

DI-

Scripta An. 1648.

DIGRESSIO.

De clarioribus virtute Novitiis, qui ſub Ven. Patris diſciplina Religioni nomen dederunt. (1)

A

V. P. F. Angelus a Jeſu Maria.

ET primus quidem P. Fr. Angelus à Jeſu Maria filius legitimus Marchionis de Socino Ducatus Mediolanenſis, Tereſianæ Reformationi ſemetipſum devovit die 25. menſis Decembr. MDLXXXXIV. Hic dum Prioris officium Cremonæ exerceret Mediolani in patrio ſolo Conventum noſtrorum à P. Fr. Joanne à Jeſu Maria, tunc Præpoſitò Generali miſſus ad annum MDCXII. fundavit. Deinde cùm Conventum S. Annæ Genuæ gubernaret, auctor fuit, ut ſancti Joannis Baptiſtæ deſertum emeretur, ac fundaretur. Denique diverſis in Religione muneribus perfunctus, orationis gratia conſpicuus, divinorum patiens, zelo charitatis fervens, dum Procuratorem Generalem Romæ ageret, & Congregationem quandam ad inſtar Eccleſiæ primitivæ, aliaque multa ad Eccleſiæ bonum meditaretur, non mediocri ſanctitatis opinione migravit ad Dominum.

B Obitus cauſam admirabilem referunt. Nam cum Pater Frater Dominicus à Jeſu Maria, XXVI. Januarii MDCXXV. infirmari cœpiſſet ad mortem, pauloque poſt à medicis eſſet proclamatus; ſchedulam ſua manu deſcripſit in hæc verba. „ Ego frater Ange-
„ lus à S. Maria, videns infirmitatem P. N. Fratr. Dominici à Jeſu Maria, & co-
„ gnoſcens quantum ille Deo, ac Religioni noſtræ, totique ſanctæ Eccleſiæ ſerviat,
„ conſiderans etiam quanti momenti ſit univerſo mundo vita tam magni ſervi Dei, val-
„ de libenter Domino offero vitam meam, quantumvis diuturna, aut felicitatibus,
„ temporalibus, aut etiam ſpiritualibus abundans eſſe poſſit ut dignetur dicto Patri ſuam
„ prolongare ad ipſius divinæ Majeſtatis gloriam: ſperans, quod hanc meam oblationem
„ acceptabit in ſatisfactionem pro multis meis offenſis quas in ipſum perpetravi, mi-
„ hique concedet bonam mortem, quando ei placeat, etiam quantociùs me auferre ex
„ hac vita, & ita hanc parvulam oblationem meam ſubſcribo ultima Januarii, anno
„ MDCXXV. Frater Angelus à Jeſu Maria. „ Igitur hanc ſchedulam, dum miſſam celebraret, ſuper Altare poſuit, & internis actibus aſſociavit, factumque eſt, ut pater Frater Dominicus accepto Viatico, contra ſententiam medicorum convaleſceret,

C vitamque ad annos plures protraheret, & Pater Fr. Angelus eo ſanato in morbum incidens ad XVI. Aprilis proximè inſequentis vitam perderet, ut eam fœlicius inveniret. (2)

P. Agathangelus a Jeſu Maria.

Secundus. P. Fr. Agathangelus à Jeſu Maria Januenſis ex illuſtriſſima gente Spinula anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, nondum ephœbus Religionem ingreſſus in virum evaſit talentis plurimis eximiiſque, & præſertim docendi, ac prædicandi munere celeberrimum ob ſingularem prudentiam, & obſervantiæ zelum, ob caſtiſſimos, & integerrimos mores; ad ſuæ provinciæ regimen quinquies, ad Procuratoris, & Definitoris Generalis officium ſæpius electus: nec non ab Urbano VIII. Monachis Camaldulenſibus montis Coronæ in Tuſcia in Commiſſarium Apoſtolicum datus eſt, plurium Conventuum fundator, Belgii & Galliæ viſitator, officiorum, vitæque periodum ad SS. Sacramenti, quod ſemper coluerat, ardentiſſimam laudem beato fine concludere meruit, Genuæ XVIII. Junii MDCXLI. (3)

P. Franciſcus a S. Anna.

Tertius. Pat. Fr. Franciſcus à S. Anna Toletanus, vir ætatis maturæ quadraginta circiter annorum Sacerdotiique gradu inſignitus octavo idus octobris MDLXXXXV. in novam regenerari voluit Tereſianæ Reformationis infantiam. Gravibus tentationibus excoxit Deus ſæculi ſcoriam, ut purum obſervantiæ theſaurum excoleret, Belgis inferret, aliaque in cœnobia raro ubique virtutum exemplo diſpergeret. Aſſiduas ejus pugnas ad-

D verſus inviſibiles hoſtes inſigneſque victorias, reſervamus pro fundatione Neapolitana, ubi victoriam, ut ſperamus, ultimam, beato fine concluſit. (4)

V. P. Paulus Simon a Jeſu Maria.

Quartus. P. Frat. Paulus à Jeſu Maria ex admodum nobili apud Genuenſes familia Rivarola, ſemetipſum Reformationi Tereſianæ devovit XII. Novembris anno MDLXXXXV. Ob ardentem zelum converſionis infidelium à Clemente Octavo Legatus Apoſtolicus ad Sciabbas Perſarum Regem miſſus, primus in eas partes, Religionis noſtræ, ac Fidei Catholicæ liberum exercitium intulit. Quamobrem à Summo Pontifice S. Simonis Perſarum Apoſtoli promeritus agnomen, deinceps Paulus Simon

eſt

(1) Sic hunc titulum, majoris claritatis gratia, ab altera editione mutavimus, ubi ita legebatur abſolute, curſivo caractere: *Subiicio manipulum primitiarum noſtræ Congregationis, quem Pater Frater Joannes a Jeſu Maria Deo, ac Religioni obtulit ſua doctrina, ſuo exemplo formavit, educavit: unde colligas, quali igne flagraverit, qui tantum calorem aliis communicavit.*

[2] Hujus Viri laudes latius perſequuntur NN. Philippus a SS. Trinitate, *Decor. Carmeli Par.* 3. *pag.* 58. & Euſebius ab omnibus Sanctis in ſuo *Enchiridio Chronol.* ad an. 1625. eumque adpellatione *Venerabilis* decorant.

[3] Et hujus fuſiorem narrationem habet idem P. Euſebius ad hunc an. 1641.

(4) Vide *Hiſtor. Gener. t. 1. lib.* 1. *cap.* 25.

Scripta An. 1648. est appellatus. Post aliquot annos cum litteris Regiis ad Paulum V. & Catholicos Principes egregia commendatione remissus, fidei causam generosa libertate promovit. Ob præclaras virtutes ad totius Congregationis gubernacula per annos viginti fermè continuos admotus, eam summa prudentiæ laude, Religiosæ Disciplinæ exemplo, ac zelo, generosa animi constantia, ac gratia rexit, defendit, amplificavit, ornavit. Ex authoritate
A Apostolica Urbani VIII. Reformationem Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, gubernans, Romæ, & in Galliis efformavit, firmavitque. Missiones Orientis, Persidis, Mesopotamiæ, Mogorri, Syriæ, Palestinæ, Angliæ, & Hyberniæ partim fundavit, partim stabilivit in Hollandia, & Constantinopoli tentavit, sæpius amandatis ad ea loca Religiosis virtute præstantibus, earumque operarios, & alumnos, ac exterarum nationum viros præcipuæ charitatis viscеribus amplexus fovit, adjuvitque. Nunquam audita est ex ore ejus de absente querela, aut verbum aliquod malum. Denique cum tertia vice Præpositi Generalis munus obiret, & interius ad cœlestem Societatem se vocari sensisset, ac præparasset, Congregationem maximo, ac desideratissimo Parente orphanam, mœstamque reliquit Romæ Anno MDCXXXXIII. Octava die festivitatis Sanctissimi Patriarchæ nostri Eliæ, ut cujus Religionem ardenti zelo, ac generosa magnanimitate sustinuerat, virtutum quadriga vectus migraret in cælum. (1)

Quintus Eadem die XII. Novembris professionem emisit; P. Frater Martinus à Sancta Maria, qui Sancta justorum simplicitate Deo, & hominibus amabilis, suis laboribus, & exemplis Congregationi multum profuit, & diversis in sua Provincia muneribus perfunctus, plenus dierum, &
B bonorum operum contendit ad cæleste bravium anno MDCXXXXI. (2)

P. Elisæus a S. Joseph. Sextus. P. Fr. Elisæus à S. Joseph, ibidem XXV. Martii anno MDLXXXXVI. professus, mortificationis, aliarumque religiosarum virtutum exemplo Fratribus præluxit ac præfuit, Romæ tempore Capituli Generalis anno MDCXXIX. Genuensem Provinciam gubernans mortalis vitæ stadium absolvit. Unde Patres Capituli Generalis proxime sequentis, anno MDCXXXII. ex motivo, ut dicebatur, cujusdam revelationis Sarcophagum aperuerunt, habitum putrefactum, corpus adhuc integrum, candidumque repererunt, sine ullo fœtore, aut marcore. (3)

P. Bernardus à Resurrectione. Septimus P. Frater Bernardus à Resurrectione; maturæ vir ætatis sæculum deserere voluit, antequam desereretur ab eo, adeoque justa Carmeli primitivi spiritum, ad instar Aquilæ juventutem suam renovare promisit XXII. Aprilis MDLXXXXVIII. & non impigrè est conatus, sed Deus laborum præmium non ulterius differre volens ad annum MDCX. ad se vocavit. (4)

CAPUT IX.

C *Romam vocatur pro negotiis nostræ Congregationis.*

An. 1598. Clemens VIII. propagationem Congregationis per Italiam jubet, ac decernit. INterim Clemens VIII. Pontifex Maximus pro laudabili zelo, quo fervebat reformandarum Religionum, ex motivo pectoris principalis omninò voluit Reformationi nostræ Coventum erigere Romæ in S. Mariæ de Scala. Cumque Patres Hispani supplicarent, ne extra Hispanias Ordinis austeritatem propagari juberet, præsertim cum diffiderent delicatiores complexiones exterorum tanto rigori posse resistere: Regis Philippi II. nomine idem cum majori energia exponeret Orator Hispanus; Christi Vicarius, ceu à Spiritu Sancto motus dignum sanè, piumque pronunciavit oraculum: *Sic fiat*, inquit, *& sicut Teresia duobus Patribus Hispanias peragravit, Nos iis, quos in Italia habemus, reliquum complebimus orbem, utque desiderio tum nostro, tum Regis, & Religionis satis fiat, ab Hispanis separabimus, ipsi gubernabimus*. Ut ergo novam Congregationem

Fratres Romae convocat. fœlicius auspicaretur, per Cardinalem Pinellum Ordinis Protectorem in Conventu S. Mariæ de Scala convocari jussit Patres numero paucos, sed meritis amplissimos, &
D inter eos Patrem Frat. Joannem à Jesu Maria, qui Constitutiones Reformationis Teresianæ reviderent, & ad novam regiminis formam auctoritate Apostolica adaptarent.

Votum abdicationis omnium dignitatum ibi decretum. (5) Fuit inter cætera statutum memorabile, sanctumque decretum, satagente præsertim eodem Patre pro sua humilitate, & prudentia, ut deinceps tribus substantialibus votis religionis adjungeretur quartum de non ambiendo in hæc verba: *Promitto Deo omnipotenti, Beatissimæ Virgini de monte Carmeli coram omni curia cœlesti, me nunquam procuraturum directè, vel indirectè, per me, neque per alium aliquam Prælationem, vel dignittaem, aut*

††

(1) Jure meritoque & hujus Venerabilis Viri Acta liberalius exscribuntur a prælaudatis nostris Philippo a SS. Trinitate *ibid. pag.* 147. Eusebio ab omnibus SS. in *Enchir.* ad eum an. 1643. necnon ab eodem Isidoro pluries in *Historia Gener.* t. 1. & 2.

(2) V. Hist. Gen. t. 1. lib. 1. c. 25.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) Id contigit an. MDXCVIII. V. *Hist. Gener. Ord. lib.* 1. *c.* 29.

Scripta An. 1648. *aut officium per constitutiones prohibitum*. Quod primum à Patribus illis, ac deinde à reliquis omnibus gratanter acceptum: mox tum Romæ; tum Genuæ nuncupatum: deinceps sub forma breviori in morem introductum adjungimus Professioni solemni. Nam cùm ab urbe Roma omnium Ecclesiasticarum dignitatum parente periculum aliquod immineret; voluit vir sapiens ad murum religiosæ humilitatis propugnacula fabricari votorum, quibus procul arceretur omnis ambitio, tormentum religiosorum, & ruina religionum. Hoc etiam tempore interpretationem absolvit Cantici Canticorum; in qua amoris divini mutuas
A inter animam, & sponsum affectiones eleganter depingit, & commovendis ad pietatem animis accommodat. Quem primum ego librum esse existimo, qui à nostræ Congregationis Patribus sit evulgatus fœlici præcentu sacri epithalamii, nos à terrenis ad cœlestia invitantis. (1)

CAPUT X.

Ad S. Mariæ de Scala Magistrum Novitiorum agit insigni fructu.

An. 1598. QUamvis diversa obierit munera in Congregatione, atque adeo ob meritorum præstantiam ad summam attigerit dignitatem Præpositi Generalis, nihilominus tamen, magisterium efformandorum tyronum præcipuum erat ad ejus spiritum, ac genium. In hoc singularis erat, & unicus: ad hoc speciali Dei Omnipotentis manu videbatur efformatus: in hoc quamvis alia obirét officia, præcipuè incumbebat, & infirmitatibus impe-
B ditus, quantum poterat; adjuvabat, in hoc post mortem etiam nunc superstes vivit, in sequentium magisterio discipulorum: qui ad ejus institutionem, novitios, & semetipsos gubernant, ejus exemplum spiritum, ac dictamina, quæ successione hauserunt, æmulantur, & in omnibus suscipiunt tanquam perfectissimum exemplar magistri novitiorum, ad Divinum amussim efformati. Igitur ad dictum annum MDLXXXXVIII. Romæ alterum manipulum insignium novitiorum elaborare cæpit, P. Fr. Petrum à S. Benedicto Senogalliensem, P. Fr Matthiam à S. Francisco, qui deinde iterato Præpositi Generalis officio perfunctus est, Patrem Fratrem Vincentium à S. Francisco, qui missionem Persicam præclaris meritis uberi fructu exornavit, P. Fr. Joseph à S. Gabriele, qui Romæ confessionibus audiendis multas animas Deo lucratus, virtutum laude non mediocri floruit, P. Fr. Nicolaum à Conceptione magistrum novitiorum Genuæ, Belgii Provincialem, Definitorem, ac Vicarium Generalem, cæremoniarum religionis zelo, ac obedientiæ vivacisque fidei exemplis admirandis insignem. Nec non Ven. Fr. Stephanum à Sanctis Donatum, qui non sine sanctitatis fama Romæ obiit anno MDCXXXX. (2) Sed horum novitiatum, adveniens P. Frater Franciscus à Sanctissimo Sacramento principali magisterio perfecit. Nam celeberrimo Pastranæ tyrocinio, & Complutensi studio, multa cum laude præfuerat in Hispaniis, eique P. Frater Joannes libenter cedens, operam navavit auxiliarem; usque dum mense Augusto anno MDCI. in Priorem Conventus Genuensis electo, in Patrem Fratrem Joannem totus iterum incubuit. At verò Patre Fratre Petro Neapolim ad Conciones abeunte, in universum Conventum curam diffundere coactus, Patrem Fratrem Albertum à Sanctissimo Sacramento in auxilium efformandorum tyronum assumpsit: cui ad Prioratum S. Silvestri in Tusculanum translato, successit P. Fr. Dominicus à Jesu Maria, usque ad Capitulum primum Generale anni MDCV.

Novitii praestantiores. P. F. Petrus a S. Bened. P. F. Matthias a S. Francisco. P. F. Vincentius a S. Francisco. V. P. F. Joseph a S. Gabriele. P. F. Nicolaus a Conceptione. V. F. Stephanus a Sanctis Donatum. Fit magistri adjutor. Iterum Magister. Ejus adjutores. Ejus regiminis & institutionis forma.

C

Novitiorum fervor, & praxis virtutum.

Doctrinam, prudentiam, charitatem, qua in efformandis novitiis præluxit, frustra coner assequi sermone: neque ipse tam verbo docuit, quam movit exemplo. Tyronibus suis alphabeti Monastici loco, ad passiones, animique perturbationes moderandas binas demonstravit vias, utramque facilem, planamque ut exurgentes impetus, nunc rationis freno compescerent, nunc armis fidei subjugarent: nunc Christo Duce, & pugnæ antesignano ad sanctissimam ejus vitæ normam suam ipsi componerent, efformarent, exornarent, & multiplices victorias reportarent. Deinde meliorem animi motibus escam suggerentes convertebant ad objecta rationi, ac fidei consentanea; expandenti se in sensuum delectabilia amori, mox suggerebant Dei pulchritudinem, desiderio importuno rerum caducarum, obiiciebant fælicitatem æternam, odio occurrebant peccati fœditate, fugæ obsecundabant sæculi oblivione, gaudio saginabant securam mentem, tristitia deflebant amissam innocentiæ stolam. Nec in arduis minus ingeniosum erat stratagema: spem in non pœnitenda bona erigebant: audaciam in heroicos virtutum actus animabant. Ita semetipsos, ut Divinæ Majestatis perduelles asperrimè castigabant: Timor lapsum excludebat; nec desperationi locus erat, ubi Domino serviebatur omnipotentis misericordiæ,
D & misericordissimæ potentiæ. Nam ut S. Augustinus ait lib 14. de Civit. cap. IX. *Cum re-*

S. Augustinus.

(1) V. nostram in eum Librum Monitionem.
[2] De his omnibus V. *Hist. Gener. Enchiridium;* & P. Philippum a SS. Trinit. in suo *Decore Carmeli.*

Scripta An. 1648.

Marci 3. 5.

Joan. 11. 35.
Luc. 22. 15.
Matth. 26. 38.

rectam rationem sequuntur istæ affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam.... cum ejus in Evangelio ista referuntur, quod super duritiam cordis Iudæorum ita contristatus sit; quod dixerit, Gaudeo propter vos, ut credatis, *quod Lazarum suscitaturus etiam lachrymas fuderit; quod concupierit cum Discipulis suis manducare Pascha: quod propinquante passione tristis fuerit anima ejus usque ad mortem, non falso utique referuntur.*

Ejus insigniores virtutes.

A

Hoc in agone tantò fœlicius, faciliusque Discipuli certabant, quantò manifestius, & familiarius usurpabant in magistro moderatarum passionum exemplar. Erat enim Patris Fr. Joannis animus vultusque, serenum quoddam perpetuum, quod nulla irrationabilium motuum nube temeraretur unquam: non exardesceret, nisi ad amorem Dei, non pallesceret, nisi ad nomen culpæ; non efferveseeret nisi ad zelum justitiæ. Omnia tamen ad religiosam moderationem tanto ordine, compositione, & gravitate, ut per Dei gratiam vitiatæ naturæ conditiones exuisse videretur. Adeò enim ad interiores animi sinus, inclinationes, pondera vigil astabat, ut nullo modo se rationis oculo abscondere, aut subtrahere pateretur, sed ancillarem hominis partem dominæ jussum expectare docuerat, & spiritui jam non gravatè servire, ut liber spiritus per fidem Deo appropinquaret, per charitatem adhæreret. Egregiam ergo mortificati hominis libertatem; ac regio majus imperium cernebant in magistro, laudabant, admirabantur, & per viam quam præmonstrabat, quam præibat, ad similе mentis imperium, ceu finem optatissimum, animosè, libenterque festinabant. Ad virtutum certamen sic animare solebat verbis, ut ipse firmum earum statum, & heroicum gradum exprimeret factis: Elementa virtutum quæ exigebat à novitiis, quasi in flore, ipse jam exhibebat in maturo fructu. Nam virtutem quidem obedientiæ, rebelli naturæ, à rei dignitate, necessitate, utilitate suadebat, suavius tamen instillabat mille occasionibus promptè, alacriter fideliterque obediendo. Ad cultum paupertatis hortabatur, ipse vilioribus, paucioribus, & asperioribus contentus. Ad castitatem ac modestiam sua gravitate, ac totius corporis religioso decore, tacita quadam vi, mirum in modum provocabat. Pronam ad irritamenta gulam, ne quidem in mensa paupere diffundere se permittebat, sed inventionibus variis, vel absynthium admiscendo, vel interim aculeis ferreis carnem compungendo, vel pedem à terra elevatum sistendo, similibus aliis arcebat à ciborum voluptate, & dapibus præparabat æternis. Humilitatem sic edocebat, ut non solum se contemptu dignos existimarent, sed ut contemni vellent, ac contenderent. Ipse talenta abscondere, vilissima domus officia subire solitus, Fratrum sputis spurcandum; pedibus conculcandum sese præbebat: culpas suas tanta compunctione fatebatur, aliisque mortificationibus sese humiliari procurabat, ut cunctis præ teneritudine cordis lachrymas eliceret ex oculis. Ad actus orationis, & chori alacritatem, diligentiam, vigilantiam quis exprimat? Nec ob diuturnitatem lassitudo, nec ob frequentiam obrepebat tædium, sed animi, corporisque vires, instar Aquilæ ad pulchritudinem illam semper novam, semper antiquam renovans, confortansque tota orationis hora genibus flexis, nec incumbebat in scamnum, nec reclinabat in terram, nec æstu, aliisque incommodis, vel tantillum movebatur, ut verum adoratorem corporis etiam situ delinearet. Relucebat in vultu, splendebat in actionibus interior præsentia Dei moventis, & seria, ac gravis attentio operis arguebat puritatem internæ directionis, quam ad actus singulos tyronibus præscripserat, docueratque varios ambulandi in Dei præsentia modos, ejusque renovandæ & ab evagatione mentem ad Deum revocandi utiles inventiones in suum, suorumque morem induxerat, ut cum sanctissimo Patriarcha nostro, cœleste numen in Regem, ac Dominum acclamare possent, & toto cordis affectu dicere: *Vivit Dominus in cujus conspectu sto.*

Obedientia

Paupertas

B

Temperantia.

Humilitas.

Disciplinæ Regularis observantia

Præsentia Dei.

C

3. Reg. 17. 1.

CAPUT XI.

Prosequor prudentiam explicare P. Fr. Joannis in educandis novitiis.

An. 1598. & seqq.

D

CAput magisterii novitiorum, & cujuscunque regiminis, præcipuè tamen Ecclesiastici, est Superioris exemplum; prius enim necesse est, ut ipse ardeat, quàm lucem in alios spargat. De utroque nonnulla diximus Cap. præcedenti; de altero capite, nonnulla addenda arbitror, ut excellentiam magisterii quàm Deus in P. Fratre Joanne a Jesu Maria splendere jussit, accuratius adumbrem.

Quae Novitios doceret?

Quamvis disciplinis Philosophicis, variaque eruditione præstaret, non tamen tyronibus suis conceptus metaphysicos, aut artificiosè coloratos proponebat: non subtiles quæstiones explicabat: sed gravia, simplicia, utilia ex divino spiritu proferebat. Docebat fidei mysteria, legis divinæ præcepta altiori modo, quam apud sæculares in usu esse solet, æstimare, observare, in medio sinu recondere, affectuosissima voluntate complecti. Votorum solemnium, Regulæ, Constitutionum obligationem, ac sensum, passionum tyrannidem ex peccato

Scripta originali relictam, actualibus noſtris auctam explicabat, & erigens in ſpem libertatis
An. 1648. filiorum Dei quomodo eas moderari, quomodo ad objectum melius divertere poſſent, inſtruebat. Virtutum Theologicarum, ac moralium naturam ob oculos ponebat, exempla præſcribebat interna, atque externa, motiva, rationeſque ponderabat. Virorum pravitatem, ac fœditatem exaggerabat, ut ad eorum exterminium ſtrenui milites dimicarent ſub vexillo ſplendidiſſimæ virtutis, & crucis. Tentationes ſuperandi modos enarrabat, & quotidianis victoriis pulcherrimam nectendi coronam. Inſtruebat in orationis mentalis doctrina, neceſ-
A ſitatem urgebat, exornabat dignitatem, utilitatem proponebat, ſuadebat fidelem uſum. Singularem devotionem erga Sanctiſſimam Euchariſtiam; Beatiſſimam Dei Parentem Ordinis patronam, ac Sanctos cum Chriſto regnantes inculcabat, exercitiorum noſtrorum ſeriem edocebat, methodum, ac finem. Actuum, officiorumque directionem, præſentiæ Dei aſſiduitatem, Sacramentorum uſum, ac conſcientiæ examen. Quæ omnia ne memoriam ſubterfugerent, ſed ad manum præſto forent, ſcripta Inſtructione complexus fuit, & poſtmodum Romanis typis ſunt evulgata ad annum MDCV. maximo, non ſolum Religionis noſtræ, ſed etiam plurium aliarum emolumento. Unde factum eſt, ut cum latina ſolum lingua extarent, cuperentque cum noſtræ, tum diverſarum Religionum Monales hoc theſauro frui, Vener. Pater Dominicus à Jeſu Maria, piis earum votis obſecundans in italicam linguam verti curavit, tam dictam Inſtructionem, quam Diſciplinam clauſtralem, quæ mox in alia idiomata tranſalpina, & tranſmarina transfuſæ, fructu multiplici longè, latèque procurrunt.

Inſtructio Novitiorum a ſe ſcripta. Italicè, aliſque idiomatibus verſa.

Neque verò ſatis ſuo muneri feciſſe arbitrabatur; ſi modico tempore, quo fit exhortatio, animos inflammaſſet ad pietatem; ſed in futurum proſpiciens imbuebat ſcientia Sanctorum, quæ toto vitæ tempore ad alendum perfectionis ſtudium deſerviret, exempli cauſa; ut dum orationis tractatum abſolveret, jam Novitii partes orationis omnes exercere, jam communes orationum ſcopulos evitare poſſent. Dum paſſionibus explicandis ſtadium percurriſſet, jam ſeipſos introſpicere, animi motus inſurgentes dignoſcere, ac moderari, rebellantes opprimere noſſent. Quamobrem & materiæ limites ſelectos, quos diximus, & rationes paucas, & diligenter expenſas, apteque connexas apud ſe ſtabilierat, eaſque mirabili actionis decore, & verborum proprietate, vultu ad rem compoſito, voce ſuavi, loco, tempori, perſonis attemperabat, ut ſcientiam ſcholæ Jeſu Chriſti intellectu perciperent, memoria tenerent, promptò voluntatis affectu ſequerentur.

Finis in Novitiorum progreſſum artificioſa ſollicitudo.

P
Et Suavitas.

In eundem ſcopum collimabant modi quidam ab eo partim inventi, partim per manus accepti, omnes tamen in hac ſacra Palæſtra ab eo exercitati, nobiſque traditi. Nam exempli gratia fratribus circumſidere juſſis, ipſe pictam hominis imaginem, extenſa charta in ſolo jacentem interpretabatur: paſſionum inſurgentes motus, orationis aſſumpta loca, & imagines diſtractionum importunæ ſpecies ubi conciperentur, edocebat, in quam deinde naturam aſſurgerent, in quas facultates evaderent, quas arces, vel occuparent, vel oppugnarent, quorum militum manu debilitentur, & in ordinem redigantur, & magnam interioris hominis doctrinæ partem jucundius, & ad retinendum, ac exequendum aptiùs explicabat. Alias vel mutuis interrogationibus fratres erudiebat, vel recentes à Communione, ut inopinato aliquo caſu, ad majorem excitabat attentionem. Rationem eorum, quæ docuerat, exigebat, & ſelectiſſimas ſententias ex Scriptura, aut Sanctis Patribus, quibus ſe ad pietatem commoveri ſenſerant, dictans deſcribere
C curabat, & memoriæ mandari. His vehemens perfectionis religioſæ deſiderium ſuis in tyronibus excitabat, alia quoque ſubjungere ſolitus quibus ultrò currentes ad majorem perfectionem accenderet. Nam initio cujuſque menſis virtutem unam eligebat, quam Novitii, ſponſione inita tertiæ partis meritorum, ſancta æmulatione ferventiùs colerent, & actibus tum internis, tum externis acquirere, & augere ſtuderent. Præcipuè verò mortificationis exercitia, quæ difficilior pars eſt ſcholæ Jeſu, ſenſim inducebat, promovebatque, modo ob levem culpam injunctis, modo ultro poſtulatis, nunc communi exhortatione, nunc privata inſtructione. Feſta quoque ſolemni præparatione prævenient, tyronum ſuorum virtutem exacuebat: ſæpe etiam ad devotionem peculiarem Fratres cohortatus, coram Sanctiſſimo Sacramento acclamationibus ſanctis in amorem Jeſu, virtutumque accendebat: tum diris ac maledictis in vitia concorditer jactis horrorem incutiebat, timoremque, ne vel in minimo divinum Numen offenderent. Quanta verò prudentiæ laude ſpiritualia exercitia corporalibus attemperaret, ne medium virtutis excederent, ne valetudinem læderent, quàm jucundè hilariterque defatigatam mentem honeſtis modis recrearet, & ſublevaret, non eſt neceſſe diſcurrere per ſingula.

Peculiaria Spiritus exercitia.

Corporalibus miſta.

Invigilabat præſertim ne lupus aliquis ovina pelle contectus Novitiis, ut fieri ſolet, inſidiaretur; ne latens venenum Divinæ gratiæ fontem inficeret. Ac primo
D quidem loco, ut infidelitati erga Magiſtrum, quæ origo eſt malorum omnium, aditus præcluderetur, inſigni charitate, ac mitiſſima converſatione Novitiorum animos conciliaverat: ſingularem familiaritatem eliminare, amoris proprii morbo remediis opportunis occurrere, protervos, ac ſuſurrones, vel ad mentem revocare, aut Sanctorum cætui aſcindere feſtinabat. In omnibus denique probos, Sanctoſque Congregationi alumnos providere, educare, ac in renovato per Sanctam Tereſiam Car-

Lupos arcebat.

Scripta meli ſpiritu, verbo & exemplo promovere ſategit, fidelis miniſter Dei, ac novitiorum
An. 1648. Magiſter prudentiſſimus.

CAPUT XII.

A *Præcipuos enumero novitios diverſarum nationum, & qualitatum, qui exemplari P. Fr.* JOANNIS *prudentia Romæ exculti in diverſas Provincias Tereſianæ Reformationis ſpiritum propagarunt.*

An. 1598. & ſeqq. *Homil. 59. de S. Euſeb. Vercell. 2. Prov. 10. 1. & 15. 20.*

NOn immeritò Joanni noſtro accinuero cum Eccleſia ex S. Maximo; *Virtutum ejus gratiam, non ſermonibus exponendam eſſe, ſed operibus comprobandam.* Argumentum etiam ex Scripturis uſurpo, cum enim dicat Scriptura divina: *Gloria Patris eſt filius ſapiens*, quantæ hujus ſunt gloriæ, qui tantorum filiorum ſapientia, & devotione lætatur? Proſequor appropriatam rationem quidquid enim in noſtra Con-

B gregatione poteſt eſſe virtutis & gratiæ de hoc quaſi lucidiſſimo fonte omnium rivulorum puritas emanavit. Etenim quia caſtitatis pollebat vigore, quia abſtinentiæ gloriabatur anguſtiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, plures è diſcipulis in virtutum hæredes elaboravit, & prudentes magiſterii ſucceſſores emiſit. Hîc à nobis inſerendi ſunt inſignores hujus viri diſcipuli, qui ex urbe Roma, Regno Neapolitano, Umbria, Inſubribus, Etruſcis, Liguribus, Illyricis, totiſque Germaniis, & Gallis, ex Sarmantia, & Hiſpaniam in S. Mariæ de Scala ſpirituali muſæo Tereſianæ vitæ nomen amplexi, ab uberrimo fonte magiſtri ſapientiſſimi cœleſtem imbiberunt ſapientiam, ac velut nubes imbriferæ per totum orbem, ad Antipodas uſque ſcholæ Jeſu Chriſti fluenta deduxerunt.

Celebriores alii ejus Novitii.

P. F. Hippolitus a ſanctis.

Primus e Romanis fauſtiſſimo auſpicio Tereſianæ Reformationi nomem dedit P. Fr. Hippolitus a Sanctis, ex nobili familia Ceuliorum Kal. Novembris MDCIV. Huic jam maturæ ætatis viro, propriæ voluntati, honoribus, converſationi, ac commoditatibus aſſueto, ad excandeſcentiam prompto, ad dignitates intento, ſic P. Frater Joannes veterem hominem exuit, & in novam regeneravit infantiam, ut amoris proprii radicem, & annorum conſuetudine, & audendi facultate firmius altiuſque defixam

C primum detegeret, deinde timore Dei contereret, orationis perſeverantia labefactaret, moxque mortificationis adhibita ſecuri paulatim amputaret, tandemque Dei ac proximi charitate penitus avulſam exureret. Eò denique ſub tanto magiſtro promovit, ut nihil humilius, nihil manſuetius, nihil abſtinentius eſſe videretur. Nam de eo referunt Patres Mediolanenſes, apud quos Priorem agens migravit ex hac vita, quod affectu humilitatis, & obedientiæ Prioratui renuncians ſatagebat in ſubditorum ordinem redire, quòd etiam infirmus, ab auſteritatibus, & jejuniis Ordinis vix poſſet avelli, quòd manſuetudinis virtutem ita induerat, ut toto tempore Prioratus, nec minimum ediderit ſignum animi in coleram prompti, quod a ſecularium converſatione alienus, cellæ atque orationis amicus nullius rei aut vana ſpe, aut nimio timore commotus totum ſe transfunderet in liberam Dei voluntatem. (1)

P F. Salvator a S. Maria.

Poſt decimam diem inſecutus eſt P. Fr. Salvator à S. Maria ex nobili Faniorum ſtirpe. Quem adoleſcentiam pridem egreſſum & ſæculi vanitatibus immerſum, ablactavit mundo, & religionis ſpiritu formavit, conformavitque ad multa officia præclaro vir-

D tutum exemplo ſubeunda. Tandemque in ſecundi Provincialatus fine, diuturnis laboribus, ac infirmitatibus magna animi æquabilitate toleratis ad cœleſte præmium evolavit Viterbii anno MDCXXXVII. (2)

P. F. Alexander a S. Franciſco.

Adjungerem P. F. Alexandrum à S. Franciſco, qui ſuos avita nobilitate, purpura, atque apice Pontificio florere dimiſit, & exemplo hactenus inaudito, quo tempore Avunculus Leo XI. ad aram S. Petri in novum adorabatur Pontificem, ipſe ad S. Mariæ de Scala ſacco induebatur in Carmeli primitivi tyronem. Sed me vocatio ſingularis urget

P. F. Jacobus a S. Vincentio.

ut ſpecialem de eo tractatum inſtituam Hiſtoriæ noſtræ Lib. 3. cap. 42. (3) Quo loco de

P.

(1) Obiit XVII. Kal. Jun. MDCXVIII. V. Euſebium in ſuo *Enchir. ad an. 1609. Hiſtor. Gener. lib. 2. c. 7.* & P. Angelum a Jeſu Maria in 6. *Epiſt. Paſtorali.*

(2) V. *Hiſt. Gener. loc. cit.*

(3) V. ibi, & P. Euſeb. ad an. 1630. Philipp. a SS. Trinit. *Decor. Carm. 3. par. pag.* 8. & Martialem a S. Jo. Bapt. in ſua *Bibliotheca Scriptorum Ord. N.* Plura enim ſcripſit ad pietatem, & eruditionem, quæ duobus tomis in 4. Romæ edita ſunt 1670. & 1671. Venerabilis titulo gaudet.

Scripta An. 1648.

P. Fr. Jacobo à S. Vincentio ex Romana familia Creſcentiorum ſanguine, & purpuræ dignitate nobiliſſima, breve conjungemus elogium. (1)

P. F. Theodoſius a Jeſu

Denique P. Fr. Theodoſium à Jeſu præterire mihi fas non eſt. Hic enim è ſchola P. Fr. Joannis à Jeſu Maria fundationem Avenionenſem devotione Paſſionis Chriſti ac Beatiſſimæ Virginis initiavit quorùm in memoriam nomen Jeſu ac Mariæ, triumque clavorum figuram pectori inſculpſerat, & dum cicatricem pellis obduceret itidem ſcalpello refricabat, duobus diebus per hebdomadas ſingulas pane, & aqua contentus, aliiſque

A

mortificationibus in eorum honorem corpus affligens, tandemque fælici fine ſpiritum Deo reddens, exornavit, vigeſimo ſecundo Maii anno MDCXVIII. (2)

P. F. Philippus a S. Jacobo.

Ex regno Neapolitano P. Fr. Philippus à S. Jacobo poſt adminiſtratum ſumma cum laude Præpoſiti Generalis munus, Magiſterium novitiorum, quod Romæ à P. Fr. Joanne à Jeſu Maria ad annum MDCIII. didicit, exemplari prudentia proſequi non eſt gravatus, donèc anno MDCXXXVI. ad Provincialatum ſæpius antehac geſtum præclaræ virtutes revocarunt. (3)

P. F. Agnellus a SS. Sacramento.

Hoc etiam tempore P. Fr. Agnellus a Sanctiſſimo Sacramento Neapolitanus religioſarum virtutum elementa ſumpſit ad S. Mariæ de Scala, & earum ſpecimina tum in ſuam, tum in proximorum ſalutem efficacia, qua valebat plurimum, effundere cæperat, ſed Deus præcocem fructum, æternis appoſuit meritis, tertio Auguſti, anno MDCVIII. (4)

F. Joannes ab Aſſumpt.

Habemus ex Umbria, Fr. Jo. ab Aſſumptione Donatum, qui cum ex eadem ſchola ad miſſiones Perſidis deſtinatus eſſet, & ad tantum opus integra Quadrageſima ſe panis, & aquæ jejunio præparaſſet Sarracinæ in Moſcovia æruinnis, laboribuſque itineris,

B

ac morbo tandem confectus obiit MDCVII. tanta pietate ac devotione, ut Apoſtolicæ miſſionis præmium non amiſiſſe credatur. (5)

P. F. Alphonſus a Matre Dei.

Ex Inſubribus P. Fr. Alphonſus à Matre Dei Sabioneta oriundus medicinæ Theoria, ac praxi celebris, cœleſtem animarum medicum in S. Mariæ de Scala quæſivit & invenit, ejuſque aphoriſmos melioribus votis eſt adjuratus decimo quarto Julii MDCII. Elogium præcellenti viro poſuimus in Conventus Tuſculani fundatione Hiſtoriæ noſtræ *lib.* 3. *cap.* 47. Nam ibidem ſupremum diem clauſit. (6)

Lib. 3. c. 47.

P. F. Jo. Petrus ab Aſſumpt.

P. Fr. Joannes Petrus ad Aſſumptione Cremonenſis purpuratum ſuæ Vidonorum Proſapiæ ſtemma duodecim ſtellarum Beatiſſimæ Virginis, ac gladii S. Eliæ nobiliori ſtemmate coronavit, ac renunciatis vitæ ſæcularis opibus, deliciis, honoribus, fœcundiori ſeſe viti inſeruit ad ſolemniſſimam Aſſumptæ Deiparæ diem anno MDCIV. (7)

V. P. Simon a S. Paulo.

Ex Etruria P. Fr. Simon à S. Paulo Volaterranus reformationem quam in Novitiatu S. Mariæ de Scala didicerat, ac duodecimo Aprilis, anno MDCV. profeſſus fuerat, ſequentibus annis in Provincia Lombardiæ raro virtutum exemplo ſtabilivit. (8)

Ex Liguribus præclariſſimi, ac nobiliſſimi juvenes civitatis Genuenſis, ſpiritum Religionis in ſacro hoc tyrocinio mundialibus pompis renunciantes hauſerunt, cujus deinde rivulos ſacrarum ſcientiarum magiſtri per Provincias conſtituti diſcipulis infuderunt.

C

P. F. Joannes M. a S. Joſeph.

P. Fr. Joannes Maria à S. Joſeph ex familia Centuriona, de quo nobis variis Hiſtoriæ noſtræ locis ob meritorum copiam honorabilis ſermo recurrit. (9)

P. F. Ignatius a S. Joanne.

P. Fr. Ignatius à S. Joanne ambo in Poloniam, & Germaniam. (10)

P. F. Franciſcus a Jeſu.

P. Fr. Franciſcus à Jesu ex gente Ravaſcheria, qui adhuc ſuperſtes digniſſimum ſecunda vice Provincialem Genuenſium agit, & literis, & virtutibus Reformationem Belgicam erudiit. (11)

P. F. Joannes Auguſtinus a S. Angelo.

P. Fr. Jonnes Anguſtinus à S. Angelo Congregationi, dum hæc ſcribo, Generalis Definitoris officio præeſt: Quorum proinde laudes uberiores juxta ſapientis monitum in venturos dies differre ſatius exiſtimo. (12)

P. F. Leo a S. Paulo.

Ex Illyrico Raguſeorum Emporio P. Fr. Leonem à S. Paulo æterna manet laus humilitatis. Etenim ſolemne illud non ambiendi votum, quod ex præſcripto noſtræ Congregationis ſimul cum aliis omni Religioni ſubſtantialibus ad diem vigeſimum nonum Julii, MDCIV. in Romano Novitiatu emiſerat, ſua morte conſecraſſe videtur. Nam cum ad patriæ Reipublicæ Mitram clerus ac populus ob viri nobilitatem ac merita apud

D

ſum-

(1) De eo vide etiam ipſum Euſeb. ad an. 1617. & Philippum loc. cit. pag. 259. Ob. an. 1622.

(2) V. *Hiſt. Gener. t.* 1. *lib.* 2. *c.* 7.

[3] De eo vide fuſiorem, ac dignam narrationem in *Hiſtor. Gener. t.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *& alibi*, in *Enchir.* ad an. 1651. quo vita meritis cumulatiſſima functus eſt. Pleraque ſcripta reliquit, inter quae ſola *Paſtoralis Epiſtola* praelo commiſſa exſtat in Conlect. Mediol. p. 1. pag. 179. de quibus V. Martialem in *Bibliotheca*.

(4) V. *Hiſt. Gen. t.* 1. *l.* 2. *c.* 7.

(5) Ibid.

(6) Hunc ſummis laudibus merito ornant ceteri quoque noſtrates, *Hiſt. Gen. loc. cit.* & l. 2. c. 7. Euſebius in *Enchir.* ad ar. *1631.* quo ſanctiſſime obiit. Plura ſcripſit cum pietatis, tum eruditionis, de quibus Martialis in *Biblioth.*

[7] V. *Hiſt. Gen. t.* 1. *lib.* 2. *c.* 7.

[8] De eo praeclariſſimo ſcriptore exſtat Vita edita ante ejus Opera, quae duobus tomis in 4. continentur pluries recuſa, ac variis idiomatibus verſa. V. *Hiſt. Gen. loc. cit.* & fuſius Philippum, *Decor. Carmel.* 3. par. pag. 47. necnon Martialem in *Biblioth.* Venerabilis honore appellatur.

[9] De eo quoque vide laudatos ſcriptores. Multa a ſe praeclara ſcripta partim edita leguntur, partim ἀνέκδοτα ſervantur in Archivis, de quibus Euſebius noſter ad an. 1634. quo ſanctiſſime obiit.

[10] *Hiſt. Gen. t.* 1. *l.* 2. *c.* 7.

[11] Hunc quoque omnes noſtris commendant cum ſanctitate, tum altiori doctrina, & ſcriptis vulgatis inluſtrem. Ob. 1647.

[12] V. *Hiſt. Gener. loc. cit.* & Euſeb. ad an. 1660. quo mortuus eſt.

Scripta An. 1648.

summum Pontificem postularent, nec præceptum Vicarii Christi, aut ipsius, aut superiorum preces valerent avertere, mortis effugium suis fratrumque precibus à Deo devotissimè imploravit, adeoque opportuno tempore obtinuit ut cum advenirent concivium deputati mandatum intimaturi, ad meliorem insulam evolasse repererint. Qua in re egregium nobis reliquit exemplum summo studio dignitates modis omnibus declinandi. (1)

Digressio.

In hujus voti nostri laudem, & observantiam singularem, exemplum simile annecto in antiquis eremi Patribus, quorum æmulamur institutum, & vitam: quemadmodum legitur apud Sozomenum Ecclesiasticæ Historiæ, *lib.* 8. *cap.* 19 *Gerarum Episcopo tum vita defuncto cives (ut accepi) elegerunt Ecclesiæ suæ Antistitem Nilammonem virum bonum, & qui ad monasticæ vitæ fastigium conscendisset. Is habitabat ante civitatem in Domuncula, in quam se ipse concluserat, janua lapidibus obturata, eo proposito, ut sacerdotium aversaretur. Theophilus itaque veniens hortabatur ut ordinationem à se oblatam acciperet. Apud quem ille quamvis frequenter se excusans nihil obtinuit. Tandem instanti, cras (inquit) ita facias, si placet, ô Pater, ut ego hodie res meas ante disponam. At cum Theophilus postridie, ex condicto venisset, atque eum fores aperire jussisset. Age verò (inquit Nilammon) oremus primum. Quo dicto Theophilus quidem oravit, sed Nilammon inter orandum hanc vitam reliquit. Hoc autem, & Theophilo primum, & iis, etiam, qui cum illo foris stabant ignotum erat. Verum cum paulatim tereretur dies, quia sæpenumero intentius evocantes non audiret dejectis, qui ad januam erant, lapidibus reperiunt hominem mortuum. Involutum igitur quibus oportebat, publica sepultura dignati sunt, ac templum etiam supra illius sepulchrum indigenæ construxerunt, & summâ cum solennitate adhuc diem mortis ejus celebrant. At Nilammon quidem ad hunc modum mortuus est, si tamen mortem dicere oportet, quam ille subire maluit, quam Episcopatum sustipere; quo se indignum esse ob ingenii modestiam censuit.* Ita Sozomenus.

A

Sozomenus.

B

Nec defuit ex Transalpinis regionibus seges illustris, quæ Carmeli primitivi sementem Romæ collegit, & in occidentis, ac septentrionis regna latè dispersit. Iam de P. Fr. Clemente à S. Maria Gebennensi Hæresiarchæ Calvini pronepote, ejusque mirabili conversione ac sodalibus Sabaudis latè diximus Historiæ nostræ *lib.* 1. *cap.* 19. nec non de Patre Cæsario à S. Joseph *cap.* 31. qui spiritu Religionis insignes, eundem in varias Galliæ partes induxerunt.

P. F. Clemens a S. Maria.

P. F. Caesarius a S. Joseph.

Ex Burgundiæ comitatu P. F. Iræneus à S. Petro, qui solitudinis amore sacram Belgii Eremum perpetuò incolere obtinuit, & multis virtutibus exornavit.

P. F. Iraeneus a S. Petro.

Ex ulteriori Galliæ regno trium mihi facienda brevis memoria restat. De Patre Fr. Dionysio à Matre Dei, de P. Fr. Ludovico à S. Francisco, qui Galliarum Provinciam rexerunt, & hausto à Ven. P. nostro Joanne in novitiatu spiritu, illustrarunt.

PP. FF. Dionysius a Matre Dei, & Ludovicus a S. Francisco.

Tertius P. Fr. Bernardus à S. Ioseph adhuc non indecoris laboribus fatigat, & Procuratoris, ac Definitoris Generalis muneribus perfunctus; in provinciis Galliarum, quas fundavit, diuque gubernavit, ut communis parens ab omnibus venerabilis senex amatur, & colitur, & in confecta annis, & pœnitentiis ætate pergit sese exemplar præbere vitæ religiosæ, quam relicto primigenio jure Baronatus de Vaillac, in novitiatu S. Mariæ de Scala sub magisterio Rev. P. nostri Joannis à Jesu Maria constanter exquisivit, & vigesimo quinto Martii MDCIV. votis solemnibus est amplexus. (2)

P. F. Bernardus a S. Joseph.

C

E Lotharingia P. Fr. Henricus à S. Nicolao obedientiæ, & minimarum rerum punctualem observantiam, ardentemque in Deum, ac proximum charitatem, virtutumque omnium cultum, quem in Romano novitiatu sub P. nostro Joanne altius menti impressérat, in Patriam intulit, & Nancei ipsa feria sexta Parasceves, quemadmodum prædixerat, ad eum migravit, qui pro salute nostra, eo die mortis obedientiam in Cruce subire dignatus est.

P. F. Henricus a S. Nicolao.

E Germania P. Frater Jo. Ludovicus ab Assmptione Spirensis ex eadem orationis Academia, cui nomen vitamque Romæ hoc tempore consecravit, vir evasit divinorum patiens, & Theologiæ Mysticæ doctor illuminatus, pro ut in suo passere solitario, florilegio Carmeli, trihebdomadario meditationum, aliisque operibus supernaturali sapientia plenis ostendit. Dæmonibus armatura jeiuniorum, ac orationis terribilis, eos in corpora, & animos fidelium non patiebatur infestos, sed in se potius eorum rabiem divertebat, Deo nonnunquam permittente verberibus sub noctem impeteretur, ut exerceret admirabilem servi sui charitatem, ac patientiam. Quas virtutes primum in Belgium sparsit, ac demum in patria, suæ provinciæ definitor fœlici fine consummavit.

P. F. Jo. Ludovicus ab Assumptione.

D

E Polonia nobilissimi regni primitias Carmeli primitiis in sua professione dedicavit P. Frater Andreas à Jesu, decimo Decembris anno MDCIII. Cujus elogium à devoto P. Fr. Ignatio à S. Joanne compatriota descriptum inseruimus Historiæ nostræ *lib.* 1. *cap.* 20.

P. F. Andreas a Jesu.

E Belgis nostris P. Fr. Machaelem à S. Ioseph non ad terrenam, sed ad cœlestem patriam bonus magister efformavit. Nam vix expleto novitiatus anno, quem multo fervore decurrerat; mox ubi in mortis agone semetipsum votis solemnibus Deo consecrarat; ut piè credimus sanctis Carmeli cœtibus inseri meruit. Sed incomparabili viro P. Fr. Thomæ à Jesu nostræ Provinciæ fundatori plures (3) adjuncti sunt è prædictis discipulis venerabilis

P. F. Michael a S. Joseph.

V. P. F. Thomas a Jesu.

P.

[1] V. *Hist. Gener.*

(2) De aliis vide *Histor. Gener.* locis laudatis; de hisce autem duobus V. etiam Eusebium, de altero ad an. 1641. de altero ad an. 1649. quibus laudatissime e vivis cesserunt. [3] Eum & omnes nostrates, & Opera ipsa typis vulgata efferant.

Scripta An. 1648. P. Fr. Joannis, qui Provinciam noſtram exornarunt, quos non eſt neceſſe iterum recenſere.

Sed in Perſidem quoque, ac magni Mogorri regna, & extremas Indiæ oras cum Religione noſtra, magiſterium quoque R. P. N. Joannis à Jesu Maria propagaverunt diſcipuli multi meritis, numero non pauci, P. Fr. Redemptus à Cruce, P. Fr. Leander ab Aſſumptione, P. Fr. Bartholomæus Maria à S. Franciſco, P. Fr. Ludovicus Franciſcus à Matre Dei, & alii de quibus hiſtoriæ noſtræ *lib.* 2. *c.* 7. latè tractamus. (1)

A

CAPUT XIII.

Conſulitur in graviſſimis negotiis in materia doctrinæ, & ſpiritus.

B

An. circ. 1604. & ſeqq.

CUm Ven. P. non ſolum ingenii, judicii, ſcientiarum, ac variæ eruditionis laude præſtaret, ſed ætatem quoque rerum divinarum contemplationi mancipaſſet, quamvis in angulo Conventus cum novitiis ſuis deliteſceret, in ſchola tamen Jesu Chriſti habebatur à maximis viris illuminatiſſimus. Unde circa difficultates in via ſpirituali occurrentes paſſim ad eum, tamquam oraculum confugiebant, non ſolum Religioſi noſtri, ſed etiam exteri. Ipſi purpurati Eccleſiæ Principes, inter quos Ptholomæus Gallius Cardinalis Comenſis, & Cardinalis S. Cæciliæ Sfondratus orationis ſtudio valefactis cæteris ejus ſuaſu conſtanter incubuerunt, atque ejuſdem directione fœliciter promoverunt. Hinc natum eſt, ut probata multarum rerum experientia, libellum deinde compoſuerit planè aureum, quem ſcholam Jesu Chriſti indigitavit. In quo circa Religioſorum finem: circa orationis, ac præſentiæ Dei exercitium: circa tentationum, paſſionumque pugnam: circa virtutum acquiſitionem: circa duplex genus vitæ ſpiritualis activum, & contemplativum, & triplicem ſtatum, aut gradum purgativum, illuminativum, unitivum: circa dona, fructuſque Spiritus Sancti, ac beatitudines: circa gratias gratis datas, raptus, viſiones, revelationes: circa Theologiam myſticam, & diſcretionem ſpirituum propoſita ſibi dubia, cum adjuncta reſolutione, in communem utilitatem evulgavit, tam ſuccincta methodo, eleganti perſpicuitate, ſolida veritate, ut facile dignoſcere ſit altiſſimam rerum divinarum ſapientiam, & experientiam, ideoque à particularibus recenſendis ſupereſſedeo. Et P. Petrus à Matre Dei noſtræ Congregationis Commiſſarius Apoſtolicus, & Summorum Pontificum concionator, magna reverentia, ac fide ad arcam illam ſapientiæ deponebat dubia graviſſima, quæ Pontifex, quæ Prælati Eccleſiæ proponebant, & reſponſum prudentia plenum referebant. At verò propriæ ſalutis ſuæ negotium, ſic effundebat in ſinum P. F. Joannis, ut ſub veſperam totius diei acta ad examen ejus ſincerè deponeret, ut admiſſas culpas emendaret, caſtigaret, totum ſe ejus directioni committens. Atque hæc in materia ſpiritus dicta ſufficiant: ſupervacaneum enim exiſtimo ſpecialia exempla proferre.

A viris Principibus pro ſpiritu conſulitur.

Librum ſcribit de Schola Jeſu Chriſti.

C

V. P. Petrus a Matre Dei ejus curae, ac ſcientiae ſe, ac eximias ejus temporis controverſias committebat.

D

In quaeſtionibus de auxiliis divinae gratiae a Clem. VIII. conſulitur.

At in materia Theologiæ Scholaſticæ unum ſubjungo. Cum ferventibus ſtudiis, animiſque Romæ diſceptaretur, circa quæſtiones gratiæ, ac præſcientiæ divinæ, ejuſque concordiæ cum libero arbitrio: & Clemens VIII. intentus eſſet, ne fidei veritas ab opinionibus hominum detrimentum pateretur, Congregationem quidem doctiſſimorum virorum hunc in finem inſtituit. At verò P. Fr. Joannem ipſe ſpecialiter convenire voluit quid ſentiendum, quid ſtatuendum judicaret intelligere. Quamobrem brevi ſcripto reſponſum dedit, quod ſummo Pontifici fuit non ingratum. (2)

Na-

[1] V. etiam Euſeb. in ſuo *Enchirid.* & *Philippum* in *Dec. Carm.* pro horum pleriſque; pro omnibus autem, & ſingulis *Hiſtor. Gener.* locis laudatis, & praeſertim t. 2. lib. 1.

[2] Heic vero addit P. Petrus a S. Andrea, Hiſt. Gener. t. 2. lib. 2. c. 14. „ Ipſum ad hæc, quantum „ ad doctrinae praeſtantiam, miro virtutis ſtudio miſtam, quam maxime idoneum fuiſſe, vel ex eo colligi poteſt, quod ipſi antehac aliquando contigiſſe „ ſeniorum Congregationis noſtrae Patrum relatione „ proditum, ac poſterorum memoriae conſignatum eſt. „ Fertur, quod dum Romae difficillimae illae de „ gratia, diviniſque auxiliis quaeſtiones controverterentur; Dominicanis pro una parte ſtantibus, Jeſuitis pro altera decertantibus; Eminentiſſimi quidam S. R. E. Cardinales acceſſerint ad Conventum „ noſtrum S. Mariæ de Scala, & a V. P. N. Petro „ a Matre Dei, ad quem tum tam ejuſdem Conventus, quam naſcentis Congregationis regimen „ ſpectabat, ſciſcitati ſunt, num illi Religioſus aliquis „ praeſto eſſet, quo cum de materiis in controverſiam „ vocatis conferre poſſent? Reſpondit P. Petrus, „ quod efflagitabant ſibi eſſe ad manus; confeſtimque „ V. P. N. F. Joannem a Jeſu Maria ivit vocatum; „ illumque non expreſſa, qua de ageretur cauſa, ut „ cum illis verba faceret, miſit. Paruit incunctanter „ voci Praelati obſequentiſſimus ſubditus; ſed miro „ humilitatis artificio, ut cum illo Purpurati Principes de rebus controverſis colloqui voluiſſent, „ ſua ipſe talenta ſolerter diſſimulans, ac ſilentio „ contegens, earum ſe ſe inſcium prorſus, & ignarum „ oſtendit. Obſtupuere Cardinales ſapientiſſimi, non „ tam P. Fratris Joannis ſtoliditatem, quam P. F. „ Petri, quem caeteroqui prudentiſſimum noverant, „ ſimplicitatem demirati; dimiſſoque comiter oblato „ ſibi Theologo, quem prima ſacrae Doctrinae rudimenta, vix ſummis, ut dicitur, labris attigiſſe „ arbitrabantur, & accerſito denuo P. Petro, rogarunt, an per errorem, an jocandi gratia egregium „ illum ad ſe miſiſſet Doctorem, e cujus ore ne „ verbum quidem, quod Theologiam oleret eruere „ potuerant? Quo audito perſpicax Praelatus, humilis Joannis ſtratagema ſubodoratus, illum iterum „ revocari juſſit, & illi per ſanctæ obedientiae vim „ praecepit, ut abſque ullo humilitatis obtentu, Eminentiſſimorum Cardinalium quaeſitis faceret ſatis.

Tum

Scripta An. 1648. Et in domestica Controversia pro Missionibus.

Nascente Congregatione nostra, simul nascebatur quæstio gravissima, an Religiosis numero paucis, & plerisque adhuc à sæculo recentibus, consentaneum foret missiones ad infidelium conversiones adoriri? (1) Et quamvis à primis instituti nostri Patriarchis, à Primitivæ Ecclesiæ, ac Primitivæ regulæ prædecessoribus, à Restauratrice Teresia, à primis Patribus nostræ Reformationis multa suppeterent exempla, evidentia etiam argumenta ab ipsis regulæ nostræ verbis, ac scopo, Ordinumque Mendicantium fine, Pontificum decretis, ac Constitutionibus Ordinis deducta, consentaneum esse convincerent: nonnulli tamen è nostris solitudinis amore ducti scrupulum movebant ex instituti nostri potiore parte, quæ est contemplationis studium, ex Fratrum in Italia paucitate, atquè insufficientia. Urgebat Christi Vicarius Religiosos nostros curam missionum amplecti, *Nam* (ut inquiebat) *propria experientia cognoverat, quantum utilitatis in Ecclesia Dei piis eorum exercitiis, tum orationibus, mortificationibus, asperitate vitæ: tum prædicationibus confessionibus, & sacramentorum administratione ad Dei laudem, & Christi fidelium animarum salutem quotidie afferrent*. Ideo P. Fr. Petrum à Matre Dei in Vicarium elegerat missionum ad infidelium conversionem procurandam.

A

V. P. Petrus a Matre Dei Vicarius Missionum.

Ad oraculum ergo P. Fr. Joannis à Jesu Maria difficultas delata est, quem sciebant non benevolentiæ gratia, non peculiaris inclinationis affectu, sed secundum Deum, & veritatem judicaturum; adeoque studio, ac ferventi oratione præmissis, insigni scripto respondit, quod penes me habeo propria manu Patris emendatum. (2) Omni ergo scrupulo remoto Clemens VIII. intentum suum prosecutus, selectos aliquot è nostris misit in Persidem, & Patrum ea in re fervor in primo Capitulo Generali emicuit, ut latius dicemus capite sequenti.

Johannes scribit pro Missionibus.

B

CAPUT XIV.

C

In primo Congregationis Capitulo eligitur secundus Definitor Generalis: multa cum Patribus in Religionis utilitatem agit, Et decernit, ac præsertim Instructionum curam suscipit.

D

An. 1605. Cap. Gen. I. Ven. P. Fr. Ferdinandus a S. Maria.

PRimum Capitulum Generale Congregationis nostræ celebratum fuit Romæ in Conventu S. Mariæ de Scala Kal. Maii MDCV. Interfuit V. P. Fr. Joannes à Jesu Maria, tamquam dicti Conventus Vicarius, electoque in Præpositum Generalem P. Fr. Ferdinando à S.

†††

„ Tum vir illuminatissimus tam alte, tam dilucide, „ tam praeter comunem, solitumque Scholasticorum „ morem reconditissima divinæ gratiæ arcana ab æstu„ anti pectore, ab illustrata mente prompsit, explicuit, ob oculos posuit, ut recedentes infulati Sacri collegii Principes, nec minus doctrinae sublimitate extra se rapti, quam intra semetipsos aedificati humilitatis profunditate, invicem exclamabant: *Nunquam certe sic loquutus est homo*. Hinc factum est, ut encomiis, quibus ipsum ubique ad cœlum evehebant Eminentissimi Cardinales, qui ejus profundissimae, ac solidissimae doctrinae non auditores tantum, sed & admiratores extiterant, permotus summus Pontifex Clemens VIII. ante quem praefatae controversiae agitabantur, ipsum ad se accitum audire voluerit, & super abstrusas istas, ac humanis pene ingeniis impenetrabiles, nedum linguis inexplicabiles materias, pari animi stupore, ac gustu loquentem perceperit. Hujus denique occasione colloquii verisimile est, virum sanctum Tractatum non docte minus, quam diserte, ut assolet, scripsisse, in quo utriusque opinionis contentionem, discrepantiam, fundamenta, probationes, objectiones, ac solutiones multis capitibus explanat; quem quidem sua manu exaratum, numquam tamen typis evulgatum, prae manibus tenemus; in quo mirum est, quam caute, quam pie, imò & quam sancte procedat, ne alterutrius sententiae assertores, quos semper singulari veneratione colit; vel minimum verbis offendantur; & ex quo demum nulla hic excerpta contexere voluimus; ne hilum quidem ab Ecclesiae super has materias praescripto discedamus. „ Hactenus Historicus. Puto autem ob eam causam sanctum, arcanumque αὐτόγραφον archivis obclusum nondum nobis ne videre quidem licuisse, forte autem nec videre in posterum, nec edere licebit. Eam vero narrationem latius persequitur, adductisque testibus irrefragabilibus, confirmat P. F. Joseph a S. Teresia Congregationis Hispanicae Generalis Historicus, *t.* 4. *lib.* 14. *cap.* 11. *ad ann.* 1614. Qui ad eam, quae heic exscripsimus, addit „ Clementem „ VIII. eum triginta Theologis disputationibus de „ Auxiliis destinatis connumerasse, decrevisseque „ ut una cum aliis celebrandis Cœtibus adsideret: „ verum infirmae valetudinis praetextu, ab eo se „ honore exemisse, scriptoque Pontifici oblato, sententiam suam breviter exposuisse. „ Discrepat autem hic ab nostro laudato Petro a S. Andrea, quod privatum illud cum Johanne colloquium non ab indicatis Cardinalibus, sed a famigeratis Theologis, dixerimque, totius controversiae summatibus, P. Thoma de Lemos Ord. Praedicat. & P. Gregorio de Valentia Soc. Jesu postulatum, habitumque fuisse, eosdemque, loquente Johanne, stuperem, & ceu ἰκτῖνι passos, ad ejusque pedes provolutos, illos deosculari conatos, non tam profluentem doctrinam veneraturos, quam eximiam vitae sanctitatem, ac modestiam incomparabilem; quippe qui quum familiarissime, & frequenter eum ibi haberent, nunquam tantae sapientiae vel minimum eis indicium exhibuisse. Quae omnia testimonio praesertim P. Gregorii de Valentia Scriptor firmare contendit. Ea verò facile conciliaverim, si dixerim una cum praelaudatis Cardinalibus eos Theologos interfuisse.

[1] V. *Histor. Gener. t.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. & *seqq.*

[2] „ Et quia hactenus non est editum hic subi„ icio: „ pergebat Scriptor, adferens universam illam commentationem, quae etiam *Hist. Gen.* loco laudato ex 2. c. integre exscribitur. Verum quia animus est illam in hanc nostram Collectionem congerere, ubi alia id genus edita recudemus, ideo heic illam omittimus.

Scripta An. 1643.

à S. Maria, viro numeris omnibus præclariſſimo, Religionis zelo, ac prudentiæ laude celeberrimo: P. Fr. Petro à Matre Dei primus locus inter Diffinitores delatus eſt, & P. Fr. Joanni à Jeſu Maria ſecundus. Mox die quarta ejuſdem menſis, conſpiratione communi miſſionum ſpiritum, ut Inſtituto noſtro, ac Congregationi maximè conſentaneum amplexati, decreverunt, ut ad diſſeminandum Jeſu Chriſti Evangelium in varias orbis partes quàmcitiſſimè fieri poſſet, aliquot ex Congregatione mitterentur. Et ipſe Pater Præpoſitus Generalis officio renuncians, votum emiſit miſſionum, cujus exemplum ſinguli ſunt inſecuti.

V. P. F. Petrus a Matre Dei. Votum Miſſionum, & Miſſionarii deſignati.

Inſtructio Novitiorum, & Magiſtri vulgata.

In hoc Capitulo P. Fr. Joanni à Jesu Maria Inſtructionum noſtrarum cura eſt demandata, & præſertim Novitiorum, ac eorumdem Magiſtri; quarum primam ad commune bonum, & faciliorem Congregationis uſum mox evulgavit, alteram poſt biennium, anno MDCVII. In prima Novitium edocet, quomodo paſſiones ſuas internoſcere, & mortificare: quomodo vitia profligare, & egregios virtutum habitus acquirere valeat, & debeat ut ſtudio orationis intendere: ut ſacramentorum uſu, & quotidianis exercitiis proficere poſſit. Altera Magiſtrum inſtituit, qualiter humilitate, manſuetudine, charitate, zelo orationis, ac rerum divinarum ſtudio cæteris præluceat: qualiter ſeſe gerat erga novitios juniores, erga ætate, vel dignitate graves, vel doctrina præſtantes, qualiter erga tentatos, aut nimia ſpiritus dulcedine fervidos: qualiter defeſſos recreet, valetudinem ſublevet: quem ſibi præſtituat in exhortationibus finem, materiam, modum, regulas: a quibus malis præſervet novitiatum, quomodo in virtute promoveat, ut recenter profeſſos excolat. Ad quæ omnia, tam inſigni methodo, tanta claritate, perſpicuitate, tam ad quotidianum uſum accommodatè, non ſpeculativè ſolum, ſed practicè per exempla, actuſque internos, & externos lectorem manuducit, ut ab aliis etiam Religionibus acceptæ, & magna gratulatione fuerint in praxim deductæ. Noſtra certe obviis ulnis accepit, & obſervat ad amuſſim tam manifeſto fructu, ut in Conſtitutionibus noſtris 2. par. cap. 6. num. 1. cautum habeamus in hæc verba. *Plurimum refert Fratres novitios perfectè inſtrui, & uniformiter in univerſa Congregatione. Propterea ordinamus, ut educatio, quoad fieri poſſit, novitiorum fiat juxta Inſtructionem, tam Magiſtri, quam novitiorum à R. admod. P. Joanne à Jesu Maria Congregationis noſtræ olim Præpoſito Generali viro ſanctitate, & doctrina inſigni editam.* (1)

Conſtit. Ord.

A

B

CAPUT XV.

Corporis vires profligantur, Et animi robur exercere pergit.

An. circ. 1607.

ERat P. Fr. Joannes complexione corporis admodum delicata, eumque ſucceſſu temporis Religionis auſteritas, obſervantiæ fervor, ingenium ſubtile, igneumque, continua mentis applicatio ad Deum ac res divinas, cura Novitiorum, graves infirmitates, & quod potiſſimum exiſtimo, Deus ſervum ſuum ariditate ſpiritus exercens ita conſumpſerant, & fregerant, ut ad graviora Congregationis onera non ſubſiſteret; nondum quidem numero annorum, ſed per labefactatam valetudinem ſenium indutus, & cadentem trahens ætatem. Imo affirmabant Doctores Medicinæ peritiſſimi, facultates viſcerum adeò conciſſe, ut miraculo potius vitam ſuſtentaret, quam vigore naturæ. At generoſus animus nihilo ſegniùs ſupra vires corporis ſeſe elevare, nec Dei mentem humano ſolatio defraudare, nec crucis margaritam quæſitis commoditatibus temerare, ſed omnis ei voluptas erat, omni voluptate tum humana, tum Divina pro Dei voluntate carere. Unde & nobiliſſimæ virtutis non mercenarius miles, oblata diverticula, aut ſolatia reſpuebat.

C

Medicorum peritia. Ejus animi virtus.

Cardinalis Mellinus Ordinis Protector volupe ſibi duxit & glorioſum, quod cum Patrem Joannem, uti ſæpè ſolebat, ſpiritualis ſolatii gratia aliquando inviſiſſet morbis afflictum, ac lecto decumbentem, cumque adverſus intenſum eo tempore frigus, tenuibus, tritiſque ſtragulis non ſatis obtectum adverteret, purpureum pallium humeris abſtulit, ac ſupra infirmum adaptare voluit, ne pateretur à frigore. Cardinalis Bellarminus Eccleſiæ Catholicæ lumen eximium, ob aſſymbolas qualitates amabat illum impenſius, frequentius inviſebat, longos cum eo tractatus habens de rebus ſpiritualibus. Quadam etiam vice lectulo ob infirmitatem decumbentis, arreptam manum tenerrimo devotionis ſenſu, dum recedere vellet, exoſculatus eſt, & Patri moleſtè ferenti, reliquiſque ſtupentibus ob honorem inſolitum, reſpondit: *Seſe P. Fr. Joannem velut alterum Sanctum Joannem Chryſoſtomum non immeritò voluiſſe venerari.*

Card. Mellinii in Vener. devotio.

Et Card. Bellarminii amor. Ejuſque manum oſculatur.

D

Statim ubi à morbo convaleſcebat, aliaſque commoditates, quas charitas religioſa ſuppeditaverat, referebat in communes officinas: nec ob valetudinem afflictam aliud admittebat; niſi ſtragulum quoddam villoſum duabus lodicibus ſuppoſitum, ubi parca ſomni

Ejus vitae auſteritas.

(1) Sic ferebant verba antiquarum editionum, nunc ampliori explicatione aliquantulum mutata. V. *Hiſtor. Gener. t. 2. lib. 2. cap. 13.*

Scripta An. 1648.

mni captata requie, ante alios exiliebat ad orationem, rerumque divinarum ſtudium, æſtate præſertim, cum facilius liceret per obedientiæ nutum. Potus erat, cibique parciſſimi, & quidquid magis arridebat palato, conſecrabat Chriſto. Si quando (per infirmarii oblivionem,) quod medicus præſcripſerat, defuiſſet, impenſe lætabatur oblata colendæ paupertatis occaſione. Ad actus Communitatis accurrebat, aſſiſtebatque, quoties prohibitum ei non eſſet, ac præſertim horam mentalis orationis, cum morbus lecto non defigeret, nunquam omittebat, atque cum communitate; ſic peragebat ut nunquam viſus fuerit ad ſcamnum, aut parietem inclinare, ſed genibus flexis angelica, humilique compoſitione Fratres omnes ædificaret.

Monaſtica obſervantia, & oratio.

A

Solamini cuivis infenſus.

Sedulo, fideliterque quidquid corpori blandiretur, abdicabat: neque oculis libertatem concedebat, verbi gratia, ut in hortum proſpiciendo ſenſum ſublevarent, aut animum defatigatum, afflictumque recrearent; multò minus alia requirebat, aut ſuſcipiebat oblectamenta; quæ ab infirmis non illicitè uſurpantur: ſed ipſe majoris perfectionis avidus, Deo ſeſe exteriuſque interiuſque affligenti cooperari malebat, ut ei penitiùs, & immediatius inhæreret.

Studium. & varia ejus opera ſcripta.

Hunc in finem, utque proximis, juxta datum ſibi à Deo talentum, proficeret ad ſalutem, tempus, quod orationi ſupererat, ſacris lucubrationibus impendebat. In quo genere tam piè, & eleganter tam clarè, & ſuccinctè, tanta ſoliditate, ac gravitate verſatus eſt, ut ſanctorum Patrum pium, nervoſumque ſcribendi modum, vel aſſecutus, vel proprius æmulatus eſſe videatur. Grande quidem opus; & ampliora volumina moliebatur, ſperans pro gloria Dei fœliciter ſucceſſurum: ſed ille qui per occultas ſemitas electos emittit ad patriam, laxas currenti ſtrinxit habenas. Subierunt enim morbi multiplices, qui nondum ſenem feſtinata ſenectute fregerunt, ne poſſet, quod meditabatur, explere. (1) Attamen hoc triennio, quo Definitoris officio functus fuit, præter ſupradictas *Inſtructiones Novitiorum*, ac *Magiſtri*, nonnullos elaboravit libros in quibus internum ſpiritum calamo exprimit, & in lectoris animum fœliciter imprimit. Primum inſcripſit *De Prudentia juſtorum*, quem ut ipſe de ſe teſtatur, *non ſolus* inquit, *ſed cooperante Dei gratia mecum magna ex parte, ex ipſis dulciſſimis Sacræ Scripturæ verbis ad finem, quem Spiritus Sanctus intendit, hoc eſt ad inſtruenda corda compoſui: ſperavi enim Jeſu Chriſti verba etiam per miniſtrum indigniſſimum prolata, & ſcripta peccatoribus, quorum ſalutem quæro, & juſtis, quorum conſummationem opto profutura.* Et Regem pacificum, cui opus dedicat piiſſimo affectu, ſic interpellat. *Offero tibi, Rex magne, non verba vacua humanæ ſapientiæ artificio ſonantia, quorum memoria perit cum ſonitu: ſed verba plena ſenſus, quem in Scriptura Sancta expreſſiſti, vel piis cordibus inſpiraſti, ut fiant holocauſta medullata, quæ placeant obſecro cordi tuo. Dum hæc ſcriberem, optavi, ut vi ſermonis vivi tui lectores inflammarentur, & aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum. Fiat, oro te, mitiſſime Rex, quod expetivi, & ſi qua, merces labori meo reddenda eſt, ſitiat, precor in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Hucuſque præfatio. Quæ ideo excerpſi, ut oſtenderem puriſſimam intentionem, & piiſſimum in ſcribendo ſpiritum non parvi momenti eſſe, ut energia quadam occultiore altius penetrent, & fœlicius moveant Sanctorum virorum ſcripta, quam aliorum. Quod in hoc præſertim Opere ubi Chriſtum Dominum divinis eloquiis ad pietatem, veramque prudentiam exhortantem introducit, multi ſunt experti, tum noſtrorum, tum exterorum, ut Scriptoris deſiderium etiam in hac parte ſeſe exaudire clementiſſimus oſtendat Deus.

P

Inſtructionem Novit. & Magiſtri ſcribit.

Et Librum *de Prudent. Juſtor.*

C

Interpret. in Threnos Jer.

In ſecundo libro *Threnos Hieremiæ* terna paraphraſi interpretatur: Hiſtorica, Allegorica, & Tropologica, quam ultimam fuſius expendit, ubique lectoris animo horrorem inducit peccati, quod omnis mali cauſa eſt, & cui ſoli luctus jure debetur, utrumque edidit Neapoli: Illum anno 1607. hunc ad initium anni MDCVIII. Typis Tarquinii Longi.

CAPUT XVI.

Lectoris officium ſuſcipit, & inſignem in puriſſimam S. Thomæ doctrinam affectum in Diſcipulos ac Congregationem inſtillat.

D

An. circ. 1607.

SUb hæc tempora cum magiſtri novitiorum, aut Prælati labores, complexio delicata, morbique non ferrent, iterum Joannes noſter ad Scholaſtica munia revocatur. Et certè ingenii ſublimitas, memoriæ fidelitas, multorum annorum exercitatio, in dicendo claritas, in docendo maturitas, & præſertim in puriſſimam Angelici Doctoris doctrinam affectus ſumma omnia promittebant. Verum pertinacia redeuntium morborum, qui magiſterium novitiorum prohibuerant, ſtudiorum quoque ſcholaſticorum non multo tempore

Ejus morborum pertinacia.

(1) Id ſuis ipſe verbis ſatis aperte fatetur in Epiſt. Nuncupatoria Card. Pinellio ad *Interpret. Lament. Jerem.* quam hoc volumine reddimus, facileque intelligitur ex ejus ingenii amplitudine.

Scripta An. 1648. Cathedra abdicare cogitur, & quibus in solitudine vacet exercitiis. Ejus pro studiorum initio habita oratio. *Ex offic. S. Clementis. 2. Cor. 4.*

permiserunt. At divinæ providentiæ altiori judicio, dum ab utroque vacat, utriusque eminentiori modo factus est arbiter: dum in suo recessu, tum mysticæ, tum scholasticæ sapientiæ magistris, discipulisque promptum fidúmque oraculum præstitit; unde dubiorum suorum solutiones acciperent modum methodumque discendi, docendique discerent, & in Angelicum Doctorem affectus, ceu purissimus quidam utriusque sapientiæ fons in totam Congregationem sancta quadam æmulatione promanaret. Habeo penes me locupletia hujus rei monumenta nondum typis edita: (1) atque in primis orationem, quàm initio Theologiæ ad discipulos fecit, cujus partem tenerrimis in D. Thomam affectibus insignem, hic attexere non gravabor. Ait enim O *vos ergo beati, qui ad scientiam adeo sublimem hodie vocati estis: me quoque prædico beatum* „ *quem non meis meritis, sed vestris orationibus ad vos remisit Dominus, studiis, & consortio* „ *nis vestris participem fieri* „ *utique gratia major, dignatio dulcior esset, remisit me ad vos, non ut Dominum, sed ut servum: non quasi Prælatum, sed ut verè subditum. Nos enim verissimè, & ex corde cum Apostolo* prædicamus servos vestros per Jesum. *Optaveram ego tamdiu à Prælationis officio, quod quam indignè gerebam, testis est mihi conscientia mea, optaveram, inquam, amoveri; orationes diutinas multis annis ob id fudi; distulit misericors Pater, distulit, sed non negavit consolutionem: exaudivit me, & quidem in latitudine Dominus: quia dedit mihi plusquam desideraveram quando non tantum me à Prælatione amovit, & in subditorum sortem tamdiu mihi desideratam reduxit: sed etiam vestræ religionis, virtutis, ac devotionis spectatorem, sed & socium participem, atque hujus sanctissimæ doctrinæ condiscipulum fecit. Quas tibi Domine gratias agam? Misericordias tuas in æternum cantabo, in generationem & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo. Fidelis es Domine in verbis tuis, differs dare quod postulatur, ut dilatione crescat desiderium, addatur oratio, augeatur meritum: sed tandem audis, & consolaris clamantem ad te Deus meus, Benedicat tibi anima mea, & omnia, quæ intra me sunt, nomen sanctum tuum.*

A

Psalm. 88. 1.

Psalm. 144. 13.

Vos quoque o carissimi, precor, recipite me, non ut magistrum; scio enim, quam sim tali nomine indignus, & quia unus est magister noster Christus, & post Christum divinus ejus Doctor D. Thomas; sed quasi condiscipulum, rudem quidem & ignorantia plenum, sed purgandum, illuminandumque merito vestro. Fateor quod dum considero tenuitatem ingenii mei, obscuritatem, ignorantiam, impræparationem ad tantum opus, quantum est sacram Dei scientiam interpretari, conturbor, expavesco, & paulominus animo deficio, & cum Moyse Dominum meum compellans ajo: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius: ex quo enim locutus es ad servum tuum, imperitioris, & tardioris linguæ factus sum: *Sed clementissimus Dominus pusillitatem meam confortans, dulcissime respondit:* Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cœcum nonne ego? Perge igitur; & ego in ore tuo, doceboque te quid loquaris, *Ergo Domine ecce ego, ecce venio: doce me quid loquar, doce ut doceam: discipulum suscipe & magistrum constitues. Nolo Domine docere, nisi quæ a te didicero* Beatus *enim est* homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, *E contra vero:* si quis fuerit consummatus inter filios hominum, & abfuerit sapientia tua ab eo, in nihilum computabitur. *Obvolvor quidem tenebris ignorantiæ meæ, sed tu es lux, quæ illuminas tenebras meas. Cœcus paulominus sum, fateor sed scio, qui illuminas cœcos tu quidem ut sol refulgens, sanctusque tuus Thomas Doctor, velut luna pleniissima, & veluti stella candidissima & lucidissima in templo Domini mei. Quas ergo tenebras meas tanta lumina non evincant? Quas obscuritates splendore tanti Doctoris non referabo? Quas veritates abstrusas, & reconditas fulgentissimam istam lucem manutenens non inveniam? Certè ea est, hujus eximii Doctoris sapientia & profunditas, ea sinceritas, & puritas: ut ejus doctrina instructus, omnes fidei veritates indagare, omnesque errores & falsitates cavere quis facilè possit, ut enim Innocentius Papa VI. in sermone de laudibus D. Thomæ, qui incipit.* Et ecce plusquam Salomon hic, *testatum reliquit*: hujus Doctoris sapientia, præ cæteris, excepta canonica, proprietatem habet verborum, modum dicendorum, & sententiarum, ita ut nunquam qui eàm tenuit, à tramite veritatis aberrarit, & qui eam impugnavit, semper fuerit de veritate suspectus. *Verba sunt Summi maximique Pontificis Innocentii. Quare merito Urbanus etiam Papa V. in Brevi suo ad Universitatem Tolosanam, post multa de laudibus, & veneratione sanctissimi doctoris tandem in fine concludit.* Injungimus, *ait*, vobis, ut doctrinam ejus tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare. *Adeò S. Ecclesiæ Pontifices Doctrinam hujus S. Doctoris venerati sunt, ut, canonica excepta, nullam puriorem, veriorem compendiosiorem, & securiorem esse adeò graviter contestati sint. Ergo sanctissime Doctor magister Venerabilis, gemma radians Religiosorum, fons Doctorum, Candelabrum aureum, universalis Ecclesiæ lumen perfulgidum, lucerna ardens & lucens, per quam omnes, qui vias vitæ, & scholas doctrinæ ingrediuntur, lumen vident veritatis, suscipe alumnos & parvulos discipulos tuos: potum nobis, tamquam parvulis; in Christo da, non escam: Pater sanctissime erudi rudes, &*

B

Exod. 4. 10.

Ibid. v. 11.

Psalm. 93. 12.

Sap. 9. 6.

C

Innoc. VI.

Urbanus V.

D

† † † †

[2] Nunc vero edita in quarto Operum tomo edition. Colon. 1650. pag. 241. & seqq. quæ nos quoque suis locis in hac nova editione integre reddemus, una cum aliis, si quae erunt nondum vere edita.

Scripta An. 1648.

A

& quia tu dixisti in proemio summæ Theologiæ, quam explicandam suscipimus, intentionem tuam esse non tam erudire provectos, quam incipientes & novitios dirigere, (ea enim erat humilitas tua, ut satis tibi videretur hujus doctrina novitios, utcumque dirigere; qui etiam provectissimos poteras erudire. Fac ergo humillime, & sanctissime Doctor, quod dixisti, nos incipientes, & novitios suscipe, erudi, dirige, & quid senseris in scriptis tuis, non dedigneris aperire: quod quia de clementia tua confidimus, sub tuo adjutorio, jam jam ad opus accingimur.

Orationes in laudem S. Thomae.

Hoc etiam testantur nonnullæ Orationes, in ejusdem Aquinatis laudes elegantes, pieque à Joanne nostro, ea mente conscriptæ, ut inter Scholares nostros eum morem, qui nunc invaluit, omni conatu propagaret: (1) Nimirum sancti Doctoris natalem diem solemnissima devotione colendi, Panegyricis exornandi, quo Fratres suos in ejus doctrinam, virtutesque in dies magis, ac magis incenderet. Denique servantur apud me Instructiones nonnullæ, in gratiam studiosorum absentium, quos præsens verbo docere non poterat, elaboratæ, de quibus in epistola ad Patres, Fratresque Theologiæ, ac Philosophiæ in Cœnobio S. Annæ vacantes, Genuam è Thusculano missa, sic loquitur: (2)

Instructiones pro studiosis absentibus.

Superioribus diebus catalogum capitum Instructionis Missionum, quam elaboravi, transmisi, ut animos ad cursum per se satis incitatos urgerem: nollem tamen amici nostri ansam è labore alieno arriperent, & segniter agerent: quasi ego eis aliquid laboris ademerim, vel adempturus existimer. Quapropter quæ subiiciam, precor, attendant.

Duplex instructio ad missionum opus procul dubio requiritur: una, qua modus agendi, ac se in animos Ecclesiæ hostium insinuandi tradatur; quæ prudentiæ, ac suavitatis plu-

R *rimum habere debet, ut sine prœliorum simulacris feros homines alliciat ac capiat. Altera instructio scholastica est, quæ congressiones hæreticorum potissimum observat, & à Scriptura Sacra, à Conciliis, à Patribus, à selectis rationibus promenda, & in methodum ad prœlia ineunda coaptanda est.*

Primam illam concinnavi, & rationes naturali lumini congeneres, alias quidem efficaces, alias verò probabiles, alias certè si minus probabiles, opportunas tamen ad incultos homines sensim ad altiora promovendos excogitavi: semper enim existimavi ad missionum victorias, naturalium rationum copiam, suavemque agendi modum, afflante Deo, plus multo conferre, quàm instructum scholarum agmen, multis argumentorum telis infestum. Cujus ratio est, quia perquam raro ad certamina cum sectariis descenditur, & tunc sanè perexiguus fructus existit. Qui enim inter hæreticos sapientiam jactant, hi sunt quorum salus penè desperanda sit, cum protervia, & garrulitate concertent ac Spiritui Sancto pervicaciter re-

C *pugnent. Cæteri verò à Christo exulantes, sive Hæretici, sive Maomethani, sive Ethnici, adeo rudes, & barbari sunt, ut quilibet à Christianis mediocriter doctus, cum integris eorum Academiis manum conferere ac superare valeat.*

Errores enim enormes, & cum naturali ratione apertè pugnantes hauserunt, & superstitiones quas colunt, propugnare nesciunt. Quod sanè in ætatis nostræ historiis, ubi certamina hujusmodi describuntur observavi, spemque concepi, Deo propitio, fore, ut si fratres nostri rationes apud nos vulgatissimas in locos digerant, & prudenter usurpent, apostolicos triumphos sint relaturi. Cupio ergo ut Theologi nostri animadvertant quale laboris genus susceperim, & quid supersit, agendum: supereſt quippe instructio secunda, quæ (mea sententia) ab unoquoque conflanda est, & ab iis fontibus Scripturæ, Conciliorum, Patrum, selectarumque rationum in ipso (ut scripsi) studiorum cursu ducenda. Qua in re per clementissimum Deum obtestor, ne ullus dissidiæ aut ignaviæ locus pateat, & certò sibi persuadeant in ipso curriculi fine, ita se ad bellum labore, tam exiguo comparatos, mibi grates acturos.

Cogitaveram ego sanè, instructionem hanc secundam gnaviter condere, at vires desunt, modoque quam anno elapso infirmior sum: præterquam quod tametsi ego valerem, modus

D. *ille, quem suadeo, unicuique proprius, & ingenio attemperatus, ad instructionis exercitium (quantum capio) fructuosior est.*

Quoties de rebus controversis aliquid in S. Thomæ textu attactum fuerit, selectas aliquot è Scripturæ Sacræ auctoritate sententias, aliquot œcumenicorum Conciliorum decreta, nonnullas Patrum assertiones, unam vel alteram rationem efficacem excerpant & ad belli tempora servent. Sic enim unius horæ labore, ad singulas veritates Catholicas astruendas, tutam certè armaturam tempestive induendam, vel exercendam habebunt. Modus autem communes locos elaborandi, hic esse poterit.

Calvinus.

Calvinus liberum arbitrium in libertate à coactione, non à necessitate constituit: errorem hunc sic ego refellerem.

Eccli 15.

A Scriptura: Ecclesiastici 15. *inquit Spiritus Sanctus:* Deus reliquit hominem in manu consilii sui: adjecit mandata & præcepta: si volueris mandata servare, conservabunt te: Apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porriges manum tuam, &c. *Quomodò relinquitur homo in manu consilii sui, si necessariò determinatur voluntas ad unum?*

(1) Hae quoque exstant loco laudato veteris editionis. pag. 300.

(2) Et haec integra eod. tomo reperitur inter epistolas n. XIX.

Scripta An. 1648.

num? Quorsum monetur homo si voluerit mandata servare, si necessariò unum velle opus est? Quorsum apponitur aqua & ignis, ut pro libitu manum porrigat, si unum è duobus necessariò accepturus est? Ecce quam disertè, ex hoc Sacræ Scripturæ loco asseratur liberum arbitrium, non solùm à coactione, verùm, à necessitate. Ex hoc exemplo alia loca coagmentare, ac expendere licebit.

A *Concil. Arausic.*

Aconciliis: Arausicanum can. XXV. definivit; Posse hominem baptizatum bene vivere, si velit: *constat autem experientia posse malè vivere, ergo non solum à coactione, sed à necessitate liber est.*

Concil. Trident.

Tridentinum sess. VI. cap. V. definivit, hominem liberè consentire inspirationi divinæ, quippe quam reiicere potest: *ergo est liber à necessitate.*

S. Gregor. Nazian.

A Patribus Nazianzenus in Apologetico non procul ab initio: Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet. *Hilarius in Ps.* 2. Unicuique nostrum libertatem vitæ,

S. Hilarius.

sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens. *Sic ab aliis Patribus apertissimæ assertiones peti possunt.*

A ratione. Si ad liberum arbitrium sufficeret libertas à coactione, profectò in pecoribus, pueris, furiosis, & in generatione Verbi æterni libertas esset: quod sectarii non admittent.

Aristoteles. Manichaei. Lutherani.

Deinde, nulla de libero arbitrio unquam controversia extitisset: nam neque Aristoteles, qui Deum ex necessitate agere docuit, neque Manichæi, neque Lutherani usquam negarunt Deum, vel homines à coactione liberos esse.

Denique liberum arbitrium est ipsa voluntas non simpliciter, sed ut principium electionis. At potestas eligendi, nequit intelligi cum determinatione ad unum: ergò, & à necessitate

B *homo immunis est.*

Hæc leviter tetigi, ut (si placet) hac methodo nostri Fratres utantur: locus autem hic de asserenda libertate ad ultimas quæstiones Primæ secundæ, ubi de merito agitur, pertinet, quamvis & aliis tractatibus possit intexi.

Si autem consilium hoc nostrum arrideat, & incipiat exerceri, nemo tam rudis est, qui non dispiciat, per hunc laborem perexiguum, studiorum cursum minimè retardari, & hunc studendi modum serium, ecclesiasticum, gravem, sanctum, & utilem esse: eosque Theologorum nomine planè indignos esse, qui nova inventa, ubi nulla locorum Theologicorum, sed subtilitatis levissimæ recordatio subit, tam operosè conquirunt.

Hæc eo dicta sint, ut Joannem nostrum sive dum lectoris officio fungitur, sive dum in suo recessu otioque negotiosus strenuè pièque salutem Fratrum dictando, scribendo procurat, imitentur illi, quibus æternum numen sapientiæ suæ thesauros infudit, vel ad eos acquirendos, naturæ, gratiæque donis exornavit.

CAPUT XVII.

C *Fit Procurator Generalis, ac beatificationem sanctæ Teresiæ promovet.*

An. 1608. & seqq.

IN secundo Capitulo Generali Romæ celebrato mense Majo anni MDCVIII. Procurator totius Congregationis electus fuit, tum propter præclarissima merita, tum quod forsan existimarent Patres externa exercitia, occupationesque fore proficuas corporali saluti, cujus conservationem toti Congregationi noverant utilissimam. Impositum onus, cum Dei timore suscipiens, mox ad opus sese accinxit: nec pepercit laboribus, non est fractus difficultatibus, non tædiis exanimatus; sed ardua negotia sibi à Præposito injuncta perduxit ad optatum finem, magno bono Congregationis, Deo plerumque consilium, manumque servi sui occultis providentiæ suæ mæandris fœliciter aspirante.

Ejus labores ac diligentia.

Tota Reformatio nostra conjunctis animis, viribusque gravissimum negotium urgebat apud Deum, & homines ut nimirum ab ore Vicarii Christi Beata pronunciaretur Teresia. Nam Matris præconio filiorum vita stabiliebatur, fervor accendebatur, ut illa via velocius, ac levius tenderent ad cœlum, qua Fundatricem suam ad sponsum prævolasse ab

D

Beatificationi S. Teresiae promovendae incumbit.

Apostolico veritatis oraculo didicissent. In hanc ergo rem Procurator noster totus incubuit, tum officii debito, tum pro tenerrimo dulcissimam erga matrem affectu. Ut paucis post mensibus elaboratum habuerit sanctissimæ vitæ compendium, quod elegantibus Typis commissum ad annum MDCIX. summo Pontifici Paulo V. dedicavit, obtulit: promeruitque sermonis gratia & claritate, gestorum magnitudine, & sanctitate, ut à Sanctissimo perlegeretur, & virtutum tantæ Virginis splendore raperetur, Christo cor Vicarii sui urgente ad supremos honores sponsæ decernendos. Mox enim jussit S. Congregationem Rituum ulterius procedere, in qua XXIV. Mensis Octobris ejusdem anni ad examen testium super puritate, ac sanctitate vitæ, ac miraculis S. Teresiæ Romæ peragendum, deputatus est Eminentissimus Dominus Cardinalis Pamphilius sanctissimi D. Papæ Vicarius, & decima Maii MDCX. ac deinceps usque ad finem mensis Maii ad nostri Procuratoris instantiam producti sunt, & examinati Illust. ac Reverendiss. D. Fr. Didacus Alvarez Ordinis

Ejus vitae compendium scribit, ac vulgat. An. 1609. Card. Pamphilius.

Testes examinati in dicta causa beatific.

Præ-

Scripta An. 1648.

Prædicatorum Archi-Episcopus Tranensis, R. P. Bartholomæus Perez Societatis Jesu Hispaniarum Assistens, R. P. Dominus Petrus de Sayes de Torres, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini. Illust. ac Reverendus D. Augustinus Gudiellus Presbyter, sacræ Theologiæ Doctor. Hi duo Romæ in desperata infirmitate, ad invocationem S. Teresiæ miraculosè sanati. Rev. Mater Fœlix à Matre Dei Præfecta Monasterii S. Joseph de Urbe, aliæque Moniales, de Reliquiæ S. Teresiæ fragrantia ibidem supra naturæ ordinem percepta, & sanatione scrofularum ad ejusdem contactum in Sorore Tecla Nepte Cardinalis Baronii.

Bina miracula S. Teresiae.

Auditæ sunt præterea depositiones trium è nostris Patribus P. Fr. Thomæ à Jesu, P. Fr. Dominici à Jesu Maria, P. Fr. Josephi à sancto Gabriele. Certè testium horum perspecta fides, & debita reverentia, rerum, quas deposuerunt gravitas, & magnitudo, non solo meritorum cumulo processum impinguarunt, sed etiam stimulos addiderunt iis qui causæ præerant: si quidem in diligentiæ remunerationem sperare poterant præsentaneum gratissimæ Virginis auxilium, quod in Urbe Roma jam percrescebat. Vidit tandem devotus filius, in Matris beatificatione impletum suæ mentis desiderium, & procurationis suæ fructum, post paucos annos gustavit in Capitulo Generali anni MDCXIV. quo Præpositi Generalis munere defungebatur.

Testes alii, eorumque fides.

A

S. M. Teresiae beatificatio obtenta.

Ab eadem Sacra rituum Congregatione die XX. mensis Iunii MDCIX. Procurator hic noster rescriptum obtinuit dudum à nostris optatum, quo Officia propria Sanctorum ordinis ab Illustriss. & Reverendiss. Cardinali Bellarmino recognita, & subscripta comprobavit, recitandi facultatem concessit, ac typis evulgandi pro majori Fratrum commoditate. Plura alia prætereo minoris momenti, sive ad totam Congregationem spectantia, quale est decretum à sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, & Regularium de non impediendis Fratribus nostris in quæstuatione eleemosynarum: sive ad conventus, aut personas particulares; in quibus omnibus pro Dei gloria, ac suæ Religionis zelo ejusdem Patris desudavit industria.

Officia propria sanctorum Ordinis procurat.

Et alia plura providet.

B

CAPUT XVIII.

De ariditate, qua Deus servum suum per totam vitam exercuit.

An. 1608. & seqq. S. M. Teresiae exemplum.

NOn exiguam laudem in divino officio de S. Teresia celebramus, quod duodeviginti annos gravissimis morbis, & variis tentationibus vexata, constantissime meruit in castris Christianæ pœnitentiæ, nullo refecta pabulo earum consolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare. Joannes noster non degener tantæ Matris filius, ab eo tempore quo ad exemplum Udonis Archiepiscopi divino judiciorum horrore perculsus, in asylum reformati Carmeli sese abdidit, ad extremam usque vitæ mortalis periodum doloribus, non corporalibus solùm, sed timoribus, ac desolationibus internis adeo continuis, fuit afflictus, ut non nisi rarò concessum fuerit de torrente dulcedinis divinæ in hac vita biberet & inclinatum caput consolationibus cœlestibus exaltare. Nam militi suo Deus, dum devotionis subtrahebat affectum, propriis stipendiis merere jubebat, & gladio, quem adversus Dæmonem stringeret exarmabat: exponebat hostibus inermem, pavori, pusillanimitati relinquebat obnoxium. Hinc in virtutum actibus angustia, in orando tenebræ, in meditando fastidium, circa omnia bona tædium, & anxietas ita aggravarant, ut in obscurum carcerem, in vincula sibi conjectus videretur, & cum Jeremia *Thr.* 3. lamentaretur ad Dominum: *In tenebrosis collocavit me, aggravavit compedem meum, concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit*. Imò cùm ad Omnipotentem cor erigeret, urgebat subitò gravissima adversus eundem impatientiæ tentatio: Cur tam durus tribulato, tam parcus egeno, tam aversus oranti, tam inexorabilis pulsanti? Unde palpitans ex vehementi agonia, mœrore tabescebat: quia ibi non reperiebat solatium, ubi unicum est afflicto refugium. Quid dicam de tentationibus acerbissimis circa prædestinationem, circa misericordiam Dei, circa fidem Christi, quas cùm spiritus sui rationem Superiori redderet, nulli alteri rei melius comparari asserebat, quam damnatorum cruciatibus ac tormentis. Nam illæ fidelium animæ, quæ purgatoriis ignibus expiantur, certa spe fruuntur salutis æternæ. At cum Joannem nostrum Deus afflictionum tempestate concuteret, in manibus suis lucem abscondebat, ne usquam emicaret, & gratiam in animæ centro latentem tot nubes circumsepirent, ut ne minimæ quidem scintillæ prodire fas esset: sed quidquid nunquam boni præstiterat, quidquid favoris acceperat, ceu somnium, fumus, umbra, abiverant in oblivionem: solam memoriam illigatam, fixamque tenebat peccatorum, & imperfectionum multitudo, & impendens desuper ira supremi Numinis, quasi in rebellem servum lanceas, ac fulmina evibrantis. Nec transitoriæ erant hæ tentationes, quæ advenienti cederent auroræ: sed mora temporis, & importunitate doloris sedem sibi fixerant, quasi habitualem: unde ad minimum motum exurgerent in pugnam, ac veluti rabidi ca-

Quamdiu spiritu vocatus?

C

Jerem. Thr. 3.

Tentationes, Inferni doloribus comparatae.

D

Scripta An. 1648.

canes morderent, si possent: si non possent, allatrarent, vellicarent. Nec mirere, lector, à Deo charissimam animam in extremis angustiis derelictam: speculator enim astabat desuper, & athletæ sui certamine jucundabatur: vires occultè suggerebat, victoriam dabat, augebat meritum, præparabat coronam; quemadmodum de sanctissimis Jobo, Antonio, Catharina Senensi sacræ atque Ecclesiasticæ testantur historiæ.

Exempla SS. Jobi, Antonii, Catharinae Senensis.

Hujus aridi-tatis caussam duplex. Probatio.

A

Duas derelictonis hujus causas in Vener. P. Joanne à Jesu Maria comperio: finalem unam, alteram efficientem, sive formalem primariam. Etenim cùm ad Dei contemplationem pertingere nemo valeat, nisi speculum cordis gerat emundatum: Ideo sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita Joannem nostrum probavit Deus, ita ad purum excoxit scoriam ejus, ita loco condimenti pacis, amarissimum obtulit fel anxietatis. Et ne talentum multiplex altitudo contemplationis efferret, aggravata est super eum manus Domini, quæ deprimeret; ut quantò ad majorem efformabatur sanctimoniam; tantò diuturniorem, acrioremque sustineret luctam: quantò splendidius lumen oriebatur divinæ sapientiæ; tantò profundius obscurarentur vires humanæ naturæ. Nam ut S. Gregorius ait 20. *Mor. in Iob. c.* 19. *Omnipotens Deus eos, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit: Sanctos enim suos Deus inveniendo adjuvat, relinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat*. Unde rectè per quendam Sapientem dicitur: *In primis elegit eum; timorem, & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet illum in cogitationibus suis* &c. Quod Spiritus Sancti oraculum optimè athletæ nostro congruit, quem Deus, quam primùm elegit, timore ac metu percussit, donec ad probandas vias Carmeli duras induxit: Deinde in tribulatione doctrinæ mysticæ excruciavit: ac tandem gravissimis cogitationibus, ac tentationibus emundavit.

S. Gregorius

Eccli. 4. 18. 19.

Charitas.

B

Alteram hujus rei causam, ad quam velut ad formam primariam, quodam gratiæ impetu fluxit intimus animi dolor, charitas fuit, qua erga Deum flagrabat intensissima: ubi enim amor, ibi dolor, & quot gradibus ascendit amor ad sponsum, tantis dolorum gradibus ab eo repulsam passa, in se ipsam recidit anima, tabescitque. Nam si nec vivendum sibi amplius putant ii, qui mulierum amoribus exulcerati, ab illis contemni se animadverterunt, quæ res amatoribus ægritudinem adfert intolerabilem; Animæ, quæ erga Deum charitate vulnerata est, quanta fuerit ægritudo, si non amplius eum sibi adesse arbitretur? S. Joannes Chrysostomus *Cat. in Iob. c.* 2. *Vivat ergo Triumphator in Israel, qui non derelinquit sperantes in se, nec patitur eos supra vires à se præstitas tentari; sed dat cum tentatione proventum, & athletæ nostro non indecorum fuit, cum tot monstris depugnare; nec inutile, de hostibus spolia reportare*: nec in gloriam, à summo Rege coronari. Duobus vero potissimum mediis sublime sibi trophæum erexit de tentationum victoriis, spoliisque. Primo quod Dei voluntati obsecutus, nullam aut requireret, aut admitteret humanam consolationem, præter eas, quas obedientia præscribebat, & has quidem ea, qua poterat parcitate. Secundum. In mediis tenebris, & ardentissimis flammis, seu in ultimo tormentorum agone constitutus, contra naturæ ruentis impetum sese erigebat, profusis lachrymis, & efflatis suspiriis tantò validiùs erumpens in heroicos contrariæ virtutis actus, quantò vehementiùs imminebat à tentatore periculum, & intimiùs aderat Dei præservantis auxilium. Adeoque libenter, & frequenter in Tusculanam sancti Silvestri solitudinem, hujus rei gratia sese recipiebat, ut in ea spiritus internas angustias, faciliùs, ac liberiùs exhalaret.

S. Jo. Chrysostomus.

Ejus pugnandi modus.

Divinae voluntati resignatio.

Constantia.

C

Denique non sibi soli, sed proximis certamen profuit tanti magistri: nam ut dum viveret oraculum fuit afflictorum, & refugium suavissimum personarum spiritualium in animi gravissimis desolationibus; ita post mortem in ejus scriptis superstes esse videtur quædam gratia consolationis, præsertim Paraphrasis in Job, hoc spiritu præ cæteris pollere censetur: Nam eam ad hunc affectum elucubravit, & amicis solicitantibus evulgavit, in fine hujus triennii, de quo nunc agimus, cum munus Procuratoris Generalis obiret: ut ipse in Præfatione testatur, & viri plures doctrina ac pietate clari, confessi sunt sese in afflictionibus acerbissimis, ex hujus Commentarii lectione non modicum fuisse confirmatos ac recreatos. Novi ego Romæ virum Illustrem I. V. D. eruditissimum, timore Dei, ac conscientiæ puritate præstantem, cùm casu incidisset eam, de qua loquimur, Paraphrasim, eo tempore, quo mentis afflictiones patiebatur gravissimas, & lectis aliquot periodis armari se sentiret ad constantiam, suisque in anxietatibus recreari: statim existimavit authorem, alias sibi incognitum, sanctitate præcipua floruisse, nec sine divino spiritu exarasse, quæ tanta energia afflictum, prostratumque spiritum erexerant in Deum. Adeoque sibi comparatam domum detulit, omni thesauro chariorem; mihique cum bibliothecam ejus non modicam inviserem, & manus in Paraphrasin iniecissem, protinus ait, se reliquis omnibus voluminibus, quam libello isto carere malle, cumque authoris sanctimoniam, ac vitæ religiosæ periodum, incorrupti corporis prodigium breviter exposuissem, nihil horum inquit, adeo miror, quamquam miranda esse non diffiteor, quàm quod in anima mea sentio: nam quoties piam illam Paraphrasim lego, anxietates animi, quas pati soleo vehementissimas, sublevari sentio, aut ad eas constanter tolerandas animari.

Ejus afflictio etiam aliis utilis.

Paraphrasis in Job, ejusque solandi vis.

Exemplum insigne.

D

CA-

Scripta An. 1648.

CAPUT XIX.

Anno MDCXI. in Præpoſitum Generalem electus, Congregationem magna virtutum laude gubernat.

A

An. 1611. & ſeqq.

DEcebat eximii ſplendoris faculam, ardentemque lucernam ſuper candelabrum totius Congregationis imponi, ut fulgorem ſuum communicaret, & in omnia membra vitalem derivaret influxum; ac proinde in tertio Capitulo generali, ad S. Silveſtri in Tuſculano, (1) concordibus Patrum ſuffragiis, in Præpoſitum Generalem fuit electus tanta omnium lætitia, ac gratulatione, ut Angelus quidam cœlo delapſus, aut jubar quoddam novum exortum eſſe videretur. Solus ipſe venerandus Antiſtes humili modeſtia, & ſincera humilitate ſedem honoris refugiebat, donec filiorum preces pervicerunt, ut impoſito collum oneri ſubiiceret. Sentio me in præſentiarum à nonnullis vocari virtutibus, ſive modis gubernandi præclariſſimis, quorum laude Præpoſitus noſter excelluit, & morem gerere non gravabor: non quod omnes eos velim explanare, ſed paucos tantummodo delibare contendam, ut virtutum ornamentis intertexta vitæ narratio, jucundiùs, utiliusque decurrat.

Ejus in regimine virtutes.

Primam ſedem ſibi vendicat mitis, humiliſque in gubernando ſuavitas, modeſtæ gravitati conjuncta. Quamvis enim moleſtiſſimis afflictionibus premeretur, à ſerena tamen facie mœror exulabat, & lingua tam melliſluos cœli favos diſtillabat in audientium animos, ut quaſi diffluceret undique divinæ dulcedinis nectare, & ambroſia; quod prodigium in viro hoc exiſtimo ſingulari admiratione digniſſimum. Cùm ad dirigendos in finem homines, quod Rectorum eſt exercitium, duo ſint poli, timor & amor, & nonnulli magis proclives ſint in legum ac juſtitiæ rigorem; Joannes noſter totus propendebat in amorem, & numquam, niſi extremis deſperatiſque caſibus, trahi ſe ſinebat ad rigorem, & tum quidem variis blandimentis temperatum, illitumque, ut à timore timorem excuteret, & timore conciliaret amorem. In correptionibus, primò delinquentem convenire, demulcere, præparare: forſan non commiſiſſe culpam, aut ignorantia, aut ſubreptione excidiſſe: tùm vitii à perſona abſtracti turpitudinem, ac gravitatem deteſtari, execrari: denique pœnitentiæ rigorem ob humilitatis ſpeciem, ob ſpem emendationis condonare, vel differre, vel leniter ſolebat: adeoque excitatos, ceu quibuſdam calcaribus, animos ad velociorem curſum promovere, non oneribus oppreſſos in iracundiæ vortices, aut deſperationis barathrum præcipitare: hinc illud Sapientis frequenter habebat in ore, & demonſtrabat in opere: *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto inter eos, quaſi unus ex illis.* Quoties mœſtitiam in ſubdito, etiam infimæ conditionis, adverteret, toties ultro exquiſitis occaſionibus inſigni charitatis officio ſolabatur, animabat verbis, ſublevabat ab oneribus, aliquod diverticulum offerebat, injungebat, ne mentis arcem tentatori relinqueret apertam. Hac morum ſuavitate, quamvis in converſatione parciſſimus foret, omnium amorem conciliaverat, omneſque in Dei, & proximi charitatem ferventer exercendam, ad legis, & Conſtitutionum obſervantiam potentiſſimè trahebat vinculis cordis, ſtimulo charitatis: quorum exempla ſuppetunt multa. Cùm adhuc tyronum magiſterium exerceret, & unus ex novitiis, impoſitam pœnitentiæ loco regularem diſciplinam ſuſcipere detrectaret, non excanduit Pater, non exaggeravit proterviam; ſed leniter, manſuetè, humiliter, nervosè pravam peccati originem, ac vitiatæ naturæ ſuperbiam accuſabat: non parum præſtitiſſe novitium, cum ſæculo valedixit: non omnia ſtatim exigenda: Deum, qui incœperat, ad majora confirmaturum. Mox Patre Fratre Alberto ſuo in magiſterio auxiliari, ob culpæ alicujus prætextum ad diſciplinam, ut ſe præpararet, injunxit: fecit ille libenter, & alacriter verbera ſuſcepit. Interim novitius Job corripientis manſuetudinem, ob exemplum Patris, ſeriò compunctus, lachrymarum imbres contritæ jam proterviæ teſtes effundebat, enixis precibus, ſuſpiriiſque verbera poſtulabat, emendationem promittebat: fuitque deinceps religioſus humilitatis, ac pœnitentiæ ſtudioſiſſimus. Denique fuit Vener. P. Joannes in omni ſuo regimine tantæ manſuetudinis, ac ſuavitatis, ut nonnulli vererentur exceſſum: ſed prudentiſſimum regiminis modum Conſtitutiones noſtræ receperunt, decreveruntque, ut Prælati amore potiùs, quam pœnæ timore ſubditos ad legum obſervantiam inducant, quod Inſtructiones amplius explicarunt. (2) Et ipſe Pater affirmare ſolebat ſeſe coram doctiſſimorum, & expertiſſimorum virorum corona, in theſibus, ac diſputationibus publicis facilè ſuſtentaturum, multis intervallis meliorem eſſe regiminis formam, in qua ſubditos attrahat amor, quam ubi dominetur timor.

Gravitas mitis.

B

Amor ſuorum animos adliciens.

Correptionis modus.

Eccli. 32. 1.

Charitas in ſubditos.

C

Exemplum.

Effloruit præterea Carmelus noſter ſub cura, ac regimine Ven. P. Joannis, ob ingens odium, quo ferebatur in ſubditorum vitia: & gaudium, quo eiſdem ob exercitium, aut

Ejus mira ſuavitas in Conſtitutionem inducta.

D

Fratrum ſub eo profectus.

† † † †

co-

(1) X. Kal. Majas, anno praedicto MDCXI. (2) *Conſtit. part.* 3. *c.* 15. *n.* 4. & *Inſtr. c.* 1. *Inſtr. Prioris.*

Scripta An. 1648. conatum virtutis applaudebat. Nam cùm eum omnes amarent, colerentque, quid credas non molitos fuisse, ne contristarent dilectissimum Patrem? Exemplum adfero. Religiosus natura colericus, in asperum, eruperat responsum adversus fratrem: paulò post in se reversus, humiliter genuflexus, tunso pectore, postulata condonatione in Oratorio disciplinam sibi infligebat acerrimam: de quo Pater noster Joannes certior factus, accersitum Religiosum, magna charitatis significatione est amplexus, in mortificationis studio confirmavit,

Exemplum.

A munusculo donavit, & deinceps ampliori benevolentia est prosecutus. Religiosus verò pro virtute mansuetudinis majora in dies certamina aggressus, seipsum adversus iram sic obfirmavit; ut in specimen adduceretur mortificationis passionum, & victoriæ contra naturam vitiatam. Similem benevolentiam exhibuit aliquando Fratri ad Sacristæ adjutorum deputato, sed ad loquendum facili, cum invenisset schedularum fasciculum confecisse, quibus loco linguæ deinceps uteretur ob silentii cultum.

Aliud.

Lapsuum dolor, ac odium. Exemplum lugendum.

At verò quantum ei displicerent imperfectiones, opportunis modis ita ostendebat; ut veluti stimulis in altum defixis, mentem compungeret, & sæpissimè edicta sanie sanitatem induceret. Frater Choristа, paucis ab annis professus, domesticarum occupationum prætextu multum à fervore Novitiatus intepuerat, monitus, emendatusque facilè redibat ad vomitum P. Fr. Joannes non iis oculis, quibus solebat benignioribus amplius respicere, sed advenientem gravibus verbis, vultuque ad mœrorem composito expedite, dimittere. Advertit subditus, & ad cor subinde redibat; sed mox naturali pondere relabebatur in priora. Rosam mense Januarii, sed frigore flaccidam ad Patrem, captandæ benevolentiæ gratia, detulit. Hic occasionem nactus, quantum à rosa flaccida vivax distaret, quantùm à Religioso

B

quondam ferventi, tepidus, breviter, & nervosè disseruit, lachrymas compunctionis elicuit, ad tempus resuscitavit ardorem. Denique cùm externis occupationibus ultrò sese ingerere, & Chori exercitia subterfugere animadvertit; hac brevi sententia perculit: *Psal.108. 18.* *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*, Notavit frater, & alta mente viri mansuetissimi fulmen accepit, & socordiam excussurus erat, nisi habitus in vitium inclinatus, ad solita pondera retraxisset. Tandemque Patris sententia, tanquam si à Spiritu Sancto pronunciata fuisset, in vanum non abiit: sed veritatem ejus post multos annos rei probavit eventus, nobisque omnibus merito terrorem incussit, ne minima spernentes paulatim decidamus, & supernæ gratiæ inspirationibus, ac nostrorum Superiorum blandiciis, ac monitis minùs attendentes elongemus tandem à nobis divinam benedictionem.

Prophetiae specimen.

In idoneos Operarios vigilantia.

Tertium, quod speciali laude celebratur in regimine V. P. Nost. Joannis à Jesu Maria, est cura quædam, & solicitudo paterna, qua quoties Prælati munus exercuit, non solum Religiosos excoluit, ut in se virtutem exprimerent, sed etiam effecit, ut idonei redderentur, eam in proximorum animos imprimendi. Quamobrem eos, qui ad lectoris, ad prædicatoris, ad magistri Novitiorum munera, talentum à Deo videbantur accepisse, magno conatu exerceri jubebat, ipse assistebat, adjuvabat, informabat: secum eos per æstatem ad S. Silvestri in Tusculano deducebat, aut Roma advocabat, ibique bonam temporis partem erudiendis, expoliendisque insumebat. Numquam licet inter

Aliorum talenta juvat, ac promovet

C

gravissimas occupationes, & infirmitatum molestias, omittebat: quin concionibus, aut similibus juniorum Fratrum experimentis adesset. Eos opportuno tempore accersitos laudabat, animabat, mox defectus suggerebat, modum, quo deinceps eos evitare debebant, edocebat, præparabatque pro futuro proximè experimento: in quo quid emendassent, quid, & qualiter emendandum restaret; erudiebat tanta charitatis dulcedine, tanta energia doctrinæ, ut multos ad proximorum salutem egregios operarios ipsius solicitudini, ac labori, referre debeamus acceptos. Hæc tria pro præsenti Cap. collegi: reliqua, benigne lector, per totum narrationis hujus corpus suis in locis intexta reperies.

CAPUT XX.

Conventus annotantur, quorum fundationes, dum Præpositus Generalis esset, promovit, elaboravit.

D

An. 1611. & seqq.

Parisiensis Conventus.

Pauli V. ad Henricum IV. Litterae

QUàm latè V. P. N. Joannes à Jesu Maria, dum Præpositi munere fungeretur, Congregationem ampliaverit, novorumque Conventuum fundatione propagaverit nunc aggredior explanare. Primum ordine temporis occurrit Cœnobium Parisiense S. Joseph, pro cujus fœlicibus auspiciis, dum Procurator foret Generalis, commendatitias literas in forma Brevis à Paulo V. ad Henricum IV. Galliarum Regem obtinuerat; in quibus Pontifex sequentia interserit, quæ Congregationem nostram mirifice extollunt, & nos animare debent, ne tantis laudibus reddamur indigni. *Fratres* inquit, *Carmelitani Discalceati, qui in hac alma Urbe nostra, & per Italiam ferè totam, cum magno animarum emolumento assiduè laborantes, orationibus, ieiuniis, prædicationibus, confessionibus, aliisque*

piis

Scripta An. 1648.

A

piis operibus intenti, eximiæ religionis, & pietatis exempla edidere: ita ut meritò à Nobis plurimum in Domino diligantur, atque ab omnibus in magna veneratione habeantur. Et nonnullis interpositis. *His nostris literis Maiestatem tuam hortari etiam atque etiam volumus ad Carmelitanorum Discalceatorum Ordinem in Galliam introducendum. Confidimus quippe te brevi experturum magnam utilitatem ex eorum cum subditis Tuæ Maiestatis consuetudine. Mirum certe est, quantum valeant ad pietatem in hominum animis introducendam, utpote, qui nihil aliud quærant, quàm Dei gloriam, & animarum salutem, summam paupertatem in simplicitate cordis colentes. Venerabilis Frater noster Franciscus Cardinalis de Gioyosa, qui has nostras literas tibi reddet, uberius adhuc te de sanctitate hujus Religiosi Ordinis docebit mandato nostro, & ad hoc pium opus* &c. XII. Kal Maji anno MDCX. Sed cum Regem à nefario parricida trucidatum invenissent, totamque in mœstissimo luctu curiam; demum anno insequenti ad fausta Generalatus initia obtentæ sunt à Regina matre, & Ordinario facultates necessariæ, ac lætissima Pentecostes celebritate die XXII. Maii fundata sunt Conventus Parisiensis primordia in domo, situque satis amplo, quæ Dominus Nicolaus Vivien comparaverat, Deo intus operante, ut prædictionem, quàm à multis annis audierat existens adversarius, compleret amicus. Notatum est, quod in aula, quam Vgonotti suis conventiculis quondam contaminaverant, solemnissimè auspicatum sit per Illustriss. Ubaldinum Nuncium Suæ Sanctitatis, immaculatum Agni sacrificium, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dedicata ad tempus Ecclesia, collocatum, in Hæreticorum confusionem, & Fidelium exultationem. Ut verò Reginæ matris piam devotionem erga Fratres, ac filios suos, grati animi argumento recognosceret, & ulterius animaret, librum ejus nomini inscriptum evulgavit Italico sermone, quem *Stimulum compunctionis* intitulavit: In quo nuncupationis suæ rationes assignans ait; „ Tria me argumenta moverunt, ut Majestati Vestræ librum hunc dedicarem. Primum sumitur è variis, verèque „ Regiis virtutibus, de quibus non valeo scribere condignè, & si ad dicendum facultas „ suppeteret, singularissimæ tamen modestiæ vereretur offensam. Secundum ex piissimo „ animo V. M. quo Regni sui spirituale bonum totis visceribus optat, & singulariter „ peccatorum conversionem, cui hic liber est destinatus. Tertium in gratitudinis debito „ fundatur, quo erga Majestatem Vestram obstringor, ob gratiam Congregationi nostræ „ præstitam in erectione Conventus nostri Parisiensis, cum devota demonstratione animi „ Regii ad similium deinceps gratiarum liberalem concessionem. „ Quod obsequium à Generali pietatis laude celeberrimo exhibitum, Regina mater acceptum tulit, librumque in devotione habuit, & ut benevolentiam erga S. Teresiæ filios, toti mundo patefaceret, anno MDCXIII. XX. Iulii, quem sanctissimo Patriarchæ nostro Eliæ Prophetæ festivum celebramus, primum lapidem ritu sacro per Cardinalem de Bonzi expiatum, accepta in manibus trulla, ac cæmento in fundamentum Ecclesiæ collocavit, explosis tormentis æneis omnibus, in publicum lætitiæ signum: Primoribus Regni, populoque Parisiensi, præ devotione jubilantibus, qui simul cum Regina eleemosynarum largitate fabricam promoverunt.

Regis mors fundationem intercipit. Mox expleta.

Margarita Medicea Galliae Regina.

Nicolaus Vivien. Paris. Domus donator.

Notandum.

Ubaldinus Nuncius Apostol.

Stimulus Compunctionis alter ab eo vulgatus, & Reginae nuncupatus.

B

Regina primum lapidem ponit novae Ecclesiae.

Card. Bonzius.

In Belgio schola Novitiatus Bruxellis, Conventus Lovaniensis S. Alberti MDCXI. Coloniæ Agrippinæ, S. Joseph anno MDCXII. sub fœlici hoc sydere fundationis suæ primordia recognoscunt. In Russia, ac Metropoli civitate Leopoli, eodem Congregationem gubernante, fundatio incepta fuit per R. P. N. Matthiam à S. Francisco. Quæ deinde reconciliandis cum Romano Pontifice Ruthenorum, atque Armenorum illius Nationis Episcopis, Presbyteris, Abbatibus, Monachis, & populis Gymnasium fuit, & Theatrum. Cum in Bononiensi Italiæ, & Cracoviensi Regni Poloniæ Civitatibus intra muros Religionem propagare, & Conventum fundare percuperet, à Paulo V. privilegium in forma Brevis obtinuit anno MDCXII. die XXVIII. Februari. In quo Pontifex P. Fr. Joannis propositum laudans, ac confirmans, facultatem tribuit eligendi locum, situmque etiam si cannarum spatio per bullas requisito non distaret ab antiquis mendicantium conventibus. Ad procurandam fundationem Mediolanensem misit Præpositus noster P. Fr. Angelum à Jesu Maria, tunc Priorem Cremonæ, ac duodecim Religiosos convenire jussit, qui mox divini cultus obsequium & monasticæ disciplinæ rigorem, omnibus humanis solatiis destituti punctualiùs, quam in Conventu commodo observarunt. Vicarium præfecit P. Fr. Alphonsum à S. Maria Hispanum, cujus animi integritas, & incorrupti corporis exuviæ quemadmodum, & Patris Hilarionis à S. Joanne Baptista Genuensis, ibidem ad Resurrectionem vitæ reservata. Mediolanensem S. Caroli Novitiatum religiosis nostris reddunt venerabilem. (1) Romani Seminarii fundationem ipse perfecit 7. Decemb. MDCXII. quo die Communitatem instituit, Vicarium præfecit, & deinde Lectores, ac Studentes ordinavit, effecitque ea gratia, qua apud Paulum V. valebat plurimum, ut speciali diplomate erectionem stabiliret, nomine S. Pauli honoraret (quod tamen deinde in Beatæ Mariæ de Victoria transiit) privilegiis ornaret, & Breve Congregationis S. Pauli alias emanatum revocaret. Quàm insignes ex hoc fidei, ad Religionis Gymnasio in messem Evangelicam ad infideles enavigaverint operarii, hujus loci

Bruxellis, & Coloniae Monasteria ab eo erecta. Et Leopoli in Russia.

C

Bononiae, & Cracoviæ. Paulus V.

D

Mediolani. P. F. Angelus a Jesu Maria.

P. Fr. Alphonsus a S. Maria.

P. F. Hilarion a S. Jo. Baptista.

Romanum Missionum Seminarium. Pauli V. in eum benevolentia.

Inde illustres Missionarii.

(1) De his præclarissimis viris vide nostrum P. Philippum in suo *Decore Carmeli*, & Eusebium in Enchiridio suis locis.

Scripta An. 1648.

ci non est recensere: satis est indicasse laudem hanc inter cumulum meritorum P. N. Joannes à Jesu Maria numerari debere, ceu fructum arboris ab agricola plantatæ.

Ejus in missiones sollicitudo.

Sed providentiæ suæ terminos in Europa sistere vetabat ardens amor missionum, & conversionis infidelium cui se ipsum devoverat: Nam P. Fr. Bartholomæum Mariam à S. Franciſco, & P. Fr. Ludovicum Franciſcum à Matre Dei, (1) cum sociis, ad eam vineam colendam emisit, duobus Brevibus à summo Pontifice obtentis munivit, primò, quod ad diem 29. Novembris emanavit, & Fratres in Persia degentes ab omni jurisdi-

A ctione, aut recognitione Visitatorum Apostolicorum exemptos semper fuisse, & esse declarat, confirmatque: altero privilegia, gratiasque Missionariis nostris elargitur 7. Martii MDCXIII. Denique pinguis eleemosynæ subsidio ibidem laborantibus subveniendo, partes omnes adimplevit pii Patris, de filiis ad extremis mundi fines præclaro munere certantibus egregiè soliciti,

CAPUT XXI.

Officio Generalatus expleto, primum in Seminarium S. Pauli Montis Quirinalis, ac deinde Romanis fratribus ultimum valefaciens ad S. Silvestri Tusculanum recedit, anno MDCXIV.

B

An. 1614, V. P. Ferdinandus a S. Maria Generalis eligitur.

DIe IX. Aprilis MDCXIV. Præpositi Generalis officio defunctus successorem habuit R. P. N. Ferdinandum à S. Maria virum religiosi rigoris & prudentiæ laude percelebrem. Mox rebus omnibus valedicens, in solitarium aliquem Conventum abdere se, & in Deum recipere meditabatur. Et primum quidem ad Conventum S. Pauli, apud aquam fœlicem in monte Quirinali, aliquot mensibus recessit, ubi ex iis, quæ Generalis existens ad Congregationis nostræ structuram conceperat, librum exaravit, *Disciplina Monastica* intitulatum: quam super observatione textuum sexdecim Regulæ nostræ primitivæ, digessit exhortationibus octo, & triginta, & Præposito recenter electo dedicavit. Certè solicitus Pater voluit acceptam à prædecessoribus per manus hæreditatem Teresi nam, nobis relinquere illibatam, & quasi ultimo testamento brevibus, sed nervosis rationibus, & ad praxim mira energia trahentibus inculcare.

Librum *de Disciplina Monastica*, scribit.

Sed intimioris solitudinis amore aut potiùs desiderans dissolvi, & esse cum Christo, mox in Conventum S. Silvestri in Tusculano sese recondidit. Nam, & mortem inibi se præstolari debere non obscurè didicerat à Deo: adeo ut quantumvis Romæ plerumque resideret, attamen fidenter, serioque dicere soleret: se ad S. Silvestri Tusculanum, dies ultimos esse clausurum. At verò quanto solitudinis desiderio teneretur, quantumque à consortio abhorreret sæcularium, ut in recessu suæ vocationis Deo perfectiùs adhæreret plurim s per totam vitæ periodum patuit argumentis. Nec solùm dum plerosque de populo, sed dum Ecclesiæ ac sæculi Principes, qui ad ipsum consilii, aut spiritualis directionis gratia frequenter adveniebant, alloqueretur, quantocyus ex charitatis, & officii legibus licebat, revocabat se ad cellæ recondita, nec ad inutiles, vanosque rumores maculabat linguam, aut deflectebat auditum. Plerisque familiarioribus obligationem suæ professionis palam allegabat: At ne inurbanitatis umbra cæteros offenderet, à Fratre post competentem temporis lapsum de urgente, quod revocaret negotio, moneri se jubebat. Quis enarrabit, quanto fervore ad S. Silvestri solitudinem tenderet, quanta solicitudine ab omnibus sese expediret, quanta alacritate properaret ad montem exemplo Christi solus orare? Nec sinebat multum temporis elabi, quin dimissis negotiis, ac multitudine civitatis, Roma excederet, & ad instar onagri liberi, dissolutis vinculis, & impedimentis, eligeret sibi tabernaculum in solitudine, ubi non interpellatus ab hominibus fervidus interpellator apud Deum insisteret. Inter silentes umbras densarum arborum, longior decurrit in rectum semita: non excurrit tamen clausuræ fines: à meridie vinea adjacet, mox Conventus fabrica, ac sylva, & denique montis cacumem, quod ventorum vim refringit, tanto intervallo distant, ut fremitus ille, qui Conventum reverberat, vix percipiatur: à Septentrione corona altissimorum montium cingit speciosissima, quibus impolita cernuntur Lavicanum, Sublacus, Prænestе, Gallicanum, ac Tybur. Interjacet latè patens Latii planities, quam mediam ab Austro in Aquilonem secat via Latina, & ad Orientem terminat Lavicana. Ad occasum desinit in patens theatrum arborum circumstantium, quæ umbrosis cacuminibus solem fugant, æstum temperant, arcent frigus, &

Mortis vaticinium.

Solitudinis ardor.

C

Et sollicitudo.

Et industria.

Saepe ad S. Silvestri recessum fugit.

Nemoris Tusculani semita descripta.

D

(2) Ibid.

Scripta An. 1648.

& ventos: dumque urbis Romæ magnifica edificia, mediterranei maris vada cærulea, alboremque ſpumantia, ſubjectorum camporum varium æquor oſtendunt, non ingratum præbent intuentibus ſpectaculum, nec in modicam ſegetem divinæ laudis animum religioſum inducunt. Sæpe mentem Monachi, qui ſæculo verè valedixit, oblectat cernere,

A

ſub pedibus omnia, quæ jam diximus, denſa fætentique nebula circumducta, ceu oceano quodam ſepulta, ac ſubmerſa; cum tamen Tuſculanum noſtrum aere fruatur puriſſimo. At verò ſemita, de qua loqui cœperamus, omni ex parte obtecta nec vento commovetur, nec frigori patet, aut æſtui, nec admittit ſpecies rerum ad exteriora vocantium. Abditæ huic ſemitæ, ſuo plus facto, quam verbo nomenclaturam dedit P. N. Joannes, ut vulgato nomine ad hæc uſque tempora, *Viale contemplationis* appelletur. Hîc contemplativus noſter, cum liceret, ſeſe recondebat, abſcondebat arboribus corpuſculum, ut mentem immergeret in Deum. Hic abdicatis à ſe omnibus aliis, ardentiſſima ſuſpiria cordis efflabat, gemitus eructabat, effundebat lachrymas, & amaritudinem tentationum ſuarum exonerabat in abyſſum divinæ miſericordiæ. Hîc animæ anguſtias liberis clamoribus exhalabat, & excellentiſſimis virtutum actibus, è profundo ſpiritus, in apertum aerem evibratis dilatabat ſinum mentis; ut divinorum fieret capacior, fœcundiorque. Hîc nonnunquam dilectum ſuum ad divini thalami puriſſimas delicias admittebat cœleſtis animarum ſponſus; ita tamen, ut mox ad propria relaberetur deſolationum certamina.

Viale contemplationis ab eo dicta, & quare?

Sed quid ego ſecreta cœleſtia revelare, ceu potius temerare contendo, quæ nemo novit, niſi qui accipit? qui autem accepit variis in libris Theologiæ myſticæ eructavit? Venerabor potius ſacrum aditum contemplationis, & ne melior Inſtituti noſtri pars in me ſterileſcat, ejus exemplo ad religioſæ ſolitudinis amorem, ſilens memetipſum animabo. Certè viros Principes audivi, viale hoc contemplationis cum humili, ac devota reverentiæ ſignificatione perambulaſſe, ob P. N. Joannis memoriam, ceu oratorium quoddam & conclave divinæ familiaritatis, cum antiquis illis Patribus noſtris, qui ex urbe Roma huc ſe recipiebant, ſpiritum refocillabant, novum lumen, ardoremque ex Dei conſortio concipiebant, quo deinde in ſemetipſis arderent, & lucerent proximis. Plures Religioſi noſtri, non ſine multiplici fructu P. N. Joannis veſtigia terunt, & devotionem inſequuntur: At quoties ego devotum, ſacrumque hoc viale contemplationis ſegnis contemplator intravi; toties contra me voces edere videbatur, & tepiditatem meam exprobrare & ſuaviores aſſuetum reſonare melodias, mecum rauco, trepidoque cantu nolle interſtrepere, niſi quod cœleſtis ſpiritus linum fumigans non extinguit, nec confringit concuſſam arundinem. Cùm verò per reliquam ſylvam ac vineam pluries ab eo tempore, vel putatæ, vel cæſæ fuerint arbores; in viale contemplationis tacita quadam reverentia, in Priorum ſeriem derivata, ferrum diſtringere vetuit: donec id palam poſtulante ramorum opacitate, Superiores tamen ob eandem cauſam conſenſum differre maluerunt: & novum Vicarium, ſeu Præſidentem Conventus horum inſcium, qui ramos quoſdam inciderat pœna mulctarunt, ac Conventu S. Silveſtri privarunt, ea potiſſimum de cauſa, quod in viale contemplationis V. P. N. Joannis injuſſas manus iniicere non formidaſſet.

Ea via praecipua veneratione habita.

Singularem pietatem inſpirat.

Et in eam Superiorum reverentia.

Hunc in locum non incongruè me reſervaſſe arbitror obedientiæ cultum, quo Religioſus noſter intellectum, ac voluntatem, quæ in Profeſſione devoverat, immolavit in holocauſtum ſuaviſſimi odoris Domino. Etenim per totam vitam ſuam, miram in obediendo ſimplicitatem, fidelitatem, promptitudinem, alacritatem oſtendit. Et quamvis officio Definitoris, aut Procuratoris Generalis fungeretur, cœteros tamen hac in laude præibat. Et hîc ad S. Silveſtri in Tuſculano à Priore, quem diſcipulum habuerat in Novitiatu, ipſe Præpoſiti officio nuper defunctus, & Definitoris munere fungens, quoties folio chartæ opus haberet, quoties afflictum animum in ſylva, aut pomaria exhalare, aut ſimilibus etiam minimis indigeret, toties expreſſam licentiam poſtulabat alacri, ſinceroque obedientis animi cultu, vultuque.

Ejus obedientiae cultus.

C

Eiuſdemque insignia exempla.

Contigit, ut pro re quapiam, acicula ipſi fieret neceſſaria, quæ ab alio Frater advertente oblata eſt: at obedientiæ, & paupertatis cultor eximius, comiter diſtulit, & incommoditatem ſuſtinuit, uſque dum à Priore facultatem ea utendi poſſet impetrare. Religioſus ad ipſum alloquendum in cellam venit hora, qua reliqui Fratres à labore feriantur: Ex horto ſecum detulerat cedri folium, & pulſata campanula, cum ad quieſcendum recederet, ſuper menſam dimiſit, ſed obediens noſter, veruſque paupertatis amator, cum ſe ad quietem ſuper lectulo compoſuiſſet, neutiquam eam obtinere potuit, niſi poſtquàm ſtrato exiliens, frondem cella deturbaſſet. Ob infirmitatem ſuper lecto decumbens prandebat, & infirmarius, ne frigus, & humor hyemis tempore moleſtiam exhiberent, aquam noluit in pavimentum dejicere, ſed ſcutellam emundatam per feneſtram effudit. Expalluit P. Fr. Joannes ratus ſe inobedientiæ reum, & precatus eſt fratrem, ne id amplius faceret: *Recordabatur enim, quod ante multos annos id aliquando prohibitum fuiſſet.* Tanta ſubmiſſione, ac reverentia Superiorem alloquebatur; ut liquido appareret ſe in ejus perſona cogitare Chriſtum, cujus gerebat vices: & cum horæ recreationis in communitate præeſſet, quam jucundè ſimul, ac ſpiritualiter, incomparabili gratia fovebat, mox ut Superior advenerat, ſilum diſcurſui interſecans, ejus, aliorumque dictis tacitus, ac venerabundus attendebat, nec niſi interrogatus, aut juſſus verbum ullum proferebat: tunc enim brevi, hilarique reſponſo reddito, rurſus ſe componebat ad audiendum.

D

Ejus in ſuperiores obſequium.

CA-

Scripta An. 1648.

CAPUT XXII.

Ultima infirmitas, & fœlix obitus.

A

An. 1615. Ejus in morbis virtutes.

IN omnibus infirmitatibus, quas exantlavit plurimas, adeoque graves, ut magis miraculo quam naturæ viribus ſubſiſtere videretur, exemplum abſolutiſſimum præbuit patientiæ, reſignationis, gratitudinis, & amoroſiſſimæ præſentiæ in Deum, ſpecialiter tamen in hac, quam ultimam ſemper exiſtimavit, & in qua infirma mortalitas viciniùs præludebat manſuræ ſemper æternitati. Nunquam, neque leviſſimum edidit doloris ſignum ob morborum acerbitatem: aut tædio affectus eſt, ob diuturnitatem: nec impatientiæ notam dedit, ob frequentiam: aut inquietudinis, ob commoditatum penuriam: aut excandeſcentiæ, ob miniſtrorum moram: verùm hæc omnia non ſolum libenter arripuit, ſed nimium blandè, lautèque ſecum agi reputabat, & nimia ſolicitudine miniſtrari; unde jucundo vultu, angelicaque compoſitione exhilarabat ſimul, & compungebat animos omnium, quotquot aſſiſterent. Hinc procedebat eximia gratitudo, qua laborem, obſequiumque impenſum ſinceris animi ſenſibus recognoſcebat, exponebat, & quoties poterat, obſequio mutuo obligationem profiteri, & vicem reddere ſatagebat.

Patientia, & aequanimitas.

Gratitudo.

B

Spes, ac deſiderium beatitudinis.

Quamvis eum Deus in ſenſibiliſſima Electorum parte exerceret, & circa ſuæ prædeſtinationis arcanum graviſſimis urgeret anxietatibus: attamen nullius ſibi conſcia mens, & in fundo animæ latens ſecuritas, ſpem certam conceperat penetrandi tandem uſque ad interiora velaminis. Ideo parietem amantibus obſtare, incolatum prolongari ingemiſcebat, cupiens quantocyùs carnis mole diſſolvi, & jungi Chriſto. Hæc cordis ſui vota in voces erumpebat, cum ſolus eſſet, aut in ſylva, aut in ſtrato infirmitatis, quæ ſi fortè furtiva quis aure ſuſciperet, præ teneritudine compunctionis in lachrymas reſolvebatur. Conceperat æternam beatitudinem, ceu pelagus infinitum aquarum viventium, in quas electi Dei, depoſito mortalitatis ſpolio, ſubmerguntur: cujus ut ſpeciem vivaciùs renovaret, ſæpeſæpius ciſternas, dimiſſa bolide jubebat experiri, cæleſti gaudio ſeſe impleri ſentiens, cùm renunciaretur ingentem aquarum copiam ſuppetere: mox enim ad perennis vitæ fontem aridam erigebat mentem, & clauſtra carnis diſſolvi avidè poſtulabat, ut animam ſuam, ceu guttam roris antelucani, in Oceanum divinitatis deperdens, fœliciùs inveniret, in æternum Deo conſecratam.

Suſpiria.

Aeternae felicitatis figura ab eo deſcripta.

Divini amoris exercitia varia excogitata.

Interim cùm in hoc à cariſſima patria exilio, fas non ſit amoris impetum ſatiari nec continua Amati præſentia ſtabiliri, ſed hoc reſervatum ſit privilegiis gloriæ triumphalis; reperit ingenioſus amor R. P. N. Joannis à Jesu Maria modos, & ſigna, quibus eum alliceret fortiter, & ſuaviter alligaret. Hos, Fratres ſuos edocebat, & ipſe unum præ cæteris in morem induxerat, ac familiariter obſervabat, quod exercitium appellabat reſpirationis, & inſpirationis. (1) Deum conſtituebat menſæ accumbentem, ſeque ex obſequio ſervitutis Divinæ Majeſtati miniſtrare fercula numero quinque. In primo continebantur divitiæ: puta, lapides precioſi, gemmæ, copia auri, redditus, dominia, principatus. Quæ omnia ſincero affectu offerebat, diſtributurus re ipſa, ſi ea poſſideret, pauperibus, & operibus piis inſumpturus propter honorem & amorem Dei, uſque dum in extremam paupertatem redacto, nullum aliud remaneret fiduciæ terrenæ capitale, niſi Dei providentia, & hominum piorum eleemoſyna. Secundum ferculum detractionibus, opprobriis, contumeliis, infamiis erat refertum. Tertium: morbi, dolores, incommoditates, pœnæ, tormenta, mortes, martyria cumulabant: ad quorum duorum ferculorum dapes pro dilecti amore devorandas, animum ferebat avidum, ac paratum, electionem offerebat Deo. Quartum: animas omnes continebat æternæ beatitudinis capaces, quibus ad fidei veritatem & gratiam, ab infidelitate aut peccato convertendis, aut ad majorem fervorem excitandis, ſemetipſum operamque ſuam conſtanter Deo dedicabat. In ultimo ferculo collegerat ſanctiſſimum humanitatis Chriſti Cor, ac Beatiſſimæ Virginis, omniumque eorum, qui ſive in Cœlis, ſive in terris dulciſſima dilectione feruntur erga Deum, eiſque cor ſuum vinculo charitatis imponens, ac uniens penitiſſimo dolore contritionis, & immenſo exuberabat incendio charitatis. Hæc, non ob inde reſultans gloriæ emolumentum, quamvis honeſtiſſimum; ſed ob ſolum divini palati guſtum, ac ſupremæ voluntatis beneplacitum principali intentione puriſſimè miniſtrabat.

C

Reſpirationis, & inſpirationis exercitium quale dictum?

Rerum temporalium abdicatio.

Patiendi ſtudium.

Salutis animarum zelus. Amor Chriſti, ac B. V. M.

Intentionis puritas.

D

At verò eadem quinque fercula ſimul cum omnibus cogitationibus, verbis, & operibus quatuor titulis debita, ceu tributa pendebat ſummo Imperatori. Primo, titulo gratitudinis, ob innumera & præſtantiſſima beneficia, tum ordinis naturæ, tum gratiæ hoſtiam ferebat laudis pro gratiarum actione. Secundò, propter debitum, quod peccando incurri-

Grati animi titulus in Deum.

Poenitentiae titulus.

[1] Exſtabat in ſecundo Operum Tomo veteris editionis ad finem Libri de Arte amandi Deum, pag. 746. & ſeqq. ſub hoc titulo: *Exercitium de reſpiratione, & inſpiratione*. Nos ſuo loco illud dabimus.

Scripta An. 1648.

itur, & pœnitentiæ operibus ex Salvatoris gratia dissolvitur, offerebat in satisfactionem offenso Numini, sive in hostiam pro peccato. Tertio, ad bonorum omnium Principium, & Finem debito suo recurrebat ferculorum oblatione creatura, ut naturalibus, & gratuitis donis, quam eduxerat è nihilo, stabiliret, perficeret in bono, & stabilem perseverantiam, æternæ gloriæ fine consummaret: immolabatque Factori, ac Salvatori suo hostiam pacificam ex voto, pro auxiliis efficacibus divinæ gratiæ, & præmio æternæ vitæ. Quarto, propter immensæ Majestatis bonitatem, ac pulchritudinem sublimiori jure divinæ charitatis, semetipsum totum in ferculis consecrabat, & nihil sibi reservans, integram sua cum radice arborem, animam & corpus, vires ac facultates omnes in holocaustum purissimi amoris incendebat. Quibus præclarè dispositis, & crebra meditatione in facilem usum adductis cum suavissimo animarum sponso, cuncta nostra summa pietate spectante, pactum inierat, ut quemadmodum ille verborum nostrorum ambagibus non indiget, sed ei cor nostrum patet: & velut amantes sæculi signis, nutibusque respondent; ita dignaretur signum acceptare, ut quoties efflaret aerem, ipsa respiratio indicium esset ex condicto, quo omnia jam dicta fercula, hostiasque in meditatione præparatas, ac dispositas acceptare vellet, & quoties aerem attraheret, ipse inspirationis actus signum foret cordialissimi affectus, quo cordi suo astringeret, uniretque Jesum, & Mariam, ac electissima Sanctorum corda, cum infinito thesauro amoris, ac meritorum, eademque sancta vicissitudine, respirando redderet in quinto ferculo. Hoc exercitium breviter hic delibare operæ pretium existimavi; tum ut Lector, Joannis nostri genium agnoscat, tum quia hac potissimùm praxi, ad miram pervenit in præsentia Dei stabilitatem, sic ut Superiori conscientiæ rationem reddens, fateretur, nunquam se ad horæ quadrantem, rebus etiam gravissimis intentum ita occupari, quin expresso Dei memoriam actu renovaret.

In principium, & finem omnium obsequium. Pariissima in Deum charitas.

A

Ejus exercitii applicatio.

In Dei præsentia quam assiduus?

B

Cùm ergò mortis suæ diem, jam ante discessum à Romano Seminario, non obscurè didicisset; cum in S. Silvestri solitudine clariùs eundem percepisset: etenim Fr. Joanni Hieronymo prænunciavit, suis eum in funeralibus Thuriferarii munus obiturum, quemadmodum reipsa contigit, non electione Fratris, sed ex officii debito, quod ei in communi tabula sabbato præcedenti fuerat assignatum: cùm deinde Medici, præsens periculum indicarent, cœlo jam se proximiorem esse sentiens, & sponsum, quem semper præsentem optaverat, nunc vinculis carnis sese dissolventibus, propè sibi ratus astare, affectuum brachia protendebat, eò avidiùs, suaviusque, quo vocantem propiùs audire sibi videbatur.

Mortis vaticinium repetitum.

Morti proximus V. P. F. Dominicum a Jesu Maria poscunt.

Optavit in ultimo mortalitatis agone adjutorem habere R. P. Fr. Dominicum à Jesu Maria, suum in Religione fratrem, in religionis zelo, & pietatis studio conjunctissimum cujus spiritum multis experimentis subiecerat, & approbaverat. Accurrit ergo Roma ad suum dilectissimum Patrem in extremis laborantem, suaque præsentia mirum in modum est consolatus: nam moribundo continuus assistens, charitatis officium explevit, ardentissimo fervore divinæ charitatis accendit, virtutum omnium præclarissimis actibus præivit; donec susceptis tenerrimo devotionis sensu exeuntium Sacramentis, puram animam effudit in sinum Christi triumphatoris nostri, ipsa Ascensionis ejus festivissima luce 28. Maii. MDCXV.

Sacramentis reficitur. Obit.

P. Fr. Dominicus corpusculum humo tradidit, celebratis exequiis, oblatoque sacrosancti Corporis & Sanguinis Christi sacrificio, Congregationis nostræ optimo Patri, ac Magistro piè parentavit, mœstitiam ac lachrymas Fratrum devota virtutum ejus commemoratione detersit.

Sepelitur.

C

Mox defuncti animam Sanctorum splendoribus ornatam sibi apparuisse testatus est, & de æterna gloriæ fruitione lætum nuntium attulisse. Alias deinde sæpius cum Patre nostro Dominico familiariter conversatus, & cum eo canonicas horas recitasse fertur. Quædam etiam monialis Ordinis nostri in Polonia, cum gravibus angeretur afflictionibus animi & in desperationis barathrum urgerent interiores angustiæ, recordata est earum, quas passus fuerat P. noster Joannes à Jesu Maria, & se illi devotis suspiriis commendavit. Mox visa sibi Venerabilem hunc videre Patrem Sanctorum gloria conspicuum, à quo mirum in modum consolata est, & à gravissima tentatione permasit immunis. Celebre est, quod subjungo: nam quidam Religiosus noster magnus Dei servus, cum in Oratorio Novitiorum attentius orationi vacaret, vidit in excessu mentis altare pulcherrimum, & eidem imposita in cumulum ferta, corollas aureolas, diademata, coronas variis ex floribus auro, gemmis, lapidibus preciosis intextas. Astabat ad lævam V. P. N. Joannes sua modestia, gravitate exornatus, cœlesti splendore circumdatus, manum dexteram extendebat in protectionis signum, & interim vox de Cælo delapsa internis auribus insonuit: *Hic est qui custodit coronas Novitiorum.*

V. P. F. Dominico sæpius adparet gloria ornatus. Et sanctimoniali.

Insignis alia adparitio

D

CA-

Scripta An. 1643.

CAPUT XXIII.

A

De incorrupti corporis prodigio.

Ann. 1617. BIennio postquàm purissimum animæ sacrarium sub terra delituerat loco umido, & ex vicino monte stillantibus guttis obnoxio, quadam urgente causa sepulchrum apertum est, & corpusculum Venerandi Patris apparuit obsitum muco, putredine obductum: Attamen detractis vestibus, quas marcor exederat, eductum, emundatumque repertum est incorruptum, integrum, vividum, astantibus omnibus in lachrymas præ devotione colliquentibus, & Deum collaudantibus, qui est immarcescibilis decor Sanctorum omnium. Quod cùm intellexisset P. Noster Dominicus à Jesu Maria Præpositus Generalis, in Tusculanum sese transtulit, Deum in mirabilibus suis glorificavit, & in sarcophagum decenter ex ligno elaboratum ad latus Oratorii collocavit. Illud ego post viginti, & amplius annos ab obitu decursos, conditorio ob fabricæ renovationem extractum habui meæ curæ, fideique commissum à R. P. Fratre Philippo à S. Catherina Priore dignissimo, ita ut fas mihi fuerit purissimæ animæ prodigiosum receptaculum, liberiùs, devotiusque demirari. Integritati corporis, & carnis, nihil deest: nisi quod articulum unum minimi digiti pedis, inquiunt, devotum virum, osculantis in speciem emorduisse dentibus: (1) & nasi, ac labiorum extremitates ab eo defloratæ sunt, qui faciei figuram, ac lineamenta ad vivum super emortuo voluit excipere. Unde apparet mira vultus vivacitas, & venustas. Color non niger, aut fuscus, sed ex albo, flavo, rubeoque permixtus, qualis solet esse dactylorum qui desiccati ex Oriente deferuntur in Europam. Caro, cutisque non in modum corii indurata; non ad instar tympani resonans, ut in phtisicorum cadaveribus aliquando notavi: sed mollis, & succulenta digito compressa cedit, & suopte genio revertitur in locum pristinum. Pectus, quod adhuc viventi luridum apparebat, & putredini proximum, carnosa planitie, duabus hinc inde mammillis decenter exurgit. Venter ad proportionem turgidus tactu, latentium viscerum indicat incorruptionem. Tibiæ dextræ latus extimum, eò rubicundiùs, & vivaciùs emicat, quò plures incisiones tulit, & acerbiores cruciatus viventi intulit. Nulla sentitur fragrantia, sed nec odor ullus cadaverosus. Exigua est statura, sed ad staturæ, ac corpulentiæ proportionem plumeam quasi levitatem admiratus fui, adeo ut cælestem etiam hanc dotem æmulari videatur. Spoliatur, vestiturque facile, & admota manu stat decentissime: ipsamque modestiam, gravitatem, pietatem, quam spirabat vivus, etiam exhibet mortuus, animatque nos ad carnem spiritui subjugandam, ut ipsa in æternitatis spe requiescere, & tandem reflorere valeat in Deum vivum.

V. P. N. Dominicus a Jesu Maria Gen. ejus corpus invisit.

Iterum è loco pristino post an. XX. extrahitur, & visitur.

Corporis integritas describitur.

B

Nulla arte præparatum & ab putredine cautum

Non sum in hoc Capite præfatus V. P. Nostri corpus non fuisse balsamo, aut aromatibus conditum, aut arte humana conquisitis remediis putrefactioni subtractum. Nec enim talia apud nos usurpari solent, nec de facto sunt usu pata, sed odoratissimum incorruptionis balsamum, ipse sibi virtutum exercitio comparavit: præsertim dum salem tribulationis ossibus infricuit, & pœnitentiæ absynthium ad medullam usque carnis, & spiritus evacuato crucis calice incorporavit. Sed de hac, aliisque religiosissimi Patris virtutibus non est necesse recolligere, quæ ordine suo dispertivimus: solùm adjungo elogium breve, quod Tusculani Fratres optimo Patri posuerunt.

C

Elogium a PP. Tusculanis illi positum.

„ P. Fr. Joannes à Jesu Maria Calaguritanus, una cum sex gravissimis Patribus
„ Italicæ Congregationis fundamenta jecit: quorum ipse primus in Italiam venit. Quan-
„ tus, & quam magnus vir extiterit, eximiæ virtutes testatum abunde reliquerunt. Elu-
„ cebat in eo singularis quædam clementia, & animi lenitas, internæ pietatis argumen-
„ tum, qua primo congressu omnium corda demulcens, omnium sibi conciliabat amo-
„ rem. Lenitatem tanta gravitas, ac modestia sic temperabat, ut taciti, ac demissi oculi,
„ vultusque nescio quid arcanum, mysticumque præferrent, & gravissimos viros le-
„ vitatis, aut incompositionis alicujus sibi conscios, secreta quadam auctoritate corrigeret.
„ Ingenii raritate, dicendique arte excelluit: Plurimos libros tanta eruditione, tan-
„ toque spiritus vigore composuit, ut non minus ob subtilitatis acumen cælestes, Ange-
„ licique, quam ob caritatis incendium (quod ab Auctoris ardore in legentium ani-
„ mos efflant) Seraphici, planeque Divini nuncupari mereantur.
„ Prudentia fuit admirabili, quam tunc præsertim ostendit, cum variis licet mor-
D „ bis obsessus, sanctè, & laudabiliter gubernacula Congregationis, primariis in mune-
„ ribus administravit.
„ Minimarum rerum observantiam tam exactè coluit: ut exempli gratia, cum Præ-
„ positi Generalis officium gereret, indicto silentii tempore, si quæ monenda essent,
„ explicare scripto vir gravis non erubesceret.

„ Pa-

(1) V. infra in altera nostra Adnotatione ex Theophyli Raynaudi testimonio.

Scripta An. 1648. „ Patientiæ laude nemini ſecundus, graviſſimarum infirmitatum, & quod amarius eſt internarum deſolationum cruciatus morte & inferno duriores, æquo adeo, ac invicto ferebat animo, ut ne leviſſimum quidem tanti doloris indicium ipſius familiares
A „ deprehenderent. Tantumque abeſt, ut inter tot anguſtias fractus animo deſponderet: quin etiam adderet dolorem dolori, & corpuſculum pœnè morbis exhauſtum ſuis, aliorumque ad id accitorum flagellis acerbè conficeret. Caſtitatem, internamque puritatem enixè coluit, mulierum colloquia ſemper exhorruit, culparum leviſſimarum maculas, quotidie celebraturus expiavit. Humilitatis ſupra modum ſtudioſiſſimus, Cardinalium, Prælatorumque congreſſus, tam moleſto ferebat animo, ut ab iis quam breviſſimè, ſalva tamen humanitate, ſeſe expediret. Petiit multoties Donatorum numero adſcribi, quod cum aſſequi minimè potuiſſet, ſæpius in ipſa Præpoſiti Generalis dignitate conſtitutus Donati cujuſdam cellam ingreſſus, ſquallidum ſordibus pavimentum non minori affectu, animique teneritudine, quàm Chriſti veſtigia lingebat. Nihil ei gratius erat montis Tuſculani ſolitudine, cujus ſecretiores, ac profundiores nemorum receſſus
B „ frequenter obambulans, totus in rerum æternarum ſpectacula directus, defixis in Cælum oculis diuturniorem corporis carcerem, gravemque nimis viſionis beatificæ dilationem elatis vocibus, crebriſque ſuſpiriis inclamabat. Tandem votorum compos, quinto Kalend. Junii, eo ipſo die, quo Chriſtus Salvator, victor penetravit in Cælos, cum ipſo, & electis ejus in æternum regnaturus in pace quievit MDCXV. Ejus corpus poſt biennium, nunc verò poſt ſeptennium veſtibus tabe conſumptis adeo incorruptum perſeverat, ut non ſolum viſcera, ſed etiam pectuſculum, quod eo adhuc ſuperſtite veluti ſanie redundas, luridum, ac ſubviride ne dicam corruptione jam ferè reſolutum apparebat, integritate, ac ſoliditate reliquis membris nullo modo cedat, Deo ita diſponente, qui in electis ſuis admirabilis incorrupti eorum ſpiritus, ex incorrupto corpore præclarum Eccleſiæ ſuæ reliquit argumentum. (1)

C

CAPUT XXIV.

Catalogus Librorum, Et Opuſculorum. (2)

D Libri, & Opuſcula P. N. Joannis à Jeſu Maria ipſo vivente ſingula fere fuerunt diverſis temporibus evulgata. Quorum catalogum hic ſubiicio. *Cantici canticorum interpretatio* Ptolemæo Cardinali Comenſi inſcripta. Romæ apud Stephanum Paulinum MDCI. *Inſtructio Novitiorum*, dedicata R. Admodum P. N. Petro à Matre Dei, Romæ apud Carolum Vulliettam MDCV, quam deinde P. N. Dominicus à Jeſu Maria in Italicum ſermonem ab uno ex noſtris Patribus traductam, edi curavit Romæ. MDCXII. *Inſtructio Magiſtri Novitiorum* Congregationi S. Eliæ fratrum Diſcalc. Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo dedicata. Neapoli ex Typographia Tarquinii Longi MDCVIII. in octavo. Liber de *Prudentia Juſtorum* è verbis Sacræ Scripturæ, magna ex parte contextus. Pacifico Regi cordium Jeſu Chriſto conſecratus. Neapoli Typis Tarquinii Longi MDCVII. in octavo. *Stimulus compunctionis*, ſimiliter ex verbis Sacræ Scripturæ concinnatus. *Lamentationum Jeremiæ Prophetæ interpretatio*; In tres paraphraſes: hiſtoricam

†††††

ſci-

(1) His addere placet aliorum, qui ſubcedentibus temporibus ad nos uſque venerandum illud corpus intulerunt, teſtimonia. Primus adcedat P. Theophylus Raynaudus Soc. Jeſu, qui *Tract. de Inſcriptione Cadaverum t. 13. Operum, edit. Lugd. p. 64.* de hac incorruptione ſic habet. Ejus corpus [V. P. Johannis „ a Jeſu Maria) hodieque poſt tot annos, integrum, „ planeque incorruptum viſitur; ipſeque nuper cum „ eò conceſſiſſem, uſurpavi oculis quod refero, & „ manibus attrectavi non abſque ſenſu ſingulari pietatis, ex tanto divinae gratiae, ac potentiae ſpecimine, quod micat luculenter in ungue unius pedis. „ Eum unguem Nobilis Veliterranus, cùm optimi Patris corpus videre conceſſum eſſet, vulſit „ ſibi, & linteo involutum domum tranſportavit. At „ domi explicato linteo abeſſe unguem mœſtus deprehendit. Reverſus poſtea ad Cœnobium S. Silveſtri, „ quem vulſerat unguem, pedi denuo conſertum „ ſtupens vidit, conteſtatus hoc vere eſſe, ex ungue leonem cognoſcere. „ Per idem tempus noſter P. Philippus a SS. Trinitate, *Decor. Carmeli 3. part. pag.* 9. in ejus Vita de hac mirabili integritate agens, poſtquam illam affabre, & exacte deſcripſerat, ſic narrationem claudit: „ totum corpus, etſi carne plenum, leviſſimum tamen eſt & tractabile, facile „ namque induitur, & exuitur, ſtatque admota manu. „ Ter ipſum vidi, & ultima vice a quatuor tantum „ diebus, 19. ſcilicet menſis Aprilis anno 1660. quadrageſimo quinto poſt pretioſam eius mortem. „ Idem teſtatur P. Martialis a S. Johanne Baptiſta, in ſua *Bibliotheca Scriptorum Ord. N.* quam ſcribebat an. 1729. Nam poſt recitata ferme ipſiſſima Philippi verba, ſic ait: *Sic uſque in præſentem diem perſeverare, omnes conſpicere poſſunt.* Euſebius tandem ab omnibus Sanctis, in ſuo *Enchiridio Chronol.* ſic ejus elogium claudit, ad an. 1615. „ Illius corpus, ante „ mortem fere tabeſcens, poſt biennium effoſſum ex „ humido loco, repertum fuit incorruptum, ac tractabile, & poſt plurimos annos, eandem integritatem „ ſervat adhuc, ad dactili colorem, niſi quod facies „ ante ſepulturam gypſo indiſcrete ſuperfuſo ad eam „ exprimendam, aliquantulum corroſa remanſit. Nunc „ autem in Arca lignea ſigillis clauſa, per Viſitatorem „ Apoſtolicum, non indiligenter ſervatur, ad latus „ Chori, excitatque viſentes ad Dei laudationem, „ & auxilium ejus prece in neceſſitatibus imploran- „ dum. „ Scribebat autem P. Euſebius an. 1736. Nos vero hoc ipſo anno 1771. quo haec adiicimus, certiſſimis relationibus ſcimus eodem in ſtatu omnino perdurare.

(2) Exactiorem vero habebis in poſtremo hujus noſtræ editionis tomo, una cum veteri conlatum. Quae autem animadverſione digna erunt, ſingulis Tractationibus, & Opuſculis a nobis praenotabuntur.

Scripta An. 1648.

A

B

C

D

ſcilicet allegoricam; & tropologicam diſcreta, cui ſubiicitur tropologici ſenſus expenſio. Dominico Epiſcopo Card. Pinello Ordinis Protectori nuncupata. Neapoli ex Typographia Tarquinii Longi MDCVIII. in octavo. *Interpretationes in Pſal.* 136. 83. 41. *Compendium vitæ* B. V. Tereſiæ à Jeſu, Fundatricis fratrum Diſcalceatorum, & Monalium B. V. Mariæ *de Monte Carmelo*. Ad Sanctiſſimum Paulum Quintum. Romæ apud Stephanum Paulinum MDCIX. in quarto. *Schola Orationis, Contemplationis, Mortificationis, Paſſionum, & aliarum materiarium principalium in doctrina ſpirituali*. Fratribus, ac Monialibus ſuæ Congregationis Italico idiomate. Romæ an. MDCXI. & MDCXXIX. *Paraphraſis in librum Job*, cui ſubiicitur brevis expoſitio litteralis, vel tropologica, vel mixta. Ad Illuſtriſs. Card. Montaltum. Romæ ex Typographia Gulielmi Facciotti MDCXI. in quarto. *Liber de bono uſu Curiæ*, compendio ſcriptus. Jo. Garſiæ Card. Mellino dicatus. Romæ apud Jacobum Maſcardum MDCXII. in 12. *Liber de bono uſu, contemptuque honorum, divitiarum, ac voluptatum* compendio ſcriptus, Invictiſſimo Romanorum Imperatori Matthiæ ſemper Auguſto. Romæ apud Jacobum Maſcardum MDCXIII. *Stimulus Secundus compunctionis*, in quo proponuntur motiva præcipua, magiſque efficacia ad eliciendam peccatorum contritionem; Italico ſermone. Ad Chriſtianiſſimam Reginam Galliarum Regentem Mariam Mediceam. *Liber de ſtudio pacis* compendio ſcriptus Odoardo Farneſio dedicatus. Romæ apud Jacobum Maſcardum. MDCXIII. *Ars gubernandi*, compendio ſcripta Card. Burgheſio. Romæ apud Jacob. Maſcardum. MDCXIII. *Tractatus de amore cultuque Reginæ Cœli*, compendio ſcriptus. Ad Sanctiſſimum Paulum Quintum P. M. Romæ Typis Iac Maſcardi MDCXV. *Diſciplina monaſtica* exortationibus digeſta in Regulam primitivam Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ *de monte Carmelo*; P. Fr. Ferdinando à Sancta Maria Præpoſito Generali nuncupata. Romæ apud Iac. Maſcardum MDCXV. *Ars concionandi* compendio ſcripta. Roberto Bellarmino Card. dicat. Romæ apud Jacobum Maſcardum MDCX. *Diſciplina Clauſtralis. Ars amandi Deum* idiomate Italico. *De cuſtodia Legum. Inſtructio Principum. Theologia myſtica. Schola Jeſu Chriſti. Epiſtola Chriſti ad hominem. De bona educatione pueritiæ. Ars vivendi ſpiritualiter. Ars bene moriendi. Epiſtolæ diverſæ, & Hymni ſpirituales*. Quæ omnia ſermone Latino Coloniæ Agrippinæ denuo recuſa ſunt tribus voluminibus in folio. Præterea ab eodem elucubrata ſunt quædam hactenus inedita. (1) *Compendium Rhetoricæ. Ars amandi Deum altera*, Latino ſermone conſcripta. *Via Vitæ.* Liber de *Regimine Monaſtico. Expoſitio in Symbolum. Compendium vitæ P. N. Petri à Matre Dei, Orationes tredecim in Natali B. Tereſiæ. Orationes in laudem S. Thomæ Aquinatis. De Miſſionibus tractatus quatuor, Phyſiologia interioris hominis. Profeſſio fidei. Praxis de amoris delectu, Exercitium præparatorium ad natalem Domini. Affectus varii SS. Virg. Mariæ erga filium ſuum. Epiſtolæ Anagogicæ. Epiſtolæ Paræneticæ. De Oratione Tractatus. Exercitium ad obtinendam perfectionem. Poemata ſacra. Tractatus de Sacramentis, De ſcientia Dei, Silva locorum communium. Epitome concionum. Et alia quædam.*

PERORATIO AUTHORIS ET PROTESTATIO.

HUcuſque Virtutes R P. N. Fr Joannis à Jeſu Maria, ceu Ideam quandam Carmeli primitivi à S. Tereſia renovati, delineavi: quæ vero obiter interſerui, de revelationibus, aut gratiis à Deo factis, non ſic accipi volo, quaſi diſcuſſa fuerint, aut Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmata, aut etiam inferiorum Prælatorum laudata calculo: neque alicujus Sanctitatem, aut famam, ego per mea ſcripta revereri vel publicare, vel ullo modo beatificationi, aut celebritati præludere, vel opitulari contendo: Sed omnia S. R. E. ac Prælatorum judicio, decretiſque ſubmittens, in iis terminis, ſtatuque relinquo, in quibus ante hunc meum laborem reperiebantur.

FINIS.

[1] Nunc vero partim edita in ſuperiori Colonienſi Collectione, reliqua vero a nobis heic edenda.

ELO-

ELOGIA, ET COMMENDATIONES VIRORUM CLARISSIMORUM,

MAXIME EXTRA ORDINEM IN VEN. SCRIPTOREM CONLATA.

AD VENERABILIS PATRIS

JOHANNIS A JESU-MARIA

LAUDEM

REVERENDISSIMI ET EXIMII DOMINI CARAMUELIS, S. TH. DOCTORIS, MONSERRATENSIUM ET DISENBERGENSIUM ABBATIS, CÆSARIS CONSILIARII, CONCIONATORIS &C. REGIS BOHEMIÆ PERPETUI SACELLANI &C. DENOMINATI MISIÆ EPISCOPI &C.

PANEGYRIS,

UT IN VETERI HORUM OPERUM EDITIONE EXSTABAT.

Gratia non perdit naturam, sed reficit. Roma orbis caput.

„ NAturam, Lector Candide, sequitur gratia; data cælitus, non ut illam enervet, aut destruat, sed potiùs, ut evehat, & exornet; corpus animæ; non ut vivat illa, vel sentiat, sed ut vivificet, & sensibile reddat. Hæc dixerim; dum enim manu calamum, habeo ob oculos Romam, in quâ Politica & Ecclesiastica, corporea & spiritualia, nexu intimo devincta sunt. Quà Politica antiquissima hæc urbs caput est orbis, quà spiritualis, Ecclesiæ: & quia in ejus corpore nihil deest quod ad pulchritudinem & ornatum conduceret, voluit Deus illud animari ab Ecclesiâ: unde si urbis Romanæ termini carent termino, & Ecclesia est hujus immensæ molis spiritus,

Ecclesia Romæ forma.

Romani Imperii terras camposque liquentes
Spiritus intus alit magno se corpore miscens.

„ & tam eximiâ proportione, ut, sicut invisibilia Dei à creaturâ hujus mundi per visibilia, sic invisibilem Romanæ Ecclesiæ gloriam, per visibilem Imperii Romani Majestatem ornatumque, quasi per vestigia indagamus: nam si Roma habet colles, Palatia, Statuas, Arcus, & alia ornamenta corporea, habet illa, montes, Arces, Colossos, Pyramides, & alia ornamenta Ecclesiastica: & si illa sunt in ordine materialium prodigia, ista sunt in ordine nobiliori miracula. Et quia cum hæc concipio, mihi placeo hærendi in jucundo conceptu, aut arrogabo copiam, aut facultatem impetrabo. Agimus hodie diem sextum Calendas Februarias, quo videlicet Calagurii in citeriore Hispaniâ Venerabilis Jonnes mundo nascitur: & quia speciali devotione succendor; tibi Roma congratulor, & sic discurro.

Materialia & immaterialia ornamenta.

Joannis nostri nativitas.

Carmelus Romanæ Ecclesiæ mons. Elias & Eliseus arces. Theresia Colossus.

„ Si delineare volo montes, quibus muniris, & ornaris, occurrit primo loco Carmelus antiquissimus vertex, à quo regularia fluenta, quæ varias hodie Religiones instituunt habuisse videntur exordium. Si arces; succurrit Elias, succurrit Eliseus, veteris Ecclesiæ palatia, cujus hodie successores & filii, Ecclesiæ militantis sunt arces. Si Colossos, occurrit mea Theresia (meam voco; quoniam juxta ascetici iuris Digesta, verus titulus possessionis est amor) & quidem inter Gygantes plurimos, quos Carmelus progenuit, verè fuit colossus ista virgo; tanto elatior Gygantibus, quanto illi erectiores pygmæis. Fuit Colossus antiquus ille quo superbiebat Rhodus, Charetis summi artificis opus, solis imago, æreus thesaurus, qui tandem terræ motu corruit. Et Theresiæ sanctitas fuit Colossæa, Divinæ charitatis opus, solis Justitiæ, Christi Dei nostri viva imago, non jam æris imperfecti metalli, sed auri cœlestis flavissa: quæ in morte (terræ motus hæc est, nam corpus terra) non corruit, sed sublimius ascendit; &

Christus Sol Piramides cœlum inspiciunt.

„ quo? locum & viam nobis monſtrant pyramides, quas Religio Carmelitana Romæ
„ erexit. Alii celebrent alias, ego unicum & ſolum Joannem celebrandum aſſumo.

Joannes *pyramis*.

„ Sed quid pyramis? moles maxima; ita ſtructa, ut è lato in acutum tendat, in
„ formam flammæ: quæ imâ ſui parte latior, ſeſe inacuminatum faſtigium ſubrigit, in
Definitio pyramidis
„ punctum deſinit. Ecce, Joannem, Carmelitani orbis miraculum, vivaciſſimo colore
Joannes *qualis*;
„ expreſſi, Moles maxima fuit, gygantæa laurus, Coloſſæa pyramis, Thereſiâ unicâ
„ minor „ cæteris vel ſuppar, vel major. Lego ejus vitam; eximiam, generoſam, hero-
„ icam; & totus, ut video, quantus eſt, è lato, in acutum tendit, in formam flam-
Joannis *nativitas*.
„ mæ. Naſcitur in citeriori Hiſpania, Calagurii nimirum, ſub Januarii exitum, Calen-
„ das ſexto, & in ſingulis divinam ego providentiam admiror, & circumſtantias ſuf-
„ fultas Sacramentis veneror. Locum & diem ſuſpicio, dignos tanto Natali. *Duoſque*
Martialis *lib. 1. ad Lucianum.*
„ *Seneças*, *unicumque Lucanum*, *facunda celebret Corduba*, alios aliæ civitates Iberæ: at
„ Dominicum & Joannem Calagurium, nempe Dominicum Guſmanniæ gentis gloriam
Eodem anno naſcitur S. Dominicus, quo S. Thomas Cantuarienſis occiditur, videlicet 1170. *Baronius* t. 12. lib 1. *& Gravina Catholicarum præſcriptionum* t. 4. par. 1. fol. 2.
„ Prædicatorii Ordinis inſtitutorem, natum occumbente Thomâ Cantuarienſi Archiepi-
„ ſcopo, ut cognoſceret mundus, Martyrum fertiliſſimo ſanguine Lauretum Eccleſiæ Ro-
„ manæ fæcundari. Nempe etiam Joannem, nobiliſſimarum Familiarum illuſtriſſimam ſo-
„ bolem, ordinis Carmelitani Generalem; natum fæliciſſimo die, qui Chryſoſtomo ſa-
„ cer. Ecce, ſi locum, ſi diem, ſi omnia tandem conſideres, latitudinem & Majeſta-
„ tem. At Joannes Pyramidi ſimilis incepit creſcere, & ſe à terris ſubrigere, ſapien-
„ tiâ, & gratiâ apud Deum & homines ſemetipſum exinanivit, nobilitatemque avitam,
„ fumoſa ſtemmata, & domus paternæ divitias, & delitias contemnens, in acutum ten-
„ dens, Carmelitanæ Religioni (acies ipſa in Eccleſia militante fortiſſima) nomen dedit,
„ ut per anguſtam viam flammæ inſtar in cælum tenderet, cui ab igne nomen. Dum
„ viveret, corpore carere non potuit, at quia hæc ſpiritualis pyramis indies vivebat
„ altiùs, altiuſque, corpus exuere videbatur per partes, & ſuo finem, cum venit ad
„ virtutum faſtigium, in atomum, aut punctum deſinere: ut doceret exemplo, fruſtra
Eodem urbe Joannes *qua olim* S. Dominicus.
„ hodie multos, in cælum & gloriam ſuſpicere, qui corpoream concupiſcentiæ mo-
„ lem, quam exinanire totam nequeunt, nolunt vigiliis, jejuniis, diſciplinis, ciliciis
„ (inſtrumenta aſceticæ officinæ teſte D. Benedicto iſta ſunt) elimare, dedolare, at-
Empireo πῦρ hoc eſt, ignis nomen dedit.
„ tenuare,

„ Duriſſimus concupiſcentia lapis eſt, at quia adamas teritur adamante, rerum ter-
„ reſtrium amor, amore divinarum atteritur; imò & conteritur (ab attritione enim
Quam neceſſaria ſit vitæ auſteritas & corporis mortificatio.
„ multum diſtat contritio) & in pulveres minutiſſimos ſolvitur. Hanc ob rem Joannes
„ noſter concupiſcentiam concupiſcentiâ commutavit; & retundens amorem, quem natura
„ ſuggereret, gratiæ aſſentiens, inſiſtens Thereſiæ veſtigiis, concupiſcebat Mori Aut Pati:
D. Benedictus in regula cap. 4.
„ & quia mori ſecuriùs, Pauli echo ſincera, *Volo diſſolvi & eſſe cum Chriſto* inculcabat.
Quomodo vinci poſſit concupiſcentia?
„ *Nihil ei gratius erat Montis Tuſculani ſolitudine, cujus profundiores & ſecretiores nemo-*
„ *rum receſſus frequenter obambulans, totus in rerum æternarum ſpectacula erectus, defixis*
„ *in cælum oculis diuturniorem corporis carcerem, gravemque nimis viſionis beatificæ dilationem*
„ *elatis vocibus, crebriſque ſuſpiriis inclamabat.* An impatientiæ hæc vox? illam audivi
Thereſiae *heroicum lemma*, *In ejus vita* c. 23.
„ ab aliis, & ſuſpectam habui; eandem à Joanne audio, & ſuſpicio; dum enim vita
„ appetitur ut terminus, & mors ut via, non loquitur dolor, ſed amor: & in Joanne præ-
„ cipuè tolerantiâ tam generoſâ prædito, ut nunquam vel leviſſimum doloris ſignum
„ ob morborum acerbitatem, & diuturnitatem ediderit.

„ Et quidem magna ſcientia, magna gratia requiritur, ut diſſimulare poſſit quis,
Joannes *mori deſiderat.*
„ dolores & angores, quibus fragilis oneratur humanitas: maior, ut eoſdem non ſentire;
In ejus vita c. 22.
„ maxima, ut illis quis poſſit gaudere, & foveri. Joanneſque, quoniam hoc ſcientiarum,
Joannes *Triſmegiſtus Catholicus.*
„ & gratiarum ternario divinitus inſtructus fuit, dici potuit Triſmegiſtus Catholicus,
„ ter pius, ter eximius, ter ſapiens: denominari à gratiâ, qui multis charitatibus præditus,
„ gratijs erat innumeris orbem litterarium, & Aſceticum illuſtraturus. Et quia pietati
Jeſus & Maria *nec poſſunt, nec debent ſeparari.*
„ magno eſt ornamento doctrina, nomen id obtinuit à Chryſoſtomo, linguâ & calamo
„ aureus. Eidemque cognomentum, ſicut Scipioni Africa, dedit Maria, ſed non à Jeſu
„ ſeparata. Pictori illa non nemini, qui delineare ſolam auſus;

Me ſolam ſine prole mea ne pingito; pingi
Nam ſine me potius, quam ſine prole velim.

Cur à Jeſu Maria Joannes *ſit dictus.*
„ Dictus eſt igitur Joannes à Jeſu-Maria; videlicet à Jeſu Mariæ & à Jeſu Maria: nam
„ fuerunt multi Jeſus, Mariæ multæ, nec omnes illi Filij Dei, nec omnes iſtæ Dei Matres;
„ unicus enim Jeſus Mariæ, eſt Dei filius; & unica Jeſu Maria eſt Dei mater: & quia
An fuerit gratia plenus
„ uterque forma Joannis extrinſeca, uterque gratiâ plenus, ſi Joannes plenus eſt gratiâ
„ plenis, neſcio an non debeat gratia plenus vocari. Rem ſublimius, ſuotiuſque
„ indagemus.

Bernardus. *Hominis definitio.*
„ In homine Bernardus meus, ſequutus antiquiores Philoſophos, tres formalitates
„ contemplatur; animalitatem, rationalitatem, mortalitatem. Nam homo apud eoidem
„ dicitur *animal rationale mortale*. Et in homine noſtro has tres video formalitates, ipſas
„ divino favore elevatas: nempe animum à Joanne, rationem à Jeſu, mortem ab ejus

„ ma-

„ matre. Homo fuit & simillimus nobis, si naturam consideres; si gratiam, dissimillimus;
„ habuit enim plurimas, queis nos caremus.

„ Animal quidem fuit: non tamen qualecunque, sed Joannis animal; nimirum Agnus,
Joannes Agnus & Aquila. „ aquila; quia se baptizabat lachrymis; Agnus Dei; & quia Christum Euangelizabat,
„ Aquila. Alii scriptores videntur toto cœlo à Joanne nostro differre: singuli singulos
„ habuere calamos, & plerumque uni argumento institerunt; at Joannes noster quia fuit
Vario ipse calamo & stilo fuit usus. „ Aquila, multos habuit calamos, multos stylos, multas pennas, multas plumas. Ideo,
„ scripsit tam multa, tam varia, tam subtilia, & sublimia: Poeta, Rhetor, Dialecticus,
Omnes scientias nos docet, & in omnibus sequendo „ Philosophus, Theologus, Ethicus, Asceticus, Politicus, Iurista, Medicus, & Historio-
„ graphus. Omnes has ipse scientias, omnes has facultates dilucidat, exornatque plurimis
„ libris, qui quatuor voluminibus clausi, ad fastigium sapientiæ viam aperiunt. Varia
Mariam *nos conducit ad* Christum. „ tractat in singulis; sed ad unicum finem universa. Omnia, quæ concipit, quæ loquitur,
„ quæ scribit, respiciunt Jesum, & Mariam: utrumque afflictionibus, doloribus, & miseriis
Hic non potest sine cruce inveniri. „ plenum. Huius puritatem, patientiam, & constantiam imitatus, pervenit ad Crucem,
„ & Christum; non enim aliter, aut alibi ille, quam per Crucem, & in Cruce invenitur,
„ qui enim sine calore vidit ignem, sine splendore solem, ille sine Cruce & laboribus
„ invenit Christum. Animæ, cui Christus adest, Cruces insunt, cui cruces, Christus:
Charitas ardens, quæ mortificatione non indiget est ens rationis, virtus secundum dici, quæ objective est in mente, aut lingua, & subjective nullibi. „ hæc pura veritas, & quidquid contra rhetoricari velis, pura falsitas. Hinc patet vanas,
„ & primitivæ Ecclesiæ ignotas, & utrique Carmelo adhuc invisas esse illas Juniorum
„ speculationes, quæ Christum à Cruce separant, & nescio quam protrudunt cha-
„ ritatem ardentem, quæ tam fingatur efficax, ut mortificatione non indigeat: me
„ quidem Judice, charitatem chimæricam, virtutemque *secundum dici* (volo loqui ut
„ Philosophus) gratam auri, & pernicio sam spiritui; quam qui amplectuntur pereunt, &
„ qui tradunt, æri tinnienti similes, dum aliis prædicant, cœlo sunt reprobi, & stygi
„ præsciti.

„ Porrò ut longè ab his abesset Joannes noster, Chrysostomo similis fuit, labio &
„ stylo aureus; sunt enim Sarabaitæ, qui teste D. Benedicto, *nullâ regula approbati, &*
„ *nullius esperientiæ Magisterio conducti, non iam ut in fornace aurum, sed ut plumbum*
D. Benedictus in regula c. 1. „ *ardent, æstuantque, & naturâ suâ molles, adhuc operibus servare fidem dæmoni, carni,*
„ *& mundo, & mentiri Deo per tonsuram noscuntur;* ad quos spectare videntur concionatores
„ isti novi, quos Carmeli antiqua condemnat asperitas.

„ Porro asperam, angustamque esse viam, quæ perducit ad gloriam vitâ, labio &
„ calamo, nos docuit Joannes: & ne sub ementitâ ardentis charitatis specie, Sarabaiticâ
„ mollitie laboraret, animam supposuit Joanni, hoc est, gratiæ; Rationem Jesu, hoc
Gratia est animæ anima Christus *luminis naturalis lumen rationis ratio Philosophiæ Carmelitanæ objectum.* „ est, Λόγῳ θείῳ, sive verbo Divino, adeoque animam animæ, & rationem rationi; gratia
„ enim fidei, aliorumque virtutum est anima; sine quâ, mortales omnes prærogativæ
„ sunt aut cadavera, aut perfectionum morticinarum Libitinæ. Et verbum divinum ratio
„ est; quam, qui non sequitur ratione caret.

„ Mortem, rationemque coniunxi, ut nostri Joannis adumbrarem sapientiam; est enim
„ Philosophia montis Carmeli, *perpetua mortis contemplatio:* multum enim scit, qui bene
Modus bene moriendi. „ moritur; & ignorat universa, qui male: sed quo morieris, modo bene?

Ut bene contingat devivere, vivere disce:
Ut bene contingat vivere, disce mori.

„ Beatos esse, qui in Domino moriuntur, cantat Romana Ecclesia: & eos solùm exi-
„ stimo in Domino mori, qui vixerunt in Domino. Didici hoc arcanum ab ipsa, dixit
„ enim Alano: *Secretum iam pandam tibi providentiæ divinæ: scias enim & securè intelligas*
Alanus lib. *de psalterio Virginis c. 2. Prædestinationis & reprobationis indicia.* „ *quod inde alijs latè patefacias: quod videlicet signum probabile est, & propinquum æternæ*
„ *damnationis, horrere, & attædiari, & negligere salutationem Angelicam totius mundi*
„ *reparativam: habentibus vero devotionem ad hanc, signum est ordinationis, & prædestinationis*
„ *permagnum ad gloriam.* Unde in Pomerio Mariano: *Servire* Mariæ *est certissimum signum,*
Lib. 12. c. 1. *Quid sit homo* „ *salutis æternæ consequendæ.* Hanc ob causam Joannes noster, cum sese recognosceret,
„ hominemque perciperet esse *Animal rationale mortale*; postquam animalitatem conse-
„ craverat gratiæ; rationem consecravit gratiæ Authori: & mortalitatem gratiæ Auctrici,
„ obtinuitque, ut in visionem ratio, & mortalitas in immortalitatem transiret.

Joannis mors. „ Talis est Carmelitana hæc pyramis, quæ genethliâ suâ Calagurium nobi-
„ litat, Romam apotheosi. Occubuit tandem; nullus enim fuit sol, qui caruerit
Dialectica humana. „ occasu. Occubuit inquam; quoniam in humana dialectica, à nativitate ad mortem est
„ consequentia necessaria. Sed quando corpus exuit, & ad vitam nobiliorem exivit?
Interitus, introitus. „ Christo ascendente ad cælos, ut constaret omninò illum, qui videtur & vocatur interitus,
„ fuisse introitum ad Beatitudinem. Romæ quod claudi potuit, conditur; & quod non
„ potuit, coronâ plurimâ redimitur in Cœlis.

Roma subterranea. „ Hinc incipio affectuosiùs subterraneæ Romæ prodigia miraculosa venerari. Nihil
„ omninò dicam de marmoreis palatijs, nihil de lapideis statuis, & immensis columnis,
„ nihil de simulacris æneis, quæ olim erexit, cœlavit, decircinavit, sciditque manus eruditissima, & hodie alluvie, & ruderibus prelia, quæruntur, inveniuntur, effodiuntur, &

ad-

„ admirationem extorquent. Multi expreſſerunt iſta, & magnis voluminibus dilucidarunt
„ Maioris lucri ſpe hodie mecum *deſcendant ad infernum viventes*. Quæramus in ſubter-
„ raneâ Româ Sanctorum animorum exuvias; incorruptas, illæſas, illibatas. Et ſi non
Carmelus ſubterraneus. „ vacat univerſa luſtrare, ſaltem mecum inite ſubterraneum Carmelum Romanæ Eccleſiæ,
„ non ignobilem partem. O quam in ipſo mira! quam rara! quam extraordinaria! Macti
„ animo, ſubmittite contemplationis alas, & videbitis in loco impuro, & ſqualido, pura,
Multa ſanctorum corpora incorrupta complectitur. „ in tenebroſo, clara, in inferno, ſublimia. Ecce, iacent Animarum Heroicarum exuviæ
„ etiam poſt mortem (mirabile dictu!) immortales. Ecce latent ibidem Divinæ potentiæ
„ prodigia; quæ, qui recenſeat, arenas pelagi, aut firmamenti lampades enumerabit,
„ omnia explicare nequeo, omnia omittere neſcio, temporis laboro penuriâ, calamum
„ attemperabo loco, & tempori, & hinc inde nonnulla, ſumma cum brevitate delibabo.

„ Nihil dicam de Elia, Carmeli Principe, & Carmelitanorum Patriarchâ: nihil omninò
Elias. Eliſeus. „ de Eliſeo qui aſſumpto ad maiorem dignitatem Eliâ, Filiis Prophetarum anteſtetit. Non
„ ille obijt, ſed abijt: & huius excarnes reliquiæ vitam reſtituêre cadaveri. Hæc nimis ſunt
„ antiqua: venio ad noſtra.

Parnaſſus bicollis. Carmelus bicollis. „ *Celſum Parnaſſus duplici petit æthera colle*, & etiam *Carmelus* colle duplici; altero
„ benigniore, altero aſperiore, & difficiliore, ſed altiore. Tenent ſeniores illum, iuniores
„ hunc; & utrobique ſeriò de pietate & contemplatione tractatur. Illi Gygantes ſunt,
„ & iſti maioribus ſuis multò maiores. Aſcendant alii ad montis eminentis faſtigia; ſer-
„ pam ego; & ideò (ut iam incæpi) inferna & ſubterranea meditabor. O quàm multa
B „ in alterutro loco corpora incorrupta reperio! ut angelitùs de hominibus loqui poſſimus,
An Carmelitani ſint Angeli? „ exordium ſumamus ab Angelo; niſi fortè quis obgerat in Carmelo omnes, qui olim
„ homines, jam cælites, & Angelos eſſe; & non in terris ipſos, ſed in Empyreo con-
„ verſari. Volo igitur ab Angelo incipere, nempe à conſtantiſſimo Martyre, cujus ſan-
S. Angelus *Martyr ann.* 1220. *quieſcit Leocatae in Sicilia repertus eſt à paucis annis incorruptus, & vulneribus adhuc recentibus.* „ guine fæcundatus Carmelus multos Martyres Eccleſiæ protulit. In Prophetico ſanctorum
„ ordine Propheta fuit: Romæque coram S. Dominico præ lixit S. Franciſco impreſſionem
„ ſtigmatum, à quo viciſſim Martyrii ſui prædictionem excepit. (Quàm multa occurrunt
„ hic, quæ, ſi tempus permitteret, poſſent, deberentque uberrimè dilucidari. Ecce mira-
„ bilem, & prodigioſam gygantûm Regularium Triadem: Ecce in ipsâ quandam idioma-
Idiomatum Theologica communicatio. „ tum communicationem divinæ analogam: quoniam, ſi ſinguiorum virtutes, & præro-
„ gativas ſpeculor, non unus ſed tres fuerunt Angeli. Et ſi Martyres Græcus appellat, quos
„ nos Teſtes; Chriſti Martyr fuit Angelus; & ante diem Franciſcus angelici Martyrii
„ martyr: & Martyr utriuſque *Dominicus*. Omnes fuerunt Prophetæ. Sanè Chriſtianos
„ ſi ſuos ad iura actus eliment, futuros Chriſto ſimiles, prædixit Paulus: Franciſum privi-
„ legio ſpeciali futurum Chriſto ſimilem. adhuc in tetris prædixit Angelus: Angelum ſan-
Angelus, Dominicus, Franciſcus, *tres Angeli, tres Prophetae, tres Martyres.* „ guinem effuſurum pro Chriſto, & Eccleſia Franciſcus; eventumque utramque Pro-
„ phetiam firmaturum Dominicus. Hæc pauca de Dominico & Franciſco tetigiſſe ſufficiat;
„ ad Carmelum ſubterraneum revertor, amoveo lapides, & corpora incorrupta deſcribo.)

„ Progredior; ſanctumque Andream Feſulanorum Præſulem, quem Urbanus VIII.
S. Andreas *ann.* 1273. *quieſcit Florentiae.* „ Cælitum albo inſcripſit, incorruptum invenio, & elatis ad Deum & Cælum oculis ſic
„ inquam: *Minuiſti eum Domine paulò minùs ab* Angelo, *gloria & honore coronaſti eum*
„ *ſuper* ſanctos innumeros, qui ſunt *opera manuum tuarum*. Non minori miraculo quieſcit
B. Maria Magdalena 1670. *ibidem.* „ ibidem B. Magdalena de Pace, quæ quoniam ſpiritualis pacis hoſtes expugnavit, ſuperſtes
„ poſt mortem requieſcit in pace. Nullum hoſtem ſentiſcit anima, nullum corpus:
„ in regione immortalium illa Deo, & in mortalium cryptis iſtud fruitur immortalitate.
„ Ecce integrum, & illibatum corpus Theodorici Alemanni, qui doctrinâ, & exemplo
B. Theodoricus. „ tantum Eccleſiam militantem promovit, quantum olim Theodoricus Oſtrogottus oppreſſit.
Anno 1376. *Venetiis.* „ Ad Joannam Rhegienſem ſubvenio, & eodem prodigio veneror corruptionis expertem.
„ Ad alia vocor, ſed me moratur Archangelæ de Trino immortalis mortalitas, & doceor,
B. Joanna 1491. *Regii in Italia.* „ quæ poſſim docere. Ut ſis Angelus, hoc eſt, optimus Monachus, porrò unum eſt neceſſarium:
„ at ut ſis Archangelus, hoc eſt, Antiſtes, & Angelorum Rector, tria. Modò ſubditus
B. Archangela. „ exactè obediat, Angelus eſt: non autem erit bonus in monaſterio Archangelus, qui
ann. 1495. *Mantuae.* „ trinâ prærogativâ careat: nam Antiſtitis dignitas exemplum, doctrinam, & potentiam
In Praelato tres praerogativae requiruntur. „ requirit. Vita enim ſine doctrinâ eſt indiſcreta, doctrina ſine pietate ſcandaloſa: doctrina
„ & pietas ſine potentia inefficax; & tandem potentia ipſa, ſi careat exemplo & doctrinâ
„ eſt tyrannica. Satis didici & docui: adhuc erudior. Ecce Joannem Baptiſtam Man-
Venerabilis Joannes Baptiſta *mantuanus* 1513. *Mantuae.* „ tuanum agnum Dei; Poëtam & Confeſſorem celeberrimum, qui locutus ut vixit;
„ nimirum in pondere, menſura & numero. Dicebat Poëta neſcio quis:

Verſus ſunt homines: ſcis unde id colligo? namque
Sunt ſicut verſus plurimi in orbe mali.

Homines ut verſus. „ At noſter Joannes, non Poëta ſolum, ſed & metrum fuit, & bonus fuit. Fuit
Ven. Bartholomæus *Mantuae.* „ ejus vita ſanctitatis exemplar, pietatis metrum, & reformationis menſura; quam, qui
„ ſequaris, ametriâ, hoc eſt, culpâ carebis. Hæc omnia confirmat *Bartholomæi* de Fantis
„ incorrupta mortalitas, cujus in honore anima, & corpus in perpetuo prodigio.

„ Ibi etiam intemeratæ exuviæ iacent. Cuius? Angeli, qui fuit Petrus (lapis) lapidis

„ qui

Ven. Petrus Angelus 1581. *Valentiae in Hiſpania.*

„ qui fuit Angelus; nimirum hominis lapidei & Angelici; qui, ne voluptatis moveretur
„ illecebris, fuit ſaxum, & Angelus, ne immateriali ſuperbia, & ambitionis lenocinio.
„ Ibi etiam Cyrillus Magrinianus: iſtic Honoratus Chayla; illic alii; multi quidem &
„ multi, quos & penuria temporis, & notitiæ brevitas tacere iubet.

Ven. Cyrillus *ann.* 1549 *in Catalonia.* *Ven.* Honoratus *ann.* 1615. *Barcinone.*

„ Hæc immortalitatis prodigia complectitur ſubterraneus Carmelus, quâ nondum
„ Virginis Matris Thereſiæ leges ſeveriores admiſit. Hæreo hic, & tanto ſubterraneorum
„ miraculorum numero ſtupefactus, audebo inquirere, quid Beata reformaverit Thereſia?
„ qui ſanctè vixerunt, vivuntque, correctione & reformatione non indigent. Iam rem
„ percalleo, correxit, & reformavit B. Thereſia nihil, nihil. Reformatiſſimi erant Carmelitani,
„ dum Thereſia antiquum rigorem reduxit: nihil erat in totâ religione mali, quod excidi
„ debuerit; at erant bona plurima; quæ neceſſaria, ut vita Prophetica, hoc eſt, purè
„ Angelica, reſtitueretur. Hanc ego ob cauſam, cum alterius Carmeli ſanctitatem, &
„ pietatem ſuſpicio, Tereſiam Reformatricem appellari non patiar; malo enim illam
„ dici Reſtitutricem & Auctricem. Ingrediamur igitur ſubterraneas cryptas Tereſiani Carmeli
„ & demiſſo animo: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firma-*
„ *mentum*, dicamus, addamuſque, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcien-*
„ *tiam*: animi enim ſanctorum ſunt cæli, virtutum & prærogativarum ſyderibus con-
„ decorati. Cæli etiam ſunt ſanctorum corpora, quæ ab intelligentijs moventur, quæ
„ enim ſine intelligentiâ imprudenter rotantur, non ſunt ſancta.

Pſal. 18.

Animi & corpora ſanctorum ſunt cœli. Corpora peccatorum qualia? Indicare quid? Beatitudinis æternæ indicia.

„ Eorundem etiam corpora, & animi ſunt firmamenta. Iſti enim gratiâ, & gloriâ,
„ & illa, quia incapacia peregrinarum impreſſionum, dote ſunt incorruptibilitatis confirmata.
„ Et quidem, ſi agamus de animis, in empyreo, ubi eſt interminabilis claritas, dies
„ cæleſtis terreno, lumen ſupernaturale naturali eructat eruditionis verbum: ſin verò de
„ corporibus ſubterraneorum locorum, nox in terris mentis humanæ nocti, quæ neſciebat
„ mortem cum incorruptibilitate copulare; ſcientiam indicat (verbum civile hoc eſt)
„ ſcientiam divinam, gloriæ lumen; laurum intellectualem, quâ animus redimitur, per
„ prodigia & miracula, quaſi per indicia demonſtrat.

Tereſia *Carmelitanorum excalceatorum inſtitutrix.*

„ Porrò Divinum verbum ſcientia eſt, & animus Tereſiæ ſcientiæ Divinæ ſimilis;
„ videt enim Deum ſicuti eſt. Hanc ſcientiam inter noctes tenebras, & umbras mortis,
„ corpus virgineum indicat, etiamnum incorruptum, odoratoque liquore exuberans.
„ Illud ſubmiſſa reverentia deoſculor, & ſubticeo, uberius alibi celebraturus. Et ut
„ ad noſtrum Joannem redeam, multos alios omittò, quos Deus in terris ſuſtinet pari
„ miraculo. Interim recenſebo nonnullos, qui jam effoſſi, Joannes enim à Cruce quie-
„ ſcit incorruptus Segobiæ; Franciſcus à B. Virgine Madriti: Eliſæus quondam Genuen-
„ ſis Provincialis Romæ; Stephanus ab omnibus ſanctis etiam Romæ; Elias à S. Fran-
„ ciſco Coloniæ; Auguſtinus à Regibus Aquilariæ in Hiſpaniâ, Alphonſus à S. Mariâ
„ Hiſpanus Mediolani. Volebam hic diſcurſum claudere, ſed cogor progredi, quoniam
„ in hac regione mortis, majora adhuc immortalitatis occurrunt miracula.

Joannes. Franciſcus. Eliſæus. Stephanus. Elias. Auguſt. Alphonſus.

„ Dominicum ob oculos habeo, ſed quem? Dominicum à Jeſu-Maria, conceſſum
„ cælitùs fatiſcenti Germaniæ; à Jeſu, ut deleret Hæreticos; à Maria, ut Catholicos
„ virgineis moribus condecoraret. Quam-diu mortalis fuit, prodigium vitæ fuit, &
„ mortuus eſt mortis miraculum. Olim ſub exercituum Deo, copiarum Catholicarum Re-
„ ctor, prophetico plenus ſpiritu, fuit Moyſes Duci Bavaro, qui tanquam alter Joſue,
„ oratione Dominici, & armis principum Catholicorum, numeroſas copias Luthera-
„ norum ſubjugavit. Ejus animus incorruptibilis beatur in cœlo! ejuſque corpus beat
„ Terras: & Auſtriacam Viennam præcipuè, quæ hoc theſauro ditatur. Illuſtrat Vien-
„ nam etiam, Paula Maria a Jeſu; Genuenſis: Cæſarauguſtam Catharina à conceptio-
„ ne Luſitana; Villam novam apud Hiſpanos Anna à S. Auguſtino; addo Mariam à Je-
„ ſu, addo & alias. Mortis victrix, corruptionis ignara, Cracoviæ in Polonia requie-
„ ſcit Conſtantia à S. Joſepho, ut diſcamus à quo poſſimus impetrare conſtantiam.
„ Bruxellis Anna à Jeſu, cui ne careret Beatitudine in terris, conceſſit Deus, ut à
„ maximo totius orbis litterarii homine dilaudaretur. Angelum Manrique intelligo,
„ Pacis Juliæ Epiſcopum, Salmanticæ (Primaria Univerſitas eſt) Theologiæ Doctorem,
„ & Profeſſorem Primarium, virum omni ſcientiarum genere exornatiſſimum, & apud
„ Ciſtertienſes Hiſpanos Generalem: ſumma enim Annæ pietas, non ab homine, ſed
„ ab Angelo debebat celebrari. Nec deerit, qui recenſeat vitam & miracula Catharinæ
„ à Chriſto; Petri à S. Joſepho, Hilarionis à S. Joanne Baptiſtâ, & aliorum, qui po-
„ ſthumi à morte deficiunt, & negant corruptioni vectigal, quod ſolvere tenemur
„ mortales.

Paula Maria, Catharina. Anna. Conſtantia.

Quartus ſit Angelus Manrique.

Dominicus.

Catharina. Petrus. Hilarion. & *alii*.

„ Tempus eſt, ut ad meum Joannem redeam, à quo nunquam diſceſſiſſe me puto,
„ quicunque enim Carmelitanus, ſi vitam, ſi mortem conſiderem, eſt alter Joannes.
„ Vitam puram & incorruptam agunt ſinguli, & quia incorruptam, etiam incorrupti
„ agunt animam. Multi in ſubterraneo Carmelo ſubeſſe tributo communi deſignantur,
„ alii loco & tempori cedunt, ut differat ſydus à ſydere; & ſit Prophetica Religio cir-
„ cumdata miraculorum varietate. Inter plurimos alios Joannes noſter, concedente id
„ Jeſu, & impetrante Maria, duplici prodigio conſervatur, Miraculum ſincerum eſt,
„ cadaver non corrumpi in terra, alterum, non corrumpi in aquâ; & quia Joannis

Joannes à Jeſu Maria.

„ reli-

In terram, in aere, in aqua à corruptione praeservatur.

„ reliquiæ contra terram & aquam constitere, & duplici indiguere miraculo, Jesus & „ Maria duplici favore concurrerunt. Cæli potentiam horret terra, & ut placuit de„ votæ Musæ nescio cui, sic inclamat.

Has terra exuvias frustra corrumpere tento,
Et in subsidium convoco montis aquam.
Audior, extillat celsis è collibus unda,
Debile & invadit plurima Sarcophagum.
Roserit ut vestem, & tabulas, venerata Joannem;
Unda jugo montis manat, & ille manet.

De corruptione corporis & animae.

„ Manet, manebitque tribus elementis invitis, frustra enim terra, aqua, & aer oppe„ tunt, quem ignis divini favoris conservat. Ut rem altius exponam, aut intelligam, „ bina succurrunt testimonia, quæ breviter sunt connectenda. Lego in S. Scriptura. *Cor„ pus, quod corrumpitur, aggravat animam*: unde si apud Dialecticos regula conversio„ nis subsistit, oritur illud Salustii in Catilin. *anima oneri fuit*, mens enim improba one„ rat corpus, corpus improbum animam. Lego & in Joannis vita, *plumeam quasi le„ vitatem admiratus fui* ait Historiographus, *adeo ut cæleslem etiam hanc dotem æmulari „ videatur*. Et confidenter infero Joannis corpus animam non aggravasse; sed elevasse „ potius, fideleque consortium, & ministerium exhibuisse. Omnes sumus Christi disci„ puli qui vocamur Christiani, & inter nos etiam sunt Judæ plurimi, qui Christum „ produnt. Eorum corpus est plumbeum, anima plumbea: corpus enim propudioso con„ cupiscentiæ pondere rapit animam: & hæc rapi volens delinquit, & delictorum pon„ dere corpus aggravat, & quia abyssus abyssum invocat, præcipitantur ex inferno in „ infernum. At discipulorum fidelium, eorum nimirum, qui Joanni nostro similes, „ corpus plumeum est, anima pluma. In illo concupiscentiæ onera animæ lachrymis, „ quia lavantur, levantur; & anima eorundem est pluma; quam si sumpserimus medi„ tationis digitis, Joannis, & aliorum Carmelitarum perfectiones nostris cordibus inscri„ bere accuratè poterimus; quoniam,

Sanctorum vitas legere & non degere, culpa est;
Sanctorum vitas degite, non legite.

Saluſtius apud Cerdam. AEnei. 11. 406. Cap. 23.

„ Hac mente, nostri Joannis vitam Isidorus à S. Josepho accuratè descripsit; hac illam „ ego mente lego; hic illam legi ab omnibus Religiosis persuadeo, ut ejus possint pro„ digiosas virtutes, non jam aure aut oculo, sed animo sedulo, ebibere. Jesum Ma„ riamque Joannes fuit in vitâ secutus, & viam nobis ostendit qua possimus ad utram„ que venire: sed quam? Crucem: hæc enim est ad cælum via. Hanc tenuit in Carme„ li fastigio Joannes noster, & ad veritatem pervenit, & per veritatem ad vitam. Si

Omnis homo mendax.

„ nondum assequeris conceptum, illum breviter dilucidabo. Vetus homo mendax, vi„ delicet in quarto modo, ut loquuntur Dialectici, omnis, ubique, & semper. Oportet „ igitur exuere veterem hominem, ut veritatem invenire possimus, hac inventâ indue„ mus novum hominem, nempe Christum, qui est vita. Illum induit superstes noster „ Joannes per gratiam hac posthumus fungitur per gloriam in sæcula sæculorum: Amen, DIXI.

Qui possint novi sancti privata auctoritate celebrari.

„ Nimirum quod humanitûs scio: & tametsi omni careat hæc mea assertio formi„ dine, nil definio; omnis enim humana securitas terrena est, & solum spectat ad Ec„ clesiam infallibilis præscitorum, & prædestinatorum discretio.

„ Scripsi Viennæ apud montem Serratum, Anno sexcentesimo quinquagesimo su„ pra millesimum, vicesimâ septimâ Januarii die, nostri Joannis ortu, & Chrysostomi „ obitu nobilitatâ.

NOVUM.

* „ Ex eodem Caramuele, in suo *Dominico lib. 4. cap. 12. num.* 572. Fuit (Johan„ nes à Jesu Maria) inter humanos Angelos vir vere Angelicus, vitæ contemplativæ „ cultor, & propter virtutes & merita ad varias dignitates promotus. Electus in Ge„ neralem anno 1611. gubernavit prudentissime, & vigilantissime. Exequias ejus cele„ branti supradicto P. Dominico a Jesu Maria, suffusus gloriæ lumine apparuit, se esse „ in cælo testatur, & pollicetur gloriam omnibus, qui vitam regularem observant. „

Ex Reverendiſſimo Patre, ac Domino D. GASPARE MUNSTERO, *Epiſcopo Aureliopolitano, ac Suffraganeo Oſnabrugenſi, ex Ord. Carmelit. adſumpto, S. Theologiæ Doctore, ac horum Operum pro altera Colonienſi editione Cenſore, ut ibi legebatur.*

„ ADmirabilis viri Joannis à Jeſu-Maria Opera ſane admirabilia vidi, legi, &
„ in illis admiratus ſum ſimul cum omnigena divinarum, humanarumque
„ rerum peritia, eximiam ſane quæ ſit, pietatem: quæ quidem per omnes
„ paginas ſuaviſſime diffluens, ſatis oſtendit, quam divite vena manaret eo-
„ rum Authori oleum devotionis, à ſpiritu illo principali, qui eſt Deus Optimus Maxi-
„ mus. Neque vero ſola ſic dulceſcit ipſa (ut ſic loquar) doctrinæ ſubſtantia, verum
„ & ſtylus, quo illam ſuo lectori porrigit, plane ſuaviſſimus eſt, & ad S. Bernardi
„ phraſim ſic accedens; ut è fonte eodem hauſiſſe, bibiſſe, ac denum ore, & calamo
„ ructaſſe palam videantur verbum, ac ſcriptum bonum, quo Chriſtianum orbem vita-
„ liſſimis Spiritus S. deliciis infundunt, dum effundunt; ſi ſtat vetus parœmia, & om-
„ nino verum eſt illud Poetæ:

„ Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Hunc ego ſapientiſſimum virum (quem ob Sanctitatis famam olim in urbe frequen-
„ ti congreſſu religiosè veneratus ſum) hac palmâ & laude dono, qui nimirum ſua ſcri-
„ pta omnia utilibus referſit, ut prodeſſet; dulcibus autem reſperſit, ut ſaperet. O Ope-
„ ra! ô Authorem! dignum ſane, de quo hæc Carmeli Annales libro ſecundo, capite
„ trigeſimo ſeptimo: in hoc viro ſi modo ſanitas corporalis affuiſſet haberemus ſimul &
„ ſemel S. Thomam Aquinatem, & S. Gregorium Nazianzenum. Tanta fuit ejus in
„ Theologicis profunditas; tanta in dicendo majeſtas. Ita cenſebat.

Gaſparus Münſterus Epiſcopus Aureliopolitanus, ac Suffraganeus Oſnabrugenſis ex Ordine Carmelitarum aſſumptus SS. Theologiæ Doctor. &c.

* *Ex R. P.* THEOPHYLI RAYNAUDI *Soc. J. Scriptoris Celebratiſſimi Tractatu de* INSCRIPTIONE CADAVERUM, *Tom. XIII. Operum edition. Lugdunenſ. pag.* 64.

„ R. P. Joannes a Jeſu Maria Calaguritanus, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum
„ aliquando Generalis, & primus (*melius inter primos*) Italicæ Congregationis
„ ſator, ipſis ſummis Pontificibus acceptiſſimus, adeo ut Paulus V. non dedi-
„ gnaretur, ad eum viſendum, pauperem cellam ſæpiuſcule ſublre; ſapientia
„ fuit inſignis, quam in graviſſimis negotiis, & ordinis totius rectione teſtatam fecit.
„ Doctrinæ autem laude claruit: quod tres (*tot enim tunc ferebantur*) de ejus ſcriptioni-
„ bus tomi, in Belgio (*Coloniæ*) cuſi, prodiderunt. Vir fuit, quod potius celebrandum
„ eſt, ſanctimoniæ præcellentis; & orationis ſtudio, ac corporis duræ tractationi addi-
„ ctiſſimus. Obiit in ſeceſſu Tuſculano Cœnobii Sancti Silveſtri, anno 1615. ipſa die
„ ſubeuntis Cælum Chriſti Domini. Ejus Corpus, hodieque poſt tot annos, integrum,
„ planeque incorruptum viſitur, &c. „ *ut ſupra pag. XXXII. exſcripſimus*, ſcribebat autem circa dimidium elapſi ſæculi XVII.

Ex S. Franciſco Saleſio.

* Hos duos præmiſimus ratione longitudinis ſermonis: cæterum nominis celebritate eos præcellit S. Franciſcus Saleſius, qui in Præfatione ad Tractatum *de Amore Dei* Venerabilem noſtrum inter eos magna reverentia adpellat, qui præclarius de hac re ſcripſerunt, ajens: *P. Johannes a Jeſu Maria Ordinis Carmelitarum Excalceatorum libellum hoc titulo compoſuit* De amando Deo, *qui plurimi æſtimatur*.

†††††† Ex

Ex Jacobo Benigno Boſſuetio.

* In Libro *De nova Quæſtione tract.* 1, *cap.* 15, explicans quemdam locum S. Matris noſtræ Tereſiæ, ſic *num.* 46. Johannem noſtrum appellat: „ Quem in locum ſanctæ Matris, Johannes a Jeſu Maria SUMMUS THEOLOGUS, SUMMUSQUE MYSTICUS, & in Contemplativo Ordine Carmelitarum Diſcalceatorum AD SUMMUM HONOREM EVECTUS, hæc habet &c. „

Ex Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V.

* Vidimus etiam quanta hos maximos Pontifices æſtimatione, & amore eum proſequerentur, quamque eximie ejus opera uterentur. *Vitæ cap.* 13. 20. His addit noſter Hiſtoricus Generalis, t. 2. l. 2. cap, 13. pag. 324. „ Summus etiam ipſe Pontifex Paulus V. „ cum ad ſacras noſtri Conventus ædes aliquando veniſſet, poſt fuſam coram miraculoſa Imagine Sacratiſſimæ Virginis de Schala orationem, Monaſterium ingredi, & ad infirmi cellam aſcendere dignatus eſt, ut illum tum paterna viſitatione, tum benedictione „ Apoſtolica ſolaretur, ac recrearet; nec unquam, dum receſſurus eſſet, pati voluit benigniſſimus Chriſti Vicarius; ut ipſum ad januam uſque comitaretur, aut e cella pedem efferret. „

Ad hæc, eximius, nec ſatis umquam laudatus Benedictus XIV. maxima ferebatur in Ven. Virum devotione, ejuſque doctrinam, eruditionem, latinique ſermonis elegantiam altè ſuſpiciebat, ac noſtros ſollicitare, urgere ſolebat, ut ejus inter Beatos ſolemnem adſcriptionem apud S. Rituum Congregationem promoverent, quemadmodum nos ex certiſſimis Noſtratium teſtimoniis vulgavimus etiam in *Vita Ven. Matr. Mariæ Agnetis a Jeſu* italice ſcripta, ac edita Florentiæ an. 1762. Par. 1. cap. 8. pag. 45.

Ex Cardinali Bellarminio, Et Archiepiſcopo quodam Rutheno.

* His Accedit V. Cardin. Rupertus Bellarminius, qui, ut in ejus Vita innuit ſupra noſter Iſidorus, cap. 15., & ut latius in *Hiſt. Generali Congreg.* Habetur *t.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. *pag.* 324. „ eodem venerationis motivo amabat illum impenſius, frequentius inviſebat, longos cum eo tractatus habens de rebus ſpiritualibus; & vice quedam lectulo etiam ob infirmitatem decumbentis arreptam manum tenerrimo devotionis ſenſu, dum recedere vellet exoſculatus eſt: & Patri moleſte ferenti, reliquiſque ſtupentibus, ob honorem inſolitum, non lepide minus, quam ſincere reſpondit: *ſe P. F. Johannem, velut alterum S. Johannem Chryſoſtomum, non immerito voluiſſe venerari.* „ *Et* 1. *lib.* 1. *c.* 40. *pag.* 131. veriſſime dicitur: „ Quin & librorum ab eodem compoſitorum monumenta, ceu copioſi quidam cœlicæ dulcedinis fontes, continuo quamdam ſpiritus ſuavitatem in legentium animos dimanare videntur, ut quiſque probare poterit experimento. Sic quondam probavit Illuſtriſs. Card. Bellarminus, qui ſpiritualia Patris „ Joannis Opera ſummo cum guſtu lectitabat; & qui nuper ad fœliciorem vitam tranſiit.

Ex Nicolao Antonio.

* Nicolaus Antonius, in ſua *Bibliotheca Hiſpana* t. 1. v. *Johannes a Jeſu Maria pag.* 545. poſt brevem, ſed honorificam ejus Vitæ ſynopſin, ſic pergit ad ejus ſcripta deſcendens: „ Plures poſt ſe reliquit doctrinæ fructuoſiſſimæ, eruditioniſque piiſſimæ, „ quæ ſibi & aliis prælucere conſtanter voluit, non intermorituræ fidei, & famæ teſtes libros, quos in publicam typorum lucem emiſit. Qui quidem poſt alias editiones, „ Coloniæ ſimul omnes ex. Officina Bernardi Gualteri anno 1622. iterumque ex Officina Iodoci Kalcovii 1650. primum tribus, deinde quatuor voluminibus prodierunt. „ Huius poſterioris editionis tenor hic eſt &c. „ Deinde dato Operum ſingulorum Elencho, proſequitur: „ Virum hunc magnum pro meritis celebrant Franciſcus de Sancta „ Maria eiuſdem Ordinis in *Hiſtoria Carmelitarum Reformatorum lib.* 2. *cap.* 37. Iohannes Marquez in Vita V. P. F. Alphonſi ab Horoſco Auguſtiniani, qui ſanctitate vir „ ſpectatiſſimus author fuiſſe Iohanni noſtro dicitur amplectendi ſtatum religioſum in „ recenti hac Carmeli propagine, cap. 24. F. Hieronymus de S. Ioſepho in *Genio Hiſtoriæ*.

EX

Ex Auberto Miræo.

* Aubertus Miræus in *Actuario ad Bibliotecam Fabricii de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, V. Iohannes a Ieſu Maria.* pag. 335. ſic loquitur: „ Iohannes a Ieſu Maria patria Calaguritanus, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Præpoſitus Generalis, inter „ occupationes maximas, & proſtrata ſemper valetudine, diverſis diverſa inſcripſit Opuſcola, quæ ut in promptu forent omnia, neve interirent aliqua, ſimul in tres tomos „ in fol. congeſta ſunt Coloniæ. Huius Auctoris libelli magno loco ſemper fuerunt apud „ Bellarminum, ut qui eos, quando per otium licuit, aſſueviſſet lectificare „ Deinceps catalogum Operum texit.

Ex Ludovico Morerio.

* Ludovicus Morerius in ſuo *Magno Dictionario Hiſtorico &c.* t. 5. poſtr. edit. Amſtelod. V. *Ieſus-Maria (Jean de)* ita habet Gallice quidem, quod fideliter latine ſic „ reddo: „ Ieſu-Maria (*Iohannes de*) Carmelita Excalceatus natus eſt Calahorræ in „ Hiſpania. Anno 1583. in Italiam profectus eſt, ut Ordinem ſuum propagaret, *errat „ tamen heic Auctor, ut ex Vita, cap. 4. ſupra ſatis coſtat*) & Pauli V. Pontificis, „ nec non plurium Cardinalium, imprimis autem Cardinalis Bellarminii exiſtimationem „ ſibi adſcivit. Olivan. 1614. *& heic lapſus eſt, nam dicendum erat* 1615.] in Cæno„ bio Tuſculani, multa Opera ſcripta relinquens, quæ an. 1622. tribus, & an. 1650. „ quatuor voluminibus prodierunt *Grand Diction. Univ. Holl. Hiſt. Carm. Reform. l.* 11. „ *c.* 37. *Nicolas Antonio, Biblioth. Hiſp. p.* 545. „

Ex P. Auguſtino Calmet, & Georgio Draudio, aliiſque.

* Eruditiſſimus P. Auguſtinus Calmet ſemel, & iterum, in ſua *Bibliotheca Sacra*, inter celebriores Cantici Canticorum Expoſitores eum habet; & longe ante ipſum Georgius Draudius in ſua *Bibliotheca Claſſica* ſub eodem cenſu Interpretum *Cantici Canticor.* pag. 224. & rurſus inter Theologos pag. 1242. commendans ejus Opellam de *Arte concionandi, ſeu Rhetorica, edit. Colon. in* 12. Pari quoque honore eum recipiunt Petrus Canus Bellicenſi Epiſcopus, in *Via ad devotionem civilem*, Antonius Sanderus, *t.* 1. *Flandriæ illuſtratæ, & lib.* 3. *Rerum Gandavenſium, cap.* 12. Antonius Poſſevinus, *t.* 1. *Apparatus Sacri, pag.* 903. Petrus de Alva, *in Militia Immaculatæ Concept. & in Nodo indiſſolubili, pag.* 735. *prim. edition.* & ſecundæ edit. *pag.* 621. 626. 627. Bernardus Montfaucon, in *Biblioth. Bibliothecar. MSS. pag.* 1280. *B.* 2. Ludovicus Jacobus, in *Biblioth. Carmelitana MS. pag.* 221. & 222. Sic Auctor *Biblioth. Carm.* Jam editæ, V. *Johannes a Jeſu Maria*, plurimi alii, quos recenſere non vacat. Referam tantum poſtremo quod de ipſo habet Noſter Hiſtoricus Hiſpanus, quemadmodum in antecedentibus editionibus legebatur.

Ex Chronicis Carmelitarum Excalceatorum Libro 2. cap. 37. per R. P. Franciscum à S. Maria *editis.*

„ VP. Joannes à Jeſu-Maria, dictus in ſæculo Joannes à S. Petro natus Cala„ guri in vetere Caſtella, tertius Carmelit. Diſcalceatorum Congregationis „ Italicæ Generalis, lucidiſſimum omnis perfectionis ſpeculum, in pretio, eoque „ maximo habitus à ſummis Pontificibus, ac notanter à Paulo V. qui, (ut „ ſæpius varii S. R. E. Cardinales) eum in ſua cellula aliquando inviſit. Doctiſſimus „ Bellarminus invenit in eo ſui ſimilem, cum in doctrina, tum pietate: ſemper„ que tenerrimè dilexit. Si ſanitas reſpondiſſet, haberemus in ipſo uno junctos S. „ Thomam, & S. Gregorium Nazianzenum: tantâ fuit in Theologicis acie, tantâ in „ dicendo majeſtate. Teſtes horum habemus luculentiſſimos ipſa ejus opera, quæ in Sacram „ Scripturam edidit, præter plurima aſcetica, quæ promovendæ perfectioni publico dedit. „ Quædam ſua Amita, vidit eum in ſpiritu jam tum annos natum circiter quinque, ſacro „ Carmelitarum Diſcalceatorum habitu veſtitum, ſimulque intellexit magnam Romæ „ ſanctitatis famam eum manere. Prophetiam ſucceſſus excepit: ut abunde fidem faciunt „ vita, fama, libri, mors denique ipſa. Omnia ſiquidem rara, ac mirabilia in eo fuerunt, „ Solemnia Religionis vota Deo nuncupavit anno 1583. Obiit autem in Domino Fraſcati „ anno 1614. ubi corpus ejus etiamnum incorruptum ſumma veneratione habetur.

IN OPUS SEQUENS
PRÆMONITIO.

NON *est animus, neque instituti nostri ratio postulat, hisce Praemonitionibus, quas singulis Ven. Scriptoris Commentariis praefigemus, eorum merita extollere; id enim sapientum, piorumque Lectorum munus erit, ac libera facultas. Nostrum erit tantùm scriptionis tempus, & occasionem, tum etiam editiones, quae nostram hanc praecesserunt, aut verò locum abditum, unde Manuscripta, quae nunc primum a nobis vulgabuntur, reserata sunt, & alia id genus extrinseca adiuncta, breviter praenotare. Quod igitur hanc in Jobum Paraphrisin spectat, eam Ven. Vir ad animi cum sui, eximiis laboribus vexati, tum etiam aliorum spirituale solatium, quemadmodum ipse in Praefatione testatur, exaravit an.* 1609. *decurrente, absolvitque ipso initio anni* 1610. *dum Procuratoris, & Definitoris Generalis munere fungebatur. Nam quum facultas Opus imprimendi a V. P. Fr. Ferdinando a S. Maria, tunc ex obitu V. P. Petri a Matre Dei, Congregationis Vicario Generali data sit, ad ipsas Kal. Martias anni* 1610. *consequitur jam tunc illud & ab Auctoris manu, & ab Censorum Ordinis examine fuisse expeditum, quamquam non ante sequentem annum* 1611. *Typis Romanis Gullielmi Facciotti primò paruerit. Illum ergo annum* 1610. *quo ultimam Auctoris manum sensit, ad huius Libri chronologiam praesignabimus. Primum locum etiam in anteactis Coloniae Conlectionibus Opus istud habebat, quem & nos ideo retinuimus, ut ordo S. Scripturae in his Ven. Scriptoris Expositionibus servetur. Huius autem omnes Nostrates, ac plerique alii maximis laudibus meminerunt. Tandem in prima illa editione Romana praedictae Ordinis Facultatis exemplar sic legebatur.*

„ *Fr. Ferdinandus à S. Maria, Vicarius Generalis Congregationis*
„ *S. Eliae Carmelitarum Discalceatorum, probo Paraphrasim hanc R.*
„ *P. Fratris Johannis à Jesu Maria, Procuratoris Generalis praedictae*
„ *Congregationis nostrae, ut typis mandetur, si placuerit Reverendiss.*
„ *D. Vicesgerenti, & Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii Apostolici,*
„ *Datum Romae, Cal. Martii* 1610.

„ *Fr. Ferdinandus à S. Maria Vicarius Generalis.*

IL-

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

CARDINALI MONTALTO

FR. JOANNES A JESU MARIA

SALUTEM.

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA.

PLurimis sanè, ac miris pietatis, prudentiæ, humanitatis, aliisque planè insignibus animi tui dotibus allicior, Cardinalis Illustrissime, ad scriptum hoc tibi dicandum Divina tamen charitas, qua inopes, ampla largitione, multiplicique officio alis, atque tueris, calcar immensum addit, ut laborem hunc tibi omnino deberi censeam. Nimirum eximia virtus hæc, te Jobo, quem interpretor, simillimum efficit: ut apprime tibi congruant effata illa:

Pater eram pauperum, &c.
Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

Porrò, uti Mons Altus, emines, & regis more, ingenuo comitatu stiparis. Inde tamen, ubi mortalibus obrepit dejectæ plebis oblivio, te dimittis ipsum, & causis indigorum, è quorum numero nostri homines sunt, mirificè attemperas: quod, & innumeris testibus tibi fausta precantibus, & consensione Romæ totius astruitur. Offero ergo tibi, Cardinalis illustrissime explanationem libri, cujus pars nequaquam exigua nobilissimo, ac pijssimo tuo consentit ingenio. Munus, precor, meum grati animi significationi, ex universæ Congregationis nostræ conspiratione destinatum, non mea disparitate, sed pertractatæ rei granditate metire; bonique consule, ut nominis tui splendor initio prænotatus auctoris nebulas dispellat, & lectorum animos ad saluberrima Iobi sensa pensitanda permulceat. Ego verò clementissimum Deum impensiùs oro, te, Cardinalis illustrissime, ad Ecclesiæ bonum secundis eventibus prosperatum diutissimè servet.

AU-

AUCTORIS
PRÆFATIO
AD LECTOREM.

NON adeò ſponte, Lector candide, in librum multis difficultatum ſcopulis prætextum pedem intuli: res quippe inacceſſa videbatur, ut neque auſpicari auderem, neque ſi auſus fuiſſem, ſponderem me cæptam peracturum. Et quidem præter rei arduitatem, noveram ego, tenui labore meo, vix ullam lucis acceſſionem libro huic fieri poſſe, quem tot antiqui ſcriptores præclariſſimi, Græci, atque Latini, elimatis commentariis illuſtraſſent. Quod ſi recentiora placerent, notum ſanè, neque interpretes noviſſimos elogio dignos deſiderari, quorum ego pietatem, ac eruditionem admiror. Hæc profectò me remorata ſunt. At cùm viri planè pii, ac egregiè docti mecum familiariter verſati, noſſent, me, per triginta circiter annos ſummis laboribus, præſertim internis, licet exigua cum laude, perfunctum; inſtitere crebrò, comminiſcerer aliquid in Jobum pro modico captu, & adverſa valetudine mea; rati, ut cenſeo, me Jobo non prorſus adſimilem, graviterque afflictum, afflicti viri mentem fortaſſe aſſecuturum, quod iis, qui mera ſpeculatione ducuntur, ægrè permittitur. His ergo poſtulatis tam ſæpe repetitis reluctari non debui: dedique operam, ut quàm breviſſime omnia expedirem; ſenſumque Iobi, iis potiſſimum in locis, ubi affectus viri dolentis ingraveſcunt, non tam longè, quàm propriè, ac luculenter exprimerem. Non ergo à me multiplex eruditio, prolixique variæ orationis excurſus, ſed doloris ſenſus, & monita gravibus affectionibus curandis opportuna, requirenda: in quibus tamen promendis, quemadmodum, & in reliqua libri explanatione, ſi quid appoſitè dictum, non ingenio quidem meo, ſed Divinæ bonitati feratur acceptum. Ne verò longius procurram, quæ hic præmoneri deberent, in ſubiectis canonibus à me præſcripta ſunt. Quicquid autem ſcripſi, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio incorruptiſſimo ſubmitto.

CANONES
AD LIBRI JOB
INTELLECTUM.

S. Cre. c. 1. Præf. Alber. Magnus. S. Hieronymus in Prologo. S. Auguſt. 18. de civitate Dei. S. Greg. in praef. & alii plurimi. LXX. Inter. Omnes ferè Graeci, & Latinus. Philippus Beda, & alii. Chryſoſt. in catena Hierony. in Epiſt. ad Evagrium & alii.

LIber Iob ſemper inter canonicos poſitus, & à Sacris Conciliis, & Patribus, ut Scriptura à Spiritu Sancto dictata, receptus fuit.

II. Licet nihil certi ſtatui queat de libri hujus auctore, probabile tamen videtur, Iobum ipſum ejus auctorem fuiſſe, ut ſcriptores graviſſimi cenſuerunt. Lingua Syriaca, vel Syrochaldaica fuiſſe dicitur. Syriacam LXX. Interpretes dixere. Poſtea in Hebraicam linguam, ut nonnulli ſcriptores prodidere, à Moyſe traductus fuit.

III. Apud Hebræos à principio usque ad initium tertij capitis, oratione ſoluta, à verbis verò illis; *Pereat dies in qua natus ſum*, usque ad illa 42. capitis, *Idcirco ipſe me reprehendo*, hexametris verſibus excurrit: proſa demum abſolvitur. Incertum autem an Jobus ipſe in ſtatum florentem reſtitutus carmine ſcripſerit, an Moſes carmine tranſtulerit.

IV. Jobus fuit è poſteris Abraham per Eſau, juxta graviſſimorum Patrum ſententiam.

V. Fuit Jobus ille Jobab. qui Gen. 36. numeratur à Moyſe inter Reges Edom. Ex quo efficitur, ut vixerit ante legem latam.

VI. Jobi pater fuit Zare, Boſra mater, quæ à LXX. Interpretibus Boſora nuncupatur. Patria Hus in confinio Idumææ, & Arabiæ ſita.

VII. Fuit Rex, juxta plurimorum ſcriptorum placitum. Et quidem LXX. Interpretes ſic habent cap. 42. Hi ſunt Reges qui regnaverunt in Edom, cui regioni etiam ipſe Job dominatus eſt.

VIII. Fuit ſacerdos, atque adeò ex officio ſacrificavit, ſicut & primogeniti illuſtrium familiarium conſuevere, ut de Melchiſedech, hoc eſt, Sem primogenito Noe, & aliis uſque ad Aaronem primogenitis S. Hieronymus cenſuit.

IX. Fuit Jobus non patientia tantum, verùm & ſapientia eximius: quocirca, quæ promit, ut oracula cæleſtia excipienda ſunt.

X. Fuit vir planè magnanimus, neque de animi fortitudine quicquam remiſit, quod lamentis, & quærimoniis dolorem, ac mœrorem exhalarit, quod accurate obſervandum.

XI. Pietas, quæ ad aſſerendam divinam providentiam adverſus acres concertatores debuit ſuas vires exercere, in cauſa fuit, ut Iobus innocentiam propugnaret ſuam, ſeque à Deo graviter cædi, non commeruiſſe acerbos cruciatus, & eiuſmodi alia in ſpeciem parum lenia proferret.

XII. Quod laceſſitus injuriis, in cauſa graviſſima ad Deum provocaret, cum Deo diſceptare cuperet, victoriam ſibi polliceretur, & id genus alia; nihil pietati obſtant, præſertim cum liber hic poetice decurrat, in quo ſenſus potius quam ſtyli habenda ratio: ſenſus autem planè caſtus eſt.

XIII Nihil cunctandum, quod impugnatores ſuos interdum vellicet, quod ad coercendum impetum, & pietatem aſtruendam oportuit, ne videretur ærumna concidere, animumque deſpondere.

XIV. Plerumque res eadem, hoc libro, variis modis rhetoricè ſimul, ac poeticè adumbrata, expreſſa, expenſa, exornata reputetur, quod & dolentibus, & ſuadentibus eſt familiariſſimum.

XV. Sunt plura intellectu difficilia, tum ob ſententiarum obſcuritatem, tum ob poeticum ſcriptionis genus, præſertim ſi cum Hebraico, & Græco textu conferantur, ut mirum non ſit, tam multiplices interpretationes à viris peritis excogitatas fuiſſe; at earum quæ leniter decurrerent, delectus habitus eſt.

XVI. Controverſia hujus libri in hoc potiſſimum cardine vertitur, quod Jobus ſe innoxium in calamitatem incidiſſe aſſerit; ejus verò amici in acerrimos oppugnatores mutati, opinantes pios ſemper fortunari, & clades ſemper in hac vita pro culpis inferri, proſperitatemque impiorum, ſi quā floreat, citò evaneſcere, Iobum ſcelera multa perpetraſſe contendunt. Pro quorum ſententia obſervandum, non fuiſſe illorum mentem, pios ab omni prorſus labore, ſive adverſitate modica eximere, cùm id mortalis vitæ ſtatus non ferat, ſed ab infortuniis gravibus, ac diuturnis; quemadmodum è contrario impios brevi florere non abnuunt, dummodo perſeveranter minimè ſplendeant.

XVII. Jobi ſententia profectò vera eo fundamento nititur, quod neque temporaria proſperitas virtutis, neque ærumnæ criminum argumenta ſint: aliiſque de cauſis à Deo calamitates immittantur, puta ad virtutes parandas, Deique gloriam exemplo conſtantiæ amplificandam, & præmium ſanè ampliſſimum promerendum.

XVIII.

XVIII. Fert animus, Editionis vulgatæ ſenſum litteralem paraphraſi quàm breviſſima exprimere, brevemque expenſionem, ſive obſervationem ſubtexere, in qua nonnihil ad excolendos mores ſæpe profertur.

XIX. Ex verſionibus aliis, ea, quæ à Septuaginta Interpretibus divino conſilio olim facta, nuperque Summi Pontificis auctoritate in lucem edita fuit, non rarò inducitur ad vulgatæ explanationem, vel myſterii alicuius indicium. Translationes aliæ penè omnes conſultò prætermittuntur.

XX. Auctores minimè paucos tum priſcos, tùm recentes perluſtravi, ad iudicium ferendum, & interpretamenta ſeligenda; ſed adverſa valetudo non tulit, ut eorum placita deſcriberem, operique intexerem: quod ab iis, qui graviſſimi hujus libri ſenſum, ſine digreſſionibus, percipere cupiunt, boni conſulendum exiſtimo.

XXI. Quod ad ſenſus arcanos attinet, parciſſimè ſcripſi: & quia id à S. Gregorio Magno inſigniter præſtitum eſt, ut auctores alios ſileam: & quia ſenſus ipſe litteralis adeò arcanus, & uberrima ſententiarum copia ad mores rectè formandos, ac expoliendos appoſitus eſt, ut liber hic ſacrarum concionum promptuarium meritò nuncupari queat.

COMPENDIUM

LIBRI JOB.

CUM Job, vir ſanè integritate vitæ, ſapientia, pietatis, & iuſtitiæ cultu, ingenua prole, opibus, & ſecundis eventibus clariſſimus, in Auſitide regione quæ in confinio Idumææ, & Arabiæ ad orientem vergit, floreret; à Satana invidentiæ ſtimulis tacto, qui die quadam in cætum Angelorum cum Deo agentium ſe audacter ingeſſit, ad certamen virtuti experiendæ deſtinatum expetitur. Hoſti ergo permittitur efferato, qui & per ſe ipſum, & per nefarios homines, idoneos adminiſtros ſuos, pecora, opesque diripit, famulos & liberos interimit, virumque fortiſſimum multiplici morbo lethali penè conſumit: uxorem denique adigit ipſam, quæ immaniter afflictum acerrimè tentet Jobum igitur, qui in ſterquilinium, ubi acerbiſſimam ſortem lugeret, omni ſolatio deſtitutus ſeceſſerat, tres viri nobiliſſimi, ingenio perſpicaces, neque vulgariter periti. Eliphaz Themanites, Baldad Suhites Sophar Naamathites, amicitiæ officio, ex condicto inviſunt, & ſpectaculum Jobi ulceribus exeſi, ſanie fluentis, ad ſupremamque inopiam devoluti commiſerantes, ſigna doloris exhibent; ſtatisque ſeptem dierum luctui decretorum horis mœrenti aſſident taciti, rem inſolitam, & prodigioſam demirati. Exactis vero iis diebus, Jobus ſilentium ſolvit, maledictis diem natalem inceſſit, ſeque innoxium excruciari conqueritur. Hinc tres amici caſta verba, ſiniſtrè interpretati, in Jobum velut in hominem impatientiâ furentem, diviæque providentiæ reprehenſorem vehementer invehuntur: initurque certamen, Jobo ſe abſque culpâ exerceri conſtanter aſſerente, illis vero culpæ procul dubio eum inſimulantibus, qui cladem tantam commeruiſſet. Senſim ergo, è Jobi peculiari ærumnâ, ad controverſiæ genus ventum eſt, Jobo ajente, & ſe, & alios pleroſque inſontes in hac vitâ paſſim afflictari; illis negantibus quemquam ſine crimine plecti. Prolixo ergo bello ultro citroque per capita multa geſto, Eliu Buzites, quartus diſceptator, turgidè utroſque concertatores carpit: Jobum, quod ſe iuſtum aſſeveraſſet, tres amicos, quod ineptè reſpondiſſent. Controverſiam ergo ſatis agitatam Deus dirimit, & pro Jobo pronunciat: cujus precibus amicum erratum accepto ſacrificio expiat, & Jobum in ſtatum duplo feliciorem mirâ divinæ bonitatis oſtenſione reponit.

PARAPHRASIS
IN LIBRUM JOB.

IMPROVED

VEN. P. F. IOHANNIS
A IESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
PARAPHRASIS
IN LIBRUM IOB.

CAPUT PRIMUM.

Scripta An. 1610.

V. 1. VIR ERAT IN TERRA HUS. NOMINE IOB.

PARAPHRASIS.

Homo quidam inhabitabat regionem Ausitidem in confinio Idumææ, & Arabiæ sitam, cuius nomen Iob.

VERBA hæc prima, quibus Iob ipse, vel Moses (aut quicumque alius fuerit canonicus scriptor) divino spiritu afflatus, gravissimum librum auspicatur, singulare quiddam præferunt, quod ad invictissimi Iobi encomium extollendum, & ad hæreticorum, historiam hanc, velut elegans patientiæ commentum respuentium, impudentiam revincendam mirificè confert. Nimirum singulare præconium est, Virum illum ea virtute inter barbaros populos, Husitas videlicet, indigenas Hus, quæ à LXX. Interpretibus Ausitis regio nuncupatur, claruisse, quæ regionem incultam, & alta Dei ignoratione occæcatam, fausto unius hominis natali, inculpatæ vitæ decursu, & honesta morte illustrarit. Laus hæc degeneres Christianos arguit, qui in media Ecclesiæ schola, cœtu virorum Apostolicorum septi, non magis proficiunt, quàm si inter feros Ethnicos morarentur. Illa verò adeò expressa nomenclatura hominis, cuius patria, nomenque sacris fastis inscribitur, palam evincit, historiam hanc à poeticis, & oratorijs figmentis tam procul abiungi, quàm longè syncera veritas à simulatione graphicè picta secernitur.

Iob, id est, dolens aut gemens.

Husitæ quales populi?

Christiani degeneres

Et erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.

PARAPHRASIS.

Erat homo syncerus, iustus, timoratus, & à culpa omni procul absistens.

VIR ille per hoc ostenditur iustitiæ luminibus splenduisse, quod malum, hoc est, culpam aversaretur, & intuitu puro, Dei legem casto timore affectus expleret. Simplex, sive, iuxta LXX. verax fuit: nam qui duplex animo à Scriptura Sacra appellatur, perenni mendacio personatus aliud agit, aliud portendit. Rectus fuit, cùm ad rectam legis lineam suos actus metiretur, atq. dirigeret:

Quis duplex animo?

Scripta ret: neceſſe eſt quippe, quod à lege nondi-
An. 1610. rigitur, obliquum fieri. Timens Deum fuit, quod ad ingenuum timorem ius violandi, divinæque Maieſtati iniuriam irrogandi referendum. Vitæ ſcilicet integritas adeò mira non ſanè fragili pœnæ formidine, ſed præ-
A nobili culpæ horrore ſubnititur, quod viris ſapientibus perſpectum eſt, Recedens à ma-
Vir integer non pœnam ſed culpam timet. lo fuit, ſive quod LXX. ſignificantiùs reddide-re, Abſtinens ab omni mala re. Quibus certè verbis non egregia modò viri ſanctimonia, verùm & prudentia inſignis eluceſcit, ut proſpiceret caſus futuros, & tuta mentis cuſtodia ſeptus caveret, ne, quam paraverat vitæ integritatem, improvidus, aut inermis amitteret, Opulentiæ argumentum eſt, fures ſuſpicari, ac expaveſcere.

B

℣. 2. Natique ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.

PARAPHRASIS.

Decem ante hiſtoriam luctuoſam genuit liberos, maſculos ſeptem, fœminas tres.

DEcuit divinam bonitatem, ac ſapientiam, ita res temperare, ut viri planè
Septenarius numerus laudatus. iuſtiſſimi proles idoneo numero cenſeretur; amplo non tam opum, quàm paternæ iuſtitiæ patrimonio ad liberos piè, ac liberaliter educatos derivato. Uterque ſanè numerus, ſeptenarius virorum, ternarius fœminarum laude minimè vacat, quod apud ſacros, & profa-
C nos ſcriptores vulgatiſſimum eſt. Nos hæc parum neceſſaria à conſilio ſupprimimus.

℣. 3. Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis.

PARAPHRASIS.

Recenſuit inter amplas opes ſuas, ovium millia ſeptem, camelorum millia tria, boves mille, aſinas quingentas, plurimamque familiam,

HIc divitiarum cenſus per ſe planus videtur, quando armenta, & greges perſpicuè diſcernuntur, ac enumerantur. Et quidem benè eſt, ſit locuples, qui iuſtus:
D nam qui miſericordes, ac liberales ſunt, occaſionem beneficentiæ nacti, erogatis opibus, quas negligunt, nobiliſſimos proferunt actus
Cur divites boni? virtutum, quibus & ſe ipſos perficiunt, & Remp. exemplo pietatis exornant. Sic Deus Patriarchas permultos, Reges, ac Pontifices charitate eximios divitijs auxit, ut affluentiùs largirentur, ne pijſſimis animis ad munificentiam propenſis materia opportuna deeſſet. Huc ſpectat LXX. Interpretum verſio, quæ ſic habet; Et miniſterium multum valdè, & opera magna erant ei ſuper terram. Quæ certè verba cohærent cum Verſione vulgata aiente: Et familia multa nimis. Nimirum præclarè actum eſt, ut viro munificentiſſimo famulitium numeroſum, & opera multiplicia ſuppeterent, quæ in occaſionem pietatis propagandæ, & largitionis exercendæ verterentur. *LXX. Interpp.*

E

Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

PARAPHRASIS.

Erat Iob Orientalium omnium, opibus, ſapientia, & vitæ integritate maximus.

F

ALijs ſcriptoribus Iob Princeps, aut etiam Rex, alijs excepto principatu Vir ditiſſimus, famaque clariſſimus fuit. Symmachus vertit, *μέγιστος πάντων ἀνατολικῶν*. Maximus omnium orientalium. In Auſitide quippe regione, quæ ad orientem ſolem vergit, fuit omnium locupletiſſimus, & nominis claritate primus. At quicquid de Iobi ſtatu, aut temporali dignitate cenſendum ſit, tametſi non mihi diſpliceant ſcriptores, qui tanto viro principatum attribuunt, ego cum exuberantia opum ſummam Iobi ſapientiam, ſummam vitæ integritatem connecto, primamque, ac potiorem viri magnitudinem in vitæ probitate, & celebritate famæ à virtute coortæ, ſecundam verò in divitijs virtuti ſervientibus repono. Et quidem non opes tantùm, ſed nominis quoque claritas à virtute progenita virtutem ipſam nobilitate, ac magnitudine non æquat: ſenſus tamen Scripturæ huius videtur expoſcere, eam hic magnitudinem præſertim commemorari, quæ à gente inculta, & veræ virtutis ignara æſtimari potuerit. Potuit verò raram, & facilè cœleſtem vitæ perfectionem tenuiter agnoſcere: verùm a rebus geſtis, & ſplendidiſſimo iuſtitiæ cultu, qui ſe ſe oculis Reip. palàm oblectabat, virum illum eximium in admiratione habuit, & uſum divitiarum legitimum, pietate conveſtitum venerata eſt. Atque idcirco univerſorum Orientalium maximus iure appellatur. Profectò ſi profanis Imperatoribus ex rebus fortiter geſtis, abſque iniuria Magnorum cognomentum acceſſit, quod de Alexandro Macedone memoriæ proditum eſt, nemo inficiari queat viro fortiſſimo, ac patientiſſimo Magni nomen deberi, præſertim cum à Spiritu ſancto in hoc ipſo textu, quem interpretamur, Magnus appelletur: Etenim ſimillimis de cauſis Baſilium, & Gregorium Magnos nuncupamus. *Symmachus.* *Virtus opibus præferenda.* *Et nobilitati.* *Magni nomen undè?*

G

H

℣. 4. Et ibant filij eius, & faciebant convivium per domos unuſquiſque in die ſuo.

PA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Ex disciplina tanti parentis, eius liberi frugalia convivia, quisque scilicet domi suæ, decreto die, amore mutuo celebrabant.

Laus parentum ex filiorum virtute.

MUlta hic præconia conduntur, quæ ex liberorum actibus in parentis caput regesta, congestaque maturi sapientia viri canos honestant. Primum quidem ex mutuo convîviorum officio mutuus liberorum amor ab omni invidentia immunis astruitur, quod in educationem liberalem refundendum. Mox domorum discretio laudem exaggerat, quod ad convictum proculdubio urbanum, ac suavem pertinere videtur; ne maior natu filius convivali domo prægravatus ab officio quotidiano desisteret, vel germanis fratribus æqualem laudem præriperet.

A

Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent, & biberent cum eis.

B

PARAPHRASIS.

Ingenui viri sorores suas ad castas epulas invitantes, humanissimè illas excipiebant.

Viros, non fœminas decet convivia cogere.

NOn ita deceret, ut viri à fœminis exciperentur ad epulas. Quocirca, cùm neque à mensa forent repellendæ, decuit tantum virum liberos ingenuè admonere, sorores pudicitia insignes ad convivium accirent, ne sperni viderentur: è disciplina quippe parentis institutio hæc prodijsse credenda. Hic verò omnino ponendum, à mensis illis amore reciproco fœderatis, & castitate nitentibus impuritatem omnem procul abfuisse: neque enim credi possit, in solennes epulas Iobi sapientia temperatas, palamque celebratas fœdos abusus irrepsisse.

C

℣. 5. Cumque in orbem transissent dies convivij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.

PARAPHRASIS.

Expleta hebdomada septem conviviorum, accersitos filios, oblato pro singulis sacrificio, Iob diluculo expiabat. Erat quippe sacerdos.

D

Iobi prudentia & religio.

EX hoc textu liquet, quam prudenter, ac piè Iob liberos institueret suos: quippe qui iuventuti indulgeret tantillum, celebraret reciproca convivia, quibus ipse ob ætatis, & mentis maturitatem non interesset, quod est prudentiæ: mox verò peracto epularum circulo, accersitos filios cæremonia sacra expiaret, quod est pietatis. Ponendum hic, Iobum sacerdotem fuisse, more aliorum procerum, primogenitorum regum, virorumque sapientia, & sanctitate excellentium, quæ gravium auctorum assertio est, è ritibus nationum variarum, à prima antiquitate collecta, quod in canone octavo prænotavimus. Septem ergo diebus exactis, prima hebdomadæ succedentis die, antequam epulas auspicarentur, convocatis Iobus summo mane filijs, holocausta, quæ sunt sacrificia igne absumpta, ad numerum pro singulis immolabat: pro singulis inquam filijs, qui erant septem conviviorum capita; nam filiæ sicut convivijs, ita sacrificiis annumerantur. Præcipiebat verò, se ad holocausta compararent peculiari affectu, & fortasse externo aliquo pietatis ritu nobis incognito, atque in hunc modum eos sanctificasse, expurgasse, aut emundasse asseritur, ut religiosiùs sacrificio interessent, quod animi planè pijssimi argumentum est. LXX. Interpretes, præter septem holocausta, addiderunt sacrificium unum universis filijs commune, in hæc verba: Et vitulum unum pro peccato, pro animabus eorum: quæ certè verba referuntur à Chrysostomo, & Olympiodoro. Mira est profectò Iobi sapientia, quæ ad rectam, perfectamque œconomiam transferri meritò debeat. Sic videlicet liberi ingenui à primævo ætatis flore instruendi sunt, ut pro ætate modestè, ac festiviter agere sinantur, licentia nempe cohibita, & certis finibus circumscripta. Illud verò in primis enitendum, ut religio parentum exemplo, & auctoritate laudata liberorum animis altè insideat: quod à Principibus præsertim observandum, & exquirendum est. Fortasse vitulus ille à LXX. Interpretibus designatus, Christum pro culpis hominum sacrificatum prætulit: quasi eo typo Iob vaticinaretur, quod revera futurum prænovit. Satis enim enucleatè Redemptoris sui, ac nostri meminit, cuius holocausto & se, & liberos suos, & genus Adæ universum expiandum prophetice accepit. Eminet præterea in Iobi, diluculo ad sacrificia surgentis, sedulitate eruditio imitatione dignissima, ut viri præsertim proceres summo mane ad Dei cultum, & puras preces evigilent, quo diurna operum series inculpatè succedat. At holocaustorum ratio nunc perquirenda est.

Sacerdotium antiquitùs penes quos?

E

LXX. Interp.

S. Io. Chr. Olympiod.

F

Liberorum suavis institutio.

Christus præfiguratus

Iob. c. 19. 25

G

Dicebat enim, ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.

PARAPHRASIS.

Evigilabat horis antelucanis Iob, sollicitus, ut Deum sacrificio placaret, aiens: Propitiandus mihi Deus est, ne fortè filij mei inter epulas erraverint, & blasphemum quid mente conceperint.

H

Vix absque vitio convivia.

SAt norat Iob, vir perspicax, & rerum conscius, convivia vix absque vanæ lætitiæ illapsu, & verborum excessu posse celebrari, quod nimis tritum, & vulgatum est.

Scripta An. 1610.

Et quidem licet ipse, pro status celsitudine, generis nobilitate, & (quod caput est) pro syncero Dei cultu liberos suos castis institutionibus imbuisset; verebatur nihilo seciùs, ne laxatis habenis inter pocula, ut evenire solet, intemperantia vires acquirens animos pios è constantiæ arce deturbasset: & aliquod peccatum taciti saltem admisissent. Huc quippe spectat modus ille dicendi; Et benedixerint Deo in cordibus suis: erga quem duo
A videntur observanda, unum ad phrasim, alterum ad sensum Iobi loquentis. Nimirum,
Benedico pro maledico. quod ad phrasim attinet, notum est, Benedixerint, accipi debere significatu contrario, pro maledixerint, quod in Scriptura sacra familiare est, ob divini nominis venerationem: ne vel commemorata Dei blasphemia horrorem incutiat: præterquam quòd è contextu liquet, Iobum timere non potuisse, ne liberi Deo benedicerent, ratione ipsa benè concinnata significatum contrarium exposcente. Quod vero ad Iobi sensum spectat, apositè subiunxit, In cordibus suis, tanquàm luculentiùs diceret:
B Exploratum est mihi, filios meos non eò audaciæ, & impudentiæ progressuros, ut maledicta in Deum horrendis verbis eiaculentur: Consessus quippe germanorum fratrum, ac sororum, quibus castæ sunt aures, non ferret eiusmodi verba ab aliquo turpiter prolata. At vereor ego, ne postquàm potu incaluerint, sensa horribilia intus concipiant, & silentes Divinam Maiestatem aliquo maledicto lacessant. Profectò sensus hic Iobi ad conviviorum, ubi nimis opiparè voracitas exercetur, licentiam carpendam efficacissimus est. Si enim frugalibus in mensis vir sapientissimus Dei maledicta timuit, quid non metuendum, ubi intemperantia nullo fræno coercita, nullo sacrificio
C expiata gliscit? Expendant rarum exemplum hoc, qui mensis ad voluptates impuras abuntur.

Sic faciebat Iob cunctis diebus.

PARAPHRASIS.

In hunc modum consuevit sacrificare Iob, cunctis nimirum octavis diebus post convivia septem recurrentibus.

HOc est planè maximum viri pijssimi præconium, cunctis videlicet diebus, quibus, convivijs in orbem actis, hebdomada succedebat, stato sacrificio, Deoque pro-
D pitiato, liberos à culpis, si quæ obrepsissent, expurgásse, & à futuris hebdomada ineunte casibus præservare studuisse. Illud ergo, Cunctis diebus,
Perseverantiæ argumentum. perseverantiæ argumentum repræsentat, quod, licet mihi incertum sit, quàm diu procurrerit, credo equidem satis diu perdurasse. Et hactenus vita invictissimi viri ante conflictum mox recensendum compendio quodam à Scriptura sacra comprehensa est: ad quam proculdubio pertinent eximia illa pietatis, ac iustitiæ opera, quæ posteà Iob ipse, pristinam describens fælicitatem, calamitate decumbens, varia eloquentia, sensu miro celebrabit.

V. 6. Quadam autem die, cùm venissent filij Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.

E

PARAPHRASIS.

Decreta die cœtus Angelorum sociatus est, ut Deo merita Iobi, ac liberorum eius simul offerrent: quò se insinuavit Satan validè repugnaturus, & calumnias obiecturus.

HOc est exordium historiæ luctuosæ, qua fortissimi viri Iob lucta describitur. Fuit sanè ab infantia Deo addictissimus, nituitque eo vitæ candore, qui sævissimum humani generis hostem graviter afficeret, ut invidentiæ stimulo excitatus animum adamante fortiorem infestaret. Aderat ergo Dæmon, nocendi cupidissimus, creberrimè omnes Iobi actus circumspiciens, captansque ruinæ occasiones, quàm curiosè, atque malignè poterat. Cùm igitur frequentissimè viro innoxio insidiaretur, die quadam divino iudicio decreta, Angeli multi, qui iuxta LXX. Interpretum versionem, Dei filij nuncupantur, ob nobilissimam gratiæ cœlestis adoptionem, in qua fidissimè perstitere, in unum convenere locum, Iobo, ut congruentia rei gestæ reposcit, propinquum: ut adesset Angelorum custodia, ubi exercebatur, ac ingruebat hostis invidentia. Etsi enim colloquium hic inter spiritus multos descriptum eam loci propinquitatem Theologicè agendo minimè requirat, cùm potuerint è locis inter se longè
G dissitis, directis mutuò conceptibus colloqui: quod è S. Tho. 1. p. q. 107. artic. 7. sententia liquet: ipsa tamen historiæ congruentia deposcit, ut in proximo loco, ubi tendebantur insidiæ, concilium celebrarint, cum nihil prorsus obstet, quò minùs res tota in eo loco peragi syncero verborum sensu potuerit. Et quidem vero simillimum est, hos Dei filios, Angelos Iobi, ac liberorum eius custodes fuisse, quorum procuratio velut ad unius familiæ tutelam pertinebat. Qui astitisse coram divina Maiestate asseruntur, non sanè, quòd illius unquam conspectu, & præsentia carerent, cùm forent illius fruitione beati; sed quod mirabili Dei consilio, designato die, ac hora illa piorum hominum,
H quorum tutelares erant, merita peculiari mentis assensu Deo offerrent. Semper ergo per beatam fruitionem custodia hominum minimè interrupta assistebant Deo: at hora illa cœtus quidam pietate multa sociatus est, ad miram gerendæ rei providentiam, ut Iobi, ac filiorum causa multis Angelis assertoribus ageretur. Ad eamdem igitur horam Satan Iobi tentator affuit, longè alio proposito, atque consilio. Angeli videlicet astitere,

Dæmonis astus.

LXX. Interp.

Spirituum colloquutio.

S. Thom.

Angeli custodes pro Iobo.

Quomodo coram Deo se sistant?

ut

Scripta An. 1610.

ut propugnarent, Satan, ut si valeret, expugnaret. Illi ut generosum virum commendarent, hic ut execraretur, &, quà posset, everteret, ut è verbis cum Deo ultrò citròque habitis extemplò patebit. Cùm verò nihil pervincat, conventum hunc sub aliqua forma corporata, vel imaginaria celebratum, asserendum videtur, invisibili modo rem fuisse peractam, cùm is modus Angelicæ naturæ congruentior sit. Asserendum quoque, iuxta communiorem Patrum sententiam, huic cœtui Angelum aliquem præfuisse, qui Dei vices gereret, quemadmodum in Testamenti
A veteris apparitionibus passim à scriptoribus obsservatum, & assertum est. Et hæc quidem ad historicum textus interpretamentum opportunè promuntur. Arcano verò intellectu, qui ad mores excolendos attinet, expensione dignum est, hostem unum, sed tutelares multos in unius hominis causa à sacro textu recenseri, præterquam quod Patrum catholica consensio est, singulis hominibus Angelum unum destinari: qui tamen singulos à Dæmone uno designato impugnari minimè sentiunt, ut spes auxilij divini radices
B altas defigat. Huc etiam facit decreta consultationis dies, ut omnia, quæ in salutis humanæ procuratione per Angelos, & infestatione per Dæmones aguntur, divino quodam senatus consulto priùs cognita, & provisa probentur. Pro verbis illis Vulgatæ editionis, Inter eos, Aquila vertit, ἐν μέζω αὐτῶν, In medio eorum; quod ad impudentiam Dæmonis ausu, ac invidentia incitati sese in medium ingerentis, & totius concilij suffragia retellere satagentis significandam confert.

Angelus præest loco Dei.

Angelorum tutela asserta.

Aquila.

℣. 7. Cui dixit Dominus; unde venis?
C

PARAPHRASIS.

Deus Iobi vexationem permissurus interrogavit Satanam vigilem occasionis captatorem, quo ex loco in cœtum Angelorum accessisset.

OMnino perspectum est, verba hæc non ad sensus corporeos, sed ad conceptum mentis pertinere. Neque enim Angelus, qui præsidebat Dei vice, plectro linguæ verba formavit, aut Satan corporeas habuit aures, quibus sonum perciperet. Tunc ergo Angeli, aut Dæmones mutuò colloquuntur, cùm
D mentis conceptus alternis directionibus inter se collimant, quod ad pleraque huius libri loca interpretanda ponendum est. Rogat verò Deus, non tanquam rei ignarus, sed ut Dæmonem ad ea, quæ statim subtexenda sunt, primordio miro deducat.

Angelorum mutua loquutio.

Cur Deus interrogat?

Qui respondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam.

PARAPHRASIS.

Respondet Satan: orbem terrarum percurri.

AUdacter respondet, velut superbus Imperator, qui castra lustraverit, exercitu militum numeroso gloriatus. Obivi, ait, terrarum orbem, quasi subijceret; gentem meam dicto parentem recensui. Et quidem non minus compertum, quàm lugendum est, turgentem superbia Dæmonem scisscitanti Deo potuisse innumerabilem Tartari prædam obijcere. Si enim, postquam Deus Christi sanguine placatus est, insaturabilis Satan tot mil- E
lium millia prædatur, quid de tempestate illa, ubi Dei oblivio, & ignoratio grassata est, opinemur? Terram Satan perambulat, hoc est, pessundat, proterit terrenos homines: at à spiritualibus cælestibusvè proculcatur.

Superbia, & vis Satanæ.

℣. 8. Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? F

PARAPHRASIS.

Rogat tunc Deus: An observasti neminem in orbe universo cum Iob posse componi, qui vir syncerus, æquus, timore casto, & abstinentia culpæ conspicuus est?

REpressurus Dæmonis audaciam Deus subdit: Numquid considerasti servum meum Iob, &c. tanquam expressiùs diceret: Novi elationem, & impudentiam tuam, qui mecum verba facis audentiùs, quàm res tua deposcat. Superbia tumes, quod terrarum orbem in peccati lethargo iacentem perlustraris, & tyrannico velut imperio potiaris. At non continuò universa, quæ percurrisse ais, tua sunt: Habeo quippe in Ausitide regione fidissimum amicum, athletamque fortissimum, cuius præda gloriari minimè vales. An non contemplatus es syncericatem, rectitudinem, Deique timorem adeò insignem viri, cum quo nemo possit in orbe toto conferri? Hæc Deus. Subest autem in hoc gravi Dei postulato uberrima admirationis causa. H
Ecquis enim non obstupescat, dum audit tumenti præda innumera Dæmoni unius hominis iustitia a Deo laudata responderi? Num possit vir unus divino elogio dignus cum terrarum orbe penè universo teterrimis criminibus fœdato concertare, ut tantum gloriæ divinæ ex unius sanctimonia coalescat, quantum scelesti homines, quorum numerus Arithmeticos canones videtur excedere, peccando decerpunt? Porrò laus hæc Iobi omni eloquentia maior est.

G

Dei gloria ex unius viri sanctitate.

Cui

Scripta An. 1610.

℣. 9. Cui respondens Satan ait: Numquid Iob frustra timet Deum?

℣. 10. Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius crevit in terra?

PARAPHRASIS.

A *Respondet Satan: An gratis te colit Iobus, quem tantopere commendas? An illum, opes ipsius, operaque non fortunasti, ut in Oriente benè nummatus, ac locuples evaderet? Profectò ille ob quæstum tibi cultum affert.*

DIrissimus Iobi hostis Dæmon, cùm sanctimoniam viri omni exceptione maioris inficiari nequiret, quippe quæ multis luminibus Reip. universæ præluceret, incipit eam, quà possit, extenuare, quasi fundamento infirmo niteretur. In hunc verò modum fraudulentus inimicus respondere censendus est: Rogasti Iudex, an Iobi vitam observassem, quæ syncera puritate niteret. Ego verò rem expendisse me fateor, neque adeò miram integritatem reperisse. Constat enim, B Iobum non puro gloriæ divinæ intuitu custodiæ legis se ipsum dedere, at secundis eventibus allectum Deo utcumque inservire, ne id quidem facturus, nisi cælesti largitione fortunatus. Sanè non frustra, non absque lucro penè immenso tibi famulatur, factus in dies munificentia tua locupletior. Quæro enim, Ecquid Iob desideret, quod non ad votum succedat? Profectò tu in Iobum ita pronus, & liberalis es, ut cæterorum hominum velut oblitus, uni ei prosperando, ac beando videaris intentus. Tu certè illum natura inermem, ac direptioni expositum obsepsisti singulari providentia, Angelique custodia, qua ille tanquam in arce tutissima constitutus adversis telis lædi non possit. Neque ipsum cer- C tè solum hac prærogativa insignisti, verum & domum eius peramplam, bonorum copia exuberanter affluentem exornasti, ipsaque armenta, & greges ubertim fœcundasti: & quicquid attentat, quocumque manum admovet, in lucri, & honoris argumentum vertere consuevisti. Cur ergo Iob tibi non se totum addicat? Certè de te conqueri non valet, cum omnia ei ad nutum cedant. Reliquum est igitur, ut te magnitudine beneficiorum victus laudet, neque a te velit absistere. At hic famulatus minimè syncerus est, qui fragili prosperitate fulcitur. Hucusque D interpretatio verborum Satanæ procurrit. Nunc verò spontaneam hostis acerbissimi confessionem expendamus, quæ dulcissimam Dei providentiam teste invito commendat.

Porrò verum est illud: Tu vallasti eum, quod ad animi corporisque custodiam, & quamdam velut Dei vigiliam ad virum iustum, thesaurum certè pretiosissimum, servandum, & fures arcendos pertinere, compertum est. Profectò Deus ipse arx est, quæ virum innoxium ambit, ne unquam lædatur: ponduspue habet immensum pronomen illud, Tu, cuius sensus mirus, & arcanus est, Deum ipsum esse vallum, murum, aut septum illud, quo Iob ad tutamentum ambitur. Iam verò non vir sanctus modo, verum & temporalia ipsius bona obvallata asseruntur, ne diripiantur: experientia quippe satis crebra novimus, rem familiarem virorum misericordium absque numero, & pondere eleemosynas erogantium, incognita quadam ratione, non modò non dissipari, sed E largitione succrescere: quod omni dubio procul neutiquam succederet, nisi Deus rem illam & tueretur, & augeret. Quod verò Satan ait, Deum operibus manuum Iob benedixisse, hoc est, prosperitatem attulisse, mirificè congruit, cum vir iustus id per opera sua moliretur, ut Dei gloriam, & cultum propagaret. Decet quippe divinam bonitatem ijs, a quibus religiosiùs colitur, uberiora bona, fæliciores rerum exitus impertiri: quod ætate hac nostra a viris sapientibus observatum est.

Deus protector bonorum.

Liberalitatis fructus.

℣. 11. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. F

PARAPHRASIS.

Oppignoro tibi fidem meam fore proculdubio, ut blasphemijs te lacessat, si aversa tantillum manu illum opibus expoliaveris.

PErgit Satan cœptam obiectionem contexere, monetque fiat de viro illo periculum, spondens fore, ut sanctitas conficta se prodat. Extende, inquit, paululùm manum tuam, quasi apertiùs diceret: Ego certè mihi persuasi, hanc Iobi iustitiam cuti duntaxat hærere: non sedet in imo: nihil habet solidum, G atque syncerum. Credo equidem, si paululùm secundam fortunam intercipias, & velut producta manu summis digitis adversis rem familiarem avertas, evestigiò color sanctitatis evanescet, & animus experimenti levis impatiens evomet maledicta, omnemque adversitatem in te regeret ipsum. Pro verbis illis, Nisi in faciem benedixerit tibi, quæ apertam impudentiam coram Deo peccantis significant, Didymus habet, *ἐαν̀ μὴ τότε φανερῶς βλασφημήσῃ*, si non tunc manifestè, ac palam blasphemaverit. Hæc est Satanæ pollicitatio, futurum scilicet ut Iob periculo succumbens in blasphemias furens abripiatur; quod licet in animo Iob constantissimo frustra speraverit, confidit tamen, obtinetque passim in animis mollibus multorum, qui ad Dei cultum vento prosperè flante propensi videntur, moxque ac vocantur ad examen, vehementer excandescunt, & tartareis maledi-

Didymus.

H

Humanæ virtutis inconstantia in adversis.

ctis

Scripta ctis divinam ultionem irritant. Quorum cer-
An. 1610. tè hominum ætas quoque noſtra ferax eſt. Intimis profectò medullis hæret bonorum amor temporalium, quod argumento præſenti ſanè mirabili pervincitur. Cùm enim Satan fortiſſimi viri Iobi virtutem non ſine admiratione exploraſſet, adhuc confidit, ablatis
A divitijs ruituram, ne dum nutaturam; quòd ſanè non ita fidenter promiſiſſet, niſi prolixa experientia amorem auri viſceribus mortalium altè impreſſum noſſet, & multos olim conſtantia inſignes eo prælio a virtutis faſtigio exturbaſſet.

℣. 12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce univerſa quæ habet, in manu tua ſunt: tantùm ne in eum extendas manum tuam.

PARAPHRASIS.

Subiungit Deus: En, ſi parùm fidus videtur tibi Iobus, opulentiam ipſius omnem
B *tibi permitto. Cave tamen, ne illam attingas.*

PErmittit ſapientiſſimus Deus virum fortiſſimum Dæmoni, ut inter nocendi artes ab hoſte exercitas, virtus icta reſplendeat. Et primùm quidem à levioribus tentamentis origo petitur, ut ad graviora certamina via ſternatur. Exploratum eſt quippe, ex-
Fortunæ cum animi, corporiſq. bonis comparatio, terna bona, quæ hominem circumſtant, ſi cum animi corporiſve bonis conferantur, leve quiddam eſſe, quantumvis in genere proprio magna exiſtimentur. Facta ergo copia nocendi, opulentiamque demoliendi, ut gradatim aſcendendo virtus Iobi luculentiùs clareſcat, excipit Deus vitam, & valetudinem, quæ in ipſo inſunt homine, quemadmodum è planiſſimo liquet ſenſu verborum illorum:
C Tantùm ne in eum extendas manum tuam: quaſi ad hunc modum verba prompſiſſet; Spopondiſti, Satan, fore ut Iob poſito patientiæ clypeo, abiecta conſtantia, in me inveheretur, ſi manu paululùm extenſa eius opes adimerem: at ne tibi verax videaris, diſſipato tu hominis divitias, ut pateat, quid Iobi conſtantia valeat. Profectò textus hic & eruditionis, & ſolatij plenus à memoria nunquam deberet excidere. Confert enim ad
Dæmon nocere non poteſt, abſque Dei permiſſione. roborandos militum Chriſti animos, dum animadvertunt, Dæmonem nocendi cupidiſſimum non licenter graſſari, neque quàm cupit deſævire. Si enim id poſſet, Eccur antequam ei à Deo copia lædendi fieret, non invaſit Iobum, & agmine conferto cuncta eius bona protrivit? Affectat ergo mortalium damna, ſed non infert, niſi quantùm Dei clementia
D viribus noſtris attemperata permittit. Omnia ad pondus, numerumque metitur Deus, ut ex hoc ipſo loco perſpicitur per verba hæc: Tantùm ne in eum extendas manum tuam; hoc eſt, Ad certam uſque metam, neque ulteriùs Iobum a te vexari ſino: cave, ne vitæ ipſius ſine meo permiſſu inſidieris.

Egreſſuſque eſt Satan à facie Domini.

PARAPHRASIS.

Erupit alacer Satan à conſpectu Dei, & Angelorum cœtu.

IMpetrata venia, opes amplas Iobi perditurus exit Satan ab illo deſignato loco, ubi cœtus Angelorum ſociatus fuerat, & quò ipſe audax intrarat. Egreſſus ergo hic non eſt exceſſus longinquus in locum, qui Dei omnia luſtrantis oculos lateret, ſed receſſus à loco, in quo Dei iuſſu concilium celebratum fuerat, quo ſoluto, quiſque ad ſua munia obeunda diſceſſit. Quod verò ad ſenſum ſpectat arcanum, aptè dicitur, Satan à Deo egreſſus, vel dilapſus, non locorum, ſed affectuum diſtantia, quemadmodum filius ille prodigus Evangelica cenſura reprehenſus in regionem longinquam dicitur abiiſſe, ut à paternis moribus longiſſimè diſcreparet.

E

Dæmonis a Deo qualis diſceſſus?

Filius prodigus.

F

℣. 13. Cùm autem quadam die filij, & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti, ℣. 14. nuncius venit ad Iob, qui diceret: boves arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, ℣. 15. & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & evaſi ego ſolus, ut nunciarem tibi.

PARAPHRASIS.

Univerſis Iobi liberis die quadam læta apud primogenitum veſcentibus, Ecce nuncius infauſtus ſic Iobum aggreditur: Sabæi boves arantes, aſinaſque paſcentes irruptione facta diripuerunt, & cæteris ſocijs immaniter cæſis, ego ſolus liber, licet triſtis nuncius evaſi.

G

IRruptio hæc à Sabæis facta, & inſtigatione Dæmonis cœpta atque peracta, è textu ipſo adeò perſpicua eſt, ut interpretatione vix egeat. Myſterio autem minimè vacat nunciorum ordo à Dæmone pervertendi ſtudio intentus, ſed à Deo, miro fortiſſimi viri virtutem manifeſtandi conſilio diſpoſitus. Cùm enim funeſta nuncia breviſſimo temporis ſpatio allata fuerint, opera navata eſt, ut minùs triſtibus mœſtiora ſuccederent, quò ſenſus fieret acerbior, & exaggerata calamitate clareſceret patientia maior. Et quidem in hoc ipſo textu, ubi levius telum in cor Iobi intorquetur, perpendere licet, quantis pœnæ acceſſionibus viri iuſtiſſimi pectus ten-

Nunciorum ordo non ſine myſterio.

H

Scripta An. 1610. tentaretur, quando vulnus primum adeò fuit horrendum. Lætus agebatur dies, liberis omnibus in ædibus primogeniti conveſcentibus, conſcio rei parente, ac proinde feſtiviter affecto: & ecce gaudium cumulatum repentinus occupat luctus, nunciuſque impreſſionis à Sabæis factæ pallore ſuffuſus, ac tremens fortunatam Iobi aulam infortunia relaturus ingreditur. Pondus habent ſuprema verba illa: Et evaſi ego ſolus, ut nunciarem tibi;
A quaſi à conſilio factum, proviſumque aſſereret, ut nuncius infauſtus non fuiſſet à Sabæis cæſus, ne deeſſet qui ſpiculo primo Iobi nihil minùs cogitantis animum percelleret.

ỳ. 16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves, pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, ut nunciarem tibi.

PARAPHRASIS.

Nondum primus narrationem expleverat: Et ecce ſecundus ad Iobum ingreſſus ait:
B *Flamma cœlitus immiſſa oves, ſocioſque meos abſumpſit; & ſolus ego incendio ereptus, tragicus relator accedo.*

EXpendendum eſt malorum incrementum: neque enim tempus modicum indultum eſt, ut luctuoſi nuncii primi mœſtitiam excoqueret, aut conſideratione tenuaret: ſed tanquam fortiſſimo militi armatura dupla ſepto vulnus ſecundum gravius infertur. Statim ergo, ac primus hiſtoriam lugubrem explevit, ne vir tantus interquieſceret, attexit ſecundus ſuam, qua facilè ſignificavit, non terram modò, ſed cœlum quoque in
C unam irrogandi mali ſententiam conſpiraſſe. Illud quippe, Ignis Dei cecidit è cœlo, perinde eſt, ac ſi dixiſſet; Ignis à Deo immiſſus eſt, quemadmodum Complutenſis editio habet: quaſi non fortuita impreſſio aliqua meteorica, ſed calamitas definito conſilio à Deo illata fuerit, ut acriorem dolorem excitaret in animo, qui fidiſſimè Deum coluiſſet. Poſſit quoque Hebraiſmus eſſe ille dicendi modus, Ignis Dei, ſicut cedri Dei, montes Dei, ad incendium vehemens innuendum, quod Satan Dei propoſito abutens iniecit. Idem pœnæ malum à Deo prodit, ut proficiat, à Dæmone, ut officiat.

Quid ignis Dei? *Edit. Compl.*

D ỳ. 17. Sed & illo adhuc loquente venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus, ut nunciarem tibi.

PARAPHRASIS.

Nuncio ſecundo prodigium tremendum adhuc recenſente, trepidus ſe tertius ingerit, & ſecundo ſic addit: Chaldæi in tres cohortes diviſi camelos prædati ſunt, ſocioſque necarunt meos. Solus ego reſervor hiſtoriam lugendam relaturus.

TErtius nuncius ſecundi finem excepit, & tragœdiam irruptionis Chaldaicæ, admilitarem diſciplinam, in tres ordines, τάγματα τρία diſpoſitæ, atque à Dæmone commotæ, recenſuit, ſolus ipſe ſervatus. Quo certè in eventu nemo eſt, qui virum invictum in ſubſellio quieſcentem, & iacula Satanæ nocere maturantis excipientem non demiretur. Ille verò tacitus, qua erat magnanimitate, aures præbet attentas, & gliſcentem triſtibus nuncijs mœrorem conſtanter cohibet. Et ſanè credendum, nuncijs acta referentibus, quamvis alter alteri ocyſſimè ſuccederet, neque ſpirandi locum permitteret, animadvertiſſe tamen quantocyùs virum divinæ ſapientiæ, ac providentiæ conſultum, illum malorum contextum a Deo harmonicè proviſum, præſertim cùm ſingulos tantummodò delatores à cæde ſervatos cerneret, quod eſt planè mirabile. Et profectò, inter ſapientes, ac ſtultos adverſitatum æſtimatores hoc ſolet intereſſe, quòd illi ſtatim ac tanguntur, in Deum mentis aciem attollunt, ac ſeſe divinæ providentiæ coaptant: iſti verò alta cum Dei oblivione, ad mala ingruentia depellenda nervosè contendunt ſuæ ſalutis immemores: quod animo inſculpendum eſt. E F

Sapientum ac ſtultorum diſcrimen in adverſis.

ỳ. 18. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: filijs, & filiabus tuis veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, ỳ. 19. repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, ut nuntiarem tibi. G

PARAPHRASIS.

Interim dum tertius viſa narrat, quartus adeſt omnium mœſtiſſimus, aitque, cùm liberi tui omnes apud primogenitum læti epularentur, flavit ventus violentiſſimus, domumque funditus excuſſit, cuius ruina oppreſſi ſunt omnes, excepto me, qui rem prodigioſiſſimam tibi referrem. H

HOc eſt ſupremum prælium, quo Satan virum invictiſſimum furens invidentia impetivit, remque omnium chariſſimam, prolem

Scripta An. 1610.

lem videlicet ingenuam, caſtam, liberaliter, ac piè educatam, & ad poſteritatem expetitam de medio ſuſtulit. Hiſtoria per ſe plana, & aperta, eleganterque ſacro ipſo textu deſcripta, non tam interpretationem, quàm obſervationem expoſcit: præſertim cùm violentus Satan ventum vehementiſſimè flantem excitarit, quo turrim quamvis firmiſſimè ſedentem everteret. Ecce quàm ſedulò, quàm brevi, quàm rabidè omnia Iobi bona Dæmon populatus eſt, ita ut è quatuor prædis quatuor duntaxat homines evaderent, ut verba verbis attexerent, & cladem locis diſcretam continua narratione componerent. Profectò immensè crevit dolor, & quarto nuncio tres priores palmam conceſſere. Quarto quippe narrante, mœſtiſſima mortis imago Iobi animo impreſſa eſt, quæ poſſet ipſum extinguere, niſi maior illum gloria maneret. Novit certè mundus univerſus liberorum interitum à terrarum orbis principibus inter poſtremas ærumnas poni, quaſi mors hæc lætitiam omnem expungat, opulentiam incaſſum congeſtam eludat, ſpem poſteritatis convellat, ſuperſtiteſque parentes ordine præpoſtero ad calamitatis, & orbitatis ſpectaculum omnium oculis exponat. Iam verò, ubi mors portentoſa contigit, quæ cæteris hominibus divini ſupplicij ſuſpicionem ingeneret, porrò dolor infami quadam nota exaggeratus vehementer excreſcit. Quid rogo ſuſpicarentur ætatis illius homines, quando, qui ſapientia inter eos præſtabant, eiuſmodi interitum impuræ vitæ argumentum aſſerebant? Profectò amici Iob, qui ex eius calamitate ſceleratæ vitæ argumenta ducebant, quid de liberis inopinata morte ſublatis opinarentur? Cenſerent ſanè fœdis eos peccatis contaminatos eò licentiæ inter epulas prorupiſſe, ut ira Dei ultrice corriperentur. Et hæc quidem opinio non leve doloris pondus parentis animo impoſuit, qui candidis moribus filios inſtruxerat, & ad omnem honeſti rationem comparaverat. Quinetiam id vulnus pietate Iobi ad incredibilem penè menſuram exagerbatum eſt: etſi enim vir iuſtus liberos pijſſimè educaſſet, timuit ſanè, ne quid peccaſſent (quod inter dapes, & pocula proclive fuit) & irrumpens indignatio Dei, quaſi vorax flamma peccantes conſumpſiſſet. Ecquid enim iudicaret, cùm rem inſolitam, & ab ineunte mundo vix auditam nunciari cerneret? Cùm ergo liberos non tam ex mortali vita, quàm ex immortalibus animis æſtimaret, noſſetque ultionem ſempiternam peccatoribus decretam, porrò dirè ultimo telo tranſverberatus fuit. Atque in hunc modum, amiſſa opulentia, liberiſque orbatus, quid egerit audiamus.

Filiorum mors ſummina ærumna.

A B C D

℣. 20. Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adoravit.

PARAPHRASIS.

Abſoluto quatuor nunciorum relatu, è loco, in quo conſtanter ſederat, Iobus exurgit, & veſtibus ſciſſis, detonſis capillis, qui lugentium eſt habitus, ſe in terram proſternit, Deumque adoratione pia veneratur. E

LIquet è textu hoc, Iobum, uti virum planè magnanimum, triſtium nunciorum ictibus petitum, nihil non grave, ac virile egiſſe, verùm ſedentem, atque forti animo turbulentos motus ſedantem, uſque ad integrum funeſtæ hiſtoriæ auditum perſeveraſſe. Atque idcirco textus diſertè habet illud: Tunc ſurrexit, ac ſi palàm haberet, eò uſq; ſediſſe. Expleta igitur rerum adverſarum relatione, ne videretur humani ſenſus expers, aut ſtupidus, è ſede conſurgens, cœpit doloris ſigna præferre, quæ ad tria potiſſimùm capita rediguntur. Veſtimenta ſcidit, caput totondit, in terram procubuit. Et quidem cur ritus hos ad mœrorem aptatos antiquitas frequenter uſurparit, ratio in promptu eſt: quod enim ad veſtimenti ſciſſuram ſpectat, id eo actu extrinſecùs factitari conſuevit, quòd intus dolor agere cenſetur, qui cùm invaluit, viſcera ipſa proſcindere, dilacerareve eleganter aſſeritur. Quod verò ad tonſuram pertinet, notum eſt, capillum ad ornamentum, & decorem conferre: quocirca, ubi animus mœrore contabeſcit, & corpus conflacceſcit, oppoſitus habitus, corporiſque neglectus conſentit. Ille verò procubitus in terram, deſolati, & opem implorantis animi quaſi nota quædam hieroglyphica eſt. Et profectò tria hæc mœrentis animi ſigna à viro pijſſimo, non ex deiectione immodica, ſed ex religione ſumma conſtanter ſuſcepta, & ad divinæ Maieſtatis venerationem relata ſunt, ut patet è verbo, Adoravit. Expedivit ergo ſe, & ornatu poſito, ſe demiſit, ac novis quaſi vulneribus nudum exhibuit: cuius ſenſus, ut ego quidem exiſtimo, ad hunc modum abſque figmento, aut contortione ulla poſſet exprimi: Animadverto, clementiſſime Deus, miram erga me providentiam tuam, & gravia experimenta hæc à te proviſa, atque diſpoſita pernoſco. Rarum eſt hoc periclitandi genus, & fortaſſe à mundi primordio vix unquam auditum. Abſit tamen, ut hinc excandeſcam, vel obdurer: Ecce me tibi cædendum expono, veſtes pretiolas exuo, intimaſque tunicas dilacero, capillos detondeo, meque tibi proſterno bonitatem, ac ſapientiam tuam veneraturus. Tu videris velle exuere me opulentia, quam largitione acceperam tua: Ego verò non rem familiarem modò, non liberos tantùm, ſed me quoque ipſum abiectis veſtimentis tibi devoveo, ut ſi placet, cædar, & nunc quoque defungar. Annotandum hic, in codicibus nonnullis, iuxta LXX. Interpretes, legi verba hæc: Et ſparſit terram ſuper caput ſuum: quod

Signa doloris apud veteres. F

Veſtium ſciſſio.

Capillorum tonſio.

In terram proſtratio. G

Iobi religioſa ſubmiſſio. H

LXX. Interpp.

Scripta An. 1610. quod ad habitum demissi animi repræsentandum apprimè conducit, ut in supremis calamitatibus fieri consuevit, iuxta illud Ieremiæ *Thren. 2.*: Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, conspersérunt cinere capita sua &c. Mirabilis est Iobi sapientia. Nihil generosius, atque prudentius, quàm, ubi Deus flagellum exercet, vestimentum abijcere, procumbere ad ictum, multa demissione conticescere, & quod religiosissimum est, Maiestatem divinam summa veneratione colere, atque adorare: quod utinam proceres attentè considerent, ut in adversis casibus ferociam leniant, & apud Deum potentissimum, cui omnino succumbendum est, negotia gerere condiscant.

Procerum documentum.

A

℣. 21. Et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.

B

PARAPHRASIS.

Prostratus Iobus ait: Me nudum edidit in lucem terra, in quam nudus resolvar. Deus opes gratis mihi largitus est: has modò quasi depositas repetijt. Pro sorte utraque precor, nomen eius ubique celebretur.

POstquàm fortis athleta vestimento posito nudus ad venerationem divinæ Maiestatis procubuit, illustri patientiæ, ac pietatis exemplo, huius textus verba deprompsit, quæ possent saxa mollire: Nudus, inquit, egressus sum ex utero matris meæ, hoc est, ex gremio terræ, (ex qua hominis corpus formatum fuit) nudus revertar illuc, id est, resolvar in eandem terram, ex qua prodivi, quasi planiùs ita philosopharetur: Non est cur ægrè feram opulentiam, liberos, gloriamque peramplam meam, qua splendebam, inopinatò extingui. Bona quippe hæc non mihi nativa, sed ascititia, Deique inprimis munere accepta, & velut depósita, donec repeterentur, servavi. Modò verò postquàm eis uti mihi permissum est, sors illa nativa, cum qua in lucem editus fui, non iniqua conditione redivit. Bona tanquàm mutuò accepta restitui, & ego ad me ipsum, qua sorte genitus sum, æquo iudicio revertor. Præclarè agit invictus, ac planè iustus vir, ad imitationem mundo universo propositus. At rationem huius nuditatis, qua se ipsum solatur, pensitemus; puteus quippe altus est. Quatuor nuncijs funestissimis acceptis, tanquam telis manu valida vibratis, pervium fuit viro perspicaci, atq; cordato mortem adventantem præsagire. Cùm enim repentè irruens adversitatis turbo omnia bona corriperet, atque disperderet, tragœdiaque nondum absoluta videretur, prudenter coniectavit imminere sibi interitum, ut unà cum opibus, & liberis efferretur. Quid enim censeret cùm nimbus calamitatis ingrueret? Hac ergo coniectura permotus appositè vestes, capillosque deposuit, terramque capiti, quasi mox tumulandus insperst, & nuditatem illam suam cùm cæteris mortalibus communem, ad elevandum mœrorem induxit, ac si ad hunc modum effaretur: Ego mortem iam iam irrumpentem præsentio: non subest ratio querimoniarum, quòd nudus inteream. Etsi enim opes meæ modò, sicut nuper affluerent, nihil prorsus ex eis vita migraturus efferrem. Neque mœrere debeo, quasi liberos ingenuos superstites, inopesque relinquam: sustulit quippe illos Deus, ut hac me anxietate liberaret; egoque nihil omnino de vita mortali, de prole, aut familia sollicitus, viribus totis ad vitam sempiternam intentis, instanti morte è carcere molesto dissolverer. Profectò exemplum hoc tabulis ad memoriam incidendum esset, Quod verò subiungit Iob, Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. admirabile, & facilè Christiana disciplina dignum est. Qui enim in turbidis rebus Deum pœnæ illatorem piè cogitat, exiguo negotio rei congruentiam sibi persuadet, cùm nihil à Deo nisi divinæ sapientiæ ipsius consentaneum effici possit. Et in eum modum intellectu rectè composito, minùs ægrè voluntatem, reliquasque animæ vires Dei sententiæ adaptat, atque tranquillat. Verùm in ærumna Iob non id tantùm mirabile, quòd Deo obtemperarit, neque renisus fuerit, sed quòd ad fortis, ac pij animi coronidem, laudarit. Tres quippe tanquam gradus eximiæ perfectionis se se in viro constantissimo produnt: primus, in animi magnitudine, à qua tristibus nuncijs minimè decubuit, secundus in assensu, quo Deo cædenti paruit, tertius in laude, qua divinæ Maiestatis nomen invicto animo commendavit. Et quidem gradus hi, inter tot internorum motuum fluctus eminentes, ij sunt, quos in viris quoque laudatissimis Christi lenitatem edoctis vix reperire liceat: ut per hoc liqueat, quàm sint appósita verba mox addenda, quibus sacer textus Iobum prævio iam examine, tanquam lydio lapide probatum, in Sanctorum numerum refert.

Alia Iobi ratiocinatio.

E

Dei cogitatio in adversis perutilis.

F

Tres perfectionis gradus.

G

Iobi ratiocinatio.

C

D

℣. 22. In omnibus his non peccavit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

H

PARAPHRASIS.

In ijs, quæ Iobum hactenus egisse, aut dixisse scriptum commemorat, nihil ille admisit culpæ: & ne verbum quidem Deo indignum exprompsit.

OPortuit certè Spiritum sanctum gravissimo asserto, & divino testimonio hoc caput

Scripta An. 1610.

caput primum absolvere. Ea nimirum prælia descripta sunt, quæ columnas ferreas, hoc est, viros constantissimos perfregissent. Et quidem, cùm in adversis, & inopinatis eventibus imparati homines aliàs modesti, ac temperantes in verba incomposita, aut etiam contumelioſa prorumpant, summo Iobi præconio ascribitur, quòd linguam compresserit, & ne verbum certè unum ordine perturbato protulerit. Aliqui pro verbis illis Vulgatæ editionis: Neque stultum quid contra Deum locutus est, ex Hebræo vertunt: Non incusavit Deum; non enim prætexuit anteactæ vitæ iustitiam, conquestus quòd insons plecteretur. Symmachus verò vertit, *ὁ δὲ ἠφρονεύσατο πρὸς τὸν θεὸν*, Neque insipienter se gessit erga Deum: qui profectò loquendi modus amplior est, dum culpas universas operum, linguæ, ac mentis excludit. Sic nimirum habendum est, Iobum diris nunciorum vulneribus saucium, non opera, & verba tantùm, sed & cogitationes puras, tanquam gratissimum Deo sacrificium obtulisse, neque de animi integritate quicquam remisisse; quod Deo cessit in amplissimam gloriam, Satanæ versum est ad invidentiam, quæ victum ad graviora certamina perurgeret.

Inopinati eventus vis.

Hebraica Lect.

Symachus.

A

B

CAPUT II.

℣. 1. Factum est autem, Cùm quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu eius, ℣ 2. ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam. ℣. 3. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?

C

D

PARAPHRASIS.

Post hæc, Angelis die quadam simul coram Deo agentibus, Satan quoque affuit, cui Deus: Unde venis? Respondet mox: Terram obivi. Cui Deus: Num Iobum fidum cultorem meum contemplatus es, cui nemo possit in orbe conferri, cùm sit animi synceritate, Dei timore, mali fuga eximius, & acerrimè à te infestatus, adhuc innoxius?

VERBA hæc capite primo explanavimus, usque ad ultima, quæ hic adduntur: Et adhuc retinens innocentiam, quæ Deus Satanæ frustrato obijcit, ut erubescat, se incassum laborasse, neque vel in leviſſimam culpam Iobum præcipitem egisse. Pondus habet vox illa, Adhuc, quasi diceret Deus: Permisi tibi, ò Satan, fortem virum, quem ita validè adortus, & persecutus es, ut vel murum æreum evertisses; & tamen, quod meritò obstubescas, eodem tenore procurrit, eodem afficitur modo in hac lucta gravissima, quo fuit affectus, dum pace, ac opulentia frueretur. Non mihi magis maledixit acerrimis iaculis perfossus, quàm cùm illum blandimentis multis, opibus innumeris, florenti liberorum ætate delinirem. Ille verò dicendi modus, Retinens innocentiam, quædam sanctitatis integratæ assertio est, quæ anteactam vitam Iobi, ad punctum illud usque complectitur. Et sanè dici potuit, iustitiam, probitatem, integritatem, aut id genus alia, nihil tamen cum testimonio innocentiæ possit comparari, cùm maius quiddam innocentia, quàm probitas, iustitia, vel eiusmodi alia præconia, præ se ferat: quasi Iob non ex eo foret proborum hominum genere, qui unquam iniusti, aut improbi extitissent, qui sanctimoniæ candor illæsus est.

E

Qui innocentia à sanctitate differat.

F

Tu autem commovisti me adversùs eum, ut affligerem eum frustra.

PARAPHRASIS.

Expetisti eum à me ad singulare certamen: quo eum, te frustrato, afflictari permitterem.

G

PErtendit Deus Iobi laudem explere, ac Satanæ impudentiam retundere, in hunc modum: Animadverte Satan, quàm graviter erraveris, dum sanctimoniam Iob calumnijs obscurare tentasti, meque permovere adnixus es, ut eum à te incassum infestari sinerem, quamobrem victori iam cede. Hic verborum sensus est, in quo cavendum, ne quis opinetur, in Deo à Satana motum aliquem excitatum, quo Iobum divexari constituerit. Aeternum quippe Dei decretum fuit, virum fortissimum tartareis telis exponere ad virtutem ipsius perficiendam, exemplarque mirabilis patientiæ mortalibus proponendum. Quocirca, quod ait: Commovisti me, tantundem est, ac si dixisset, expetisti à me: quod tamen Satanæ postulatum iam inde ab æterno consilio permissum fuerat, ut Dei sapientia Dæmonis conatibus uteretur, flecteretque quò vellet, decernens malis artibus benè uti, & tentamenta satanica, quibus hostis Iobum per-

Dei immutabilitas.

H

Scripta An. 1610.

vertere molitus est, in argumentum laudis, multiplici Mæandro convertere, Quod verò subtexuit: Ut affligerem eum frustra, non ad ipsum Deum, sed ad Satanam pertinet: ad cuius intellectum nosse oportet, id frustra factum dictitari, quod intento ca-

A ret exitu: quemadmodum Imperator, qui urbem capere destinavit, frustra urbem ob-

Comparatio. sedisse, machinas muris admovisse, glandibus mœnia tentasse, excubias egisse, & universè tempus, operamq; perdidisse asseritur, si à civibus generosè repulsus, obsidio-

Media ad finem inania. ne soluta recedat. Philosophicum quippe pronunciatum est, ea media incassum adhiberi, per quæ optatus finis minimè obtinetur. Cùm ergo Satan per multiplices nocendi artes, ac machinas, quas in Iobum intorsit, id eniteretur, ut virum innoxium in peccatum impelleret, ac fœdaret, neque res exitum sortita fuerit, porrò frustra virum

B fortem afflixit, à quo nihil pro voto extorquere potuit. At sapientissimus Deus non frustra, hoc est, non sine fœlici exitu, quem prænoverat, & quò Iobi vexationem direxerat, illum exercuit: quin potiùs omnes Dæmonis technas, & nisus in cumulatius viri iusti meritum, ac decus, & in gloriam denique divinam reflexit. Verba igitur illa: Ut affligerem eum frustra, perinde accipienda, ac si Deus disertè dixisset: Ut, quod ad te Satan attinet, affligerem eum frustra: nam quod ad mirum providentiæ meæ ordinem spectat, perspecta, auctaque Iobi virtus est, quò ego conatus tuos retorsi: quapropter desiste modo à temerario ausu, ne recedas inglorius. Pro verbis illis, Ut

Aquila. affligerem eum frustra, Aquila vertit, Ut deglutirem eum gratis, ubi licet sensus planè idem sit, verbum tamen, deglutirem, afflictionis magnitudinem exaggerat.

C ℣. 4. Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: ℣. 5. Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi.

PARAPHRASIS.

Deo respondet Satan: Ecquid mali Iobus pertulit? Mos est hominum, minùs chara pro charioribus, ac proinde externa bona omnia pro vita aspernari. Quocirca fac

D *mihi copiam, ipsum Iobum adhuc intactum attingam, cerneſque illum mox furore correptum palàm tibi maledicere.*

PRotervus, & obstinatus Satan rationi à Deo allatæ, & profectò efficacissimæ minimè concedit. Sed rationem alteram audacter concinnat, causam, ut sperat, obtenturus, quæ in hunc modum exponitur: Satis perspicio, Iobum à quatuor prælijs petitum neutiquam concidisse: at neq; miror: res quippe extrinsecas subtraxi, quæ non ita hærent animo, ac vitæ propriæ amor, de cuius neglectu, Iob periclitandus esset. Etenim confido ego victoria me potiturum, si cutem Iobi attrectavero: idoneaque nitor ratione, cùm familiare hominibus sit, pro cute servanda vestes abijcere, ac omnia, quæ circumstant, aspernari. Etenim, cùm ad summa discrimina belli, latronumve ventum est, reges ipsi curru inaurato desiliunt, trabeas exuunt, nudiq; per devia loca spinetis obsita se propipiunt, ut ne minimùm corpus lædatur. Tanta propriæ cutis æstimatio est, ut mirum non sit, quod reges parùm iusti adversis incursibus intercepti factitarunt, id à Iobo nunc necessitate compulso fieri. Ecquid enim agat? Certè, quæ ipsi chariora sunt, necdum tetigi: antiquior ei cutis, quàm opulentia, aut progenies est, Sic Satan. Quod ergo ait, Pellem pro pelle, ec. hoc sensu accipiendum: Mos est hominum, pellem minùs pretiosam pro servanda pretiosiore pelle contemnere: atque ita temporalia bona, quæ sunt quasi pelles, aut indumenta hominem ambientia libenter posthabentur pelli, aut cuti ipsi, quæ carnem, ac ossa circumsæpit. Quod verò subiungitur, proximorum verborum explanatio quædam est, tanquam Satan se ipsum interpretaretur, aiens: Quod dixi, Pellem pro pelle, idem explano per verba hæc: Cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, hoc est, per phrasim Scripturæ tritam, pro vita sua. Et quidem assertio hæc Dæmonis, quamvis ab eo nequiter usurpata, per se tamen vera est, cùm passim in quotidianis naufragijs mercatores prolixa navigatione fatigati, & portui iam fortè propinqui pretiosissimas merces in mare proijciant, vitam dumtaxat inopem servaturi: & quod horribilius sit, in urbium obsidionibus matres ipsæ tenellos fœtus depascant, ut cum prolis interitu se ipsas à morte præservent. His certè tremendis exemplis, & rationibus inde productis contendit Satan, Iobum, si adeò iustus, innocens, & constans sit, in ijs bonis, quæ, ad vitam spectant, urgeri debere, pollicens fore, ut vexationis impatiens, ac furens, blasphemias impudenter effutiat. Alioqin, ait Satan, Mitte manum tuam, & tange, &c. hoc est, Permitte mihi, ut manum admoveam, & tangam: eadem quippe vexatio, cùm sit malum pœnæ, ut Theologis universis exploratum est, à Deo providetur, infertur, & dirigitur, & à Dæmone in perversum scopum detorquetur, ut mirum non videatur manum à Deo, Dæmoneque variè extensam interpretari. Hanc igitur veniam, si Satan impetrarit, promittit: Et tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi, hoc est, palàm maledicat, iuxta sensum eorundem verborum primo capite allatum. Hæc est audacia, & tartarea fiducia Satanæ: cui Deus respondet.

Satanæ ratiocinium.

E

Vitae servandæ præcellens vis.

Regum exemplum.

F

Et Mercatorum.

G

Et Matrum.

Vexatio variè a Deo, et a Dæmone.

H

Benedicere, prò Maledicere.

℣. 6. Di-

Scripta An. 1610.

℣. 6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.

PARAPHRASIS

A *Subdit Deus: En, illum tibi permitto: at cave, ne ipsum interficias.*

PEr verba hæc Iob furori Satanæ nudus exponitur, excepto interitu, ut scilicet sæviat inimicus atrox, & valetudini officiat, cauto, ne interimat. Horrendum sanè spectaculum, si Dæmonis rabies, & Iobi nuditas ob oculos versetur: at profectò mirandum, si constantia viri cælestibus auxilijs suffulta succurrat. In manu, inquit Deus, tua est: manu nimirum ad nocendum expeditissima, manu crudeli, & vibrandis telis assueta: verumtamen vitam iusti hominis minimè permittit, quam ad longiorem ætatem, gloriamque reservat. Sic quippe iustos tentari expedit, ut agone protracto non intereant, quò sit gloria maior, ubi præcessit lucta productior. Modus verò ille dicendi, Animam illius serva, tantundem significat, ac, Animam, seu vitam ne tetigeris, ut Theodoretus habet. Servare dicitur, quod minimè labefactat.

Iusti ad agonem diuturniorem servati.

B

Theodoretus.

℣. 7. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis, usque ad verticem eius ℣. 8. qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

PARAPHRASIS.

Exilit Satan à cœtu Angelorum, Deique conspectu. Purulentis, ac horrendis ulceribus
C *totum Iobi corpus tabefacit. Sedet Iobus urbe egressus in fimeto, ubi fluentem saniem fragmento vasis fictilis abstergit.*

EXpeditus, & alacer ab Angelorum cœtu Satan excedit, ad sensum capite primo explanatum, omnes nocendi aculeos exerturus, pro permissu Dei, à quo prænobilem Iobi prædam extorquere pertendit, & corpus viri patientissimi totum gravissimis affectionibus, accerrimis doloribus, fœdissimis ulceribus, incredibili furore percitus divexat. Quale fuerit ulcus hoc, sacer textus silet, ait verò fuisse pessimum, totumq; corpus occupasse, ut credendum sit, horribili fœditate Iobum deformasse, ac tabe immensa consumpsisse. Cùm ergo totus sanie flueret, neque suppeteret in urbe locus, ubi refrigerium captaret, Satana omnia bona demolito, in supremam calamitatem actus, factusque civibus intolerabilis, in locum vilissimum, fimi nempe receptaculum, extra urbem secessit: ubi fragmento vasis fictilis tabem abradebat lethalibus doloribus afflictatus, & mortis imagine perterritus. Non hic morabor morbos Iobi, aut dolores perpensurus, cùm in plerisque libri locis ipse seipsum exponat. Tragica potiùs loci, & conditionis mutatio expensionem reposcit, sive Iob ipse in prostremam abiectionem devolutus deliberato consilio in sterquilinium concesserit; sive, quod rationibus multis usitatum fuit, tabidus, & elephantiasi conspersus, formidabili aspectu, & contagioso fœtore civibus subtracto, extra urbem lege, aut traditione cogente, omnino abire debuerit: quod utrumque probabili ratione asseri potest. Mihi certè sapientiam, & pietatem viri contemplanti vero similius videtur, ipsum ultrò urbe excessisse, ut locum abiectissimum seligeret, extremæ calamitati congruentem, quippe qui animadverteret se à Deo ad humillimam conditionem celerrima ruina deprimi, velletq; divinæ sententiæ se ipsum per omnia coaptare, quò Dei clementiam sub dio humi defixus, & ab universis hominibus derelictus efficaciùs imploraret. Hæc nimirum solertia, & celeritas ad Deum exorandum à viro sapienti probari potuit, ipsaq; rerum series ad eam probandam, & exequendam, pium, & afflictum animum incitasse videtur. Nemo autem quantumvis eloquens, & peritus sensum Iobi recenter in fimetum accedentis, & sortem adversam cum dilapsa nuperrimè fœlicitate componentis possit æquare. Considerationi virorum sapientium locus hic uberrimam suggerit materiam, dum Princeps opibus, ac liberis orbatus, ulceribus exesus, elephantiacus, enormiter deformis, ac fœtidus, à civibus, & consanguineis derelictus, turbolentissimis cogitationibus, doloribus, timoribus fatigatus, in loco despectissimo cum virium deliquio desidens, calamitosæ vitæ mœstissimam imaginem repræsentat.

Iobi ulcus incertum.

D

E

Cur Iob extra urbem in sterquilinio.

F

G

℣. 9. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.

PARAPHRASIS.

Elapso tempore non exiguo impatiens uxor sic Iobum adoritur: Ergone semper stupidus eris? En quàm dirè te Deus oppressit. Iam videris efflare animam: ergo maledictis crudelem Dominum impete: statimque defungere.

H

SUpererat telum noxium, & venenatum quod Satan in Iobum validè intorqueret. Hæc est quippe sævitia Dæmonis, ut quem afflictum, & viribus attritum cernit, vehementiùs impellat, ut perimat. Cùm ergo diris iaculis virum iustum sauciasset, videretque in ærumna extrema mœrentem, ac lassum,

Dæmonis sævitia.

uxo-

Scripta An. 1610.

uxorem fatuam viri sapientis urget, conceptaque verba, peracutis spiculis ad nocendum peiora suggerit, quibus anxium in desperationem, ac sempiternum interitum deturbet. Appositò certè instrumento callidus hostis usus est, si fortè per uxorem virum prosterneret, quemadmodum olim Adamum per Hevam vitiarat. Etenim tentationis acerbitas ex eo liquet, quòd uxor, cui debuit esse cordi Iobi salus, & constantia, cum
A Satana ipso coniurata, illum pervertere crudeli suasu connititur. Profectò si hostes, si cives, si amici, si cognati, si liberi ipsi prodigiosam blasphemiam persuadere tentassent, levius quiddam foret: at coniugis instantia, & aversio adeò calamitatem exaggerat, ut ampliùs non possit excurrere. Connubij quippe fœdus, quo parentum, ac filiorum coniunctio, amorq; vincitur, furens mulier nefariè violavit, & efferatis tigribus peiùs desæviit, dum ait: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? hoc est; Ergone tu semper stolidus, & insipiens eris? Coluisti Deum, ubi res tuas secundabat, quod bene sit: at ex quo cœpit acri verbere te cædere, ac laniare, stupidus fuisti, qui animum minimè mutaveris, sed eodem prorsus affectu ac veneratione severo Domino inservire per-
B stiteris. Age ergo; desiste iam à stultitia hac, & quibus oculis te Deus intuetur, eisdem illum respectes. Ille te, tanquam hominem invisum, mortique addictum execratur: & tu ergo maledic Deo, hoc est, ayersare illum, & maledicto supremo proscinde: atque hanc ipsam aversionem postremo halitu protestatus ærumnosa vita defungere. Subiecit autem uxor illud, Morere, cùm animadverteret, Iobum instantis mortis signa præ se ferre; lethalis quippe morborum gravissimorum affectio mortem sanè celerem portendebat: eaque fuit mulieris incitatæ rabies, ut ante animam actam, maledicta suaderet, impatiens Divinæ providentiæ, con-
C sorsque ingentium malorum, quæ Iobum obruerant, atque ad ipsam permearant. Hic certè luculenter se prodit ira mulieris. Verùm
LXX. Interpp. ad loci huius pondus, & ornamentum pertinet LXX. Interpretum traslatio, quæ habet multa, quæ in vulgata versione minimè leguntur. Verba primùm referam: Sedebat in sterquilinio extra civitatem. Tempore autem multo transacto, dixit ei uxor eius: Quousque sustinebis dicens: Ecce permaneo tempus adhuc parvum, expectans spem salutis meæ? Ecce enim deletum est memoriale tuum de terra, filij, & filiæ, mei uteri dolores, & labores, quos in vacuum laboravi cum ærumnis: tu verò ipse in putredine
E vermium sedes pernoctans sub dio: Et ego errans, & ancilla locum ex loco, & domum è domo, expectans solem, quando occidet, ut requiescam ab ærumnis, & doloribus, qui me nunc premunt. Sed dicito aliquod verbum in Dominum, & morere. Hæc LXX. Interpetres, quorum versio cùm Vulgatæ nostræ non contradicat, sed ad eam illustrandam conferat, gravi valde auctoritate munita est. Iam verò ex hoc textu liquet, Iobum extra civitatem sedisse, ac sub dio pernoctasse, longumque certamen, (quod iuxta veriorem sententiam menses multos procurrit) pertulisse. Liquet etiam, uxorem malorum participem alienis domibus excipi curasse, cùm non domum dumtaxat suam, sed opes, ac liberos amisisset: ut credi possit, eam non horrore Iobi tabidi ac deformis tantùm, sed propriæ, ac infaustæ sortis suæ impatientia; Iobum ad blasphemiam irritasse, ratam fortasse Deum maledicto lacessitum velociùs mortem illaturum, seque interempto Iobo, minùs infamiæ, ac doloris perpessuram. Urget ergo, Benedic, hoc est, (ut iam à nobis explanatum est) Maledic Deo, & morere, vel propriè iuxta aliam versionem, *κατάρασον τὸν θεὸν*, Maledicito Deum, & morere. E

V. 10 Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?

PARAPHRASIS. F

Uxori furenti Iobus respondet: More dementium mulierum feciſti verba Deo indigna. An non idem Deus, sive afflet, sive reflet, æquè bonus est? Si ergo dum faveret, ei benediximus; eccur dum mala infert, maledicta irrogemus?

GRavis adversitas generosum Iobi animum minimè fregit, constantiamve detrivit. Etsi enim eò, quod ad temporalem conditionem spectat, devolutus esset, ut infeliùs deijci non posset; ubi tamen salutis æternæ causa agebatur, validè suadentem repulit, gravique sermone corripuit. Decet G
quippe viros fortes, atque pios infortunia sua patienter ferre, inuriam verò Divinæ Maiestatis neutiquam sustinere. Respondet ergo: Quasi una de stultis mulieribus locuta es, ac si disertiùs diceret: Debuisses certè ex convictu meo Dei castum timorem edisscere, mirabilem illius providentiam, exemplo meo, non scrutari, aut reprehendere, sed colere, atque admirari. At, ut perspicio, domestica sapientia tibi non probatur, quæ in stultitiam insignem, more mulierum stolidarum, degeneras. Profectò stultè locuta es. Sic Iob, nec vir magnanimus timuit, ne uxor insipiens contumelioſa verba refunderet, vel aliud mali genus adversùs inermem conflaret: occasio nimirum divini ho- H
noris tuendi prætereunda non fuit, quòd in exemplum ætatis nostræ cedere deberet. Etsi verò nihil impavidus metueret sibi, timuit tamen uxori, ne in sententia temeraria persisteret; subiunxitque responsi sui rationem, qua stulta mulier resipiscceret, per hæc verba. Si bona suscepimus de manu Dei, &c. ac si apertiùs diceret: Animadverte uxor, quàm

procul

Scripta An. 1610.

procul à recto aberres, quæ Dei cultum prosperitate temporaria asseras, adversitate deseras. Porrò non decet divinis inspirationibus abuti. Una Dei solantis, & affligentis manus, eadem prorsus sapientia, & bonitas est: Salutem mortalium nunc prosperis, nunc adversis eventibus perquirit: nostra interest malis ingruentibus exerceri, ut virtus icta resplendeat. Cur ergo mutem animum colendi Deum, quando clemens ille eodem benefaciendi animo in me opulentum, & indigum, valentem, & ægrum perseverat? Hæc porrò cœlestis philosophia, qua vir eximius fortunam utramque supergreditur, ut Deo strictissimè adhæreat, summis preconijs celebranda, nec oblivione ulla delenda est: neque speranda spiritualis vitæ progessio, nisi à pijs animis identidem recolatur. Pro verbis illis, De stultis mulieribus, Aquila vertit: Tanquam una delirantium. Delirium est quippe de Deo indignè loqui, aut ei ad auram tantummodò leniter flantem inservire, & castigantem, experientemve deserere.

Eadem Dei bonitas in prosperis, et adversis.

Aquila.

In omnibus his non peccavit Iob labijs suis.

PARAPHRASIS.

In his actibus, ac sermonibus Iobus nihil Deo, & casta lingua indignum prompsit.

VErba hæc ad astruendam Iobi sanctimoniam repetuntur, quorum explanatio è superioribus petenda.

℣. 11. Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo. Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.

PARAPHRASIS.

Postquam portenti fama percrebuit, Eliphaz, Baldad, Sophar, Reges, suis è regionibus profecti, Iobum invisunt. Nimirum pro amicitiæ iure pepigerant, ut simul amicum adirent, ac malum grande, quà possent, clevarent.

Constantis amicitiæ munus.

SAtis apertum textus significatum est, quo amicorum officium commendatur. Amicitiæ nimirum synceræ actus est, amicum derelictum solari, nec mutato fortunæ vultu, sententiam, animumve mutare. Turpe scilicet est illud:

Tempora si fuerint nubila solus eris.

In vero ergo amicitiæ cultu tres viri clarissimi summa consensione perstiterunt, postquam Iobi calamitas gentis sermone percrebuit. Cui sanè rei fidem adstruit adventus ille mox subsecutus, & ex circumstantijs dignitatis, itineris, incommoditatis expensus. Profectò viri perillustres, & ut LXX. Interpetres habent, reges erant, Eliphaz nempè Tæmanorum, Baldad Sauchæorum, Sophar Minæorum rex. Signumque non vulgaris amicitiæ fuit, & condicere, & à regionibus proprijs officij gratia discedere. Ratio verò à principum gravitate, ac prudentia petita evincit, antequàm proficisci decernerent, prodigiosam tragœdiam in eorum regna à celerrimis nuncijs, aut mercatoribus fortuitis perlatam, neque confestim creditam; donec rumor sparsus certiore supervenientium relatu fidem acquireret. Nimirum non ita brevi, aut temerè tres Principes in eandem sententiam conspirarent sese expedirent, & viaticum compararent, tametsi eorum regiones non procul abessent. Tempus ergo non modicum à Iob secessu in fimetum, usque ad amicorum profectionem portento vulgato interfluxit, quod Iobi patientiam, & ærumnam cumulavit. Credendumque temporis interlapsu corpus horrendè tabefactum, atque consumptum à primæva forma longè mutatum, quod subiecta verba pervincunt.

LXX. Interpp.

℣. 12. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, sciissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.

PARAPHRASIS.

Ut ad locum fimeto propinquum ventum est, oculos in Iobum collimant, neque deformatum agnoscunt. Collachrymant, vestimenta discerpunt, & pulverem capitibus inspergunt ad tragicum doloris significatum.

NEgari profectò nequit, eos veros amicos, ac fidos fuisse, licèt in excursu tragici sermonis errarint. Ponendum est hic rei totius historiam, quod ad capita præcipua spectat, eis omnia ex amicitiæ officio sciscitantibus, & curiosè perquirentibus, ante adventum, fuisse sat cognitam, atque idcirco illos non errabundos per incerta loca palatos, sed in descriptum sibi sterquilinium rectà profectos, luctuosam viam mœstis sermonibus confeciisse. Ut ergo ad proximum fimeto locum ventum est, directis in locum lugubri spectaculo celebratum oculis, Iobum certè conspicati sunt, at hominem minimè cognoverunt: qui sanè dicendi modus & verus, & familiaris est. Intuiti sunt eum hor-

Scripta horribili aſpectu formidabilem, credidereque
An 1610. ipſum eſſe Iobum, non certè quòd ille videretur Iobus, quem in principatu cognoverant, ſed quòd nuncijs, & famæ fidem commodarent. Et hic eſt ſenſus verborum illorum, Non cognoverunt eum: aliud eſt quippe fidem aſſerentibus adhibere, aliud
A notitia propria rem quampiam percipere. Qualis verò ſenſus, quàm funeſtus, & acerbus intuentibus irrepſerit, benè produnt verba illa, Exclamantes ploraverunt, quibus LXX. intertexunt, Voce magna: Elato nimi-
Lxx. Interpp. rum regum clamore portentoſa calamitas lugenda fuit. Et ne quid ad luctum deſideretur, ſubeunt appoſitè verba hæc: Sciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum: quorum ſenſum in alijs ſimilibus capite primo interpetrati ſumus.

℣. 13. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem
B noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.

PARAPHRASIS.

Ad ſterquilinium accedunt, mœrentique per horas aliquas ſingulis ſeptem dierum, ac noctium decretas taciti aſſident. Neque enim opportunè verba facerent, animadvertentes immenſam eſſe doloris magnitudinem.

C COllimatis è propinquiore loco oculis in Iobum, obſtupuere vehementiùs, quàm dici poſſit, viri nobiles, atque ad officium amicitiæ propenſi. Et partes omnes fidorum
Amicitiæ partes. amicorum expleturi, lugubri habitu, ut Lobo congruerent, in ſolo ipſo detident, per quotidianas horas aliquot, ſeptem dierum ſpatio delectas, quæ ad ſolatium amici conducerent; ſi fortè aſſeſſu illo, & habitus ſimilitudine dolorem elevarent. Ubi per horas decretas alto doloris ſenſu tilentes nulla verba fecerunt, ne amicum moleſtia afficerent, cui calamitatis magnitudo ſpiritum intercludere, aureſque obturare videbatur, ne verba redderet, vel acciperet. Septem ergo dies in hoc textu ad vulgarem ſenſum accipiendi ſunt: exploratum eſt quippe, na-
D tura cogente illos ad eſum, & ſomnum aliquando divertere debuiſſe, niſi miracula velimus affingere, aut certè admittere, in ſordidiſſimo loco, ubi fœtor intolerabilis, & ulcerum tabo fluentium horror vomitum potius cieret, quàm eſcam, potumque permitteret, viros clariſſimos cænitaſſe. Definitis ergo temporibus aſſidebant, mœrenti, humi decumbentes, vultuque mæſto ad multam fortaſsè noctem vigilantes, donec ſe ad hoſpitia reciperent: atque ita per partes dierum, ac noctium, ſeptem dies, noctelque Synecdochicè intelliguntur, quæ graviſſimorum auctorum conſenſio eſt. Annotandum hic, ſeptenarium dierum numerum luctu olim fuiſ-
Septenarius numerus luctui dicatus. ſe dicatum. Silentium autem illud neque importunum, neque ſterile fuit: contulit quippe amicorum præſentia fidorum animorum interpres, quod ſermo præcox afflicto animo obtruſus haud quaquam contuliſſet. Beneque perſpexit Iob vir ſapiens, animos tacitos aſſeſſu, E & habitu idoneo ſibi compati, & affectum geſtu teſtari, unde nonnihil ſolatij potuit haurire. Et quidem viri prudentes, dum amicos graviter ægrotos inviſunt, hoc præceptum obſervant, ut ſilendo compatiantur,
Compatientis animi ſignum. nec tam verba, quam benevolentiæ ſigna aſſidentes exhibeant. Etſi verò ius amicitiæ perſanctè ſervatum ad grande malum attenuandum proculdubiò faceret, exiſtimo ego, Iobum qua erat perſpicacia, & amicorum experientia, afflictatum potiùs fuiſſe ſubeuntibus cogitationibus, ecquid de ipſo ad miſerrimam conditionem prodigioſè proſtrato viri illi opinarentur: quod ſanè rei eventus comprobavit. Etenim tot horis aſſidentes, tacitique reges quid animo pertractarent, F niſi, quod poſtmodum graviter, ac tetricè extulerunt? quod Iobum præſagiſſe, ſuſpicatumve fuiſſe, credibile certè videtur. Inſolita profectò res non argutos modo viros, verùm & obtuſos ad aliquid grave comminiſcendum perpuliſſet. Iam ergo diebus ab acceſſu ſeptem exactis, ſoluto prolixo illo ſilentio, Iob dolorem exhalaturus incipit graviſſimè verba contexere.

CAPUT III. G

℣. 1. Poſt Haec Aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo. ℣. 2. & locutus eſt.

PARAPHRASIS.

Exactis ab amicorum adventu ſeptem diebus, labijs diductis, quæ mœror commiſerat: ſilentium Iob ſolvit: & in diem natalem ſuum caſto ſenſu maledicta congeſſit, atque in hunc modum effatus eſt.

QVAM fuerit orbe toto rara, atque mirabilis Iobi magnanimitas, & tole-
H rantia vel ex hoc textu cenſeri poſſit. Non præceps ruit in verba incondita, & ægrè connexa: Si enim id maluiſſet, incredibile planè videtur, dies ſeptem totos compreſſiſſe impetum, nihilque turgenti pectori ad efflandum mœrorem indulſiſſe. Vir fortiſſimus erat qui ſibi imperare poſſet: malletque enſa gravia trutinare, æquiſque bilancibus expenſa opportuno tempore proferre. Ergo poſtquam deliberatione multa expedire viſum eſt, labia ſilentio diuturno commiſſa diduxit, doctamque rationi parere

lin-

Scripta An. 1610.

linguam expedivit, oracula mira redditurus. Hæc sanè virorum graviter affectorum cæleſtis eruditio eſt: ne mox, ac doloris, aut paſſionis ullius ſenſu tanguntur, quaſi acri ſtimulo incitati verba profundant; ſed cohibito ſenſu, & linguæ oſtio ad tempus obſerato, verba caſta, pia, appoſita, & ad purum excocta producant. Verùm hoc opus, hic labor eſt: Si enim Iob diductis labijs eveſtigio maledicta velut ſilentio congeſta egerit, quî fiet, ut ſermo, quem horret animus audire, cum religione tanta, cum conſilio & maturitate tanta cohæreat? Profectò ad hunc nodum ſolvendum Patres Græci, ac Latini accuratiſſimè laborarunt, & multiplices aſperitatis læniendæ, exæquandæque modos, vel allegoricos, vel etiam litterales diſquiſierunt. Quos ubi perluſtravi, conſilio adhibito, unum omnium ſimpliciſſimum, leniterque decurrentem, qui præclariſſimo Patri D. Thomæ Aquinati placuit, optavi: ut ſcilicet Iobus, quoties maledicentiam exercet, inferioris portionis, ſive appetitus pœnam horrentis ſenſum repræſentet, cum tamen iuxta ſuperioris portionis aſſenſum calamitatem acerbiſſimam à Deo illatam conſtanter exantlet: quemadmodum Chriſtus Redemptor noſter, dum mors ſæviſſima immineret, expreſſit partis inferioris ſenſum aiens: Tranſeat à me calix iſte: quem tamen invictiſſima fortitudine, ac magnanimitate erectus exhauſit. Porrò ægrotus, qui de potione amara propinata, vel ſummis labijs delibata, ſtomachi horrorem perſentit, poculum execrabile, ac odioſum dictitat, qui nihilo ſegnior ventriculi reniſu factus, & animo deliberato remedium probat, & ſumit. Et quidem quod ad ſententiam hanc ſpectat, ijs ego exiſtimo graviſſimam, & veriſſimam videri, qui & Iobi calamitatem attentiùs explorant, & gravium malorum experientia pollent. Ij enim, praxi quadam planè mirabili, ſubeuntes, ac gliſcentes affectus ſimillimos in ſeipſis deprehendunt; qui ad intellectum ſenſus, & verborum Iobi mirificè conducunt. Scriptores verò nonnulli, qui mera ſpeculatione ducuntur, cùm practicum, quem indicavi, ſenſum ægrè aſſequantur, argutia multa modos varios ad ſedandum intellectum excogitant, quos certè prætermitterent, ſi Satanæ copia fieret, eos dirè torquendi, ac paulò minùs in ærumna Iobi conditioni aſſimili conſtituendi. Quocirca doctrinam hic, ſenſus maturitatem & experientiam expoſco, & proximi verſus interpretationem huc facientem lectori expendendam propono. Auſpicatur ergo Iob ſermonem gravem, ac tragicum, cuius primis poſt ſilentium verbis præmittuntur hæc: Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, hoc eſt, poſt dies ſeptem turbulentis cogitationibus ſedandis, altoque rerum ſenſui, ac taciturnitate impenſos, os clauſum quaſi ſapientiæ arcam obſeratam recluſit. Emphaſim habet ille modus dicendi: Aperuit os ſuum, quaſi diceretur: os illud aureum ad reconditas ſententias promendas opportunum, quod ante hac prudentiſſimo conſilio clauſerat. Et maledixit diei ſuo, hoc eſt, imprecatus eſt malum natali ſuo, & in proxima verba linguam exeruit.

Cohibendæ triſtitiæ ratio.

Iobi ſanctitas cum eius maledictis compoſita.

S. Thom.

Matth. 26.

Malorum experientia optima interpres.

V. 3. Pereat, dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.

PARAPHRASIS.

Is mihi affectus eſt, ut cupiam non affulſiſſet mundo infauſta dies, qua in lucem editus fui: neque offuſa fuiſſet orbi terrarum atra nox qua mater dixit: Maſculum concepi.

IMprecationis huius primæ, ex cuius intellectu cæterarum interpretatio pendet, ſenſum rimari neceſſe profectò eſt, ad viam ſcopuloſam, & prætextis obſtaculis extuberantem coæquandam. Et quidem lectori cedet rei difficultas, ſi animo concipiat hominem diuturno, moleſtiſſimoque morbo marcentem, cui medicina nullam poſſit afferre ſalutem: cui in lecto purè, ac fœtore horrido iacenti cogitationes formidoloſæ ſubeant, & diri dolores viſcera velut diſcerpant: Cogitet luctuoſum ſpectaculum: neque enim hac ætate deſiderantur exempla, quæ ad ſenſum libri huius eruendum appoſitiſſima videntur. Hæc ergo formidabili decumbentis imagine picta, meminerit, quàm ſit familiare hominibus quoque piis, ac ſapientibus adeò enormiter afflictis, ſi rogentur, quî valeant, quidve malint, reſpondere in hæc, aut ſimillima verba: Infœlix ego homo: Væ mihi quàm infauſtus natalis meus fuit? mortem exopto. Certè nollem in hanc lucem prodiiſſe. Quòd ſi quis auſterus cenſor cohorreat, porrò rem non ſatis exploraſſe videtur: quod hac ratione poſſit evinci.

Aegroti exemplum, & imago.

Bonis Theologis, rerum præſertim internarum conſultis, perſpectum eſt, in vexatione ſumma, qualem in Iob, & nuper in ægro quovis homine deſcripſimus, partem hominis inferiorem turbulentiſſimis fluctibus concuti, & agitari, ut perſpicaces quoque exploratores vix tenuem quamdam partis ſuperioris velut flammulam, in abſtruſo quaſi antro per intervalla lucentem deprehendant. Totus homo videtur ſibi ex commotione immani, quam perſentit, non ex tenuiſſima ſcintilla, quam ægrè percipit, cenſendus: atque in ea tremenda virium perturbatione id ſe eſſe teſtatur, quod ſibi eſſe videtur, dum extrema calamitas agonem quendam lethalem, aut certè tartareum repræſentat. Sic enim expedit, fortiſſimos viros ad ſummos, æternoſque honores, & oblectamenta cœleſtia, per abiectionem, & anxietatem ſummam, acerrima concertatione pertingere. Si quis ergo ab homine adeò immaniter afflictato ſciſcitetur, ecquid tunc ſentiat? compertum eſt, cùm pars inferior ſuperiorem quaſi obruat, & nihil niſi calamitoſum

Partis hominis inferioris a ſuperiori diſcretio.

Fortium virorum experimentum.

Scripta An. 1610.

sum percipi sinat, posse illum absque ulla culpa respondere: Sentio sanè me infelicissimum esse: nollem me mater ex utero ad mœstissimam vitam effudisset: meledictus videtur mihi natalis meus: nollem me infœlix mater concepisset. Porrò verum, & quotidianis experimentis deprehensum est,
A huiusmodi sensum natali & mortali vitæ planè contrarium in viris perfectis inesse, quibus familiare est dictitare, se velle, nollevè, quod pars inferior variè affecta deposcit. Idem quippe homo est, qui varia sensa partis utriusque concipit: & idem odit bonum inferiore parte, qui superiore illud idem amplectitur: idem quoque inferiore parte facit malum, quod superiore odit, quæ certè phrasis sensu, & verbis Apostolica est. Si ergo Apostolus, de se ipso agens semetipsum in duos velut homines discrevit, quorum alter cum altero luctaretur, seque non id tantùm quod ad superiorem attinebat, verùm, & quod ad inferiorem spectabat, agere disertè depromsit: potuit & Iob hos duos dirimere homines, & altero interim relicto, de uno
B dumtaxat verba proferre, palamque asserere, se id velle, id cogitare, id optare, quod homo ille inferior vehementissimè suggerebat. Atque idcirco cùm inferior homo gravissimè vexatus optaret, se genitum minimè fuisse, & malediceret, ac execraretur ortum, & vitæ ærumnosæ decursum; profectò reprehendi non debet, si hæc ipsa vota verbis testata fecerit. Quòd si quis enixè contendat, Iobum neutiquam carpendum, quòd ita senserit; sed quòd absque verborum, ac sensuum distinctione maledicta protulerit, ex quo tres amici, partis superioris, ac inferioris discrimen minimè cogitantes, meritò excanduerint, respensio in proclivi est, eam fuisse colloquentium sapientiam, eas immen-
C sæ anxietatis circumstantias, tam multas honestandæ maledicentiæ subesse causas, ut vitio vertendum sit, non Iobo, sed tribus amicis, non statim animadvertere, à viro immaniter afflicto, non solùm absque culpa verùm etiam cum egregio virtutis actu, ad exhalandum, vel certè temperandum dolorem destinato, querimonias, & maledicentiam potuisse depromi: quod hac ratione palàm evincitur. Exploratum est, maledicentiam varijs modis absque culpa exerceri posse: primò declarando malum, quod quis commeruit, quale illud Dei: Maledicta terra in opere tuo: quod & iudicibus malum dicentibus, dum è tribunali pronunciant, reosque morti addicunt, congruit. Secundò enunciando malum præteritum, præsens, aut futurum, quod veraci cuilibet homini,
D nedum prophetis, quadrat. Tertiò præscindendo malum à bono, quod in eadem re insit, malumque præcisè execrando, aut detestando: constat quippe alterum ab altero per intellectus aciem posse secerni, voluntatemque proinde posse, quod ab intellectu uti revera malum, repræsentatur, odisse ac nolle, puta vitam hanc ærumnosam, non quà à Deo ad conquirenda æternæ fœlicitatis merita, ut palæstra quædam designata est, sed ut calamitosa, & periculo peccandi est obnoxia. Quartò potest maledicentia exerceri ex gentis consuetudine, cum significato, quod omni culpa vacet. Viris enim peritis liquet non apud Hebræos tantùm, verùm apud nationes alias morem fuisse maledicendi ijs rebus, quas non esse cuperent: quod exemplo Balac, qui accersito Balaam, ut mala imprecaretur Israeli, perspicitur. Liquet etiam Hebræos consuevisse maledictis incessere res illas, quæ cum alijs, quas non esse optarent, coniunctæ forent, ut per imprecationem Davidis montibus Gelboe, ubi Saul, & Ionathas occubuerant, maledicentis pervincitur. Tam enim Balac maledicere cupiens, quàm David maledicens id significarunt, nolle se fuisse res illas, aliasvè illis coniunctas quibus dira imprecati sunt. Qua sanè in re, tametsi Balaam, non, uti David, innoxiè egerit, non ab imprecandi phrasi, sed aliunde culpæ ratio petenda est: quia videlicet corruptè, & quibus non debuit, maledicere attentavit. Sensus ergo maledictionis, ex gentium acceptione, quæ
F ad placitum significat, eruendus est. Quocirca, si tantundem est, Maledico diei, ac nollem esse diem, profectò, si ratio idonea subsit, ob quam quis nolit, diem esse, inculpatè diei, aliarumvè rerum maledicentiam exercebit. Causam verò multiplicem iustam subesse posse, planè perspectum est ijs, qui mortalis vitæ mala, & discrimen æternæ damnationis expendunt. Quintò potest ex hypothesi alicui rei maledici, ut in præsenti tragœdia Lyranus censuit, arbitratus Iobum non fuisse detestatum natalem suum ex propria, sed ex amicorum sententia, quod sanè inculpatè fieri potuit, sive illi tres viri futuræ vitæ remunerationem inficiarentur, sive secùs. Nam si
G futuræ vitæ providentiam minimè negarunt (quæ mitior interpretatio est) porrò unà cum hac ipsa opinione senserunt, Iobum ob crimina patrata plecti: quapropter optabiliùs iuxta hunc sensum fuit, non fuisse natum, quàm culpa pollui, pœnaque torqueri. En quinque capita, ex quibus maledicentia honestatur, & cum deliberato rationis actu absque culpa profertur. Quamobrem liquidò perspicitur, potuisse Iobum, iustis de causis, natali suo disertis verbis dira imprecari: virosque illos sapientes non debuisse ullo scandalo commoveri, quòd virum afflictissimum, ad mœstitiam lethalem efflandam, in varias imprecationes linguam laxare cernerent. Nimirum non modò ex hoc capite carpi non debuit, verùm commiseratione multa excipi atque laudari, qui per
H actum virtutis eximium, sibi vexato, derelicto, peneque extincto remedium afferret. At postquam quinque maledicentiæ excusandæ modos exprompsi, fortasse scisciteturà me lector, Ecur non sentiam maledicta huius capitis ex parte hominis superiore per deliberatum rationis actum processisse, quandoquidem Theologicè agendo, innoxiè prodire

Inferioris partis vis, & actus.

Maledicentia quot modis?

Genes. 3. 17.

Multarum nationum maledicendi consuetudo.

Num. 22. 5.

2. *Reg.* 1. 21.

Iusta maledictio ex causa.

Lyranus.

Iobi maledictio cur non a parte superiori?

Scripta An. 1610.

dire potuerunt? Roganti respondeo auctoritate Divi Thomæ, quam ego plurimi semper feci, duabusque præterea rationibus, me in eam, quam superius indicavi, sententiam duci, ut scilicet Iobus solum appetitus sensitivi affectum expresserit. Ratio altera ab experientia, altera verò a perfectione Iobi petita. Et quidem, quantùm experiendo consequi potui, viros vitæ integritate conspicuos, quos ego immaniter vexatos, Ioboque non absimiles de facie, fidovè relatu cognovi, ita affectos deprehendi, ut animo mihi persuadeam, execrationes, imprecationes, mortis vota, aliaque similia, quæ è turgenti pectore dissultare solent, non ex parte superiore, verùm ex appetitu gravissimè divexato, & quasi lethaliter saucio erumpere. Sanè doctrinæ fidem conciliat adhibita ad explorandum animum industria, qua denique eò ventum est, ut (quo ad in re caliginosa fieri potest) creditum sit, ipsos, qui mala optant, vel imprecantur, non consensu sive actu deliberato voluntatis, sed affectu partis inferioris vehementissimo permoveri. Ratio altera, quæ Iobi magnanimitatem excelsamque vitæ perfectionem deceat, hinc eruitur, quòd fortior, & generosior animus sit, qui nullo tædio, nulla adversitate ita dejicitur, ut deliberatè nolit ea de causa, fuisse, vel esse, quamvis idipsum iuxta appetitus inferioris motum velit disertis verbis proferre. Firmior nimirum constantia est, quæ deliberato actu malorum obstacula perrumpit, clarior intellectus, qui nulla infortunia a Deo provisa declinare constituit, nobilior voluntas, quæ Deo cædenti, sine conatibus evadendæ pœnæ, succumbit. Verùm roget lector; Si adeo constanter egit Iobus, ut concusso appetitu, mens immota maneret, cur deliberato actu maledicta deprompsit? Etli enim non ei fuerit liberum graviter affici, quod est appetitus, fuit certè liberum verba illa proferre. Huic postulato respondeo, nihil de constantia, animivè magnitudine remisisse, qui habito consilio, indulsit appetitui, collectum mærorem, quasi purulentam materiam discuteret. Suberat prudentissima ratio; aberat ex rei genere occasio scandali, previoque consilio dicere potuit:

Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.

Virg. 4. Aen.

Et silentium solvens, potuit uti apposito mœstitiæ remedio, quale dolentes crebrò usurpant, crudelitatique ascribunt, si quis illud prohibeat, ut scripsit anxius ille:

Ovid. Trist. l. 5. El. 1.

Interea nostri quid agant nisi triste libelli?
Tibia funeribus convenit ista meis.
At poteras, inquis, melius mala ferre silendo:
Et tacitus casus dissimulare tuos.
Exigis, ut nulli gemitus tormenta sequantur:
Acceptoque gravi vulnere flere vetas.
Ipse Perillæo phalaris permisit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.

En Ethnico illi plusquam Phalarica immanitas visa est, querimonias afflictis interdicere; silentium imperare. Rectè igitur, ac sapienter Iobus ab inauspicato, ut tunc ei videbatur, natali sermonem grandem exorditur, vehementem affectum, ac vitæ tædium descripturus. Quod verò ait, Conceptus est homo, emphasim habet, ac si planiùs sic efferret: Non ideo benè precandum est nocti, qua dictum est, conceptus est homo, quòd fœtus masculus fuit, quod Principibus in optatis est, ad posteritatis votum explendum. Certè nox ominosa fuit, quæ neque masculi conceptu potuit fortunari. Opto sanè nunquam successisset. At roget quis: quale optatum est hoc *ἀδύνατον*? Porrò fieri nequit, ut dies, noxvè præterita non fluxerit. Sed nodus hic non difficulter solvitur, si lector traditæ nuper doctrinæ discrimen observet. Optatum quippe, sive affectus appetitus inferioris prægravati est, qui solam rei acerbitatem sibi invisam execratur, cuius non est dispicere, an quod affectat, fieri queat, vel nequeat: quod hic ad ea, quæ post hac succedent, capienda, annotasse operæ pretium est.

A Experientiæ ratio.

B

Fortitudinis excellentia.

Quæstio difficilis.

C

D

E Masculi conceptio læta.

F

V. 4. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.

PARAPHRASIS.

Dies natalis meus patiatur eclipsim, Deusque non gerat curam illius, lucemque cœlestem subtrahat.

SAnè si primæ imprecationis sensum assequatur lector, pervium erit, subnexas alius poetico, aut oratorio more decurrentes percipere. Familiare est viris graviter afflictis rem eandem persæpe resumere, & pro doloris modo multifariam vertere, ac inverlere: quod unus pro plurimis Ieremias in lugubri Threnorum carmine pervincit. Optarat Iob versu proximè explanato natalem diem perire; nunc eundem alio schemate impetit aiens: Vertatur in tenebras; hoc est: omnino exosus est mihi dies tam immanium malorum ferax. Si ergo non pereat, obscuretur saltem tetra, densaque caligine obducta, quæ noctem cæcam repræsentet. Non requirat eum Deus desuper, hoc est, Deus, qui lucis, & lætorum dierum auctor est, pro nihilo ducat illum, neque inter fastos dies recenseat. Quin potiùs non illustretur lumine, ut quod Deus communi beneficio diebus largitur alijs, huic adimat, qui est omnium infaucissimus. Quod ad mores attinet, satis crebrò natalis dies, quem mortales uti nova luce splendentem recolunt, vertitur in tenebras, neque à Deo fœlix ducitur, aut cœlesti splendore exhilaratur, cùm ita plerique homines vita sibi concessa turpiter abutantur, quasi ad scelera dumtaxat per-

G Afflictis frequens rerum repetitio.

H Malorum nativitas quomodo habenda?

petranda huius lucis usuram accepissent. Et quod ærumnosius est, ipso natali in annos singulos recurrente, inter profanas epulas teterrimè peccatur, ut non Herodes solus in natali cœna de Ioannis Baptistæ capite amputando pronunciet. Sic dies natalitius funesta eclipsi totus obnubitur.

Scripta An. 1610.

A ℣. 5. Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine.

PARAPHRASIS.

Diem natalem meum densæ nubes obducant, eaque incumbat umbra, quæ mortis metum incutiat. Offundatur ei noxia nebula, & undique subeat intima mœstitia.

SEnsus Iobi est: Utinam quo die ortus fui, nubila omnia ingruissent, umbra lethalis, nebulaque nocentissima obtexisset orbem, & anxietas animi homines afflictasset, in signum miserrimi partus, qui tot ærumnas esset perpessurus. Rhetoricus excursus, & tragica periphrasis est, qua inauspicatum diem tristi sensu lacessit. At si hominis peccatoris vitam bonus aliquis æstimator circumspiciat, altiore sensu eius natalem ab obscuritate arcana lugendum, & maledictis impetendum ducet, quàm Iobus luxerit, & proscinderit suum. Repulsa quippe luce, qua Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, subeunt velut Aegyptiæ tenebræ, umbraque verè lethalis, quæ in dies peccantem peiùs occæcat, & in tenebricosissimam æternæ mortis abyssum, quasi per vastam regionem duce viæ carentem impellit. Hinc enascitur mœror à conscientia peccati genitus, tamquam vermis virulentus, qui cor obstringit, atque pervellit.

B

Malorum ortus lugendus.

C

℣. 6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. ℣. 7. Sit nox illa solitaria, nec laude digna.

D

PARAPHRASIS.

Noctem conceptus mei ventus contortus, & vehementior inter densas tenebras ita tremendam efficiat, & exosam, ut à nemine in dierum naturalium, vel mensium numero ponenda videatur. Omnes mortales illam à sua societate depellant, & laude indignam pronuncient.

MAlè precatus fuerat Iobus versu uno confertim diei, ac nocti: mox resumpsit diem, quem detestaretur seorsim: nunc noctem discretè abominatur, aitque: Utinam nocte illa ventus furens atque violentus corripuisset obvia quæque, vetustas, beneque nixas arbores radicitus avulsas, domos firmiter sedentes funditus eversas, naves benè compactas, anchorisque fundatas alìò abreptas transtulisset, omniaque offusis cæcasset tenebris, ne qua spes evadendi superesset. Opto sanè, noctem illam ita universis mortalibus despicabilem videri, ut cùm tempora elapsa ad Chronologiam recensent, eam à dierum naturalium, quibus nox comprehendi solet, mensiumque numero, summa execratione reijciant: nihil quippe lætum, & faustum protulit. Quin etiam percupio ego adeò solitariam esse, ut nec viatores per trita itinera se illi credant, neque cives in urbibus ad nocturnos cœtus epulaturi, aut ludos celebraturi, ea nocte formidata conveniant. Hæc ad sensum Iobi. Omnino autem constans, & verum est, in arcano sermone, noctem spiritualem, in qua homines concipiuntur, originali peccato fœdati, & obtenebrati, infaustissimam esse, neque in numero dierum, quos iustitiæ sol Christus divinæ gratiæ luce formosissima efficit, computari. Patet profectò, noctem illam lugubrem esse, ac solitariam, in qua nulla divinæ charitatis societas, nullum amicitiæ divinæ fœdus reperitur, ac proinde tempus esse inauspicatum, omnique vituperatione dignissimum.

Infaustæ noctis descriptio.

E

Nox peccati originalis.

F

℣. 8. Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.

G

PARAPHRASIS.

Nocti conceptus mei malè precentur nautæ ira perciti, & maledicentiæ peritissimi, qui & ipsi sereno diei maledicta inserunt, eo præsertim eventu, quo conspicantur immanem cetum oceano innatantem, in quem inciderunt, quem ita comparati sunt, ut vel nolentes ad prædam excitent.

PErgit Iobus rhetorico excursu dolorem efflare suum, optans ut qui licentissimè omnium ora relaxant, & in adversis rebus asperrima verba profundunt, artem illam suam adversus noctem conceptus ærumnosi certatim exerceant. Huiusmodi esse solent aurigæ, agasones, nautæ, qui ad summum discrimen delati innumeras imprecationes in obvia quæque furentes intorquent. Meminit autem Leviathan, pro quo LXX. Interpretes, Magnum cetum, transtulere: qualis nimirum in Oceano interdum immanissima insularum magnitudine, cùm ad summam enatavit aquam, cernitur, quique naves demergere solet: cuius aspectu nautæ conterriti, atque in arcto positi, verentes ne belluam excitent, & ad navigium ever-

Imprecandi malè periti.

H

LXX. Interpp.

Ceti terror nautis incussus.

Scripta An. 1610.

evertendum irritent; diei, quo navim conscenderunt, maledicunt, quem nollent illuxisse. De nomine Leviathan commodior succedet agendi locus: nunc sat fuerit dixisse, peritis Hebræis, Leviathan latinè significare, luctum, voce simplici, aut luctum suum, voce composita. Et profectò formidabilis bellua illa uberrimam navigantibus causam luctus producit.

Leviathan luctum significat.

A

℣. 9. Obtenebrentur stellæ caligine eius: expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.

PARAPHRASIS.

Fuisset adeò tetra caligo noctem mei conceptus obumbrans, ut stellarum conspectum adimeret: adeoque prolixa, ut non lux solis tantùm, verùm & splendor albentis auroræ nunquam succederet.

B

ELeganter sanè Iobus noctem invisam execrari persequitur, dum candidam stellarum lucem virgineo partu progenitam caligine intercipi cupit, ne ad oculos mortalium perferatur, & animos exhilaret, dum item eam umbram protrahi exoptat, ut nunquam diluceſcat. In arcano verò sensu textus hic Christo, qui est lux mundi, & purissimæ Virgini, quæ ab Ecclesia appellatur Aurora, solet aptari; ut sensus sit, Nox peccati, in qua filij Adæ tenebris obducti nascuntur, expectet, quàm longè velit, lucem, hoc est, Christum, neque illum videat, sive attingat: neque verò lucem illam tantùm, sed ortum purissimæ Virginis, quæ est pulcherrima Aurora consurgens.

Lux mysticè explicata.

C

℣. 10. Quia non concluſit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

PARAPHRASIS.

Ratio, quæ impellor ad maledicentiam inauspicatæ noctis, est, quia non intercluſit exitum è matris alvo: sic quippe non devolverer in calamitatem hanc ingentibus affluentem malis, quæ cogor inspicere.

COhæret aptè ratio hæc à Iobo inducta cum doloris sensu, & verbis proximè explanatis. At meminerit lector traditæ doctrinæ, quæ acerrimum dolorem, ac mœstissimum affectum partis inferioris ob oculos posuit, cuius oblivio noceret. Infœlicior quippe fuit Iob ventris angustijs obseptus, quàm in ærumnoso statu, aut ruina, quam luget, cùm ibi in originalis peccati cæno iaceret, hic iustus cum sit, temporariam dumtaxat adversitatem perferat. Verùm, uti memoriæ commendatum est, impotens affectus inferioris partis vehementer invalescens exprimitur. At si sceleſtorum hominum ageretur causa, omninò certum, ac exploratum est, præclarè illis res cessisset, si ante partum ominosum mors festina contigisset, quantumvis in hac mortali vita opulenti, ac fœlices existimentur. Exaggeratis nimirum criminibus graviora sempiterni cruciatus cum divinæ Maiestatis iniuria debita contrahunt: & velut pingues tauri mundi prata oberrantes servantur ad necem.

Sceleſtorum ortus execrandus.

D

E

℣. 11. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perij? ℣. 12. Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?

PARAPHRASIS.

Eccur non in alvo interij, aut mox editus obivi? Cur obstetrix è matris utero fusum me gremio excepit? Cur postmodum lacte nutritus fui?

F

POeticè malum idem insequitur, ut significet optabilius sibi videri, aut recèns post conceptum, aut saltem post partum de medio tolli, quàm luctuosissimam sortem incurrere. Solet hic textus arcano sensu ad conceptum, partum, consuetudinemque peccati satis aptè traduci, & peccatori, quem sensu mutato, culpæ pœnitet, attribui; quasi diceret: Utinam peccatum recenter conceptum statim extinctum fuisset, aut saltem mox à partu, hoc est, ut primùm ad opus pertigit, esset interceptum. Cur peccatum quasi nutrix consuetudine ipsa tanquam gremio fovi? Cur ipsam assuetudinem culpæ dulcedine, velut uberum suctu captus protraxi? Congruit huic explanationi illud: Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

Pœnitentiæ symbolum.

G

Proverb. 1. 10.

℣. 13. Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem, ℣. 14. cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.

PARAPHRASIS.

Profectò si vel in matris utero, vel statim à partu festina mors me sustulisset, non decurrisset huc mea enormis calamitas, sed bis malis ereptus mortis somno non minùs quiescerem, quàm reges, consulesvè orbis terrarum, qui, postquàm secunda fortuna usi sunt, demum intereunt, & amplissima sepulchra in locis solitarijs sibi construunt.

H

Com-

Scripta An. 1610.

LXX. Interpretes.

COmparatio hæc, qua Iob utitur inter se ipsum, ac reges, & consules, sive ut LXX. vertunt, Consiliarios, ad corpus rectà pertinet: Horum quippe omnium una est conditio, ut tandem solvantur in terram, qua corpus conditur, ubi & silere, & propter spem resurrectionis dormire, tanquam ab eo somno excitandum eleganter asseritur. At si animorum sortes expendantur, non posset comparatio hæc æquè procurrere: iusti nempe, ac iniusti hominis corpus persimili ritu tumulatur, ac resolvitur: animarum non eadem quies, aut sententia est. Pertinuit autem ad cœptum Iobi sensum, corporis, quo angebatur, vicem dolere, illiusque luctum aptè prosequi. Quod verò ait, se in corporis sorte, si antè sublatus fuisset, similem aut æqualem futurum ijs, qui ædificant sibi solitudines, trifariam exponi solet. De ijs videlicet, qui magnificentissima sepulchra, seu Mausolæa, antequàm è vita migrent, in desertis locis exædificant, ut eorum cineres ibi condantur, qui perantiquus nationum multarum mos fuit. De ijs præterea Principibus, qui in salubribus locis palatia amœnitatis, & valetudinis gratia extruenda curant, ut eò à tumultibus urbium, & negotiorum fastidijs longè secedant. De ijs demum, qui civitates dirutas, ac derelictas in solitudine instaurant, ut nomen suum ad posteros claro splendore traducant. Horum scilicet omnium, quod ad corpus attinet, ubi ad urnam deventum est, æqua est quies, & somnus methaphoricè dictus: quod certè assertùm satis ad mores corrigendos per se valet, si altè observetur.

A Corporis, non item animæ aequalis omnium fors.

Similitudo explicata.

Mausolæa constructa.

Quietis Palatia.

B Urbes in solitudine instauratæ.

℣. 15. Aut cum Principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento.

C

PARAPHRASIS.

Si me mors, quam expecto, festinata corripuisset, æquè requiescerem, ac Principes auro, argentoque prædivites.

VErsus hic eadem, qua proximè expositus, observatione indiget. Nam cùm interierit homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Mirificè dictum: Replent domos suas argento, ad studium opes coacervandi, & inexplebilem cupiditatem thesaurorum innuendam.

Vanitas divitiarum, & insatiata cupiditas.

D

℣. 16. Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

PARAPHRASIS.

Benè mecum actum fuisset, si obtigisset mihi sors fœtus, ante animæ creationem abortu pereuntis, aut certè animati, concepti que, sed ante partum, luciſque huius usuram extincti. E

DUo velut extrema Iobus complexus est: & Principes opulentos longam vitam ducentes, & fœtus recenter conceptos, nec vita functos, quos exæquat, quod ad corporis philosophiam spectat: & mœstitiæ, tædijque magnitudine degravatus omnia percurrit, ut animum adstrictum relaxet.

Fœtus abortivi sors.

℣. 17. Ibi impij cessaverunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi robore. ℣. 18. Et quondam vincti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris. ℣. 19. Parvus & magnus ibi sunt, & servus, & liber à domino suo. F

PARAPHRASIS.

Æqua morientium, quod ad corpus attinet, quies est: nam ibi scelesti homines iam non insistunt Reipublicæ perturbationibus: à contrario, qui lassi viribus destituebantur, conquieverunt. Ibi qui olim ob æs alienum nexi fuerant, non amplius à creditoribus vexantur. Ibi patritius pariter, ac plebeius, servusque severo domino ereptus iacet.

IN omne latus se vertit Iobus, ut optabiliorem interitum ærumnosissima vita pervincat, sanè quod ad sensum, tædiumq; intolerabile mortalitatis, quam sustinebat, attinet, credendum videtur, mortem tamquàm genus quoddam redemptionis à durissima servitute, qua premebatur, ei ob oculos fuisse versatam. Repetit verò toties mortem varia periphrasi descriptam, cùm nihil ei, præter obitum, prodesse posse videretur. Homini quippe tabido, & lethali dolore, mœroreque saucio sanitas ulla restitui non posset: neque tametsi restitui valeret, viro, in quem mundus, ac tartarus coniurassent, cui prolem, opesque subitaneus adversitatis extremæ turbo sustulisset, ullo pacto congruere crederetur. Iam verò, quod ad multiplicem hominum conditionem pertinet, quam Iobus hoc versu contexuit, in qua nihil discrevit: nostra certè interest, rem exactè perpendere. Si enim hæc, ut par est, crebriùs mente pertractaretur, non dubium, quin feritas multorum, quos mundi fœlicitas efficit inimanes, quandoque mitesceret. Vexent nunc

G Mors vita ærumnosa optabilior.

H Communis omnium interitus.

Scripta An. 1610. nunc improbi exactores homines inopes, ac inermes opprimant, & in vincula conijciant: non enim longè abest communis interitus, qui compeditos absolvet, quibus nihilò peior fors accidet, quam creditoribus rigidis, à quibus in carcerem horrendum detrudebantur.

A ℣. 20. Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt? ℣. 21. qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: ℣. 22. gaudentque vehementer, cùm invenerint sepulchrum.

PARAPHRASIS.

B *Cur mihi infœlici concessa est huius lucis usura? cur similis vitæ conditio alijs afflictis obtigit? Profectò hi mortem exoptant nimis cunctantem, effecti persimiles thesaurorum indagatoribus, qui exhilarantur, mox ac reperiunt sepulchrum, ubi cum ossibus aurum defossum est.*

Condendi thesauros abusus.

ALludit Iobus hoc versu ad abusum antiquum recondendi aurum, resvè alias longè pretiosas in sarcophagis, vel urnis: & ad morem indagatorum, qui dum terram effodientes impacto fortè ligone, aut bidente concavum locum offendunt, vehementer exultant, spe thesauri repentè suborta. Certum est autem pulcherrimam metaphoram iustis viris in hoc exilio vexatis apprimè congruere. Gaudent quippè medullitus, ubi mors propinqua velut manu porrecta attingitur. Etsi enim externa eius facies horrida, & luctuosa sit; sub horrore tamen, ac luctu illo latet aurum æternæ mercedis, in quam iustus anhelat. Rectè dictum est: Mori lucrum.

Iustis mors laeta.

C

Philip. 1. 21.

℣. 23. Viro, cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris.

PARAPHRASIS.

D *Eccur permissa lux mihi viro ærumnoso; cui incognita est via, qua possim elabi, & quem Deus tenebris ignorantiæ densis obnubi permisit?*

AMplificat Iobus mortis votum varijs eloquentiæ formis, è quibus hæc: Quorsum vivat vir à sævis calamitatibus, velut à multis, ferisque rædonibus circumventus, qui inter huius luctuosæ vitæ nubila nescit, quò se vertat: cùm sepserit Deus semitas omnes ad effugium captandum opportunas lapidibus quadris, & caligine atra, ut ne loco se movere, nec viam evadendi

Huius vitæ tenebræ, ac mœstitia.

consPicari valeat. Profectò verum est, plerosque Dei cultores immenso mœstitiæ, & gravissimarum affectionum pondere eò deprimi, adeòque arctari, ut vitam ærumnosissimam ducant. Quorum animus evasionis cupidissimus nihil sibi nisi elapsum è compedibus ferreis cogitare posse videtur: quibus tamen res non cedit ex voto, sed quò enituntur magis, eò via libertatis difficiliùs intercludi, & obscurior nubes videtur incumbere. E

℣. 24. Antequam comedam suspiro, & tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus.

PARAPHRASIS.

Væ mihi! quò decubui? eò certè, ut cum mihi, urgente conscientia, cibus sumendus sit, ne hanc, qualem cernitis, vitam iniussu Dei extinguam, præ cibi horrore, renisuque stomachi planè incredibili, gemam, & sonum inauspicatum impotenti cum fletu, velut exundantem aquam prodere cogar. F

ELeganter sanè repræsentat Iobus cibi abominationem, qua velut quotidiana tortura, vel ad escarum aspectum, vexabatur. Est autem dicendi modus ad commiserationem efficax: quasi in hæc verba longiùs differeret: Undique malis obsideor, panis ipse, qui vires languentes reficit, & vitam alit, mihi in grave, acerbumque tormentum vertitur, ut in suspiria priùs, lachrymasque resolvar, quàm apposita esculenta ori admovere valeam. LXX. Interpretes sic habent: Ante escas quippè meas gemitus adest, & fleo ego coarctatus timore: quorum verborum sensus pervius est, habetque disertè illud, Fleo ego. Et quidem in rerum, & affectionum internarum œconomia, anxietas hæc Iobi ante esum altis cum suspirijs eiulantis non est adeò rara, ut ætate hac non suppetant exempla similia. Graviter quippe corpus ex animi angoribus afficitur, & effœtum præmaturæ senectuti traditur.

Cibi fastidium afflicto animo.

LXX. Interpp.

G

Corporis ex animi affectionibus molestia.

℣. 25. Quia timor, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar accidit.

PARAPHRASIS.

Ideò certè suspiria cum fletu trabo, quia malum grande, quod ego in summa prosperitate suspicabar, ingruit: adversitas, quam metuebam, irrupit. H

SApientis est, inter secundos eventus de adversis cogitare, ne animus, prosperitate ad votum cedente, intemperans evadat, & fræni fiat impatiens. Sic Iobus se demostrat egisse. At, quod hic latet, & quod animum lancinat, ut prudenter conijci potest, enormitas calamitatis est omnino

Sapientis prævidentia.

Scripta An. 1610.

omnino quippe credendum, Iobum neque cogitasse, neque verò animo concipere potuisse spectaculum adeò formidabile, infortunium adeò tremendum, quod velut prædo inopinatus incessit. Timuit ergo malum, quod accidit: at proculdubio non æquavit: exitus fidem excessit: graviora incursarunt mala, quàm vel cogitando assequi posset.

Inopinata Iobi calamitas.

A ℣. 26. Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? & venit super me indignatio.

PARAPHRASIS.

Quid de hoc horrendo malo efferam? Cur ergo sic plector? ego certè inculpatè vitam ducere studui. Finxi me iniurias irrogatas nescire: contumelijs lacessitus tacui: cùm possem iure irasci, mitescere malui. Et tamen ira Dei me corripuit, ac si teterrimè peccassem.

B

Sanctorum lamenta in adversis.

E Superioribus liquet, quàm fuerit mira Iobi integritas à Deo ipso repetitis prædicijs commendata. Habet autem hoc eximia perfectorum virorum sanctitas, ut cùm in calamitatem gravem inciderit, multiplices suggerat querimonias à bono conscientiæ testimonio genitas, quibus hic liber plenus est, quod ad affectionum internarum peritiam spectat. Primum ergo sermonem Iobus capite hoc tertio sententijs aculeatis contexuit ac siluit. Mox Eliphaz exorsus est.

C

CAPUT IV.

℣. 1. Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies; sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

PARAPHRASIS.

D *Cum Iobus sermonem explesset, Eliphaz Themanites, Rex, ac vir sapiens sic illum aggressus est: Si verba tecum fecerimus, ægrè fortasse feres: at animus sermonis conceptu gravidus non potest non fœtum eniti.*

Eliphazi exordium.

ELiphaz rex Theman inter Iobi amicos nobilissimus, cùm orationem Iobi attentiùs excepisset, duo reprehensione digna animadvertisse sibi visus est, & animi impatientis furorem toto ferè capite, & propriæ iustitiæ assertionem è versu ultimo: quæ duo vehementer exhorruit. Cùm tamen vir foret prudens, atque comis, exordium suave mordaci orationi prætexit, urbanè significans, nolle se viro afflicto molestiam irrogare, sed propria, ut par esse censet, sensa depromere. Tam verò Eliphaz, quàm cæterorum amicorum disputatio exigit, ut hoc in loco ponatur id, in quo totius controversiæ cardo vertitur. Qua sanè in re cùm varia sint scriptorum placita, is mihi nodum solvendi modus omnium optimus videtur, qui ait quæstionem inter amicos agitatam ad peculiarem Iobi causam pertinere. Asseruit Iobus supremis primi discursus verbis, se innoxium plecti, quibus profectò verbis tres amici lacessiti sunt, qui omnino sentiebant, neminem in hac vita sine culpa cædi. Hanc existimo esse propriam huius libri concertationem: de qua cùm sermo fieri nequeat, nisi universalia divinæ providentiæ capita ad argumenta conficienda, & disponenda inducantur, efficitur certè, ut concertatores plurima pronunciata depromant, quæ ad providentiæ divinæ erga pios, & impios controversiam in genere pertineant, quæque inter se longè discrepent. At enim, non id, quia exprofesso genus eius quæstionis in medium produxerint, verùm quòd peculiaris Iobi sententia, qua se iustum præmisit, absque communium rationum inductu contutari nequiret. Verum est tamen, in ipso disputationis procursu, orationem traduci ad controversiæ genus, & per capita multa de piorum fœlicitate, ac impiorum supplicijs longè disceptari, ac in eo sensu dici posse, de controversiæ genere certamen initum fuisse. Quid verò amici Iobi de providentia erga præmia, suppliciavè futuræ vitæ censerent non usque adeò inter auctores constitutum est, cùm in utramque partem probabilia argumenta conflentur. Verùm quicquid de illorum sensu astruatur, quod ad proprium, & potissimum libri huius certamen attinet, credo equidem, quam protuli sententiam, appositissimam esse, ac leniter per campum disputationis totum excurrere.

Qualis huius libri disputatio?

E

De divina providentia concertatio quare inducta?

F

Quid de illa Iobi amici?

G

Duo ergo Eliphaz hoc primo congressu enititur, & Iobum, quem patientiam abiecisse putavit, ad eam virtutem colendam permovere, & culpæ reum convincere, atque in hunc modum auspicatur: Si cœperimus loqui tibi, &c. hoc est: Mihi vero simile videtur, te molestè laturum sermones fidorum amicorum, quorum consilijs benè uti posses. Excanduisti enim apertis impatientiæ signis, quæ consilia sana repellunt. At non continuò ab officio desistendum est, H sermone casto piè concepto nos ad officium perurgente. Annotandum hic, LXX. Inter-*LXX. Interpp.* pretes pro verbis illis Vulgatæ editionis, Conceptum sermonem tenere quis poterit, habere: Pondus verborum tuorum quis sustinebit? Quæ profectò versio cum Eliphaz sententia optimè cohæret. Cùm enim ei visus fuisset Iobus non impatiens modò, verùm & divinæ providentiæ reprehensor, appositè subdit, ut silentij septa perfringat, Pondus verborum tuorum (quibus scilicet Deum accu-

Concepti sermonis subpressio difficilis.

Scripta An. 1610.

accusas) quis sustinebit? Planè verum est, difficillimum esse, conceptum sermonem reprimere: at pietatis, & prudentiæ habenda ratio: quod ad viros insignes, cum Principibus verba facientes derivandum. Melius quippe in hoc genere, ac salubrius est, minimè concipere, conceptumque violenter retinere, quàm partum deformem, aut noxium edere. A

℣. 3. Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti: ℣. 4. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua tremencia confortasti. ℣. 5. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es?

PARAPHRASIS.

Quò ferris Iob? ecquis furor? quænam hæc divinæ providentiæ reprehensio? En, cùm prosperè tibi res cederet, gravi magisterio erudiebas alios, animis fatigatis robur consilijs rectis addebas, imbecilles animos, & corpora pijs sermonibus roborabas. Modò verò incumbenti calamitati succubuisti: & velut ad solum Dei tactum intemperanter commotus es. B

Eliphaz in Iobum accusationes.

EDuobus, quæ Eliphaz reprehendere constituit, incipit alterum inducere, prætexitque anteactam Iobi vitam, ut præsentem redarguat: cujus sensus est, Iobum, dum floreret, solitum alios ad tolerantiam instruere, & compositis rationibus confirmare: nunc verò ipsum, qui roborasset infirmos, ærumna tactum concidisse, veramque patientiæ disciplinam reiecisse. Ecce, inquit, docuisti multos, egregium præceptorem simulasti, suffulsisti fessos, nutantes stabilisti, ne animum despoderent, fractique labore patientiæ cultum respuerent. Tu verò doctrina abusus tua furere, & iniquissimo animo Dei manum ferre videris. Age ergo, proba traditam à te morum lenitatem, & Deo castiganti cede. Præclarè philosopharetur Eliphaz, si cum innumeris viris prosperitate in speciem pijs, adversitate impijs ageret. Nihil enim familiarius, quam in secunda fortuna sententias pias, consilia sana verbis eleganter concinnatis efferre, cùm planè constet, præceptores istos adversis casibus paulò minùs dementari. At hæc reprehensio in Iobum minimè convenit, in quo à consiliario erratum est. C

Prosperæ, adversæque fortunæ dispareloquium. D

℣. 6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?

PARAPHRASIS.

Quomodo evanuit Dei timor, quo illum colere videbaris, fortitudo, qua pericula te obiturum statuebas, patientia, qua tristes incursiones te perlaturum iactubas, perfectio vitæ, quam venditare solebas? E

URget Iobum, petitque præacutis telis mœrentem animum, quasi quicquid virtutis, & sanctitatis in regno florenti prætulerat, egregiè simulasset, & ad seducendos populos prætulisset. LXX. Interpretes sic habent: Nonne timor tuus est in stultitia, & spes tua, & iniquitas vitæ tuæ? quasi Eliphaz diceret: An non stultè timuisti, timore videlicet minimè syncero? An non spes tua, quam de sanctitate simulata concipis, vana? An non iniustitia vitæ tuæ comperta? Sermo eclipticus est, qui intercalatis verbis debet expleri. *LXX. Interpp.*

℣. 7. Recordare, obsecro te, quis unquam innocens perijt? aut quando recti deleti sunt? F

PARAPRHASIS.

Recole, precor, facta præterita, & perspicies, te non inculpatè vixisse: non enim sic te Deus insontem cæderet. Ecquis enim innoxius ullo tempore corruit? Viri syncerè iusti ubi, rogo, de medio sublati sunt?

VErsu hoc Eliphaz Iobum carpit ab erronea, ut ipse quidem opinabatur, sententia, quòd scilicet Iobus se ipsum à vitæ integritate commendaret, cùm tamen severè plecteretur. Sententia quippe Eliphaz, & sociorum, per hoc ipsum Iobus revincebatur culpæ, quod pœnam acrem ferre cogeretur: in quo palàm ipse correptor errabat. Ait ergo; Recordare, omnem antiquitatem memoria recense, videbisque ita Deum res humanas administrasse, ut neminem innocentem afflixerit, neminem iustum interemerit, aut simili calamitate punierit. Porrò sensus Eliphaz & rationi, & divinæ fidei dissentaneus est: lumini quippe naturali congruit, ad providentiam pertinere divinam, bonos, ac fortes viros per discrimina varia experiri, non tam ut à culpis expientur, quàm ut in vera virtute proficiant. Lumine verò supernaturali creberrima, & saluberrima doctrina hæc præclarissimis exemplis asseritur. Apostoli nimirum, & plerique alij fortissimi certatores tunc à Deo acriùs exercebantur, cùm eximia vitæ puritate niterent: ut redintegratis bellis ipsi ad purum velut excocti immissa vexatione puriores, & amplissima corona digniores evaderent. Pro verbis illis, Aut quando recti deleti sunt, LXX. reddunt, Vel quando veraces radicitus perierunt? Ubi sen- *LXX. Interpp.*

Eliphazi, & sociorum error. G

Iustos adversitatibus probari ratio, & fides docet

Exempla. H

D

Scripta An. 1610.

sensus Eliphaz, fictæ sanctitatis Iobum arguentis, eluceſcit.

℣. 8. Quin potiùs vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos,
A ℣. 9. flante Deo perijsse, & spiritu iræ eius esse consumptos.

PARAPHRASIS.

Innoxium perijsse ego neque memini, neque credo: at obseruaui ipse, scelestos iniustitiæ artifices, qui cum criminibus sementem afflictionis spargunt, quam postea inuiti recondunt, à Deo irato, velut quodam repentino ultionis turbine correptos, atque sublatos.

B PRosequitur Eliphaz rationem cœptam bimembrem. Asseruit insontes nullis aduersis casibus infestari: modò subdit flagitiosos è contrario vehementibus iræ diuinæ flammis absumi. Vidi, ait, eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, &c. Hic planè loquendi modus ad criminosos urgendos perquàm appositus est, ij quippe dum flagitia perpetrant, tametsi voluptates immodicas sibi haurire videantur, profectò dolores ferunt, quos postmodum infœlici proventu, vel nolentes percipiunt. Ecquid enim doloris, mœroris, ac infamiæ non ferit voluptarius illecebra turpi captus, qui paulò post inops, tabefactus, fœtidus, omnibus inuisus, calamitosè interit, æterno quoque dolore torquendus? Cui non assimilis ambitiosi, avari, cæterorumque peccatorum sementis præsenti dulcore delibuta, sed exitu tristi repensa. Quod verò additur, Flante Deo perijsse, &c. significat inopinatum sceleratorum interitum, qui portentosè accidere solet, cùm protervia, & impudentia excrevit. Nonnullos enim eiusmodi subita diuinæ indignationis flamma depascit, iuxta illud: Sicut viventes, sic in ira absorbet eos. Possit etiam eo sermonis schemate, Flante Deo, &c. alludi ad mercatores prosperè navigantes, qui dum merces iniustè contractas, & avidissimè congestas aliò ad lucrum convehunt, & secundis aguntur ventis, adverso flatu repentè oborto, fulmineque è cœlo tacti merguntur: quasi Iobum benè fortunatum, dum mare tranquillum legeret, ob prædas, & crimen multiplex, Deus sceleribus irritatus, in ærumnæ abyssum deturbasset. Iobo quidem minimè, at plerisque flagitiosis verius hic oppidò consentit.

Mali flagitiorum effectus.

Sceleratorum inopinata mors.

C

Psal. 57. 10.

Mercatorum iniquorum punitio.

D

℣. 10. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. ℣. 11. Ti-
gris perijt, eo quòd non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt.

PARAPHRASIS.

E

Attende Iob, vox terribilis tua, & insolentis uxoris tuæ populis timorem incutiens, intercepta est: vestrique liberi instar leunculorum prædæ assueti extincti sunt. Tigris est uxor tua, O Iob, quæ velut emortua languet, quòd inopum spolijs à te direptis careat. Hæc superstes coniux: at filij prædis immaniter inhiantes, æquo Dei iudicio, sublati sunt.

NOtam tyrannidis, & formidandæ crudelitatis inurit Iobo Eliphaz. Iobum leonem, uxorem leænam, & tigridem, liberos leunculos appellat: quasi Iobus auctoritate regia nefariè abusus expoliasset subditos, & in eam crudelitatem coniux, & filij conspirassent, ac vehementer incubuissent. Quæ sanè assertio falsa est, cùm solium Iobi, misericordia, & iustitia luculentissimè claruerit. At non defuere tyranni, in quos textus hic mirificè conveniat.

Quomodo Iob leoni comparatus, eiusque uxor leænæ?

F

℣. 12. Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtivè susceptit auris mea venas susurri eius.

PARAPHRASIS.

Sanè Deus mihi rem arcanam revelavit ad rem tuam, ò Iob, apprimè conducentem. Ego verò tenuem velut sibilum Dei loquentis aure admotu deprehendi, & quasi suffuratus sum.

G

INterpretes omnes in hoc textu singulare quiddam suspicantur, ob abstrusum illud, quod Eliphaz, se clam accepisse commemorat. Concors sententia est, illum agere de divina revelatione, qua se accepisse ait, quod postea promptuarius est, arbitratus ad persuasionem Iobi rem fore appositam, è qua nervosum argumentum ducere posset. An verò revelatio descripta vera sit, an à disputatore ad auctoritatem dictis conciliandam ingeniosè conficta, incertum est: nec desunt rationes in partem utramque probabiles, quas recensere non videtur operæ pretium, cùm res planè dirimi nequeat, & à Classicis Scriptoribus anceps iudicata, & relicta fuerit. Dicit ergo Eliphaz: Te Iob attentum cupio: rem quippe abstrusam, divinitusque mihi detectam tibi pandam; quam sedatis animi passionibus, potentijsque miro silentio quiescentibus, ceu sibilum tenuissimum inspirantis Dei aure cordis accepi. Fuit nimirum quasi flatus quidam leniter, ac subtiliter animo in-

Quid Eliphazo arcanum verbum, & an vera revelatio?

H

so-

Scripta An. 1610.

sonans, quadam velut arteria perlapsus, quem, ne præter laberetur, cùm mihi maturandum esset, pio quodam furto præripui. Arcana, & sublimis admodum doctrina est, quam tibi pro amicitiæ cultu celare non debeo.

A

Secretæ revelationis pulchra descriptio.

Non hîc prætereundum, descriptionem hanc divinæ revelationis, modique, quo illa internis auribus admotis percipienda sit pulcherrimam, & sapienti viro porrò dignam esse.

℣. 13. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines.

PARAPHRASIS.

B *Visum exponam, quo inhorrui noctu, eo scilicet tempore, quo mortales consopiti iacent, quod, ob silentium, & quietem, contemplationi, & interno visui opportunissimum est:*

Recessus divinæ contemplationi necessarius.

CONstitutum est apud rerum divinarum expensores, debere à strepitu rerum externarum abstinere, seque in loca tranquilliora recondere, qui velit divina contemplari, quod exemplis, ac scriptis Patrum confirmatum accepimus: ijs verò, qui in ea loca se abdere neqeunt, quòd gerendis negotijs omninò addicti, aut statu, quem delegerunt, in medijs urbibus religati sint, appositum sanè consilium est, seipsos noctu negotijs eripere, & quod loci commoditate minimè valent, temporis occasione conquirere; tempus nimirum nocturnum oraculis percommodum est. Hoc Eliphaz Vir administrandæ Reip. intentus, se ostendit seligere solitum: neque enim vel divinam revelationem satis aptè finxisset, nisi se contemplationi deditum, & cælestibus oraculis assuetum indicaret. Argumentum quippe, ad peculiarem eventum excogitatum suspicione non vacaret.

Aut tempus nocturnum.

C

Eliphaz contemplationi assuetus.

℣. 14. Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. ℣. 15. Et cùm spiritus me præsente transiret,

D

inhorruerunt pili carnis meæ. ℣. 16 Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi lenis auræ audivi.

PARAPHRASIS.

In eo spectro, quod mihi noctu occurrit, principiò timui, tremorque gelidus ossa ipsa pervasit. Etenim Angelus quasi prætergressurus obiter accessit, cuius aspectu capilli horruerunt. Substititque ille propiùs, quem licèt minimè cognoscerem, suaviter tamen loquentem, quasi auram leniter flantem audivi.

E

Unde in cœlestibus apparitionibus pavor.

PLura hîc Eliphaz tetigit, quæ eximiorum contemplatorum doctrinæ congruunt. Familiare quippe est, Angelo apparente, timore concuti: quod rei insolitæ, & apparentis maiestati, ipsique hominis fragilitati debet ascribi. Familiare quoque est, timorem illum recèns conceptum, visu divino sese homini attemperante, evanescere, ut initium visionis timore sollicitum, exitus sit pace, ac solatio tranquillus. Quod sanè hoc textu ipso innuitur: nam timorem, & horrorem lenis aura diffiavit, quemadmodum ignem, & commotionem tremendam sibilus olim auræ tenuis excepit, cùm Elias cæleste visum singulari prærogativa nactus fuit. Sic auris attenta Eliphaz lenia verba percepit. Visa verò à Dæmonibus conflata contrario peraguntur successu, nam primùm pax egregiè simulata, mox turbulenta commotio. Stetit quidam incognitus, ait Eliphaz, quo certè habitu fortasse externum spectrum, non verò imaginarium significatur. Hoc initio terruit, postea leni voce roboravit. Symmachus pro verbis illis, Vocem quasi auræ lenis audivi, vertit, ἠρεμίας φωνῆς ἤκουον, Silentium vocis audiebam: quod ad subtilissimam Dei intus loquentis vocem significandam mirificè valet: ut liqueat oportere interna Dei verba attentissimè accipere, qui velit Dei mentem assequi.

Veræ falsæque Visionis discrimen.

Eliæ Visio. 3. Reg. 19. 12.

F

Symmachus.

Quomodo Deus intimè loquens audiendus?

G

℣. 17. Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?

PARAPHRASIS.

An vir quantumvis innocens, Deo iustior, conditoreque suo candidior sit?

Eliphaz ab Angelo edoctus.

POstquam Eliphaz apparentis Angeli habitum eleganter descripsit, nunc oraculum acceptum exprimit, quod quasi telum validum in Iobi animum iaculatur. Etsi enim sermo universè promatur, eò dirigitur tamen, ut Iobus convictus cedat, & conticescat. Sensus ergo est: Ego certè Eliphaz ab Angelo didici, fieri non posse, ut creatura mortalis creatore suo innocentior sit. Cur ergo, Iob, te innocentem iactas, Deoque iniustitiæ notam impingis? Ais quippe, te inculpatè egisse, simulque conquereris, te à Deo severè cædi: quod planè nihil est aliud, quàm Deum iniustum asserere, qui vexet innoxios, ac proinde te, cùm sis insons, Deo ipso puriorem esse. Profectò sententia tua divinis oraculis minimè consentit. Hæc Eliphaz: quæ subiecto argumento,

H

Scripta An. 1610.

quod vocatur à maiore ad minus, firmiùs conatur aſtruere.

℣. 18. Ecce, qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem : ℣. 19. Quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea?

A

PARAPHRASIS.

Omnino conſtans, & verum eſt, mortalem hominem Deo puriorem eſſe nequire : imo perſpicuum eſt, hominem natura fragilem peccatis multis fœdari. Si enim plerique Angeli ſpirituali natura nobiliſſimi ad Dei miniſterium in cœlo conditi non perſtiterunt innoxij, ſed pravo ſenſu nefariè affecti à Deo inventi ſunt: quî fiet, ut homines carne concreti, quorum animi terreſtres

B *corporum domos malè ſultas incolunt, tinea fomitis non exedantur, & culpa deturpentur.*

Eliphazi argumentatio.

ARgumentum Eliphaz in hunc modum diſponitur : Angeli non poſſunt cum Deo conferri: Ergo neque homines Angelis inferiores. Pulchrè autem corpora appellat domos luteas, è limo nimirum terræ compactas. Hæc ipſa corpora terrenum fundamentum vocat. Per tineam, fomitem metaphoricè notat: ſicut enim tinea è re ipſa, quam corrodit, enaſcitur, ita fomes ex homine peccatore, in quem ſævit. Tetigit caſum Angeli, & originem vitiatam hominis, ut Iobum revincat. Quod verò ait, Conſumentur velut à tinea, idem eſt, ac diceret: fomite urgente, & ad peccata vehementer incitante tabeſcent, ac interibunt. Argumentum Eliphaz nervoſum eſt: at extra rem, cùm Iobum minimè perſtringat.

Metaphoræ explicatio.

C

Angelorum lapſus, & vitiata hominis origo.

℣. 20. De mane uſque ad veſperam ſuccidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt ℣. 21. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis : morientur, & non in ſapientia.

D

PARAPHRASIS.

Mortales nihil firmum, ac ſolidum habent: qui dum peccare pergunt, mors celerrima vitam vix uno die prolatam miſerorum dirumpit: qui cùm intellectus lumine benè uti nolint, cruciatu ſempiterno torquebuntur. Quin etiam & eorum poſteri, qui eiſdem veſtigijs inſiſtunt, morte prematurè corripientur, ut homines planè inſipientes.

EXplet his verbis Eliphaz ſenſum, aiens, peccatores brevi è medio tolli, intellectu abuti, ac immortali morte plecti: poſteritatem quoque ipſorum palàm inſipientem, more noxij ſeminis, diſperdi, ut Iobum è breviſſima proſperitate deturbatum, einſque liberos inopinato exitu conſumptos, quaſi gentem ſtolidam, vitaque indignam ſuggillet. Et quidem, quæ revelatione tota Eliphaz comprehendit, Iobo, ac eius liberis, quorum vita eximijs virtutibus claruit, minimè attribuenda: ſunt tamen poſteriora verba ad peccatorum vitam inſtruendam, & caſtum Dei timorem concipiendum opportuniſſima: priora verò ad revelationes divinas internoſcendas, interna Dei verba æſtimanda plurimùm conferunt.

Peccatorum pœnæ.

E

CAPUT V.

F

℣. 1. Voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat: & ad aliquem Sanctorum convertere.

PARAPHRASIS.

En ego divinum oraculum prompſi, à Deo, Angelo referente, acceptum, cui tu minimè reniti vales. Ergo ſupplex ora, ſi fortè adſit tibi, qui te cœlitus inſtruat, & ne pigriteris Sanctorum auxilum implorare.

G

CONCILIAT dictis auctoritatem, quà poteſt Eliphaz, divinum ſe viſum referre teſtatus: aitque optare ſe, ut Iobus oracula divina conſulat, fidens nimirum nihil è cœlo labi poſſe, quod cum revelatione ſibi facta minimè cohæreat. Qui ſanè ſermonis modus & oratoriè ad amplificationem valet plurimùm, & ad Iobi attentionem excitandam, ut reliquæ orationis vim expendat, ſat appoſitus eſt. Poſſit quoque exhortatio eſſe, ut Iobus Sanctos adiutores invocet, qui, ob peccata, quæ iuxta ſententiam Eliphaz admiſit, illorum ope, ac interceſſu indigeat, ad vitam corrigendam, & recuperata valetudine, proſperè in poſterum ducendam. Et ſanè monitum interpellandi Sanctos, per ſe ſanctum, & boni conſulendum eſt: at Iobo non opportunè datur, ſed obtruditur,

Amplificatio.

Exhortatio.

H

℣. 2. Verè ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.

PARAPHRASIS.

Habet hoc vehemens iræ fervor, ut hominem ſtultè iraſcentem graviter lædat. Habet

bet

Scripta An. 1610.

bet hoc invidentia, ut invidum aliorum prosperitate tabescentem consumat.

PErtendit Eliphaz Iobum ab impatientia hic, ab innocentiæ arrogantia postmodum increpare, & cùm censeret Iobum immenso iræ furore correptum, ac turgidum verba tragica, & acerba profudisse, impatientiam carpit aiens: Verè stultum interficit iracundia, sive, ut habet versio alia: Virum stultum interficit, quæ eodem recidit, quamvis prima correctior. Est autem sensus: Animadverto te, ô Iob, nimis impatienter excanduisse, & eò prorupisse, ut te tuus furor interimat. Immane stultitiæ monstrum est hoc. Sed & hoc mali pateris, ut invidendo alijs prosperitatem, à qua, æqua Dei sententia, excidisti, usque ad interitum tabefias, effectus parvulus, ac vilis eo ipso, quòd censeas aliena fœlicitate tuam diminui. Et stultus ergo, & parvulus es. Hæc profectò Eliphaz doctrina, non in Iobum, sed in homines iracundos, & invidos, illos dementes, hos degeneres, ac exiguos derivanda. Dum enim quis immoderatè irascitur in eum, cui nocere nequit, nihil aliud agit, quàm sibi ipsi stimulum infigere, quæ aperta stultitia est, præterquam quòd, extra se actus, amens iure appellatur: qui verò invidet, dum alios fœliciores existimat, ipse sponte sua semetipsum alijs abiectissimo servitutis genere subijcit, & cauterium ignobilitatis inurit.

A

Versio alia.

Stultitiæ, & invidentiæ criminatio.

Iracundi dementes, Invidi abiecti sunt.

B

℣. 3. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.

C

PARAPHRASIS.

Ego consideravi stultum hominem, uti speciosam arborem imis radicibus apparenter subnixam: & confestim prædixi malum externo decori.

SElectæ quidem sunt Eliphaz sententiæ, licèt in Iobum neutiquam conveniant. Universè nimirum prolatæ, ac expensæ in homines innumeros quadrant, cuiusmodi hæc: Vidi stultum firma radice, &c. hoc est: Ego mundanæ fœlicitatis contemplator sæpe observavi stultos homines fortunatos, quorum fors prælatæ arbori firmiter defixæ, ac folijs speciosiùs convestitæ simillima videbatur: at ego rem introspiciens, & nihil firmum sub ea specie latere deprehendens, nihil cunctatus dixi pulchritudinem illam despicabilem esse, brevique proculdubio interituram. Maledictio ergo illa prædictio mali est. Hic est viri sapientis, & canæ mentis senius: non scilicet externo virore, ac decore seduci, imo brevem interitum, funestumque prodigium vanæ prosperitati prænunciare, quod sanè rarum est. Capit quippe innumeros homines amœnitatis illecebra, & multiplex color imaginis artificiosiùs pictæ: perpaucos tamen invenias, qui præsenti voluptate contempta, de tragœdia imminenti seriò cogitent. Fortasse verò plerique apparenti pulchritudini malè nuncient: at non statim, ac seriò, in quo laus maturæ mentis collocatur. Hac certè sententia Eliphaz Iobum, uti secunda fortuna abusum, subnotat, cuius decorem brevi extinguendum, à bono æstimatore præsagiri potuerit: At in eo sensu correptor longè aberravit.

Similitudinis explicatio.

D

Insanum vanæ prosperitatis prælagium.

E

℣. 4. Longè sient filij eius à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.

PARAPHRASIS.

Stulti hominis liberos Deus ab incolumi statu procul arcebit: in iudicio vincentur, ac plectentur, nemine opem ferente.

F

PArentis impij iniquitas in filios veluti transfusa in pœnæ, ac infamiæ sementem vertitur: & proinde à prosperitate, quæ hic salus appellatur, longè recedunt, qui parentes impios æmulantur. Conterentur in porta, hoc est, damnabuntur, & patibulo addicentur in iudicio, quod olim in urbium portis exerceri consuevit. Non erit qui eruat: Sontes quippe neci destinatos nemo valet, aut cupit eripere. Symmachus habet *ταπεινωθήτωσα*, Humilientur, quod ad infamiam publico supplicio adnatam pertinere videtur. LXX. habent, Conterantur super ianuas minorum, quod spectat ad stulti filios mendicos à domorum ianuis severè repulsos.

Iniquitatis parentum pœna, infamia in filios.

Iudicia olim in portis urbium.

Symmachus.

LXX. Interpp.

G

℣. 5. Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias eius.

PARAPHRASIS.

Frustra iniustus homo messem convehere, & in horrea recondere festinat, cùm fur fame incitatus eum antevertat. Quin etiam & ipsum hominem armis obseptus prædo rapiet: & sanè tunc reliquas eius opes domino destitutas latrones avidissimè diripient, non secùs, ac siticulosus homo aquæ poculum exhaurit.

H

ASsertum hoc grave multis eventibus antiquis, ac recentibus confirmari potest, nescio enim, qui fiat, ut plurimorum, qui opes iniustè corraserunt, domus in extremam calamitatem compendiò corruant. Profectò quantùm iniqui exactores inopum sanguinem exorbere maturant, tantùm Dei

Alienarum opum corrasores puniti.

ira

Scripta An. 1610.

ira gliscit, & opes subita ultionis flamma depascit. At neque hic, neque præcedens versus Iobo, liberis eius, vel opibus congruit.

℣. 6. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egredietur dolor.

A

PARAPHRASIS.

Exploratum est mihi, nihil in terra fortuitò contingere, sed miro divinæ providentiæ ordine, effectibus causas aptari. Etenim ex elemento terræ non pullulat pœna, sed è culpa, quæ illius origo est.

Eliphazi argumentatio.

His profectò verbis Iobum revincere studet Eliphaz, cuius argumentum in hunc modum confici posset: Expende, Iob, causarum, effectorumque contextum; boni quippe Philosophi est, nexum rerum, quarum aliæ nascuntur ex alijs, contemplari.

B Jam verò, si nihil in terrarum orbe sine causa evenit, perspectum erit, & hanc tuam calamitatem non absque causa contigisse: Pœnæ verò causa culpa est: quocirca necesse est, te graviter peccasse, qui tam horrendè puniris. Hoc argumentatur modo Eliphaz: verùm Dei providentiam obtruncat, arbitratus culpam dumtaxat unam inferendæ calamitatis causam esse; constat quippe, non eam causam subesse solam, cùm ad virtutem perficiendam, & constantiam coronandam, pios, & fortes viros culpa vacantes Deus acriter infestari sinat, quod in ipso præsertim Iobo, præconio summo celebratur. Quod dictum est, De humo non egredietur dolor, exempli gratia disputator posuit, qui de aquæ, aerisve elementis idem asserere potuisset.

Calamitatis causa non sola culpa.

C

℣. 7. Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.

PARAPHRASIS.

Consilio Dei homo ita inermis, & nudus enascitur, ut ei omnino laborandum sit ad vitæ necessaria conquirenda. Consilio item Dei aves à natura conveslìuntur, & nutriuntur, ut liberè alas exerceant.

Quare homo præ cæteris animantibus labori destinatus?

D

Proximè dixit Eliphaz, nihil sine causa, hoc est, sine Dei providentia consilioque contingere: quod allato hominis, avisque confirmat exemplo. Homo quippe, cui, ob animæ nobilitatem, viderentur debere cuncta necessaria suppetere, quibus animalcula minimè carent, non ita à conditore suo compositus fuit, ut æquè atque aviculæ cibum, potumque reperiret. Arte videlicet, ac sedulitate multa opus est ad victum parandum, & alia vitæ commoda perquirenda, cùm tamen constet, volucribus, alijsque animantibus omnia propemodum sponte provenire. At subest causa, seu ratio idonea, quod homo rationis compos ingenio polleat, ut ea omnia pariat, sibique coaptet, quod animantia rationis expertia minimè valent: præterquam quòd in rebus ipsis necessarijs comparandis egregiè virtus vera coli, & promoveri potest. Et quidem hæc textus sententia est: at Eliphaz uteriùs procurrit, Iobum hoc ipso exemplo reprehensurus, ac si luculentiùs ita effaretur: Patienter age Iob, quem ira penè ad furorem impellit. Sanè universi mortales nati sunt ad laborem, tametsi præter originale peccatum nihil adeò grave actu proprio peccarint: Cur ergo tu, cùm enormiter erraveris, laborem ferre detrectas? Hæc sensit Eliphaz cum Iobo neutiquam cohærentia. Pro verbis illis, Avis ad volatum, LXX. reddunt, Pulli autem vulturis aptissimè volant: Complutensis versio habet, Pulli autem aquilarum: utraque versio confert ad naturalem volucrum præsertim nobilium immunitatem, hominisque servitutem discrimandam, Deique in eo discrimine providentiam expendendam. Utinam hærerent animis ignavorum hominum Christi iugum recusantium verba hæc: Homo nascitur ad laborem. Enituntur enim avium, salubritate aeris, ac nutricatu pervio fruentium sorte potiri; quod planè delirium pijs viris indignum est.

E Eliphazi reprehensio.

LXX. Interpp.

Vers. Compl.

Dei providentia.

F

℣. 8. Quam ob rem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum.

PARAPHRASIS.

Cerno ego hominem ad laborem, & tolerantiam nasci, quocirca longè alio consilio, quàm Iobus impatiens supplex orabo Deum, cui verba pia, & casta offeram, ut me ab impatientis animi nota præservet.

G

Existimavit Eliphaz Iobum ira præcipitem pro precibus, quas in ærumna Deo deberet offerre, impia verba respondere, aitque: Ego sanè non probo Iobi mentem parùm mitem: quin potiùs prosper, & benè valens precabor Deum, bonam mihi mentem conservet, augeatque ad communes labores perferendos, roboretque ad gravíora mala constanter, ac pie subeunda. Homo quippe sum, qui peccare possum; iamque ex hoc Iobi lugubri spectaculo edisco, nihil prosperitati fidendum, si culpa fœdet. Benè ergo mihi consulo, cùm tempus anteverto, & patienter in quovis eventu agere constituo. Casta profectò sunt in hoc textu verba Eliphaz, verùm importuna.

H

℣. 9. Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero.

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Et profectò plurimæ subsunt causæ Deum precandi, ac venerandi. Patrat quippe res miras, & captu nostro altiores, quarum numerus percenseri nequit.

Rationes Dei investigabiles.

MUlta hùc Eliphaz complectitur divinæ Maiestatis, ac potentiæ encomia, quorum capita aliquot præcipua mox disertè subtexet. Exploratum est autem divinorum operum magnitudinem, & causas minimè vestigabiles hoc animis pijs conferre, ut sese demittant, & cum Deo altercari nolint. A divina quippe sapientia non est exigenda operum ratio: ponendumque nihil à Deo nisi sanctum effici posse. Qua sanè ratione Iobus ab Eliphaz carpitur, ac si ad hunc modum verba necterentur: Nescio, ô Iob, eccur conqueraris, & Dei opera disquiras, atque scruteris. Dixisti nimirum te insontem extitisse, & videris iustum Dei opus ad quæstionem revocare, cur scilicet ita te cædat. Porrò licèt causa tuorum criminum certa minimè succureret, deberes tamen
B nihil mutire, aut sciscitari velle, cùm Dei opera inscrutabilia sint. Studium ergo non in scrutinio, sed in tolerantia collocandum, si sapienter agas. Mirabor ego Dei opera, sed minimè scrutabor.

℣. 10. Qui dat pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis universa.

PARAPHRASIS.

Non res duntaxat supra naturam elatæ, sed
C *naturales creberrimè in oculos incursantes satis comprehendi nequeunt. Quis enim Philosophorum pluviæ causas omnes, effectus, ac in loca varia congruentem naturæ distributionem perspectam habet?*

UTitur Eliphaz argumento è re familiarissima petito, ex quo gradum ad altiora construat. Quid enim pluvia crebrius, aut communius? Et tamen velut rem planè mirabilem commemorat, per quam lo-
Pluviæ descriptio. bum à scrutinio altiorum deducat. Quis enim satis novit, quomodo vapores in sublime elati coeant, & nubes hinc inde concrescant, quæ densatæ, ac fœtu aquarum prægnantes, Dei iussu resolvuntur, & varias orbis terrarum oras opportuno imbre fœcundant? Proment sanè nonnihil meteoricum periti: at in pluviæ origine, conceptu, partu, quantitate, divisione tot insunt arcana, ut necesse sit multa latere, quæ naturæ conditor, & moderator sibi reservarit. Iam verò si in solius pluviæ cognitione mira multa pernosci nequeunt, quis altiora Dei opera pervestiget?

D
Eius origo, & proprietates ignotæ.

℣. 11. Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate.

PARAPHRASIS.

Idem planè naturæ opifex in ijs, quæ ad mores hominum pertinent, mira efficit, afflictos quippe, qui se animo demittunt, sublevat, prosperaque valetudine subvehit in statum secundum, atque florentem. E

CUpit Eliphaz Iobo pœnitentiam persuadere: & huc affert Dei morem ingenuum aiens, Deum pro ingenio quidem suo liberalissimo eos, qui ex propriorum criminum conscientia sese despiciunt, & divinæ ultioni submittunt, perhumaniter accipere, & ex infamia, & tabe glorioso, ac sospites statuere: ut Iobus spem non abijciat Dei placandi, & ad primævum statum fortunatissimum resurgendi. Et quidem consilium hoc prosit alijs, quorum opes, & valetudinem improbitas longa decoxit: at Iobo minimè nunc obtrudendum. F

Pœnitentiæ fructus.

℣. 12. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.

PARAPHRASIS.

Et clemens, & iustus Deus est. Parcit sanè subiectis: at protervos mala machinantes intercipit, ne malum, quod attentarunt, absolvant.

EX genere quidem suo doctrina hæc vera est: plerùmque scilicet audaces, ac impios homines malum exorsos æquus Deus velut impacta securi succidit. Sic Absalom, qui grande malum cogitarat, & cœperat, ira Dei conantem sustulit, è capillis suspendit, atque reiecit. At Iob nihil mali aggressus fuerat, quod optaret explere. G

Exemplum Absalom.

℣. 13. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.

PARAPHRASIS.

Mundi sapientes capit Deus calliditate ipsorum propria, tanquam laqueo quem tetenderunt: & consilium impiorum disijcit, aliovè flectit. H

GRave pronunciatum hoc, quo & Apostolus usus est. Aman unus de turgidis mundi sapientibus, qui prætextu alio innoxius Iudæos interimere parabat, patibulo per ipsum extructo suspensus fuit. Consilium quoque scelesti hominis, quò non putarat, flexum est, cùm iussit Assuerus honorem

1. Cor. 3. 19.

Amani exemplum.

Scripta An. 1610.

rem deferri Mardochæo, quem ſuperbus Princeps ſibi deferendum cogitarat. Verùm exempla ſimillima ætas noſtra protulit, quæ utinam ſuperſtitum animis altè inſideant. Pondus habet ille dicendi modus, Apprehendit ſapientes, quaſi ipſi more callidorum ſerpentium elabi conentur, Deus verò ac-
A currat, atque perſtringat. Iob tamen non ſic capiendus fuit, qui à Deo recedere nunquam cogitarat, nedum cœperat.

℣. 14. Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie.

PARAPHRASIS.

Sceleſtis hominibus ſol occidit ſereno die, cùm ipſi in altam rerum gerendarum ignorationem, velut in tenebricoſam abyſſum incidunt. Hinc efficitur, ut tanquam
B *cæci porrectis vice oculorum manibus, obvia quæque tentare dicantur.*

Peccatorum cæcitas.

VErſus hic periphraſis quædam elegans eſt cæcitatis illius, quam peccatores quantumvis aſtutia, & dexteritate valentes incurrunt. Etenim plerumque adeò ſtupidè, ac ruſticè exerrant in negotijs quoque non admodùm implexis, ut omninò pateat, animos impios ſevero iudicio excæcari, ut videntes non videant, & in medios hoſtes ſuos inopini concedant: quod Syris militibus
4. Reg. 6. 18. 19. ab Eliſeo Profeta in mediam Samariam inductis contigiſſe ſacra prodit hiſtoria.

℣. 15. Porrò ſalvum faciet egenum à gladio oris eorum, &
C de manu violenti pauperem. ℣. 16. Et erit egeno ſpes, iniquitas autem contrahet os ſuum.

PARAPHRASIS.

Sanè Deus vindex à calumnijs, & criminationibus pravorum, qui lingua velut gladio ad necem inſontis utuntur, & à violenta eorum crudelitate inopem ſeſe demittentem liberabit. Ex quo ſpes indigi
D *orietur, & iniuſti vexatores obmuteſcent.*

Dei adiutorium in derelictos, ac divexatos.

HIc Dei clementiſſimi mos eſt, ut derelictum eripiat hominem, quem ſceleſti gladio oris, hoc eſt, exacuta lingua, quæ ex ore velut ex vagina profertur, proſcindunt, & manu violenta, hoc eſt, non verbis modò falſis, verùm iniquis actibus, ictibus, vulneribus infeſtant. Ex quo efficitur, ut inops, ac reiectus homo Deum adiutorem, ac propugnatorem nactus ſperet firmiter ſe proſperandum, quantumvis in cæno viliſſimo iaceat. Efficitur quoque, ut iniqui invaſores cernentes inopem à Deo protectum ſtupentes obmuteſcant. LXX. pro verbis illis, Iniquitas contrahet os ſuum, reddunt: Iniuſti autem os obſtruatur: quod vim extrinſecùs illatam, Dei os obſtruentis demonſtrat. Mirum eſt, quàm vivax ſpes ſuccreſcat, cùm Deus præſentiſſimus inermem pauperem armatis ab inſecutoribus eximit. Reſurgit deiectus, ac proſtratus homo vires amiſſas reſumit, & validè in poſterum dimicare perdiſcit. Didicerunt hoc Hebræi, Deo pro eis ſæpe pugnante, & vires invictas addente. Cupit autem Eliphaz oratione hac Iobum ad reſipiſcentiam permovere, quaſi benè ſperare valeat, Deum ſibi fore propitium, ſi ad meliorem ipſe mentem redeat. Nempè ſi piè agat, nihil ſibi calumniatores, aut aggreſſores violentos nocituros, cùm ad immenſam Dei bonitatem pertineat, a mordacibus, & iniuſtis invaſoribus humilem tueri, atque ſolari. Duo pollicetur, liberationem videlicet ab ore, & à manu, ne quid ei formidandum ſit. Verùm hæc in alios deriventur, nam Iobo humillimo non opportunè ſuaderi perſpicuum eſt.

LXX. Interpp.

E

Hebræorum exemplum.

F

℣. 17. Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes.

PARAPHRASIS.

Fœlix ille, qui ita corripitur à Deo, ut corrigatur: Cave ergo Iob, ne increpantem protervè repellas

SEntentia hoc verſu comprehenſa ſaluberrima eſt, licèt extra rem prolata. Iobus quippe admonitionem divinam minimè reſpuebat. Universè autem beatus appellari poteſt, qui ſic à Deo corripitur, ut corrigatur, ſi quid peccavit; aut correptione proficiat, ſi neutiquam erravit. Intereſt videlicet, an vexatio immittatur ad culpam expiandam, ad virturem exercendam, heroiciſque actibus perficiendam. Ratio verò cur is, quem Deus corripit, beatus nuncupetur, multiplex afferri poteſt: nam & leniter, & amanter, & ſalubriter homines deprimit, ut ſublevet, vexat, ut reficiat. Illud verò, Increpationem ergo Domini ne reprobes, per illud ipſum, quo beatitudo correpti hominis aſtruitur, confirmari egregiè poteſt. Si enim fœlix ille qui demiſſo animo increpantem Deum reveretur; ſanè infœlix, qui obiurgantem, inſpirantemvè dura cervice comtemnit.

G

Increpationis duplex cauſa.

℣. 18. Quia ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.
H

PARAPHRASIS.

Deus ipſe miro conſilio pœnam infert, & aufert, & qua manu ſauciat, eadem perſanare conſuevit.

AS-

Scripta An. 1610.

ASserta huic versui similima in alijs Scripturæ sacræ locis passim lectitamus: nihilque frequentius, quàm prosperitatem, & adversitatem à Deo ipso ad hominis bonum pulcherrimo sapientiæ antitheto dirigi, atque contexi. Per hoc autem ipsum Eliphaz tentat Iobum ad peccati pœnitudinem inducere, quasi è purulentis ulceribus ad valetudinem, ex infamia ad gloriam esset restituendus. At veram doctrinam frustra viro innoxio suggerit sententia falsa subnixus.

A

℣. 19. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.

PARAPHRASIS.

Septem graves adversitates solent impios infestare, à quibus si resipueris, ò Iob, immunis eris.

B

PArat Eliphaz septem calamitates recensere, à quibus homines mites, Deoque corripienti parentes eximi asseverat, ut malis tremendis ob oculos positis Iobum in suam sententiam deducat: vel certè figuratè sub numero septenario universas ærumnas complectitur, cùm is numerus ad universitatem phrasi Scripturæ familiari pertineat. Putavit monitor agmen malorum temporalium ad persuasionem pondus habere: & sanè erga innumeros alios cum Iobo minimè comparandos satis valere compertum est: at verò animum ingenuum, rerumque terrenarum despectu grandem segniter movere possent ea mala, quæ neque timuit iam prostratus, & à quibus eripi non optavit.

Septenarii numeri figura.

Iobi magnanimitas.

C

℣. 20. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.

PARAPHRASIS.

Profectò si te anteactæ vitæ pœniteat, ò Iob, à morte infœlici, & à cæde per hostes illata erueris.

Mors immatura, præcipuè in bello.

MOrs hic immatura notatur, aliàs quippe omnino è vita migrandum est. Hæc verò intempestiva mors multifariam ingruit, sed illa planè tremenda, quæ in bello grassatur: quam propterea enucleatè subiecit, præterquàm quòd bellum omnia cæsorum bona depascit. Hæc de calamitate duplici famis, & belli.

D

℣. 21. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cùm venerit.

PARAPHRASIS.

Aculeatæ obtrectatorum linguæ tibi, Deo protegente, non officient: & pacatæ conscientiæ testimonio ingruentia mala minimè formidabis.

EXpendendus est loquendi modus, A flagello linguæ absconderis. Lingua videlicet detractoris acre verber est, à quo, ait Eliphaz, pios homines abscondi, quasi Deus eos clypeo suæ protectionis ambiat. Verùm altius quiddam hic latet: sententia quippe Eliphaz, Iobus ob scelera carpi posset; at si resipiscat, fore, inquit, ut Deus illum ab obtrectatoribus abscondat; hoc est, ita infamiæ nebulam superveniente prosperitate detergat, ut nullum maledicis hominibus locum relinquat, cùm sub splendore posterioris gloriæ priorem notam recondat. Additque futurum, ut si calamitas postea irruperit, tutus consistat & intrepidus, quod inculpati hominis, Deoque accepti argumentum est. Hæc de calamitate tertia flagelli linguæ, & quarta calamitatis supervenientis.

E

Quid lingua detractoris?

Innocentis securitas.

F

℣. 22. In vastitate, & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.

PARAPHRASIS.

Cùm à prædonibus vastata fuerit regio, & cùm à sterilitate fames ingruerit, tu opulentus, intactusque lætaberis: neque feras in te, vel in greges tuos à Deo immitti timebis.

LUctuosum certè spectaculum exhibet vastata civitas, aut regio, quam spinis, urticis, alijsque noxijs herbis squallentem sterilitas conficit, & invisam efficit. Hîc belluæ ægrè pastum reperientes sæviunt, à quibus immunem fore Iobum, si rectè agat, Eliphaz pollicetur. Certè Deum iratum ignitos serpentes, aut efferatos leones in homines scelestos immisisse, sacra historia consignatum est. Hæc de calamitate quinta, sexta, & septima vastitatis, famis, belluarum. Fames autem hîc posita risum habet, quo secernitur à prima.

Vastitatis descriptio.

G

Ignitiserpentes à Deo immissi.

℣. 23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

PARAPHRASIS.

Figes lapides limitibus agrorum destinatos, qui velut inito tecum pacto immoti perstabunt: neque immanes belluæ septa tua perrumpent.

H

REcensuit Eliphaz septem mala, quæ à Iobo procul abfutura testatus est, si eum

E

facti

Scripta An. 1610.

facti pœniteret. Nunc verò ſubdit genus quoddam fœlicitatis temporalis, quam iuſtitiæ, ac integritati vitæ cenſet adnaſci. Dicit ergo, Iobum adeò fore fortunatum, ut cùm feraciſſima prædia ſua certis finibus circumſcripſerit, terminoſvè, aut limitibus, erectis lapidibus, deſignaverit, neminem timeat repugnaturum, aut columnas, maceriaſvè everſurum. Quin etiam & feras ipſas, puta lupos, apros, ait, nihil nocumenti ſatis, & arboribus illaturas, quippe, quæ pietatis vim ſentiant, & per impiorum potiùs arva graſſentur. Poſſit quoque pars huius verſus prima ad fœcunditatem ſoli pertinere, ut pactum cum lapidibus percuſſum idem ſit, ac ſemen in petricoſam terram iactum, & velut ex pacto proventum amplum refundens. Sicut enim terra fructifera vertitur in ſalſuginem à malitia inhabitantium eam, ita è contrario ſolum ſterile lapidibus exaſperatum miteſcit, ac fœcundatur, ob pietatem cultorum, quibus Deus propitius eſt.

A

Alia interpretatio.

B ℣. 24. Et ſcies, quòd pacem habeat tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuam non peccabis.

PARAPHRASIS.

Credo equidem, ò Iob, fore ut perſpicias, comite pietate, pace multa fruituram peramplam domum tuam. Et tunc ſanè fiet, ut opulentiam tuam recenſens, atque contemplans minimè pecces, cùm iam Dei ultione eruditus in ſuperbiam non efferaris.

C Quid ſpecies ſignificet?

SPecies hoc loco ſtatus proſper, gloria & opibus ſplendidus eſt. Aitque Eliphaz futurum, ut Iobus a Deo caſtigatus, & expiatus, in officio pietatis & humilitatis perſeveret, tametſi fortunatior evadat. Confert nimirum hoc divina lux ijs, qui caſtigati ſeipſos introſpiciunt, atque demittunt, ut inter ſecundos rerum exitus non intumeſcant. Conſiderant nempè, opes, & gloriam mortalium opinione nitentem, quiddam extrinſecùs affixum eſſe, quod poſſit levi conatu refigi, ut experientia didicere: quæ ſanè pars magna Philoſophiæ moralis eſt.

Quid opes, & gloria?

℣. 25. Scies quoque, quoniam multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua, quaſi herba terræ.

D

PARAPHRASIS.

Experimento pernoſces, ſi inculpatè vivas, numeroſam fore tibi prolem, inſtar ſalubris herbæ ſub clementi cœlo naſcentis.

FAuſta prædictio hæc: boni quippe, ac pij parentis progeniem numero multo cenſeri, magnus pietatis quæſtus eſt, qui mundo accedit indigenti. Et profectò quicquid de pietate in liberos derivata dicatur, compertum eſt, ſplendidum quiddam mortalibus videri, ingenuam iuventutem una ex ſtirpe progenitam, opibus, & liberali educatione exornatam, more ramorum ex uno ſtipite prominentium, bonos civilis vitæ fructus proferre. Ille verò dicendi modus: Quaſi herba terræ, partus ſuaves, facileſve demonſtrat, quod ad bonum omen pertinere videtur.

Pietatis præmium.

E

℣. 26. Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo.

F

PARAPHRASIS.

Hoc tibi tui cognitio, humilitas, & pietas conferet, ut grandævus, abundeque fortunatus, iamque maturus moriaris, & amplo ſepulchro colloceris, uti ſolet triticum benè curatum tempeſtivè in horrea condi.

ABundantia, quam Eliphaz pollicetur, & ad annorum multitudinem, & ad opum copiam referri poteſt. Acervus autem tritici ad meſſem in areas collectam, ut teratur, & ad excuſſum iam culmis frumentum in horrea convectum ſpectat; ut LXX. Interpretes indicant. Uterque autem ſenſus opportunus eſt ad proſperitatem ſignificandam. Et hactenus ſecundus rerum temporalium ſtatus à monitore primo deſcriptus eſt, quem altæ conſiderationi committit.

LXX. Interpp.

G

℣. 27. Ecce hoc, ut inveſtigavimus, ita eſt: quod auditum mente pertracta.

PARAPHRASIS.

En prompſi, quæ ita ſe habere, poſtquàm res indagavi, mihi compertum eſt: Hæc precor, attentè conſideres.

COntexuit longam orationem duobus capitibus comprehenſam Eliphaz, qui ſatis evincit, ſe conceptum ſermonem tenere minimè potuiſſe. Viſus eſt ſibi ſententias graves, ſalutares, altas protuliſſe, quibus Iobus indigeat: quocirca teſtatus res ita ſe habere, quemadmodum ipſe aſſeruit, hortatur, ne Iobus doctrinam auditam ſinat elabi, ſed animo verſet, & tanquam cibum traiectum conſiderationis calore percoquat, ut proficiat. Admonitio verò hæc non tam congruit Iobo, quàm alijs, qui ſalubria conſilia vix aure accepta incoſtanti animo, velut ſtomacho infirmo, reijciunt, quod lethalis morbi indicium eſt. At Iobum ſenſa planè mirabilia promentem audire libet.

H

Conſilia bona retinenda.

CAPUT VI.

Scripta An. 1610.

CAPUT VI.

℣. 1. Respondens Autem Iob dixit: ℣. 2. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera! ℣. 3. Quasi arena maris hæc gravior appareret: Unde & verba mea dolore sunt plena.

A

PARAPRHASIS.

Silenti Eliphaz Iobus in hunc modum respondit: Obijcis mihi flagitia sermone gravi: at cupio ego illa crimina, quibus Dei ultionem commeruisse tibi videor, hinc, vexationem verò tremendam, qua infestor, inde, æquis bilancibus perpendi. Pœna quippe, credo equidem, culpam momentis plurimis excederet. Quapropter meritò conqueror, voceſque anxietatis indices ego.

B

OBiecerat Iobo Eliphaz innocentiæ iactantiam, & impatientiam, duo nempè tela valida, quæ vir iustus proximo sermone certat eludere. Porrò Eliphaz, & amicorum eius sententia fuit, neminem nisi ob anteacta peccata puniri, ex quo per Iobi calamitatem, culpam commissam argui omnino sensere: quod sanè assertum erroneum Iobus efficaciter refellit, dum pœnam in stateram revocat. Eius verò argumentum in hanc formam posset aptari: Si Deus pro sceleribus duntaxat admissis infert pœnam, profectò ipsa divinæ iustitiæ ratio exigit, ut quò quis flagitiosior extitit, eò rigidiùs plectatur. Iam verò constantissimum, & vulgò notissimum est, sceleſtissimos plerosque homines aut parùm, aut propè nihil calamitatis perpeti, opulentos, honoratos, benè valentes, bonisque temporalibus abundè prosperatos ad multam senectutem perdurare, pauloque post extingui. Quomodo ergo verum semper esse possit, homines ob anteacta piacula cædi? Si enim cæduntur, cur non omnes? Cur non illi, quibus ad senium usque secunda fortuna succedit? Quòd si omnes plectuntur: Cur non æquè? Videmus quippe alios peiores alijs; & tamen peiores ipsi mitiùs persæpe increpantur, quàm alij, quos leviùs peccantes formidabilis ærumna consumit. Et quidem, tametsi ego peccarim, nemo tamen vel protervus inficiari valet, alios homines æquè, aut graviùs errasse: quî ergo fit, ut nemo è prædonibus, sacrilegis, adulteris, tyrannis, blasphemis tam severè tractetur, ac ego? Porrò si dogma vestrum verum sit, necesse est, Deum iniquum exactorem esse,

Iobi argumentatio.

C

Cur sceleſti multi impuniti, & fortunati?

D

qui absque iustitiæ proportione graviores repetat pœnas ab ijs, qui leviùs deliquerunt. Hæc Iobi mens est: cuius argumentum ineluctabile videtur, si tres eius amici senserint nulla futuræ vitæ supplicia peccantibus rependi, ut scriptores multi prodiderunt. Est quoque argumentum firmissimum, esto illi futuri sæculi pœnas crediderint, si ad proportionem culpæ pœnam in vita præsenti à Deo sumi opinati sint, quod planè credibile videtur. At enim controversiæ genus non hîc ex professo à Iobo attingitur: Sed Eliphaz argumentis, per ea, quorum erat conscius, de se ipso responsum reddit in hunc modum: Utinam Deus æquus iudex trutinaret culpam & calamitatem meam! Sive enim verum sit, quòd anteactis peccatis gravibus vindictam irroget, ut ais, sive secùs, ut sentio ego; profectò calamitatis pondus excrescit ultra culpas instar arenæ maris, cuius pondus immensum est. Si enim ego graviter peccavi, non deberem ita prodigiosè cædi, si iustitiæ proportio servetur, cùm æquales flagitiosi alij leviùs multò tangantur: Si verò leviter deliqui, manifestiùs rem totam evinco. Annotandum hic, Iobum non asserere, nihil se prorsus peccasse: culpas quippe saltem veniales minimè excepit, imò palàm culpas aliquas incluſit aiens; Utinam appenderentur peccata mea, &c. Quòd si quis altercetur, Iobum fortasse lethale quippiam admisisse, quod culpæ remissione per contritionem accepta, horrendis pœnis illis, servata iustitiæ proportione abstergi potuerit, is neque Deo Iobi iustitiam orbe toto insigniter laudanti, neque miro providentiæ divinæ ordini congruit: laus quippe illa Dei raram vitæ puritatem lethalis culpæ nesciam omnino videtur arguere. Si tamen grave quicquam peccasset ex eo genere, quod in alijs viris sanctitatis gloria claris fragilitas interdum peperit, divinæ providentiæ series in totius mundi decursu spectata non fert, ut ad peccati remissi, ex quo nihil scandali creatum fuisset, pœnam luendam vir sacrificijs, precibus, & pijs operibus deditissimus, in ipso bonorum operum excursu, tam enormiter plecteretur: quocirca piè querimonias promere, & ad stateram provocare potuit. Subest autem ratio alia literalis simul & arcana, quæ viris affectionum divinarum consultis impendiò placet: Iobum videlicet defæcatissimæ conscientiæ testimonio erectum, & divini amoris confidentia animatum, verba huius textus extulisse. Animus quippe Dei amori addictissimus acerrimam repulsam passus, non modò absque divinæ Maiestatis iniuria, verùm & cum insigni laude conqueritur, indicatque nonnunquam se graviùs angi, quàm commeruerit, tametsi sciat iusta de causa, puta ad gloriæ incrementum, se posse sic cædi. His ergo desertis, textus in partes duas discernendus est: nam verba illa: Utinam appenderentur, &c. usque ad verbum, Appareret, ad confutandam Eliphazi argumentationem

Argumenti confirmatio.

E

F

An Iob lethaliter peccaverit?

G

Alia textus explicatio.

H

Scripta An. 1610.

expromuntur: reliqua verò ad eluendam impatientiæ notam pertinent. Tantundem quippe ait Iob aiens: Unde & verba mea dolore ſunt plena, ac ſi apertiùs ita proferret, Ne mireris, animovè commoveariſ, Eliphaz, quòd tragica verba fecerim: Cruciatus enim adeò immanis, & orbe toto inſolens eſt, ut ſine impatientiæ culpa verbis triſtibus mœrorem exhalare debuerim. At rationem hanc proximo verſu amplificabimus.

A

℣. 4. Quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.

PARAPHRASIS.

B *Protuli verba doloris plena, quia Deus in me, velut in ſcopum gravium malorum ſpicula iaculatus eſt, quibus iræ divinæ lethalia ſigna ferentibus intercipitur halitus meus, ac timore intimo totus concutior.*

QUid mirum, inquit Iob, ſi lamenter, ac in modos lugubres verba promam? Porrò ſagittæ Domini, quæ ſunt ingentia, & portentoſa mala à Deo illata, me ita ſauciant, atque diſcruciant, ut reſpirare nequeam. Ipſa nimirum teſtata prodigijs indignatio Dei eripit mihi halitum, & terrore, qui oritur è prælio Dei tela vibrantis, exanimat. Etenim longè aliud eſt proſperè valere, & verba per otium eleganter concinnare, nemine moleſtiam irrogante, rebus omnibus ex voto cedentibus, quàm horrenda vexatione interareſcere, neque ullum captando refrigerio exitum patere. Vos bene valetis, verba expolita, & ad numerum cadentia componitis: at ego ſagittis Dei vulneror, Dei terrore perturbor. LXX. ſignificanter admodum vertunt: Sagittæ enim Domini in corpore meo ſunt, quarum furor bibit ſanguinem meum. Certè corpus Iobi, quaſi ſcopus fuit, in quem Deus fidem probaturus tela intorſit quibus ſanguinem propemodum exhauſit. Pro, Sagittæ Domini, alij vertunt ſagittæ ἰσχυρᾶ, potentis, ut brachium validum iaculantis oſtendant. Porrò ſi Deus, uti ſolet, pios cultores ſuos ad multiplices ictus ſibi proponat, gravi repulſa, dolore, mœſtitia, non ſanguinem modò, verùm & carnem, & oſſa videtur abſumere, quod experientia compertum eſt.

Facile eſt in proſperis bene loqui.

C

LXX. Interpp.

D

℣. 5. Nunquid rugiet onager, cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ad præſepe plenum ſteterit?

PARAPHRASIS.

Expende, ô Eliphaz, rerum diſcrimen: homines quippe partem ſui quandam animantibus ſimilem habent, quæ nihil conqueritur, ſi abundè paſcatur; ſicut aſellus ſylveſtris, cui ſuppetit mollis herba, non rugit, & bos, qui in præſepi pleno pabulum vorat, minimè mugit. Sic planè vos: at non ego. E

HÆc Iobi doctrina profectò vera, & innumeris teſtibus aſſerta eſt. Utitur autem ſimilitudine duorum animantium, quorum alterum indomitum naturali quadam immunitate fruitur, alterum ſubiugale, quod licèt ſerviat, paſtu tamen ſuo neutiquam fruſtratur. Onager eos ſignificat homines, qui neque coniugio religati, neque curis publicis addicti licentiùs vivunt, & ſpontanea quaſi pabula carpunt. Bos verò coniugatos, vel curis, & munijs varijs obſtrictos, quibus paſtus non abſque vinculis provenit. Senſus ergo Iobi eſt: Ego non ſum in hac extrema calamitate cum alijs hominibus comparandus, ſive ſolutis, ſive alligatis, qui optatis ſuis minimè fraudantur, ij quippe cur lugubria carmina edant? Si enim fruuntur ijs, quæ cupiunt, quorſum querimonias, & lamenta geminent? Sic ſanè tu Eliphaz, & ſocij, qui tametſi Reip. adſtricti, cuius geritis curam, opes tamen, honores, oblectamenta circumfluunt. Quid ergo mirum, ſi nihil niſi ſuave loquamini? At infœlix ego, cuius opes, valetudinem, honorem ingruens adverſitatis turbo decoxit, quo pacto non eſferam verba mœroris plena, & ſortem adverſam deflebo? Ecquid mirum, aut inſolitum, me more animantis pabulo carentis gemere, cùm familiare ſit alijs penè univerſis: levia quoque detrimenta lucri, honoris, ſalutis lugere? Æquos æſtimatores exopto.

Onagri, & Bovis ſignificatio.

Iobi ratiocinatio.

F

G

℣. 6. Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem.

PARAPHRASIS.

Animadverte, Eliphaz, mihi ſubtracta bona delectabilia, & ſuavia, obtrudi verò triſtem, & amarulentam calamitatis potionem. Cur ergo non lamenter? An ſine anxietate, & externo averſionis ſigno cibus inſipidus editur? An venenatæ dapes abſque gemitu deguſtantur? H

VArios inducit Iobus, conferitque deſcribendæ calamitatis modos ad rem peropportunos, qualis hic à cibo inſulſo, & venenato petitus. Et profectò, quicquid in ſterquilinio accidiſſet Iobo horrendè excruciato, ac derelicto, eſca incondita, & ad ſtoma-

Scripta An. 1610.

stomachum commovendum ingesta videtur. Quinetiam & multiplex occasio lethalis mœroris, quam animus, ceu poculum veneno mixtum, vehementer horrebat. Cur ergo non exclamet, aut verba mœstissima expromat? Porrò similes Iobo aliquot viros, quorum vexatio formidine plena est, in plerisque nationibus Ecclesia protulit, qui affectus simillimos in seipsis deprehenderunt, ac scriptis quoque digesserunt. Ætas etiam nostra affectuum istorum conscia est. Propinat Deus calicem amarissimum, quem haurire labor immensus est, ut non mirum, si sepiùs homo divexatus potum aversetur, conqueratur, lamentetur. Vim prodit ille dicendi modus: An poterit comedi, &c. An potest aliquis gustare, &c. qui sanè non ad impotentiam, sed ad summam difficultatem significandam appositus est.

Plerisque in Ecclesia similes Iobo.

A

℣. 7. Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.

B

PARAPHRASIS.

Cùm prosper essem, vel tristia cogitare animus renuebat: nunc verò mœstis cogitationibus, & actibus nutriri mihi videor.

Ventriculi cum animo comparatio.

QUemadmodum ventriculus malè affectus eò progreditur, ut noxij cibi, quos sanus respuebat, soli ob intemperiem placeant; ita & æger animus hominis, qui mœstis cogitationibus pasci videtur, quas lætus, & alacer ne ad primos quidem motus admittebat. Hic status Iobi, & sensus leniter decurrens, quem proximo versu confirmabit. Interim verò annotandum, statum eiusmodi non Iobi solius fuisse: plurimos quippe similes Dei famulos adeo graviter affectos novimus, ut prolixa consuetudine malorum vix aliquid, nisi mœstum mente pertractare possent. Rectè dictum: Consuetudo altera natura: fit videlicet quasi naturalis cibus, qui est ex genere suo naturæ inimicus.

C

Iustorum mœstitia.

℣. 8. Quis det, ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus: ℣. 9. & qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me.

D

PARAPHRASIS.

Utinam votis, & expectationi meæ annuat Deus! ut scilicet qui me vexare cœpit, interimat: & manu, quam clementia religavit, ad ictum lethalem velut soluta me interficiat.

RIecit Iobus rationes Eliphaz, & inter statum suum calamitosum, & amicorum prosperum multùm interesse demonstravit. Qua doctrina in medium producta cùm Iobus sibi videretur eviciisse, lamenta, querimonias, & imprecationes non debere reprehendi, sermonem cœptum vehementius resumit, mortemque sibi celerem imprecatur. Quis, inquit, det, ut veniat petitio mea? ex quo liquet, ipsum crebrò mortem optasse, ac postulasse, quod sanè culpa vacat, ut ex proximo versu patebit: præterquàm quòd exploratum est, viros facilè sanctissimos mortem expetivisse, dum anxietatibus premerentur: & in re Theologica perspectum est, non debere vitio verti, si quis à mortalis vitæ ærumnis ad immortalis, ac beatæ vitæ statum quantocyùs vocari cupiat, & poscat. Ille verò dicendi modus: Solvat manum suam, & succidat me, pollet energia ad exprimendum mortis votum ex summo dolore conceptum, quasi mitior videretur celer interitus, quam prolixus: quod ijs, qui graviter mœrent, familiare est, ut scripsit afflictus ille:

E

Sancti mortem inculpatè exoptant.

Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,
Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.

F

Ovid. 3. de Ponto.

Dum verò Iobus ait, Solvat manum suam, Dei clementiam commendat, quasi manum, qua ferit, religatam clementiæ vinculo habeat, opusque sit eam absolvere, si interficere velit.

℣. 10. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.

G

PARAPHRASIS.

Opto sanè solatium hoc, ut qui me cœpit affligere, pergat doloribus adimere vitam: quo fiet, ut impatientiæ periculo liberatus non renitar legi Dei.

ECce quàm inculpatè interire cupit. Excreverat anxietas, & se Iobus tabefactum, acerrimis doloribus exagitatum, intima mœstitia deiectum cernens verebatur, ne impatientiam, quam Eliphaz ei affinxerat, verè incurreret, & post victorias tantas supremo iræ ictu concideret. Et quidem modus hic mortem optandi timorati, & casti animi proprius est, cùm omnino constitutum sit, puritatis argumentum esse culpam exhorrescere, votisque & precibus occasiones provisas, quà licet, declinare. Ille verò loquendi modus appositissimus est: Nec contradicam sermonibus sancti, Hebraicè קָדוֹשׁ Kados, hoc est, puri, ab omni immunditia, & labe alieni. Per hoc quippe ipsum innuit Iobus se malle mori, quam fœdari, ut congruat Sancto, ipsi videlicet divinæ sanctitati, à qua puritas omnis originem ducit. Longè alia sunt viri iusti vota,

Votum mortis castum.

H

Lexl. Hebr.

quàm

Scripta An. 1610.

quàm importuna impatientium hominum desideria, qui si morbo, inopia, vel dedecore aliquo tangantur, extemplò furere incipiunt, & interitum, non studio culpæ vitandæ, sed laborem evadendi sibi ipsis nefariè imprecantur.

Iustorum, & impatientium hominum discrimen.

℣. 11. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam?
℣. 12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

A

PARAPHRASIS.

Celerem interitum depoſco: non enim videor mihi diros cruciatus diu ferre poſſe. Quantum enim robur ſit hominis tabidi? An laboris meta proxima mihi eſt, ut adventantis mortis ſpe leniter malum grande feram?
B *Certè nec lapideus, nec æneus ſum, ut ictus non ſentiam.*

LXX. Interpp.

PRo verbis illis: Aut quis finis meus, ut patienter agam, LXX. vertunt, Aut quod tempus meum, ut sustineat anima mea? Quo certè sermone perspicitur, mentem Iobi fuisse, nescire se, quàm longum tempus supereſſet, optareque se, foret breviſſimum, ut patienter sustineret, ac sine culpa iræ diem suum obiret. Aquilâ reddit, ἕως μακροθυμήσω, Ut longanimiter agam. Obſervandum hîc nonnullos fortiſſimos Dei cultores ita severè cædi, ac si ænei forent, quod ad invictiſſimam divinæ gratiæ vim prodendam mirificè confert. Neque obſtandum, quòd mortem cupiant, & precentur: sicut enim Iobi patientiam, & longanimitatem minimè detrivit eiuſmodi optatum, aut precatio, ita neque iſtorum. Sed non omnes capiunt verbum hoc: qui poteſt capere capiat.

Aquila.

Fortitudinis cum mortis voto conciliatio.

C

℣. 13. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me.

PARAPHRASIS.

Quò me vertam neſcio: nam neque ego mihi poſſum opem ferre, neque verò ferunt amici, à quibus deſertus ſum.
D

COnfirmat Iobus congruentiam poſtulati, quo mortem expetierat, dicitque, Ecce, contemplamini extremam inopiam, & miſerrimam conditionem meam. Eò devolutus sum, ut more paralytici nequeam quicquam agere ex ijs, quibus ad vitam degendam indigeo. Quòd si amicos appellem, frustra clamitem, cùm ab ijs derelictus fuerim. Profectò homo est animal sociale, cui si denegetur huius vitæ societas apprimè congruit mortis votum, si fortè his moleſtijs absolutus meliora bona perquirat. Acerbus ictus amicorum aversio est.

Homo animal sociale.

℣. 14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.

E

PARAPHRASIS.

Certè, qui abſque commiſeratione amicum ærumnoſum reſpuit, abijcit timorem Dei, à quo reijci non formidat.

POrrò is Dei timorem negligere, aut derelinquere videtur, qui ea negligit officia, quibus Dei protectionem in medijs hoſtibus conſtitutus obtineat. Iam verò qui proximo miſericordiam minimè impendit, hoc ipso teſtatur, se non admodum curare Dei tutelam, quæ proximi commiſerationi, auxilioque reſpondet. Mira quippe proportio est, ut Deus auxilietur ijs, qui derelictis opitulantur. Textu hoc Eliphaz, eiusque amici attinguntur, qui Iobum potiùs laceſſunt, & divexant, quàm, pro amicitiæ officio, solentur.

Extimorati vitium.

Dei tutela quibus speranda?

F

℣. 15. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.

PARAPHRASIS.

Conſanguinei mei celerrimè à me fugerunt, more torrentis rapidè per vallem dilabentis.
G

APta ſimilitudo, quæ multa pollet energia. Conſanguinei, quos familiari phraſi appellat fratres, debuiſſent abiectum recreare coniunctionis ergo, quamvis neceſſarij recederent. At & hoc defuit ſolatij genus, quale quiddam in familijs illustribus passim cernimus, ut exemplis antiquis parùm indigeamus. Dicit ergo, coniunctos illos abſceſſiſſe, non quovis modo, sed ut solet vehemens torrens ex imbre collectus convalles raptim interlabi. Hoc discriminis versatur inter torrentes, & fluvios, quòd fluvij licèt exigui sint, perseveranter fluunt, ut eis agrorum cultores aqua hausta, vel derivata uti possint, quando libet, ad arva irriganda, & fœcundanda: torrentes verò, ubi pluvia copioſiùs decidit, velociſſimo curſu ferantur, & mox deficiant, ita ut alveus ipse, quo labebantur areſcat: tantum abest, ut eorum usu arva proxima perfundi valeant. Affluunt verò torrentes, ubi omnia madent pluvia recenti, ut opus non sit è torrentibus aquam petere. Sic amici, & conſangninei degeneres fluvijs abſimiles, torrentibus ſimillimi adſunt, ubi

Conſanguinei dicti fratres.

Torrentis, & fluvij discrimen.

H

Similitudo.

Scripta An. 1610. ubi amici quadam rerum prosperitate, & velut pluvia viresçunt: at ubi aruerunt adversitate siccante, statim evanesçunt, more torrentis raptim transeuntis, ac incitato cursu evestigio deficientis. LXX. Interpretes allatam explanationem adstruunt versione hac: Propinqui mei non respexerunt me, tanquam torrens deficiens, aut sicut fluctus transierunt me. Notetur ergo torrens deficiens, & fluctus, in quibus mira inconstantia est.

LXX. Interpp.

A

℣. 16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix, ℣. 17. tempore quo fuerint dissipati, peribunt: & ut incaluerit, solventur de loco suo. ℣. 18. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt.

B

PARAPHRASIS.

Et amici, & fratres, qui horrent me, à Deo graviùs plectentur, quasi qui refugiunt pruinam, & operiuntur nive, quæ densior & frigidior est. Nunc parcit Deus: sed opportuno iudicij tempore, illos horrendo prosternet exitio. Statim ac efferbuerit ira Dei, convellentur ex hac vita. Tortuosis quippe semitis ad nocendum incedere assueverunt: at incassum laborabunt, ac demum interibunt.

C SEnsus Iobi est, amicos, & consanguineos suos, ut eum horrenda calamitate afflictum viderunt, aversatos illum fuisse, neque commiseratione flexos necessitudinis, & consanguinitatis officium expleße. Animadvertit vir sapiens fugam seu recessum hunc peracerbum, qui deiectum sævo spiculo perculit. Sic ergo effatur: Necessarij, & cognati mei timent pruinam modò, quando exorresçunt, & fugiunt me: at potiùs metuere deberent nivem super ipsos casuram, hoc est, supplicium grave, quod de illis tanquam de iuris violatoribus sumet Deus. Modò illæsi constant: verùm postea proterentur, Deo validè illos elidente. Ubi exarserit ira Dei, animi eorum, quasi vinculis multis religati corporibus, solventur, non ad libertatem, sed ad miserrimam servitutem: Obliquas enim per vias exerrarunt; & postquàm se laboribus confecerint, infœliciter obibunt. Hæ sunt comminationes Iobi in eos, qui expensa ærumnæ atrocitate debuerunt iure generis, aut familiaritatis afflicto adesse: quos, credibile est, huius derelictionis pœnituisse, ubi Iobus secunda prosperitate refloruit. Annotandum hic viros sanctitate eximios amicorum, & consanguineorum despectum ægrè ferre absque suæ perfectionis decremento.

D

Documentum.

℣. 19. Considerate semitas Thema, itinera Sabe, & expectate paulisper. ℣. 20. Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperti sunt.

E

PARAPHRASIS.

Contemplamini, ô vos, qui dolorem meum intuemini, vias Themanitarum, & Sabæorum, per quas hi, cum quibus verba facio, venerunt: & aliquantulùm immoramini, si fortè mihi à consanguineis derelicto, hi tres amici opem ferant. Profectò neque hi favent, sed erubescunt, quia ab eis auxilium expectavi. Accessere ad me bono fortasse animo, sed mox amicum inopem, tabefactum, ac squallentem pudefacti respuerunt.

F

IDoneus acerbæ derelictionis æstimator Iobus est. Repulerant illum consanguinei, & cives Husitæ: & postquàm portentum calamitatis omnium sermone vulgatum fuit, tres amici nobilitate, ac sapientia celebres, uti superiùs dictum est, ex condicto venerunt: à quibus iustis de causis Iobus opem minimè vulgarem, casta consilia, & tempestiva solatia requirere potuit. Et tamen, Deo sinente, cùm de Iobi integritate malè cœpissent opinari, & durè loqui, non modò afflictum non recrearunt, verùm acriter carpserunt, cùm abiecti amici eos pudere cœpisset. Quorum certè aversio eò amarulentior Iobo extitit, quò inhumaniùs à suis civibus, & cognatis desertus fuerat. Porrò verba huius textus plerisque viris iustis in similem ærumnam deturbatis egregiè quadrant: neque mirandum, si querimonias similes mœsti depromant. Convenit quoque mirificè in Christum imminente morte derelictum non textus hic tantùm, sed bona etiam huius capitis pars. Iobus nimirum, in derelictione præsertim illa, Christi prætulit typum.

G

Iustorum, & Christi figura.

℣. 21. Nunc venistis, & modò videntes plagam meam timetis.

H

PARAPHRASIS.

Recèns accessistis ad me, ô tres amici, & nunc intuentes cladem meam refugitis me.

COnqueritur Iobus, quòd bono, ut credere par est, animo, paulò antè tres viri amicitia ei fœderati venissent: statimque mutata sententia non tam timentes Iobo, quàm sibi ipsis, eius familiaritatem refugerent, & perhorresçerent. Sibi autem timere potuerunt homines illi, vel, ne consortes criminum, quibus Iobum obstrictum crediderant, putarentur, vel certè, ne minùs

Iobi amicis causæ timendi.

Scripta An. 1610.

nùs inculpati viderentur, ſi homini opinione ipſorum flagitioſo faverent. Timoris quoque cauſa eſſe potuit officium aliquod amicitiæ, quod labore, aut pretio multo conſtaret: nam vir clariſſimus Iobus, ſi cum eo pro generis, & virtutis excelſitate ageretur, magna pecuniæ vi, labore multo, & repetitis regum officijs, tractandus, & è fimeto in locum viro tanto dignum educendus eſſet.

A Et quidem expoſitio hæc cum ſequentibus aptè cohæret.

℣. 22. Nunquid dixi: Afferte mihi, & de ſubſtantia veſtra donate mihi, vel liberate me de manu hoſtis, & de manu robuſtorum eruite me?

PARAPHRASIS.

Conijcio, ô amici, timere vos ſtatui veſtro, ne ob auxilium mihi impenſum ab eo excidatis. At ego nihil à vobis expoſco, nihil certè ex divitiis veſtris afferri mihi petij, neque ſumptus fieri, ut eriperetis me ab aliquo impugnatore, cui par non eſſem, poſtulavi.

B

NOtatur his verbis illiberalis, ac vulgaris animus amicorum, qualium penè infinitus eſt numerus, ut oſtendit ille derelictus:

Ovid. l. 1. de Triſt.

Turpe quidem dictu, ſed ſi modò vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Proſtat, & in queſtu pro meretrice ſedet.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura ſecunda meis:
Ut fera nimboſo tumuerunt æquora vento,
In medijs lacera nave relinquor aquis.

Iobus politicæ artis doctus.

Patet ex hoc ipſo, Iobum politicarum affectionum benè conſcium nihil non intellexiſſe, quo trium hominum animi ab eius ope diverti, aut retardari poſſent, atque idcirco idipſum indicaſſe: præterquàm quòd generoſi viri argumentum fuit, non ob id concidere, quòd opis indigeret, quam minimè ferri perſpiceret. Etenim homines ignavi mox, ac proſtrantur, vilia cogitant, atque demonſtrant: Verùm fortes, ac magnanimi priùs vitam, quàm ſtudium virtutis abijciunt.

C

Generoſi, ac ignavi viri diſcrimen.

℣. 24. Docete me, & ego tacebo: & ſi quid fortè ignoravi, inſtruite me.

D

PARAPRHASIS.

Rationum pondere, non loquacitate concerto: quocirca ſilebo, ſi me velitis monere: ſi quid erravi, corrigite: preſtò ſum.

SApiens profectò, & magnanimus vir Iobus, & reluctari pro veritate tuenda, & concedere veritatis ediſcendæ gratia paratus, corpore proſtratus, animo erectus, validè confligit. Extulit plura graviſſima pronunciata, quorum veritas benè ipſi cognita, & penſitata fuerat. Quapropter fidenter ea vocat ad trutinam, & examen criticorum perſpicacium minimè formidat. Verum eſt quippe, nihil eſſe veritate fortius.

E

Nil veritate fortius.

℣. 25. Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cùm è vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me?

PARAPHRASIS.

Mirum eſt, quomodò auſi fueritis obloqui mihi vera proferenti, cùm mihi conſtet, à nemine veſtrum poſſe me iure reprehendi.

REgerit Iobus in tres amicos, quæ ab Eliphaz prolata ſunt, ideò proculdubio, quia una omnium ſententia fuit. Veros ſermones appellat eos, quibus ſe inſontem angi teſtatus eſt, quibus proinde contrariam malè opinantium ſententiam confutavit. Fidenter loquitur aiens: Cùm ex vobis nullus ſit qui poſſit arguere me: arguere videlicet iure, nam per iniuriam perſpectum eſt, Iobum graviter ab eis increpatum, redintegrato bello, ut ex totius libri excurſu liquebit. Huc ſpectat illud Chriſti: Quis ex vobis arguet me de peccato? Arguerunt ſanè, ſed minimè convicerunt. Paſſus eſt quippe calumnias, & criminationes à malevolis: at licèt id accuratiſſimè eniterentur, nihil valuerunt evincere: ut nemo è Chriſti militibus ægrè ferat argui, cautò, ne quid admittat, quod meritò poſſit improbari.

F

Chriſti exemplum. *Io 8. 46.*

℣. 26. Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.

G

PARAPHRASIS.

Eleganter verba connectitis, in eum ſcopum tantummodò ut me reprehendatis: at fruſtra verberatis aerem, cùm me revincere minimè poſſitis.

NOn eſt Iobi ſenſus, amicos illos ſuos id tantùm eniti, ut increpent ſermone concinno, ac expolito: conabantur quippe ſeriò pervincere, quod ſibi perſuaſerant, Iobum nempe pro culpis affligi. At ſenſus eſt, incaſſum id cedere, cùm veritas vinci nequeat: ex quo efficitur, ut quicquid illi ſatagant, quod ad rem attinet ipſam, verba nullum alium ſortiantur effectum, quàm aerem plectere, & innoxium gratis increpare. Ait ergo, Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, &c. hoc eſt: Nihil efficiſ-

H

Scripta An. 1610.

ficitis, aut assequimini aliud, quàm ineptam reprehensionem, & inanem verborum sonum, qui è prolatione dissultat. Profectò exploratum est, plures eiusmodi verborum concinnatores in aulis Principum reperiri, qui passim carpunt alios, cum quibus ipsi comparari neutiquam possunt.

Obtrectatorum artificium.

A ℣. 27. Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum.

PARAPHRASIS.

Ex composito in me, more pupilli, omnibus bonis orbatum validè irrumpitis, & erronea sententia divinæ providentiæ inimica me seducere conamini.

PUpillum se Iobus appellat, potuitque significatum augere multò pupillis derelictior. Pondus habet, Super pupillum irB ruitis, quasi enunciaret sic: Pupilli status ad commiserationem idoneus est: quis enim inermem armatus cædat? Vos verò me omni ope destitutum intuemini, & tamen irruitis. Parietem inclinatum impellitis, & prostrato minimè parcitis, quod non generosi hominis, sed neque feræ proprium est: nam & leones animalculis subiectis morsum non infingunt. Et quidem si de corporis ictibus duntaxat ageretur, forsitan silerem: at vos animo spicula immittitis, & errore absurdo me decipere studetis; ut scilicet credam, in hac mortali vita, calamitatem peccatoribus solis accidere, neminemque innoxium à Deo plecti, quod absit, ut sentiam.

Leonis comparatio.

C ℣. 28. Veruntamen quod cœpistis explete: præbete aurem, & videte an mentiar. ℣. 29. Respondete, obsecro, absque contentione: & loquentes id quod iustum est, iudicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

PARAPHRASIS.

Irruitis validè in me: at ego animum non despondeo, aut certamen detrecto. Pergite:
D *Id tantùm posco, ut lex disputationis ab utraque parte observetur, ubi audiendum, & respondendum est. Dum loquor ego, aures attentas præbete expendentes, an vera promam. Dum vos loquimini, verba sine altercatione reddite, ac iustè cuncta censete. Ego quippe vobis polliceor fore, ut nihil iniquum, aut stultum efferam.*

NIhil iustus formidat: ut leo confidit, & cœptum certamen expleri deposcit. Controversia sanè gravis agitatur: æquumque proinde videtur, nec inceptam deserere, neque verò ita eam persequi, ut ordine perturbato verba accipiantur, aut reddantur. Par etiam est, ut altercatio absit, & animis in unam veritatem candidè intentis, habeatur ratio iustitiæ, quæ reddit cuique quod suum est. Veritati nimirum debetur assensus, falsitati dissensus: atque in hunc modum sedatis, & compositis animis, contentione secluſa, verbis ad numerum prolatis, aure, linguaque reciproca, litteratium certamen pro rei gravitate procurret. Iobus autem sui benè conscius profitetur, linguam ab iniquitate, hoc est, mendacio se castam servaturum: fauces item, hoc est, partes illas, quæ voci formandæ serviunt, nihil stultum, hoc est, sapientiæ adversum producturas: quibus ex pacto præmissis cœptum sermonem persequitur.

E Quid veritati, quid falsitati debeatur?

F

CAPUT VII.

℣. 1. Militia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarij, dies eius.

PARAPHRASIS.

Experimento didici, mortalem hominis vitam perenne bellum esse, fami, siti, frigori, æstui, periculis, vulneribus, morti obnoxium: tempusque vitæ nostræ simillimum esse diei, quo toto, homo mercede conductus laborat, ut vesperi mercedem accipiat.

G

PERGIT Iobus amplificare orationem, exaggerareque grande malum, ac mortis votum, quod calamitas urgere videtur. Pollicitus fuerat Eliphaz statum florentem, si resipisceret: at vir iustus, quem nullus conscientiæ stimulus pungebat, & sanie fluens nihil in hac mortalitate prosperum optabat, verebaturque, ne dolor immensus in culpam impatientiæ animum præcipitaret, profert hoc capite tristia pleraque, quibus se graviter tractari conqueritur, ut meritò se interitum expetere pervincat. Perstat ergo in sententia: ærumnam, sine divinæ providentiæ reprehensione, gravissimam adstruit: & se, quòd lamentetur, aut mortem cupiat, impatientiæ nota minimè reprehendendum esse demonstrat: quæ certè duo Eliphaz iniquè interpretatus fuerat. Iam verò, quod ad militiæ similitudinem spectat, neminem latet, militis vitam summis laboribus, & discriminibus contextam esse. Victus incertus, parcus, malè conditus: vestitus rudis, asper, & ex parte terreus: somnus sub dio intercisus, plerumque humi, aut in locis quoque palustribus:

H

Militis conditio.

Scripta An. 1610.

æstus, frigusque intolerabile: vulnera frequentia: imperium grave sub capitali pœna: mors crebrò, semper autem mortis imago. Et quidem omnia hæc, proportione servata, ad universos penè homines derivantur: nam si quos excipias, quòd lautam mensam, pretiosum vestimentum, aut alia vitæ commoda nacti sint, profectò subeunt alia non absimilia militari labori mala, quorum complexio, militia quædam periculis, & anxietatibus plena possit appellari. Quòd si è castris malorum aspectabilium, in concertationes interiores, Satanicas infestationes, tenebras, desolationes, se lector insinuet, obstupescet sanè horrenda prælia, & exercitum machinis instructum, strepitu terribili percrepantem formidabit. Nunc autem à quovis lectore facilè perspici poterit, quàm aptè cohæreat cum militia hominis mercenarij similitudo. Quid enim poscit, aut cupit miles, quem tot agones, & tot ictus, tot pericula perturbant, & propemodum exanimant, nisi à malis creberrimis, & molestissimis eripi, & ad mercedem, hoc est, pacem bello partam demum pertingere? Mercenarius portat pondus diei, & æstus, iuxta phrasim Evangelicam: laborque improbus ad requiem optandam vehementer impellit; quod versu proximo confirmatur.

Similitudinis explicatio.

A

B

℣. 2. Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: ℣. 3. Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.

PARAPHRASIS.

C

Quemadmodum servus, vel emptus, vel captus bello, qui summis laboribus interdiu fatigatur, exoptat noctem, & operarum locator expectat avidè laboribus terminum, ille ut requiescat, hic ut mercedem recipiat: ita ego mortem, & laborum præmium expeto, dissolvi cupiens, quippe qui menses refrigerio vacuos, & noctes insomnes in hoc agone molestissimo duxerim.

Varia lectio.

NOnnulli legunt, sicut Cervus, ducti similitudine animalis requiem celeriter quæritantis: at legendum, Sicut servus. Hic labore nimio delassatus, ardentissimè noctem cupit, cuius umbra prohibet operas, & requiem indulget. Et in hunc etiam modum, Iobus durissimam ferens laborum, & ærumnarum servitutem, mortem expetivit, non modò, ut ærumnis careret, verum ut candidissima Dei luce, cumulatissimoque præmio frueretur, quod significat apposita, & repetita similitudine mercenarij post diurnum laborem mercedem accipientis. Causam verò vehementer urgentem attexit aiens: Menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi; quod ad vexationis tempus præsertim referendum est. Etsi enim vita hominis iusti quantumvis bonis temporalibus affluens, vacuum quiddam sit, vacuumvè hominem ipsum relinquat, æternis duntaxat bonis explendum; negari tamen nequit, tempus calamitatis, ac derelictionis peculiari quadam ratione inanitatem molestiorem repræsentare, quæ bonis futuris implenda sit. Hi sunt menses vacui, qui non habent promptuaria plena, quos unà cum noctibus laboriosis Iobus æquus æstimator recenset. Potuit autem enumerare noctes illas præ tædio: nam in labore prolixo non menses, & noctes tantùm, sed horas quoque singulas ægroti percensent. Potuit quoque præ rei æstimatione, cùm horæ singulæ sempiterna remuneratione essent ei repensandæ, quod cum mercenarij similitudine mirificè cohæret. Profectò qui graviter affecti sunt, neque malorum nanciscuntur inducias, ij potissimùm, quos interna prælia perturbant, verborum Iobi peritissimi evadent.

Hominis iusti vita.

E

℣. 4. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras.

Menses vacui, & noctes laboriosæ quæ?

F

PARAPHRASIS.

Si tantillum somni necessitas mihi lasso inducit, extemplò expergiscor, lectique tædio affectus conqueror aiens: Quando dilucescet, ut exurgam? verùm neque postquam surrexi, quiesco, sed labore mox fractus vesperam exopto, patiens dolores acerrimos usque ad noctem, ubi cubitum mœstus discedo.

G

ANxietatem animi corporisque intolerabilem eleganter describit, quippe qui longa dierum, & noctium serie captasset requiem, nec inveniisset, quod in supremis infortunijs accidere solet. Rarum certè, vexationes similes exactè intelligere: non ita rarum, selectis verbis, & coloribus pingere: ex quo certè efficitur, ut plerique Iobo similes, quos implacabilis quidam conflictus animi, & inde orta corporis intemperies conficit, vix unum è multis offendant, qui re satis percepta eos solari queat. Patiuntur potiùs oppugnatores feroces, rei ignaros, qui mœrorem axaggerent, & verborum asperitate animum exacerbent. Quocirca non mirum, si cum Iobo mortem precentur, ne fortè malorum pondere succumbant, & merita, quæ diuturna patientia contraxere, tragico fine deperdant. Sensus certè hic subiectis verbis apprimè congruit.

Afflicti sæpe ab alijs exasperati.

H

℣. 5. Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris: cutis mea aruit, & contracta est.

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Adeò extabui, ut corpori meo obducta fuerit crusta quædam purulenta, & pulvere adhærente sordida. Absumptus est vitalis humor: unde cutis arida in rugas sese contraxit.

A

LUgendum, certè spectaculum fio, ait Iobus. Lepra excrevit, & horrendo amictu me totum convestivit: partim albicat elephantiasis, partimque nigricat ob sordes pulveris tabo hærentis, ut necesse sit, me formidabilem fieri spectatoribus, & mihimetipsi gravem. Ille quasi succus, quo caro vigebat, nitebatque cutis, cùm valerem, æstu noxij caloris excoctus est, & præmaturè consenui rugas agens, ut grande malum mihi viro infælici festinatò senectutem attulerit. Quid ergo agam? Cùr mortem non exoptem, ut genus quoddam libertatis ab hac servitute miserrima, quæ posset me, si foret diuturnior, à fastigio constantiæ in peccati abyssum deturbare? LXX. Interpretes significanter admodùm reddiderunt: Conspergitur corpus meum in putredine vermium: infundo autem glebas terræ à sanie radens. Vermes ergo putredini permixtos, & copiam tabi fluentis terramque perfundentis Iobus oculis pijs exhibet, quò pateat, in eam ærumnam virum iustum deveniisse, ut optabilior ei fieret interitus, quàm vita, qua nihil videbatur esse posse infælicius.

LXX. Interpp.

B

℣. 6. Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe.

C

PARAPHRASIS.

Ingruit præceps calamitas, quæ telam dierum meorum celeriùs dirupit, quam textor iniecto cultro discindat suam: Profectò spes vitæ longioris evanuit.

SImilitudo hæc à textore petita pertinere potest ad telam absolutam, cuius extrema fila textor præcidit. Et hoc sanè, si telæ nomen iuxta Vulgatum, propriè accipiatur: non enim præsecantur telæ, ante peractam texturam. Tunc verò facilè, ac expeditè fila suprema forficibus, aut gladiolo discinduntur. Si verò nomen Hebræum Ereg, quod à Vulgato, tela redditur, iuxta alios, radium textorium significet, hoc est, naviculam illam, quam textor cum filo subtegiminis ab altera in alteram manum conijcit, perspectum est, summam humanæ vitæ brevitatem, velocitatemque notari. Ait verò Iobus, consumptos esse dies suos absque ulla spe, ut retundat Eliphaz, qui ei, si benè ageret, valetudinem, ac temporalem prosperitatem pollicitus fuerat; quasi in hæc verba effaretur: Ego iam intereo: iam de vita actum est: non est ad rem promissio vitæ, aut fortunæ. Sinite ergo, optem, quod opto, & à duro labore hoc quantocyus eripiar. Porrò nonnullos strenuos milites suos Deus ita obruit angoribus, ac doloribus, ut halitum intercipere videatur. Celerrimè sibi interituri videntur, & ad singulos strepitus mortis ictum suspicantur: quod memoriæ imprimendum est.

Hebr. Lect.

D

Brevitatis vitæ figura.

Iusti a Deo probati.

E

℣. 7. Memento quia ventus est vita mea: & non revertetur oculus meus, ut videat bona. ℣. 8. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam.

PARAPHRASIS.

Actum est de vita hac, ô Deus clemens: ne ergo velocitati celeritatem addas. Recordare vitam meam more venti incitati fluxisse, iamque me non reversurum in vitam hanc, ut eius prosperitatem videam, vel ut alij me viventem aspiciant. Torvis oculis me intueris, & festinas me interimere, ne ampliùs vivam.

F

IN ipso mortis voto, dum Iobus interdicendum, se iam iam interiturum animadvertit (vehemens quippe urgebat affectio) apostrophe quadam vexati animi propria Deum interpellat, consideret (ἀνθρωποπαθῶς) vitæ miserrimæ cursum, sive volatum, permittatque cunctationem aliquam ei, qui iam è vita migrat. Neque mirum videri debet lectori optatum hoc Iobi, quod ægrè cum desiderio mortis componi posse videtur: non enim rarum, aut infrequens est ijs, qui graviter afflictantur, duos in se contrarios affectus, velut geminos filios in utero uno colluctantes persentire. Quin etiam hoc adeò verum, & testatum est, ut lectorem ipsum in testem possim accire. Ecquis enim est, qui è natali urbe, ubi fortasse ægrotat, aliò migret, qui non difficulter recedat cunctabundus, & vel tecta ipsa crebrò respectet? Quis ergo non perspiciat, cùm iam Iobus sibi mori videretur, pati potuisse motum difficultatis aliquem, quòd ita velociter interiret? Optavit enim celerem interitum, quem celerem nimis conquestus est: quod sanè observationis genus, ad libri huius interpretamentum, & ad iudicium de gravissimis affectionibus ferendum perquam appositum est. Sic ergo Iobus loqui credendus: Mori percupio: at summe Deus, ne tam severè satis currentem incites: ne mortem satis festinantem urgeas. Etenim vita mea vento flanti simillima est. Iam intereo: oculique mei, qui nunc morte clauduntur, non ultrà cernent bona, vel quæ amisi ego, vel quibus alij potiuntur.

G

Contrarij afflictorum affectus.

Exemplum.

H

Scripta An. 1610. Oculi Dei.

Aliorum similiter oculi me non ampliùs intuebuntur, cùm à te illorum conspectui subtrahar: à te, inquam, cuius oculi acres, micantes, & torvi terribili intuitu feruntur in me, ut me citiùs de medio tollas, & in hac vita non ultrà consistam, subijcit ad rem eandem,

A ℣. 9. Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet, ℣. 10. nec revertetur ultrà in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.

PARAPHRASIS.

Certè qui morte dissolvitur, & ad inferna terræ loca descendit, persimilis est nubi resolutæ, vel difflatæ, quæ sic dissipatur, ut non iterum in eundem modum concrescat.

B *Porrò mortuus homo neque domum, neque locum natalem reviset: quod planè sensus perhorrescit.*

Affectionum pugna.

VArios inducit Iobus poetici sermonis modos elegos, quibus bellum cogitationum, & affectionum variè subeuntium exprimat. Et quidem nubis similitudo apposita est ad vitæ præsentis inconstantiam, & subitaneum interitum significandum.

Vitæ inconstantia.

Nubis descriptio.

Coit nubes è materia fragili, levi, vaga, sæpeque oculis, arcis, turris, muri imaginem objcit: quam mox ut incertus contigerit flatus, in quædam reciſamenta discindit, quæ citissimè tenuata ex oculis evanescunt. Hodie in platea media, ceu prolixæ vitæ conscius, consistit homo dives, ingenuus, secunda lætus fortuna: nocte proxima corripitur febri, & tanquam flatu inopinato leviter attingitur, summo mane animam efflat; effertur, & conditur. Mori confestim Iobus cupit: at præpropera ei videtur extinctio, & natalis soli interdictio: qui appetitus mortem refugientis affectus est.

C ℣. 11. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

D PARAPRHASIS.

Cùm in extremo penè halitu constitutus sim, non cohibebo linguam, sed animum in suspiria, & lamenta laxabo, & de amaro lugubrique statu meo verba faciam.

SEnsus Iobi est, mortem parùm abesse, Deumque illi satis per se currenti calcar adstringere: quocirca velle se, modicum id, quod supereſt, affectui indulgere: quod eò confert, ut testatum faciat, se graviter à Deo cædi, ac per hoc perstet in sententia, qua censuit, calamitatem culpa graviorem esse, pro cuius assertione absque impatientiæ vitio querimonias multas producit. Annotandum ergo, quàm magnanimus usque ad horam supremam in casta divinæ providentiæ doctrina perseverare constituat, quicquid Eliphaz, & alij severi censores obloquantur. Potuit quoque, cùm iudicaret se iam obire, affectui verba permittere ad mœrorem, quo obruebatur, elevandum, ne fortè modum excederet anxietas non extenuata, & in culpam aliquam afflictum adigeret. Hæc quippe leniendi doloris ratio inculpata est, quæ viris affectionum internarum peritis maximè probatur: cuius oblivione, vel incogitantia nonnulli Theologi parùm sapientes animos vitæ sanctitate conspicuos, sed immenso afflictionum pondere oneratos penè opprimere solent. Iobus ergo sic enunciare censendus: Angustiæ sunt mihi undique, & credo equidem consilium viro prudenti dignum, & gravissimo dolorum prælio attemperatum esse, lamentorum, & gemituum impetum minimè reprimere, ne peiùs afficiar. Indulgebo itaq; animo saucio, ut mœstitiam immoderatam exhalet: atque in eum modum ab impatientiæ culpa longinquior optata morte defungar.

Iobi constantia.

E

Æquum, & inculpatum mœroris levamen, bene notandum.

F

℣. 12. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?

PARAPHRASIS.

Quid est hoc, summe Deus? Num ego insolens tyrannus fui, qui subditos oppresserim, ut mare terram obruit, cetusque immanis pisces minores vorat? Etenim me calamitatis carcere, sicut mare littoribus, cetum oceani cavitate sepsisti.

G

SIgnificanter admodum suam vexationem carcerem appellavit, quasi pro vinculis, & custodia cruciatus ille peracerbus fuerit, à quo non posset elabi. Utitur verò maris, ac ceti similitudine peropportuna: mari quippe imperatum est, sese contineat, neque terminos præfixos excedat, ut in cap. 38. fautore Deo explanabimus, in versu illo; Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Cetus autem, qui est immanis bellua oceano exerrans, Dei providentia in cavitate illa terræ, quæ ipsum oceanum excipit, continetur, neque in mediterraneum irrumpere sinitur, ut minùs sæviat, & stationem in terræ medio tutam piscibus alijs relinquat. Tam verò mare, quàm cetus potentiam tyrannorum, aut improborum Principum imaginem præferunt, qui quadam velut exundatione, per potestatis abusum, & nimia inclementia per acerrima supplicia subditos populos divexant, & spo-

Similitudines explicatæ.

Mari confinia præscripta.

Ceti immanitas, & locus.

H

Tyrannorum imago.

Scripta An. 1610.

& ſpolijs, ac cædibus depaſcunt. Iobus ergo conqueritur, qui nihil eiuſmodi peccarit; & acerbiſſimè torqueatur. Annotandum hîc, verba hæc Iobi ſuaviſſima eſſe, licèt illa dolor expreſſerit, & viris mala graviora patientibus, quos ſcelerum conſcientia non urit, uſitata. LXX. Interpretes, pro verbis illis, Quia circumdediſti me carcere, reddunt: Quia ſtatuiſti ſuper me cuſtodiam: quaſi Deus viro iuſto compedito, & cuſtodes addiderit, ne fortè perfollis parietibus evaderet. Olympiodorus refert aliam verſionem, quæ pro cuſtodia habet, πόνους, labores, quaſi labores à Deo immiſſi, cuſtodes, aut excubitores ſint.

A

LXX. Interp.

Olympiodorus.

℣. 13. Si dixero: Conſolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in ſtrato meo: ℣. 14. terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.

B

PARAPHRASIS.

Vinculis malorum aſtringor. Quòd ſi mihi inducias, requiemve pollicear aiens: Accedet nox, cubabo, & tranquillè ibi rationes mihi varias ad ſolatium proponam: fruſtra ſperem. Tu enim, Deus ſumme, & dormientem ſomnijs formidoloſis, & vigilantem horrendis viſis afflictabis.

ELeganter profectò Iobus ſe ipſum malis obſeſſum, & ſine requie infeſtatum depingit. Exploratum eſt, animum doloribus exaſperatum, neceſſitate perurgente varias evaſiones, fugaſve mali ſibi confingere: nimirum genus quoddam ſolatij eſt, ſperare ſolatium. Et quidem adeò anxietas virorum fortium, quos Deus experitur ad palmam, ſolet invaleſcere, ut & ſpes hæc tenuiſſima videatur, minimumque, aut fortaſſe nullum vexationis temperamentum afferat. Quod, quantum capio, ex eo provenit, quòd animus creberrimis experimentis didicit, incaſſum ſe id ſperare, quod neutiquam indulgetur: aut certè, quòd Deus id quoque ſolatium imaginarium ſecretis modis adimit, neque ſinit (quod ego ſæpè animadverti) rationes ingenio quidem ſuo efficaces patientis animo imprimi: ut quemadmodum animos alios afflictos recreant, ita & animum ipſum, quo cogitantur, afficiant. Status certè miſerrimus eſt: incognita regio, quæ viris ſapientibus horribile ſpectaculum exhibet. Sic ergo Iobus agere credendus eſt: Ego vir inter mortales afflictiſſimus requiem capto, nec invenio, nulla mihi ſtatio fida, nulla ſors læta. Diurno tædio delaſſatus lecti requiem animo pertracto, ſi fortè recreer; & cogito fore, ut ſolus ibi mecum ratiocinер, more ſapientis, qui ſe deiectum erigit, deſolatum ſolatur:

C

Spes ſolatij afflictis ſolatium eſt minimum.

D

Status derelictionis miſerrimus.

at rationes, quas excogito, atque connecto, parùm certè proſunt animo ſomnijs, & ſpectris perturbato, atque concuſſo. Somnus inauſpicatus eſt, & formidinis ſolius ferax: nam quæ interdiu triſtia cogito, ibi raptim, ac vix ſopito terribilibus formis variata ſuccurrunt: ſtatimque experrectus, hærentibuſque animo imaginibus attonitus obſtupeſco. Quin etiam, & vigilans corripior, & ſpectacula mœſtiſſima intueri cogor. En, quis Iobi ſtatus, cuius acerbitatem utcumque calamo, aut verbis attingimus, at profectò rem æquare non poſſumus. Iam verò, quod ad alios Dei cultores Iobo non abſimiles attinet, compertum eſt, eos terriculamentis gravium ſomniorum, & ſpectris deformibus plerumque infeſtari, quod & afflictis alijs familiare eſt, ut oſtendit exul quidam in hæc verba:

E

Somniorum terrores.

Ovid. de Ponto l. 1.

Somnia me terrent veros imitantia caſus,
Et vigilant ſenſus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare ſagittas,
Aut dare captivas in fera vincla manus.

F

℣. 15. Quam ob rem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. ℣. 16. Deſperavi, nequaquam ultrà iam vivam: parce mihi, nihil enim ſunt dies mei.

PARAPHRASIS.

Adeò immanis cruciatus meus eſt, ut ego laqueo mallem præfocari, & quicquid in me firmum, & velut oſſeum eſt, mortem potiùs quamlibet eligeret. Nimirum ego tabidus, & lethali dolore traiectus minimè ſpero, poſſe me ſupervivere, vitaque hæc mea morte funeſtior eſt. Quocirca parce, Deus clemens, deſiſte à vexatione tanta: dies quippe, qui ſuperſunt, fere nulli ſunt. Mortem concepi, confeſtim ergo morituras, precor, mitiùs cædar, ne quid impatientiæ ſubeat.

G

SOlet interdum evenire ijs, quos Deus graviter exercet, ut tolerabilius videatur quodvis mortis genus anxietate illa, qua torquentur, præſertim ſi longiùs excurrat: cuius certè aſſertionis teſtes multos locupletes vita functos, & ſuperſtites producere poſſem. Iobum verò ex hoc numero fuiſſe, omnino perſpectum eſt ex pleriſque ipſius verbis, ſed hoc textu ſatis luculenter; cuius ſenſus eſt: Interim dum acerbiſſimè infeſtor, ſubeunt animo ſceleſtorum hominum ſupplicia, quæ mihi mitiora videntur. Et quidem anima mea, dum hæc ſecum pertractat, eligit potiùs ſuſpendium illud, quo in publico patibulo rei necantur. Oſſa verò mea, hoc eſt, quidquid in me ad perferenda mala firmiſſimum eſt, eligit mortem quamlibet, uti rem non adeò inviſam. Porrò

Mortis Imago, præſenti calamitate tolerabilior.

H

Scripta An. 1610. rò angor ipſe, & intemperies ſummia propinquam mortem pertendit; omninoque mihi perſuadeo, de me actum eſſe, neque remedium ullum homini ſanie fluenti, atque conſumpto in hac mortali vita ſupereſſe. Quocirca deſperavi vitam, quæ profectò ſpe digna non eſt: & ad horas penè ſingulas videor mihi interiturus. Parce ergo,
A parciùs age; Deus natura clemens, neque gravioris cruciatus adiectu feſtinanti calcar addas. Etenim ſi me mori velis, novis ictibus opus non eſt: iam iam defungor, & afflictam animam exhalo. Pro verbis illis:
LXX. Interpp. Parce mihi, LXX. Interpretes habent: Diſcede à me; quaſi Deus enſem cominus vibret, ac iteratis ictibus patientem confodiat, optetque proinde Iobus, recedat paululùm, & minùs inſtet: quod ſanè optatum, & poſtulatum ijs, qui angoribus internis obſtringuntur, familiare eſt, & amatorium quiddam dolori admixtum præfert.

℣. 17. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?

B

PARAPHRASIS.

Miror hominis fragilitatem; atque idcirco obſtupeſco, quomodò illum honoribus, opibus, & favoribus extollas., rem ſcilicet purulenta carnis concretione deſpicabilem. Miror certè, quòd tibi cordi ſit, qui in has ærumnas, & ſordes tàm citò devolvitur.

HÆc Iobi admiratio viro ſapiente, ac naturæ divinæ Maieſtatem æſtimante digna eſt. Etſi enim hominis anima immortalis, & divinæ fruitionis capax ſit, corpus tamen adeò abiectum, & ſordidis affectionibus obnoxium gerit, ut mirandum ſit, Deum de corpore quoque ipſo decorando, exornando, proſperando curam gerere, nullumque benefaciendi officium prætermittere. Et hæc planè Dei cura per ſe mirabilis, viſa eſt Iobo mirabilior, ubi ſe in ſterquilinio marcentem, fœtidum, inopem, derelictum circumſpexit, quem ſic loquentem inducere par eſt: Quorſum, ſapientiſſime Deus, hominem, evehis ad temporalem gloriam, quæ tam citò extinguitur? Quænam res mortalis homo eſt, quàm firma, quàm conſtans, ut in eo bonis multis cumulando operam ponas? Profectò tam fragilis, & mutationi obnoxius eſt, ut fruſtra valere, fortunari, honorari videatur, qui eveſtigiò in morbum, inopiam, infamiamque prolabitur. Hæc de temporali divinæ magnificentiæ opere: at ſi in eximia divinæ gratiæ opera, ſempiternamque beatitudinem, ad quam homo cæleſti ope provehitur, oculos attollamus, porrò admirationis ratio vires acquiret immenſas. Quid enim ſtupore dignius, quàm hominem mortalitati ſervientem, Chriſti beneficio è cœno, in quo iacet ſqualidus, & ſui ipſius tædio fatigatus, ad immortalis vitæ gaudia, & ampliſſimos honores extolli? Ille verò dicendi modus, Apponis erga eum cor tuum, planè ſuaviſſimus eſt, cùm Dei cor cum hominis corde coniunctum repræſentet, quaſi Dei cor ex illa coniunctione, aut connexione voluptatem capiat.

Animæ à corpore diſcrimen.
C

Temporalis, æternaque Dei in hominem beneficientia.
D

E

℣. 18. Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.

PARAPHRASIS.

In ipſo humanæ vitæ primordio hominem foves, ac ſecundas: mox illum cruciatibus, & adverſitatibus examinas.

DIluculum hoc ad florentem hominis ætatem pertinet: habet quippe hominis vita partes, quæ diei partibus, & partium nominibus aptè reſpondent. Vocat autem Iobus proſperam partem diluculum, non ſanè, quòd non poſſet appellare meridiem, ubi omnia clariùs illuſtrantur; ſed quòd ad brevitatem vitæ, quam exprimere maluit, ſignificandam, aptius eſſet diluculum, quàm meridies, vel pars alia crepuſculo matutino luculentior. Pars quippe illa mortalis vitæ, qua Deus hominem illuſtrat, adeò brevis, & velut momentanea Iobo viſa eſt, ut vix clareſcens opinione ipſius, ingruente adverſitatis nocte extingueretur. Atque idcirco, ſicut prodigioſum foret naturale diluculum nocti fieri continguum, ita portentoſum videtur proſperitati velut exorienti repentinam calamitatis umbram obduci. Et hoc certè ſibi volunt ea verba: Et ſubitò probas illum, hoc eſt, examinas, exploras, cum illo congrederis obſervaturus, quàm ſtrenuè agat. Priùs viſitas, (familiari Scripturæ phraſi) faves, adiuvas, roboras: ſtatimque adverſaris, repellis, proſternis. Emphaſim habet illud, Viſitas, & probas, quaſi fias, & reſias, conſtruis, & deſtruis. Profectò mirum accideret, ſi quis peritus architectus amplam domum accuratè conſtrueret, ac partibus omnibus exornatam abſolveret, conteſtimque recentem fabricam, abſque temporis interlapſu dirueret. Hic Iobi ſenſus eſt, proſperitatem ſuam horrendæ ruinæ contiguam demirantis, qui ad erudiendum lectorem impendiò confert.

Hominis ætates horis diei comparatæ.

Quid diluculum?

F

Architecti ſimilitudo.

G

℣. 19. Uſquequò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſalivam meam?

H

PARAPHRASIS.

Quouſque, ſumme Deus, me dolorum vinculis religatum non laxabis? Quouſque tam crebra ſuſpiria, & querimonias proferam, ut nequeam interquieſcere, quantùm

Scripta An. 1610.

tùm ad glutiendam ſaltem ſalivam opus eſt?

PRofectò modus hic conquerendi ſummam Iobi anxietatem præ ſe fert, quaſi Deus illum catenis obligatum ſeverè premeret, precaretur que ille, remitteret vincula tantillùm. Illud ergo, Non parcis mihi, tantundem eſt, ac, non remiſſiùs agis. Quod verò ad glutiendam ſalivam ſpectat, nonnulli ad ſynanchen, anginamvè referunt, qua ſentiunt Iobum laboraſſe, tanquam diceret: Uſquequò non relaxas laqueum anginæ, qua præfocor, ita ut ſalivam, ſputumvè traijcere non valeam? An ſtrangulabis me? Idonea explanatio: Sed prima ſatis leniter excurrens, & ijs, qui perpetes deſolationes internas patiuntur, opportuna; ſolent quippe huiuſmodi certatores Deo gratiſſimi in hos modos verba contexere: Ergone, clementiſſime Deus, nunquam mihi parces? An mihi reſpirare non liceat? Num vis halitum intercipere, ut neque tibi ſupplicare valeam?

A

Anginæ morbus.

Deſolatorum hominum lamenta.

B

℣. 20. Peccavi, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?

PARAPHRASIS.

Videris, ſumme Deus, me uti reum ad exprimendam criminis confeſſionem torquere. Ego verò tibi cedo, fateorque me aliquid peccaſſe: at quid agam erga te, ô explorator hominum? Num poſſem acerbiùs excruciari, tametſi omnium graviſſimè peccaſſem? Poſuiſti quippe me è regione quaſi ſcopum, ut me iaculis peteres, unde mihi ipſi amicitiam tuam cupienti intolerabilis fio. Quid ergo ampliùs à me exigis?

C

LXX. Interpp.

SEptuaginta Interpretes vertunt: Si ego peccavi, quid potero facere? quaſi neſciat, an peccarit, quod ad iuſtitiam Iobi apprimè facit. Pro verbo illo, Cuſtos, reddunt; Qui ſcis mentem hominum, ac ſi dicerent; Qui ut perſpicax ſpeculator benè noſti corda hominum. Quod ergo Iobus ait: Peccavi, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? ſic apertiùs exprimi poteſt: Eſto peccator univerſorum hominum ſceleſtiſſimus fuiſſem, pœnam de me adeò acerbam ſumptam hucuſque contemplans, clementiſſime Deus, poſſes pro tua immenſa bonitate, angorem lenire meum, & quia ſat afflixiſti me, & quia profectò perſpicis, diris me doloribus torqueri, qui, verendum eſt, ne me in culpam aliquam præcipitem agant. Decet quippe lenitatem tuam ſic punire, ut ſalus peccatorum, qui reſipiſcere malunt, tuta conſiſtat. Deſiſte ergo à tot prælijs, quibus adoriris me: ne me tam potenter aggrediaris; ne me, iaculator peritiſſime, tibi ſcopum præfigas, in quem tela contorqueas, nam te mihi contrarium, aut me tibi ferre non poſſum. Iam pharetram exhauſiſſe videris; pone arma, ut inermis ego, vulneribus perfoſſus, patienter vita defungar. Annotandum hîc, ea verba, Quare poſuiſti me contrarium tibi, cauſam ſignificare; illa verò, Et factus ſum mihimetipſi gravis, effectum: nam qui ſibi videtur Deum iudicem, congreſſorem, aut punitorem pati, per hoc ipſum ſibi fit moleſtus, tanquam Dei pondus ferre minimè valens, ponderique ſuccumbens. Pro verbis illis, Factus ſum mihimetipſi gravis, LXX. reddunt, Sum autem ſuper te onus φορτίον, alij verò vertunt φορτικὸς, oneroſus, moleſtus; quo alluditur ad importunos precatores, qui auribus Principum, aut Iudicum perſtrepunt adacti neceſſitate, qualem in ſe Iobus agnoſcit, ac ſi diceret: Remitte iam pœnam, ne tibi vocibus, & clamoribus obſtrepam, & oneroſus, moleſtuſvè fiam. More hominum loquitur, at pro affectu, ſignificanter, ac ſuaviter.

E

Moleſtia ex Dei timore.

LXX. Interpp.

Precatores importuni.

F

℣. 21. Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam, & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.

PARAPHRASIS.

Si peccavi, cur non aboles peccatum? ſi aberravi, cur non dirigis obliquitatem, contentus ſevera pœna, quam de me ſumpſiſti? alios quippe reos non ita torquere ſoles. En ego nunc in terram condar vita functus: & ſi cras ſummo mane requiſieris me, cui, hac in cauſa, benefacias, non reperiar.

G

SEnſus Iobi capietur, ſi quis reum ſummo Principi ſupplicantem imaginando concipiat. Etenim Princeps Reip. ſummus & crimen, & pœnam interdum condonat, quod ex diverſarum gentium ritibus patet. Decet quippe Principes poteſtate quoque hac aliquando uti, ſi Reip. minimè officiat: genus videlicet clementiæ eſt, quæ ex Principe, reo, circumſtantijs debet expendi. Cùm ergo Iobus cum ſupremo rerum Domino ageret, qui iam ſupplicem mulctaſſet, opportunè, pro tormenti magnitudine, hanc benefaciendi occaſionem repræſentat: inſtatque quantocyus expediatur, alioquin è manibus elapſuram; poſtero nimirum die ſe minimè inter vivos acturum. Ait ergo, Summe Deus, qui culpas, & reatum ingenuè ſine ullius offenſione remittere potes, me, precor, circumſpice ſaucium, mœſtum, conſumptum, & penè expirantem: Non valeo ſeveritatem hanc diutiùs ferre: non pœnæ totius relaxatio-

Clementiam Principum decet aliquando crimen, & pœnam remittere.

H

Oratio Iobi.

Scripta An. 1610.

xationem flagito. Si quid peccavi, non impunè tuli: nemo enim è sceleratis hominibus uspiam adeò graviter supplicio quoque publico sublatus fuit. Da ergo veniam, & suspirantem recrea. Expunge culpam: condona quod reliquum est pœnæ, qua etiam remissa, celeriter interibo. Novi te ad commiserationem propensum: ne, precor, occasionem beneficentiæ prætereas, qui clementiæ tempora captare soles. Tibi sanè compertum est, me iam iam è vita migrare, serumque fore beneficium, aut certè non fore, si procrastines. Cras videlicet dicetur: Iobus interijt. Annotandum hîc, hunc instandi morem, ut Deus misereri maturet, ne protelet, ne cædat, evestigiò refrigeret, soletur, & id genus alia, Dei cultoribus veteranis esse satis familiaria, postquàm diu pugnatum, & perseveratum est. Qua in re nonnulli censores hallucinantur, existimantes hos flagitandi modos virtuti (quam Resignationem appellant) esse dissentaneos. At profectò, qui hæc asserunt, non satis callere videntur affectionum gravium pondus, aut numerum, ac proinde artem afflictis medendi, cuius certè studium lectissimæ cuidam Ecclesiæ parti, hoc est, viris doctissimis cordi sit, necesse est.

A

Grave monitum Animarum censoribus.

B

CAPUT VIII.

℣. 1. Respondens autem Baldad Suhites dixit: ℣. 2. Usquequò loqueris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui?

C

PARAPHRASIS.

Baldad Rex Suetæ urbis Moabitarum Iobo respondit: Quousque verba incondita profundes, ita ut sermo tuus nihil sit aliud, quam ventus, aut flatus multiplex?

Baldadi inurbanitas.

BALDAD dignitate inter amicos secundus, qui longum Iobi excursum, & sententiam primo certatori Eliphax Themanitæ, sibique contrariam ægrè tulerat, nihil urbanum, suaveque prætexit, quale illud, Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies, &c. sed præceps in verba indignationis plena linguam laxat, cupiens Iobum de sententia deducere, & ad pœnitentiam agendam, spe Deum propitiandi, & florentem statum amissum reparandi flectere. Ait ergo: Usquequò loqueris talia, hoc est, tam absurda, tam impia? Impium quippe visum est, quòd se insontem cædi proferret, & ad stateram peccati, & calamitatis provocaret. Spiritus multiplex, inquit Baldad, sermones oris tui, tanquam expressiùs diceret: Qui te loquentem audit, sanè nihil nisi ventos multos incertis è cavernis erumpentes percipit: Videris quippe victoriæ ipsem in sonitu verborum, & garrulitate posuisse. Nihil solidum, sanctum, grave in oratione tua prolixa deprehendi: quin potiùs impia multa, quæ animus audire perhorruit. Potest illud, Spiritus multiplex, ad vehementiam Iobi non languidè pro tabe, sed ardenter pro veritate dicentis pertinere: quod ad Iobi laudem, languorem pietate roborantis referendum. Non hic prætereundum, hoc violentum Baldad ex abrupto dicentis responsum esse persimile responsis alijs, quæ pijssimis viris desolatis nonnunquam redduntur, aut fortasse obtruduntur. Constat nimirum insignes aliquot Dei cultores gravissimè vexatos, Iobòque simillimos incurrere non rarò in criticos inexpertos, quibus si quæ sentiunt, & loquuntur, syncerè, ut oportet, exponant, acriùs quàm dici queat, obiurgantur, & impietatis accusantur, cùm profectò nihil non pium, sed anxietatis, ac mœroris plenum expromant: quod animo, precor, insideat.

Dei cultores malè ab inexpertis habiti.

D

E

F

℣. 3. Numquid Deus supplantat iudicium? aut omnipotens subvertit quod iustum est? ℣. 4. Etiam si filij tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ: ℣. 5. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus; ℣. 6. si mundus, & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.

G

PARAPHRASIS.

Impiè dixisti, ô Iob, te insontem flexi: Deus quippe non proculcat, detorquetve iudicij rectitudinem, neque ius suum alicui ausert, puniens innoxium. Ecce si liberis tuis tribuit, quod suum erat, pœnam scilicet pro culpa, in qua eos interire permisit; tu tamen, si summo manè ad preces lecto exilieris, Deo preces puras vitæ inculpatæ sociatas obtuleris, rectèque in posterum egeris; evestigio Deus, qui te ceu dormiens non curare videbatur, velut excitatus intuebitur, ac proteget: domumque tuam iustitiæ iam cultu florentem perturbari non feret.

H

DEus hoc loco Hebræis est, אל, El, fortis, potens: Sensusque Baldad est, Deum non abuti fortitudine, aut potentia, more tyranni ius evertentis, & pro libito insontes punientis: sed omnia ad iustitiæ lineam exigere, subnotans per hoc ipsum,

credi

Scripta An. 1610.

credi debere, Iobum peccasse, qui à Deo plectatur. Ipsius quippe opinione, nisi commeruisset cruciatus illos, non ita à Deo cæderetur. Ex hoc ipso erroneo principio ducit argumentum, ad persuadendum Iobi liberos peccasse, utpote horrendo supplicio peremptos. His ergo positis, Dei facilitatem proponit, excitatque Iobum, ut resi-

A piscens assuescat primo mane preces castas fundere, ac innoxiè vivere: Deum nimirum hoc modo placatum iri, & amplam domum iustitiæ cultu fortunatam restituendam, nullis perturbationibus obnoxiam. Vim habet ille dicendi modus, Statim evigilabit ad te: antiqui videlicet

Somnus, & vigilia qui Deo tributa?

Theologi, humano more, Deo somnum, & vigiliam quandam tribuerunt. Somnum, ut sibi ipsi vacat, se contemplatur ipsum, se ipso perfruitur. Sub hac quippe ratione concipitur à nobis se supra res universas attollens, seque intra se velut condens, aut colligens, quadam soporis similitudine. At vigiliam ascripserunt, ut res administrat creatas, omnia perlustrans, omnia fortiter,

B suaviterque disponens: quod sanè discrimen satis luculenter expressit David in hæc ver-

Psal. 43. 23. ba: Exurge, quare obdormis Domine,

C &c. Postulabat auxilium, rerumque suarum procurationem, ad quam cupit Deum exurgere, somnovè solvi, ac si obdormiret, dum derelinquit, dum (velut sibi duntaxat intentus) minimè alijs favet: Sensus ergo *Baldad* est: Ne cadas animo Iob, quòd te Deus iustus abiecerit, & tanquam dormiens, te nihil curare videatur: rependit nempe tibi, quod tuum est, pro crimine pœnam: quin bono animo esto, non enim tecum adeò acerbè, ac cum liberis tuis agere decrevit: illos videlicet in æstu peccati corripuit, tibi verò, ut cernis, vitæ tempus indulsit, si fortè ad meliorem

C mentem revertaris. Age iam, culpam celeriter deprecare, & oris matutinis, quæ precibus aptissimæ sunt, Dei clementiam implora: experimentoque disces, Omnipotentem facilè exorari, & velut ad opem tuam expergisci, reddereque tibi prostrato domum pace, ac iustitia prosperandam. Sanè si Baldad de culpæ remissione, ac divinæ gratiæ amicitiævè reparatione dixisset, non aberrasset. Catholicum quippe assertum est:

Zach. 1. 3. Convertimini ad me (scilicet per gratiam excitantem, qua homo prævenitur) & ego convertar ad vos: at non debuit Baldad amissæ prosperitatis temporalis restitutionem cum conversione ad Deum universè conciliare. Etsi enim ea instauratio interdum contingat; verùm ea neque semper, neque tunc sanè ex pacto, sed ex miseratione divina. At dicentem audiamus.

Dei Clementia imploranda.

D

℣. 7. In tantum, ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis.

PARAPHRASIS.

Si resipueris, Iob, sic à Deo prosperaberis, ut si opulentia tua prima exigua videatur, non ad æqualem modò, sed ad affluentiorem multò resurgas.

NAthan ex oraculo correpturus Davidem, postquàm Dei nomine beneficia amplissima collata recensuit, subiecit verba hæc: Et si parva sunt ista, adijciam tibi multò maiora. Atque in hunc modum Baldad Iobum hortatur, pœnitentiam agat, qua speret statum fortunatissimum. Deum quippe adeò liberalem, & in eos, qui ad ipsum confugiunt, misericordem esse, ut nullum beneficentiæ modum præsigat: speret proinde bona, non modò qualia ipse amisit, certè maxima, sed si ea parva videantur, multò ampliora, quæ largitori tanto facilè congruant. Hæc sanè Baldad doctrina in arcano sermone divinæ liberalitati mirificè consonat: David nimirum, Petrus, & alij minimè pauci, quos errati pœnituit, auctiore post lapsum, quàm anteà, gratia divinitùs cumulati sunt. LXX. Interpretes sic vertunt: Et erunt priora quidem tua pauca, novissima autem tua inenarrabilia: quæ certè verba ultimæ sortis exuberantiam apertè demonstrant.

2. Reg. 12. 8.

E

Pœnitentes largiùs à Deo donati.

F

LXX. Interpp.

℣. 8. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam; ℣. 9. (Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram) ℣. 10. & ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.

G

PARAPHRASIS.

Vera protuli: nolo tamen mihi tantùm fidem habeas, sed recolas & accuratè scruteris maiorum traditiones, (non enim iuniores cùm simus, non animadvertimus brevitatem vitæ, more umbræ velociter dilabentis) & ab ipsis maioribus perdisces ita esse, quæ prompsi. Ipsi licèt vita functi, veris monumentis, ut vivi loquentur, & asserta meis simillima proferent.

MEns Baldad est, ab antiquitate, velut à sede firmissima argumentum ducere, quo suam sententiam confirmet, neminem scilicet nisi ob anteacta peccata à Deo plecti; eos item, qui cæduntur, si resipiscant, Deumque precentur, amissam prosperitatem recipere: quod planè falsum est, maleque divinæ providentiæ affictum. Multos nimirum iustos supremus dies sustulit afflictos, meliore futuræ vitæ sorte ditandos.

H

Baldadi error.

Scripta An. 1610.

At pergit Baldad idem assertum suum naturali similitudine fulcire.

℣. 11. Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? ℣. 12. Cùm adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit, ℣. 13. sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum; & spes hypocritæ peribit.

A

PRAPHRASIS.

Scirpus, iuncusve, & carex, herbæ fructus nesciæ, virent tantùm in humido, atque id quidem brevi: nam viriditas illa suamet fragilitate floresçit, erbescitque, & in nihilum abiens, licèt à nemine præsecetur, concidit, & ante alias herbas exaresçit. Sic sanè prosperitas eorum, qui Deum oblivioni tradunt. Sic opulentia hominis simulantis pietatem, in qua spem posuerat, conflacceſcit, & intercidit.

B

EXemplum naturale iunci, & caricis, quibus viror in aqua brevis, sic exponendum est: Iuncus (vel, ut alij legunt, Papyrus) & carex neque in aqua ipsa diu consistunt, tantùm abest, ut sine humore viresçant. Paulò post florem consenescunt virtute deficiente, licèt à nemine carpantur. Sic qui Deum obliviscuntur, peccatores videlicet, quibus cœli clementia, divinæ scilicet gratiæ robur deest, florent, virentque tantillùm, externo rerum fluxarum apparatu, atque decore: at mox interit viror ille, ipsique velut herbæ fragiles vitali vi destitutæ contabescunt, gloriolaque illa apparenter splendida statim extinguitur. Sic peribit spes hypocritæ, id est, id in quo spem collocarat personatus Dei cultor, qui syncerus in prospero statu videbatur, & adversitate tactus figmentum retexit. Hac similitudine videtur Baldad vellicare Iobum, ac si cum alta Dei oblivione pietatem simulasset.

Peccatores iunco comparati.

C

℣. 14. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. ℣. 15. Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget.

D

PARAPHRASIS.

Impio displicebit in fine stultitia, quæ initio placet: nam fulcimentum fiduciæ eius est fragile quasi tela araneæ, quæ facillimè rumpitur. Conabitur ille tueri se domicilio suo, quod non perstabit: enitetur suffulcire illud, sed non proficiet.

HOrum verborum sensus est, hominem impium voluptatem capere è prosperitate temporali sub eius initium, ubi læta videntur omnia, verùm postea luctu concidere: primordia gaudio, finem mœrore plenum esse. Secundam fortunam comitatur vecordia, sive stultitia, qua homo insanit credens sitim suam explendam: sed stultitia hæc, quæ est affectus immoderatus, errorque mentis falsa suspicantis, tunc vehementer displicet, cùm extrema gaudij luctus occupat. Tunc verò luctus subit, cùm perspicit homo impius se frustra sudasse, incassum telam araneæ texuisse, ac in ea spem collocasse. Fiducia hic pro re, in qua stultus confidit, accipitur phrasi vulgatissima. Est autem perpulchra similitudo telæ aranearum, & prosperitatis temporalis, quam impius sese laboribus conficiens, ac intimis visceribus tabescens coacervat, eo planè modo, quo aranea è visceribus fila ducens tenuissimum domicilium sibi contexit. Iam verò liquet, quàm sit stultum re adeò fragili inniti, quæ leviſſimo fortunæ tactu, flatuvè disijcitur. Liquet etiam vanos esse conatus impij satagentis rem inconstantissimam stabilire, cùm nequeat illa diu consistere. Hæc sanè doctrina Baldad, si bene adaptetur, deriveturque in eos, qui abiecta Dei cura res caducas diligentissimè conquirunt, ad mores corrigendos prodesse poterit, quicquid ille cogitaret, dum eam promeret. Multa quippe amicorum Iobi pronunciata & vera, & gravia sunt, tametsi Iobo, qui eis minimè indiguit, obtrudi non debuerint. LXX. Interpretes pro verbis illis, Innitetur super domum suam, & non stabit, &c. vertunt: Si suffulserit domum suam, non stabit: & cùm cœperit, non permanebit. Ubi conatus impij domum firmam, perpetuamque molientis, è contrario verò ira Dei demolientis, evertentisque notatur. Hinc ampla divitum iniquorum palatia vel cœpta non perficiuntur, vel absoluta brevi corruunt.

Vecordia fortunæ comes.

Prov. 14. 13.

Vana prosperitatis temporalis fiducia.

E

F

LXX. Interpp.

G

℣. 16. Humectus videtur, antequàm veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur.

PARAPHRASIS.

Impius statum prosperum, ceu plantam humore virentem, antequàm sol incumbat, ostentat, & in eo prosperitatis primordio germen profert.

H

PErgit Baldad sententiam poeticè excurrentem pertexere, qui hoc versu asserit, impium initio suæ prosperitatis similem esse arbori, plantævè alteri, quæ mox ut enascitur, sed antequam solis ardore tangatur,

Impiorum, & opulentum hominum figura.

Scripta An. 1610.

gatur, viret humoris ſuctu, atque conceptu, ac proinde germinat: verùm exorto ſole torretur, & emoritur. Porrò ſic pleriſque ſuperbis, ac opulentis accidit, quos Deus aliquandiu ſecundis rebus frui ſinit, quorum decor, & viror oculis carneis imponit. Diteſcunt primùm, voluptatibus, & honoribus ſe totos dedunt: at ira Dei repentè immiſſa amœnitatem illam omnem abſumit. Sol ergo iſte infenſus, non propitius eſt. Sed ſubijcit Baldad.

A

℣. 17. Super acervum petrarum radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur.

PARAPHRASIS.

Infœlix planta impius eſt, cuius radices, poſtquàm ſol æſtivus iræ Dei virorem conſumpſit, ultra petras obdureſcunt, & inter ſaxa ſibi ſimilia iacent.

Melorum conatus futiles.

B

RAdices impij excurrente metaphora ſunt conatus ipſius, artes, doli, qui viriditatem temporalem terrenarum rerum ſuctu alebant, è quibus germina apparenter pulchra prodibant. Hæ radices, ubi Dei indignatio efferbuit, ſteriles, præduræ, & quaſi lapideæ evadunt, ſiccitate denſatæ; & impius ipſe inter ſaxa commorari, hoc eſt, eſſe, recenſeri dicitur. Nullus flos, nullus fructus, nullum ſolatium è radicibus illis ampliùs exoritur: ſiccitas, & durities ipſum impium lædit, & mœſtitia conficit.

LXX. Interpp.

LXX. vertunt de impio ipſo loquentes: In congregatione lapidum dormit, in medio autem ſilicum vivit: quaſi, poſtquam æſtus divinæ ultionis illum torruit, & bonis omnibus expoliavit, præ inopia ſumma inter ſaxa ſibi lectum ſternat, habitaculumque paret urbibus, ac hoſpitijs excluſus: quod cum præſenti Iobi ſtatu, quem Baldad contemplabatur, ſimilitudinem gerit.

C

℣. 18. Si abſorbuerit eum de loco ſuo, negabit eum, & dicet: Non novi te. ℣. 19. Hæc eſt enim lætitia viæ eius, ut rurſum de terra alij germinentur.

PARAPHRASIS.

Si Deus iratus (ut ſolet) iniecta indignationis flamma impium abſorpſerit, & avulſerit à domicilio ſuo, ubi arboris more radices defixerat: ipſemet locus, aut domus ab alijs puta creditoribus, occupata quaſi tacita loquetur aiens: Neſcio quis ſis. Hæc eſt proſperitas vitæ impij, qui ut arbor noxia ſtirpitus evellitur, ut alij tanquam fructuoſæ plantæ naſcantur, & proſperentur.

D

ITa ſanè convincunt exempla pleraque antiqua, & recentia, quæ timorem incuntiunt. Quis enim non animadvertat homines impios honoribus, & opibus affluentes, in extremam calamitatem ſæpe coniectos, qui ad ianuas ampliſſimarum domorum, ubi florebant, penè ſtipem corrogantes, multiplices ferunt repulſas, quaſi locus diceret (per proſopopœiam:) Non novi vos? Sic intercidit proſperitas peccatorum, quæ agri lætitia hîc eleganter notatur, & alij pro eis locuplentantur, ſicut ſcriptum eſt: Sedes ſuperborum deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis. Hucuſque Baldad argumentum ab exemplis maiorum, & à naturali ſimilitudine contexuit, ut Iobum ad pœnitentiam promoveret. Modò verò ex ijs, quæ graviter, & (opinione quidem ſua) piè præmiſit, atque amplificavit, deducit, uti principiò poſuit, Deum non pervertere iudicium inſontes plectendo, foreque propitium, ſi Iobus preces ſupplices porrigat.

Impij divites ad miſeriam redacti.

E

Eccli. 10. 17.

℣. 20. Deus non proijciet ſimplicem, nec porriget manum malignis: ℣. 21. donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo. ℣. 22. Qui oderunt te, induentur confuſione: & tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.

F

PARAPHRASIS.

En, evici, Deum non peſſumdare iuſtitiam, ut vivos ſynceros, innoxioſque diſcruciet, flagitioſis verò auxilium ferat. Quod ſi credideris, rei exitu comprobabis, ô Iob, longoque tempore fortunaberis, donec experientia proſperitatis lætus rideas, & labia in Dei laudem explices. Ex quo fiet, ut qui te odio perſequuntur, ſtupeant, & rubore ſuffundantur: quorum domicilia, Deo vindice, funditus evertentur.

G

SEnſus verborum leniter excurrit: propoſitæ quippe initio capitis aſſertionis concluſio eſt. Ille verò dicendi modus, Donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo, periphraſis eſt lætitiæ maximæ, ac intimæ exterioribus quoque ſignis oſtenſæ: è lætitia nempe intima riſus, & eruptio quædam gaudij geſtibus teſtata procedit. Alij pro iubilo vertunt ἀλαλαγμῷ, quæ eſt alacris vociferatio. Hanc autem lætitiæ eruptionem à reſtituta proſperitate oriri ponendum eſt, ut promiſſoris opinioni conſentiat. Illa autem confuſionis ſignificatio, Induentur confuſione, perelegans eſt, qua notari videtur illud rubeum quaſi velum, quod vultui erubeſcentium, tanquam quoddam indumentum obducitur. Baldad ergo quemadmodum Eliphaz, quibus potuit ratio-

Alij: Lætit.

H

Confuſionis rubor deſcriptus.

Scripta An. 1610.

tionibus ingeniosè concinnatis, & ultimis verborum blandimentis conatus est Iobum perurgere, mentem mutet, Deo ferienti cedat, pollicitus ingentem letitiæ vim è secundis eventibus honoris, opum, commoditatumque nasciturum, quæ visa est posse afflictum hominem, solari, animum deiectum erigere, & in sententiam illam erA roneam inducere. At vir fortissimus in sententia persistens sermonem gravem, castumque subtexit,

CAPUT IX.

℣. 1. Et Respondens Iob ait: ℣. 2. Verè scio, quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo.

B

PARAPHRASIS.

Respondens Iobus Baldad; Ego non inficior, quæ vera sunt, falsa refello. Quod ergo ais, hominem Deo comparatum non posse iustitia sua gloriari, iustumve adversus Deum apparere, planè verum esse profiteor.

BALDAD obiecerat Iobo, quòd Deum iniustitiæ redargueret, ac si puniens innoxios iustitiam iudiciumque subverteret: ac proinde tumorem Iobi comprimere tentavit, ne se Deo anteferret opinione innocentiæ, cui sine culpa pœna inferretur. Hoc quippe ipso, quòd Iobus se insontem excruciari conquestus est, seipsum sententia Baldad Deo prætulit, qui iusto pœnam inflixit. In eo quippe cruciatu (si Baldad vera censeret) Deus iniustus, Iobus iustus appareret. Eandem argumentationem Eliphaz cap. 4. conflaverat verbis illis: Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? ex quo perspici potest, quàm seriò in unam sententiam certatores conspirarent. Iobus verò, ut veritatis fidissimus assertor, qui omnia ratione, non afflictionis sensu metiretur, tam ingenuè fatetur, & commendat vera, quæ ab impugnatoribus promuntur, quàm generosè falsa depellit. Quod tum alibi, tum in hoc præsertim capite liquidò demonstrat, dum verum duorum disputatorum assertum non admittit modò, verùm elegantissimè, ac disertissimè, integro fere capite, amplificat, & exornat. Auspicatur ergo aiens: Verè scio, omnino exploratum habeo, non posse hominem iustitiæ causam obtinere, si cum Deo comparetur, ac si apertiùs diceret: Absit, ut ego id attentem. Ego cedo. Dei nomen Hebraicum hoc loco est, El, fortis, cui si componatur humana fragilitas, conC

Iobi ingenuitas.

Nomen Dei Hebraicè.

D

flacceſcat, & ſuccumbat neceſſe eſt. At de hoc argumento cap. 4. diſſertum eſt.

℣. 3. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille,

E

PARAPHRASIS.

Sanè si homo quantumvis sapiens, ac iustus vellet cum Deo disceptare, non posset ei vel ad unum è mille interrogatis respondere.

RAtio asserti huius petenda est, à divina sapientia, & magnitudine, de qua in proximo versu, & ab ignorantia, & imbecillitate hominis. Etsi enim iustus alta sui cognitione subnixus, & divinæ liberalitatis largitione gratus Deo iudicanti, ac roganti respondere ipsius ope valeat, minimè tamen contendere, vel altercari. Verbum quippe contendere hîc accipitur pro litigare, rixari. Manifestè autem liquet, & iustum ipsum, qui cum Deo sua fidens causa intemperanter agere auderet, causa cadere, & prima interrogatione tactum prosterni. Et hic profectò sensus argumentis Eliphaz, & Baldad congruere, & per se leniter decurrere videtur. Illud verò, Unum pro mille, vulgatissima phrasis est, pro, Unum è plurimis. Etenim qui de sexcentis pijs operibus rogandus decerneret cum Deo de iustitia unius altercari, ad primam primi operis discussionem obmutesceret, atque ita respondere nequiret. Si quis vero rei rationem scisciteur, è versu proximo sic iliam accipiat.

Iustus respondere, non item Deo contendere potest.

F

℣. 4. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?

G

PARAPHRASIS.

Ideo cum Deo nemo valet contentiosè agere, quòd infinita sapientia, & fortitudine præcellat. Hinc nemo ei reluctatus unquam fuit, qui impunè ferret.

APposita ratio: Sapientia præstat, ut omnia pernoscat, & rationibus nullis vinci queat: Robore, hoc est, potentia excellit, ut quem iudicio sapientiæ convicerit, puniat. Profectò regibus, qui sapientia ad iudicandum, potentia ad plectendum armati imperium exercent, omnes genua flectunt, neque coram ijs niutire audent, tametsi nullius criminis conscij. Quòd si quid vel ex proceribus aliqua in re obsistat, vel renitatur, mirum dictu, quàm obiurgetur acriter, aut etiam supplicio gravi torqueatur. Atque huc spectat, quod subditur: Quis restitit ei, & pacem habuit? Porrò non opus sit Pharaones, Antiochosve

Regum exemplum.

H

Pharaonis, & Antiochi perfidia.

Scripta An. 1610.

vè producere, qui obduruere, ac restitere Deo sapientissimo, atque fortissimo, & pace omni sublata, horrendo iudicio interierunt: passim quippe ipsi etiam viri iusti, levi fortasse de causa, Deo in rebus modicis repugnant, ut appetitui quadantenus indulgeant: quos incredibilis animi perturbatio levi renisu excitata discruciat: neque priùs acquiescunt, quàm se demittant ipsos, & sub vexillo Christi mitissimè se gerant. Quænam ergo pax sit ijs, qui tetris culpis Deum lacessunt, quando è levibus erratis tanta cooritur animi anxietas?

Etiam Iusti Deo repugnant.

A

℣. 5. Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subvertit in furore suo.

PARAPHRASIS.

Quis Deo repugnet, qui iratus montes ab radicibus convulsos aliò pepulit, & homines nihil tale suspicantes terræ motu indignationis divinæ pleno interdum absorpsit.

B

Dei sapientia, & potentia ex eius operibus.

SApientiam, & potentiam divinam versu proximo Iobus commendavit, quam longo excursu effectuum mirabilium. Amplificat, ut Deo minimè repugnandum evincat. Qui enim attentiùs opera Dei, vel naturali ordine dispositа, vel ob arcana Dei iudicia præter naturam contingentia contemplatur, omnino Deo parendum, credendum, minimè reluctandum facilè animadvertit. Hic verò in effectu quodam prodigioso Dei potentiam, sapientiamque connectit: potentiam quidem in montibus concutiendis, evertendis, & tanquam vibratum telum, explosamque glandem plumbeam aliò eiaculandis: sapientiam verò in hominibus improbis terræ motu capiendis, ac, supplicio iusto sceleribus reddito, interimendis. Montes hic validissimo vento terræ cavernas montibus ipsis suppositas permeante, ac concutiente, subvertuntur naturali quidem ratione: at Iobus palàm ostendit translationem montium ad supplicium impiorum aliquando contigisse, quod sive terræ motu naturali, sive prodigioso accidisse credendum est. Arenæ quoque volumina, quæ in desertis Arabiæ, aut Ægypti è loco in locum vehementissimis ventis correpta traijci dicuntur, montes dici possunt, quibus sceleстos homines obruere Deus facilè valeat.

C

Quid montium translatio?

Arenæ moles ventis exagitatæ.

℣. 6. Qui commovet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.

D

PARAPHRASIS.

Porrò Deo succumbendum est, qui pondera maxima terrarum orbis concutit adeò validè, ut inferiores terræ partes, quæ instar columnarum superiores suffulciunt, contremiscant.

COmmotio hæc Deo irato videtur adscribi. Posset quoque tribui divinæ Maiestati, aut magnitudini, cuius timore olim motam fuisse terram Psaltes divinus cecinit. Etenim terra contremuit, quando Deus in Sina ad legem ferendam descendit, & quando populus transijt torrentem Arnon, eius scopuli, velut saltu quodam se in aquas immiserunt. Sanè illud perspicuum est: A facie Domini mota est terra, quod ad huius versus interpretationem egregiè confert. Et quidem in arcano sermone, Terram Deus commovet de loco suo, dum affectum terrenarum rerum in cælestia transfert, ita ut pars hominis inferior pio timore tacta legi æternæ, iuxta mentis præscriptum, adhæreat. Tunc certè columnæ seu bases terreni affectus, quæ sunt appetitus sensitivi vires duæ, concupiscibilis videlicet, & irascibilis, contremiscunt, hoc est, fræno divini timoris, & obedientia legis contrahuntur.

E

Terræ commotio mysticè.

F

℣. 7. Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo.

PARAPHRASIS.

Potentiam & sapientiam suam Deus ostentat, dum solem imperio suo atris nubibus obducit, ne terræ præluceat, & dum stellas caligine densa velut obsignat, ne à mortalibus conspici queant.

AEgyptiarum tenebrarum fama orbe toto percrebuit, quarum memoria recens erat (ut non levis coniectura fert) quando liber hic conscriptus fuit. Fuere & alij eventus, ubi solis lux intercepta fuit, neque sole, neque syderibus ad terram usque lucentibus. Iam ergo tremendum portentum est, quod iure mortales Dei timore afficiat, lucem mundo eripi per diem, noctuque eam caliginis densitatem, ac nigredinem incumbere, quæ stellarum conspectum interdicat: cuius sanè timoris locupletissimi testes sunt nautæ, ac viatores, quos atræ tempestates, & formidandæ tenebrarum agglomerationes obumbrant. Ex hoc strui potest argumentum: Deo potentissimo, ac sapientissimo cedendum, neque à creatura ulla ad certamen seu disceptationem provocandum. Illud, Non oritur, tantundem est, ac non apparet: nam & ortus solis apparitio quædam est. Illud verò, Sub signaculo, idem est, ac sub tegumento signato, sicut clauduntur thesauri, & sepulcra, & familiares epistolæ. Idem quippe valet, epistolæ clauduntur sub signaculo, vel sigillo, ac obsignantur. Effectus autem illius obsignationis est, ne quis legat obsigna-

Ægyptiæ tenebræ.

G

Hominum pavor in tenebris.

Timor Dei.

H

Comparatio.

Scripta An. 1610.

Spirituales Animæ tenebræ.

gnata: ad eundemque sensum atra caligo, Dei iussu, stellas obducens, est inclusio quædam stellarum sub Dei sigillo, ne quis eas aspiciat. Hæc è natura: at illud planè tremendum, si Deus vindex interioribus tenebris animam sinat obnubi. Si solis, hoc est, Christi lucem, & stellarum, hoc est, Sanctorum, vel Angelorum radios præcipiat non oriri, & sub nigro velamento contegat: tunc profectò mortales, qui navigant hoc mare magnum, neque cursum dirigere, neque lætum, ac secundum quippiam intueri ingenio quidem suo valebunt.

A

℣. 8. Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.

PARAPHRASIS.

Mira Dei potentia, & sapientia, qui solus cœlos, ac papilionem quendam circumtendit, & velut incedit super undas maris, ut eas moderetur.

B

Cœlestium Corporum creatio, & dispositio.

Creationis nulla creatura instrumentum.

LUcet profectò Dei potentia in sphærarum cælestium creatione, quæ Dei solius est, nam iuxta nobiliorum Theologorum assertum, neque instrumentum creationis creatura esse potest. Lucet sapientia, quia & figura sphærica perfectissima, & quantitas certis finibus circumscripta, licèt penè immensa, & illa mira syderum dispositio, & stellarum suis in sedibus intermicantium discretio, aliaque permulta ineffabilem tanti opificis sapientiam propemodum loquuntur. Illud verò; Graditur super aquas maris, metaphoricum est, ac si Deus per Oceani superficiem, ut per plateam latissimè patentem incederet, Maiestateque sua tumentes undas, vorticesque compesceret, quod ad summum spectat imperium.

C

Mysticus Dei gressus.

In arcano verò sensu mirificè Deus graditur super fluctus maris, quando concitatas, efferatasque passiones nostras iussu coercet, ut sedatis motibus, anima cœlos extensos dulcissima serenitate nitentes, hoc est, cœlestis beatitudinis tranquillitatem ævo sempiterno permansuram contempletur. Ex hoc etiam capite Dei potentia, & sapientia in admiratione habenda. Septuaginta Interpretes illis verbis, Ambulat super mare, addunt, Tanquàm super pavimentum; quod ad sensum litteralem, ac tropologicum non leviter confert.

LXX. Interpp.

D

℣. 9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.

PARAPHRASIS.

Sydera ipsa prædicant vim infinitam Dei, qui inter alias constellationes miro consilio creavit Arcturum, sive Ursam maiorem circa polum Arcticum, Oriona in signo Tauri, aut Geminorum, Hyadas seu suculas in fronte Tauri: & alia sydera miris virtutibus prædita circa interiora Austri, hoc est, circa polum Antarcticum, qui nobis australis est.

MIra sanè varietas apud scriptores est in proprijs nominibus sive stellarum, sive animalium, sive aliarum quarumvis rerum vertendis. His autem prætermissis, id notandum, constellationes has à Iobo consultò selectas, ut in describenda Dei magnitudine, cui timor debeatur, perseveret. Certum est autem Arcturum tempestates gravissimas excitare, Oriona terra, marique omnia perturbare, Hyadas imbres efficere. Nimbosa ergo sydera ad terrorem Dei significandum appositè inducuntur. Interiora verò, seu penetralia Austri nobis sub Arctico agentibus occultantur, latentque ibi per multa mirabilia, velut in Dei thesauris obsignata. Arcturus dictus, παρὰ τὸ ἄρκτος ὁράν, ab ursinæ caudæ similitudine. Cernitur post maioris ursæ caudam. Orion ab effectu turbandi, & concitandi à verbo ὀρίνω, id est, concito. Hyades, ἀπὸ τοῦ ὑειν, id est pluere, fortasse Iobus synecdochicè ex his syderibus reliqua intelligi voluit, ut cœli universi enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciet firmamentum.

Varia propriorum nominum versio.

E

Constellationum effectus.

F

℣. 10. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.

PARAPHRASIS.

Percenseri nequit numerus rerum maximarum, ineffabilium, admirabilium, quas potentissimus Deus patravit.

G

CAvendum, ne memoria excidat sensus Iobi, hac divinorum operum descriptione & amplificatione testificantis, se nunquam sensisse animi elationem, vel ausum fuisse Deo seipsum conferre: at facilè vereri, & admirari divinam potentiam, & sapientiam, quæ suis operibus planè mirabilius ingenia hominum perspicacia vincat, candore suo iustitiam hominum obscuret. In hunc quippe scopum divinorum operum agmen lectissimum recensuit: quod è subiectis versibus luculentiùs pernoscetur.

Iobi modestia, & iustitia.

℣. 11. Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.

H

PARAPHRASIS.

Stultus essem, si vellem cum Deo contendere, quem venientem ego congressor nequeo videre, cùm ab eo cernar, quem receden-

Scripta An. 1610.

cedentem non intueor, cùm ego ei me occulere non valeam.

Stultitiæ audacia.

VIs rationis est, stultitiæ vertendum esse, si creatura cùm creatore altercari audeat, si mortalis homo cùm immortali Deo, si corporeus cùm invisibili. Etenim stultus athleta foret, qui cum colluctatore incorporeo congredi vellet, quem neque aggredientem, neque desistentem cernere posset, cùm è contrario luctator incorporeus ipsum circumspiceret, adoriretur, teneret, premeret, quando vellet. Verùm prætereundum non est, versum hunc de accessu per divinam gratiam, & recessu per peccatum à multis scriptoribus explanari, quorum sententia Iobus sic efferre credendus est: Deus omnino timendus mihi, qui nunquam in animum induxi, ut cum eo audacter concertarem. Ille potentissimus, ac sapientissimus est, neque de potentia, sapientiaque sua valet ambigere: Ego verò creatura fragilis sum, qui sine Dei præsentiâ, gratia, & robore nihil boni parabo, & nescio prorsus an divina gratia, & virtute communiar. Hæc quippe exilij huius incertitudo est, ut ego, quemadmodum mortales alij, nesciam, an Deus ad me per cælestis gratiæ donum venerit, an lacessitus culpa discesserit. Quomodo ergo congrediar cum eo, cui constat, se esse ipsammet sanctitatem, virtutem, & fortitudinem, qui meatum virium statum ignoro?

A

Mysticus Dei accessus, & recessus ab anima.

Gratiæ incertitudo.

B

℣. 12. Si repentè interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, cur ita facis?

PARAPHRASIS.

C

Nolo sanè cum Deo disceptare: quis enim, etsi perspicax, valet idoneè respondere Deo, inopinatò ad tribunal conscientiæ rapienti, & interroganti? præsertim cùm superiorem iudicem non habeat, qui ab eo de factis rationem exigere possit.

Repentinus raptus ad iudicium Dei.

OBservandum hîc hanc interrogationem repentinam, raptum quendam esse ad conscientiæ tribunal, ubi coram Deo sistitur homo: à quo si Deus velit rationem exigere, obmutescit: quemadmodum qui de gravissima quæstione aliqua repentè rogatur, solet obstupescere, licèt ingenio, ac doctrina excellat, cum imparatus præoccupetur. Aliud quippe est rem scire, aliud inspectò rogatum respondere: & hoc quidem apud mortales: at coram divina Maiestate omnis hominum sapientia, & perspicacitas stupidum quiddam est. Et hæc sanè interrogatio repentina in hac mortali vita fieri solet, cum Deus hominem, tametsi iustum, ignorantem tamen, utrum odio vel amore dignus sit, intra coscientiam propriam ad quæstionem vocat, & velut extemporaneo telo percellit. Potest quoque subita quæstio ad raptum in iudicium pertinere, ut is repentè interrogari dicatur, quem mors inopinata imparatum offendit, quem constat Deo scisscitanti respondere nequire. Illud verò: Quis dicere potest, cur ita facis? ad extollendam Dei altitudinem conducit, & in rem præsentem impendiò quadrat. Est quippe allusio ad iudices supremos, qui non timent actuum suorum cognitores, qui facta rescindant. Potest etiam illud: Quis dicere potest, &c. exponi non de supremo Dei dominatu tantummodò, verùm de absolutissima ipsius in universis operibus perfectione, ac si Iobus dicat: Nunquam ita demens sim, ut cum Deo disceptem, cuius opera ea puritate nitent, ut nemo possit ei quicquam obijcere, nemo possit iure dicere, Cur ita facis? cùm exploratum sit, nihil ab eo nisi purissimum, & inculpatissimum effici posse.

Mors inopinata.

Dei Maiestas.

E

Et dominatus.

℣. 13. Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur, qui portant orbem.

PARAPHRASIS.

F

Absit, ut Deo reluctèr, cuius indignationem nemo vel potentissimus evadere potest: nam & reges, qui dum Respublicas administrant, orbem velut humeris suis innixum gestare dicuntur, ipsum supplices adorant, seseque illi prosternunt.

PErspectum est, illud, Resistere, non ad effectum, seu conatum, sed ad exitum pertinere: nihil enim frequentiùs, quàm Deo resistere, hoc est, sic affici, & conari, ut quod proprius suggerit appetitus, Deo etiam invito, & irato, fiat: verùm quicquid mortales conentur, omnino constitutum est, iram Dei, ultionem, punitionem vitari non posse. Si enim quis id posset, foret rex aliquis potentior, aut robustior: at rex quilibet, qui suis viribus orbem terræ sustinere videtur, dum Deus iram testatam facit, genua flectit, & inclinatus Dei Maiestatem veneratur. Scriptores certè graves, per eos, qui portant orbem, Angelos intelligunt, rerum naturalium, & humanæ salutis procuratione, orbem quasi portantes, qui curvari dicuntur, dum coram Dei Maiestate seipsos demittunt, & divinam potentiam, sapientiamque mirantur. Ex his contexitur argumentum: Nunquam, inquit Iobus, tulit animus, ut repugnarem ei, cui à nemine resisti potest: nunquam ut me erigerem in eum, cui potentissimæ creaturæ ipse submittunt, atque prosternunt.

Conatus, & effectus discrimen.

G

Angelorum in Deum submissio.

H

℣. 14. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?

Conscientiæ dicrisio in hac vita.

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS,

Ecquis ego sum, ut responsis meis satisfaciam Deo, & illum verbis compositis aggrediar?

EX absolutissima sapientia, & potentia Dei, de qua satis disseruit, infert Iobus se minimum, & vilissimum esse, omninoque imparem, ut Deo satis respondeat, A vel cum eo verba faciat, Quo certè asserto palàm concertatoribus assentitur, quod attinet ad Dei sublimitatem, hominisque disparitatem, quam nusquam inficiatus est. At rem amplificat.

℣. 15. Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.

PARAPHRASIS.

Ego ita animo comparatus sum, ut cùm vie Deus ad examen vocarit, & rogarit de opere aliquo iusto meo, nolim summo iure cum eo agere, sed, ne illud discutiat, impensè precari. B

TAntùm abest, inquit Iobus, ut cum sublimissima Dei Maiestate velim audacter contendere, ut decernam, non modò, cùm de culpis meis plectendis, sed etiam cùm de bonis operibus remunerandis egerit, nihil hiscere, nihil pro me loqui: imò iudicem æquissimum orare, ne iustitiam scrutetur meam, sed prostrato ignoscat.

℣. 16. Et cùm invocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam.

C

PARAPHRASIS.

Adeò veneror, ac revereor maiestatem Dei, ut si quando me orantem exaudiat, mihi persuadere non possim, vocem homunculi huius ab excelsissimo auditam fuisse.

Humilitatis significatio, & comparatio.

HÆc Iobi verba planè mirabilia exactam demissi animi significationem continent. Solet interdum evenire, ut vir aliquis non adeò insignis potentissimo alicui regi diu famulatus aliquid postulet, ac obtineat: cuius certè rei exitus ut primùm homini nunciatur, nuncios reijcit, dictitatque, salvi abeant; non credere se regem tantum homini abiecto ita indulsisse: non sanè quòd mendaces delatores opinetur, sed quòd bonus suæ vilitatis, & regiæ celsitudinis æstimator allato nuncio attonitus hæreat, neque tam citò rem sibi persuadere possit. Hic est Iobi sensus, qui ex alta suæ imbecillitatis, divinæque Maiestatis cognitione, & comparatione, si quid obtinuisset, non credebat ad sensum expositum. Potuit etiam hæc credendi difficultas ex alijs capitibus oriri, quæ ad orationem efficacem Theologico more requiruntur: quis enim novit ita se orare, ut exaudiatur?

Efficax oratio difficilis. D

℣. 17. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa. E

PARAPHRASIS.

Etiamsi Deus me precantem exaudierit, minimè credo, quia neque id rationibus evinco, cùm malorum nimbo me obruat, & vulnera multa homini innoxio gratis inferat. F

VErsu hoc proximi versus explanati rationem appositam Iobus reddit, in hunc modum: Excelsissimus est Deus, quem in hac ærumna deprecatus sum, remitteret aliquantùm afflictionis impetum. Et fortasse exaudivit me modo aliquo arcano, ipsi quidem noto, mihi autem incognito: at ego per hoc ipsum in ea persisto sententia, quam de divina potentia, & sapientia honore summo colenda deprompsi. Quis enim non timeat, & veneretur iudicem illum, qui postquàm exaudit, ita tamen severè cædit oratorem, ac si eius foret inimicus? Etenim pœnarum turbine me angit, atque consumit: & multis me dolorum spiculis transverberat, etiam sine culpa, quam quidem ego deprehenderim. Causa ergo hic pro culpa accipitur, quæ propria pœnæ causa sive origo est: & hic profectò sensus fidissimum Iobi animum in Deum demonstrat, quasi iudicaret, se non ob crimina, sed ad meriti augmentum tot calamitatibus obsideri. Potest quoque illud, sine causa, sic exponi: Sine causa, videlicet mihi cognita, quæcumque illa sit; fortasse enim anxietas immensa non sinebat causas æruminæ lætas disquirere, sed pœnæ acerbitatem cum anteacta vitæ integritate conferre, ut acriùs torqueretur, quod ad patientiæ spectat encomium. At si absolutè quæratur, an Deus cædat sine causa, negandum sanè: etsi tamen cædat interdum absque culpa, non absque causa, puta suæ gloriæ, & meriti eorum, quos graviter accipit.

Dei Severitas.

Deus numquam, sine causa punit. G

℣. 18. Non concedit requiescere spiritum meum: & implet me amaritudinibus. H

PARAPHRASIS.

Non cessat Deus animum meum stimulis perpetim urgere: ex quo efficitur, ut amarulento afflictionis cibo exaturer.

MUltis profectò, & incognitis modis Deus animum, quem amplissima mercede

Deus arcanis modis electos exercet.

Scripta An. 1610. cede remunerare constituit, excruciat, ne laborum intermissu minus gratiæ divinæ, gloriæque perquirat. Pertinetque ad ipsam divinæ providentiæ perfectionem, quam præfixit mensuram explere laborum, quibus mensuram aliam confertam, coagitatam, & supereffluentem in cœlesti patria sit repensurus. LXX. Interpretes vertunt, Non sinit me respirare: quibus certè verbis Deum vigilem congressorem depingunt, qui captet occasiones, neque elabi permittat. Etenim dum negotiorum, dolorumvè multitudine, atque congerie nos ferè opprimi animadvertimus, non posse nos respirare vulgò dictitamus. Iam verò nonnulli explanatores illa verba, Non concedit requiescere spiritum meum, vel illa, Non sinit me respirare, ad asthmaticum morbum, pulmonisque arterias obturatas referunt, quod verosimile videtur, potestque hæc interpretatio cum prima coalescere, cum affectio utraque animi, corporisque cohæreat, ex qua cooriatur amarulenta saturitas. Significanter dictum, Implet me; fortissimi nempe pugnatoris more, qui summis periculis, & laboribus, singulari honoris prærogativa, perfungitur. Etenim minùs fortes non implentur, non exaturantur.

LXX. Interpp.

A

B

℣. 19. Si fortitudo quæritur, robustissimus est: Si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere.

PARAPHRASIS.

Quis possit cum Deo congredi? robore pollet invictissimo, ut concertatorem prosternat: æquitate præcellit, ne quid iniquè iudicet: quod cùm sit per se notissimum, non inveniam, qui in causa mea pro me testimonium ferre audeat.

C

ALludit Iobus ad morem hominum, qui si minùs potentem cum potentiore, in iudicio præsertim, aliquid controversiæ habentem norint, vel rogati nolunt testificari, ne potentiorem irritent. Et hoc sanè, tametsi minùs potentis causa iure ipso nitatur. At ubi ad Dei tribunal provocatum est, ubi neque ipsius iustitia vinci potest, neque verò fieri potest, ut alius quàm ipsemet Deus ius dicat, & pronunciet: porrò exploratum est, neminem fore adeò intemperantem, qui vel instantissimè postulatus, pro alio, quam pro Deo ipso, testimonium ferre velit. Ex quo Iobus efficit, nunquam se cum Deo confligere optasse, qui & ipsum iustissimum ad æquitatem servandam, robustissimum ad pœnam audacibus infligendam semper crediderit.

Humani, & Divini iudicij discrimen.

D

℣. 20. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit,

PARAPHRASIS.

Quale delirium sit Deo litem intendere? Sanè si me iustum evincere quæsiero, ineptè loquens à me ipso criminis convincar. Si innoxium me sententia mea demonstravero, ille qui latebras cordis scrutatur, me alicuius culpæ latentis coarguet.

E

LAus in ore proprio vilescit, neque rarò accidit, ut qui rectè egit, culpa fœdetur, dum rectè facta commemorat, sive iactat: Et hoc planè apud mortales. At qui apud Deum contentiosè agit suæ iustitiæ ignarus (quis enim delicta intelligit?) ille profectò suo se ore condemnat. Cùm enim certum sit, neminem scire, an sit Deo acceptus, vel invisus, iustus, an iniustus, hoc ipso, quòd seipsum decerneret iustum ostendere, culpa temeritatis minimè vacaret: sermoque ipse ad incertam iustitiam asserendam intentus, quædam audaciæ ostensio, & præmatura sui ipsius condemnatio foret. Illud verò, Si innocentem ostendero, ad conatum spectat, hoc est; Si me insontem ostendere tentavero, alioquin quomodo cum proximo hemistichio cohærebit, Pravum me comprobabit? nempe non se innocentem demonstrat, quem Deus pravum esse pervincit. Potest tamen illa innocentiæ ostensio ad hominis existimationem referri, ut si Iobus dicat: Etenim si me, quantùm existimo, quantùm assequor, insontem ostendero, multa latere solent in homine, quæ Deo perspecta, mihi inexplorata cum sint, me facilè capiet, & iniustum comprobabit: quod per adiuncta egregiè confirmatur.

Gratiæ incertitudo.

F

G

℣. 21. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.

PARAPHRASIS.

Tametsi re ipsa syncera vitæ sanctitate præditus fuero, cùm hoc ipsum ignorem, non audebo cum Deo de iure meo disceptare. Non sanè audebo. Vacabo potiùs considerationi mortis, & afficiar tædio vitæ huius, cuius acerbitatem deprecabor.

H

APertissimè fatetur Iobus Catholicam doctrinam de incertitudine divinæ gratiæ, quæ ad comprimendos grandes animos, & pia mansuetudine subiugandos opportunissima est. Potest autem vitæ tædium cum tenebricosa divinæ gratiæ ignoratione aptè conciliari, ut æquum sit, tædeat nos eius vitæ, quæ rei pretiosissimæ, & felicissimæ dubium inducit. Profectò licèt

Et inde vitæ præsentis tædium.

Scripta An. 1610.

cèt Iobus tot calamitatibus non infestaretur, meritò exosam potuit habere vitam, cui certitudinem divinæ benevolentiæ deesse cognovit. Hæc vexat Dei cultores, qui postquam se laboribus prolixis confecerunt, ignorant, quò pertigerint, vehementerque dolent, cùm altè considerant, vel uno celerrimo affectu solere animum lethali culpa fœdari, &. sempiterna morte interire: quæ certè anxietas immensa eos, qui gravissimis tentationibus impetuntur, quales plerosque novimus, acerbissimè discruciat,

A

℣. 22. Unum est, quod locutus sum, & innocentem, & impium ipse consumit,

PARAPHRASIS.

Nolo cum Deo decertare, neque videor mihi ei iniuriam meis sermonibus irrogasse. Uno asserto verò, quod tueri pergo, protuli iustum, & peccatorem ab eo excruciari,

B

ASsertum hoc, unum est caput doctrinæ Iobi, quod ipse ingenuè proponit, statuitque propugnare. Idem proposuit eo ipso, quòd se innoxiè vixisse, & nihilo seciùs gravissima calamitate exerceri conquestus est, quod ipsius amici, & concertatores sat intellexerunt, ac indignè tulere. Verbum illud, Consumit, multa pollet energia ad vexationis magnitudinem exprimendam. Deus ergo non peccatores modò, quod libenter Baldad acciperet, sed iustos divexat, & sicut morte corporali indiscriminatim interimit, ita & afflictionibus mortalis vitæ promiscuè obtundit. Calamitas similis, ratio absimilis. Et quidem in re Christiana, sicut Servator ipse noster, eiusque purissima Mater acerbissimè cæsi sunt, cùm innocentia summa niterent: ita & Virgines & Martyres penè innumeri cum intemerato vitæ candore acerrimos dolores subiêre, donec ingruente novissimo persecutionis nimbo gloriosè tandem occumberent.

Deus æquè iustos, & peccatores in hac vita divexat.

Exempla.

C

℣. 23. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.

PARAPHRASIS.

Si ergo, ut ego sentio, innocens, ut & impius ærumna tangitur, precor, Deus clementer agat, neque pœnam diutiùs proroget: at valido ictu innoxios semel interficiat, ne illos cruciatum deprecantes irridere videatur.

D

NOnnullis hic versus durus visus est, at non video, cur asperior videatur hic loquendi modus, cùm explanari, & piè, & leniter possit, ac debeat. Statuamus hominem pium immani anxietate, dolore, derelictione tabescentem in hunc modum cum suspiriis, altisque gemitibus cum Deo agere: Animadverto, summe Deus, te non impios tantùm, sed pios etiam in hac mortali vita ærumnis conficere: age ergo, me cœpisti graviter exercere: perge precor, interfice me diu suspirantem, ac pro dolore leniendo tibi supplicantem. Videris quippe pios cultores tuos orantes despicere, dum eos minimè exaudis, neque ullum benevolentiæ, aut beneficentiæ signum exhibes. Interime, precor, me, ne diuturnior cruciatus mœrentem in aliquam culpam propellat. Porrò hic conquestionis, & precationis modus nihil durum apud bonos æstimatores portendit: quocirca neque Iobus, qui hoc ipso sensu verba huius versus extulit, durè locutus censendus est. Sanè viri sanctimonia vitæ clarissimi morbis, tentationibus, infectationibus infestati frequenter mortem expetiere, tanquam optabile redemptionis genus, quod votis multis flagitandum visum est, ut unus pro plurimis, Gregorius Magnus epistolis multis evincit. Ridere hoc loco est idem ac irridere, vel subsannare: non sanè quòd hic humanus affectus Deo tribuendus sit, sed quòd more nostro irridere videatur pios orantes, dum eos sinit diutiùs clamitare, neque annuit: apud mortales quippe, qui audit, neque exaudit, contemnere, despicere, & more iocantis pro nihilo ducere eleganter dicitur: quod ad eruditionem eorum, qui dum orant, sibi à Deo negligi videntur, aptè traducendum. Non negligit, sed experitur.

Exempla.

E

F

Quomodo Deus irridere dicatur.

℣. 24. Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit: quod si non ille est, quis ergo est?

PARAPHRASIS.

Meritò semel occidi postulo, nam in hac vita omnino in ærumnis tabescendum. Terra quippe, in qua mortales agunt, permissa est potestati Dæmonis, principis nempè impij, qui operit vultum, hoc est, occæcat oculos iudicum ipsius terræ, ut iustos opprimant: quæ sanè permissio ipsius Dei est: Si enim Deus id non permisit, ecquis aliut permittere potuit?

G

ARgumentum Iobi firmissimum est. Cùm enim verum assertum posuisset, pios inquam, & impios laboribus, & cladibus consumi: optassetque proinde supremo vulnere confici, ut ad requiem ex hac vita migraret, eandem sententiam, & votum confirmaturus in hunc modum eloquitur. Animadverto me neque in sententia, neque in mortis optato exerrasse: res quippe mortalium ita dispositæ, & connexæ sunt, ut necesse proculdubio sit, eum, qui in orbe terra-

Iobi argumentatio.

H

Honesta mortis expetitio.

Scripta An. 1610.

terrarum verſatur, quantumvis innocens ſit, ingentia mala perferre, Terra nimirum, æquo iudicio id exigente hominis peccato, permiſſa eſt Satanæ, qui antonomaſticè impius eſt: ut quaſi princeps huius mundi, multo cum comitatu Dæmonum nocere cupientium, cum quibus nobis eſt colluctatio, vultum iudicum terræ operiat, hoc eſt, obtenebret, ac excæcet, ne candidiſſimam iuſtitiæ lucem aſpiciant, & inſontes ſpolio, carcere, ſupplicio afficiant, qui omnino abſolvi deberent. Ex quo perſpici apertiſſimè poteſt, iuſtos in hoc exilio labore carere non poſſe. Neque verò de hac rerum diſpoſitione declinandâ mihi agendum, cum ſit ineluctabilis divinæ providentiæ ordo. Deus enim id permittere decrevit, cum non ſit alius ſupremus rerum dominus, qui poſſit ea, quæ ad univerſalem mundi gubernationem pertinent, providere, bona efficere, mala ita permittere, ut inde bonorum proventus copioſus exiſtat. Si ergo terrarum orbis tot malis obnoxius eſt, ut iuſti omnino torquendi ſint; profectò verum erit, permiſſam, immiſſamque à Deo calamitatem culpæ argumentum non eſſe: neque mihi exprobrandum erit, quòd iam diu excruciatus, & in ſummum diſcrimen adductus mortem pacatam precer, quæ me à periculo deliquendi demum eripiat.

Satan antonomaſticè impius.

Iuſtis neceſſarius labor in hac vita.

Dei providentia.

A

B

℣. 25. Dies mei velociores fuerunt curſore: fugerunt, & non viderunt bonum. ℣. 26. Pertranſierunt, quaſi naves poma portantes: ſicut aquila volans ad eſcam.

C PARAPHRASIS.

Recrudeſcit inter dicendum dolor, qui me ad calamitatis lamenta perurget. Væ mihi: morior iam: Dies mei celeriùs dilapſi ſunt, quàm curſores mercede magna conducti. Evanuerunt adeò velociter, ut non licuerit mihi deguſtare huius vitæ bona. Præterierunt, ut navigia pomis onuſta vehementi vento impulſa, ut vix pomorum odor ſenſu percipi potuerit. Evolarunt inſtar aquilæ ſe librantis ad prædam.

DIxerat Iobus, neminem, licèt iuſtum, à laboribus immunem, & verſu proximo iudicum iniquorum exemplo piorum vexationem evicit: nunc gliſcente dolore, ac mœrore affectui indulget, quaſi dicat: Quid agam modo? undique me mala circumſtant: laxabo ergo animum, & linguam in verba triſtia, quibus afflictionis collectionem diſcutiam. Hæc Iobi mens. Reflexit ille oculos in anteactum proſperitatis tempus, & res planè momentanea viſa eſt, quæ ad univerſam mortalis vitæ viam derivanda. Utitur autem terna ſimilitudine ad

D

Vitæ brevitas trifariàm figurata.

vitæ brevitatem repræſentandam appoſitiſſima. Prima petitur à curſore, ſeu viatore, qui fælicia nunciaturus, neque die, neque nocte interquieſcit, ne alius celerior boni nuncij gratiam præcurrendo defloret, & munera præripiat. Sub hac ſimilitudine, ait Iobus, fugiſſe dies, neque vidiſſe bonum, quod ad ſignificandum velociſſimum tranſitum confert. Profectò viator ſollicitus, & ſedulus vix ad menſam in hoſpitio ſedet, vix modicum ſibi ſomnum permittit: & licèt obvias habeat res iucundiſſimas, puta congreſſores equeſtres, bellique ſimulacra concentum ſuaviſſimum, amœniſſimos hortos, ſalubres aquas, perbenevolos comites ei placere impensè cupientes, aliaque ſimilia oblectamenta, nihil cunctatur, nihil ex eis niſi furtim deliberare poteſt, & id quidem ſollicitè, ne curſum retardet. Sic Iobus ſibi viſus eſt, qui è bonis, quibus affluxerat proſper, vix quicquam, & id primoribus labijs, ac feſtinatò guſtarat. Secunda ſimilitudo à navibus poma portantibus: à navibus inquam, quæ validis flatibus actæ, vix alijs navigijs obvijs, vel ijs, qui è littoribus eas conſpicantur, olfactum, fructuum odore, leviter afficiunt. Tertia ſimilitudo ab aquila, quæ mox ac prædam inſpexit, tanquàm fulmen ſe è ſublimi in terram iaculatur, ut animantia humi repentia corripiat, atque diſcerpat, pernicitatem auget fames. Hæc vitæ brevitas: & tamen mortales æternitatem quandam ſibi confingunt.

E

F

℣. 27. Cùm dixero: nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor.

G PARAPHRASIS.

Peto, ne de lamentis his malè opinemini: Si enim velim mihi vim afferre, ac ſtatuere non ita loqui, vultus apparebit triſtior, & dolore, ac mœrore intus retento, acriùs multò torquebor.

FAmiliare eſt ijs, qui graviter afficiuntur, verba gemituum, & querimoniarum plena proferre, ut mœrorem exhalent: invaleſcit quippe, animumque peiùs exaſperat cohibitus mœror, quaſi humor noxius, qui è corpore pellendus ſit. Et quidem ratio hæc philoſophica, & pia eſt, quam utinam, qui animis afflictis medentur, expendant.

Afflictis queſtus familiares.

H

℣. 28. Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. ℣. 29. Si autem & ſic impius ſum, quare fruſtra laboravi?

Scriptâ An. 1610.

PARAPHRASIS.

Ego ſemper timui Deum, & ſuſpecta habui omnia opera mea, cùm ſcirem te, ſumme Deus, non remiſſurum pœnam, ſi peccarem. Si verò & ſic, ut impius, plector, quorſum me pijs operibus exercui?

Iuſtorum hominum in calamitatibus lamenta, A *Pſal. 72. 13.*

SEnſus Iobi eſt ſimillimus illi, quem David bona opera recenſens expreſſit per verba illa: Et dixi: ſine cauſa iuſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas. Appetitus ſenſitivi affectus eſt, ac ſi Iobus diceret: Neſcio quid agam in ſummo agone hoc. Ego ſic vixi, ut omnia opera cum Dei timore ad legis divinæ lineam exigere ſtuderem, certò ſciens, Deum de me pœnam ſumpturum, ſi quid mali committerem: & tamen nunc æquè, ac ſceleratus quiſque diſcrucior. Quid ergo mihi profuit labor meus? Impius hoc loco, non qui ſit, ſed qui ut impius tractetur, vel qui impius videatur. Et quidem compertum eſt, Iobum ſuis amicis impium viſum fuiſſe, ut in hoc Chriſtum præferret, qui cum iniquis reputatus fuit. Poteſt ergo
B ſenſus Iobi ad partem hominis inferiorem pertinere, ut de Davide aſſeruimus: in quo certè ſenſu obſervandum, & memoriæ mandandum ad afflictorum ſolatium, eiuſmodi lamentum eſſe animis deſolationem, tenebraſque interiores patientibus familiare. Satis quippe frequenter, poſtquàm longam vitæ inculpatæ viam emenſi ſunt, in hos modos lugubres verba faciunt: Ego quo ad potui, Deum colui: ab omni labe vigilanter abſtinui: Deum, quàm impensè valui, precatus ſum: quomodo ergo tam ſeverè à Deo repellor? Quomodo Deo inviſus ſum? Quid mihi profuit labor perſeveranter exhauſtus? Perutile monitum, C Etenim qui de afflictionibus animi moleſtiſſimis conſuluntur, graviter errabunt, niſi hæc perſpecta habeant, noverintque quouſque liceat animum in anguſtias conjectum laxare, doloremque ſermone lenire. Poteſt præterea verſus hic ad ſenſum planè mirum, & cohærentem ſententiæ diſputatorum referri, ut hæc ſit ſententia: Ego Iobus, conſcientia teſte veritus, hoc eſt, timore ſollicitus exercui opera mea, ſciens pœnam culpæ omnino reſponſuram. Si autem & ſic (ut vos Eliphaz, & Baldad cenſetis) impius ſum, hoc eſt, ſi cùm pietatem colere ſtuduerim, adhuc impius ſum, adhuc pietatis expers remaneo, quare incaſſum deſudavi? Profectò fruſtra pro pietate laboratum eſt, ſi pietas parta non ſit.

D ℣. 30. Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: ℣. 31. Tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea.

PARAPHRASIS.

Non Ideo, quia rectè vixiſſe mihi videor, ſumme Deus, me tecum comparare audeo: eſto enim animus meus ita niteret, ac proportione ſervata, corpus nivalibus aquis lotum; eſto opera mea manibus notata munditie eximia lucerent; adhuc certè ſi tecum componar, invenies latentes me puniendi cauſas, ut ſordibus lepræ, vermibus, ſanie operiar eouſque, ut ipſa veſtimenta mea, cùm ſint ſenſus expertia, videantur meum contactum perhorreſcere. E

ASſeruerat Iobus, ſe inculpatè vitam duxiſſe, id quod ægrè tulerunt concertatores, quorum opinione per hoc ipſum ſe Deo non modò æquabat, verùm & præferebat. Atque idcirco, ut hanc ſiniſtram dictorum interpretationem depellat, allata verba ſubijcit; quibus duo efficit, unum, quod ad ſedandos diſputatorum animos, alterum, quod ad iuſtitiam Dei in calamitate extollendam pertineat. Et quidem ad pacandos animos ſatis apertè ſe totum Deo ſubdit, & quantalibet puritate candeat, ſe ſordidum Dei comparatione fore profitetur. Quod verò ad Dei iuſtitiam aſſerendam ſpectat, palàm dicit, non deeſſe Deo inferendæ vexationis cauſam, vexationis inquam ſummæ, qualis fuit illa ipſa, quæ ſordidum, ſanioſum, fœtidum, horribilem eum reddidit, ita ut pereleganti ſignificatione veſtes ipſas abominatas fuiſſe, hoc eſt refugiſſe corporis tabefacti attactum aſſeveret. Aquas nivis commemorat, quaſi puras è liquata nive decurrentes, uti è cavis montium verticibus ſolent, quæ cùm terram non attigerint, nihil mixti cœni, vel aliarum ſordium contraxere. Manibus mundiſſimis, vulgata phraſi, opera defæcatiſſima notari compertum eſt, manu pro opere acIobi moderatio. Aquæ nivis puriſſimæ. F cepta. G

℣. 32. Neque enim viro, qui ſimilis mei eſt, reſpondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo poſſit audiri. ℣. 33. Non eſt qui utrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus.

PARAPHRASIS.

Non eſt animus cum Deo diſceptare, neque enim cum homine mihi ſimili contenderem, cui poſſem reſponſis ſatisfacere: neque is eſt Deus, qui ad aliquod ſuperius tribunal, ut æqualis aliquis ſiſti poſſit. Porrò non eſt potentior, aut ſapientior aliquis, qui utrumque increpare, vel ſi videatur, dextras utriuſque in pacti ſignum coniungere valeat. H

Sen-

Scripta An. 1610.

SEnsus horum versuum perspicuus est, excepto ultimo hemistichio, Ponere manum suam in ambobus, quod variam explanationem admittit. Ergo ponere manum, ad fœdus, seu pactum compositarum partium pertinet, vel certè ad potentiam alicuius, in cuius manu, seu facultate sit litigantes imperio coercere, & ut velit litem dirimere. Uterque tamen exponendi modus superiorem potentiam excludit, qua nititur ratio Iobi aientis, nolle se cum Deo contendere, cùm non sit æqualis, sed immenso intervallo fortior, & sapientior, & quo non valeat superior iudex reperiri.

A Iobi erga Deum reverentia,

℣. 34. Auferat à me virgam suam, & pavor eius non me terreat. ℣. 35 Loquar, & non timebo eum; neque enim possum metuens respondere.

PARAPHRASIS.

Exploratum est, me non posse Deum coram superiore aliquo iudice sistere: quocirca superest, ut ipse sit supremus iudex, apud
B *quem ego pro me dicere paratus sum, si contrabat flagellum calamitatis, quo me cædit, & extenuet formidinem maiestatis, qua concutior, Tunc sanè non ita territus fidenter loquar, qui nunc timore fatigatus, atque deiectus nequeo verba proferre.*

Iobi constantia.

FOrtissimi sanè, & constantissimi viri propria sunt suprema huius capitis verba. Iacebat Iobus in fimeto, pugiles instabant, dæmon urgebat, corpus purulentum atque consumptum prægravabat, animus mœstissimis cogitationibus angebatur, Deus severè afflictum accipiebat; & tamen in sententia veritatis asseveranda persistens neque animum despondet, neque certatoribus concedit, neque Dei tribunal refugit; sed pro cru-
C ciatuum magnitudine loquendi impotentiam excusat, poscitque secum mitiùs agi, dolorem, pavoremque remitti, paratum se ad controversiæ partem tuendam: ita ut cum ea, quæ summæ Dei Maiestati debetur, religione, ac modestia evincat, iustum, impiumque à Deo consumi, quod in disputationis formam, suæ calamitatis occasione, vocatum est. Atque ad hunc modum in capite hoc duobus certatoribus Eliphaz, & Baldad concessit, quod planè verissimum est, non posse hominem cum Deo conferre: id tamen, in quo illi longè fallebantur, insontes videlicet à Deo non acerbè tractari, multis querimonijs, & lamentis, pro
D dolentis modo, permixtis, inficiatus, se Dei iudicium in ea gravissima causa non detrectare fatetur. Hic pro arcana afflictorum disciplina observandum, duo certè mirabilia in veteranis Dei cultoribus cohærere, & magnanimitatem cum Deo agendi, & quandam velut oppressionem animi à Dei Ma-

Contrarij affectus in iustis.

iestate per immissa afflictionum tela deterriti. Illud à conscientiæ testimonio, hoc à cruciatuum magnitudine genitum videtur.

CAPUT X.

E

℣. 1. Tædet Animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. ℣. 2. Dicam Deo: Noli me condemnare: indica mihi, cur me ita iudices?

PARAPHRASIS.

Etsi timor verba penè intercipiat, adeò tamen gravor ærumnosam vitam pertæsus, ut silere nequeam. Ergo ad mœrorem ef- F *flandum relaxabo linguæ vincula, ut loquar contra me, & animo afflicto tristia verba permittam. Illud verò in primis à Deo quæram, ne me impium pronunciet, significet mihi, cur me ita puniat.*

CUM Iobus acerbitatem dolorum, & mœstitiæ sine aliquo afflicti animi temperamento ferre nequiret, oportuit linguam exereret, aliquidque omninò depromeret, quod ad tenuandam vexationem utcumque conferret. Nimirum egregius virtutis actus est, mœrorem ingravescentem elevare, ne animum, uti solet, opprimat, & in delirium, aut verba parùm pia præcipitet; quod ijs, qui de gravissimis affectionibus curandis consultant, expendendum est, ut Iobi, & aliorum virorum sanctimonia vitæ insignium exemplo, norint ani- G mum in angustias compulsum non esse importuno silentio, aut intempestiva severitate exacerbandum, sed modis multis leniendum, ut sæpè monui. Eò quippe solet arctari, ut instar feræ immanem se, & fere implacabilem exhibeat, ut dexteritate multa opus sit ad subtrahenda irritamenta, & ad casta oblectamenta, vel saltem refrigeria invenienda. Ergo Iobus sic verba proferens concipiendus est: Ego nunc deprecabor Dei formidinem, fatius præ timore me loqui nequire: at considero vitæ huius tædium adeò invaluisse, ut nisi loquendo id extenuem, peiùs multò discrucier. Dimittam ergo, solvam linguam timoris H vinculo obligatam, ut loquar adversùs me, non sanè contra Dei providentiam, quam summa demissione veneror. Effabor præ angustia exagitati animi; precaborque Deum, ne me impium esse demonstret, dum velut impium plectit, indicetque mihi, quam ob causam me ita vulneribus conficiat. Si e-

Innoxium in summa mœstitia levamen.

nim

Scripta An. 1610.

nim ego novero me quicquam horrendo supplicio dignum peccasse, pœnitentiam agam, & Iudicem placabo meum. Modus ille dicendi: Dimittam adversùm me, perelegans, & ad animi anxietatem significandam appositus est, ac si Iobus diceret: Ne precor, malis obruar: liceat, oro, paulò fidentiùs loqui, non enim cruciatum im-
A manem ferre possum. Et quidem nolo divinam providentiam reprehendere, vel de Deo conqueri, sed adversùs me ipsum infœlicem verborum iacula contorquere. Illud verò, Noli me condemnare, ad culpæ ostensionem, seu promulgationem iudicialem pertinet, ut patet ex versione LXX.
LXX. Interpp. Interpretum vertentium: Noli me docere impium esse, hoc est, noli docere, more scilicet docentis ostendere alijs me impium esse, quod in iudicio fit, dum iudex patibulo reum addicens crimen testibus probatum ostendit. Hoc quippe ipso, quòd
C Deus Iobum acerbiùs, quàm reum quemlibet afflictabat, ostendere videbatur, illum sceleris convictum: qui sanè sensus optimè cohæret expensis circumstantijs, & opinione concertatorum arbitrantium, neminem nisi ob scelera graviter à Deo accipi. Tantundem ergo Iobus agit, dum, ait, Noli me condemnare, ac si precaretur in hæc verba: Ne me, summe Deus, peccatorem pronuties hac vexationis sententia: nosti enim hos meos colluctatores existimare, te iudicem hoc ipso, quòd me divexas, me reum enormium scelerum evulgare. Possunt verba illa, Noli me condemnare, ad prævíam futurorum verborum excusationem pertinere. Dixerat quippe, se tædio victum verba velle profundere, ubi crebro aliquid minùs limatum, & expensum solet animis
D
Afflictorum verba minus concinna. afflictis excidere: quocirca, Noli, ait Iobus, me condemnare, nempe si verbum aliquod parùm mite protulero, qui tam immaniter infestor, ut nequeam per otium verba præmeditari, atque disponere. Illud autem, Indica mihi, cur me ita iudices, idem est, ac cur mecum ita litiges, cur mihi litem horum cruciatuum intendas. Verba sunt animi planè purissimi, qui nihil tibi conscíat. Iudicare ergo hoc loco,
Innocentis animi, securitas. non sententiam proferre (quod potiùs sub verbo, Condemnare, nuper expósito latet) sed laborum immissione, & contradictione se infensum, vel actorem in iudicio ostendere. Neque mirum, si culpæ ignarus roget, an quid culpæ lateat, ut per correctionem,
E Deum placet.

℣. 3. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuves?

PARAPHRASIS.

An, summe Deus, aliquid honesti, utilis, aut delectabilis boni tibi accedat, si me falsis criminibus per hos concertatores obiectis vexes, & quem tu ipse creasti, malis horribilibus proteras, ac per hoc ipsum eorum, qui de tua providentia impiè sentiunt, opinionem fulcias? Profectò hæc mala tibi placere nequeunt. E

MOdus hic interrogandi negationem suppressam continet, ac si Iobus in hæc verba loqueretur: Omnino scio, tibi neque videri bonum, me criminationibus impetere, opus tuum demoliri, sententiam impiorum confirmare: falsa quippe accusatio, insontis oppressio, impietatis assertio, tria sunt mala, quæ ingenio tuo mitissimo, puritati tuæ infinitæ, minimè congruere possunt. Quapropter miror, quomodo me adeò graviter proculcas, & despectui habere videris. F
Calumnia, oppressio, impium consilium, hoc loco, & Satanæ, cui Iobus permissus fuit, & amicis Iobi, quos impio errore divinam providentiam oppugnasse constat, litterali sensu tribui possunt. Hæc verò, & similia Deo solummodò tribuuntur, quatenus ea permittit, & malis benè utens, in suam gloriam, & patientis salutem cœlesti consilio dirigit, quæ universorum Patrum, & Scholasticorum Theologorum consensio est. Eadem nimirum infestatio, aut tentatio Iobi à Satana, ut tentatore, à Deo, ut permissore, ac satanici conatus mali in bonum finem directore duxit originem: idemque de calumnia, & oppressione huius versus asserendum. Iam verò exempla Scripturæ familiaria sunt, quibus Deo ascribuntur ut bono directori, quæ à peccatoribus perperam committuntur, qualis Ierusalem devastatio, quæ cùm Chaldæorum impiè agentium opus fuerit, sæpe à Ieremia in lamentationibus repetitis verbis Deo attribuitur, qualia illa: Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob. Et illa: Occidit omne, quod pulchrum erat visu, in tabernaculo filiæ Sion: & alia permulta. Certum est autem Chaldæos præcipitasse, occidisse, &c.

Honesta propriæ iustificationis expetitio.

Mala diversimodè Dæmoni, ac Deo tribuuntur.

Exempla G

Thren. 2. 21 & 5.

℣. 4. Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu videbis?

H

PARAPHRASIS.

Omnino verum est, Clementissime Deus, te per corporeos oculos deceptioni expositos non cernere, aut more hominum, quos affectus immoderati excæcant, non intueri.

EXcludit Iobus à Deo animi sui ignorationem, ac si hoc modo effaretur: Scio profectò, te, summe Deus, calumnias, & criminationes, oppressiones, & impia consilia odisse: ac proinde, in hac mea causa

Deo Ignorantia & omnis iniustitia repugnat.

non

Scripta An. 1610.

non est cur existimem, te malignè voluisse me per iniuriam opprimere. At quid dicam? an qui per iniuriam nihil egeris, per ignorantiam me afflixeris? Minimè quidem; non enim oculos habes carneos lippitudine, aut suffusione aliqua obturbatos; non pateris hanc corporei visus obtusionem: non intueris more hominum externa duntaxat æstimantium: sed introspicis cor hominis, & candorem animi probas, fœditatem improbas. Cùm ergo nihil ego turpe admiserim, quod quidem ego noverim, quomodo à te iudice incorruptissimo, & penetralium animi cognitore tam acriter cædor? Quomodo, ut exosus aliquis sanguinarius, sacrilegus repellor? Expendedum hîc, hunc, & præcedentem versum fortissimis Christi cultoribus apprimè quadrare, ij quippe in summis anxietatibus hæc, similiavè lamenta edunt: An me, clementissime Deus, tibi applicantem velis opprimere, proterere, despicere? An consilium Satanæ me ferociter oppugnantis sines prævalere? An non animadvertis, me quo ad possum culpas præcavere omnes, & iustitiam colere? An oculi carnei tibi sunt, ut affectum in te meum minimè cognoscas, sed ut invisum peccatorem respuas?

Iustorum cum Deo lamenta in cruciatibus.

A

B

℣. 5. Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, ℣. 6. ut quæras iniquitatem meam: & peccatum meum scruteris? ℣. 7. & scias quia nihil impium fecerim, cùm sit nemo, qui de manu tua possit eruere.

C

PARAPHRASIS.

Qualis est, summe Deus, hæc tortura mea? An tu actus tuos tempore prolixo metiris, ut æternitas tua serie dierum succedat, quemadmodum vitæ humanæ excurrunt tempora, ut per tot dies inquiras, & scruteris, an peccatum aliquod perpetrarim? Profectò hoc rigidum examen omitti posset, cùm scias me nihil impium egisse, præsertim cùm neminem adiutorem habeam, qui me ab hoc cruciatu liberare queat.

D

Iobi ad Deum deprecatio, & conquestio.

AGit Iobus amanter, & suaviter, querimonias has doloribus, & angoribus admiscens, ac si per hæc verba, pro pœna relaxanda, Deo supplicaret: Prolixo cruciatu torqueor, clementissime Deus, videorque mihi ad quæstionem à te vocatus, & plurimis diebus acri tortura constrictus, ac si tu fores iudex aliquis mortalis, qui per dies multos reum torqueres ad scelerum confessionem scrutinio accurato exprimendam. Verùm quorsum criminalis processus iste? Utantur sanè illo homines, qui aliter veritatem explorare nequeunt; at tu, qui nosti me nihil impietatis admisisse, possis abstinere à tormento hoc, quo me in supremum vitæ discrimen adducis: præsertim cùm scias te potentissimum esse, meque ab omnibus derelictum, ut nemo planè sit, qui me sub calamitatis, & torturæ pondere iacentem, ac gementem queat eripere. Modus conquestionis huius lepidissimus, & afflictissimo animo sanè dignus est. Evenire certè solet, ut iudices mortales à flagitiosis, & protervis hominibus adacta multa tormentorum vi, nequeant criminis confessionem extorquere: quocirca in dies singulos graviores cruciatus excogitant, reos ad quæstionem revocant, minantur, terrent, neque ob id audaces, & intrepidi rei concidunt, aut pallescunt, donec repetita tortura fracti, atque se neci tradendos animo persuasi cencedunt tandem iudicibus, seque à morte illa multiplici redimunt. Huc Iobus respexisse videtur, ut opposita vitæ integritate lamentum exaggeret, Deumque ad commiserationem exoret. Pro verbis illis: Et scias, quia nihil impium fecerim, &c. Septuaginta Interpretes apertiùs reddunt: Scis enim me non egisse impiè. Possunt verba textus huius alia sub forma sic explicari: Num, summe Deus, mortalium iudicum more per dies singulos tam sollicitè peccata mea disquiris, atque scrutaris? Profectò videris omnem conatum adhibere, & nullum diem prætermittere, quasi timeres, ne tempus te deficeret ad veritatem pervestigandam: sic quippe iudices mortales maturant, ne occasio elabatur. At hoc tibi non videtur congruere, cui tempus deesse nequit, potesque acres pœnas protelare in alios futuros dies, mecum lenius agens, ne statim inteream, præcipuè cùm innoxius sim. Etenim sive sons, sive insons tibi subiaceo, neque verendum tibi, ne dilabar ego, si me cædere volueris, cùm sit nemo, qui me de manu tua possit eruere. Et quidem hic sensus verbis subijciendis consentaneus est.

Iudicij divini, ac humani discrimen.

E

F

LXX. Interpp.

G

℣. 8. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu; & sic repentè præcipitas me?

Miror, summe Deus, quomodò mecum tam severè agas? certè tu ipse me formasti, & quasi ad opus perficiendum undique coaptasti, & expolisti: & tamen opus tuum celerrimè destruis. Cunctantiùs, precor, age.

H

VAlet primùm ad clementiam impetrandam hic rogandi modus à bonitate, & sapientia divina, velut ab argumenti sede petitus. Eo quippe ipso, quòd quis alicuius operis auctor est, bene afficitur ad operis conservationem, & remotionem eorum

Unusquisque opera sua impensè amat.

Scripta An. 1610.

rùm, quæ utcunque lædere possent, ut nimis tritum, & vulgatum est. Quis enim architectus non ægrè ferat destructionem domus, quam operosè construxit? Quis agricultor devastationem horti peramœni, quem artificiosè, ac solicitè coluit? Profectò non modò demolitionem; verùm & neglectum, aut leve detrimentum auctor quisque indignè tolerat, operisque perfe-

A ctionem, quanta potest maxima sedulitate perquirit: quædam enim velut generatio est, quæ paternam quandam providentiam, propensionemque producit. Pondus auget ille dicendi modus, Totum in circuitu: quod ad subintellectam animæ creationem, & corpus, quo illa circumdari videtur, spectat, licèt peculiare aliquid notetur verbis illis: In circuitu; quibus Iobus alludere videtur ad morem artificum, qui opus penè absolutum curiosè circumspiciunt, ut si quid detortum, declive, exuberans, ac denique oculis ingratum deprehendant, corrigant, totumque opus expoliant: quasi Deus in corpore hominis formando, de quo

B Iobus hîc agit expressiùs, ad eum modum se gesserit. Ex hoc quippe precatio Iobi vires acquirit: ac si loqueretur in hæc verba: Respice, conditor sapientissime, opus tuum, quod mira sapientia composuisti, ac per partes omnes perfectione multa decorasti. Intuere structuram hanc, quæ diuturnis operis ad fastigium crevit, neque velis repentino fulmine illam disjicere. Pro verbis illis, Plasmaverunt me, aliqui reddunt ἡτοίμασαν, apparaverunt, quasi totum illum planè mirabilem humani corporis apparatum velocissima infestatione disperdi Iobus lamentetur. Porrò ita fors fert: quod ad negligendam corporis curam spectat: Et tamen perpauci tragicum corporis exitum

C contemplantur. Iam verò non est, cur de manibus Dei corporatis ad corpus hominis formandum hîc aliquid suspicemur, cùm id textus non exigat, & sensus gravis, & genuinus sit ille, quo per manus Dei potentiam, vel aliquid aliud divinæ naturæ consentaneum intelligimus.

Artificis similitudo, & figuli.

℣. 9. Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.

PARAPHRASIS.

D *Recordare, precor, Deus summe, corporis mei, quod ut luteum vas finxisti, quod denique in pulverem redigetur, ne me tam validè elidas.*

Primi hominis formatio ex luto.

LUtum hoc loco pro opere figlino ponitur, quod è luto subacto componitur, ut similitudo in eo consistat, quòd sicut è materia illa molli, ex aqua, & terra temperata, densata, coagmentata formatur vas fictile, ita & ex luto corpus hominis, quod Deus mirificè compegit, ac in figuram animæ ipsius congruentem mirabili opificio disposuit. Iobus ergo instat apud Deum ex creatione, formationeve corporis, quod ex fragili materia compositum leviter dissipatur, instar vasis fictilis, quòd facillimè confringitur. Memento, inquit, quòd sicut vas luteum finxeris me, levique tactu in pulverem reduces me. Cur ergo tot, ac tam validis ictibus me petis, qui figmentum nosti meum? Quiescat, precor, indignatio hæc, qua tabesco.

℣. 10. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? ℣. 11. Pelle, & carnibus vestisti me: ossibus, & nervis compegisti me.

PARAPHRASIS.

Memineris, summe Deus, te è terra, quam humore quàsi lacte stillato mollisti, & mox uti caseum subegisti, expressoque velut sero, densasti, compegisti, figurasti, me formasse, cute vestisse, carnibus internas partes, & velut cavitates explesse, ossibus solidasse, nervis connexuisse. Cur ergo tam celeriter fabricam diruis.

Humani corporis generatio.

VErba huius textus referri possunt ad corporis formationem in matris utero, ubi sperma è genitoris corpore velut lac emulgetur, & agit in materiam à genitrice in locum generationi destinatum confluentem, uti coagulum in lac: ubi materia coacta, & constipata miro Dei opificio in ossa duratur, in carnem concrescit, in cutem tenuatur, quæ toti corpusculo obducitur. Non est respuenda sententia hæc: at, quæ de prima corporis Adæ formatione, quam Iobus sibi tribuit, textum explanat, castiùs loquitur, & ex genere, verbis, & contextui satis certè consentanea est. Ex hac ergo mira structura Iobus Deum placare & ad remittendam vexationem exorare conatur.

℣. 12. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.

PARAPHRASIS.

Tu certè, clementissime Deus, animam creasti, qua corpori infusa vivo: viventem verò beneficijs cumulasti, & præsentia tua tutata est ipsam animam meam.

Tres beneficentiæ gradus.

AGit hîc Iobus de animæ creatione, qua corpus mirificè compactum, atque connexum vitam, & motum acquirit. Tres verò beneficentiæ gradus discrevit, vitam, misericordiam, visitationem: primus ad vi-

tæ

Scripta An. 1610.

tæ principium, ſecundus ad conſervationem, tertius ad perfectionem pertinet. Miſericordia hoc loco eſt beneficentia, liberalitas, largitio, unde phraſis illa frequens in Scriptura: Facere miſericordiam. Viſitatio hîc eſt idem ac proſperatio, fœcunditas, fœlicitas: ſic phraſi Scripturæ familiari Deus viſitare dicitur, quos proſperat, fœcundat, ut Saram, & Annam Samuelis matrem. Ex his ergo precatio Iobi vires acqurit, ne Deus, quem tot beneficijs auxit, repentè perimat. Verba illa, Viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum, licèt ad tutamentum animæ, ut vitam naturalem corpori confert, referri valeant, pertinere tamen litterali ſenſu poſſunt ad ſpiritualem animæ cuſtodiam, & quandam Dei velut excubantis vigiliam, qua animam, quam ſempiternæ fœlicitatis capacem creavit, præſentia ſua ſervat, divinæ gratiæ, ac virtutum ſupernaturalium muneribus ampliſſimis exornat. Favet expoſitioni huic, quòd auctores aliqui graves, miſericordiæ nomine, naturalia virtutum ſemina intelligunt, ut in hunc modum terna beneficia gradatim aſcendant, vita per animæ creationem, miſericordia per indita virtutum ſemina, viſitatio per collata virtutum ſupernaturalium dona. Atque ad hunc ſenſum oratio Iobi fiet multò nervoſior.

A

Quid miſericordia?

B

℣. 13. Licèt hæc celes in corde tuo, tamen ſcio, quia univerſorum memineris.

PARAPHRASIS.

C *Recenſui beneficia, quibus me cumulaſti, ſumme Deus, quæ quamvis intra animum tuum contegas, & ſeveritate oſtenſa, ac ſi me non amares, diſſimules, at benè novi ego te illorum recordari, neque velle amicitiam meam reſpuere.*

IObi ſenſus eſt planè ſuaviſſimus, & eximia eius pietate digniſſimus. Scio, inquit, te, clementiſſime Deus, méminiſſe beneficiorum in me collatorum, quàm liberaliter me habueris, quantùm operæ, ac pretij in me creando, ſervando, proſperando, exornandoque poſueris, neque velle te munera hæc tua aſpernari, ac momento penè uno ſtructuram demoliri tuam. Gelas hæc, iramque ſimulas: at ego non propterea animum à me tuum alienatum ſuſpicabor. Ex hoc verſu ſtruitur argumentum ad multorum in ſpeciem fortium, ac fidorum Dei cultorum cæcitatem coarguendam, qui dum ærumnis, morbis, deſolatione interna tanguntur, mox Dei animum averſum dictitant, ægreque ab hac mente dimoventur.

Iobi pietas.

D

℣. 14. Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris?

PARAPHRASIS.

Si cùm eſſem iunior] quicquam peccavi, & proximo tempore me non caſtigaſti: Cur modò culpa condonata, animoque ſacrificijs, pijſque operibus expiato, ad calculos revocas errata mea, neque me à culpa liberum pœna remiſſa demonſtras? E

RAtio Iobi petitur ab ingenuitate, & clementia Dei, qui, ſi quid commiſerat ille pro mortali conditione, peperciſſe videbatur: ſuberatque idoneum argumentum, quo peccati veniam ſibi Iobus perſuaderet, cùm ſemper Deum coluiſſet, preces, ſacrificia, pia opera frequentaſſet: quocirca rogat modò, quid ſibi velit hæc ſera, & inopinata vindicta, cùm Dei clementia non modò de culpis olim admiſſis, & obliteratis pœnam non exigat, ſed recentes leniùs puniat. Illud ergo, Ad horam, tempus proſperitatis, ubi Deus benigniſſimè agebat, reſpicit. Illud verò, Cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris? idem eſt, ac, cur me à peccato immunem eſſe non declaras, non oſtendis? quod fieret, ſi minimè afflictaretur, opinione ſcilicet diſputatorum, qui aderant certaturi. Hæc Iobi conqueſtio viro innoxio congruit, quem nullus conſcientiæ ſtimulus urgeat.

Iobi argumentum.

F

℣. 15. Et ſi impius fuero, væ mihi eſt: & ſi iuſtus, non levabo caput ſaturatus afflictione, & miſeria.

PARAPHRASIS.

Quid eſt hoc? ſi peccator ſim, calamitas adeſt: ſi iuſtus, calamitas quoque adeſt adeò, ut caput attollere nequeam, ſuccumbens ponderi afflictionis, & miſeria, quâ, ut lethali cibo exaturor? G

FAtetur vir ſapiens, ac pius vitam hanc infœliciſſimam eſſe, in qua malis infeſtari neceſſe ſit: quod ea ratione convincit, quæ nullam videtur exceptionem admittere. Si enim iuſtus cruciatu gravi torquetur (nam iniuſtum excruciari nemo repugnat) ecquis eſt, à quo vita hæc gravia vectigalia non exigat? Iniuſtus fuit Iobus ſuorum concertatorum ſententia, qui ideò à Deo cædi exiſtimatus fuit: iuſtus Dei iudicio, ſuaque ipſius Iobi conſcientia: & tamen acriter repulſus, & exagitatus fuit. Conjectus ergo in vitæ diſcrimen, & acerrimis dolorum ſtimulis punctus lamentatur utrumque. Pondus habet illud: Non levabo caput, quod LXX. vertunt: Non poſſum ſuſci-

Aliud Iobi argumentum.

H

LXX. Interpp.

Scripta An. 1610.

ſcipere: quaſi onere miſeriæ prægravatus, ac laſſus nequiret caput languidum ſublevare, ut cælum intueretur. Pondus quoque habet illud, Saturatus afflictione, & miſeria: quaſi animæ ventriculus ingeſtum cibum amarum excoquere minimè valeret, cuperetque præ nauſea illum evomere. At
A vir fortiſſimus coxit cibum, omnia mala virtute ſuperavit, quod ad noſtram diſciplinam derivandum.

℣. 16. Et propter ſuperbiam, quaſi leænam capies me, reverſuſque mirabiliter me crucias.

PARAPHRASIS.

Etenim quaſi hominem ſuperbum me venaris telis, & retibus dolorum, uti ſolet leæna à venatoribus capi: neque ſemel me cepiſſe contentus ſæpè reverteris, ac miris modis
B *me ſaucias.*

Iobi querimonia.

E Superioribus liquet, Iobum ab Eliphaz, & Baldad hominem iuſtitiæ propriæ iactantia tumidum, ac impiè ſuperbum iudicatum: conqueriturque Iobus, ſe uti ſuperbum capi, more leænæ, quæ ob ferociam, ſævis telis configitur. Eſt enim ex genere belluarum immanium, quas venatores non vivas capere, cùm ſit longè difficillimum, ſed telis intra foveas, retia, vel machinas alias venatorias occidere conantur. Poteſt tamen textus ita conſtrui, ut illud, Propter ſuperbiam, tranſpoſitum cadat poſt verbum, Leænam, cuius adiunctum ſit, in hunc modum; Et quaſi leænam propter ſuperbiam, capies me: ut ſenſus ſit, Capies me, ut venatores capiunt leæ-
C nam propter ſuperbiam, hoc eſt, ferociam, & ſævitiam, imperioſamque illam feritatem, ob quam leæna, leovè à cæteris animantibus, tanquam ſuperbus princeps formidatur. Utraque expoſitio cohæret: Sed prima reſpicit opinionem concertatorum, ſecunda ſine alluſione illa exaggerat ſenſum doloris, quaſi Deus omnino voluerit ſeverè Iobum tractare, ac ſauciare, eo planè modo, quo feræ immanes capiuntur, neque mitiorem aliquem exercendi hominis modum ſeligere placuerit. LXX. Interpretes habent: Capior ſicut leo ad occiſionem: quaſi dicant: Non capior ad vitam, ut animalia, quæ ſolent haberi in delitijs, ſed ad necem, ut animantia fera, quibus fidendum non ſit, ſi ſupervivere permittantur. Hæc ad commiſerationem Iobus depromit.
D

LXX. Interpp.

℣. 17. Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam adversùm me, & pœnæ militant in me.

PARAPHRASIS.

Me ſuſpenſum tenes, ſumme iudex, novoſque quotidie adverſus me teſtes accerſis, & interrogas velut delicta mea necdum explorata pernoſciturus. Supplicia numero, & acerbitate auges in me, in quem pœnæ
E *acres militari more agminatim irrumpunt.*

TEſtes appellat Iobus, vel Dæmones ſatanico œſtro incitatos, vel tres amicos ſuos in pugiles mutatos, vel dolores acerbiſſimos à Deo immiſſos, quæ ſunt tres velut cohortes, quibus diſpoſitis, & per tempora, vel etiam ſimul accitis, ſic Iobi cauſa agitur, quemadmodum rei alicuius ſceleſtiſſimi cauſa in tribunali graviſſimo actitari ſolet, teſtibus multis ſuccedentibus, per quos veritas inquiritur. Similitudo ergo in eo ſita eſt, ut ſicut teſtes producuntur ad veritatem indagandam, ita Dæmones, concertatores, dolores produci videantur, ut Iobus veritate perveſtigata convincatur, ac ſi res tota Deo ſat perſpecta non foret: qui lepidiſſimus querimonias variandi modus eſt. Poſſet autem Iobus ſic loquens induci: Quorſum, æquiſſime iudex, tot teſtes interrogas? Quorſum alios alijs ſuccedere pateris? Quorſum interrogationem tam ſæpe reparas, redintegras, reſtauras? Profectò per hoc ipſum multiplicas iram, hoc eſt, ſupplicium adverſus me, & pœnæ, tanquam milites armati lanceis infeſtis me impetunt, atque transfigunt. Ceſſet, oro, hic iudiciarius proceſſus, hæc militum recenſio: tibi quippe cognita eſt cauſa, & candor conſcientiæ meæ perfectiùs multò, quàm ſi mihi in eadem cauſa multa teſtium millia iurata faverent. LXX. Interpretes pro illis verbis, Inſtauras teſtes tuos contra me, vertunt: Inſtauras in me inquiſitionem meam: quod ad interrogationem teſtium, ſeu praxim ſciſcitandi, & inquirendi luculentiùs refertur.

Iobi ratiocinatio ex ſimilitudine.

LXX. Interpp.

F G

℣. 18. Quare de vulva eduxiſti me? qui utinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret. ℣. 19. Fuiſſem quaſi non eſſem, de utero translatus ad tumulum.

PARAPHRASIS.

Interim dum malis obſideor, atque coarctor, erumpit affectus impotens, mallemque nunquam me mater utero excluſiſſet, ne quis me in hac vita ærumnoſa cerneret, vel fuiſſem partus abortivus, qui quaſi non natus, moxque ſepultus inter vivos non
H *cenſerer.*

Appetitus ſenſitivi innocentes affectus.

HÆc Iobi optata ad eum modum, quo tertij capitis imprecationes expoſuimus,

Scripta An. 1610.

mus, explananda sunt, ut sint appetitus sensitivi affectus ob molem gravissimam, qua premebatur. Ergo vel non excludi, vel ita excludi, ut præfocatus abortuque fusus statim terra occuleretur, optavit. Cùm autem discretè è vulva non educi desiderarit, porrò vel expetivit non concipi, vel ita concipi, ut mater interiret, cuius utero occultatus, & unà cum matre sepultus à nemine cerneretur; ut alterum optatum abortivi fœtus in sepulchrum evestigiò illati sit à primo distinctum; quamvis ab animo tam graviter affecto eiusmodi proprietas exigenda non sit. Potuit quippe (quod mihi vero similius videtur) cupere non nasci, quoquo pacto id accideret, aut inauspicato partu ex utero ad sepulchrum sine huius lucis usura transferri. Hic dolor, & mœror per intervalla inter dicendum recrudescens perpendendus, ad iudicium de similibus affectionibus ferendum.

A

Iobi desiderium non existendi.

℣. 20. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululùm dolorem meum, ℣. 21. Antequàm vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, ℣. 22. Terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

B

PARAPHRASIS.

Idem ipse, qui optavi ex utero ad tumulum efferri, dum considero mihi dies perpaucos vitæ superesse, precor, summe Deus, sinas paulò amplius vitam produci: ut fleam tantillùm, si quæ admisi errata, agamque pœnitentiam, ante quàm morte veloci correptus, neque unquam reversurus, descendam in tartarum, terræ scilicet regionem tenebris, & letbali obscuritate obductam; ubi cum caligine atra coalescit extrema calamitas, ubi similitudo mortis in oculos semper incursat, ubi summa rerum confusio, & perpetuus terror reos infælices exagitat.

C

Dolentium affectus varie expressi.

DOlentium affectus non artis præscriptionibus, non uno orationis tenore, ad certos usque fines procurrente, ibique artificiosè variato reguntur: sed nunc una, nunc altera sub forma, prout ingravescit mœror, vehementer efflantur, quod ad animi summam vexationem propalandam appositissimum est. En, proximo versu Iobus impensè optavit non vixisse, & modò ardenter precatur vitam aliquantò longiorem. Ibi affectus sensitivi appetitus invalùit, hìc ipse appetitus interitu imminente sese contraxit, & pars hominis superior proximam mortem præsagiens, pijssima quadam ratione permota, postulat inducias; ut si quid peccasset (non enim quòd sibi culpæ conscius non foret, ideo in tuto se positum censuit) lachrymis detergeret. Norat quippe si quid obrepsisset gravis culpæ, tametsi occultæ, sempiterno se cruciatu torquendum. Et quidem præcavere grande malum brevi prorogatione poposcit, ut patet ex verbis illis; Antequàm vadam, & non revertar, &c. hoc est, dilationem posco antequàm moriar, & tempus remedij exquirendi elabatur. Per hanc autem dicendi formulam: Antequàm vadam, &c. non significat sanè se posteà iturum, sed antevertit pœnitentiam, ne abeat, quam, antequàm abiret, agere velle consilium fuit. Simile est illud Evangelicum; Antequàm convenirent, quibus ex verbis non ducitur argumentum, ut purissima Virgo, & castissimus eius sponsus posteà convenerint, Iam verò cum hoc planè casto tartari timore, benè concrevit spes descensus in limbum Patrum, ubi candidissimam Christi lucem decreto tempore appariturum firmius, quam dici queat, vir iustissimus speravit. Pro verbis illis, Dimitte me ut plangam paululùm, Septuaginta Interpretes vertunt, Patere me requiescere pusillùm: Lachrymæ niminum, concretione mœroris resoluta, atque exhalata, animoque, qui mœstitiæ succumbebat, exonerato, quietem conciliant, eæ præsertim, quæ cum spes sempiterni solatij funduntur. Iam verò quod ait, de terra tenebrosa, quæ obscuratur mortis caligine, de miseriarum regione, de umbra, sive similitudine mortis, de ordine nullo (ex parte scilicet damnatorum nihil ordinatè, sed perturbatè omnia agentium, nam Deus ordinatissimè supplicia pro culpæ modo infert) de horrore perpetuo, tartari notæ sunt, quæ in alium subterraneum, quam in damnatorum sinum convenire nequeunt. Pondus habet ultimum verbum, Inhabitat; formido videlicet, umbra mortis, perturbatio vitæ huius transeunt, at in cavitate illa tartarea peccato individuè religata domicilium funestissimum acquirunt.

D

Exemplum. *Matth.* 1. 18.

E

F

LXX. Interpp.

Tartari notæ.

G

CAPUT XI.

℣. 1. Respondens autem Sophar Naamathites dixit: ℣. 2. Numquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verbosus iustificabitur? ℣. 3. Tibi soli tacebunt homines? & cùm cæteros irriseris, à nullo confutaberis?

H

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS,

Respondit Sophar Rex Naamath urbis in regione Hus sitæ: An tu Iob loquax non audies? An verbosè agens te iustum evinces? An te duntaxat garriente omnes sileant? An qui alios despicis, à nemine redargueris?

A

Falsi amici Imago.

SOPHAR inter amicos dignitate tertius, velut moræ impatiens, & Iobi sententiam aversatus vehemens ruit in verba contumelioſa, in quibus conglobandis, controversiæ mordax agitator, animo ferventi laxat habenas. Cuius sensus est: Audivi te, Iob, affluenter verba effutientem, alijsque minimè permittentem loqui, quod est turpe loquacitatis vitium. Tu verò in verborum copia iustitiam videris posuisse tuam, cùm potiùs nimio, inconcinno, & impio sermone te iniustum conviceris. Age ergo temperantiùs, & considera apud quos viros inconditè loquaris. Num deceat, ut te solummodò blaterante, alij tanquàm ignari, aut inertes conticescant? Num æquum sit, ut qui oratione prolixa, concitata, impietatis in Deum, & arrogantiæ plena nos aspernari visus es, à nemine nostrum obiurgeris? Profectò tua procacitas, & audacia terenda non est: neque par videtur, ut ego tibi, quæ commeruisti, minimè rependam.

Turpe loquacitatis vitium.

B

℣. 4. Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.

PARAPHRASIS.

C

Ego sanè te carpam: ferri enim non potest, quod asseruisti, tua scilicet verba pia, puráque, te etiam coram Deo innoxium esse.

DIxerat Iobus cap. 9. Non invenietis in lingua mea iniquitatem, quod ad purum spectat sermonem. Dixerat quoque multa, quibus iustitiam adstruxit suam, quale illud tertij capitis: Nonne dissimulavi? Nonne silui? &c. & illud sexti capitis: Utinam appenderentur peccata mea, &c. quin etiam ipso contextu sermonis, & (quod prudenter conijciendum est) gestu, modoque loquendi suam Iobus innocentiam asseruit, quod ad propugnandam suam de divina providentia sententiam oportuit. Hæc ergo indignè tulit Sophar: quocirca præcipiti sermone Iobum aggressus est.

Iobi iustitia malè habita.

D

℣. 5. Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi: ℣. 6. ut ostenderet tibi secreta sapientiæ; & quod multiplex esset lex eius, & intelligeres, quod multò minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.

PARAPHRASIS.

Opto, Deus tecum colloquatur, sapientiæque suæ arcana retegat; doceatque quam sit multiplex eius lex, quam te observasse iactas. Tunc sanè cognosceres, te partes omnes legis non expleſſe, ac proinde multò mitiùs plecti, quàm commerueris.

E

SAtis apertè Sophar invehitur in Iobum, ut ex hoc etiam capite cruciatus viri iusti ingravescat. Profectò sermo hic aculeatus, & ad animum alias immaniter vexatum vehementer afflictandum opportunus, mihi multorum Sophar similium imaginem repræsentat. Sophar nimirum per errorem, uti Dei causam agens, asperrima verba iaculatur, & insontem Iobum excruciat: Et in hunc sanè modum plerique viri quasi divinæ veritatis assertores, existimantes obsequium se præstare Deo, torquent animas planè pias, & innoxias multiplici anxietate, & internarum affectionum agone coarctatas, obiectantes eis verba, operave censorum arbitrio parùm pia, vel expensa, cùm aliter multò agendum esset, ne qui sub pondere gemunt, graviùs onerati succumbant. Ille dicendi modus: Multò minora exigaris ab eo, significantior, quàm latinior est. Verbum, Exigaris, notat, pœnam exigi à Iobo, sumive de Iobo pro culpa, ut opinabatur Sophar. Dum verò dicitur, Multò minora, clementia Dei commendatur, qui posset acriùs punire.

Eiusdem patientia.

Zeli indiscreti mali effectus.

F

℣. 7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? ℣. 8. Excelsior cælo est, quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? ℣. 9. Longior terra mensura eius, & latior mari.

G

PARAPHRASIS.

Videris, ô Iob, nimis audacter Dei opera persecutari: An rationes divinæ providentiæ in creaturis exercitas, & (quod est maius) ipsum Deum perfectè capies? more humano dicam: est summa cæli convexitate sublimior, est inferorum ima cavitate profundior, est totius orbis terrarum procursu longior, est mari vastissimo latior: Quomodo ergo illum comprehendes?

H

PEriphrasi satis eleganti Sophar Deum incomprehensibilem esse demonstrat, quatuor usus dimensionibus, altitudine, profunditate, longitudine, latitudine rerum corporea-

Dei Incomprehensibilitas.

Scripta An. 1610.

porearum, ex quibus ad incorpoream Dei naturam argumentum conſtruit. Veſtigia Dei rationes divinæ providentiæ in rerum creatarum procuratione nuncupavit, in ipſis quippe creaturis Deus velut veſtigia impreſſa relinquit, ut ibi ſigna quædam divinæ mentis, rationes ſcilicet ordinatiſſimæ gubernationis deprehendi poſſint. Et quidem poſ-
A ſunt pro exiguo mortalium captu rationes eæ inveſtigari, & ex parte inveniri, comprehendi verò minimè. Ecquis enim rationes exhauriat, cur vel minimus lapillus ad hanc figuram, quantitatem, pondus, colorem, duritiem, & cum hac illavè proprietate creatus fuerit? Patet profectò nihil ſine divinæ mentis præſcriptione fieri: at in re quantulacunque tot inſunt rationes adeò mirabiles, ut à mortalibus pernoſci non valeant. Quapropter ex his Dei veſtigijs evincitur, minus multò poſſe Omnipotentem uſque ad perfectum reperiri, hoc eſt, exactè cognoſci. Por-
Sophar fallacia. rò vera profert Sophar, verùm importuna: excurſu enim ſatis longo, & ornato Dei potentiam, ac ſapientiam Iobus extulit, orationemque mirificè amplificavit, ac ſe Deo
B imparem profeſſus eſt. Iam verò quid Sophar de immenſitate Dei crediderit, an Deum extra cœlorum globos, per inanitatem illam infinito quodam proiectu imaginario conceptam exiſtere ſenſerit, non multum refert inquirere, neque facilè poſſit decidi. Fortaſſe nihil de re hac inter Theologos controverſa cogitavit.

℣. 10. Si ſubverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?

PARAPHRASIS.

C *Ea eſt Dei potentia, ut ſi velit omnia errata delere, vel in unum chaos permiſcere, nemo poſſit ei obloqui.*

HOc infert Sophar ex ijs, quæ duobus proximis verſibus deprompſit. Res perſpicua eſt, quæ ad Dei omnipotentiam refertur; ex qua ſtruit Sophar argumentum in Iobum; quaſi non debuerit audacter (ut ipſe quidem cenſuit) loqui.

℣. 11. Ipſe enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne conſiderat?

PARAPHRASIS.

D *Etſi Deus, prout libet, omnia evertere poſſit, in cauſa tamen hominum non pro potentia, ſed pro iuſtitia, & id quidem leniter agit. Ipſe quippe perſpectam habet mortalium vanitatem, figmentumvè fragile, ac mendax: & contemplans hominis pravitatem, conſideratè pœnam infert.*

MEns Sophar eſt, poſſe Deum omnia demoliri, ut ei libuerit; at cum homine ſceleſto clementer agere, irrogareque pœnam culpæ gravitate mitiorem, ut immeritò Iobus conqueratur, ſe acerbè puniri.

℣. 12. Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat. E

PARAPHRASIS.

Homo ſtultus (qualem te cerno) effert ſe animo, & iugum detrectat, ſeque more ſolitarij aſelli ita natum putat, ut nunquam onerandus ſit.

SImilitudo hæc hominis vani, vecordis, inſani, qui ſuperbit, & vitæ commodis abutitur more iunioris aſelli ſylveſtris per campos licenter excurrentis, cui ſors hæc libertatis, & cuiusdam à iugo immunitatis nativa eſt, eleganter quadrat in plurimos alios divinæ legis iugum excutientes, ac ſi ad laborem nati non eſſent: at in Iobum minimè convenit, quem his ipſis verbis Sophar ſuggillat. Nota eſt huius animalculi libertas, de qua ſermo redibit. Non gravatur oneribus, non ſubeſt ſtabularij diſciplinæ, non religatur præſepio, ſed pabulum, potumque à natura comparatum liber, & expeditus exquirit. At homo, qui non intellexit, & ſtolidus effectus eſt, non tam evaſit ſimilis onagro, quàm iumento, quod gravia pondera geſtat. Sylveſtris aſelli comparatio. F

℣. 13. Tu autem firmaſti cor tuum, & expandiſti ad eum manus tuas. G

PARAPHRASIS.

Tu certè, ô Iob, obduraſti animum tuum, & corde non mollito, expanſis duntaxat manibus, oraſti, onus ſupplicij oratione ficta deprecaturus.

ANimadverterat Sophar, Iobum inter dicendum varias formas induere, nunc conquerentis, nunc ſupplicantis: & opinatus Iobum erronea ſententia deceptum adversùs divinam providentiam obduruiſſe, carpit ipſum, quòd nequiter orarit externo geſtu, interno depravatus affectu, quem Deus ab orantibus primùm requirit. Affectus quippe pius orationis medulla, & velut anima eſt, quem Deus cordium ſcrutator potiſſimùm intuetur, ſicut reſpexit priùs ad Abel, & continuò ad munera eius, non curaturus munera magis, quam ſacrificium Cain, niſi animum Abel mitem, piumque vidiſſet. Verbum Firmaſti, perinde valet ac obduraſti, obfirmaſti. Et quidem omnino verum eſt ex-
H Pius affectus orationis medulla. Gen. 4. 4. Exemplum.

ternos

Scripta ternos orandi ritus, gestusvè, dum animus
An. 1610. impietate duratur, & glaciatur, apud Deum frigere, ac infœcundos esse: at Sophar longè à vero aberravit, cum Iobus animum semper mitem gessisset, & cor primùm sacrificasset.

A ℣. 14. Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia. ℣. 15. Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.

PARAPHRASIS.

Si culpæ maculam, quæ velut hæret manibus tuis, elueris, & iniustitia non demoretur in animo, domoque tua; poteris faciem in signum spei hilariter attollere, cœlumque intueri: Erisque constans, & intrepidus.

B Modus orandi. PRæscribit Sophar orandi modum, manus tergere, ne quid mali orator operetur, iniustitiam è domicilio, animoque ablegare, quod ad affectum corrigendum attinet. Tunc ait fore, ut Iobus, qui demisso capite ex conscientiæ remorsu languebat, habitu læto erigatur, cælumque Dei subsellium fidentiùs suspiciat, bonoque affectu, & gestu oret. Cuius certè orationis effectus est constantia, & timoris depulsio: quod & ad animi reformationem, & ad secundam fortunam stabilem, & direptioni minimè obnoxiam, & opinione Sopharis Iobi precibus puris responsuram referendum. Pro verbis illis, Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, LXX. Interpretes reddunt: *LXX. Interpp.* C Fulgebit facies tua, tanquam aqua pura: quod ad bonum, nitidum, & lucentem habitum orantis non internè modò, se etiam externè pertinet: fit quippe species vultus Exemplum. orantis altera, ut cùm Christus in vertice *Matth. c. 17.* Thaboris oravit, ac luculentissimè facies eius resplenduit, ut videatur quædam lucis divinæ in faciem orantis immissæ reflexio. Quod verò ad internam spectat faciem, apposita satis est aquæ puræ similitudo: nam dum orat animus, similitudinem quandam Dei, ipsum spectantis animum, concipit, qualis à tranquilla, puraque aqua reddi solet.

℣. 16. Miseriæ quoque oblivisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis.

D PARAPHRASIS.

Si demisso animo, purisque manibus sublatis, oraveris, redibit melior fortuna, quæ miseriæ huius, in qua iaces, altam oblivionem inducat. Quòd si quando calamitatis huius memineris, videbitur tibi simillima imbri rapido, cuius, paulò post, nullum extat vestigium.

MUlta pollicetur Sophar, ut Iobum ad sententiam flectat suam. Promittit miseriæ oblivionem, quæ genus quoddam expetitæ libertatis est: ærumna quippe est velut animi vinculum, ut adstrictus angustia nihil ferè aliud cogitare valeat: oblivioque ærumnæ erit proinde libertas ingenua, cuius spes afflictum meritò soletur. Aquas prætereuntes, vexationem vitæ huius appellat idonea similitudine: Sic enim homo mergitur, ut emergat, sic obruunt, ut elabi festinent. At calamitas damnatorum abyssus, è receptaculo, sive alveo nunquam erumpens est, quod viris pijs, bonisque pœnarum æstimatoribus timorem incuntiat. Porrò in ser- Pœnitentiæ mone arcano, qui pœnitentia Deum placat, effectus. ad statum adeò prosperum consurgit, ut colluvies anteactæ vitæ, imber præceps, qui evanuit, animo iam persanato, valido- E que videatur. F

℣. 17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cùm te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.

PARAPHRASIS.

Si Deum, ut consulo, placaveris inclinata iam ætate tua, velut ad vesperum, apparebit tibi lux prosperitatis, ut meridiana: & tametsi iam te ut vita functum existimes, novo natali, velut aurora consurges.

SCeleratis sol occidit in meridie: iusto, G
ait Sophar, sol ad occasum festinans miro planè modo lucem meridianam refundit, quæ fœlicitatis, ac lætitiæ perelegans descriptio, & metaphorica expositio est. Illud verò, Cùm te consumptum putaveris, &c. pulcherrimam reparandæ fortunæ significationem exhibet. Iam se Iobus tabefactum, & penè mortuum censebat, polliceturque Sophar quandam velut resurrectionem persimilem ortui lucis, quando aurora, lucifervè matutinus orbi terrarum discussis tenebris læta nunciant, & formoso splendore ex aureo, purpureoque permixto excitatos mortales exhilarant. Profectò versus hic, quemadmodum & præcedens, ad ortum animi pœnitentia renascentis, & velut è senectute ad primævum ætatis florem, è caligine tartarea ad candidissimam divinæ lucis auroram revertentis congruentissimè transfertur, multisque modis amplificatur. H

℣. 18. Et habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies.

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

MIrificè amplificat orationem, ac pollicitationem Sophar: videturque ſubnotare tempus elapſæ proſperitatis, quando nulla cuſtodia, nulla ſedulitas profuit, quò minùs à prædonibus opulentia Iobi diriperetur. Et quidem, ubi Dei pax, & tutela pro excubitoribus ſunt, ſecurus dormit verus Dei cultor. Illa vox, Defoſſus, perinde eſt, ac intra locum tutum conſtitutus, quod & ad tempus vitæ, & ad religionem ſepulchri, quod à nemine violatum iri promittitur, pertinere poteſt. Ille verò dicendi modus, Habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, tantundem valet, ac propoſito (ut ſchola loquitur) obiecto ſpei, quod in Scriptura ſacra familiariſſimum eſt. Ratio ſubeſt ad hunc ſenſum adſtruendum: vehementer quippe in ſpem erigitur, qui Deum ſibi experientia prævia propitium contemplatur.

A

Religio ſepulchri perantiqua.

℣. 19. Requieſces, & non erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi.

B

PARAPHRASIS.

Nunc fatigatus decumbis, at propitiato Deo requies dulciſſima ſuccedet, ut nemo te iam proſperatum ullo metu interturbet. Quinetiam tibi ſupplicabunt ope tua indigentes plurimi.

NEſciens quid proferat Sophar, quaſi vaticinatur, quod in ſecunda proſperitate Iobi rei eventus comprobavit. Etenim omnes accurrerunt Iobo gratulaturi, munera cum honorificis acclamationibus oblaturi, quorum plurimos, veroſimile eſt, viſendum in ſterquilinio monſtrum horrentes proſtrato inſultaſſe, deſpexiſſe, aut contumelijs exagitaſſe. Qua ſanè in re Iobus Chriſti prætulit typum, in quem Crucifixum multi caput agitantes convicia intorquebant, è quibus nonnulli ut verum Deum poſteà ipſum coluerunt, & adoratione ſumma procumbentes venerati ſunt.

C

Iobus Imago Chriſti.

℣. 20. Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis: & ſpes illorum abominatio animæ.

D

PARAPHRASIS.

Si reſipiſcas, ô Iob, fælix eris: teque intuentes impij præ invidentia tabeſcent, neque patebit eis ullus ad Dei ultionem evadendam exitus: quod enim, uti ſolatium, quo mœſtitiam depellant, ipſi ſperant, nihil eis remedij ſed calamitatem potiùs execrabilem afferet.

CONtexuit multa Sophar, quæ ad piorum ſecundos eventus attinent, cœptumque ſermonem gravi pronunciato concludit. Eſt argumentum à contrario, ut ſi pij proſperentur, impij deficiant. Etſi verò aſſertum ſit univerſale, peculiari tamen ratione directum videtur ad impios illos, qui Iobi ærumnam contuentes afflicto inſultarunt, quorum oculi, quaſi vim gloriæ Iobi ferre non valentes deiectionem paſſuri dicuntur. Effugium quoque, ait Sophar, peribit, hoc eſt, non invenietur ab eis, quæ phraſis Scripturæ familiaris, qualis illa: Perijt fuga à me, hoc eſt, non potui effugere, non patuit via, qua elaberer. Dum verò Sophar ait, impios non evaſuros, ſubnotare videtur, adverſos eventus incurſuros, quos declinare minimè valeant, ut ſcilicet in ærumnam incidant, quæ impietati reſpondeat, quemadmodum pietati Iobi proſperitas credebatur reſponſura. Pro verbis illis, Spes illorum abominatio animæ, LXX. Interpretes habent: Spes eorum perditio, hoc eſt, quod de ipſis impijs ſperari poteſt, animæ perditio eſt: atque in hunc modum caput hoc antitheſi pulchra concluditur.

E

Exemplum *Pſal. 141.*

LXX. Interpp.

F

CAPUT XII.

℣. 1. Reſpondens autem Iob dixit: ℣. 2. Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia? ℣. 3. Et mihi eſt cor, ſicut eſt vobis, nec inferior veſtri ſum: quis enim hæc, quæ noſtis, ignorat?

G

PARAPHRASIS.

Reſpondit Iobus: Nimiùm vobis tribuitis, ac ſi vos duntaxat rationis uſu præditi ſitis, quorum morte ſapientia occubitura ſit. At ego intellectu, ac ſapientia non minus valeo, quàm vos. Ecquis enim hæc neſciat, quæ tanquam cæteris incognita protuliſtis?

PLERAQUE prompſerunt, & ſtylo grandi amplificarunt tres amici, quibus obrepſit gloriola quædam vana de Theologica doctrina, velut de re ſibi peculiari. Quocirca Iobus eos errati admonet, docetque (quod ad ſententiam ſuam tuendam oportuit) non eſſe certè gloriandum ob ea aſſerta, quæ vulgo nota ſint: ſeque non deſpiciendum, ac ſi intellectus acie, ſapientiaque inferior ſit, cùm Dei munere, ingenio polleat, & acri ad res discernendas iudicio. Pergit quoque de Deo mira proloqui, & ſuam interim innocentiam tueri, ut in ſententia perſiſtat. Vox, Homines, in bonum

H

acci-

Scripta An. 1610.

accipitur, pro viris insignibus, atque intellectu pollentibus, qui ratione excellentiùs utantur. Pro verbis illis, & vobiscum morietur sapientia, Aquila vertit, τελειώματα σοφίας, perfectiones sapientiæ: quod significantius est. Quod verò ait, Et mihi est cor, ad intellectum pertinet sapientia ornatum, quæ phrasis Scripturæ familiaris est, qualis illa de Salomone, 3. Reg. 3. Dedi tibi cor sapiens & intelligens. Ex hoc textu liquet, viros planè sanctissimos de se interdum res laude dignas enunciare, non eas modò, quæ virtutum cultura, studiove parantur, verùm & quæ inter naturales dotes recensentur, qualis est ingenij perspicacitas. At hæc laus multis ex capitibus in Iobo honestatur, neque passim ad alios derivanda.

Aquila.

A

Exemplum.

Sancti de seipsis laude digna quandoque euunciarunt.

℣. 4. Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim

B

iusti simplicitas.

PARAPHRASIS.

Ego à vobis derideor: deberetisque animadvertere, eos qui ab amicis irridentur, Deum mox implorare, à quo exaudiuntur, & tanquam derelicti propugnantur: ideò sanè quòd illuditur synceritati iustorum, quæ Deo cordi est.

Iobi humilitas, absque dissimulatione.

INcrepationes, & externos contemptus indices inter, disputandum Iobus observavit; visumque est homini sapienti, tres concertatores nimiùm sibi indulsisse, & tanquam ignarum docere tentasse, quod est grave ludibrij genus in virum nobilissimum atque iustissimum, qui spontaneis magistris facilè sapientia antecelluit. Observavit certè hoc, neque dissimulandum censuit, ne ad reliquam disputationem illi insolentiores evaderent, & veritatem grandibus animis obscurare pertenderent. Ratio, qua eos ab hoc ausu removet, hæc est: Qui ab ijs, qui eum comiter, ac liberaliter habere deberent, spernitur, puta ab amicis, socijs, æqualibus, protinus ad Deum confugit, qui est desertorum hominum asylum: Dei verò mos est derelictos supplicantes exaudire, atque propugnare: non enim fert, ut derideatur iustorum synceritas, vitævè simplicitas, quasi fatua, cum Dei sapientia sit plena. Simplicitas hoc loco vitæ, integritas verax, nullo dolo, hypocrisi, artificiovè fucata: cui familiare est, multa, quæ à politicis hominibus ingeniosè curantur, minimè exquirere, & affectationem omnem procul arcere. Et hæc profectò simplicitas rarum integritatis argumentum in Iobo ipso prædicatur: cui ob id fortasse insultatum est, quod maiestatem, & sapientiæ ostentationem neutiquam affectaret, quo certè morbo, verosimile est, tres illos viros laborasse.

Deus derelictos supplicantes exaudit.

C

D

Simplicitas peculiare integritatis argumentum in Iobo.

℣. 5. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.

PARAPHRASIS.

E

Iustus derelictus planè similis est faci neglectæ, & viris opulentis & superbis: at fax hæc servatur ad tempus divino consilio designatum, ut quæ extincta vilebatur, luculentissimè splendeat.

LAmpas hoc loco idem est ac fax, lucerna, tæda. Hæc videlicet omnia, quando reijciuntur, eleganter dicuntur contemni. Fax videlicet tunc æstimatur, cùm accensa, & in sublimi loco constituta prælucet: tunc despicitur, cùm extincta in angulo telis aranearum prætexto iacet; at inde ad suum velut decorem, honoremvè revocatur, cùm iterum accenditur. Hæc Iobi mens. Conqueritur quippe, se opinione trium divitum despicabilem quandam facem, abiectam, squallentem esse, at sperat parari se nunc exercitio dolorum, & laborum, ut statuto tempore clariùs eluceścat. Et quidem tempus hoc præstitutum in Iobo duplex fuit, & illud secundæ prosperitatis, in quo multò quàm anteà splendidiùs claruit, & novissima dies, ubi beatissima & sempiterna Dei luce fulgebit: quod ad iustos omnes nunc despectos derivari potest.

F

Prosperitati status Iobi, trifariam dividitur.

℣. 6. Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manus eorum.

PARAPHRASIS.

G

Non est, cur inops ego contemnar: nam latronum domus opibus affluunt, neque illos propterea honore dignos censemus, cùm Deum blasphemijs lacessant, à quo eis præda illa permissa est.

SUbindicaverat Iobus, amicos illos suos ex eo esse hominum genere, qui cùm divites essent, ipsum tunc inopem aspernarentur: modoque probat inopiam non efficere viros iustos neglectu dignos, quemadmodum è contrario opulentia homines scelestos neutiquam honore dignos reddit. Huc accersit exemplum prædonum, quos nemo non despicabiles ducit, qui domos suas, aut tentoria spolijs implent, & in Deum prædæ permissorem procaciter insolescunt. Illa verò verba, Audacter provocant Deum sinbintellectam claudunt ultionem Dei prædonibus inferendam, quasi Iobus sic enunciaret: Ego nunc inopia premor, neque careo spe boni exitus præstituto tempore successuri: è contrario grassatores multi nunc divitijs abundant, & timore divinæ indigna-

Iobi argumentatio.

H

Scripta An. 1610.

gnationis concutiuntur. Quid ergo mihi obsit penuria? aut quid illis prosit opulentia? Inopia ergo, & opes iustis, & reprobis communes sunt: viros ergo ex propria hominis dignitate, hoc est, ex virtute censete.

Inopia, & opes iustis, & reprobis communes sunt.

℣. 7. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: ℣. 8. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. ℣. 9. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?

A

PARAPHRASIS.

Profectò non deberet mihi obtrudi velut ignaro doctrina adeò vulgata, ut si quis vestrum roget animantia reptilia, volatilia, natatilia, terramque ipsam, ab ijs omnibus quasi responsum accipiat. Quem enim latet Deum omnium istorum conditorem esse, ac proinde ab ijs omnibus naturæ ipsius lingua prædicari.

B

HIs verbis incipit Iobus ostendere, quæ digerenda suscepit, ne ipsius amici soli sibi sapere viderentur. Incipit verò acriter, & non eis gloriandum evincit, cùm res planè omnibus pervias licèt fastu grandi deprompserint. Interroga, inquit, iumenta. Hoc vel ad Sopharem, qui ultimus dixerat, vel synecdochicè ad tres ipsos direxit unius sententiæ assertores, egregiè ad obiurgandum conspirantes. Nimirum interroga iumenta, hoc est, considera animantia, expende, contemplare, ac in eundem modum cætera, sic enim interrogantur res rationis exortes, & respondebunt, per prosopopœiam, qua rei inanimatæ, vel animatæ, sed experti rationis, tribuitur sermo. Etenim sermo hic, multiplex divinæ sapientiæ ratio in ijs creaturis velut inscripta, & à bono inspectore deprehensa, est. Profectò hæc interrogandi ratio ad arcana responsa elicienda, à viris contemplationi deditis, insigni cum emolumento, creberrimè exercetur.

C

Creata omnia eo quo possunt modo creatorem agnoscunt, & confitentur.

℣. 10. In cuius manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis.

PARAPHRASIS.

Exploratum est, à Dei potentia pendere non modò animas cæterorum animalium, verùm & rationulem animam, quæ hominis propria est.

D

Animæ rationalis, & irrationalis discrimen.

REctè alteram ab altera anima discrevit, cùm immortalis hominis anima Dei sapientiam, & potentiam excelsiùs ostentet, quàm universæ animalium aliorum animæ. Spiritus appellatur ad indicandam hoc nomine nobilitatem, quæ homines spirituales ab ijs, quos Apostolus animales dixit, longè discernit. Anima quippe hominis, quæ corpus vegetat, anima solùm, qua virtutis decorum, & divinas præsertim rationes intellectu concipit, voluntate diligit, spiritus nuncupatur. Pondus habet ille dicendi modus: Spiritus universæ carnis, quo ars mira copulandi, & connectendi spiritualem animam cum carnis concretione notatur.

E

℣. 11. Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem? ℣. 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. ℣. 13. Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, ipse habet consilium, & intelligentiam.

F

PARAPHRASIS.

Omnia perfectissimè novit Deus: Si enim auditus verba discernit, gustus saporem sensibili perceptione, Si senes intellectuali exercitio evadunt insigniter docti, atque prudentes; profectò exploratum erit, Deum absolutissima sapientia, vi divina, consilio, & perspicacitate præcellere.

G

Validissimum Iobi argumentum.

VIs rationis à Iobo contextæ invictissima est. Proximè dixerat in Dei manu omnem animam esse: ex quo suaviter ducitur argumentum ad asserendam Dei sapientiam. Si enim ipsemet Deus sensibus hominis, à quibus petitur cogitationis origo, contulit virtutem ad obiecta sua discernenda; si post eam rudem sensuum cognitionem, homines ætate provectos, per intellectus exercitium, multiplicemque rerum observationem, ad insignem sapientiam speculando, & eximiam prudentiam agendo promovit, porrò asserendum est, largitorem sensitivæ, ac intellectualis, speculatricis, ac practicæ notitiæ, ea perfectione minimè carere: quin potiùs asseverandum sublimissima sapientia, fortitudine, consilio, intelligentia præstare: Sapientia, ut omnia pernoscat; fortitudine, ut vi fortissima quæ prænovit, efficere valeat; consilio, ut miris, ac prudentissimis modis omnia flectat, quò velit; intelligentia, sive intellectuali visu perspicacissimo, ut omnia creata circumspiciat, & penetret, neque extra providentiæ suæ metas aberrare permittat. Posset breviùs, & fortasse efficaciùs argumentum ita construi: sensus percipiunt, atque discernunt sonos, sapores, colores, &c. intellectus præsertim senum sapientia, & prudentia pollet: multò ergo

H

perfectiùs Deus æternus omnia explorata habet, qui totius creatæ cognitionis auctor est. Gustatus, & auditus pro cæteris sensibus ponuntur. Iam verò non est, cur sapientiam, consilium, intelligentiam Dei, dialectico more premamus, sed ut per eorum nominum significatum purissimam, & infinitam Dei notitiam, qua præpollet, intelligamus, atque admiremur. Septuaginta Interpretes sic habent: Apud eum sapientia, & virtus; ipsi est consilium, & intellectus: ubi virtus pro fortitudine, intellectus pro intelligentia, eodem sensu, quem explanavimus.

LXX. Interpp.

A

℣. 14. Si destruxerit, nemo est, qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat.

PARAPHRASIS.

Deus potentissimus est: si moles firmas everterit, nemo valet ipso invito eas instaurare: Si hominem quemque fortissimum carcere, morbo, calamitate obvallarit, nemo extra ipsius placitum clausum eripiet.

B

Dei potentia,

ASsertio hæc ad potentiam Dei extollendam destinatur. Est autem verissima, sive de arcium, murorum, pyramidum destructione, ac reparatione, sive de ferocium reorum, aut fortissimorum militum detrusione in carcerem, ac liberatione sermo fiat; sive ad res arcanas traducatur oratio. Nemo enim corriget, quem Deus despexerit: nemo ab interna vexatione, aut desolatione recreabit, quem Deus comprimere, ac repellere decreverit.

℣. 15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subvertent terram,

C

PARAPHRASIS.

Si aquas terram interlabentes, pluviasque prohibeat, omnia terrestria interarescent: si cum impetu ferri sinat, terram obruent, atque delebunt.

HOc potentiæ divinæ argumentum planissimè, & creberrimè patet, nam & tremendis alluvionibus, & lethali ariditate impios Deus plectit. Nunc cælo sudo nunc pluvio fontes punit, quemadmodum ætas quoque nostra perspexit. Iam verò Deo sic ulciscente, nemo est, qui ordinem suppliciorum possit invertere, nedum avertere.

Ineluctabilis Dei virtus.

D

℣. 16. Apud ipsum est fortitudo, & sapientia: ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur.

PARAPHRASIS.

Deus profectò robustissimus, & sapientissimus est in rerum humanarum gubernatione: Ipse contemplatur seductorem, ut puniat, seductum, ut misereatur,

POtentiam, & sapientiam Dei, quam ex naturæ operibus commendaverat, pergit ex morum gubernatione, perfectissimaque providentia laudare. Ipse conspicatur motus primos in animo impostorum excitatos, dolos, conatus, impetus; simplicium verò ignorantiam, inertiam, imbecillitatem: & utrisque mercedem rependit.

Dei providentia.

E

℣. 17. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem,

PARAPHRASIS.

Peritos homines, qui alijs consulunt, in rerum exitus inopinatos velut amentes inducit: Iudices acres, & solertes, ut stupidos homines obturbat,

F

PErmultos sanè consiliarios Deus severo iudicio in stultissimum finem devenire sinit, homines videlicet insolentes, nimiùm sibi fidentes, & vana prudentiæ opinione turgidos: cuiusmodi fuit Achitophel, quem uti numen quoddam populus consulebat, qui, cùm erubesceret consilium quoddam suum Absaloni, & proceribus displicuisse, conspectum hominum ferre non valens spontaneo suspendio interijt. Iudices quoque plerosque parum pios in stuporem agit, similes videlicet Iudicibus Babylonicis, quos, cùm potestate ad obscœnitatem abuterentur, in causa Susannæ, per puellum Danielem, spectante populo, ac mirante, attonitos iudicio miro, stupentesque convincit, & horrendo interitu sustulit.

Superborum punitio.

2. *Reg.* 16.

Daniel. 13.

G

℣. 18. Baltheum regum dissolvit, & præcingit sune renes eorum.

PARAPHRASIS.

Ex hoc eminet Dei potentia, quòd regum, quibus nihil in orbe potentius, cingulum, insigne tantæ dignitatis ornamentum, aufert, & captivos sune infami vel in carcere nectit, vel ante victorum currus præcinctos agit,

H

BAltheus hîc, vel cingulum ex corio bullatum, ex quo penderet ensis, vel pretiosus alius cinctus regia sublimitate dignus est. Iam verò & sacris Regum, & vulgatissimis alijs constat historijs, reges plurimos vel in castris, vel in ipsis urbibus regijs captos, & abductos, ad miserrimamque conditionem deturbatos, vinculis tandem

Quid baltheus?

Scritta An. 1610. dem infamibus nexos mœstissimo exitu anteactam gloriam extinxisse. Hoc autem Deo ultori scelerum Iobus tribuit, ipsique Deo actiones illas dissolvendi, præcingendique ascribit, ut Deum potentissimum esse confirmet. Antithesis. Expendenda antithesis illa balthei, & funis, & quò tandem præcipitet mortalium pompa, quæ homines parùm pios, timoratosque dementat.

A

℣. 19. Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates supplantat.

PARAPHRASIS.

Non reges modò, verùm & sacerdotes indignos, infamia notatos Deus loco pellit, & excellentes quosque deturbat.

LXX. Interpp. SEptuaginta Interpretes sic habent: Qui emittit Sacerdotes captivos, Dynastas autem terræ evertit: quibus certè verbis Vulgatus exponitur. Porrò summus Hebræorum Sacerdos cùm Sedechia rege in captivitatem abductus fuit, in qua regem, sacerdotem, optimates seu proceres inglorios esse oportuit. Illud, Optimates supplantat, idem est, ac primores, patritios, proceres prosternit, deturbat, decutit. Nihil excelsum, aut firmum in orbe, quod divinæ potentiæ reluctari queat.

B

℣. 20. Commutans labia veracium, & doctrinam senum auferens.

PARAPHRASIS.

Homines vera docentes, puta Academicos, scholarum magistros ita perturbat, ut vera proferre nesciant: Senibusque prudentia insignibus consilij vim adimit, utrorumque peccatis id exigentibus.

C

1. Corint. 8. 1. SAtis crebrò scientiam comitatur elatio, sicut scriptum est: Scientia inflat. Dei autem iudicio facilè æquissimo turgentibus scientia hominibus, aufertur loquendi, sensaque propriè exprimendi facultas, aut certè facilitas, ut vel nequeant, vel difficulter possint verba idonea invenire, quibus, quæ cogitarant, pro voto significent. Quin etiam falsa pro veris efferre permittuntur, quæ labiorum commutatio est. Hominibus autem ætate provectis prudentiæ fama tumentibus, altiore consilio, obtenebratur intellectus, ut hallucinentur, modosque gerendarum rerum excogitare nequeant: quod in cœtibus policitis ubi pietatis ratio non habetur, passim cernitur. Ibi quippe & labia, & mentes commutantur, & vertigine quadam animorum, qui sapientissimi, ac eloquentissimi videntur, neque res discernere, neque aptè verba, quibus optata persuadeant, contexere valent.

Superborum sapientum pœna.

D

℣. 21. Effundit despectionem super principes, eos qui oppressi fuerant, relevans.

PARAPHRASIS.

Ludibrio exponit, obruitque contemptu superbos principes, quos è sublimitate deturbat, & quos ij violentes oppresserant, in libertatem asserit.

E

HOc certè assertum tam notum, quàm verum est. Modus autem ille dicendi, Effundit despectionem, vim habet insignem, casumque calamitosum proculdubio notat: subestque ratio: Nam quos Deus in sublimem statum evexit, ut honore amplissimo colerentur, æquum est, si honore delato abutantur, extrema infamia deturpentur.

℣. 22. Qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.

F

PARAPHRASIS.

Nihil Deum latere potest, qui res profundè abstrusas detegit, & quæ obscuritate terrima celantur, in meridianam lucem profert.

Perversorum arcanorum manifestatio.

VErsus hic referri potest ad consilia hominum latenter inita, qualia machinatores ingentium malorum nocturnis conciliabulis excogitare solent, quæ Deus consilio suo detecta, seu revelata disjicit. Sic planè quædam hæresum primordia sæculo nostro nocturnis conventibus serpentia discussit. Exemplum. Potest quoque versus hic ad cœlestes revelationes pertinere per verba illa: Qui revelat profunda de tenebris, hoc est, qui recondita, & quasi tenebris densis obducta mortalibus ostentat, quæ sunt occulta sapientiæ, qualia divinus Psaltes sibi manifesta cecinit. Verba verò illa, Producit in lucem umbram mortis, ad notitiam pertinent rerum in tartaro, alijsque subterraneis sinibus latentium, ubi horror, & umbra, hoc est, similitudo mortis omnia obnubit. Omnia quippe quantumvis tenebrosa in lucem Deus producit, quando universa illa suæ lucis congnitione perlustrat, ut non magis ei celentur, quàm si cunctorum mortalium oculis paterent.

G

Psal. 50. 7.

H

℣. Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subversas in integrum restituit.

PARAPHRASIS.

Mira propagatione numerosissimas gentes auget; & ubi placet, extinguit, moxque populos redintegrat.

Scripta An. 1610.

PAtet sanè hoc ex propagatione ante diluvium, quo genus humanum exceptis pauciſſimis hominibus, deletum, poſtmodumque divina providentia inſtauratum eſt. Regna verò alia priùs florentiſſima bellis conſumpta deſeruntur, poſteaque Dei
A conſilio nova prole reparantur.

℣. 24. Qui immutat cor principum populi terræ, decipit eos ut fruſtra incedant per invium. ℣. 25. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quaſi ebrios.

PARAPHRASIS.

Voluntatem principum Deus flectit, quò libet, & ſinit eos ſeduci, ut lumine iuſtè ſubtracto incaſſum, velut per loca devia, tendant, non obtenturi, quod conantur. Obtenebrato per ignorantiam intellectu, quaſi cæci obvia contrectantes incedunt: quos affectibus perturbatis tanquam temulentos Deus vacillare permittit.
B

Cor regum in manu Dei.

OMnino compertum eſt, cor regium à Deo verti, quocumque velit. Movet quippe ipſorum voluntatem corde ſignificatam, quò decrevit, ita ut arbitrij libertate minimè læſa, id proculdubio agant, quod à Deo proviſum eſt. In corde principium motus naturalis; in voluntate primordium motus moralis, ut rectè cor appelletur. Dicitur autem Deus decipere, errare facere, non certè quòd errorem, deceptionemvè inducat, ſed quòd lucem iuſtè ſubtrahat, cuius defectu impij homines ſpiritualem quandam eclipſim patientes à recto aberrant, & graviter ſeducuntur. Exiſtimant ſolliciti rerum grandium, & novarum opifices, ſe ſua potentia, aſtutia, ſolertia id aſſecuturos, quod moliuntur, videnturque ſibi rectà incedere: at Deus eos errare permittit per invia loca, prodigioſa quadam cæcitate laborantes, quæ viris ſapientibus timorem incutit. Profectò & hac ipſa tempeſtate conſtat, veriſſimum eſſe Iobi oraculum, quod altè perpendendum eſt.

Voluntas cor appellatur.

Quomodo Deus decipere dicatur?

C

D

CAPUT XIII.

℣. 1. Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi ſingula. ℣. 2. Secundùm ſcientiam veſtram & ego novi: nec inferior veſtri ſum.

PARAPHRASIS.

En, quæ recenſui divinæ potentiæ, ac ſapientiæ præconia, aure, viſu, intellectuque percepi: Ex quo liquet me ſcientiam veſtram æquaſſe, neque inferiùs ſubſtitiſſe.

E

POſtquam illuſtria divinæ ſapientiæ, ac potentiæ encomia Jobus extulit, ſubdit, quod tribus certatoribus dictum oportuit, ſe nihil ex iis, quæ ipſi prompſerant, ignoraſſe, ut jactantia retuſa æqua diſputationis lege ad refellendam eorum ſententiam, ſuamque aſſerendam hoc capite procedat. Reprehendit argumenta ſibi objecta ad præſentem cauſam importunè obtruſa, & cum Deo religiosè diſceptat.

℣. 3. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, & diſputare cum Deo cupio, ℣. 4. Priùs vos oſtendens fabricatores mendacii, & cultores perverſorum dogmatum.
F

PARAPHRASIS.

Cùm extra rem diſputetis, Deum appello, cum quo diſputare opto, poſtquàm vos mendaces, & perverſæ doctrinæ profeſſores convicero.

APtè quidem, ac lepidè Jobus, cujus caput moleſti, & erronei diſputatores obtuderant, fatetur malle ſe cum Deo diſceptare, qui cùm verax, & ſapiens ſit, nec vera negabit, neque ineptè verba conglobabit. Quod verò ait, diſputare cum Deo idem eſt, ac verum inquirere rationibus ultrò citroque acceptis, redditis; utpote cum veritatis auctore, & aſſertore, quem in aſtruenda vera ſententia demiſſo animo acturus non formidat. Sanus certè ſenſus: ſed neſcio quid parùm mite portendit loquendi modus, quod à claſſicis ſcriptoribus obſervatum eſt. Priùs tamen, quàm cum Deo agat, ait velle ſe fabricatores, hoc eſt, concinnatores, ſive compoſitores mendacii pervincere, mendacii videlicet quo aſſerebant, Jobum ipſum, ut & alios afflictos, ob anteacta ſcelera plecti: atque hoc eſt dogma perverſum, cujus cultores, profeſſoreſve ipſos appellat. Pro verbis illis, Fabricatores mendacii, LXX. reddunt, Vos eſtis, *ἰατροὶ*, medici injuſti: injuſtè nimirum medebantur ægroto, qui ad ejus curationem falſa dogmata, quaſi medicamenta noxia obtrudebant.

G

Quid cùm Deo diſputare?

H

LXX. Interp.

℣. 5. Atque utinam taceretis, ut putaremini eſſe ſapientes.

PARAPHRASIS.

Inconditè loquimini, foretque è re veſtra ſilere, ut viri ſapientes videremini.

Præ-

Scripta An. 1610.

Silentii utilitas.

PRæstat sanè conticescere, quàm ineptè loqui: constatque viros nonnullos non usque adeo sapientes uno silentii cultu sapientiæ famam peperisse, quasi mundus opinetur, os commissum sapientiæ reconditæ, ac in tempus opportunum asservatæ claustrum esse. Sic Areopagitæ verbis parcissimè usi, atque in silentii proverbium versi sunt. Sapientes verò Christiani altiore consilio tacent, non ut videantur sapientes, sed ut sint.

A

℣. 6. Audite ergo correptionem meam, & judicium labiorum meorum attendite.

PARAPHRASIS.

Qui me graviter objurgatis, admonitionem meam, & causæ meæ defensionem, precor, attentiùs audite.

Qui corripit alios se corripi sinat.

DEcet profectò, qui alium carpit, sese mutuæ correptioni, aut instructioni obnoxium credat: qua certè in re solet à viris gravibus enormiter errari. Arrogant sibi redarguendi auctoritatem, neque admoneri ferunt: est autem viri sapientis, corripientem leniter audire. Correptio hoc loco, pro objurgatione errantium, aut pro confutatione erroris accipi potest: judicium verò labiorum, pro oratione justa, vera, veræ sententiæ assertrice, falsæ expultrice.

B

℣. 7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? ℣. 8. Numquid faciem ejus accipitis, & pro Deo judicare nitimini? ℣. 9. aut placebit ei, quem celari nihil potest? aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis?

C

PARAPHRASIS.

An Deus aliquis clientulus est, agens falsis, & dolosis assertionibus, quibus ei patrocinemini? An è contrario illum in judicio quasi potentem reveremini, ut pro eo pronuncietis? An existimatis falsi dogmatis defensionem placituram ei, cui nihil celari potest? aut ipsum velut ignarum vestris fraudibus seducendum?

D

ACriter urget suos concertatores Jobus, veritatis fiducia erectus. Ad cujus intellectum annotandum, tres viros illos vehementer egisse, existimantes pro justitia Dei se depugnare, quibus ea de causa non usque adeò succensendum videri posset. Zelus quippe exarsit, & benè fretos, nihilque se mali committere ratos, in excandescentiam perpulit: at ubi ad veritatem perquirendam omnis disputationis conatus incubuit, Jobo visum est, oportere errantes interdum vellicare, ne licentiùs quàm par esset, auderent. Constat nimirum in scholarum certaminibus eos, quos modestia non permulcet, sive per ignorantiam, sive per proterviam altercantes, acri sæpe sermone compesci. Est autem perelegans corripiendi modus, quo Jobus eis, nunc ut patronis, nunc ut judicibus, ad quorum tribunal causa ipsius cum Deo expostulantis delata fuisset, notam inurit. Notum videlicet, ac tritum est, patronos parùm pios clientes nefariè, ac mendaciter tueri, sive propriæ existimationis, sive injusti lucri illecebra captos: judices item iniquos, ubi cum potentiore inops litigat, jure violato, potentiori favere. Notam primam indicavit verbis illis, Ut pro illo loquamini dolos: secundam his, Faciem ejus accipitis, quæ phrasis familiarissima est, pro vitio quod Acceptio personarum appellatur. Ergo idem agit Jobus, ac si diceret: Absistite à sententia erronea, quam de divina providentia in mea vexatione concepistis, & falsis assertionibus tueri persistitis, quasi ego apud vos Deo litem intendam, vosque vel patroni falsò Deum defendentes, vel judices injustè pro illo sententiam proferentes sitis. Etenim Deo hæc vestra censura placere nequit, qui neque quicquam ignorat, neque ab impostore ullo seduci valet.

Immodestè altercantes compescendi.

E

Patroni, & judices iniqui.

F

Deus nec fallere, nec falli potest.

℣. 10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.

PARAPHRASIS.

Prædico vobis fore, ut Deus ipse vos convincat errati, quia cùm palàm noveritis me piè vixisse, nunc intra conscientiam sic Deum ab injustitia vindicatis, ut me tanquam flagitiosum damnetis.

G

ARguet vos, inquit Jobus, hoc est, peraget reos, pervincet ipse, quem vos in judicio veneramini, quasi oporteret ad ipsius justitiam astruendam mihi falsa crimina affingere, quæ novit verax Deus me non perpetrasse.

℣. 11. Statim ut se commoverit, turbabit vos, & terror ejus irruet super vos. ℣. 12. Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ.

H

PARAPHRASIS.

Mox ac Deus sese ostentarit, majestate sua vos concutiet, ac exterrebit. Nomina vestra ex memoria hominum excident, ut cinis vento diffiatus, & corpora vestra, quorum colla erigitis, in pulverem resolventur.

Mens

Scripta An. 1610.

MEus Jobi est, repensurum Deum tribus amicis, qualia ipsi Jobo inferre tentarunt, perturbationem scilicet, ac terrorem: debere propterea ipsos divinæ ultionis memores mitescere, ac temperanter cum homine afflicto colloqui; esse videlicet homines aliis similes, eorum memoriam delendam, & corpora in terram redigenda. Videtur hoc loco Jobus præsagire, quæ postmodum contigere, quando, sub finem certaminis hujus, Deus apparuit, & disputatores iratus conterruit. At licet in has angustias sensum minimè coarctemus, omnino verum est illud: Statim ut se commoverit, turbabit vos, &c. quod Jobus de commotione illa, qua Deus modò velut sedens, aut quiescens, in cujusque hominis morte, se loco movere eleganter dicitur, efferre potuit. Sinit Deus hominem pro libito agere, dum vivit, & lacessitus peccatis minimè commoveri videtur, pœnitentiæ tempus indulgens, & patienter sustinens: at in peccatoris interitu exardescere dicitur ira, quæ ad commotionem significandam appositissima est. Tunc hominis infœlicis perturbatio, & terror, quo anima opprimitur. Quod verò ad corpus spectat, nihil nisi cinis, & pulvis è fastu evanescente relinquitur. Et quidem hæc Jobi prædictio amicis calamitosè obtigisset, nisi sententiam, cujus excusationem idoneam post Jobi admonitionem obtendere nequibant, denique mutassent: at Deus propitius prece Jobi correxit errantes.

A Jobi vaticinium.

B Peccatoris terror in morte.

℣. 13. Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit.

PARAPHRASIS.

Ne mihi obloquamini, sed sinite afflictum expromere, quæ in mentem venerint.

C

VErba hæc propria esse videntur animi dolore saucii, sermonis conceptu prægravati, seseque sine interruptione exonerare cupientis. Affectus graviter mœrentium est, cui sermo permittendus, ne pejùs exacerbetur. Silete, inquit, quod per præoccupationem dolentibus familiarem, dictum videtur: non enim tunc alii, sed Jobus ipse verba faciebat, verebatur tamen, ne homines verbosi importunè ipsum interpellarent. Quod verò ait, quodcumque mihi mens suggesserit, perinde est, ac si diceret: Sinite exhalem dolorem acrem, ne mei curam geratis, an mens pia vel impia suggerat, ne salutis meæ sollicitudine angamini: ego de me ipso rationem Deo reddam, & quicquid peccavero, luam. Recte Jobus, nam intempestiva sunt consilia ægris animis obtrusa, & verba dolentium leniter accipienda, piaque interpretatione extenuanda sunt.

Doloris exacerbatio aliquando ferenda.

D

Consilia intempestiva.

℣. 14. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?

PARAPHRASIS.

Cur, existimatis, ego consumor, tabidoque corpori velut morsus infigo, & in vitæ discrimen adducor? non impatientia, vel desperatio, sed acerrimus dolor urget me.

E

ROgat Jobus, quid de ipso censeant tres illi viri in acerrimis doloribus, & miserrimo statu, in quo præ anxietate incredibili videbatur consumi, ac si carnem dentibus discerperet, in quo vita manifesto discrimini exposita videbatur, ad eum modum, quo res in manibus positæ direptionis periculo patent, quod significatur frequenti illa Scripturæ phrasi, Anima mea in manibus meis &c. Interrogat ergo Jobus: Quare consumor, quare tabesco, & in vitæ periculo versor? Non me impatientia, vel desperatio, sed incredibilis dolorum acerbitas ad insolitos actus impellit. Putarant videlicet amici furere ipsum impatientiæ, ac desperationis stimulo: quod ille nunc elidit, ut proximo versu liquebit, ubi constantiam, patientiam, spem in Deo firmissimam testatam relinquit. Hic verò annotandum verba illa, Lacero dentibus, & illa, Animam meam porto in manibus meis, hoc est, expono morti, penè mihi mortem conscisco, hyperbolicè accipienda; quamvis non defuerit, qui crediderit Jobum, immenso dolore, aliquid insolitum extorquente, corpori, puta manibus, aut brachiis dentes infixisse. Non sanè mirandum, vel severè censendum, si quando viri piissimi gravius quam dici possit afflicti aliquid minùs tranquillè agant.

Psalm. 118.

Aliquid viris afflictis parcendum?

℣. 15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: veruntamen vias meas in conspectu ejus arguam.

F

G

PARAPHRASIS.

Tantùm abest, ut præ desperatione quicquam attentem, ut omnino, in Deo spem firmissimam collocem, tametsi me ab illo interfici videam. At quidquid vexationis eveniat, ego actiones meas coram ipso castigabo, ne quid culpæ ob malorum acerbitatem committam.

EN, quo pacto Jobus non modò non despondet animum, sed spem altiùs, quàm unquam, in summa calamitate confirmat: decernitque actus futuros, quos vias appellat suas, quibus in patriam cælestem se iturum confidit, arguere, hoc est, castigare, defæcatos, purosque producere, quicquid Deus agere velit. Sive enim afflictum solari, sive anxietatem protendere malit, omnino constituit, se inculpatè victurum, quod animi fortissimi argumentum est. At quid speravit? Jam bona omnia temporalia Satan sustulerat, jam vita penè consumpta mors instabat: quid ergo supererat spei? Profectò vitam immortalem

H

Veræ constantiæ argumentum?

talem imprimis, mox & temporalem, si id quidem expediret, speravit. Utramque sanè clementissimus Deus erat collaturus, neque absonat, ut spes in eo discrimine laudatissima utramque complexa fuerit. Hæc certè spes pusillanimes instruit, fortes, ac magnanimos raro quidem exemplo confirmat.

Spei effectus.

A ℣. 16. Et ipse erit Salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.

PARAPHRASIS.

Dum mala patior, beneque agere decerno, spero equidem, salutem ab his malis à Deo afferendam mihi syncero cultori suo: secùs verò simulatoribus eventurum, qui coram Deo causam agere suam minimè valebunt.

Spei argumentum.

B E Firmissima spe, qua erigebatur in Deum Jobus, speratæ salutis firmum ducit argumentum: quale nequit struere qui simulatè Deum colit. Etenim hoc ipso concertatores suos Jobus vellicat, qui non usque adeò animi synceritate affecti videbantur: vel certè universali doctrina se syncerum à quibuslibet hypocritis discernit. Illud vero, Venire in conspectu Dei, confidentiam animi notat, qua carere necesse est, quos conscientia simulationis hypocrisisvè coarguit.

℣. 17. Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris.

PARAPHRASIS.

C *Attendite, precor, verba, quæ cum Deo disceptaturus proferam, & sententias vobis obscuras expendite.*

ADmonitio hæc id difficultatis præ se fert, quid sibi velint ænigmata hæc Jobi? sed profectò, quicquid de re ipsa ex genere dicendum sit, perspicuum est, verba Jobi à tribus amicis non fuisse proprio sensu percepta: timereque potuit, ne & dicenda parùm caperent, sed in eis velut in sententiis implexis, obscurisve, quæ ænigmata appellantur, hærerent.

℣. 18. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.

D PARAPHRASIS.

Vos me criminis accusatis; at si Deus me dijudicet, clarescet justitia, quam colui.

HIC sanè apertissimè se justum appellat, & opinionem concertantium manifestissimo telo petit. Idem quippe agit, dum se Dei judicio justum astruit, ac si disertè diceret, se non ob admissa crimina puniri, ac proinde minimè verum esse inflicta Dei flagella anteactæ culpæ argumentum præferre.

℣. 19. Quis est, qui judicetur mecum? veniat: quare tacens consumor? E

PARAPHRASIS.

Estne vestrum aliquis, qui a Deo, uti ego, judicari velit? accedat mecum ad tribunal. Ego quippe nolo silentio extabescere, ac si nihil pro asserenda veritate loqui valeam.

PRodit se satis luculenter tuta Jobi conscientia magnanimitatis, ac fortitudinis procreatrix. Nimirum non ex animi elatione, sed ex veritatis studio ad Dei judicium suos impugnatores provocat, optatque in Dei foro minimè gravari, quod dolentibus est familiare, ut de suis inferis judicibus Ethnicus F ille exul scripsit in hæc verba:

Fama parentales si vos mea contigit umbræ; Ovid. 4 Trist. 10.
Et sunt in stygio crimina nostra foro:
Scite precor causam (nec vos mihi fallere fas est)
Errorem jussæ, non scelus, esse fugæ.

Illud verò, Quare tacens consumor, duo indicat; alterum, subesse sibi argumenta, quæ pro sententia sua fidenter promat, & quæ animo supprimere non possit, ne veritas deseratur; alterum, se ita graviter affectum, ut necesse sit dolorem casto sermone, suique defensione lenire.

℣. 20. Duo tantùm ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar. ℣. 21. Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. G

PARAPHRASIS.

Congressurus tecum, summe Deus, duo cautè posco, quibus indultis disputationem non refugiam: unum, ne me tam acriter excrucies, sed, velut contracta manu ultrice, vexationem remittas: alterum, ne me majestatis tuæ timore coarctes.

POstquàm Jobus ad tribunal Dei provocavit, ut sedulus causæ actor, extemplò rem auspicaturus precatur Deum, dolorem, ac formidinem extenuet, cùm sit perspicuum, duos affectus illos, & discursum intellectus, & verborum prolationem intercipere. Et quidem tunc pollicetur se non formidaturum, fugavè se subducturum, quippe qui veritatis testimonio fretus apud veracissimum judicem dicturus sit. Annotandum hic sublimissimam Dei Majestatem visam fuisse Jobo H

Doloris timorisque effectus duo.

Scripta An. 1610. Divini judicii severitas.

Jobo intolerabilem, nisi sui timorem in animo afflicto temperaret, & sineret animum roboratum fidenter pro se dicere. Etsi enim conscientia fiduciam generet, noverat tamen idoneus divini tribunalis æstimator, ne puram quidem conscientiam tanti judicis vim sustinere posse, nisi novis viribus armatam, Deique ipsius exhibita priùs clementia fretam. Tunc, inquit, a facie tua non abscondar, tamquàm diceret: Etsi nihil mihi conscius sim, me tamen absconderem, latebras quærerem, nisi benevolentiæ tuæ ostensione ad proferendam coram te veritatem roborarer.

A

℣. 22. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certè loquar, & tu responde mihi.

PARAPHRASIS.

Implorata clementia, summe Deus, disputationem exordior, tibiqùe optionem interrogandi, aut respondendi, obiiciendi, aut objecta diluendi tribuo.

B

An Jobus in iis peccaverit?

GRavis controversia videtur nonnullis Interpretibus, an Jobus hac optione Deo data peccarit, cum animi audentis, & arrogantis indicia videantur. Et quidem tametsi hæc fiducia ex animi in Deum charitate, bonæque conscientiæ robore, vexationis magnitudine perpensa, proficisci potuerit, & ad asserendam veram de divina providentia sententiam pertinuerit, meritò scriptores graves hîc hærent; debuit quippe Jobus modestiùs agere, sanamque doctrinam humiliore loquendi modo depromere. At erratum leve fuit, dolore immenso extenuatum.

C

℣. 23. Quantas habeo iniquitates, & peccata? scelera mea, & delicta ostende mihi.

PARAPHRASIS.

Precor, æquissime Judex, crimina mea quot, & quam gravia sint, ostendas: cupio enim nosse, quam ob culpam cædar.

NON videtur usque adeò observandum, an Jobus data optione Deo expectarit, an confestim inciperet ille sciscitari: hominis enim summis doloribus anxii proprium fuit electionem Deo proponere, ac

D statim interrogationem subiicere. Etenim Jobi mens non fuit, optione data, appareret mox Deus, & certamen judiciale auspicaretur: sed eo loquendi modo se ad sustinendam utramvis in judicio partem comparatum esse, ut hanc animi fiduciam tres illi viri penderent, pro quorum mente mutanda decertabat. Ergo subdit: Quantas habeo iniquitates, &c. hoc est, Rei cujuslibet vel jam damnati proprium est, optare nosse, cur morti addicatur: atque in hunc modum aveo ego perspecta habere crimina, pro quibus immane supplicium fero. Hæc postulo mihi aperiri, qui nihil me criminis perpetrasse animadverti.

E

℣. 24. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?

PARAPHRASIS.

Rogatus taces, silentioque isto indicas, te nulla crimina in me deprehendisse: & tamen avertis faciem, quasi me oderis, & me severè tractas, velut hostem tuum.

F

COhæret optimè interrogatio hæc cum præcedente, qua postulavit sibi propalari delicta. Cùm enim conscientia suggereret, nihil damnatione dignum se admisisse, subtexuit: Si ergo nihil mihi obiicis, cur faciem gravis odii significatu abscondis, quasi me leniter intueri nolis? Quænam severitas est hæc, qua me tetricè accipis, ac si forem ego capitalis hostis tuus? Abscondere ergo faciem, aversionis, odii, tædii significatum habet. Non prætereundum, modum hunc cum Deo expostulandi suavissimum esse, & conscientiæ puræ congruentissimum, ut non immeritò à viris sanctitate conspicuis, sed immaniter afflictis usurpetur ad clementissimum Deum exorandum, leniendumque mœrorem, quo penè intereunt. Illud, Arbitraris me inimicum tuum, perinde est, ac videris existimare, dum me excrucias, me tibi invisum, & inimicum esse.

Quid sit faciem abscondere?

℣. 25. Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.

G

PARAPHRASIS.

Ergone, summe Deus, adversus me hominem imbecillem, folio ventis abrepto similem, brachii tui vim tela afflictionum jaculatus ostentas, & more paleæ arentem consumis?

APtissima similitudine utitur Jobus ad hominis inconstantiam, imbecillitatemque notandam. Non sat fuisset cum folio virente, & succum vitalem trahente se ipsum conferre, qui humore vitali ferme consumpto, aridum folium decerptum, atque projectum videbatur. Eadem stipulæ, ac folii arentis sententia est: at modus ille dicendi, Stipulam siccam persequeris, vim prodit insignem, quasi Jobus sic conqueratur: Quid est hoc, summe Deus? Qui fieri potest, ut in animum induxeris tuum generosissimum concertare; & tela contorquere in hominem fragilissimum, jamque sine ictibus aliis suamet fragilitate cadentem?

Similitudo a

H

simil-

Scripta An. 1610.

similimus evasi frondibus, & stipulis arentibus, quæ & vento, & igni expositæ sunt, ut non sit opus materiam illam vix consistere valentem discerpere, cùm ipsa sponte sua conflacceſcat, & interire festinet. Cur ergo, clementissime Deus, me folio, paleaque sicciorem, & jam expirantem, velut hostem tuum vulneribus confodis, & quasi persequeris? clementiam tuam appello.

A

℣. 26. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.

PARAPHRASIS.

Videris sanè mihi severus iudex, amaram, & indignationis plenam sententiam scribens, meque volens de medio tollere ob culpas in adolescentia commissas.

B

Iobi conquestio.

DOlentis propria, & profectò lepidissima conquestio est hæc, quæ sic diluciditur: Nescio quid dicam, clementissime Deus, dum te tam acerbas de me pœnas sumentem considero. Videris mihi agere more iudicum rigidorum, qui sententiam felle plenam conscribunt, sub formula, quam violare non liceat. Et cùm conscientiam ipse meam discutiens non subeant crimina, quibus hæc ultio inferenda sit, conijcio te nunc recensere aliquas adolescentiæ culpas, pro quibus me modò telis conficias. Videtur certè Iobus ætatem suam in duo tempora discreviſſe, in adolescentiam, sub qua videtur complexus pueritiam, & in adultiorem statum, neque animadvertisse se maiorem natu peccasse, sed solummodo in adolescentia culpas admisisse aliquas, quæ ferventis naturæ, necdum actiones suas benè librantis propriæ videntur: quas tamen in Iobo leves, seu veniales fuisse mihi persuadeo: neque enim cum iustitiæ laude, vitæque candore à Deo commendato lethalia peccata cohærent. Iam verò quæcumque culpæ illæ fuissent, porrò integerrimæ vitæ subsecutæ splendore, creberrimo sacrificio, prece, eleemosyna illas expunctas ponendum est: quocirca mirabile arcanum Iobo visum est, post tempus prolixum, quo Deum placare, & religiosissimè colere studuerat, inopinato iudicij genere repeti ab eo culpas, ut credebat, leves, & condonatas. Etenim si Iobi conscientia tacta fuisset stimulo peccatorum, quæ natu maior perpetrasset, neque siluisset tempus, neque tam insolitæ admirationis causa subesset. Vox illa, Amaritudines, perinde est, ac res amaras, sententiam acrem, felleam, indignationis plenam. Ille verò dicendi modus, Consumere me vis, multa pollet energia, quasi Deus instaret, urgeret, interimere properaret.

C

Iustitiæ cum peccato pugna.

Iudicum exemplum.

Admiratio ignorantiæ filia

D

℣. 27. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti ℣. 28. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.

E

PARAPHRASIS.

Ego certè, ut ferox reus, ne elaberer, compedibus afflictionum à te, summe Deus, vinctus sum, qui quasi captans, quod punires, attentè exploraſti, quibus vijs incederem, ubi pedem figerem, & planè mirum est, quòd mecum tàm rigidè agas, cùm velut putris materia aliqua, vel vestis à tinea corrosa, sanie fluens, vermibus scatens, morte concepta statim interiturus sim.

F

ELoquenter amplificat vexationem suam Iobus, qui Deum severissimè agentem inducit. Dixerat, Deum scribere sententiæ formulam, de qua nihil esset remittendum: modoque adijcit, se in vincula coniectum per verba illa, Posuisti in nervo (id est, compedibus) pedem meum. Quod verò addit, Observasti semitas meas, vel iuxta Septuaginta, opera mea; & illud, Vestigia pedum considerasti, mirificè confert ad Dei iustitiam ponderandam. Quis enim non pertimescat, cùm meminit, Deum, velut è specula sublimi contemplantem, quid agat, quò pedem inferat? Etenim hæc accuratissima exploratio, quam Iobus ad querimonias pias commemorat, universis Dei cultoribus calcar adstringere deberet, ad actus suos perficiendos, ne quid extaret deforme, quod tam vigil explorator reprehenderet. Illud, Vestigia pedum meorum consideraſti, lepidissimum est. Evenire quippe solet, ut fur aliquis sua dexteritate, ac solertia fretus, intempesta nocte, alienam domum invadat personatus, ac tacitus, per aversa loca sese insinuans, & vix summos pedes in solo leniter premens: quem tamen nihil sibi obstare suspicantem solertior illo domus custos strepitu repentè excitato penitus obturbat, vel etiam antequàm furto manus admoveat, turbatum capit, & neci vel iudici tradit. Simile quoddam Iobus hîc innuere videtur, quasi lamentetur suos actus, & vestigia à Deo observata fuisse, eo planè modo, quo de furis conatibus assertum est, cùm semper ipse pietatem coluerit, ac rectà incedere curarit. Auget verò conquestionis vim ex fragilitate, ac ex calamitate præsertim suprema, quæ liberalem animum ad pœnam relaxandam posset sanè permovere. Illud, Quasi putredo, idem est, ac res putris, purulenta; corpus nimirum Iobi computruerat, & sanie, tabeque fluebat: quod clementissimo Deo repræsentat, ut spectaculo mœstissimo commiserationem excitet. Denique similitudo illa: Quasi vestimen-

LXX. Interpp.

Dei iudicium iustis sæpe cogitandum.

G

Furis comparatio.

Cc

H

Scripta An. 1610.

stimentum, quod comeditur à tinea, proprijssima est ad mortalis corporis corruptionem significandam, è cuius constitutione contrarijs qualitatibus temperata intemperies enascitur ipsa, qua conficitur, ut à vestimento tinea, qua exeditur. Etenim veritas hæc respui nequit, & tamen (quod est prorsus mirabile) mortales plerique inter vulnera, morbos, dolores immortalitatem quandam sibi confingunt, & iam demum animam agentes vix inducuntur, ut credant, se ex hac vita, cuius amor visceribus hæsit, migraturos. At Iobum vitæ huius ærumnas oratorio more disertè amplificantem audire iuvat.

Altera comparatio.

A

CAPUT XIV.

B ℣. 1. Homo Natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs.

PARAPHRASIS.

Homo, ut fragili à sexu muliebri conceptus, & ortus; parùm consistit, cuius vita ocyssimè præterit, & ea quidem, quantula est, plurimis scatet ærumnis.

PERSEQUITUR Iobus ærumnarum lamenta, quæ cœperat, & à seipso, de quo sermonem exorsus fuerat capite proximo, ad universum genus hominum orationem traducit. Oratio planè gravis, elegans rhetoricè, ac poeticè variata, sensu fœcunda succedit. Homo (Adam nomen appellativum) natus de muliere, quasi diceret: Expendite, unde ducat originem, & matris fragilitatem observate. Porrò hæreditario iure, vel iniuria inconstans, fragilis, peccator est. Videtur ad Hevam alludere, quæ peccati occasio fuit Adæ, à quo culpa originalis traducitur in posteros; debuitque miseria hæc in sermonis primordio poni, à qua cæteræ coortæ calamitates, quibus orbis terrarum obruitur. Homo ergo è muliere natus, peccati, & ærumnarum consors, brevi emoritur: decuit enim vitæ brevitate puniri, qui potuit vitæ ligno, ac sempiterna vita mortis nescius perfrui. Vita ergo in angustias coarctata fuit, ne tantùm excurreret, quantùm mortalium cupiditas fluxorum bonorum illecebris capta vellet. At licet brevi periodo absolvatur, æquo Dei iudicio miserijs innumeris confertim ingruentibus expletur, & saturatur. Illa ergo vox, Repletur, significanter admodum malorum agglomerationem, quibus mortales vexantur, ostendit. Repletio, & saturitas quædam est, quæ tædium parit: & tamen homo peccati pœnas luit, dum his epulis à primo parente paratis, quotidiano convivio non vesci modò, sed exaturari cogitur. Pro verbis illis, Repletur multis miserijs, Aquila vertit, πλήρης ὀλοφύρσεως, plenus commotionis, & turbationis, Septuaginta reddunt, Plenus iracundiæ: quibus certè versionibus in unum sensum conspirantibus notatur infælicissimus hominis status, cui repensum est, ut inconstans, turbulentus, iracundus, quasi in sæva irati maris procella varijs fluctibus agitetur, ac valide converberetur. Potuit quippe statione pacatissima gaudere, & se innumeris quæstionibus insipienter immiscuit.

C

Hominis origo.

D

Aquila.

LXX. Interpp.

E

℣. 2. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra: & nunquam in eodem statu permanet.

PARAPHRASIS.

Planè homo similis est flori recens exorto, statimque marcenti, & concidenti, qui more umbræ fugacissimæ præterit: quamdiu tamen vivit, inconstantissimè agit.

F

SImilitudo à Iobo allata in hoc posita videtur, ut quemadmodum flores aliqui fragiles summo mane festini erumpunt, lætè rubentes, pallentes, candentes, mox radijs solis percussi languent, decidunt, arescunt; sic homo tenella constitutione è matris utero tanquam è folliculo deducto exit, levique occasione incidentis febriculæ, aut certè solius mœroris è gravi cogitatione concepti extabescit, ac emoritur. Manè sicut herba transit, manè floret, ac transit, vesperi decidit, & arescit. Fugacitas verò hominis occumbere properantis umbræ fuga notatur. Et quidem umbra noctis fugit, quàm citò sol affulget, exprimique nequit momentaneum illud, quo, mox ac sol hemisphærio illuxit, umbra noctis evanescit, & ne vestigium quidem relinquit. Umbræ verò diurnæ, quibus id nomen propriùs congruit, velocissimæ sunt, uti sole occidente perspici potest, quando ex montium oppositu, per devexa loca celerrimè umbra porrigitur. Ergo umbra sive cùm ex obiectu opacorum corporum resultat, sive cùm dispellitur, citissimè fugit. Illud verò modicum vitæ tempus, quo vita hæc mortalis non tam constat, quàm nutat, multiplici varietati obnoxium est; nam propter ætatis incrementa, quæ quò ampliùs procurrunt, eò magis vita decrescit, tot succurrunt affectuum formæ, ut vix homo ipse se agnoscat ipsum, qui ad horas penè singulas, sensu mutato, alius sibi esse videtur. Humanæ vitæ mensura tempus est; & ut tempus non habet statum, sed fluit, aut succedit: ita homo; sive ex natura, sive naturalibus ex moribus expendatur.

Similitudo.

Psal. 89. 6.

G

Vitæ humanæ cum umbra similitudo.

H

℣. 3. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos,

& ad-

Scripta An. 1610.

& adducere eum tecum in iudicium.

PARAPHRASIS.

A *Miror, quòd tuam Maiestatem decere putes, rem adeò fragilem severè intueri, & ad iudicij exactam discussionem vocare.*

Summa Dei benignitas.

EX alta divinæ Maiestatis, & humanæ exiguitatis consideratione, visum est Iobo mirabile, quòd aperiret oculos Deus, id est graviter, severè, quasi micantibus oculis, ut irati solent, vellet intueri rem, quæ intuitum divinum ferre non posset, utpote, quæ consistere non valens suopte ingenio conflacceseeret, ac periret. Hoc planè mirabile: at illud mirabilius, quod ad iudicij districtionem fragilissimam creaturam accerseret, quæ suomet pondere in peccata prolabitur. Potest etiam prima huius versus pars, ut graves interpretes sentiunt, ad paternam, B & profectò indulgentissimam Dei erga hominem providentiam, tum in naturalibus, tum in supernaturalibus bonis, legibus, inspirationibus, protectione, conservatione, pertinere: Dei providentia, mirum est quippe, excelsissimum Deum rei minimæ tam exactam gerere curam, ut nihil aliud cogitare videatur: & ex hoc ipso augetur secundi hemistichij admiratio, quod ab homine, quem, adeò indulgenter habuit, velit rationem adeò strictam exigere. Iudicium, de quo hîc Iobus agit, est illud, in quo quisque de se coram Deo rationem reddet; cuius imago Iobum terruit, cùm se, ut putabat, innoxium, cerneret in hac mortali vita adeò rigidè torqueri.

℣. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? C

PARAPHRASIS.

Mirandum, summe Deus, quòd ab homine in iudicium vocato vitæ candorem requiras. Quis enim possit purum efficere, qui traductum per semen parentis originale peccatum in conceptu trahit? An ipse se mundet, & non potiùs tu, qui solus ex te, uti fons puritatis, mundus es?

Iobi argumentatio.

ARgumentum Iobi appositissimum est: non enim homo de immundo tantummodò semine concipitur, sed ex corruptione naturæ (cuius fomes etiam iustos vehementer urget) in peccata plurima, & D creberrima labitur, ut videatur maceria quædam depulsa, calcis lapides committentis expers, labens, neque consistere valens. Hæc Iobus contemplatus fuerat, & hominem sustinendo Dei iudicio imparem iudicarat: quocirca suavissimè rogat: Ecquis est, clementissime Deus, ex Adæ semine concretus, qui se ita expurget, ut se tibi inculpatum repræsentet? Profectò tu solus potens hominem à conceptu sordidum detergere, auferreque id, quod in iudicio tuo vituperandum & puniendum est. Septuaginta Interpretes sic legunt hunc versum: Quis enim mundus erit à sorde? at nemo, etsi unus dies sit vita eius super terram. E Quibus certè apertissimis verbis peccati originalis veritas mirificè astruitur: Infantulus quippe, cuius est unus duntaxat dies vitæ, actu proprio peccare nequit. Si ergo non Argumenti confirmatio. est mundus à sorde, neque actu proprio sordescere potest, profectò necesse est, à parentibus sordes contrahat, quod est ipsum originale peccatum.

LXX. Interpp.

℣. 5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. F ℣. 6. Recede paululùm ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarij dies eius.

PARAPHRASIS.

Brevis, ac numero dierum certo comprehensa vita hominis est, cuius terminum à te præfixum nemo transilire valebit; Precor ergo, summe Deus, desistas tantillùm ab eo cædendo, ut quandoque interquiescat, interim dum non accedit expetita mortis dies, quam fatigatus, velut mercenarius expectat.

PRecatio hæc Iobi, licèt ad universum genus hominum in hac vita ærumnosa laborantium pertineat, ipsum tamen calamitate acerbissima divexatum præsertim respicit. Exploratum est autem, hominis vitam certo non mensium vel dierum modò, sed horarum quoque numero definitam esse, neminemque ultra præstitutam horam posse vitam prorogare: cuius veritatis ratio à prænotione, & potentia divina petenda est. Ex hoc ergo asserto infallibili elicit Iobus orandi confidentiam, postulatque recedat Deus, hoc est, parcat, remittat, cessetque à vexatione illa, ut homo afflictus quiescat aliquantùm, donec optata, & sæpe flagitata mortis dies accedat, quam velut mercenarius expectat, non sanè ob mortem ipsam, sed ob requiem, quam per mortem adepturus sit. Recede, inquit, paululùm, ac si luculentiùs diceret: Videris, H clementissime Deus, instare mihi morienti, ne aufugiam. Verùm sat nosti, me non posse vitam producere ultra præscriptum à te diem. Desine ergo me novis telis transverberare. Etenim si decreta hora me obire necesse est, quorsum instens? Iam vul-

Iobi deprecatio. G

Scripta An. 1610.

nus lethale intuliſti, quo tandem moriar: quid ergo opus ſit iteratis ictibus ſauciare, quem mors iam concepta perurget? Sic Iobus: in eo quippe conflictu dolorum verſabatur, ut parum ſibi ſupereſſe temporis prudenter conijceret. Non ergo vitam longiorem nunc precatur, ſed pœnæ relaxa-

A tionem, mitigationemve, ut lethaliter percuſſus, tranquillè agat, oret, fleatve paulùm miſer dolorem ſuum. Neque mirum, ſi varias precandi formulas inducat, ſi varia vota ſuccedant, quod dolentium eſt maximè proprium, dum affectus impotentes, ut venti è diverſis regionibus flantes, animum inermem, ac tædio nutantem impellunt. Chryſoſtomus refert in quibuſdam exemplaribus ſic legi: Recede à me, ut requieſcam, & placem vitam meam, ſicut mercenarius; quorum verborum ſenſus eſt: Relaxa cruciatum, ut aliquantùm recreer, ac refocillem vitam meam, ſicut mercenarius, qui aliquando laborem intermittit: neque enim

B reſpirare ſinor, ne me perenniter ac vehementer excrucies. Doloris, credo equidem, ſpicula deprecatur, quæ ſi ceſſarent, pœna ſatis gravi, minùs tamen acri vexaretur. Receſſum ergo Dei appellat, ceſſationem à doloribus inferendis; Levior quippe pœna graviori ſuccedens quies videtur. Et quidem hic precandi modus graviter afflictis uſitatus eſt, dum non expungi, ſed imminui pœnam expoſcunt, ut demonſtrat ille mitioris exilij poſtulator:

Hinc ego dum muter, vel me Zanclea Charybdis
Devoret, atque ſuis ad ſtyga mittat aquis:
Vel rapidæ flammis urar patienter in Aetnæ:
Vel freta leucadij mittar in alta Dei.
Quod petimus, pœna eſt: (neque enim miſer
C *eſſe recuſo:)*
Séd precor, ut poſſim tutius eſſe miſer.

Etenim licet Deus à Iobo feriendo deſiſteret, ſat ille miſer ſibi videbatur, qui iam penè interiret,

S. Io. Chryſoſt.

Ovid. Trist. l. 5. el. 2.

℣. 7. Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant; ℣. 8. Si ſenuerit in terra radix eius, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ℣. 9. Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cùm primùm plantatum eſt. ℣. 10. Homo verò cùm mortuus fuerit, &

D nudatus, atque conſumptus, ubi quæſo eſt?

PARAPHRASIS.

Videtur certè hominis ærumnoſi vita plantis dignitate inferior; arbor quippe ſucciſa repullulat, eiuſque rami præciſi per naturæ, & agriculturæ vim iterum germinant. Saltem radix eius vetuſta vireſcit, ſtipeſque aridus irrigatione levi ramos, ac frondes profert, quaſi recenter in ſolo pingui arbor ſata eſſet. At homo vita functus, decore ſpoliatus, atque corruptus, quid habet reſidui? Profectò neque naturæ, neque artis ullius vi reparabitur.

B

FAmiliare dolentibus eſt, res alias quamvis deſpicabiles, & abiectas ſibi ipſis anteferre. Sors quippe illa peracerba luctum excitat, & in calamitate penſitanda intuitum figit, Animus ergo mœrens, & ærumnæ expenſione, ac amplificatione exacerbatus, cùm in ſuæ vexationis conſiderationem totus incumbat, neque aliena poſſit mala perpendere, fælices alios, ſe infelicem

F dictitat, & rebus ſenſu carentibus ſortem invidet. Et quidem affectio hæc in animis graviter afflictis ſolet vehementer ingraveſcere, quæ quamvis appetitus ſenſitivi propria ſit, prægravat tamen ſuperiorem hominis partem, & multiplices cogitationes nunc opportunas, nunc importunas ſuggerit. Quod verò ad Iobum in hoc textu ſpectat, deliberato actu Deum precatur, leniter agat, neque tam acerbè ſauciet corpus, quod ſemel emortuum, neque naturæ, neque artis ullius ſpe in primævum ſtatum redire poſſit. Novit ille profectò, ac diſertis verbis teſtatum reliquit, corpus divina potentia reſurrecturum: at pro dolentis affectu urget Deum ex opere

G naturæ, quod ipſe finxit, agat leniùs, & interquieſcere afflictum ſinat. Ratio verò intermiſſionis dolorum poſtulandæ, ut ſuperiùs tetigimus, pijſſima eſt, ut ſcilicet culpas, ſi quas admiſiſſet, deflere, animum comparare, de Deo altiùs cogitare valeret: neque enim hæc, ut par eſt, præſtare licet, cùm dolor invaluit.

Dolentium mos.

Senſitivi appetitus affectio.

Corporum reſurrectio aſſerta.

℣. 11. Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus areſcat: ℣. 12. Sic homo cùm dormierit, non reſurget: donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo.

H

PARAPHRASIS.

Etenim ut mare, fluviuſque alveo excedens non redit eò, unde receſſit; ita homo cùm interierit, nulla vi naturæ, artiſve ad relictam vitam revertetur. Profectò non redibit, donec cœlum corrumpatur, quod cùm ſit incorruptibile, fieri nequit, ut redeat.

Dixe-

Scripta An. 1610.

DIxerat Iobus, corpus emortuum absimile esse arbori præcisæ, quæ iterum germinat, tametsi radix aruerit: nunc eandem doctrinam similitudine fluminis, marisque confirmat. Ubi enim fluvius, aut mare mutavit alveum, quem arentem reliquit, non remeat eò, unde aquam natura, vel ars pepulit: ita & homo vita functus non resurgit, non repetit eandem vitam, quam reliquerat. Ut verò similitudo hæc per omnia vim prodat suam, animadvertendum est, alveum corpori, aquam animæ respondere: quemadmodum enim alveus, si aqua careat, siccum quiddam, deforme, ac infœcundum est, ita & corpus, à quo recessit anima, quæ corpori vim, motum, & decorem impertitur. Iam autem illud, Donec atteratur cœlum, eò confert, ut cùm cœlum natura corrumpi, atterive minimè possit, idem sit, donec atteratur cœlum, ac si Iobus diceret, nunquam hominem mortuum vi naturæ ad vitam reversurum, quemadmodum cœlum nunquam corrumpi valet. Quòd verò mors appelletur somnus, christianæ disciplinæ suavissima phrasis est, quæ supernaturali munere resurrectionem pollicetur, quasi ad tempus vacetur somno, donec hora evigilandi, & æternitatis dies illucescat.

Comparatio

A

Animadversio.

B

℣. 13. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei.

PARAPHRASIS.

C *Cùm omnino ex hac vita migrandum sit, oro, statim ac decessero, benè mihi sit inter vita functos, in limboque patrum, ubi quies est, me colloces, & ab ira tua, per hanc ærumnosam vitam grassante, tu ipse clemens occultes me; ita ut præfigas mihi diem, qua memor mei corpus ad immortalem vitam suscites.*

Quid Infernus?

INferni nomine mortuorum receptaculum significat, ratioque postulat ipsa, ut cùm eo nomine omnes subterraneas cavitates, tartarum, limbum, sepulchrum comprehendi notum sit, eam stationem optet Iobus, quæ quietis, aut refrigerij significatum habeat, qualis Patrum limbus animæ, sepulchrum corpori. Furor verò ille, quem defervescere cupit, interim dum protegitur, absconditur, & latitat, indignatio Dei, qua hæc vita mortalis exagitatur, est. Cupit videlicet requiescere, qui satis vexatus iram Dei glisscentem sibi pertulisse videatur. Tempus autem constitutum, resurrectionis ad immortalitatem dies est, quæ licèt universis hominibus præstituta sit, non tamen ita ut Deus universorum mortalium, sed electorum tantummodò dicatur amanter recordari; quod est Iobi postulatum. Quocirca sic loqui credendus est: Animadverto ex hoc ergastulo corporis statim esse discedendum: etsi enim deprecer flagella, vel mortem quoque ipsam, non idcirco à morte prorsus eximar: non absolutio, sed prorogatio est. At quid conferat boni hæc vita semper ærumnis referta, molesta, infœlix? Porrò à labore hîc nunquam mihi feriandum: quapropter cupio, summe Deus, iam iam interiturus, ut me vita functum in loco, stationeve tranquilla colloces, protegas, & à calamitatibus præsentis exilij me abscondas, donec indignatio tua per huius vitæ campos excurrens, deferveat: & decernas tempus illud cæteris incognitum, tibi soli notum, mihi fœliciter cedere, resurgente me cum electis ad statum beatissimæ pacis, ut meritò dicaris recordari mei. Alij furorem hunc, quem Iobus tantopere exhorruit, sentiunt ad tremendum iudicium universale pertinere, cupereque Iobum in tenebris iacere, interim dum stupente mundo atque conterrito celebratur: quæ quidem interpretatio pia est, neque textui vel contextui dissentanea. Annotandum hîc optasse Iobum protegi, & abscondi ab ira Dei, non sanè per alium protectorem, quàm Deum: nemo quippe ab irato Deo nisi Deus ipse clemens valet quempiam eripere.

Mors inculpatè exoptata.

E

F

℣. 14. Putas ne mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.

PARAPHRASIS.

Benè novi ego te, summe Deus, non putare hominem mortuum ad vitam redire mortalem, atque ideo præparasse illi vitam aliam longè nobiliorem. Quocirca hanc ego singulis diebus cum acerrimis hostibus bellum gerens expectabo, donec accedat resurrectio mea.

G

INterrogatio huius versus familiari Scripturæ usu per negationem exponenda. Immutatio verò, quam Iobus sperat, resurrectio ad immortalem vitam est, qua quidem phrasi usus fuit Apostolus ad Corinthios aiens: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Immutatio quippe transitus vel ascensus est in fœliciorem statum. Et quidem ascensus hic adeò fœlix est, ut meritò præmiserit Iobus illud, Cunctis diebus, quibus nunc milito, quasi apertiùs diceret: Immutatio illa, quæ scopus laborum meorum est, affluit ea bonorum omnium copia, pro qua, æquum sit, diebus singulis fortiter dimicare. Resurget corpus pulcherrimum, splendidissimum, immortale, ut præclarè mecum agatur, si corporis deformitatem, squallorem, mortem pro ampliss-

1. ad Corint. 15.

H

ma

Scripta An. 1616.

ma mercede perpetiar. Norunt boni fœlicitatis futuræ æstimatores, quàm sit suavis, & ad perferendas æquo animo ærumnas efficax

Dotes corporis glorificati.

corporum resurgentium meditatio. Etenim cùm spiritualia, & invisibilia bona exiliter attingamus, vim habet immensam corporea illa fælicitatis affectio; decor ille suavissimus, ille purissimus candor, formosissimus

A splendor, sanitas illa nihil detrimenti, aut læsionis ævo sempiterno passura, lætitia illa, quæ constricta olim viscera laxabit, & medullas permeabit ipsas, & ne cuncta percenseam, illa reformata Dei digito glorificati corporis structura, quæ universas mundi opes, voluptates, honores negligendos evincit. Pro verbis illis, Donec veniat immutatio mea, Septuaginta Interpretes habent, Donec rursus fiam: qui sanè dicendi modus elegantissimus, & ad resurrectionem significandam appositissimus est: qui enim resurgit, rursus fit. Est quoque opportunissima translatio Symmachi aientis: ἕως ἂν ἔλθῃ ἡ ἁγία φύσις μου, donec veniat sancta nativitas mea: natalis quippe faustissimus est resurrectio, qua ex angustijs sepulchri corpus editur in lucem sempiternam. Pro hac mercede militandum: expendendumque ex Iobi sententia, cunctis diebus arma exercenda, ne quis torpescat, vel pacem importunam sibi confingat.

Symmachus.

B

℣. 15. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

PARAPHRASIS.

Tu, summe Deus, iubebis ego exciter, & statim obtemperabo tibi: tu scilicet dextera, hoc est, potentia tua me iacentem eriges.

C

SCriptum est Ioannis 5. Qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: vocem videlicet illam, quæ orbem universum imperiosè pervagabitur, cui mundus territus cedet; quæ, ut probabilis Theologorum opinio fert, erit sensibilis, & articulata. Huic se confestim responsurum Iobus fatetur, quo expeditam obedientiam, & bonæ conscientæ alacritatem significat, qua erectus sidenter vocis terribilis sonum excepturus sit. Illud verò, Porriges dexteram, metaphora est ab homine, qui porrecto brachio alium decumbentem erigit, petita: dextera autem ipsa potentiam aptissimè notat, ut idem sit dexteram porrigere, ac potenter

D auxiliari, fortiter adiuvare, robur indere. Ipso etiam dexteram porrigentis habitu, divinæ Maiestatis ad opem propensæ, ac sese inclinantis ad hominem extollendum dignatio significatur. Posset ergo sic Iobus loquens induci: Nunc sanè iaceo, iacebitque corpus tumulatum: at spes alit fatigatum non semper decubiturum: suscitabis enim me, & ego alacer exiliam, tibique præsto ero, non ultra vexandus, at solatijs divinis affluenter gavisurus.

Carnis resurrectio in extrema die.

℣. 16. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

PARAPHRASIS.

E

Mox ac suscitabor, revocabis ad calculos omnes actus meos, quos te numerasse mihi perspectum est: at nunc aliquid de ultione hac, oro, remittas.

ELeganter Deum introducit hominis actus perscrutantem, ac recensentem, quasi de singulis rationem exacturum. Omnino quippe exploratum est, ne cogitationem quidem unam à vigilantissimo exploratore præteriri, quam non introspiciat, & perpendat, quod Septuaginta Interpretes apertè notarunt in hæc verba: Non præteribit te ullum peccatorum meorum. Gressus in hoc loco sunt affectus, & actus, quibus animus hominis incedit, bonis quidem ad palmam, malis verò ad pœnam. Postulatum aùtem illud, Parce peccatis meis, & ad culpam, & ad pœnam litterali sensu pertinet. Aptè videlicet cohæret precatio hæc cum mentione Iudicij proximo versu facta. Vocabis, inquit, me, suscitabis me, & ego evestigio adero responsurus: at cùm ego sciam, te in numerato habere actus meos, ut ad trutinam singulos voces, oro, parcas peccatis meis, quæ tempus antevertens supplex deprecor. Si enim modò, ubi tempus indulgendi fluit, adeò acerbè di-crucior, quid, rogo, de me fiet, ubi tempus accesserit puniendi errata, quorum convincar. Hæc explanatio culpam primùm observat. Altera verò, quæ præsentem afflictionem pensitat, sic Iobum loquentem inducit: Recordor iudicij tui districtissimi, ubi in lucem proferes actus omnes meos, quos enumerasti, ut si malè egerim, sine relaxatione me punias: at nunc alia subest ratio, neque enim ad tribunal tuum eodem prorsus modo, ac in suprema universalis Iudicij hora sistor; tempus veniæ profectò adest ex suavissima dispositione providentiæ tuæ. Ergo parce peccatis meis, hoc est, aliquid remitte de cruciatu, quem inferre videris pro culpis meis. Non silendum hîc compertum fuisse Iobo, se culpas aliquas pro fragilitate humana admisisse ex genere earum, quas veniales appellamus: qua certè veritate posita, licèt assereret, se innoxium cædi, quod attinet ad peccata lethalia sive crimina, potuit considerare, quod planè verum fuit, ærumnis illis, quales neque sceleratissimis hominibus accidere solent, pœnam se levium culparum exolvere, unde confidentia multa erigeretur ad preces pro acrioribus pœnis avertendis offerendas, quasi in hæc verba precaretur: En, clementissime Deus, quàm acerbè plector: profectò gravium peccatorum conscientia non angor, leveisque culpæ

LXX. Interpp.

F

Iobi deprecatio.

Iudicii universalis rigor.

Iobi culpæ aliquæ.

G

H

Scripta An. 1610.

pæ non ſolent adeò ſeverè puniri. Parce ergo peccatis meis, hoc eſt, dimitte me, remitte punitionem vel ſupplicium, quod ſumis de me. Et in hoc certè ſenſu verba illa, Peccatis meis, pro pœnis accipienda, quas mitiores eſſe Iobus impensè orat.

℣. 17. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam.

A

PARAPHRASIS.

Verum eſt profectò, te velut incluſiſſe, ac obſignaſſe in loco tuto peccata mea, dum in memoria fidiſſima illa ſervas: & ſatis puniſti culpam, quæ fortè obrepſit.

VArijs certè modis poeticè decurrentibus rigidum Dei iudicium Iobus ſignificat, quales ſunt, greſſus dinumerare, in ſacculo obſignare, uti ſolent aurei nummi, quorum apud mortales eſt accuratiſſima cuſtodia. Illud verò, Curaſti iniquitatem me-
B am, bifariam exponitur, primùm curaſti, hoc eſt, curam geſſiſti, ut nihil impunitum remaneret; ſecundò curaſti, hoc eſt, medicinam adhibuiſti, pœnam ſcilicet, quæ acre quidem, ſed ſaluberrimum remedium eſt, quo Deus mederi ſolet ijs, quos ab æterno cruciatu decrevit eripere. Dicit ergo Iobus, ſatis remedij applicuiſti, ne me tam graviter amaris medicamentis exerceas.

℣. 18. Mons cadens defluit: & ſaxum transfertur de loco ſuo. ℣. 19. Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur: & hominem ergo ſimiliter perdes.

PARAPHRASIS.

Non mirum, ſi calamitatem deprecer: Sicut enim montes tametſi firmi ventis, pluvijs, fulminibus, terræmotibus concidunt; ſicut lapides benè fixi vetuſtate exeſi reijciuntur è loco, ubi manſerant; ſicut ſaxum cavatur crebris aquæ guttis; ſicut denique terra, quæ ad fluviorum ripas iacet, curſu aquæ labentis abſumitur: ita & homo laboribus, & ærumnis proteritur.

Similitudo.

RAtio Iobi in hunc modum contexitur: Quid agam? Cur non precer mitiorem pœnam, cùm videam hominem ita
D cædi, ac interire, quemadmodum res rationis expertes, natura longè inferiores atteruntur, & pereunt? Porrò, quod ad montes loco excidentes, ſaxa vetuſta aliò translata, lapides atque guttis cavatos, terram diluvio defloratam, atque deletam ſpectat, ſuppetunt exempla pervia, ſive recentia, ſive ab antiquitate petita. Verba illa ultima, Et hominem ergo ſimiliter perdes, legi poſſunt cum interrogatione, & cum aſſertione, in ſenſum eundem recidente. Perdes, hoc eſt, deſtrues, conſumes, proteres, vel id genus alia. Vim habent aquæ excavantes lapidem, & alluvio paulatim terram conſumens, E quaſi Iobus dicat: Aqua molliter cadens, & ſenſim alluens petras, terramque deterit: Tu verò, ſumme Deus, vehementer inſtas, & fortiter hominem interimis.

℣. 20. Roboraſti eum paululùm, ut in perpetuum tranſiret: immutabis faciem eius, & emittes eum.

PARAPHRASIS.

Brevi firmitate ſtabiliſti hominem in æternum abiturum: faciem eius mortis pallore mutas, & nunquam reverſurum ab hac F *vita dimittis.*

PAululùm certè roboratur homo, cuius robur leviſſimis de cauſis enervatur, & languet: paululùm ſtabilitur, qui ſtatim labefactatur, & emoritur, perpetuò ab hac vita abfuturus. Facies priùs læta, pulchra, ſplendida, mortis aggreſſu pallet ſquallet, obumbratur, & in aliam regionem hominis anima tranſmittitur. Si ergo hæc ita ſe habent, clementer age, inquit Iobus, remitte precor, ſumme Deus, acerbitatem cruciatus, qui ex tot alijs capitibus me graviter punis.

℣. 21. Sive nobiles fuerint filij eius, ſive ignobiles, non intelliget. ℣. 22. Attamen caro eius, dum vivet, dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit.

G

PARAPHRASIS.

Vbi homo è vivis exceſſerit, neque cognoſcet, neque curabit, an liberi ingenuitatis prærogativis potiantur, an in conditionem vilem incurrant. Verùm antequàm defungatur, nequit non curare corpus malè afſectum, quod tam acerbo torquetur dolore, ut animus infœlicem vitam lamentetur.

SEnſus Iobi eſt, quæ ad præſentem vitam pertinent, quantumvis chara, & amabilia, qualis eſt proles, longaque poſteritas, à mortuis minimè curari, aut ſciri, cùm tamen è contrario, dum vivunt, nequeant non curare, quæ dolorem ingerunt, & ſtatum ærumnoſæ vitæ deflere: quaſi dicat, o-

Mortuis nulla huius vitæ cura.

H

pta-

Scripta An. 1610.

ptabiliorem esse ex hoc capite mortem, quæ curis eximit hominem quem calamitosa hæc vita multiplici sollicitudine discruciat. Potest autem sic Iobi mens exprimi: Clementer accipe afflictum hominem, summe Deus: hominem inquam, qui paululùm roboratur, & mox abit minimè curam gesturus rerum, quas in hac mortali vita charissimas habuit: at interim dum vivit, quid mirum si de ipso sollicitus, dolens, ac luctu extabescens indignationem, oret, remittas, ut de te, ac se ipso serió cogitare, & omnia pietatis officia explere valeat? Ergo clementiam imploro. Annotandum hic, quod Iobus ait de mortuo, (Non intelliget) de naturali cognitione accipiendum; nam iuxta S. Tho. 1. p. q. 89. art. 8. animæ separatæ secundùm naturalem cognitionem nesciunt, quæ in hac vita aguntur, possunt tamen curam gerere viventium, licèt eorum statum ignorent. Possunt quoque quæ hic aguntur nosse per animas eò migrantes, per Angelos, per Dæmones, per Dei tandem revelationem. Quocirca mens Iobi de proprijs animæ viribus accipienda, per quas neque intelligit, neque curat, eo scilicet modo, quo res distinctè cognitæ hac in vita curari solent, ut status discrimen exposcit. Quòd verò beatorum animæ nunc, quæ hic geruntur, agnoscant, gratiæ divinæ ascribendum. Iobi tamen ætas hanc sortem minimè nacta est.

A

B

CAPUT XV.

℣. 1. Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: ℣. 2. Nunquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum.

C

PARAPHRASIS.

Respondit Eliphaz rex Theman, Profectò, tu Iob insipiens es: non enim est viri sapientis inania verba iactanter effutire, ac ira conflagrare.

HOc est secundum Eliphaz cum Iobo certamen, in quo Eliphaz oratione Iobi vehementer commotus, insolentiæ, ac impietatis illum accusat, suamque opinionem, quòd scilicet Iobus pro criminibus torqueatur, confirmare adnititur. Siluit, quamdiu Baldad, & Sophar disputarunt, quod est urbanitatis argumentum: at indignatione ingravescente, ubi secundi congressus tempus accessit, acriter excanduit: dixitque asserto vero, sed extra rem obtruso, non esse viri sapientis in ventum loqui, hoc est, inanibus, vanisque verbis ventos verberare, verba futilia per ventos spargere, & implere ardore stomachum, hoc est, ira animum, qui cogitationes subeuntes, eo modo quo stomachus traiectos cibos concoquere solet. Pro verbo autem, Ardore, in Hæbreo legitur Kadim, hoc est, Eurus, qui est ventus ab ortu flans, rapidus, præceps, indomitus, adeoque calidus, ut in nonnullis regionibus quasi halitu flammeo fructus adurat: quocirca significanter admodum ab interprete vulgato pro Kadim, Ardore versum est, & in re præsenti, Implere stomachum ardore, perinde erit, ac implere animum indignatione rapida, indomita, qua postquam conflagravit animus, verba ignita, & aculeata iaculatur.

D

S. Thomas. Silentium urbanitatis argumentum.

E

℣. 3. Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi: & loqueris, quod tibi non expedit. ℣. 4. Quantùm in te est, evacuasti timorem: & tulisti preces coram Deo. ℣. 5. Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium.

F

PARAPHRASIS.

Reprehendis Deum, cui tu par non es, & promis verba tibi exitiosa. Profectò quod ad te attinet, abiecisti timorem Dei, & religiosum precandi morem: & impietas animo concepta erudijt, ac expedivit linguam, ut blasphemos imiteris.

HÆc Eliphaz excandescentia referenda videtur ad verba multa superiùs explanata, quibus Iobus suam innocentiam asseruit, & graviorem culpis Dei ultionem conquestus, se fidenter cum Deo disceptare velle protulit, aliaque id genus, quæ homini sensum minimè capienti stomachum facere potuere. Iam verò verba illa, Quantùm in te est, evacuasti timorem, & tulisti preces, non modò significant, Iobum abiecisse Dei reverentiam, & suas abstulisse preces, verùm pro virili sua exemplo illo egisse, ut ex aliorum animis omnis Dei cultus, & precandi pietas excideret. Iniquitas autem dicitur docuisse, hoc est, instruxisse os, ut conceptas blasphemias horrendis verbis depromeret, quasi nequiret eas proferre, nisi sub pessimo illo internæ impietatis magisterio. Annotandum hîc, quàm sinistrè Eliphaz verba Iobi viri pijssimi interpretetur, quod sanè vitium viros plerosque gravissimos frequentius, quàm dici possit, turpiter fœdat.

Sinistra interpretatio turpe vitium.

G

H

Scripta An. 1610

℣. 6. Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi. ℣. 7. Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus? ℣. 8. Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius sapientia.

A

PARAPHRASIS.

Non est opus extrinsecis argumentis, ut te refellam: verba quippe ipsa tua te insolentiæ, ac impietatis convincent. An tu es primus Adæ filius, qui sapientia cæteris antecellas, aut certè aliquid sublimius, quod Deus ante mundum formarit? An Dei consilia intima penetrasti, & evicisti te Deo sapientiorem esse?

B

ACriter agit Eliphaz, qui Iobum arrogantiæ, ac impietatis insimulat, & videtur sibi proprijs ipsius verbis posse Iobum convincere. Deum nimirum ad certamen lacessere, ac querimonias multiplices in Deum efferre, nihil videbatur aliud, quàm velle Deum redarguere, quod profectò animus audire horruit. Iam verò, quòd graviter carperet amicos, quos dixit velle se ostendere fabricatores mendacij, & cultores perversorum dogmatum, ac optare, ut silerent, ægerrimè tulit Eliphaz, qui eò videtur alludere, dum ait: Numquid primus homo tu natus es? quasi Adæ primogenitus, illius sapientiæ primus hæres, longissimaque experientia prudens? Fortasse voluit Eliphaz primum ipsum hominem Adam significare, ut verbum, Natus, tantundem sit, ac effectus, creatus. Quod verò subijcit. Et ante colles, perinde est, ac, ante mundum, ut illud Sap. 8. Ante omnes colles ego parturiebar: est enim Sinecdoche, ubi pars mundi pro universo ipso accipitur. Hæc Eliphaz congessit, ut animum Iobi opinione quidem sua insolentem retunderet quippe qui ferre non posset, Iobum grandia enunciare, videturque sibi nihilo inferior sapientia, ut æquum esset temperantiùs cum ipso, eiusque socijs agere. Porrò vitium hoc altè in mortales serpsit, ut ægrè ferant inferiores alijs videri, aut existimari. Velli carant disputatores hominem afflictum, & pati nequeunt ab eo mutuo corripi. Cæterùm affectus minùs hic vituperandus, ubi & ipsi, qui errant, Deo se obsequium præstare censent. Pro verbis illis, Numquid consilium Dei audisti? LXX. Interpretes reddunt, Numquid consiliario te usus est Deus? Quod sensum Eliphaz exaggerat.

C

D

Figura.

LXX. Interpp.

℣. 9. Quid nosti, quod ignoremus? quid intelligis, quod nescimus? ℣. 10. Et senes, & antiqui sunt in nobis multò vetustiores, quàm patres tui.

E

PARAPHRASIS.

Fastu grandi magistrum agis: at ineptè: nihil enim novæ sapientiæ parasti, quod nos non adepti simus: habemus quippe senes, & scholarum nostrarum magistros maioribus tuis antiquiores, à quibus edocti sumus.

SCriptores aliqui ex his Eliphaz verbis concertant, an Eliphaz, vel eius socij essent natu maiores, quàm Iobus: sed profectò nullum ex hoc textu argumentum ad alterutram partem confirmandam duci potest, cùm syncera interpretatio id solùm requirat, ut Eliphaz refellat Iobum, quasi non debeat se disputatoribus anteferre antiquæ sapientiæ opinione, & incognito reconditarum sententiarum sensu. Etsi enim Iobus esset natu maior, ut probabilior opinio fert, respondet tamen Eliphaz, apud suos esse senes ætate provectiores, & auctores, sive magistros antiquiores, à quibus ipse, & socij abstrusa quælibet dogmata haurire potuerunt.

F

℣. 11. Numquid grande est, ut consoletur te Deus, sed verba tua prava hoc prohibent.

G

Deum verbis procacibus lacessis, ac si nihil ab eo, nisi supplicium expectes: at erras; non enim est difficile Deo clementissimo misereri tui, sed tuus sermo impius obstat.

PARAPHRASIS.

OBservaverat Eliphaz gestus, & verba Jobi, qui visus fuerat ei impatientiæ, ac desperationis motibus graviter concussus. Est animi desperantis proprium furere, ac invehi in eum, à quo nihil jam boni sperat, & à quo acerbè torquetur, ut è miserrima damnatorum maledicta in Deum rabidè intorquentium conditione patet. Cum ergo Eliphaz simile quiddam de Jobo suspicaretur, admonet illum, desistat à linguæ licentia, nam quòd ad Dei facilitatem spectat, non est cur desperet se à Deo benignè excipiendum, & in primævum statum restituendum. Profectò licèt alia suspicetur peccata, nihil hîc obijcit tam explicatè Eliphaz Iobo, quàm verba prava, objecturus turpia opera, si ea deprehendisset, quod ad integritatem Iobi commendandam pertinet.

Damnatorum exemplum.

H

Scripta An. 1610.

℣. 12. Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?

PARAPHRASIS.

Cur animo superbis, & velut rerum grandium cogitationi intentus, habes oculos apertos, & in loco uno defixos?

A

CArpit Iobum, quòd animo extollatur, & cordis motibus, audaciæ, & impietatis plenis, se sinat efferri: quodamque disputatorum tanquam humi jacentium despectu, ipse, quasi altiora mente pertractans, oculos attonitos, hoc est, apertos, & in locum aliquem directos, ac immotos habeat. Ægrè quippe, qui sibi sapientes videntur, ferunt, sive concionentur, sive disceptent, non audiri cum externis modestiæ, attentionis, æstimationis signis, eoque ipso se despici coniiciunt, quòd oculos alió versos, fixosque cernant. Et quidem tametsi Eliphaz Iobo ea de causa succensere non debuerit, res tamen ipsa notatu digna est, quæ ad scholarum disciplinam acilè pertineat. Omnis videlicet motus, qui animum distractum indicet inter viros sapientes, vitio vertitur; ille verò præsertim, qui præ se dicentis contemptum, aut modicam existimationem fert: quales esse solent nutus, & alii motus oculorum, in quibus inest major ad affectus significandos proprietas, & energia.

In loquentem signa despectus.

B

℣. 13. Quid tumet, contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones?

C

PARAPHRASIS.

Quare adversus Deum glisci furor tuus, quo incitatus audes verba contumeliosa in Deum ipsum profundere?

LXX. Interpp.

PRO verbis illis Vulgati, Quid tumet contra Deum spiritus tuus, LXX. habent, Furorem erupisti ante Dominum: ex qua versione patet spiritui furorem respondere. Profectò Eliphaz & affectum superbiæ, & intuitum, ac gestum elationis & verba blasphemiæ accusat, & afflicto stimulos multos infigit. Jam verò sermones, quos carpit, illis præsertim versibus continentur, in quibus Iobus suam innocentiam, graviorem culpa ultionem, desiderium cum Deo disceptandi, aliaque ejusmodi profert.

D

℣. 14. Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? ℣. 15. Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis: & cœli non sunt mundi in conspectu ejus ℣. 16. Quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

E

PARAPHRASIS.

Adeone sublimis res est homo, ut nihil labis contrahat? quomodo inculpatus sit, qui de muliere, peccati scilicet occasione, natus est? En Angeli non fuerunt immobiles à bono, in quo creati sunt: & orbes cælestes, quamvis incorruptibiles, Dei comparatione impuri censentur. Qui ergo fiet, ut homo in peccato natus, & propterea odio dignus, & ad consequendum finem suum iners, quique peccatorum fæces, uti aquæ potum exhaurit, non sit turpior, & sceleratior?

F

IDem ferè argumentum struxit Eliphaz cap. 4. per illa verba, quæ se per revelationem accepisse asseruit: Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quantò magis hi, qui habitant domos luteas, &c. Neque est cur anxiè disquiramus, an idem prorsus ex omni parte sit argumentum, quasi rudis, importunus, aut molestus disputator videatur Eliphaz, si eandem argumentationem repetat: non enim hebetis ingenii signum est, idem argumentum, cui satisfactum non videatur, resumere, præsertim cùm arctiùs premitur, ut patet ex comparatione duorum versuum. In cap. quippe 4. ex casu Angelorum intulit, Quantò magis qui habitant domos luteas, hoc est, corpora terrena: hic verò ait, Quantò magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem: quod sanè fortius quiddam est, ad vincendum, ex natura abominabili, seu vitiata, & ex facilitate peccandi potu aquæ notata, hominem non debere coram Deo jactare justitiam. Et quidem, qui sic argumentum urget, neque molestus, neque importunus disceptator appellandus, quippe, qui vim allatæ rationis altius pensitet, ac sibi responderi desideret. Jam verò, per sanctos, hìc Angelos intelligit: quorum pars mutata mente cecidit, pars autem, quæ cadere quoque potuit, Dei gratia roborata, & constabilita est, ut gratiæ divinæ, non verò naturæ Angelicæ firmitas illa, & permansio ævo perpetuo procursura tribuatur. Cælos autem ipsos corporeos non mundos dixit, etsi enim purissima corpora sint, Deo tamen comparata impura censentur, ad eum planè modum, quo flammula lucernæ, noctu pura, & splendida orto sole, licèt nihil suæ proprietatis amittat, livescit, ac velut obnubilatur. Homo verò jure abominabilis dicitur, qui nascitur Deo exosus, & ad peccata propriis

Eliphaz argumentum in Jobum.

G

Angelorum peccatum.

H

Scripta An. 1610. priis actibus committenda proclivis: ex quo planè perspicitur, quam aptè subdatur: Bibit quasi aquam iniquitatem: quæ projectæ cujusdam audaciæ, & contemptus legis divinæ ac incredibilis facilitatis elegans significatio est. Sanè vinum pretio emitur, & nequit adeò largè bibi, natura id minimè ferente: at aqua è publicis fontibus, aut fluviis gratis petitur, pro nihiloque ducitur, A & usque ad sitim explendam hauritur. Sic profectò peccant homines, ut certent infinitam cupiditatem explere. Etenim quæ hîc de homine universè protulit Eliphaz, peculiari directione in Iobum quamvis dissentanea conjecit: eò quippe disputationis pondus incubuit.

℣. 17. Ostendam tibi, audi me; quod vidi, narrabo tibi. ℣. 18. Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos: ℣. 19. Quibus solis data est terra, & B non transivit alienus per eos.

PARAPHRASIS.

Iob audi, & propalabo tibi doctrinam veram, quam ego experientia compertam habeo: fateorque me quoque illam à majoribus accepisse, quos honoris gratia commemoro, sapientum more, qui majorum traditiones ingenuè produnt, referentes doctrinam ad eos, quibus à Deo credita fuit gubernatio terræ, quam rectè temperatam nullus hostis depopulatus est.

CUpit Eliphaz Iobum, cujus attonitos oculos contemplatus fuerat, ad attentionem excitare, quasi asserta gravia depromptuus: aut fortasse veritus, ne Iobus obloqueretur, intexuit hæc verba exhortatoria, quod inter disputandum solet accidere, eo præcipuè tempore, quo quis selectum quid parat efferre. Ait verò, se quæ vidit, hoc est, experientia probata novit, & quæ à senioribus, justisque regnorum moderatoribus & hostium propulsatoribus accepit, enunciaturum: quibus certè verbis & sibi auctoritatem conciliare, & Iobum pungere incipit, qui terram non ita rexisse videbatur, ut nihil adversum pateretur. Hoc nimirum ipso, quod eos allegat viros, per quorum regiones alienus non transisset, hoc est, quas hostis non vastasset, opinione quidem sua, justos reges, doctrinæ auctores inducit, Iobumque, qui regno excidisset, injustitiæ notat. Verùm reconditam doctrinam audiamus.

℣. 20. Cunctis diebus suis impius superbit: & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.

PARAPHRASIS.

Audivi à majoribus universam impii vitam, esse ipsam superbiam: quod planè mirum est, cùm ei incertum sit, quamdiu tyrannidem exercere possit.

INcipit Eliphaz gravi magisterio Iobum instruere, dicitque rem compertam esse, hominem impium universæ vitæ tempore animo extolli, & intumescere: quod profectò stultitiæ extremæ ascribendum est, cùm nesciat ille, quousque tyrannica ejus vita procursura sit. Cujus certè sententiæ ratio subest idonea: qualis enim amentia pejor, quàm sævissima tyrannide insontes vexare, & ipsorum bona absque modo diripere, in thesauroque recondere ad multas annorum centurias, cùm numerus annorum tyrannidis in brevitate certa incertus sit? Tyrannis quippe Animadv. nequit esse diuturna à tot hostibus obsessa. sio. Ubi annotandum, non dictum, numerus annorum vitæ, sed tyrannidis: & quidem potuit utrumque dici, at Eliphaz significare maluit vitæ incertitudinem ex violenta morte, quæ tyrannis, dum pejùs sæviunt, solet accidere, quàm ex naturali interitu quantumvis veloci, ac inopinato, ut Jobum celeri supplicio, ut putabat, regno pulsum, mortique proximum vellicaret. Pro verbis illis, cunctis diebus suis impius superbit, LXX. Interpretes habent, Omnis vita impii in sollicitudine, *πᾶς ὁ βιὸς ἀσεβῆ ἐν φροντίδι*, quæ sanè versio mirificè cohæret cum sequenti versu, quo tyranni sollicitudo describitur. LXX. Interpp.

℣. 21. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. ℣. 22. Non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, G circumspectans undique gladium.

PARAPHRASIS.

Quicumque strepitus insonuerit, terret impium: suo capiti timentem: & licèt in pace fortasse agat, semper insidiatores cogitat. Non sibi persuadet, posse se è locis obscuris, in quæ se abdit, in publicum tutò prodire. Omnia circumspicit, dum infestos enses undique metuit.

H

ELeganter sanè pingit Eliphaz hominem impium, qui tanquam infœlix Cain ad singulas penè horas interitum, conscientia teste, pertimescit. Est autem proprium conscientiæ saucia ultionem semper cogitare, quam commeruit, ac declinare nititur. Nihil autem frequentius, quàm ad strepitum quemlibet expavescere, & jam jam lictores, se- Impii descriptio, & notæ.

Scripta veri judicis jussa expleturos suspicari. Pro-
An. 1610. fectò, dum per campos abit profugus, ubi omnia plana, neque latebræ deprehenduntur ullæ, sibi nequit fidere, sed animo, visuque turbulento antra suspicatur, & intra virgulta exigua insidias sibi cernere videtur. Quod si, ut mos est, latebras ipse petJoann. 3. tat (nam, qui malè agit, odit lucem) numA quam credit, valere se tutò in lucem progredi, sed mox, ac prodierit, à paratis excubitoribus capiendum, & necandum. Quocirca creberrimè omnia oculis perlustrat, & loco uno quietus consistere nequit, arbitratus, se undique infestis ensibus, telisve peti: atque in hunc modum calamitosam, & anxiam vitam ducere cogitur. Hæc descriptio ad flagitiosos quosque utiliter transfertur.

℣. 23. Cùm se moverit ad quærendum panem, novit, quòd paratus sit in manu ejus tenebrarum
B dies.

PARAPHRASIS.

Si è latebris impius necessitate compulsus exierit ad victum conquirendum, credit diem interitus instare, quasi manibus, quas porrigit ad furta, mortem contracturus sit.

MUltifariam versus hic exponi solet, nam præter expositionem in paraphrasi notatam, potest motio illa ad quærendum panem, de mendicitate, in quam impius devolvitur, intelligi: ubi anxietas coarctat impium, timentem, ne à quibus panem postulat, vulnus, aut necem accipiat. Potest quoque motio illa ad opu-
C lentos, impiosque tyrannos pertinere, qui cùm se movent, hoc est, accedunt ad mensam, venenatum panem sibi supponi verentur. Sive ergo dives, sive mendicus impius sit, diem tenebrarum, hoc est, mortis, qua lux ei extinguitur, formidat, & surdo verbere cæditur. Illa verò verba, in manu ejus, significant in promptu esse mortem, vel certè metonymicè, in factis ejus, impii scilicet, qui factis suis mortem accersit. Utraque interpretatio ad rem apposita est.

℣. 24. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem, qui præparatur ad prælium.

PARAPHRASIS.

D

Impius calamitate deterrebitur, & afflictione obsidebitur, ut rex qui cohorte cingitur ad gerendum bellum.

QUòd clades, miseria, sive ærumna impium formidine concutiat, certum omnino est: timet enim & calamitatem ipsam, & alia graviora mala, quæ ingruere solent, Quòd verò angustia, sive afflictio obsideat, circumsistat, circumdet eum, nemo est, qui ambigat: periculis quippe, ac doloribus mortis conscientia impii passim circumdatur, & dum infæliciter vivit, & dum instat interitus. Quocirca similitudo regis, Comparatio.
qui paratur ad prælium, in eo posità est, ut quemadmodum rex cohorte prætoria stipatur, ita impius scelerum conscientia, & E
angustia circumdetur: at in hoc ipso circuitu discrimen subest, quia rex cingitur ad tutelam, impius ad necem. LXX. sic habent; Angustia, & tribulatio ipsum comprimet, LXX. Interpp.
sicut dux in prima acie decidens: ὥσπερ στρατηγὸς πρωτοστάτης πίπτων, quorum verborum sensus est, afflictio, & calamitas circumdabit impium, sicut circumsistitur dux in primo exercitus ordine cadens. Hostes quippe in ducem exercitus adversi acriùs conspirant, & cadentem, ut nobilem prædam circumsistunt: qui sanè sensus in rem nostram apprimè convenit, cum quo textus Vulgatæ editionis F
cohæret, si rex, qui præparatur ad prælium consideretur, non cùm præparatur, sed cùm cadit, & ab hostibus accurrentibus obsidetur.

℣. 25. Tetendit enim adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.
℣. 26. Cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.

PARAPHRASIS.

Incredibilis videtur audacia impii, qui more militis dexteram extollentis contra Deum agere constituit, & vires, ut Omnipotenti repugnaret, confirmavit. Neque id solùm, sed majore ausu, erecto collo, hoc est, apertis superbiæ signis, Deum aggressus est, solaquè superbia, velut indomita cervice sese communiens, prælium commisit. G

DUO hîc audaciæ gradus exprimuntur, observata similitudine militum, ante conflictum brachia tollentium, enses vibrantium, & non coagmentatis viribus fortiter dimicare decernentium, qui est primus, & ubi insonuit bellicum, erectis animis, atque corporibus in hostem irrumpentium, qui est secundus. Et quidem hujuscemodi impietas Peccantium frequens temeritas.
creberrima est: quis enim ignoret, innumeros peccatores passim per occasiones non oblatas modò, verùm & quæsitas, constipatis animæ viribus, impudentissimè statuere, H
se nihil non facturos, ut adversùs candidissimam Dei legem, voluptatibus obscœnis se immergant, alienas opes diripiant, innoxium sanguinem fundant? Quem verò lateat, hos ipsos, ferarum ad prædam insilientum ritu, Dei legem deliberatione tartarea proculcare, & quà possunt omnem

pie-

Scripta An. 1610.

pietatem abolere? Etenim ætas hæc noſtra tot producit exempla, ut facilè dictis Eliphaz fidem adſtruat: Uſitatiſſimus nimirum eſt auſus, licenter peccare ſtatuendi, quod eſt, adversùs Deum manum tendere, dataque opera in Deum procaciter inſurgendi, quod eſt, currere adversùs Deum erecto collo, pinguique cervice, hoc eſt, indomita, nempe, quæ præ pinguedine flecti nequeat. Et quidem habitus hic elegantiſſimè pictus in homine impio, privata quædam infelicitas eſt: at in cœtibus, nimiùm politicis, adverſus Deum conjuratis, enorme quoddam monſtrum, & horrendum ſuperbiæ ſpectaculum eſt, quod iram Dei patienter agentis irritat: timendumque, ne erumpens divinæ indignationis flamma florentes urbes, aut regna depaſcat.

Ejusdem preſſior deſcriptio.

A

℣. 27. Operuit faciem ejus craſſitudo: de lateribus ejus aruina dependet.

B

PARAPHRASIS.

Impius adeò ſe dapibus ſaginat, ut faciem pinguedo deformet, & è lumbis ejus adeps promineat, atque ad eum modum animum ſuperbum, ac ſtupidum obeſo corpore demerſum gerit.

Mali luxuriæ effectus.

VErum eſt profectò, impium hominem corpus lautè curare, atque fovere, ut ſæpe illud natura pulchrum excreſcente craſſitudine deformet, & faciei lineamenta velut obliteret, lateraque ad proportionem à Deo compacta enormiter laxet, ut inviſendum monſtrum evadat. Ea verò corporis farciendi cura animus hebetatur, & à lege divina, qua lex temperantiæ præſcribitur, vehementer abhorret. Rectè ſcriptum: Incraſſatus eſt dilectus (ſcilicet populus) & recalcitravit (videlicet Deo.)

C

Deut. 32. 15.

℣. 28. Habitabit in civitatibus deſolatis, & in domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redactæ.

PARAPHRASIS.

E lautitia in extremam inopiam deturbabitur impius, & judicium miniſtros fugiens ſe abdet, & in latebras urbium everſarum, domorumque dirutarum, ubi in ruderum cumulos materia congeſta eſt.

D

VErſus hic multiplicem interpretationem admittit, illamque minimè negligendam, quæ ait, impium è ſumma opulentia, & abuſu tyrannidis, æquo Dei judicio eò devenire, ut inhabitet civitates ſuas ab hoſtibus ſubverſas, domoſque collapſas, extincta gloria illa florentium urbium, amplia-rumque domorum, quas de direptis ſubditorum opibus conſtruxerat.

℣. 29. Non ditabitur, neque perſeverabit ſubſtantia ejus: neque mittet in terra radicem ſuam.

E

PARAPHRASIS.

Non diu locupletabitur impius, opeſque ipſius citò evaneſcent: non erit inſtar arboris altè radices defigentis.

SOllicitè impius divitias corradit, ſed cùm radices non agat, levi flatu diſſipatur. Non eſt tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, cujus folia minimè defluunt; ſed tanquam pulvis, quem proicit ventus à facie terræ. Porrò rem hanc exempla horrenda pervincunt, quale illud ſtulti divitis, cui dictum: ſtulte hac nocte repetunt animam tuam à te.

Pſalm. 1. 3.

F

Luc. 12. 20.

℣. 30. Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma: & auferetur ſpiritu oris ſui.

PARAPHRASIS.

Non evadet adverſam fortunam, & ignominiam: liberos ejus, quos proſperare curat, ira Dei conſumet; ipſeque de medio tolletur, id exigente ſpiritu, hoc eſt, indignatione, quam ore quaſi vomit, dum blaſphemias efflat in Deum.

G

TEnebræ hoc loco calamitates ſignificant, quas impius nequit effugere. Rami notant ſobolem, liberoſve impiè educatos, & ditatos, qui ſunt, quaſi rami à parente, tanquàm à ſtipite prodeuntes, quo Eliphaz Jobum vellicat, cujus filios ira Dei corripuiſſe videbatur. Illud verò: Auferetur ſpiritu oris ſui, perinde eſt, ac plectetur, extinguetur, de medio tolletur, ſpiritu, hoc eſt, propter ſpiritum, ſive iram vehementer flantem, qua Deum procacibus verbis impetit: Hoc ſpiritu mortem accerſit, quam Deus injuria irritatus infert.

℣. 31. Non credet, fruſtra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus ſit.

H

PARAPHRASIS.

Errat gratis impius, dum non ſibi perſuadet egere ſe auxilio, ut à graviſſimis malis liberetur.

PRetium hoc loco eſt precatio, favor, interceſſio, quibus gratia obtinetur, quemadmo-

Scripta admodum res vænales pretio comparantur.
An. 1610. Sensus autem est, eò erroris, ac cæcitatis impium decurrere, ut non credat, hoc est, non animadvertat, non cogitet, se indigere ope aliqua, qua à captivitate peccati, & pœnarum inde manantium redimatur. Quocirca stupidus, & amens, peccatorumque
A funibus constrictus non attollit mentem in Deum, non miteſcit, seseque Deo subiicit, ut à tot malis eripiatur. Profectò stupiditas hæc peccatoribus familiarissima est, quos impietas hebetat, & à Deo longissimè divertit.

℣. 32. Antequam dies ejus impleantur, peribit, & rami ejus arescent.

PARAPHRASIS.

Priusquàm impius senescat, interibit: & liberi ejus sub ætatis flore morientur.

B Dies implentur, cum expletur hominis ætas, quæ senio clauditur, severoque; Dei judicio impius non sinitur dimidiare dies suos, sed immaturus abripitur, ne pejùs noceat. Ejus rami, hoc est, liberi, uti superiùs dictum est, Dei flamma, irave arefient, neque adolescere permittentur præmaturæ mortis aggressu.

℣. 33. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, & quasi oliva proiiciens florem suum.

PARAPHRASIS.

Proles impii necabitur, ut solet vitis floreſcens pruina, ventove noxio aduri, eritque, ut olea læsa, quæ defloreſcit.

C Botrus hîc notat prolem immaturam, nam aliqui ex Hebræo vertunt, Omphacium, vulgò, agresta, idque similitudo, seu metaphora ipsa deposcit, cum Eliphaz agat de filiis impii celeri morte sublatis. LXX. sic habent: Vindemietur, sicut acresta, ante horam. Metaphora verò olivæ non ad floris eruptionem, sed ad flores deciduos, quos olea proiicere dicitur, pertinet: quod ex versione LXX. Interpretum patet, sic ajentium: Decidat tanquam flos olivæ. Confert sanè hoc ad impii infœlicitatem amplificandam.

LXX. Interpp.

LXX. Interpp.

D ℣. 34. Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. ℣. 35. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos.

PARAPHRASIS.

Familia impii simulantis. Dei cultum erit infœcunda. Deique ira demolietur amplas ædes peccatorum, qui muneribus corrumpuntur. Hic mos impii, ut animo primum concipiat scelus, quo aliis dolorem inferat, mox partu inauspicato malum exequatur: neque propterea cesset, sed animo semper cogitet, atque pertractet mala, quæ fraudulenter perpetret. E

COngregatio hîc ad sobolem, totamque familiam pertinere potest, nomen verò hypocritæ & peculiaris mentio eorum, qui munera libenter accipiunt, ad pungendum Iobum inducta videntur, quasi Dei cultum simulasset, & corruptè administrasset Remp. sibi creditam. Jam verò conceptus, & partus peccati satis notus est: hic verò concipere dolorem activè sumendum, dolorem scilicet aliis inferendum, quem impius concipere animo, sive cogitare dicitur. Dum tamen post verba illa, Concepit dolorem, F & peperit iniquitatem, subjungit Eliphaz, Uterus ejus præparat dolos, inexplebilem nocendi cupiditatem indicat, petita fœcundæ mulieris metaphora, quæ statim à partu iterum concipit. Hæc Eliphaz, qui satis ornatè de impio dixit: at longè aberravit, ratus ea, quæ prompsit, Iobo congruere, qui justitiæ candore luculenter enituit. Hic verò lector paululùm subsistat, cogitetque quid è sententiis ab Eliphaz graviter prolatis Iobus, immaniter afflictus haurire potuerit. Quid, inquam, senserit animus ille patientissimus, qui aculeata verba, quæ Eliphaz longa oratione connexuit, velut tela in cor mœstum intorta constanter excepit.

CAPUT XVI. G

℣. 1. Respondens Autem Iob dixit: ℣. 2. Audivi frequenter talia: Consolatores onerosi omnes vos estis. ℣. 3. Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?

PARAPHRASIS.

Respondit Iobus: sæpe audivi, quæ tu tanquam rara protulisti. Profectò vos pro solatio mihi onus molestum peccati imponitis, cujus me ob meam vexationem coarguitis. Au verba turgida cessabunt? An molestia afficieris Eliphaz, si ita loquaris? Credo equidem te non affici: secùs ego, qui pugnor. H

AMicos in oppugnatores, per sententiam erroneam mutatos, Iobus carpit, quòd oth-

Scripta An. 1610.

officio desint: suamque puritatem, inter dicendum, hoc capite asserit. Prompserat Eliphaz sententias arbitratu suo reconditas, selectas, opportunas: cui Iobus respondet, minime raras esse, quas ipse crebrò audisset, ac si diceret, non subesse causam gloriæ, tanquam arcana aliqua inexplorata detexisset. Statim verò conqueritur non fieri satis officio amicitiæ, quæ summo jure exigeret, amico ærumnoso à viris potentibus consolandi gratia profectis, aliquod solatium afferri; qui è contrario onus grave prostrato imponerent, crimina vitæ anteactæ imputantes, quo nihil molestius, cùm nihil ejusmodi conscientia suggereret. Quapropter, cessent, inquit, verba inflata, cum fastu edita: Et tu, Eliphaz, animadverte status tui, ac mei discrimen: tibi quippe nihil molestiæ verba tua inferunt, mihi verò quàm maximam, qui tanquam spiculis acutissimis percellor.

Jobi conquestio.

A

Injustæ objurgationis periculum.

Annotandum hic acerrimè interdum sauciari viros sanctimonia vitæ insignes, dum à viris sapientibus, à quibus consolationem requirunt, culpæ redarguuntur, quam ipsi accuratissimè vitare studuere: ægrè quippe innoxia conscientia fert importunas objurgationes, eo præsertim tempore, quo multiplex vexatio, Deique derelictio ingravescit. Pro consolatoribus onerosis, LXX. habent, Consolatores malorum, hoc est, consolatores mali, seu pessimi, est enim usitatus Hebraismus. Erga verba verò illa, Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris; annotandum observasse Iobum facilitatem mordacis sermonis in Eliphaz, & difficultatem audiendi in semetipso, ne quis ejusmodi affectus inter viros pios, ac sapientes demiretur.

B

LXX. *Insuff.*

Animadversio.

¥. 4. Poteram & ego similia vestri loqui: atque utinam esset anima vestra pro anima mea. ¥. 5. Consolarer & ego vos sermonibus: & moverem caput meum super vos: ¥. 6. Roborarem vos ore meo, & moverem labia mea, quasi parcens vobis.

C

PARAPHRASIS.

Posſem ego ad morem vestrum, turgidè, ac mordaciter verba facere, sed absit; optabile tamen est, ut vice mutata, ego prosperè agerem, vos in sterquilinio jaceretis. Tunc quippe blandè vos ad solatium alloquerer, & captis motu signa doloris exhiberem: adderem leni sermone vires, & loquerer indulgentiùs.

D

MOdus ille dicendi: Utinam esset anima vestra pro anima mea, perinde est, ac, Utinam esset status vester, qui meus, vita vestra, quæ mea. Ubi animadvertendum, viros perfectos, qualis Iobus fuit, minùs perfectis non modò optare, verùm precari morbos, infamiam, aliave temporalia mala, ut resipiscant, si in peccato jaceant, vel proficiant, si lentè incedant, vel nondum satis in schola virtutis miteścant. Motus autem capitis, licèt plerumque ad irrisionem usurpetur in Sacris, habet tamen multiplicem significationem, nunc lætam, nunc tristem, modò duram, modò suavem: Et hîç quidem ad commiserationem proculdubio ponitur, quod ipse contextus evincit. Illud verò, Moverem labia mea quasi parcens vobis, idem est, ac loquerer indulgendo vobis: non vos impugnarem, non premerem, non disceptarem, non vellicarem: nefas enim est addere afflictionem afflicto, liberale est parcere prostrato.

Motus capitis significatio multiplex.

E

¥. 7. Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me.

F

PARAPHRASIS.

Quò me vertam? neque sermo, neque silentium dolorem meum lenit.

PRofectò Iobus loquens, dolorem minimè leniebat, cùm sermo omnino deberet esse asper, ob calumnias, & criminationes disputatorum, quas refellere cogebatur. Silens verò nihilo mitiorem, imò acerbiorem ferebat cruciatum, amaris cogitationibus exagitatus, & ingenti mœstitiæ pondere oppressus. Etenim hic est status multorum, quos Deus graviter exercet, qui loquendo mœrorem colligunt, silendo augent, animus gravatur, halitus velut intercluditur, pectus turget, totusque homo se exonerare avet: nescit autem, quò se vertat, vereturque, ne dum virus evomere tentat, pejus venenum hauriat. Clementia hic opus est.

Afflictorum justorum status.

G

¥. 8. Nunc autem oppressit me dolor meus: & in nihilum redacti sunt omnes actus mei ¥. 9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me: & suscitatur falsiloquus contra faciem meam, contradicens mihi.

PARAPHRASIS.

Væ mihi; nam dolori immenso succubui, qui omnia membra consumpsit; Gero doloris inscriptum, cutem scilicet contractam: & ex hac ipsa calamitate arripit Eliphaz ansamume apertè criminandi, mihique acriter adversandi.

H

SEnsus Iobi est, gravissimè se opprimi, ita ut dolor carnem absumpserit: quod planè ve-

Scripta An. 1610.

nè verum esse quotidiana experimenta pervincunt; Obesum quippe corpus, succique plenum, paucorum dierum dolor, imò & afflictio gravis corporalis doloris expers emaciat, cutemque ac ossa dumtaxat relinquere videtur. Hinc cutis, quæ tensa priùs carne explebatur, sese contrahit, & rugas agens, effœtum corpus præmaturæ senecturi tradit. Hæc imago Iobi luctuosa, & ad commiserationem opportuna. Eliphaz verò, qui hîc falsiloquus appellatur, quòd falsa opinione nixus, in Iobum inveheretur, hoc ipso calamitoso aspectu excitabatur, Satana urgente, ad virum insontem, criminationibus, verbisque asperrimis lacerandum. Ille autem dicendi modus, Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, tantundem valet, ac rugæ testificantur me miserum esse, cui decor, & sanitas omnis, ac vigor ereptus fuerit: vel certè indicat, opinione Eliphaz, & aliorum concertatorum, rugas esse scriptum quoddam testimonium, quo illi abutuntur ad suam sententiam confirmandam.

A

℣. 10. Collegit furorem suum in me, & comminatus mihi infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

B

PARAPHRASIS.

Eliphaz vires suas in unum coegit, ut me furens invaderet: & minas intentans frenduit, strictisque dentibus ferociter insonuit, torvis oculis me respexit.

C

MIra est diversitas sensuum erga suppositum hujus, & aliquot versuum sequentium, an qui dicitur furorem colligere, sit Satan, an Eliphaz, an dolor, an Deus ipse. Omnia hîc probabilia, verùm mihi cohærentior videtur sensus, qui ad Eliphaz, & proinde ad reliquos ejusdem opinionis assertores pertinet. Appellarat illum falsiloquum, modò subdit, furorem collegisse quem effunderet, comminatum fuisse, fremuisse, trucibus oculis intuitum esse: quæ sanè omnia verosimillima sunt, non modò, ubi disputando animus excanduit, & quasi blasphemum concertatorem audiens cohorruit, verùm & in leviore certamine litterario, ubi plerumque posita rationum serie, voce, gestu, sibilo, excandescentia confligitur. Ergo minæ, fremitus, oculi terribiles acerrimum hostem evincunt, qui ut fidissimus amicus accesserat: eòque magis gestus hi, furoris indices, sese prodiderunt: quò religiosiùs se pro Deo dimicare graviter seductus Eliphaz existimavit. Pro terribilibus oculis, LXX. habent, Aere oculorum, alii, Spiculis oculorum ἀκίσιν ὀφθαλμῶν. Aquila sententiam ad numerum pluralem sic expressit: Adversarii mei acuerunt oculos suos, unusquisque in me: quod certè ad Eliphaz, & socios referendum videtur, qui Jobum, tanquam hominem furentem, ac blasphemum torvè intuebantur: cui profectò sensui verba proxima congruunt.

D

LXX. Interpp.

Aquila.

℣. 11. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt pœnis meis.

E

PARAPHRASIS.

More venatorum, captam prædam circumsistentium Eliphaz, ejusque socii ore aperto biarunt in me, peccata, quæ non admisi, exprobrarunt, ac despexerunt me, ut contemni solent, quibus alapæ palàm impinguntur. Cruciatus meus, lauta eis esca visa est, qua saturati sunt.

Vexatio dat intellectum.

DOlor acuit ingenium, suggeritque multiplicia sensa, oratoriè ac poeticè decurrentia, quæ ad amplificationem plurimùm valent. Simile quiddam de Jerusalem capta extulit Jeremias in hæc verba: Aperuerunt super te os suum, omnes inimici tui sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: devorabimus, &c. Oris nimirum apertione inexplebilis cupiditas exprimitur, ut mirum sit, quàm vehementer Satan tres amicos Jobi affecerit, & ad insontem infestandum afflaverit. Jam vero, quod ait, Percusserunt maxillam meam, incertum est, an simplici sensu, ut jacent verba, an tropicè accipiendum sit, neque rationes in utramque partem desunt. Ego propendeo in tropum, ad quod gravitate amicorum Jobi, & calamitate hominis tabefacti, quem cædere, vel attingere horror esset, inducor. Percussio ergo maxillæ erit gravis despectus verborum in faciem incurrentium, quibus tanquam alapis cæsa facies erubesceret. Lector, quod malit, seligat; potest quippe de alapis idem, quod de sputis censeri, non enim defuere, qui faciem Jobi conspuerent, ut ipse disertè scriptum reliquit, quod extremæ ignominiæ genus planè miror. Illa demum verba, Satiati sunt pœnis meis, metaphoram continent, quasi amicis, in hostes mutatis, pœna Jobi acerbissima lautissimum fuerit convivium, quo avidè usque ad saturitatem explerentur.

F

Thren. II. 16.

G

℣. 12. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.

H

PARAPHRASIS.

In hoc fimetum, velut in carcerem, me doloris catenis vinctum detrusit Deus, coram injusto censore, & potentiæ impiè disceptantium exposuit.

Eli-

Scripta An. 1610.

ELiphaz appellat iniquum, nisi fortè singulare sit pro plurali, ut LXX. Interpretes habent ἀδίκων injustorum: & in hunc modum versus totus ad omnes simul disputatores, quos impios vocat, pertinebit. Iniquitas autem, & impietas in assertione impia tuenda, & injustè cum homine innoxio agendo posita est. Vim habet ille dicendi modus, A Concluſit me, sic enim Deus electos compedire, seu vincire solet in ærumnarum carcere, ne libertate abutantur, & intereant. Illud verò, Et manibus impiorum me tradidit, apertè indicat Iobum Christi figuram prætulisse, qui traditus est impiorum manibus, & iniquorum furori permissus.

℣. 13. Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi, quasi in signum.

B

PARAPHRASIS.

Ego Jobus olim potens, inopinatò in ærumnam deturbatus sum; Deus tanquam luctator, apprehenso collo me prostravit, prostratum calcavit, calcatum uti scopum sibi posuit, in quem dolorum tela contorqueret.

GRaphicè describit casum, & calamitatem, Deique indignationem, qualem Jeremias expressit in hæc verba: Tetendit arcum suum, & posuit me, quasi signum ad sagittam. Significanter dictum est, Repentè contritus sum, post illa verba, quondam opulentus. Prosperitati quippe adversitas contigua pingitur, ut extrema duo longè dissita per vim conjuncta sese multò luculentiùs prodant. Illa verò cervicis, aut colli apprehensio, ad luctam pertinet, in qua alter alterius collum complexus, illum primum in terram decutit, statimque pessundat. Hoc lamentatur Iobus, quasi dicat: Nescio cur collum apprehenditur, ut subiugetur, quod nunquam riguit aut Dei jugum excussit. Quod verò justus sit, quasi scopus jaculorum Dei, benè est, qui de vulneribus salutem nunquam interituram recipiet.

Thren. 3. 12.

C

℣. 14. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in D terram viscera mea.

PARAPHRASIS.

Infixit mihi ærumnarum spicula undique hærentia, ita ut velut hispidus remanserim; corpus meum sauciavit, nec quicquam indulsit, unde viscera tabe colliquefacta in terram fluxere.

LAmentatur Iobus, se circumdatum doloribus, & ærumnis, quæ sunt lanceæ, seu tela Dei: quod ad internas simul, & externas afflictiones referendum. Illud verò, Convulneravit lumbos, ad corpus attinet, ex parte synecdochicè significatum; simile quiddam Ieremias luxit ajens: Misit in renibus meis filias, hoc est, sagittas pharetræ suæ: renes quippe, sicut & lumbi, pro corpore toto ponuntur. Quod autem ait: Effudit viscera mea, ad tabem fluentem pertinere potest. Pingit hîc Deum fortiter tela vibrantem, & nihil de pœna remittentem.

Ibidem v. 13.

E

℣. 15. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

PARAPHRASIS.

Loca ipsa primis jaculis saucia iteratis ictibus vulneravit: nimirum invasit me more gigantis.

F

POeticè variat orationis modos lugubres ad cruciatuum multitudinem, & acerbitatem exprimendam. Tam autem iteratio vulnerum, quàm alacritas gigantis ad conflictum accurrentis, ad mentem afflictissimi hominis repræsentandam appositissima est. Posset sic Jobus induci loquens: Quænam carnificina est hæc? Quid sibi vult hæc vulnerum geminatio? Jam mihi Deus lethalia vulnera principiò inflixit: quorsum ergo vulnera ipsa vulnerat, cùm locus novis vulneribus nullus pateat? Miror severitatem hanc; ego quippe imbecillis homo sum: & tamen Deus, quasi cum potentissimo aliquo hoste concertaret, gigantis habitu me adortus est, & validissimis ictibus trementem concussit.

Similitudo;

G

℣. 16. Saccum consui super cutem meam: & operui cinere carnem meam. ℣. 17. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt.

PARAPHRASIS.

Cùm me cernerem à Deo graviter vexari, extemplò me demisi, meque operui cilicio, & cinerem capiti insperſi. Flevi adeò, ut facies turgeret, & visus hebetaretur.

H

REfert hîc Iobus, quæ egit, sive mox, ut tristes nuncios accepit, sive in sterquilinio, ubi decubuit: utrumque enim probabili ratione asseritur: Saccus hîc asperam tunicam è tela rudiore significat, quæ quidem vestis, unà cum cinere adsperso, & copioso lacrymarum imbre, animum demissum

Saccus quid?

Scripta An. 1610.

& usitatum pœnitentiæ agendæ habitum notat: quod in Scriptura sacra adeo tritum est, ut cinis, cilicium, & lachrymæ, quædam pœnitentiæ, & humilitatis nota hieroglyphica sint. Jam autem tumor in facie, & visus hebetatio ex humiditate, quæ resolvitur à cerebro, ac decurrit nimio fletu, effectus creberrimi sunt.

A

℣. 18. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces.

PARAPHRASIS.

Mala gravissima, quæ recensui, absque culpa pertuli: quod sanè credendum, cùm solerem puro corde Deo preces offerre.

B

EO lamentatur mœstiùs, quò acerrimum cruciatum, cùm innoxia vita comparatum, attentiùs contemplatur. Duo verò non ad jactantiam, sed ad divinæ veritatis assertionem commemorat, manus, hoc est, opera, absque iniquitate, & preces mundas, sub quibus omnem Dei cultum, religionemque complectitur. Potest autem sic exprimi Iobi sensus: Ecce qualia, quàm atrocia fero supplicia, cum explorata, quoad possum, conscientia opera justa, cum religioso Dei cultu me conciliasse comperiam? Profectò hinc vehementer dolor invalescit meus, quod cruciatum peracerbum me non commeruisse credam. Nescio, quousque pœnas de me sumet Deus, quem equidem non irritavi.

Jobi conquestio.

C

℣. 19. Terra, ne operias sanguinem meum, neque habeat locum in te latendi clamor meus. ℣. 20. Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.

PARAPHRASIS.

Te compello, terra, ego morior insons: ne celes meum sanguinem: ejusque vocem ne tuis cavitatibus excipias: sed extollatur in cœlum, ubi est Judex bene conscius innocentiæ meæ, quæ validè oppugnatur.

D

VIdetur Iobus alludere ad sanguinem Abel, cuius vox de terra ferebatur in cœlum, cùm per iniuriam fuisset fusus in terram. Mens ergo Iobi sic exprimenda: Nolo, terra mox absorbeat sanguinem meum, tabemve decurrentem: habet quippe sanguis innoxii hominis, licèt corruptus, ac fœtidus vocem suam, quæ in cœlos effertur, & judicis officium implorat. Nolo ergo, vox hæc sanguinis mei terræ visceribus condatur: nolo sanguis meus clamandi peritus præfocetur in terra, sed in cœlos celerrimo volatu penetret. Ibi enim habeo testem, hoc est, spectatorem perspicacissimum animi mei, benè conscium meorum affectuum, quem in terra nefariè accusatus appello. Profectò hæc Jobi verba mirum ægrè affecti animi significatum produnt, quandoquidem res inanimes compellat, quas innocentiæ assertrices invocat. Verbis verò illis, Ecce in cœlo est testis meus, ostendit vir planè fortissimus, spem inter procellas immotam, uti anchoram tutam, ac firmam, & (quod est mirabile) incedentem usque ad interiora velaminis. Ille autem dicendi modus, Terra, ne operias, &c. apostrophem habet poeticam, eamque sanè pulcherrimam, energiaque plenissimam, quasi Iobus diceret: Ecce tot hostibus obsideor, & veritas inter mortales incognita, & proculcata jacet: admoneo ergo te, ô terra, ne mihi adverseris, interim dum terreni homines me falsò criminantur, & veritatis splendori tetrum velum oppandunt. Porrò viris justis calumnias, & criminationes patientibus, appositissimum consilium est, meminerint, se habere testem animi oculatum, beneque conscium rerum in cœlis, quò conscientia tuta suspirat, & vexatio clamorem intendit.

E

Jobi fortitudo.

F

℣. 21. Verbosi amici mei: ad Deum stillat oculus meus.

PARAPHRASIS.

Animadverto amicos meos superflue verba mihi infesta profundere: nihil cum eis colloqui prodest, quocirca Deo lachrymas vim verborum habentes offeram.

G

NON est boni Rhetoris strictam orationis connexionem exquirere, dum affectus invaluit: quod ex tribus versibus modò explanatis, quorum singuli seorsim ire videntur, perspici possit, at optima connexio, quæ in homine afflicto cum affectu cohæret: oratioque ipsa eò ornatior, quò sensui animi graviter anxii congruentior. Ille modus dicendi: Ad Deum stillat oculus meus, perinde est, ac Deum alloquitur oculus meus: per lacrymas videlicet, quæ verba efficacissima sunt, ut credidit ille, qui dixit: Auribus percipe lacrymas meas: quæ nisi verba essent, auribus minimè perciperentur. Hic sermo vivus, & efficax, quo utendum, ubi mortalium auxilia desunt, aut verba nocent.

Psal. 38. 13.

H

℣. 22. Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Opto sanè, dum ago cum Deo causam meam, sic dijudicari, ut apud homines fieri consuevit, dum alter cum altero litigat. Horum quippe justitia vel injustitia prolata sententia promulgatur.

A APpellarat Jobus Deum, suæ justitiæ benè conscium: & cùm cerneret concertatores suos conscientiæ testes esse nequire, subjunxit cupere se, Deus sententiam pronunciaret, eo planè modo, quo in hominum tribunalibus factitari solet, ubi demum lis dirimitur, & sententia pro innocenti fertur, qui universis Reipublicæ hominibus patefit. Hoc votum Jobi, cui Deus annuisse videtur; nam sub finem libri Deus ipse pro Jobo gravissimè pronunciat, ejusque justitiam commendat.

℣. 23. Ecce enim breves anni transeunt: & semitam, per quam non revertar, ambulo.

B

PARAPHRASIS.

Deum appellavi conscientia fretus: serioque id, uti homo morti proximus: vitæ quippe tempus breve iam iam absolvitur, & ego viam mortis tritam ingredior, unde non remeabo.

Viris justis imminente morte qualis sermo?

FAmiliare est, viris præsertim piis, ac sapientibus, mortis hora imminente, graviter, sanctè, & appositè loqui, cum jam te coram judice sistendum cogitent, nolintque ullius culpæ rei peragi, quam in hac vita nequeant expiare. Quocirca, cum Jobus mira de se prompsisset, quæ iniquis æstimatoribus parùm probari novit, subdit se non inconsultò illa protulisse, at ex præmeditatione, eaque demum confirmare eo sensu, & maturitate, quæ deceat virum pium, suæ salutis cupidum, qui mortis nuncio jam vocatur ad tribunal, ubi sit rerum, verborumque rationem redditurus. Ambulo, inquit, semitam, per quam non revertar, hoc est, eò gradior, unde non regrediar. Videtur autem Jobus hac ipsa oratione velle Dei clementiam urgere, maturet ei benefacere, quæ infinitæ bonitatis propensio est: labi tempus, pauloque post non fore in hac vita Jobum, quem afflictum recreet, cui insonti opituletur, ex quo divinæ gloriæ insignis fiet accessio.

C

D

CAPUT XVII.

℣. 1. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi supersit sepulchrum. ℣. 2. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. ℣. 3. Libera me, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

E

PARAPHRASIS.

Respirandi vis deficit, vitæque tempus adeò festinat elabi, ut mox sepeliendus sim: lacrymasque exprimit peramaras causæ status, quia cùm non peccarim, quasi peccator accusor, & intereo. Quocirca precor te, summe Deus, me ab his molestissimis calumniatoribus eripias, & apud te innocentia assertorem statuas. Tunc verò nihil curo, si protervus quilibet criminator mecum disceptet.

DEscribit hoc capite Jobus statum calamitosum, vitamque jam deficientem, cui nulla salus inter mortales speranda sit, obiterque suos impugnatores vellicat. Spiritus, inquit, meus attenuabitur, ut notet vim respirandi per momenta decrescere, undè palàm efficitur, ut vitæ tempus modicum supersit, statimque tumulandus sit. Potest autem attenuatio spiritus ad respirandi difficultatem, quam vocant dyspnœam, vel asthma referri, vel etiam ad extenuationem spirituum vitalium: at certè tot suberant in homine tabido mortis causæ, ut non multùm referat hanc, illamvè disquirere. Illud tamen afflictum vehementer angebat, quòd non peccasset, & tanquam flagitiosissimus homo torqueretur, ut metitò dixerit, Oculum in amaritudinibus morari, hoc est, diù flere, longum fletum evergere, fletum inquam amaritudine plenum, qui fortasse somnum abigebat, ut noctes fletu insomnes ducens, rectè morari, seu cunctari, vel diutiùs amarè flendo perseverare dictum sit. Verba verò illa, Pone me juxta te &c. quam sint animi afflicti propria, nemo non videt. Habet illa Dei expetita propinquitas pondus maximum ad animum roborandum, quod Theologi rerum internarum consulti benè norunt. Evenire quippe solet, ut viri planè piissimi aridítate molestissima, gravissimisque Dei repulsis, ac tentationibus veluti fracti, videantur sibi expositi jaculis acerrimorum hostium, à quibus mors peracerba inferenda sit: qui tamen statim ac Deus se adesse, proximè agere, favere velle significat, robur immensum concipiunt, & cum tartaro universo se confligere posse persentiunt. Meritò ergo Jobus tetricè repulsus orat, Pone me juxta te, ac si dicat: Satis pugnatum est, satis graviter me rejecisti, ex quo imbecillis effectus contabui: nunc igitur fave dejecto, fac tibi propinquem, tuoque robore armer: nullumque congressum formidabo.

F

Animi afflicti descriptio.

G

Propinquitas Dei animum roborat.

H

Scripta An. 1610.

℣. 4. Cor eorum longè feciſti à diſciplina: propterea non exaltabuntur.

PARAPHRASIS.

Amicorum meorum mentem à vera doctrina procul aberrare permiſiſti: quapropter non erit, cur ſapientiæ nomine glorientur.

A

ILlud, longè feciſti à diſciplina, non actionem, ſed permiſſionem Dei ſignificat: Deus quippe homines non agit extra ſapientiæ ſcholam, ſed agi ſinit. Illud verò, Non exaltabuntur, perindè eſt, ac non gloriabuntur, non me cauſa vincent, non laudabuntur, ut ſapientiores me, quod certè rei exitu, luculentoque Dei judicio ad calcem libri hujus demonſtratum eſt.

℣. 5. Prædam pollicetur ſociis, & oculi filiorum ejus deficient.

B

PARAPHRASIS.

Ex hoc liquet amicos meos aberraſſe à diſciplina, quòd de me malè locuti dixere: Jobus partem rapinæ promittit conſortibus, & tamen ne filios ipſos ſuos, quorum ſpes periit, fortunare potuit.

MImeſis irriſoria eſt, quæ cum verſu præcedenti connectitur, interpoſito verbo, dixerunt. Inducuntur ergo amici, qui rapacitatem Jobo obiiciebant, ſic loquentes; Prædam pollicetur ſociis, hoc eſt: Iobus tyrannus civiumque direptor ſolebat ſuæ tyrannidis conſortibus prædæ partem polliceri, & tamen tantùm abeſt, ut particeps ditaverit, ut ne liberos quidem ſuos, quos oportebat primùm prædæ ſortem accipere, locupletare potuerit. Spes quippe illorum defecit. Oculi, inquit, filiorum, hoc eſt, ſpes oculorum intuitu notata: ſolent quippe, qui ſperant, creberrimè oculos in rem ſperatam, locumve, unde proventura bona ſperant, conjicere, ipſeque intuitus cum affectu directus ſpei expectationiſque ſymbolum eſt.

C

Spei cum oculis cognatio.

℣. 6. Poſuit me, quaſi in proverbium vulgi, & exemplum ſum coram eis.

D

PARAPHRASIS.

Heu me! Deus me deriſui populi expoſuit, ut eſſem triſte miſerorum exemplar.

SImile quiddam prompſit Ieremias in hæc verba: Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum tota die. Significat ergo Jobus extremam abjectionem, quæ ſolet accidere, cùm quis antea opulentiſſimus, ac nobiliſſimus in prodigioſam inopiam, & ignominiam incidit, In proverbium vulgi, tantundem valet, ac ſi Iobus ſic efferret: Eò me Deus abjecit, ut quando contingit, popularem aliquem velle ſignificare quempiam alium eſſe infœliciſſimum, hoc utatur proverbio: Eſt alter Iobus: quaſi ſuprema calamitas nequeat ullo modo ſignificantiùs exprimi. Illud verò: exemplum ſum coram eis, perinde eſt, ac ſi Iobus diceret: Profectò plebs me deridet eo ipſo, quòd ſi velit plebejus aliquis alicui malum imprecari, dicit: Fias qualis Jobus. Ad hunc ferè ſenſum proverbium, & exemplum exponenda viſa ſunt, pro quibus LXX. Interpretes fabulam, & riſum habent, quæ eodem recidere videntur. Annotandum hîc, memoriæque mandandum portentum hoc: quis enim non expendat, virum præclariſſimum, regia dignitate inſignem repentino caſu eò deveniſſe, ut à plebe irrideretur, & in proverbii occaſionem verteretur? Sic exerceri debuit, qui tam eximiè proſperandus erat.

Cap. 20. v. 7.

Calamitas Jobi in proverbium inducta.

LXX. Interpr.

Perutilis animadverſio.

℣. 7. Caligavit ab indignatione oculus meus: & membra mea, quaſi in nihilum redacta ſunt.

E

F

PARAPHRASIS.

Cernens mihi à populo illudi, patior iræ motus varios, quibus oculorum acies ob multum ſanguinem, ſpiritumque eò confluentem hebetatur, totumque corpus ob immodicam commotionem, quam multo conatu reprimo, conflacceſcit, & velut conſumitur.

INdignationis nomine aliqui dolorem aut mœrorem intelligunt: ac congruentiùs videtur, iram ſignificet, cujus effectus eſt oculorum obtuſio, & viſus extenuatio, totiuſque corporis concuſſio, atque defectio. Neque obſtat, indignationem hanc non videri decere virum perfectum, atque conſtantem: non enim laus virtutis in ira minimè ſentienda, ſed in coercenda poſita eſt: neque viros planè dedecet is iræ ſtimulus, præſertim cùm ex Dei permiſſu fit copia Satanæ, excitet bilem ac vehementiùs urgeat: ſicut Apoſtolum non dedecuit ſtimulus carnis, quo acerrimè pungebatur. Alia quippe eſt ratio paſſionis indomitæ, alia excitatæ, & ad luctam commotæ. Quod verò Jobus ait, Membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt, validiſſimum luctatorem oſtendit, qui contentè repugnaret. Et quidem ſic uſu venit, ut è pertinaci reniſu, paſſionumque ſubjugatione, animo interim victore, corpus frangatur, & velut malleis contuſum concidat.

G

2. ad Cor. 12. 7.

H

℣. 8. Stupebunt juſti ſuper hoc; & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur. ℣. 9. Et tenebit juſtus

Scripta An. 1610.

stus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.

PARAPHRASIS.

Viri justi me iustum derideri, ac excruciari cernentes, sanè mirabuntur: & insons adversùs impium de piorum ærumna insolescentem excandescet; neque propterea recedet à recta iustitiæ via: imò hinc magis roborabitur, ut puris, piisque operibus insudet.

A

PRofectò antiqua, & gravis controversia hæc de piorum afflictione viros eximios torsit stupentes, quî fieret, ut cùm pœna è culpa originem ducat, viri pii, ac insontes plecterentur: quod Jobus hoc versu confirmat. Quod verò addit, Innocens contra hypocritam, hoc est, impium bona simulantem, aut impietatem contegere studentem, suscitabitur, simile est ei, quod David extulit: Dum superbit impius, incenditur pauper. Impius nimirum se prosperatum contuens, pium dejectum, ærumnosumque despiciens, perstat in errore, & sortem suam potiorem pii sorte censet: unde insolentia, & pietatis contemptio vires acquirunt. Quocirca pauper pius incenditur, sive, ut Jobus ait, suscitatur, zelo inflammatur, & insurgit adversus impium, & licèt à Deo acerbè tractetur, causam pietatis propugnat, & cum impiis validè confligit. Conscientia ergo teste, veram sententiam tuetur, tenetque justus viam suam, hoc est, à cœpto justitiæ cursu minimè desistit; quin potius addit fortitudinem mundis manibus, hoc est, puris operibus, nam seipsum inculpatè agentem roborat, atque constabilit, ut tantò ipse fiat pietate constantior, quantò impius curat esse deterior. LXX. Interpretes velut exhortando vertunt: Admiratio tenuit veraces super hoc: Justus autem super inimicum consurgat: teneat autem fidelis viam suam, & purus manibus sumat audaciam. Hæc illi, quasi dicerent: Nemo justus animo cadat; quantumvis à Deo videatur severè repelli, quin etiam pietate armetur, & in agmen impiorum alacer insurgat: persistat in bono cœpto, & fidenter congredi audeat.

B

Psalm. 9. v. 23.

LXX. Interpp.

C

℣. 10. Igitur omnes vos convertimini, & venite, & non inveniam in vobis ullum sapientem.

D

PARAPHRASIS.

Cùm vera proferam, quid cunctamini me infestantem? Mutate sententiam, accedite, rem pensitemus, patebitque inter vos neminem à me sapientem posse reperiri.

EXhortatur Jobus amicos, mutent animum, desistant à tuenda erronea sententia, aitque fidere se, si rem cogitent, nihil sapientiæ apud eos inventum iri. Alii existimant his ipsis verbis Jobum non admonere, hortarive ad resipiscentiam, sed ad certamen, quasi omnes lacessat: Omnes vos convertimini, hoc est, collatis viribus confertim mecum congredimini: venite, non enim vereor, refugiove confligium: imò planè confido evicturum me neminem è vobis esse sapientem. Utraque expositio idonea, in altera pietas, in altera magnanimitas elucescit. Pro ultimis verbis LXX. habent: Non enim invenio in vobis veritatem: quasi perinde sit, non invenire sapientem, & non invenire veracem.

Alia textûs explicatio.

E

LXX. Interpp.

℣. 11. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum, ℣. 12. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem.

PARAPHRASIS.

Dies vitæ jam fluxerunt, subiereque importunæ cogitationes in varia monstra distractæ: quæ me discruciant, ut noctes ducam insomnes; noctisque tempore, quo quiescendum esset, inquietus diem exoptem.

F

QUI graviter affectus est, nequit longum sermonem pertexere, quin doloris sensu recrudescente, gemitus, querimoniasve resumat: quod nunc Jobus evincit. Vix nimirum exhortatoria verba expleverat, & mox ingravescens mœror animum aliò abripuit, lugubresque modos suggessit, quibus ad leniendum dolorem indulgendum fuit. Conqueritur se jam penè vita functum esse, patique cogitationum evagationem, ac in varia spectra dissipationem, quæ insomniam molestissimam efficit. Ille dicendi modus, Cogitationes meæ dissipatæ sunt, perinde est, ac si Jobus ita lamentaretur: Vellem ego cogitationes meas omnes in rem aliquam jucundam intendere, quæ calamitatem elevaret: at frustra id conor, invitusque motus multiplices, & imagines formidolosas patior, à quibus nequeo vim imaginatricem avertere. Hæ sanè cogitationes cor laniant, & me perenni vigilia consumunt. Duo ergo mala, quæ nemo, nisi expertus satis ponderet, conjunxit, insomniam, & cogitationum fluctus, cogebatur scilicet vigilare, ut oppugnaretur: ex quo efficitur, ut diem optaret, si fortè diurnis imaginibus nocturnas dispelleret, minusque dirè torqueretur.

Ubi conquestio.

G

Silentium quibus molestum?

H

℣. 13. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. ℣. 14. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea vermi-

Scripta An. 1610.

mibus. ℣. 15. Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?

PARAPHRASIS.

A *Quid spes mihi consumpto iam superst? Profectò si expectem, quod revera imminet, sepulchrum est mihi pro domo, ubi clam locus, & quasi lectus meæ quietis paratus est. Iam ego incipio habitatores illius domus blandè compellare, putredinem scilicet patrem, vermes matrem, ac sorores, quippe qui alios ibi parentes, & consanguineos non inveniam. Cùm ergo hæc ita se habeant, nec possim aliud in hac mortali vita sperare; quænam est hæc expectatio, & pro recuperanda prosperitate tolerantia, quam vos, amici, consideratis, & hortamini?*

B TEntarunt tres amici Iobum de sententia deducere, polliciti fore, si resipisceret, Deus vicem commiseratus, quæ iratus sustulerat, bona reponeret, quemadmodum superiùs proprijs in locis ostensum est. At Jobus, qui se iam eò decurrisse cerneret, ubi nulla salutis instaurandæ spes in præsidijs ineesset humanis, sciretque miracula à Deo postulanda non esse, eò totus incumbit, quò se divinæ providentiæ ordine agi considerat. Iam ergo sanie defluente, vermibusque consumptus sic amicos alloquitur: Vos me in amissæ prosperitatis reparandæ spem erigere adnitimini: sed quorsum? Ego enim naturali ordine eò deveni, ut nequeam ulla mundi ope, arte ulla convalescere: à Deo verò miracula, quæ pollicemini, postulanda non sunt, imò eius placito assentiendum. Ipse verò palàm ostendit, velle me mox ex hac vita subducere. Quapropter tametsi verbis vestris fiderem, nihil aliud mihi boni contingeret, quàm sepulchrum, lectuluque in tenebricoso loco paratus: statim condar: saniusque consilium est, cogitare prosperitatem, quam spondetis, non redituram, non fore ultrà consanguineos, aut amicos ullos, qui mecum in amplis, & regijs aulis degant, sed successuram mihi putredinem pro parente, vermes pro matre, ac sororibus: atque idcirco ijs nominibus domus meæ habitatores, à quibus confestim excipiar, appello. Ne ergo suadeatis bona temporalia expectem, ac patienter agam: nam de me, quod attinet ad fluxa mundi bona, actum est. Affectus hic in rebus inclinatissimis, dolentium proprius est, ut ostendit exul quidam in hæc verba:

Iobi allocutio ad amicos.

Miracula a Deo minimè postulanda.

C

D

Ovid. l. 2. de Pont. Ep. 7.

Iam mihi fata liquet cæptas servantia cursus
Per sibi consuetas semper itura vias,
Observare Deos, nec quid mihi cedat amicè,
Verbaque fortunæ vix puto posse dari;
Est illi curæ me perdere, quæque solebat
Esse levis, constans, & bene certa nocet.

Infernus hic pro sepulchro ponitur, ut sæpe alibi in Scriptura sacra. Neque est curiosè disquirendum, cur putredinem patrem, vermes matrem, ac sorores appellarit: non enim his in rebus scrupulosa illa proprietas, sed proportio requirenda. Mens autem Iobi fuit eludere amicorum inania promissa, puta palatia, cognatos, amicos, famulos, & id genus alia: & ad rem hanc prompsit sepulchrum pro aula regia, vermes, ac putredinem pro parentibus, cognatis, amicis, aliisque id genus ad prosperum statum spectantibus. E

℣. 16. In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies?

PARAPHRASIS.

F *Quicquid in me cernitur, non iam in hac vita fortunandum, sed in abditissimo sepulchro reponendum. An & illic à doloribus, & ærumnis requiescam?*

COnfirmat quod de domo, lectuloque protulit, ne suis impugnatoribus locus falsa promissa obtrudendi pateret: omninoque profitetur, se citò humandum, atque idcirco à promissis vanis temporalis felicitatis abstinendum. Profundissimus infernus hic, iuxta communem scriptorum interpretationem sepulchrum est, quod profundissimum, hoc est, altum maximè, profundè admodum defossum dicitur. Subdit autem interrogationem ad affectum anxium exprimendum appositissimam: Putasnè saltem ibi erit requies? hoc est, an credis me ibi afflictione cariturum? Adeò quippe mihi familiaris, & velut nativus dolor effectus est, ut ne à mortuo quidem corpore divelli posse videatur.

Sepulchrum infernus dictum.

G

CAPVT XVIII.

℣. 1. Respondens autem Baldad Suhites dixit. ℣. 2. Usque ad quem finem verba jactabitis? intelligite priùs, & sic loquamur. H

PARAPHRASIS.

Respondit Baldad Iobo, & Elipbaz, quorum prolixa, & inepta visa fuerat oratio: Quousque tandem vana verba effutietis? vide-

Scripta An. 1610.

videmini ſtatum controverſiæ minimè aſſecuti, capite priùs rem, & appoſitè dicamus.

BAldad graviter turgens invehitur hoc capite in Iobum, quem impatientiæ, ac impietatis accuſat. Incipit vehementer, quaſi ventum diù conceptum, violenterque retentum efflans, ipſaque pluralis numeri
A ratione demonſtrat, ſe non in Iobum duntaxat excanduiſſe. Veroſimile autem eſt, illum ægrè tuliſſe longam Iobi & Eliphaz orationem, Iobi quidem, quòd impiè opinari, ac loqui videretur, Eliphaz verò, quòd Iobum minimè convinceret, aut premeret. Et hæc certè ratio illum potuit commovere: ipſe tamen rationem profert alteram gravitatis, & indignationis plenam, dum ait: Intelligite priùs, & ſic loquamur: hoc eſt, nondum intellexiſtis controverſiæ ſtatum, quod videtur planè mirabile; animadvertite, & expendite rem, & ordine ſervato loquamur. Verba ergo iactari aſſeruit, quaſi ſola forent verba moleſtè repetita, nec de rei momentis ratio ulla
B prorſus haberetur.

℣. 3. Quare reputati ſumus ut iumenta, & ſorduimus coram vobis?

PARAPHRASIS.

Profectò dum vos ſoli verba iactatis, omnes nos reliqui deſpicimur tanquam animantia rationis, ac ſermonis expertia, & à vobis viles, ſordidique homines cenſemur.

Quibuſnam ſilentium moleſtum?

FAmiliare eſt ijs, qui cùm ingenio, & eloquentia ſibi præſtare videantur, ſilere coram alijs loquentibus coguntur, id ægerrimè ferre, dictitareque ſe deſpici, negligi, deriſui haberi, iumenta putari, & id genus alia: ex quo affectus vehemens excandeſcentiæ plenus erumpit, & linguam ad
C verba contumelioſa licentiùs laxat. Hæc ad Iobum & Eliphaz: nunc Iobum ſolum aggreditur.

℣. 4. Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco ſuo?

D PARAPHRASIS.

Heus tu Iob, qui impiè iraſcens vitam conſumis tuam, quid agis? Inſolenter profectò loqueris, dum deſperata vita, mortem cum immodica tui exiſtimatione accerſis: quaſi verò te intereunte terra à ſuis habitatoribus deſerenda, & ordo rerum, rupibus ab radice convulſis, alioque reiectis, perturbandus ſit.

SEnſus Baldad, qui relicto Eliphaz, Iobum pergit urgere, eſt, nequiter illum agere, qui immoderato mortis deſiderio vitam conficiat: neque verò multum referre, quod Iobus vanè inſoleſcens defungatur: non propterea terram habitatore carituram, rerumque commotionem prodigioſam, puta rupium convulſionem, ſucceſſuram, quaſi obiret eximius aliquis orbis terrarum moderator, ſine quo neque genus humanum propagari, neque res quantumvis firmæ conſiſtere poſſent. Etenim non ſine faſtu videtur Baldad Iobi faſtum velle proculcare. At excanduerat. E

℣. 5. Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? ℣. 6. Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur. F

PARAPHRASIS.

Quid mirum, ſi pereas, ô Iob, ad extremam ærumnam deturbatus? ſanè proſperitas impij evaneſcit, & ſplendor eius emoritur. Claritas illa, qua domus eius videbatur illuſtrari, obſcuratur, & lux emendicata deficit.

PErinde eſt, quod Baldad enunciat, ac ſi diceret: Videris Iob animam agere, & proſperitatem deſperare: qua ſanè in re tibi rependitur, quod commeruiſti. Impietati nimirum tuæ pœna redditur, ut quicquid illuſtre, aut ſplendidum mortalium oculis exhibuiſti, obtenebretur, & in hac ignominioſa obſcuritate intereas. Sic nempe à Deo conſtitutum eſt, ut lux impij extinguatur, neque decet, ut tui gratia hic divinæ providentiæ ordo mutetur. Non hîc ſubtiliter exquirenda diſtinctio lucis, flammæ, ignis, lucernæ: poeticus quippe ſermo varijs nominibus ad eundem ſenſum concinnatus ornatur, & amplificatur. Non eſt autem extra rem, ut lucerna ultimo loco poſita peculiare quippiam notet, puta, lucem emendicatam, hoc eſt, è varijs occaſionibus petitam, opibuſque ſubditorum, tanquam oleo nutritam: ut lucernæ ſignificatio tyrannicæ direptioni, qua iniuſtus Princeps ſubditorum ſpolijs locuples, ac ſplendidus apparet, aptetur. G

Quid ſignificet lucerna?

℣. 7. Arctabuntur greſſus virtutis eius, & praecipitabit eum conſilium ſuum. ℣. 8. Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat. H

PA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Conatus impij robore ſuo innixi retardabuntur, & ſuomet conſilio concidet: inopinus quippe ſe ſuis machinis irretivit, & velut per retis plagas incedit.

A SUbdit Baldad, ut Iobum pungat, fruſtra impium conari, quæ in mentem veniunt, cùm ad iuſtitiam Dei pertineat, conantem intercipere; ne quæ mala cogitarat, abſolvat. Arctare greſſus, eſt reprimere, compeſcere, præpedire, ſicut à contrario dilatare greſſus, eſt expedire, proſperare, conatum, progreſſumque rerum benè cadentium adiuvare, promovere. Greſſus virtutis idem eſt, ac conatus robuſti, contenti, nervoſi. Iam verò, conſilio ſuo præcipitari eleganter dicuntur, qui ſuo conatu mortem, & calamitatem ſibi conflant, ſuo, ut aiunt, gladio iugulantur, ut Goliath, & Holofernes. Ille autem dicendi modus,

B Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat, appoſitiſſimus eſt ad imprudentiam, qua impius mala ſibi conſciſcit ſignificandam. Multa molitur, quæ ſibi fæliciter ſucceſſura vaticinatur, & tamen per ea ipſa de medio tollitur, quod in aulis Principum paſſim cernitur; ubi primores mille modis gratiam inire ſatagunt, neque rarò neci addicuntur ab ijs Principibus, quorum benevolentiam captarunt. Hoc rete palatinum. Retia ſunt & alia, per quæ ambitioſi, & voluptuarij rerum ignari, nunc ex altera plaga pedem efferentes, & in aliam inferentes incedunt, quibus denique implicati pereunt. Retia fuerunt Abſalonis capilli, quibus ſuſpenſus interijt.

Imprudentia impii.

2. *Reg.* 18. 10.

C ℣. 9. Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.

PARAPHRASIS.

Poſtquàm impius ſuis ſe retibus innexuit, pes eius manet tenaciter laqueo conſtrictus; tunc verò inexplebili ſiti ad eius opes latrones anhelant.

SIgnificat Baldad, æquo Dei iudicio, impium divitem ipſis conatibus, & artibus ſuis, quibus ampliùs fortunari ſatagit, capi, captumque teneri, ne quæ cogitavit, expleat: neque hoc tantummodò, ſed tunc

D fures, alioſve invaſores incredibili aviditate, quæ hic appellatur ſitis exardeſcens, ad eius opes inhiare. Quòd verò ſitis non ſit in hoc loco, quæ impium ipſum vexat, ſed qua alij æſtuant, LXX. Interpretum verſione ſuadetur, quæ ſic habet: *κατισχύσει ἐπ' αὐτὸν δηρῶντας*, Confortabit contra eum ſitientes. Sic imprecatus eſt David: Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius.

LXX. Interpp.

Pſal. 108. 11

℣. 10. Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.

PARAPHRASIS.

Securè ſibi videtur incedere impius, & neſcit ſibi dolum lethalem clàm paratum, quemadmodum venatores in foveis, & mediis ſemitis abſconditè laqueos feris tendere ſolent. E

NOtum eſt aucupes, ac venatores ita laqueos parare, ut ſimplicia animantia aliud agentia repentè ſtrangulentur, aut viva comprehendantur, aut denique in foveam ramorum ſuperiniectu, aliove artificio contectam incidant, ubi lanceis, aut venabulis ſauciata intereant, vel ſine nocumento capiantur. His ergo dicendi modis, quos Baldad quatuor verſibus expreſſit, idem ſignificat, impium ſcilicet varijs modis, vel à ſe F excogitatis, vel ab alijs inventis capi, & impietatis pœnas demum luere. Pedica ergo abſcondita referri poteſt ad prædonum inſidias, qui è latebris inopinum impium adoriuntur: Decipula verò ad ſimulatas pacis, vel familiaritatis artes, quibus illectus impius ab ijs, quibuſcum verſabatur, quoſque ſibi fidos amicos exiſtimabat, interficitur.

Venatorum artificia.

℣. 11. Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes eius.

PARAPHRASIS.

Timor, quacunque aſpiciat, affliget impium, eiuſque greſſum impediet. G

EXploratum eſt, conſcientiam impij mille timoribus, concuti, ſemperque gravia mala ſuſpicari, ipſoque metu nutare, ac præpediri ne elebatur, ne tam validè obſtacula ſuperet. Etſi enim timor fugam ſuggerat è locis quoque tutis; fugit enim impius nemine perſequente, conſcientia tamen onerata peccato, cui ſuccubuit, fugere parantem prægravat, & pedes quaſi laqueis implicat, vel involvit. Vndique terretur, quia quocumque ſe vertat, inde inſidias pertimeſcit. Irrogavit iniuriam Deo immenſo, qui cùm ubique imperet, undique par eſt, impius necem expectet.

Prov. 28. 1.

Impius perpetuus terror.

H

℣. 12. Attenuetur fame robur eius, & inedia invadat coſtas illius.

PARAPHRASIS.

Impius, qui bene pinguis ac vegetus ſe dapibus explebat, eò decurrit, ut robur eius fa-

Scripta An. 1610.

fames absumat, & coactis ieiunijs latera conflacescant.

ATtenuetur robur, invadat costas, potest esse imprecandi, aut certè asserendi modus. Imprecatio erit, si ita enuncietur: Vtinam robur eius attenuetur, vis enervetur, vigor langueat. Erit assertio cum iustitiæ laude in hunc modum: Aequum Dei Iudicium est, ut attenuetur fame robur, vigor, vis impij, & ieiunio eius latera deficiant. Ventris vacuitate costæ quasi pendent, totumque corpus elanguet. Antithesis est divitum impiorum, qui quotidie epulantur splendidè, quos in penuriam depulsos, extrema consumit egestas.

A

Fames effe. ctus.

℣. 13. Devoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors.

PARAPHRASIS

Mors peccati (sævi nempe parentis) partus primogenitus perdat pulchrum, beneque curata cute nitidum impij corpus, & robur brachijs, lacertisve validis notatum absumat.

B

RHetoricè excurrit, variatque perelegantes orationis modos, quibus infælix impij interitus describitur, & amplificatur. Mors rectè dicitur partus peccati primogenitus: mox quippe ac homo peccavit, culpa mortem quasi genuit. Hæc ergo mors, cui hæreditas impij obtigit, avidè ipsum depascit impium, uti commeruit. Significat verò illam cutis pulchritudo ætatem florentem, in qua impius solet morte corripi, ne licentiùs peccet. Brachia quoque consumuntur, quæ robur impij notant, & in pastum mortis meritò cedunt. Potest secundò sic exponi versus. Vt mors primogenita dicatur vorare pulchritudinem impij, quæ nitet in cute, cum nihil solidum, stabile, internum habeat, quod pulchrum sit: brachia verò illius consumere dicatur, quia liberos, quibus velut brachijs ad malum porrectis impius abutitur, de medio tollit, ne impietas propagetur. Pro brachijs, Hebraicè, Badim, id est, rami; sunt enim filij, parentis tamquam stipitis rami.

C

Alia textus explicatio.

℣. 14. Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius: & calcet super eum, quasi rex, interitus.

D

PARAPHRASIS

Opes, in quibus impius sperat, ab eius ædibus diripiantur, & eum iam inopem, ac ærumnosum, mors, ut rex victor pessumdet.

FIducia divitis impij opulentia est, ut patet ex oracullo illo: Substantia divitis urbs fortitudinis eius. Hæc fiducia avellitur, hoc est, violenter aufertur, altas quippe radices in animo impij agit, ut violenta evulsione opus sit. Iam verò, postquam impius in egestatem prolapsus est, contabescit, & inermem, interitus, quasi rex ferus, & victor invadit, ut vitam, animamque diripiat, & inter spolia sua recenseat. Profectò Baldad eleganter impij causam describit, tametsi, quod ad Iobum spectat, extra chorum saltet. *Prov. 19. 12.*

E

℣. 15. Habitent in tabernaculo illius socij eius, qui non est. Aspergatur in tabernaculo eius sulphur.

PARAPHRASIS.

Impij loco excidentis, ac intereuntis domum incolant vicini ad eam occupandam occurrentes, uti ad rem derelictam cuiusdam olim domini, qui iam non existit: & in divinæ ultionis signum domus conspergatur sulphure, ut igne flagret.

F

SOcios appellat Baldad, vicinos, habitatione coniunctos, contiguos, qui omnium primi cladem impij intuentes præstò sunt ad locum derelictum occupandum, vel invadendum. At ne domus, in qua tot scelera patrata sunt, perstet, optat insperso sulphure, quod facillimè ignem concipit, conflagrare, ut prodigio illo cæteri ab impietate deterreantur. Videtur alludere ad Sodomorum incendium, sulphuris pluvia celerrimè excitatum, & in exemplum terroris universis mortalibus propositum. *Gen. 19. 24.*

G

℣. 16. Deorsum radices eius siccentur: sursum autem atteratur messis eius.

PARAPHRASIS.

Nihil non pereat è rebus impij, Interea quod latet, & quod eminet, ut sit velut seges maledicta, cuius radix aresçit, culmique succiduntur ad flammam.

METaphora hæc & ex segete, & ex arbore petì potest, sensusque erit idem. Per radices aut intelligi possunt thesauri, quos impius recondit; per messem opes, quas diripit, & velut ex alienis satis demetit. Votum pium est: nec desunt oracula consentanea, quale illud: Sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit; sic radix eorum, quasi favilla erit, & germen eorum, ut pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini, &c. *Isai. 5. 24.*

H

Scripta An. 1610.

℣. 17. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.

PARAPHRASIS.

Nulla fiat impij mentio in orbe terrarum, famaque nulla superſit, quæ in locis frequentibus decantetur.

A

Pſal. 108. 13.

PErſpectum eſt, memoriam impij, quæ ipſi poſſet honorifica eſſe, citò excidere; quod imprecatur David: In generatione una deleatur nomen eius. Poteſt quoque eſſe alluſio ad morem funebrem decantandi in plateis [ubi corpora cremabantur] laudes virorum illuſtrium: quem certè honorem impio non deferri Baldad exoptat.

Alia textus explicatio.

℣. 18. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.

B

PARAPHRASIS.

Deus exturbabit impium è ſplendido ſtatu in obſcurum, & poſtea per interitum luctuoſum pellet eum ex orbe terrarum.

GRadus primus eſt depulſio è proſperitate in ærumnam, è ſtatu illuſtri in abiectum: Secundus ex hac vita in aliam, ne orbis terrarum impietatis contagio fœdetur. Ex orbe, ἀπὸ τῆς οἰκουμένης.

℣. 19. Non erit ſemen eius, neque progenies in populo ſuo, nec ullæ reliquiæ in regionibus eius.

C

PARAPHRASIS.

Non vivant filii, nepoteſve impij, quos ultio Dei tollet è populo: neque è prædijs eius reſiduum quidquam ſupererit.

APta connexio eſt, ut ſi proles interit, cui opes coacervatæ fuerant, opes ipſæ pereant, ne ulla extet impij memoria, vel dilapſæ proſperitatis monumentum. Pro ſecundo hemiſtichio, Septuaginta habent: ἀλλ' ἐν τοῖς αὐτῶ ζήτουται ἕτεροι, Sed in rebus eius vivent alij: quod in eumdem ſenſum Vulgati recidit: perinde enim eſt, nullas reliquias ſupereſſe in regionibus impij, ac in rebus eius vivere alios: pulſis quippe morte, aut ærumna impij liberis, aut amicis, inducuntur alii, rebuſque potiuntur.

LXX. Interpp.

D

℣. 20. In die eius ſtupebunt noviſſimi, & primos invadet horror.

PARAPHRASIS.

Cùm in ætate ultima narrata fuerit tragædia impij, dies ſcilicet calamitatis, & obitus eius, mirabuntur vehementer illius ſæculi homines; at primi, qui rem ipſam viderunt, prodigium horrebunt.

E

NOn dubium, quin caſus è proſperitate tanta in extremam inopiam, & ignominiam, & præſentes, & futuros homines commoveat, ſed ultimi, aut futuri aure portentum accipientes, mirari, aut obſtupeſcere, præſentes horrere dicuntur, quod maius quiddam eſt.

℣. 21. Hæc ſunt ergo tabernacula iniqui, & iſte locus eius, qui ignorat Deum.

PARAPHRASIS.

Huc deveniunt amplæ domus impij: huc decidit ſtatus proſper eius, qui negligit ſcientiam Dei.

F

HÆc eſt acclamatio ſumma, qua Baldad ſermonem abſolvit, quaſi ad hunc modum hortetur Iobum: intuere modò, Iob, quem finem ſortiatur ſecunda fortuna impij, quàm funeſtè intereant omnia, quàm citò defloretur ſtatus florens, quàm ſit formidabilis impij ruina: & time capiti tuo, curaque grande malum præcavere, antequàm Dei placandi tempus elabatur. Hæc altiùs contemplare, & reſipiſce. Annotandum hîc, Baldad prompſiſſe plurima ſanè utilia, quæ quandoque contingere, multis evincitur exemplis: at non proinde credendum ſemper accidere, ne quis in re graviſſima ſeducatur. Nimirum non ſemper impij in hac vita plectuntur, è faſtigio deturbantur, afflguntur, obſcurantur: permittuntur enim nonnulli ampliſſimis honoribus, opibus, voluptatibus ad finem uſque vitæ mortalis perfrui, quod multis regum idololatrarum, & Mahometanorum conſtat exemplis: at eos ſempiternus manet futuræ vitæ cruciatus ad criminum pondus, numerumque rependendus, quemadmodum Catholicæ fidei lumine admonemur. Poſtquàm ergo Baldad è turgenti, ac onerato animo verba gravia protulit, ordine dicendi ſervato, conticuit. At meliora ſublimioraque Iobi verba, atque myſteria ſuccedunt, quæ altiore conſilio producta contemplemur.

Animadverſio.

Impii in hac vita proſperati.

G

H

CAPUT XIX.

℣. 1. Reſpondens autem Iob, dixit: ℣. 2. Vſquequò affligitis animam meam, & atteritis me ſer-

Scripta An. 1610.

sermonibus? ℣. 3. En decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.

PARAPHRASIS.

A *Respondit Iobus: Quousque me discruciabitis, & verbis iactatis obtundetis? sæpè me pudore afficitis, neque pudet vos me contumelioſis verbis obruere.*

Iobi lamenta

COnqueritur Iobus hoc capite, quòd disputatores contentiosè aspereque obloquantur: suam asserit iustitiam, & post lamenta varia luculentissimè de judicij die, ac resurrectione corporum, se ipsum recreaturus, eloquitur. Auspicatur ergo vehementer, expostulans cum amicis, quòd verba inculcent, & animum afflictum divexent. Numerus autem denarius pro incerto ponitur phrasi Scripturæ familiari, qualis illa Iacob: mutavit mercedem meam decem vicibus, hoc est, sæpè. Vim habet ille dicendi modus: Atteritis me sermonibus, hoc est, delassatis, fatigatis: quod augetur per illa duo, confunditis, & opprimitis; ubi notandum discrimen: nam atteritis ad quantitatem, confunditis, & opprimitis ad qualitatem spectant, primo verbosos, secundo dicendi modo contumelioſos indicat. Et quidem non silendum, quòd qui nuncijs infaustis, sine ullis querimonijs mites aures præbuit, ægrè ferat verbis pungi. Nimirum amicorum in hostes evadentium verba dirissima sunt.

Denarius numerus pro incerto.

Genes. 31

B

Verbosi, & contumelioſi discrimen.

℣. 4. Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea. ℣. 5.

C At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobrijs meis.

PARAPHRASIS.

Si, ut mihi exprobratis, ignorantia laboro; mihi tantùm nocebo: neque fas est, vos inde efferamini, & ex meis verbis, vel actibus ansam elationis arripientes, me culpæ anteactæ insimuletis.

ILle modus dicendi, Etsi ignoravi, mecum erit, &c. concessio est, figura nempe oratoribus familiaris, dum adversario concedunt aliquid, quod causæ minimè officiat.

D Status controversiæ inter Iobum, & amicos est, An ob anteactæ vitæ crimina plectatur. Et quidem licèt Iobus, ex quo disceptatio cœpta fuit, multa ignorando, loquendo, vel altercando peccasset, non proinde causa caderet: non enim disputatur; An inter dicendum ignorarit, errarit, lapsus verbo fuerit; sed an peccarit ante calamitatem, quam sustinet: quod cùm ex præsentis disputationis culpis non possit evinci, concedit, quod extra rem est, & quod nocere nequeat, quasi ad hunc modum effaretur: Vos me acriter reprehenditis, & reum ex disceptatione agitis: fateor ergo, esto ita sit, quid propterea obtinetis? Profectò non est cur erigamini, & de opprobrijs meis hoc est, sceleribus, quæ mihi cum ignorantia imputatis, me corripere velitis. Huic expositioni minimè obstat versio Septuaginta Interpretum, quæ sic habet: Esto utique in veritate ego erravi, &c. nihil enim novæ, aut maioris difficultatis, quam Vulgatus prætendit, sed utrobique concessio oratoria est.

LXX. Interpp.

E

℣. 6. Saltem nunc intelligite; quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.

PARAPHRASIS.

Sat fuerit vos hucusque mihi insultasse: modò verò animadvertite, me à Deo affligi, ac pœna inæquali verberari, quam scilicet ego minime commerui.

F

QVod attinet ad iudicium non æquum, idem sensus Iobi hic, & cap. 6. ubi dixit: Vtinam appenderentur peccata mea, &c. quasi arena maris hæc gravior appareret. Et quidem hæc inæqualitas vera est, sive è reipsa expendatur, sive Iobus ex errore concertatorum argumentum ducere velit. Si enim res spectetur ipsa, Iobus ipsius Dei oraculo à iustitia commendatur, unde neque cruciatum adeò acerbum commeruit, atque idcirco non est æqualitas inter culpam, & pœnam. Si verò ex amicorum sententia petatur argumentum, profectò dicere potuit Iobus, se non æquo iudicio affligi, ac si in hæc verba argumentaretur. Vos concertatores mei, asseritis pœnam, sive calamitatem semper patratis criminibus respondere: at ego eiusmodi scelera non admisi; ergo iudicium Dei in hac mea causa non est æquum. Quocirca ab erronea sententia desistite, ac intelligite, non semper homines cladibus infestari, quod peccarint, sed subesse rationes alias, ob quas graviter exerceantur, quemadmodum ego censeo. Hæc dicendi modus, Et flagellis suis me cinxerit, verbi Afflixerit expositio est, ac de ærumnarum flagellis accipi debet. Possunt flagella hic laquei, vel retia esse, quæ ex eadem materia cum flagellis conficiuntur, ut à venatoribus metaphora petatur, qui retibus, aut laqueis exitus ferarum cingunt, ac intercludunt: quasi Iobus ad eum modum cruciatuum, vel dolorum retibus, laqueisve, tanquam fera circumdatus, & captus fuerit.

G

Iobi argumentatio.

H

Venatorum figura.

℣. 7. Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est, qui iudicet.

An Iobus peccaverit?

Scripta An. 1610

PARAPHRASIS.

Quid agam? si clamem violenter oppressus, nemo commiseratur. Si altiùs vocem tollam, & à vexatione appellem, non est iudex superior, qui innoxium liberet.

AFfectus vehemens est, quem dolor, & calamitas exacuit. Dicit ergo Iobus, A non est proportio inter hanc summam vexationem, & crimen, cuius conscientia non pungor. Quid ergo agam, cum hac ipsa ratione torquear, & à meis impugnatoribus ex solo calamitatis capite criminosus existimer? Porrò si clamitem vi oppressus, nemo inter homines favet: Si ad Deum vocem efferam, expostulemque cum ipso de illato supplicio, non est superior alius iudex, qui ab eo me insontem eripiat. Septuaginta Interpretes concisè admodùm, ac obscurè sic vertunt: Ecce rideo opprobrio, non loquar, clamabo, & nusquam iudicium: B quæ quidem verba sic connectenda, explenda, & explananda, ut cohæreant: Ecce videor alijs ridere in medijs opprobrijs, quod ironicè dictum accipiendum, ut sit sensus, tantùm abest, ut rideam, ut potiùs lugeam, & ingemiscam vim patiens. Quod verò subditur: Non loquar, respondet illis verbis Vulgati, Et nemo audit, quasi Iobus diceret: Non magis audiar, quàm si non loquerer. Secundum autem hemistichium, Clamabo, & nusquam iudicium, eundem sensum planè reddit, quem verba illa: Vociferabor, & non est, qui iudicet.

LXX. Interpp.

C ℣. 8. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.

PARAPHRASIS.

Detrusit me Deus in ærumnæ carcerem, & viam, ne evaderem, intercluſit: offudit densam vexationis caliginem, ut ne cernerem, quà posſem elabi.

PErelegans descriptio est ærumnosi hominis compediti, & in tenebricoso loco decumbentis, ut non modò non possit effugere, sed ne cernere quidem effugij viam; quod mœrorem exaggerat. Simile quiddam extulit Ieremias; Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum. Concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. Dixerat autem: In tenebrosis collocavit me: quibus certè verbis totam Iobi sententiam complexus est. Et quidem experimentis multis compertum est, viros sanctimonia vitæ conspicuos eò interdum anxietatis adduci, ut in vincula coniecti sibi videantur, neque ullam sibi semitam patere animadvertant, quà possint evadere. Ex quo quidam subit agon animi in angustias compulli, quem nemo satis novit, nisi qui perpetitur, cui à prudentibus spiritualium ægritudinum medicis leniter succurrendum, ne prægravatus animus oneri gravissimo succumbat.

Thren. 3. 9.

D

ib. v. 6.

Plerique similes Iobo.

℣. 9. Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.
℣. 10. Destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. E

PARAPHRASIS.

Nominis mei claritatem Deus extinxit, & regia corona privavit. Vndequaque me ita labefactavit, ut calamitosus inteream. Nihil spei reliquit, ut si arbor inauspicata radicitus evellatur.

F

POeticè excurrit, seque varijs translationibus luget, & spem extinctam amplificat. Fuerat fama clarissimus, qua obscurata, gloria se dicit spoliatum. Vndique se destructum, vel discerptum ait, quia malorum obsidio quædam illi circumducta fuit, ne quid intactum remaneret. Opes, honor, proles, amici, corporis sanitas, animi serenitas erepta sunt, ut agmine conferto, & cuneato cingeretur. Eleganter verò subiungit, sublatam spem, quasi arbori evulsæ: arboris quippe succisæ, cuius stipitis pars cum radicibus in solo relinquitur, spes non perit, cùm ramos iterato partu producat, seseque in comam effundat: at si ab radice eruatur, si à fibris ipsis extirpetur, nihil spei omnino supererit: sic se Iobus, quod ad præsentem vitam, & prosperitatem attinet, æstimavit. Et in anxietatibus quidem internis eò deveniri solet, ut qui Deum aliquando propitium, & facilem experti sunt, videantur sibi adeò longè reiecti, & à Dei consuetudine repulsi, ut nulla spes recuperandæ internæ illius prosperitatis in animis deiectis emineat, quam quidem ipsi animadvertant: quod mira Dei providentia contingere procul dubio asserendum est. Paulò antè sibi reges diademate redimiti videbantur, mox inter plebeios, ac vinctos se recenseri conqueruntur.

Arboris excisæ, & evulsæ discrimen.

G

Instorum anxietas in apparenti Dei amissione.

℣. 11. Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum. H

PARAPHRASIS.

Excanduit Deus in me, ac velut inimicum divexavit.

FUror, quemadmodum alij affectus humani, traducuntur in Deum per similitudinem quandam effectuum, quales ab homine irato prodeunt: nam quod ad rem attinet

ipsam

Scripta An. 1610.

ipſam, compertiſſimum eſt, naturam divinam eiuſmodi motus pati nequire, cùm ſit ipſamet ſerenitas, & tranquillitas. Modus autem lamenti huius ſimillimus eſt illi, quem Ieremias exprompſit: Tetendit arcum ſuum, quaſi inimicus, firmavit dexteram ſuam, quaſi hoſtis. Sermo graviter afflictorum proprius eſt, cùm tamen ſe à Deo amari omninò in animum inducant, ipſaſque ærumnas in bonum, ac profectum ſuum directas exiſtiment. Quocirca parcendum eſt veris Dei cultoribus acerbè vexatis, ſi, dum recrudeſcit dolor, huiuſmodi querimonijs utantur: Deus me ſeverè repellit: ſuccenſuit mihi: videor ei exoſus: me velut hoſtem cædit, alijſque ſimilibus.

Thren. 2. 4.

A Etiam piis hominibus querimoniæ donandæ.

℣. 12. Simul veneruut latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculum meum.

PARAPHRASIS.

B *Agminatim irruperunt in me prædones Dei, quos ſcilicet ipſe permiſit Dæmones, Chaldæi, Sabæi amici in hoſtes mutati, ipſique multiplices dolores, qui me, ut viam benè tritam proculcarunt, facta prius obſidione, qua me, omniaque mea cinxerunt.*

RHetoricus excurſus eſt varia translatione exornatus. Latrones Dei appellat Iobus non modò proprios illos prædones Chaldæos, & Sabæos, ſed dolores, & anxietates: illi externa bona, iſti interna, proſperam videlicet valetudinem, cibi appetentiam, ſomnum, animi quietem, lætitiam, ipſamque propemodum vitam eripuere. Dicuntur verò latrones Dei; hoc eſt à Deo permiſſi vel immiſſi. Septuaginta vertunt: Vnanimiter venerunt tentationes *πειρατήρια* eius ſuper me, quaſi facto impetu validè conſpiraverint in illum. Ille verò dicendi modus: Fecerunt ſibi viam per me, referri videtur ad militarem licentiam, quando ſcilicet milites alienas regiones invadunt, & dirutis prædiorum, hortorumve muris, aut ſepibus, viam ſibi faciunt per loca olim clauſa, & culta, omnemque amœnitatem, ac lætitiam demoliuntur. Obſidio autem tabernaculi nondum ſoluta fuerat, cùm Iobus hæc proferret: adhuc enim ſe undique ab hoſtibus circumſiſti, & ad mortem uſque infeſtari conqueritur.

C *LXX. Interpp.*

D

℣. 13. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me. ℣. 14. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti ſunt mei. ℣. 15. Inquilini domus meæ & ancillæ meæ ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus fui in oculis eorum.

PARAPHRASIS.

Cognati mei procul à me ſejuncti ſunt, & qui mihi neceſſitudine conjuncti fuerant, tanquam incogniti me fugerunt. Qui mihi præſtò eſſe ſolebant, me deſeruere, quique me ac omnia mea familiaritatis ergò explorata habuerant, me oblivioni tradiderunt. Qui domi mecum habitabant, unà cum ancillis obſequio meo deſtinatis, ac ſi me numquam noſſent, ſe mihi ſubtraxere, & velut extraneæ nationis hominem intuiti ſunt. E

COnqueritur Jobus ſe ab omnibus prodigiosè derelictum, quod eò duriùs viro piiſſimo, ac beneficentiſſimo viſum eſt, quò liberalior, & ad omne officium erga quoslibet alios propenſior extiterat. Hic verò curiosè inquirendum non eſt nominum, quibus utitur diſcrimen: neque enim dolenti animo tam congruit hæc accurata expenſio, vel diſcretio, quam plurium affectuum, & nominum, eandem rem ſignificantium conglobatio, ac repetitio. Sat ergo fuerit, conſanguineos, neceſſarios, cohabitatores, ancillas diſcreviſſe, ut anxiè non laboremus in exquirenda diſtinctione notorum, & eorum, qui Jobum noverant, quæ nihil momenti habere videtur. Porrò in hac derelictione Jobus Chriſtum prætulit, quem morti proximum noti deſeruerunt. Iobi conqueſtio. F Iobus Chriſti typus.

℣. 16. Servum meum vocavi, & non reſpondit, ore proprio deprecabar illum. G

PARAPHRASIS.

Ego paulò antea ſummæ veneration habitus, eò deveni, ut famulos vocem, ac rogem, illique reſpondere contemnant.

BOnus calamitatis æſtimator Iobus eſt, meritòque inter alia capita ſervorum, qui tempus ad obſequendum antevertere deberent, inſolentiam recenſet. Quid enim ærumnoſius, quàm virum regia dignitate ſublimem, cui inſervire paulò antè glorioſum ducebatur, eò delabi, ut famulos vocet, ac precetur, ipſique vel ſe non audire ſimulent, vel aperta impudentia rogantem reſponſo minimè dignentur? Porrò rem hanc viri ingenui ex opulentia in penuriam prolapſi non malè cenſebunt. H

℣. 17. Halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei.

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Coniux quoque mea graveolentiam oris sustinere nolens cum horrore me rejecit: repulerunt etiam me filij è concubinis susceptí, cùm eos blandè rogarem.

A OMnino verum videtur halitu fœtido corporis tabescentis Jobum cuilibet ad obsequium propiùs accedenti fuisse molestissimum: at fœtentem animam charitas uxoris, & fides superare debuit, quæ lex connubii est. Filii quoque debuere parenti obtemperare, præsertim cùm in extrema ærumna versaretur, & quod est planè mirabile rogaret. At patientia viri fortissimi sic exploranda fuit. Annotandum hîc, non fieri mentionem filiorum ex uxore præcipua susceptorum: ii quippe omnes convivantes interierant: sed aliorum, qui hæredes non erant, quos uxores aliæ, non domui præfectæ, sed proli destinatæ, quas concubinas Scriptura vocat, ei genuerant: quemadmodum de Abraham, Jacob, & aliis ejus ætatis, aut etiam posterioris, viris sanctissimis memoriæ proditum est: quod LXX. Interpretes apertè notarunt per hæc verba: Et invocabam blanditiis, υἱοὺς παλλακίδων μου, filios concubinarum mearum. Porrò suam vexationem vehementer exaggerat: ubi observandum illiberale ingenium filiorum, quos è concubinis susceperat.

Iobi patientia probata,

Animadversio.

LXX. Interpp.

B

℣. 18. Stulti quoque despiciebant me, & cùm ab eis recessissem detrahebant mihi. ℣. 19. Abominati sunt me quondam consiliarii mei: & quem maximè diligebam, aversatus est me.

C

PARAPHRASIS.

Insipientes homines me aspernabantur, & licèt præsentes non adeò effrænatè agerent, absentes tamen mihi obtrectabant. Ii etiam, quos ad consilium, & Reipublicæ administrationem adhibebam, me graviter oderunt, ita ut, qui inter omnes mihi charissimus fuisset, pessimè omnium me execraretur.

PRofectò stultitiæ vertendum est, quemquam despicere ex eo capite, quòd in ærumnam inciderit, cùm vir sapiens, & fortis sit: neque culpa tetra vacare potest ejusmodi viri reprehensio, & obtrectatio. Sanè ex hoc ipso capite vehementer laudandus, qui justus cùm sit, peracerbam sortem fert, & in medio malorum turbine nihil de virtutum studio, nihil de pietate remittit. Ille dicendi modus, Cùm ab eis recessissem, detrahebant mihi, abjectum, & sordidum ingenium detractorum indicat, qui eos, quos absentes vituperant, neque corripere, neque admonere coràm audent. Quod verò ad consiliarios pertinet, satis calamitosum est, homines videlicet assuetos venerationi Principis, à quo ad rerum gravium consultationem admittebantur, eò procurrisse, ut Principem execrarentur, & cum eo versari perhorrescerent. Quod subtexit: Et quem maximè diligebam, &c. referri potest ad aliquem familiarissimè tractatum, quo potissimum Iobus uteretur in Reipublicæ consiliis, quemadmodum passim cernimus evenire, ut Principum gratia vir aliquis in Republica clarissimus præ cæteris valeat, quòd ingenio, prudentiaque excellat, cui Principes rerum maximarum curam credere possint. Potest quoque Synecdoche numeri singularis pro plurali esse, ac si Iobus diceret: Quisquis à me impensissimè diligebatur, in me invehebatur acerrimè. Etenim repulsa hæc animum ingenuum graviter afficit.

D

Iobi fortitudo.

E

Principibus intimus aliquis consiliarius.

℣. 20. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.

F

PARAPHRASIS.

Sævissimis doloribus, & intima tabe ad eam maciem deveni, ut carne consumpta, sola ossium pelle tectorum structura remanserit. Bene autem est, ut labia integra relicta sint, ad verba formanda.

EX prædonibus, doloribus, spoliis, contemptu, aversione, horrore, mœrore quid effici potuit, nisi consumptio? Norunt hoc qui curis molestis exercentur: non enim tot capita malorum confertim ingruentium, sed vel unum è mitioribus corpus bene firmum, ac vegetum extenuaret, atque conficeret. Illud verò mirum, quòd licèt elephantiasi, quæ, ut nonnulli ajunt, reliqua carne absumpta, tumentia labia relinquit, ascribi posse videatur, altiore consilio immunia constant; quasi Deus illa à morbo serpente, depascenteque servarit, ut Iobus in extrema calamitate verba formare, edereque valeret. Potest autem vir sanctus in hunc modum loquens induci: En ego olim validus, nitidusque emarcui, atque contabui, carneque confecta anima, ossibus, cuteque consisto, ut spectaculum triste misericordibus animis exhibeam. Tanta profectò est clades hæc mea, ut divino consilio labia illæsa relicta sint, ad preces, & lamenta, & ad commiserationem excitandam. Sic Iobus, cui apprimè consentit quod subtexitur.

G

Iobi tolerantia descripta

H

℣. 21. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

℣. 22.

Scripta An. 1610.

℣. 22. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?

PARAPHRASIS.

A *Vos ſaltem, qui acceſſiſtis amici, cernentes hoc ſpectaculum, quod ſaxa molliret, commiſeratione flectimini; potentia quippe ſua averſa, velut manu, me Deus exercet. Cur ergo me excruciatis, & carnem abſumitis meam, ac ſi veſtrum foret me cædere, ſicut cædit Deus?*

COmmiſerationem excitat Iobus, tangitque amicos, qui cùm ex officio deberent illum ab aliis repulſum, ac exoſum ſolari, vehementer afflictum urgebant, & aculeatis amarulentiſque verbis mœrentem non ſecùs afficiebant, quàm ſi corpus laniarent, carnemque depaſcerent. Manus inquit Domini, hoc eſt, potentia, tetigit, afflixit, vulneravit me, ac ſi diceret: Quid additis vulnus vulneri? Profectò ſatis validum Dei
B brachium eſt, ut non egeat vobis adiutoribus ad tela vibranda, pectuſque meum fauciandum. Vos potiùs vulneribus deberetis mederi meis, dolorem lenire meum: nam augere, exacerbare, acuere, crudelitas immanis eſt. Rectè quidem: quod David conqueſtus eſt, dum à Deo plexus, à ſuiſque hoſtibus vexatus ait: Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Profectò afflictis omnibus commune eſt, dum ab uno potentiſſimo cæduntur, velle ab aliis clementer accipi, ut ſenſit ille.

Pſal. 68. 27.

Parcite cærulei vos ſaltem numina Ponti:
Infeſtumque mihi ſit ſatis eſſe Iovem.
Ovid. l. 1. Triſt. el. 3.
Vos animam ſævæ feſſam ſubducite morti:
C *Si modò qui periit, non periiſſe poteſt.*

Iobi autem oratio inſigni pollet energia, dum ſubdit: Quare perſequimini me ſicut Deus? hoc eſt: An vos Dei majeſtatem, & imperium, atque judiciariam poteſtatem adepti eſtis? Sanè Dei proprium eſt hoc modo homines, ſive ſontes plectere, ſive inſontes exercere, labores, morbos, dolores, mœrores immittere: cur ergo Dei munus uſurpatis, dum me tam immaniter affligitis, ac inſequimini? Porrò carne mea ſaturari videmini, dum illam moleſtiſſima vexatione decoquitis, atque conſumitis. LXX. Interpretes habent: Carnibus meis non ſatiamini? quod in eumdem ſenſum redit: perinde enim eſt, ac Iobus diceret: Tam me avidè impetitis, & morſus verborum mordacium infigitis, ut carne mea numquam expleri poſſe videamini.

LXX. Interpp.

D

℣. 23. Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro,
℣. 24. Stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?

PARAPHRASIS.

Utinam, quæ mox proferam verba deſcribantur; Annuat Deus, ut in libro, publico nempe inſtrumento, ad perpetuam rei memoriam conſignentur, non in materia fragili, quæ tinea rodatur, ſed in plumbo, ubi calamo ferreo incidantur, vel in ſilice, ubi ſcalpantur cælo. E

MEritò Iobus, qui nihil in hac mortali vita ſolatij reſidui habet, quem omnes horrent, atque divexant, linguam, & labia relicta exercet, Theologica myſteria ſanè grandia prompturus, quibus ſe ſoletur, ac recreet ipſum, & ſpe meliorum bonorum exhilaret. Et quidem, licèt hoc Iobi votum ad univerſa ejus verba hoc libro comprehenſa referri queat, ſunt enim gravia, caſta, eruditionis, ac pietatis plena; minimè tamen ambigendum, quin peculiari ratione ad proxima verba pertineat, quibus, quaſi cœleſtibus oraculis, hujus verſus præfatiunculam præmittere conſilium fuit. Poteſt autem Iobus ſic enuncians induci: Vos, amici, verba mea pro nihilo ducitis, aut certè aſpernamini: ego verò, tantùm abeſt, ea irriſu digna cenſeam, ut cupiam à fidiſſimo ſcriba in annales redigi, ac in libro, publico ſcilicet ſcripto, notari, ac obſignari: neque tamen ita excipi opto, ut in carta papyracea, vel tabella aliqua cerata, materiave alia fragili, tineis, aut aquis, adverſiſque caſibus obnoxia conſignentur, ſed ut peritiſſimi artifices, calamo ferreo bene coaptato, ac exacuto in plumbeis tabulis ea incidant, vel præduræ ſilici adacto inſtrumento, cælo videlicet, ſive celte, ad poſteritatis memoriam inſculpant. G
Notum eſt, olim uſum plumbi, quod diutiſſimè perdurat, ad ſcribendum fuiſſe familiariſſimum. Nomen autem Celte idem eſt, quod cælum, inſtrumentum nempe ſcalptorium, quæ quidem lectio, ut correctior in Bibliis Vaticanis Summi Pontificis auctoritate editis, repoſita eſt. Iobus ergo primùm optavit librum, publicum ſcilicet ſcriptum, mox ſcripturam perpetuam; cui congruit plumbum, cujus calamus eſt ſtylus ferreus: congruit quoque ſilex, cujus quaſi calamus eſt cælum, quod ſignificat celte, nomen videlicet indeclinabile, quod in plurimis exemplaribus legitur. Cupio, inquit Iobus, æternitati conſecrare, quæ profero. H

Materia, & inſtrumenta vetuſta ſcribendi.

℣. 25. Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.
℣. 26. Et rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo

Scripta An. 1610.

debo Deum meum. ℣. 27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

A

PARAPHRASIS.

Fide divina credo Redemptorem meum Dei filium æterna vita pollere: neque universalis judicii die, quæ omnium erit ultima, ab eo suscitaudum, & cute hac ipsa mea, mox à vermibus exedenda, tunc miro modo reparata, & circumtensa vestiendum, ita ut resumpto corpore cernam ipsum Redemptorem, qui est sempiternus Deus meus. Ego igitur resurgens prorsus idem, eadem anima, & corpore constans, bisce corporeis oculis eumdem assumpta carne humana indutum certissimè intuebor: Quæ sanè spes hæret animo meo.

B

TEstimonium hoc de resurrectione corporum adeò illustre, apertum, efficax, & Patrum laudibus celebratum est, ut mirum planè sit ab expositore ullo in alium sensum potuisse detorqueri. Porrò si de metaphorica resurrectione ad statum prosperitatis Iobus loqui maluisset, non erat usque adeò consentaneum scripturam perpetuam in plumbo, aut silice expetere, cum ea fælicitas paulò pòst esset successura, quam ipsi, quibuscum verba faciebat, possent intueri, atque convinci. Neque verò cohærere possunt verba adeo expensa, sententiæque adeò excelsæ, ac omnino divinæ cum translata re surrectione ad statum minimè cæleste, sed morti, ac laboribus obnoxium. Quid, quod illa Dei visio, dies novissimus, secunda cutis circumductio, illaque tam enucleata sui ipsius assertio, non ferunt textum hunc de alio, quam de veræ, ac propriæ resurrectionis mysterio sine audaciæ nota exponi? Profectò ut rationem è multis unam leviter attingam, quale dubium esse poterat, an Iobus ipse, non verò alius futurus esset, qui è sterquilinio in urbem, ac florentem statum rediret? Porrò non foret ad rem ille dicendi modus, qui tamen ad resurrectionem propriam asserendam opportunissimus est: non enim philosophi norunt regressum ejusdem prorsus rei à privatione ad habitum, ut schola loquitur: propterea quæ appositissimè à Iobo inductus est ille asseverationis modus, quo astrueret, regressum illum divina fide sibi revelatum: quod sanè tam disertè, ac expressè promsit, ac si ex Christi prædicantis ore, quidquid extulit, accepisset. Mirabile certè vaticinium est, ut Evangelica potiùs expressio, quàm prædictio prophetica videatur. Redemptor, inquit, meus vivit, vita scilicet æterna, quæ omnium decurrentium temporum differentias, nihil successionis admittens, complectitur, ac proinde & modò me intuetur athletam suum pro palma certantem: ut licèt in terra oppugner, nihil jacturæ faciam, vivum adeptus judicem, qui legitimè pugnantem coronet. In novissimo die de terra surrecturus sum: Non abibit in æternum hæc cœlorum conversio, dierumque ac noctium alternatio: fixum est, fore diem unam supremam, ubi de causis mortalium agatur, & qui insontes mala pertulerunt, in libertatem vindicentur. Fixum est corpora non semper in tumulis decubitura, sed die illa suprema excitanda: ut meritò boni consulam carnis tabem, qui ad immortalitatem novissimo die de terra surrecturus sum: meritò patienter feram cutis discissionem, qui rursus cute ipsa, cum dulcissimo splendore, ut corpus decet glorioſum, convestiendus sum. Neque malè mecum agitur, si modò nihil, nisi fœtidum, abjectum & mœstum cernam, qui non oculis mentis dumtaxat Divinitatem, sed hisce oculis corporeis corpus candidissimum atque pulcherrimum Dei, ac Redemptoris mei sum denique visurus. Hæc spes altas egit in animo meo radices: hac alor, & roboror ad mala universa constanter perferenda. LXX. Interpretes satis appositè, ac significanter partem hujus sententiæ sic reddiderunt: Scio enim, quia æternus est, qui me resoluturus est super terram, ad resuscitandam cutem meam, quæ perpetitur hæc. Quæ sanè verba ad erigendum animum mala sustinentem plurimùm conferunt.

E

F

LXX. Interpp.

Validissimum de resurrectione corporum argumentum.

C

D

℣. 28. Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, & radicem verbi inveniamus contra eum? ℣. 29. Fugite ergò à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, & scitote esse judicium.

G

PARAPHRASIS.

Cùm redemptor & judex mortalium, in quo spem posui, omnia discussurus sit, quomodo in me conspiratis ajentes: infestemus Jobum, & quem criminum minimè convincimus, in verbis capiamus? Cavete gladium, ultionem scilicet Dei, qui scelera vindicat, & credite fore universale judicium, ubi ratio à vobis exigenda est.

H

APtè nectuntur hæc verba cum præcedentibus: patetque ex his ipsis, amicos Iobi in disceptationis excursu vehementer incensos fuisse, quandoquidem inter se condixere, affligerent ipsum, & verba observarent, ac reprehenderent, quippe qui opera turpia neutiquam reperirent. Familiare est insontium infestatoribus verba observare, an quid minùs expensum excidat, quod illi arripiant, & in accusationis argumentum pervertant. Sic impii de pio in Sapien-

Argumenti confirmatio.

Scripta An. 1610.

pientia: Videamus si sermones illius veri sint. Sic sacerdotes miserunt curiosos scrutatores, ut caperent Iesum in sermone, cujus opera vituperare nequibant. Radix verbi est, initium in verbo, principium insimulandi è verbo apprehensum. Gladius, metonymicè est supplicium, quod à disputatoribus violentis præcaveri debere Iobus monet. Facies gladii, ipsa præsentia gladii, vel supplicii est. Concludit verò graviter, persanctè, efficaciter: Scitote esse judicium, quasi apertè diceret: Modò impunè obloquimini, sed non impunè feretis, cùm ad judicium evocati cogemini rationem verborum reddere. Quocirca hortor vos, ferociam lenite, & futura prospicientes, modò inculpatè agite, ac judicii divini tribunal pertimescite.

A

CAPUT XX.

B ℣. 1. Respondens autem Sophar Naamathites dixit: ℣. 2. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur. ℣. 3. Doctrinam, qua me arguis, audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit tibi.

PARAPHRASIS.

Dixit Sophar: Fateor, ob ea, quæ dixisti,
C *multiplices, ac variæ cogitationes mihi subeunt, quibus animus in sensa diversa dissipatur. Gravem admonitionem, qua me corripis, attendam, & animo rerum conscio respondebo.*

TVmuit Sophar occasione sermonis Iobi, quem hoc capite graviter accipit, dum impiorum prosperitatem nimium brevem tragico exitu concludi decernit: quasi Iobus ex eo numero fuerit, eiusque splendorem, & opulentiam brevem ingens calamitas ob impietatem celatam exceperit. Idcirco, inquit, hoc est, ob ea, quæ tu ipse prompsisti gravibus vexor cogitationibus, quibus mens in varias partes distrahitur. Incertum est, quænam sint hæc sensa, affectusque diversi, in quos mentem abripi Sophar enun-
D ciat. Audierat Iobum suam innocentiam asserentem, ac de Deo, ut ipse putavit, indignè loquentem, illis præsertim verbis cap. proximi: Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me. Et ex hoc sanè asserto, pro quo tuendo Iobus strenuissimè decertabat, cogitavit hominem audacem, ac impium esse. In penultimis autem capitis eiusdem verbis Iobus constantissimè in sententia persistens, oculos in Dei tribunal collimat, & de resurrectione gravissimè pronunciat; ex quo Sophar commoveri potuit, ac perturbari, dubitareque, qui fieret, ut homo ærumna confectus, & tam validè oppugnatus, non modò de sententia nihil remitteret, verùm ea mentis securitate tueretur, ut solatio suo verteret affuturum denique judicij diem, quo lætus judicem Deum sustineret, quod sanè tutæ conscientiæ nervosum argumentum videbatur. Ecce cogitationes variæ mentem distrahentes, quibus Sophar se infestari deprompsit. Et quidem, licèt (ut scriptores certè graves, D. Thomas, & Lyra sentiunt) Sophar Iobo assensit, quod attinet ad futurum judicium, non tamen cessit in eo, quod ad controversiam vitæ præsentis spectat: imò perstitit astruere, impios hic plecti, & tametsi aliquandiu floreant, brevi è statu illo excidere, dedecore, ac infortunijs proteri. His ergo positis, Doctrinam, inquit, severam videlicet increpationem, qua me carpis, audiam, attendam, pensitabo, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit tibi, hoc est ego habens animum sat intelligentem faciam tibi satis, & tua dicta refellam.

Constans de resurrectione, & de extremo judicio Jobi sententia.

E

Num &qnatenus Sophar Iobo assenserit.

D. Thom. & Lyr.

F

℣. 4. Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, ℣. 5. Quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

PARAPHRASIS.

Hoc mihi notum ab ipso mundi primordio,
quando & homo creatus, & in terra con-
stitutus fuit, prosperitatem impij brevem
C *esse, eiusque lætitiam momento ferè uno consistere.*

LAudem impiorum appellat Sophar statum florentem, honoribus, & opibus ornatum, à quo laus mortalium multa petitur. Hypocritam verò hominem vocat impium, qui impietatem celat, seseque apparentis Dei cultus imagine convestit, quod ad Iobum dirigi videtur, quasi pietatem ingeniosè simulasset, Deusque animum impium acerbo supplicio prodidisset. Sophar sensus sic exprimi potest: Quicquid de futuro iudicio proferas, ô Iob, unum scio, quod ab initio mundi observatum accepi, impios florere brevi, & momento uno vix expleto concidere: quapropter, quicquid de judicio ultimo asseratur, negari nequit, quin & in hac vita severum judicium exerceatur à Deo, qui probos prosperat, improbos validè prosternit, atque proculcat: atque idcirco mihi persuasi te graviter peccasse; neque enim adeo acerbè plectereris. Sic Sophar, qui longè aberrat.

Sopharis argumentum in Iob.

H

℣. 6. Si ascenderit usque ad cœlum superbia eius, & caput eius nu-

Scripta An. 1610.

nubes tetigerit: ℣. 7. Quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Vbi est?

PARAPHRASIS.

A *Profectò tametsi pompa impii ad cælum usque extollatur, & ita erectus incedat, ut nubes capite videatur attingere, ut vile stercus tandem reijcietur: & qui eum benè fortunatum mirabantur, rogabunt: Quomodo evanuit ille?*

Psal. 36. 20. *v.* 35. 36.

PSaltes regius hunc Sophar sensum expressit in hæc verba: Inimici verò Domini, mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemamodum fumus deficient: cum quo nectendum illud eiusdem psalmi: Vidi impium superexaltatum, & elavatum, sicut cedros Libani; transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus eius. Hæc David, qui momentaneam fœlicitatem pereleganter describit, quasi non longiùs duret, quàm transitus ille hominis, qui apparentem gloriam conspicatus, paulò ulteriùs processit, conversúsque statim, ut splendorem illum cerneret, nihil prorsus invenit, in quo intuitum figeret. Pro Superbia eius, Septuaginta Interpretes habent, *αὐτοῦ τὰ ὀῶρα* eius dona, & pro, Caput eius, habent, *ἡ θυσία αὐτοῦ*, sacrificium ipsius, hoc est: Si dona & sacrificia, quæ offert impius, in cœlum, nubesvè videantur efferri, & à Deo quicquid postulat, obtinere, nihilò permanentior eius prosperitas erit, sed statim evanescet. Paulò post, quasi sterquilinium perdetur, hoc est, ut fumus proijcietur, dispergetur, dissipabitur. Et qui priùs eum sublimem, splendidum, opulentum, honoratum viderant, stupentes rogabunt: Vbi est? Porrò non est insolens huiusmodi ruina.

B

C

LXX. Interpp.

℣. 8. Velut somnium avolans non invenietur: Transiet sicut visio nocturna. ℣. 9. Oculus, qui eum viderat, non videbit: neque ultrà intuebitur eum locus suus.

PARAPHRASIS.

D *Prosperitas impii paulò post non subsistet, similis videlicet delectabili somnio, quod celerrimè volat, visisque noctu apparentibus, quæ e vestigiò evanescunt. Qui florentem contemplati fuerant, non amplius eum intuebuntur, eiusque ampla domus illum non ultra recipiet.*

Psal. 72. 20. & 19.

PRæcedentis sententiæ amplificatio est, qua David olim usus in hæc verba: Velut somnium surgentium Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Dixerat proximè: Quomodo facti sunt in desolationem? subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Sophar ergo utitur duplici similitudine certè appositissima, somnij scilicet avolantis, & visionis transeuntis. Et quidem, quod ad somnium spectat, non rarò contingit, ut vir inops, & sordidus se divitem, illustremque somniet; ubi mirum est, quantam ex vestimentis pretiosis, nummis aureis, domo ampla, dignitate excelsa voluptatem capiat, cui omnia excidunt, si se in alterum latus dormiens vertat, vel strepitu quovis evigilet. Visa quoque nocturna solent læta apparere, dum imagines eorum, quos quis impensiùs amat, imaginatione finguntur, & ocyssimè dissipantur. Malè fulta est fœlicitas mortalium, qui nefariè sibi claritatem conciliant, & opes iniustè contrahunt: nequit esse diuturna. Ille verò dicendi modus: Neque ultrà intuebitur eum locus suus; perinde, ac non ultrà redibit in ædes suas, ut cum fastu incedere, honorumque potiri cernatur.

Comparatio

E

F

℣. 10. Filii eius atterentur egestate: & manus illius reddent ei dolorem suum.

PARAPHRASIS.

Liberi hominis impii consumentur inopia: & actus eius reflectent in eum dolores, quos alius intulit.

REcenset Sophar supplicia impij: è quibus unum est, ut eius filij, quos bene nummatos relinquere cogitat, penuria summa conficiantur: alterum, ut actiones manibus significatæ, quæ iniquitatem (ut ait Regius Vates) concinnant, reddant ei dolorem suum, hoc est ipsis actibus, per quos alijs dolores, aut necem machinabatur, conscisat sibi mala similia, ut pœnarum, & mortis egregius opifex.

Psal. 57. 3.

G

℣. 11. Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in pulvere dormient. ℣. 12. Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua. ℣. 13. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.

H

PARAPHRASIS.

Se totum impius medullitus explet sceleribus, quæ patrare cœpit in adolescentia, & cum eo ita usque ad interitum perseverant, ut individuo complexu cum eo in sepulchro iacere dicantur. Subest autem ratio: nam cùm voluptatem ceperit ex culpa, immora-

tur

Scripta An. 1620.

tur ceriè in ea, ut qui bolum edit dulcem, non illum ſtatim traiicit, ſed in ore retentum ad eliciendum ſaporem, lingua diu verſat, & contegit. Sic impius non depellit hærentia vitia, ſed in animo, & corpore ipſo diutiſſimè ſervat, & occulit.

VErba hæc & de vitijs, & de vitiorum ſupplicio ſatis aptè intelligi poſſunt. Et quidem, quod ad vitia ſpectat, a- A pertè in paraphraſi expoſitum eſt: Servat quippe teſta diu id, quo recens imbuta eſt. In ſepulchro autem peccata, ſeu vitia cum impio dormire aſſeruntur per hyperbolem: nam eouſque adhæſere, ut ne morte quidem ipſa videantur poſſe divelli. Iam ergo, quod ad pœnam ſcelerum attinet, quotidianis liquet experimentis, vitia in adoleſcentia contracta adeò viſceribus imprimi, ut ob fallacem voluptatem corpus oblectamentis aſſuetum ante computreſcat, quàm peccare deſiſtat: ex quo efficitur, ut oſſa, & medullæ ipſæ, quibus oſſa nutriuntur, graviter afficiantur, totuſque impius pœnas luens, tabidus intereat. Corruptio ergo illa, quæ vitiorum pœna eſt, ſanè in pulvere dormit, cum tumulo conditur. Cætera, quæ in tex- B tu ſubſequuntur, perſeverantiæ in adoleſcentiæ vitijs rationes ſunt, quæ eo modo ipſo, quo in paraphraſi à nobis expoſitæ ſunt, ad hanc interpretationem egregiè conferunt. LXX. Interpp. LXX. pro verbis illis, Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, habent; Oſſa eius impleta ſunt, νεότητος ἀυτῦ, iuventute eius, quod in eundem ſenſum recidit.

Adoleſcentiæ vitia difficilè ponuntur.

℣. 14. Panis eius in utero eius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.

PARAPHRASIS.

C *Lautæ dapes, quibus veſcitur è direptis aliorum bonis, pervertentur in amarorem felli aſpidis ſimillimum.*

PAnis, pro quovis cibo Scripturæ more ponitur, ſignificatque; Sophar fore, ut impius, cui lauta convivia dulceſcunt, poſteà cùm pœnam dabit, amaritudine lethali, qualis in felle aſpidum ineſt, afficiatur. Simile quiddam legitur in Proverbijs: Suavis eſt homini panis mendacij, poſtea os eius implebitur calculo. Venenum aſpidum eſt maximè noxium. Prov. 20. 17.

℣. 15. Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.

D

PARAPHRASIS.

Reddet invitus opes, quas iniquè congregavit, nam ex ipſius domo Deus illas pellet, aliòque traiiciet.

DIvitias devorare hoc loco eſt idem, ac coacervare in locum unum, convehere illas domum, in quam opes, tanquam in ventriculum dapes ingeruntur. Et quidem eleganter dicitur eas evomere, hoc eſt, cum dolore, concuſſioneque reddere, petita ſcilicet metaphora à veneno hauſto, quod cùm ventriculum vellicet, natura obluctatura malo, anxiè illud regerere connititur. E Deus verò dicitur è ventre illas extrahere, ac ſi Sophar in hunc modum efferret, Si condiderit impius divitias intra ſeipſum, uti cibum ingeſtum, Deus ultor illas extrahet, & quò impius nolit, transferet.

℣. 16. Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.

PARAPHRASIS.

Quicquid dulcoris impius è prædis eliciat, planè ſeducitur, venenum quippe haurit, quale in capite aſpidis nocentiſſimum eſt, & viperam concipit cuius lingua dentibuſque dirumpitur.

F

ELegans metaphora eſt ad exprimendum infœlicem exitum impij, qui dum peccat, putatque ſe lac è mundi uberibus haurire, ſugit caput aſpidis. Aſpis oculis ſcintillantibus, atque rubentibus caput attollit, & è dentibus, & lingua venenum exitiale inſpuit: Sic ſanè mundus erecto collo incedens, cuius voluptates impius aviditſimè bibit. At non hoc animadvertit, donec pœnam luat. Vipera quoque caput perniciosiſſimum habet, furenſque libidine maris caput ori inditum præcidit, datura pœnas in partu, in quo proles illam diſcindit, ut ab antiquis ſcriptoribus traditum eſt. Sic impius nefaria libidine malos ſcelerum fœtus concipiens, videtur ſibi fœcundus, proſper, fœlix: at ominoſa quaſi parturitione interit. G Comparatio

℣. 17. Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.

PARAPHRASIS.

Dignus impius, qui proſperitatem more rivi affluentem, & rerum delectabilium copiam inſtar fluenti mellis, ac butyri exuberantem minimè poſſideat.

VIdere hoc loco poſitum non pro ieiuno viſu, nam hîc impio in alienis ædibus abundantiam intuenti calamitatem auget: animumque diſcruciat, ſed pro viſu delectabili, qualis is, qui cum poſſeſſu rerum ſociatur. Iam autem rivi fluminum leniter decurrentes, & plantaria alluentes, fluenta item mellis, butyri, ſeu lactis, ad bonorum præſertim utilium, ac delectabilium ſignificatum metaphora peropportuna petuntur. H Delectabilis viſio rerum poſſeſſio.

Scripta An. 1610.

℣. 18 Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur; iuxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit.

PARAPHRASIS.

A *Dabit pœnas omnium scelerum, quæ perpetravit neque verò solutio pœna finietur, cùm punitio sit æterna futura, quæ ad pondus, numerumque culparum impio infligetur.*

VErum est sanè, impium non esse solvendo: quocirca, licèt perenniter ferat cruciatum tartareum, nunquam debitum grande dissolvit, cum in culpa perpetuo iaceat, atque idcirco in reatu ipso infœliciter permanet. Verum est etiam, impium iuxta multitudinem turpitudinemque criminum pro iustitiæ proportione torquendum, ut quantùm culpa deformavit, tantùm iustitia reformet, & in regione umbræ mortis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, exerceatur mirus & harmonicus ordo iustitiæ,

Aequata culpis pœna in Inferno.

B

℣. 19. Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit, & non ædificavit eam. ℣. 20. Nec est satiatus venter eius: & cùm habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit,

PARAPHRASIS.

C *Causa pœnæ ab impio luendæ subest, quia confractione, sive oppressione crudeli expoliavit inopes, domosque diripuit, quas non construxerat: Neque verò propterea bonis alienis saturatus est: cui æquo iudicio rependitur, ut postquam, quæ optavit bona corripuit, eorum potiri nequeat.*

GRaphicè describit Sophar ingenium impij violentum, & prædæ avidissimum. Cupiditas inexplebilis est, quæ sese ad opes alienas, absque ulla meta iustitiæ, aut rationis exporrigit, quod creberrimis, & vulgatissimis constat exemplis. Iam verò compertum est, plerosque impios, avaritiæ addictissimos, postquam terra, marique divitias incredibili cum anxietate corraserunt, eo tempore à morte succidi, quo speraverant, se rebus iniustè conquisitis fruituros. Sic absque laborum fructu sceleribus onerati, rapiuntur ad flammam.

Inexplicabilis cupiditas.

D

℣. 21. Non remansit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius. ℣. 22. Cùm satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum,

PARAPHRASIS.

Ex alienis bonis impius splendidè epulatur, neque fert, ut ad eleemosynas supersit quicquam è victu eius; quocirca Deo ulciscente, nihil ex ipsius opibus residuum erit. Ipse verò ex ingluvie, ac saturitate repletionem, & æstum, ac dolorum impetum patietur. E

NOta est impij divitis epulonis historia, è cuius mensa nihil Lazarus impetrare potuit. Fruitus est dives bonis, sese tantummodo explere cupiens, quippe qui ut taurus indomitus saginabatur ad necem. Misericordium opes largitione pia augescunt, divitiæ impij avaritia contractæ, ac servatæ dilabuntur: propterea inquit Sophar: Nihil permanebit de bonis eius. Iam verò saturitas impij lascivientis, & gliscentis ad securim eum coarctat, æstum anxietatemve animi, & corporis excitat, dolores, & afflictiones procreat, & præcocem mortem accersit. Etenim qui impatienter voracitatem exercuerunt, repentè à Deo in castris Israel occisi sunt: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum &c. Ascendit ira calcatura saturatos, & satis ad necem pingues interfecit.

Luca 16, 19. 22.

Psal. 77. 31.

F

℣. 23. Utinam impleatur venter eius, ut emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.

PARAPHRASIS. G

Opto, impius expleat citò vota sua intemperantiæ plena, ut cùm sat pinguis fuerit, Deus in illum iaculetur telum exitiale ultionis suæ, & quasi pluviæ guttas, multiplicet in eum prælia. H

NOn optat peccata, sed divinæ iustitiæ decorem: si enim impius corrigendus non sit, optandum sanè confestim intereat, ne noceat. Sic David: Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum. Ille dicendi modus: Impleatur venter eius, ad repletionem bonorum temporalium, non escarum solummodò referendum, ut cùm peccati mensuram expleverit, necetur. Illud verò: Pluat super eum bellum suum, mirificè confert ad iram Dei amplificandam. Iræ profectò pluvia fuit, ex qua diluvium obruit orbem terrarum. Iræ pluvia fuit, quæ infames Sodomorum urbes absumpsit. Ipsa quoque frequens pluvia, quæ campos, urbesque perfundit, & tonitruis, & fulminibus percre-

Psal. 9. 18.

Scripta An. 1610

crepat ad rem, ac mentem Sopharis opportuna est.

℣. 24. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

PARAPHRASIS.

A *Deus de medio tollet impium, cui nullus patebit exitus, nam si arma cominus læden-tia, puta gladios, lanceas effugiat, configetur sagitta ex arcu æneo validè excussa.*

Nemo ultionem Dei, quantumvis potens, & sagax, valet evadere. Impius certè sese undique munit, lorica convestit, clypeo obtegit, & enses fortasse vitat, verùm, quod nulla ignorat ætas, dum, se subtrahit gladio, eadem, qua se proripit via, glande, unde nescit, iacta concidit, & infæliciter occumbit. Ille dicendi modus, Irruet
B in arcum, perinde est, ac incidet in locum ubi arcu, seu balliſta ærea eminus petitus intereat.

℣. 25. Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua: vadent, & venient super eum horribiles.

PARAPHRASIS.

Ensis apparebit impio è vagina districtus,
C *& splendore terribili, quasi fulgure quodam, amaram mortem ostentans: homines feroces ibunt, ac redibunt, ut eum interimant.*

Sermo eclipticus est, ubi aliquid addendum, nihilque aptius, quam ensis, qui dum è vagina eximitur, quasi fulgurat, & mortis amaritudinem repræsentat. Illud verò, Vadent, & venient super eum horribiles, suppositò caret, addendumque, proculdubio, homines, hostes, aut eiusmodi aliquid. Undique obsidetur impius, quia Deum lacessivit.

℣. 26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius: devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in
D tabernaculo suo.

PARAPHRASIS.

Præter vitæ mortalis mala manent impium tenebræ illæ abstrusæ in tartaro, qui est locus occultus eius; ubi uretur igne perpetuo, qui non accenditur, & nutritur more ignis nostri, vexabiturque immaniter, reiectus in locum suum, quem peccando commeruit.

OMnes tenebræ tartarum obumbrare dicuntur, quia sedes tenebrarum est, ubi omnis regnat obscuritas: nam quæ alibi ingruunt tenebræ, velut extra regionem propriam vagantur. Ignis verò tartareus dicitur devorare, hoc est, exurere, torquere impium: neque dicitur succendi more ignis nostri, cuius flamma in sublime tollitur, dum flatu excitatur, mox remittit, iterum effertur, lignis pascitur, & id genus alia, quibus inferorum ignis, qui mira providentia alitur, minimè indiget. Impius ergo tenebris, & igne torquebitur, afflige-
turque relictus in tabernaculo, domiciliove suo, ubi pœnas dabit sempiternas.

Ignis tartarei & nostratis discrimen.

E

℣. 27. Revelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget adversus eum. ℣. 28. Apertum erit germen domus illius: detrahetur in die furoris Dei. F

PARAPHRASIS.

Cœli, in quibus apparebunt horribilia signa, proximo iam universali iudicio detegent impij pravitatem, dum territus fugiet, & arescet: & orbis terrarum pugnabit pro Deo adversus illum, dum se creaturæ, ad ultionem eius commotæ, velut armabunt. Patebit tunc quàm infœlix fuerit proles eius, vitiorum & opum malè partarum hæres. Denique detrudetur in tartarum die suprema, quæ ultioni Dei destinata est. G

HÆc Sopharis verba à nonnullis expositoribus de extremo judicio, ab aliis de ultione Dei, quæ impijs in hac vita inferuntur, intelliguntur. Nam & in hoc ipso sæculo de cœlo interdum tanguntur opes impij, & in terra hostes insurgunt, illumque circumsistunt, atque divexant, apparetque tunc germinis, hoc est, fructus, copiæ, abundantiæ; vel etiam germinis, id est, prolis infœlix conditio, tristis exitus; ipseque impius detrahitur, deturbatur è statu florenti à Deo irato, & vindictæ tela contorquente: eaque dicitur dies furoris Dei. Vtraque interpretatio congruit.

Impii non semper prosperati.

℣. 29. Hæc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino. H

PARAPHRASIS.

Hæc est merces impij, & remuneratio, quam operibus eius Deus rependit.

Epi-

Scripta An. 1610.

EPiphonema eſt, quo Sophar ſermonem abſolvit; Hæc eſt pars, portio, merces, fructus, impio reddenda à Deo, Hebraicè Elohim, à judice. Hæreditas verborum, hoc eſt, operum, phraſi notiſſima: dicitur verò hæreditas operum, quæ rependitur operibus. Pro Domino, LXX. Interpretes habent, Superintendente, Græcè ἐπισκόπου, Epiſcopo. Poteſt etiam verti, viſitatore. Vtrumque autem nomen appoſitè ſatis quadrat iudicio Dei, de quo mentio facta eſt. Veniet quippe ut ſpeculator, explorator, cenſor, viſitator, ut omnia diſcutiat, & ſuo rem quamlibet loco reponat. Et ad hunc modum Sophar orationem explet, in qua profectò non pauca ſelecta, & ſapienti viro digna effatus eſt: at quod ad Iobum attinet, quem pupugiſſe videtur, importunus, & prolixus ſermo fuit, cùm Iobum impietas nulla, iniuſtitia nulla, intemperantia nulla, vitium nullum ex iis, quæ ſunt obiecta, fœdaſſet: quod à lectore ſæpius recolendum, ne malè connectat, & ut viro innoxio culpam impingi non debere animadvertat.

LXX. Interpp.

A

Dei ad judicandum adventus,

B

CAPUT XXI.

¶. 1. Reſpondens autem Iob, dixit. ¶. 2. Audite quæſo ſermones meos, & agite pœnitentiam. ¶. 3. Suſtinete me, & ego loquar, & poſt mea, ſi videbitur, verba ridete.

PARAPHRASIS.

C

Reſpondit Iobus: Attendite, precor, quæ dicam, & ab erronea opinione reſipiſcite. Ferte patienter me dicentem, &, ſi libebit, poſtea mea dicta contemnite.

CUpiens Iobus amicos ſuos ad meliorem mentem reducere, attentionem poſtulat. Agit verò de temporali impiorum fœlicitate, ſententiam firmaturus ſuam, nimirum, non ſemper impios in hac vita puniri, ſæpe autem pios cædi, & afflictari. Poſcit patienter audiri, admittitque poſtea irrideri, ſi libeat: qui ſanè dicendi modus proprius eſt eorum, inter quos diſputatio

D

efferbuit. Iam verò ſatis conſtat, acriter diſceptatum fuiſſe, vehementerque ſingulos, pro ſua quemque opinione, certaſſe.

¶. 4. Numquid contra hominem diſputatio mea eſt, ut meritò non debeam contriſtari?

PARAPHRASIS.

An hæc diſceptatio mea fertur adverſus hominem aliquem de re temporali litigantem, ut ſive audiar, ſive ſecùs, pro nihilo ducam? profectò ita diſputo, ut de re divina, de divinæ providentiæ ratione agens, ægre feram, & iure mœream, niſi attentè audiar.

E

VErſus hic plurimas admittit explanationes, quæ ab ſcriptoribus recenſentur: ſed quam in paraphraſis adduco, lenis eſt, optimeque cohæret. Et quidem verum eſt diſputationem hanc in Dei gloriam ceſſuram, ſi veritas eluceſcat, in reprehenſionem, ſi occulatur, & caligine offuſcetur. Eſt autem viri planè pij zelo veritatis urgeri, moleſtùque ferre, in huiuſmodi occaſionibus negligi, ut ſurdis parietibus occinere videatur. Agitur quippe cauſa Dei.

Piorum zelus.

¶. 5. Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro.

F

PARAPHRASIS.

Cùm vera, & gravia dicturus ſim, aures attentas præbete, admiramini, & in ſilentij ſignum labia digitis attingite.

AMplificatio eſt attentionis poſtulatæ: poteſt quoque fiducia victoriæ eſſe, ac ſi Iobus diceret: Dixi audiretis me, poſtea irriſuri, ſi placeret: at attendite, expendite quæ promam, tantùmque, ſpero, aberit, ut irrideatis, ut potiùs miremini, vobiſque ipſis ſilentium imperetis. Iam verò verba illa, Superponite digitum ori veſtro, uſitatiſſimum taciturnitatis ſignificatum exhibent.

G

¶. 6. Et ego quando recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.

PARAPHRASIS.

Ne miremini, quòd dixerim, obſtupeſcite, & ſilete: ea enim prolaturus ſum, quæ dum recolo, ego ipſe formido, & contremiſco.

H

DE tremendis Dei iudicijs verba facturus præmittit, ſe hæc ipſa cogitantem, tremore concuti, quod ſanè boni, æquique æſtimatoris argumentum eſt. Sive enim, quæ Deus in ſuprema illa univerſalis judicij hora patrahit, ſive quæ decurrentium temporum ſerie in cauſis hominum agit æquis bilancibus ponderentur, minimè dubium, quin animum vehementer afficiant, à culpa dimoveant, ad virtutis ſtudium extimu-

Scripta An. 1610.

mulent, vireſque animi ad res grandes altiùs capiendas, & penſitandas permoveant.

℣. 7. Quare ego impij vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitijs? ℣. 8. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum.

A

PARAPHRASIS.

Cur impij vita indulgetur? cur bonorati, ac fortunati vivunt? cur longam poſteritatis ſeriem, liberorum, nepotum, conſanguineorum cernere ſinuntur?

HÆc ſanè quæſtio adeò gravis antiquis hominibus viſa eſt, ut & viros vitæ ſanctimonia clariſſimos torſerit, è quibus David: Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Et Ieremias: Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? &c. Hoc ergo idem proponit Iobus, uti rem planè mirabilem. Quòd enim impius excrucietur, fœdetur, pudefiat, pœna eſt culpæ conſentanea, quam nemo non perſpicit, ac boni conſulit: at quòd proſperetur, floreat, ſplendeat, porrò neque eius meritis congruit, neque rei proportio facilè ex alijs capitibus ſeipſam prodit. A contrario verò, quòd vir pius fama clareſcat, ditetur, honoretur, mirificè conſonat; debetur enim honor virtuti, omniſque opulentia rectè collocatu in homine, qui ea ad honeſtum uſurus ſit: quòd verò is afflictetur, vilipendatur, diripiatur, ſaucietur, neque ipſius meritis conſentit, neque rei ratio idonea paſſim à quovis homine invenitur. Quicquid autem de rerum proportione mortales cogitaverint, è quibus nonnulli pios afflictos, impios proſperatos intuentes, Dei providentiam negare auſi ſunt; profectò verilimum, omni ætate fuit, pios plerumque affligi, impios plerumque ſecundis eventibus gaudere. Quod certè, cùm in dubium niſi ab ignaris revocari nequeat: hoc ipſo propoſito Iobus, amicos ſuos vehementer urget, ut credant, neque ex afflictione impietatis, neque ex proſperitate pietatis argumentum duci poſſe, quæ eſt ipſa inter eos agitata controverſia. Quocirca ſic Iobus agere credendus eſt. Vos concertatores mei graviter, ac turgidè pronunciaſtis vexationem meam admiſti criminis indicium eſſe, quo in aſſerto perſiſtitis. Si ergo ita ſe res habet: per argumentum à contrario, ſecundus, ac florens ſtatus pietatis indicium erit. Quomodo ergo impij proſperè vivunt, læti, validi, locupletes, liberorum, cognatorum, amicorum agminibus ſepti? Profectò ex hoc ſtatu, quo nihil à mortalibus beatius in hac vita contingere poſſe iudicatur, ſententia veſtra aſtruendum eſt, eos homines pios eſſe. At omnino exploratum eſt, impiè pleroſque ex illis agere, intemperantiæ ſervire, prædis inhiare. Patet ergo vos extra veritatis orbitam evagari, ac enormiter in re maximè ſeria, divinæ videlicet providentiæ opinione, ſeduci.

Pſal. 72. 3.

Cap. 12. 1.

B

Iobi argumentatio.

C

Argumenti confirmatio.

D

E

℣. 9. Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. ℣. 10. Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non eſt privata fœtu ſuo.

PARAPHRASIS.

Ampla domicilia impiorum bene firma, & tranquilla crebrò perſtant, neque à Deo caſtigantur. Eorum armenta non ſunt ſterilia, boves, ſeu vaccæ concipiunt, nec abortum faciunt, ſed fauſtè fœtum excludunt.

VIrga Dei, flagellum, ultionem, punitionem frequenti uſu Scripturæ ſignificat. Bos hîc à nonnullis pro maſculo accipitur, qui ſcilicet non ſit exectus, ac domitus, ut à vacca ſecernatur, præſertim cùm in Hebræo Bos ſit generis maſculini: ſed Septuaginta pro bove fœmina acceperunt: neque multum refert hoc ſexus diſcrimen: non enim hîc tam generis diſtinctio, quàm proſperitatis deſcriptio expendenda eſt. Bos ergo, & vacca fœminam eius generis ſignificant, cuius fœcunditas ſat exprimitur, ſi bene concipiat, non abortiat, faciliter pariat, & fœtum editum nutriat: qui certè quatuor gradus in textu tanguntur. Porrò impij, quorum boves craſſæ, ac fœcundæ ſunt (armenta, videlicet, omnia per ſynecdochem numeri) quique Dei virga minimè corripiuntur, ij ſunt, de quibus Pſaltes regius dixit: In labore hominum non ſunt: & cum hominibus non flagellabuntur: hoc eſt, Non exercentur laboribus hominum, ſed tanquam pinguia animantia nutriuntur ad necem.

F

LXX. *Interpp.*

G

Pſal. 72. 5.

℣. 11. Egrediuntur, quaſi greges, parvuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. ℣. 12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi.

H

PARAPHRASIS.

Impiorum ſoboles numeroſa more agnorum exultantium læta procedit, puellique minores impiè educati intemperanter exhilarantur. Docentur tympani ac citharæ pulſum, & ad

Scripta An. 1610.

& ad organi ſonos, modoſve parum caſtè tripudiant.

VErba hæc periphraſim continent vitæ liberioris, Dei timore minimè coercitæ, ac intemperantiæ aſſuetæ, parumque pudicæ educationis, qua impij liberis ſuis indulgent, quos laſcivire, ac vaniſſimis motibus abuti ſinunt. Hiſce autem tribus muſicorum inſtrumentorum nominibus alia omnia Iobus complexus eſt. Ineſt autem vitium non ſanè in muſicæ, inſtrumentorumque exercitio, ſed in abuſu ad res amatorias, motus incompoſitos, & impudentiam, quæ ætati tenellæ altiùs imprimuntur. Tympanum circulo ligneo, membranaque tenſa conſtat, manuumque pulſu ſonum reddit: Cithara in figuram deltæ Δ, litteræ Græcæ, chordis religatis, ac tenſis fabrefiebat. Organi qualis figura fuerit, inexploratum eſt.

A

Muſicæ abuſus & periculum.

B ℣. 13. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

PARAPHRASIS.

Tam impii parentes, quàm eorum liberi ſolent vitam proſperam læti ad ultimam uſque metam interdum degere, & momento penè uno morte corripi, ac in tartarum detrudi.

VIm prodit inſignem punctum illud tremendum. Solent quippe impij futuræ vitæ ſupplicia, præmiaque non magis meminiſſe, quàm ſi nunquam ex hac vita, G quam impenſiſſimè amant, eſſent migraturi. Nihil de placando Deo, de culpis expiandis, de animo ad conflictum mortis virtutibus veris armando cogitant. Interim verò, dum convivijs, & luſibus licenter indulgent, horrendo Deo judicio corripiuntur; neque indulgetur tempus ad res componendas, vitamve corrigendam, quod nulla non novit ætas. Nomen Hebraicum Sehol, quod inferno reſpondet, licèt pro ſepulchro ſæpe accipiatur, congruentius eſt, ut hîc tartarum ſignificet, cùm ſub eius nominis amplitudine ſubterraneam ſtationem non modò cadaverum, ſed animarum ſontium complectamur. Poteſt autem utrumque hoc loco ſignificatum habere, ut notet locum cadaverum, & animarum in tartarum deſcentium.

Infernus Hebraicè.

D ℣. 14. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. ℣. 15. Quis eſt Omnipotens, vt ſerviamus ei? & quid nobis prodeſt, ſi oraverimus illum? ℣. 16. Verumtamen, quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longè ſit à me.

PARAPHRASIS.

Impii audaciter repulere Deum ajentes: Procul eſto à nobis; nolumus quippe te præceptorum tuorum ſcientiam docentem audire. Dixerunt etiam: Ecquis eſt Deus, qui appellatur omnipotens, ut ei cultum afferamus? Quid boni præſtabit, ſi eum precemur? Hæc eſt ſententia impiorum bona hujus vitæ præponentium Deo. At cùm ego ſciam, bona illa non eſſe in ipſorum poteſtate, ſed ab eis violenter auferenda, ſaltem cùm interierint; abſit ut eorum conſilium probem. E

EXprimit Iobus affectus impiorum per mimeſim. Et quidem, præter creberrimam divinarum inſpirationum repulſam, eò prorumpere audaciæ ſolent, ut diſertis verbis Deum reſpuant, ſeque illum neque noſſe, neque colere velle horrendis blaſphemiis enuncient. Porrò Pharao ſic Moyſi, & Aaroni reſpondit: Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. Mirum eſt autem, quot Pharaones mundus ediderit. Quid, ajunt impii, nobis prodeſt, ſi oraverimus illum? Cui ſimile illud Malachiæ: Dixiſtis: Vanus eſt, qui ſervit Deo. Et quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta eius, & quia ambulavimus triſtes coram Domino exercituum? etenim plerique hoc idem opinari videntur, dum à piis exercitiis, velut ſterilibus abhorrent, & ad ſæcularia negotia, ſpe lucri illecti, avidiſſimè convolant. Subjungit Jobus: Non ſunt in manu eorum bona ſua, hoc eſt, ipſa bona, quæ incredibili cupiditate coacervarunt, & quibus ad luxum abutuntur, non ſunt in eorum poteſtate, cùm paulò pòſt ad necem vocandi, & per ſummam vim ab opibus ſuis avellendi ſint. Abſit ergo, ut eorum conſiliis acquieſcam, ſpemque in bonis fluxis reponam, quam in æternis bonis, ac ſolatiis collocare poſſum. Omnia horribilia ſcelera, quibus impii fœdantur, à repulſa Dei, qua ſcilicet ipſi Deum reiiciunt, vias ejus, hoc eſt, præcepta, quibus itur in cœleſtem patriam, execrati, orta videntur. Sanè grave malum eſt, ſalutis auctorem caſta conſilia ſuggerentem reſpuere.

F

Peccatorum audacia.

G

Exod. 5. 2.

Cap. 3. 14.

Deſpectæ pietatis illeſio.

G

H ℣. 17. Quoties lucerna impiorum extinguetur: & ſuperveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris ſui?

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Sæpe, in hac etiam vita, prosperitas impiorum delebitur, quæ ut lucerna oleo, ita temporali opulentia nutritur. Posteà verò malorum diluvio in interitu obruentur: & Deus dolores, & cruciatus tartareos, iræ suæ indices, pro cujusque impii nequitia partietur.

A

ASseverat Iobus, impios plerosque ad finem usque vitæ in hac temporaria fœlicitate perdurare, statimque momento abripi ad flammam. Ne verò quis existimaret, opinari eum, prosperitatem impiorum semper ad finem vitæ procurrere, quasi permittendum semper esset sceleratis prosperè hîc agere, qui sempiterno cruciatu torquendi forent: subdit hic, quod revera existimavit, & in omni ætate crebris experimentis testatum est, florentem videlicet impiorum statum sæpè concidere, sæpè apparentem splendorem extingui. Appellat verò lucernam, statum secundæ fortunæ, qui pascitur affluentia bonorum temporalium, ut lucerna oleo: ac proinde opibus sublatis, claritas illa vana emoritur. Etenim non ideò, quia emoritur in hac mortali vita, impietatis pœna persolvitur; sed supervenit alluvio illa tristis interitus, quo mergitur impius, & præfocatur detruditurque in tartareum carcerem, ubi cruciatus à Deo irato divisos, hoc est, ad proportionem culpæ partitos feret.

Impii non semper prosperati.

B

℣. 18. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit. ℣. 19. Deus

C

servabit filiis illius dolorem patris: & cùm reddiderit, tunc sciet.

PARAPHRASIS.

Non valebunt impii Deo magis resistere, quam levissimæ paleæ ventis, aut favilla turbinibus. Deus filiis eorum perperam educatis, cruciatum pœnæ parentum similem, infliget. Et cùm Deus ipse rependerit pœnam impio, quam neque cogitabat, neque nosse volebat, tunc sanè illam experiendo, at

D

patiendo pernoscet.

PErgit Iobus impiorum calamitates describere. Notat incostantiam paleæ, ac favillæ dispersæ similitudine, ut & David: Tanquam pluvis, quam proiicit ventus à facie terræ. Profectò, cùm flagitiosi homines Deo, proprio scilicet creaturarum firmamento non hæreant, in levitatem quandam, & instabilitatem ærumnosissimam degenerant: atque idcirco, quicquid bonorum temporalium coagmentant, nulla firmitate subnititur, sed facillimè concidit, labefactatur, dis-

Psal. 1. 5.

sipatur. Quòd verò Deus, velut in thesauro iræ, servet dolores impii, infligendos liberis ejus, similitudo impietatis in illos, derivatæ, quasi lactis succu conceptæ, ac imitatione auctæ, palàm exigit. Illud autem, Cùm reddiderit, tunc sciet, tantumdem valet, ac Iobus diceret: Impius neque meditatur, neque formidat pœnam, totus cogitationibus, & affectibus vitæ præsentis immersus; videtur sibi semper fortunandus, atque ideo neque liberis suis, neque sibi timet. At, qui modò, quasi temulentus non pertimescit, ad pœnæ sensum evigilabit, & cùm Deus stimulum infigere cœperit, sciet quid egerit, quàm graviter aberrarit. Omnino verum est, plurimos flagitiosos homines eo amentiæ progredi, ut minas pœnæ spernant, obtusoque animo nihil formident, donec ictu mortis, aut acerba calamitate tangantur.

E

Impiè viventium cæca decepțio.

℣. 20. Videbunt oculi ejus interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet.

F

PARAPHRASIS.

Hebes nunc visus impii est: at cùm interierit, oculos acuet, cernetque invitus mortem suam, & in tartaro hauriet amaram potionem ultionis potentissimi Dei.

VIsio hæc non ad corporis mortem tantùm, in qua peccator nebulas oculorum dispellit, sed ad sempiternum quoque interitum pertinet. Cogetur quippe impius spectare mortem illam, quam cernere nollet, acerbissimoque dolore trajectus videbit, atque tabescet. Phrasis hæc, Bibet de furore omnipotentis Dei, simillima est illi, qua Ioannes in Apocalypsi utitur: Hic bibet de vino iræ Dei: ubi de tartareo cruciatu verba fiunt. Appellatur autem Deus hoc loco Omnipotens, quod validè, potenter, cum indignatione tormenta inferat.

G

Cap. 14. 10.

℣. 21. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se, & si numerus mentium ejus dimidietur?

PARAPHRASIS.

H

Mortem impius suam in tartaro feret, neque domus in hac vita relictæ particeps erit amplius. Nam quid ad eum defunctum derivatur è bonis domus? Si verò ipse brevi cursu vitæ quasi dimidiato intereat, quid secum exportabit?

PRæmiserat Iobus, impium visurum interfectionem horrendam, tunc scilicet, cùm avellitur ex hac vita, bene perspecturum,

Scripta An. 1610.

quid mali ſuiſmet conatibus ſibi conſciviſſet? nunc verò ſubdit: Quid enim ad eum pertinet, hoc eſt, perlabitur, derivatur, permanat de domo ſua, de opibus, & viribus ſuis dilapſis, quaſi diceret: An poterit ſe amiſſis divitiis redimere? An inde capiet ullum emolumentum, aut ſolatium? minimè. Quid verò ſi numerus menſium impii dimidietur? hoc eſt, quid ei boni continget, ſi feſtinata morte è medio tollatur? quaſi diceret: Animadvertat hoc impius; ſive enim longam vitam duxerit, ſive præmaturè obierit, nihil de bonis ſecum efferet ſuis, aut ullum ei ſupererit ſolatii genus.

A

℣. 22. Numquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos judicat?

PARAPHRASIS.

B *An Deus caret ſapientia, egetve magiſtro ullo, à quo doceatur, quomodò cum creaturis ſuis piis, aut impiis agere debeat? Profectò non indiget, cùm ipſe eos, qui inter creaturas ſublimiores ſunt, diiudicet, atque gubernet,*

Dei providentia vindex in impios.

AGit de impiorum punitione: ſenſuſque Jobi eſt: Noſſe Deum optimè, ac perfectiſſimè, quemadmodum cum potentiſſimis creaturis agere debeat, ut ex hoc evincat, ad Dei providentiam pertinere, impios, quantumvis florentes, ſublimes, glorioſos ad judicium accerſire ſuum, temporaque diſcernere: & ubi expedit, ſententiam ferre, illos interimere, æterno patibulo addicere, omniaque pervidere, ut infinitam ſapientiam, atque invictiſſimam ejus potentiam decet.

C

℣. 23. Iſte moritur robuſtus, & ſanus, dives, & fœlix. ℣. 24. Viſcera ejus plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur: ℣. 25. Alius verò moritur in amaritudine animæ abſque ullis opibus: ℣. 26. Et tamen ſimul in pulvere dormient, & vermes operient eos.

D

PARAPHRASIS.

En indifferens mortalium conditio: alius vegetus, & fortunatus, viſceribus adipoſis præpinguis, oſſibuſque medulla plenis validus à morte corripitur: alius animi afflictione gracilis, inopiaque conſumptus migrat è vita. Et tamen æquali ſorte in ſepulchro jacent, & vermibus exeduntur. Quid ergo de his hominibus cenſetis?

HOC argumento videtur Jobus duo evincere: alterum de æquali ſorte, quæ in interitu, quod ad corpus attinet, piis æquè, ac impiis obtingit, cum quo nectenda eſt, indifferens quoque ſors bonorum temporalium quibus ſontes, ac inſontes, nunc affluunt, nunc etiam carent, quemadmodum hoc ipſo capite, de ſontibus, qui ducunt in bonis dies ſuos, oſtendit: alterum, quod evincit, eſt, neceſſariò aſſerendum, aliquod præmium piis afflictis, & ſupplicium impiis proſperatis poſt hanc vitam mortalem à Deo fuiſſe decretum. Quocirca hoc allato textu comparat concertatorum animos ad ea, quæ mox prompturus eſt, ut ex obſervatione rerum in hac vita promiſcuè piis, ac impiis ſuccedentium, recedant ab opinione erronea, qua ſibi perſuaſere, impios ſemper in hoc ſæculo afflictari, pios ſecundis rebus potiri. Ille modus dicendi: Oſſa medullis irrigantur, perinde valet, ac abundè medullis explentur, ac nutriuntur. Cætera patent.

Iobi argumentum de præmio, ac pœnis alterius vitæ.

E

℣. 27. Certè novi cogitationes veſtras, & ſententias contra me iniquas. ℣. 28. Dicitis enim: Ubi eſt domus principis? & ubi tabernacula impiorum?

F

PARAPHRASIS.

Profectò calleo mentem, & opinionem veſtram erroneam in me directam. Quando enim longo ſermone diſputatis, aſſerentes, impios ſemper in hac vita plecti, & quaſi rogantes, ubi ſit ampla domus iniqui principis, ædificiaque operoſa impiorum; novi, inquam, vos hæc omnia tela in me intorquere, ac ſi ego princeps fuerim impius, & ob crimina loco exciderim,

G

ARgutè carpit concertatores, qui eos ſat exploratos habet, aitque ſe non in utramque aurem dormire, cùm diſceptatur, ſed & ſententias prolatas, & animum dicentium introſpicere: benèque noſſe, quicquid de impiorum malis graviter, ac tumidè enunciarunt, perinde fuiſſe, ac ſi nominatim ipſum invecti ſemper fuiſſent. Poteſt textus ſic luculentiùs exponi, ut tantundem ſit, Ubi eſt domus principis, ac, Ubi eſt domus Iobi? Ubi tabernacula impiorum, ac, Ubi domicilia filiorum Iobi? Et quidem reſponſio hæc homine perſpicaci digna fuit. At pergit amicos revincere.

H

℣. 29. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoſcetis: ℣. 30. Quia in diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris ducetur.

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

An pertinaciter rem compertissimam inficiemini? Scisscitamini à quovis ignaro viatore, qui proculdubio asseret sententiam meam: quod scilicet adversitas non sit argumentum culpæ, sicut neque prosperitas justitiæ; cùm impius sæpè, uti dixi, ducens in bonis vitam, quasi taurus pinguis servetur ad necem illi inferendam decreta die interitus, qua licèt obluctans pertrahetur ad subeundam gliscentem iram Dei.

A

MEns Iobi est, rem fuisse vulgatissimam utpote naturali lumini maximè consentaneam, impios in hac vita florentes servari ad pœnam in futura vita perferendam: ex quo palàm efficitur, notum quoque fuisse, non semper flagitiosis hominibus in hac vita pœnam irrogari, ac proinde nemini, quantumvis calamitoso, exprobari posse crimina ex hoc dumtaxat præsentis æruminæ capite, à quo & nequissimi peccatores plerumque eximerentur. Pro verbis illis: Quia in diem perditionis servatur malus, LXX. Interpretes habent: Quoniam in diem perditionis sublimatur malignus. Sublevatur quippe, ut validè elidatur, sicut qui vas fictile in sublime utraque manu effert, saxoque fortiter allidit. Dies perditionis, diesque furoris, interitus dies est, quo impius ab irato Deo sempiterno anathematisino repellitur. Pro verbo, Ducetur, LXX. habent, Adducentur, Polychronius, & Anastasius vertunt in singulari, Adducentur, ἀπαχθήσεται, quod cum Vulgato cohæret, & significatum auget: abducitur quippe impius, quò nollet.

B

LXX. Interpp.

LXX. Interpp. Polychronius, & Anastasius.

C

℣. 31. Quis arguet coram eo viam ejus? & quæ fecit, quis reddet illi? ℣. 32. Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.

PARAPHRASIS.

Pertinuit ad Dei providentiam futuræ vitæ supplicia impio decernere: nam cùm in hac vita sæpe dives, & potens usque ad interitum floreat, nemo valet illum redarguere, nemo valet ei pro impietate pœnam rependere. Benè ergo est, ut sepulchro condatur ubi corpus exanime jaceat, anima verò inter sontes mortuos, pœnas accerrimas luens, infæliciter vivat, sive vigilet.

D

Divites impii rarò arguuntur.

PRofectò verum, ac vulgatum est, impiorum hominum mores, dum opibus, ac potentia excellunt, vix ab ullo pio admonitore carpi. Obstat quippe animus impatiens nullo timoris Dei fræno cohibitus, omnia sibi licere ratus. Quòd si à nemine corripitur, à quo plectetur? At non in sempiternum insolescet: accedet nimirum funeris dies; corpus humabitur, a vermibus avidè exceptum; animaque malè conscia nulla unquam requie gavisura ad ferendos immanissimos cruciatus evigilabit. Potest illud, Ad sepulchra ducetur, ad funebrem pompam, numerosum comitatum, & apparatum superbum pertinere: at quid prosit honor ille impensus corpori, cujus anima jam pœnas horrendas luit, quodque suprema die ad flammam excitabitur? Rectè dictum, In congerie mortuorum, quasi dicas, in acervo animarum agglomeratarum, ut confusio illa tartarea, ordinis expers, horrorisque plena notetur.

E

F

℣. 33. Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.

PARAPHRASIS.

Sanè impius tartaro exceptus placet sontibus, qui in Cocytum, paludem scilicet inferorum, quasi lapides merguntur. Hunc ante, & post interitum, omnes mortales comitantur, quod ad corporis mortem attinet.

COcytus, poetico figmento, inferorum palus existimabatur, in quam animæ mergerentur, vbi & lamenta, & ululatus ederent mœstissimos, juxta nomen ipsum, Cocytus, quod luctum significat. Glarea est terra lapillosa, qualis in fluviorum ripis, marisve littoribus jacet. Dum ergo Iobus ait, impium esse dulcem glareis Cocyti, idem agit, ac si diceret; placere illi regioni infernæ, quæ figuratè glarea Cocyti appellatur. Sicut enim cuique rei dulcis est, hoc est, placet, congruit, consentanea est res alia, quæ cum ipsa proportionem habet, ut lapis centro, ita sontium animæ regioni inferorum congruunt, dulcescunt, quadrant, ob proportionem culpæ, ac pœnæ: locus quippe, ac sedes propria animæ, peccati pondere gravatæ, tartarus est. Glareæ quoque, juxta poetarum commenta, eructabantur à fluvio quodam infero, cui nomen Achero, in Cocytum, quas sanè glareas, animas defunctorum esse fingebant. Et quidem Iobus commentis benè utens, dum ait impium dulcescere glareis, perinde agit, ac si impium, dum in tartarum detruditur, cæteris impiis gratum esse proferret. Licèt enim nihil in ea regione suave, dulcevè sit, minimè tamen negandum, damnatos alios aliis placere ex eo capite, quo Deum offenderunt, in quam certè superbiam animi damnatorum vehementer conspirant. Quod verò subtexitur: Et post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles, idem est, ac omnes antecessores, & successores morientur, quemadmodum ipse interiit, quod ad corporis sortem spectat. Quo sanè sensu Iobus hoc argumentum contexere censendus est: En, impius in tartaream paludem demergitur, & quod ad corpus attinet, ejusdem

Pompa funebris animæ inutilis.

Quid Cochytus? quid Glarea.

G

Achero.

H

Miseræ Damnatorum complacentia contra Deum.

Iobi ratiocinatio.

Scripta An. 1610.

jusdem conditionis est cum piis hominibus, omnia enim corpora sepeliuntur. Necesse ergo est, ut si impius ad mortem usque prosperatur, uti sæpe contingit, & pius inops, & inglorius humatur, superstit alia vita, ubi pius remuneretur, quemadmodum impius excruciatur. Quapropter nihil insistendum argumentis ex adversa, prosperave huius vitæ fortuna petitis, qua certè in re latè palantes ab scopo veritatis aberratis.

A

℣. 34. Quomodo igitur consolamini me frustra, cùm responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

PARAPHRASIS.

Quorsum ergo nequicquam me solari adniti mini pollicentes prosperitatem, si resipiscam. cùm evicerim, assèrta vestra veritati esse dissentanea?

B EX Iobi argumentis, quibus astruxit, pios æquè, ac impios ærumnis in hac mortali vita afflictari, palàm efficitur, ineptum solatij genus esse, si quis viro afflicto, quem censet impium, pœnitentiam ager suadeat, promittens, si in Dei gratiam redeat, fore, ut secundæ res ad votum succedant, opes, honores, commoda circumfluant. Ineptum certè solatij genus, nam res planè incerta est: neque enim ex reditu in Dei benevolentiam efficitur, ut qui pius est, fortunetur, honoretur, bene valeat, cæterisque fluxis mortalis vitæ bonis affluat, cùm pateat, plerosque viros pijssimos ærumnis consumptos interire, è contrarioque plerosque improbos florentes, vegetos, lætos ad C mortem usque perdurare: præterquam quòd perspicuum est, consolationem minimè appositam esse, polliceri homini ærumnoso prosperitatem, si resipiscat, cùm ex genere suo ea prosperitas resipiscentiæ, vitæque defæcatæ argumentum non sit. Cùm ergo Eliphaz, Baldad, Sophar Iobi constantissimum animum grandibus pollicitis temporarijs tentassent aptè concludit aiens: Quomodo igitur consolamini me frustra, vel (ut LXX. habent) inaniter? Incassum videlicet argumenta conglobarunt, cum finis intentus, qua ratione ipsi asserebant, neque semper obtineretur, neque si fortuitò obtineretur, veræ sententiæ congrueret. Atque idcirco subiungit: Cùm responsio vestra repugnare ostensa sit veritati: veræ scilicet sententiæ, quæ habet, pios & impios in hac vita passim affligi, neque ex opibus, vel inopia, firma vitii, aut virtutis argumenta produci: super esseque proindè vitam aliam, ubi boni præmiis cumulandi, improbi commeritis pœnis ævo sempiterno torquendi sint. Atque in hunc modum Iobus siluit, quem redintegrato prælio Eliphaz adortus est.

LXX. Interpp.

D

Ex varia hominum fortuna quale argumentum.

CAPUT XXII.

℣. 1. Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: ℣. 2. Numquid Deo potest comparari homo, etiam cùm perfectæ fuerit scientiæ? ℣. 3. Quid prodest Deo, si iustus fueris? quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? E

PARAPHRASIS.

Respondit Eliphaz: videris, ô Iob, ex sapientia, & iustitia, quam jactas, velle Deum revincere, quod planè temerarium est: Homo quippe, quantumvis scientia provectus, cum Deo componi nequit, & ad eumdem modum, quantumvis justus. Tu verò adeò tumes, ac si Deo aliquod emolumentum ex tua justitia accederet, aliquidve boni, quo careret, vitæ integritate illi conferres. F

ELiphaz punctus Iobi oratione tertiùm iam congreditur, & apertè, (quod hucusque suppresse) crimina obijcit, atque ad pœnitentiam hortatur. Optarat Iobus cum Deo disceptare, suamque innocentiam non gloriæ ambitu, sed veritatis studio asseverat: quod Eliphaz sinistrè interpretatus, velut hominem scientiæ opinione, & inculpatæ vitæ existimatione turgentem, validè aggreditur. Potest autem sic induci: Quò ferris Iob? qualis hic scientiæ, ac iustitiæ fastus? Tu certè ex duobus his capitibus Deum tanquam æqualem quemdam hominem impetisti. Nescis infinitam esse Dei sapientiam, neminemque vel scientia excultissimum cum eo posse conferri? nescis justitiam mortalium inutile quiddam, sterile, ac sordidum esse, si cum divino candore comparetur? Cur ergo ita justitiam iactas, ac si Deus tua integritate indigeret, deberetque tè insolescentem patienter ferre, spe lucri, quod è tuo commercio pararet? Non hic immorandum in exquirendo, seligendove uno, vel altero verbo, ex quo Eliphaz judicare potuerit. Iobum audere se ipsum cum Deo componere, & scientiam, iustitiamque suam Deo obtrudere. Eo quippe ipso, quòd se innoxium excruciari, velleque cum Deo disputare prompserit. Dei tribunal appellarit, amicos carpserit, potuit iniquus interpres opinari, ea asserta esse hominis audacis: sapientiam, & justitiam ita venditantis, sibique fidentis ut cum Deo ipso se compararet, divinam providentiam reprehenderet, videreturque sibi sapientior Deo, ut qui nosset G

Dei sapientia infinita.

H

res

Scripta An. 1610.

res prudentius temperare, & justior, ut qui sine noxa cæderetur à Deo iniustè pœnam infligente. At enormiter Eliphaz pravo interpretamento aberrat. Iobus verò dum conscientiam potiùs, quàm scientiam asserit suam, & justitiam commendat, confert sanè multum laudis, & gloriæ in Deum, qui accessione illa apud mortales claresci: & universè justorum opera eximia, quasi annui redditus sunt, quos Deus in thesauris A reponit.

℣. 4. Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium. ℣. 5. Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?

PARAPHRASIS.

Adeò insolenter cum Deo agis, ac si tempus antevertens te Deus reprehenderet, veritus ne à te alicujus erroris convinceretur, & quasi timeret, ne ad superioris, judicis tribunal pertraheretur. Profectò non adeò te redarguit: quid enim ille timeat? sed punit te ob scelera innumera, quæ patrasti. B

SAgacis, ac iniqui rei est, quem actorem suum fore timet, antequam lis intendatur, objecto aliquo crimine infirmare, vel certè potentia opprimere, ne si imparatus vocetur in judicium, reus peragatur. Hoc Eliphaz significat hoc textu, quasi expressiùs in hæc verba dixisset: Tu sanè Iob, conquereris te iniustè torqueri, cùm innoxiè vixeris, aisque pios æquè ac impios a Deo vexari, atque consumi: ac per hoc intumescis, Deum in judicium provocas, & tibi causæ victoriam polliceris; quod certè blasphemiæ genus est. Perinde quippe agis, ac si palàm diceres, Deum antevertisse tempus, ut te argueret, accusaret, opprimeret, quasi metuens, ne litem illi coram judice superiore intenderes, illeque causa caderet, ut violentus piorum oppressor. Longè deliras: non enim propterea te Deus coarguit, graviterque percellit, sed quia pessimè affectus es, & plurimis sceleribus fœdatus. Age ergo, hoc altè perpende. C

Iniqua Eliphaz argumentatio in Iobum.

℣. 6. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus. ℣. 7. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem. ℣. 8. In fortitudine brachij tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam. ℣. 9. Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti. ℣. 10. Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido subita. D

PARAPHRASIS.

Quid quæris, cur ita tabescas? en causas. A fratribus, quibus egentibus multa largiri debueras, cùm quid eis mutuò dares, pignus crudeliter requisisti: & quos pignoribus ablatis nudaveras, quæsita mox occasione, exuisti vestimentis ipsis in pignora secunda detractis. Quin neque aquam fatigatis, neque panem famelicis præbuisti. Terram verò alienam vi, & potentia nefariè occupasti: Viduas omni solatio destitutas repulisti, ac vires orphanorum enervasti. His ergo de causis calamitatum vinculis obstringeris, & repentina Dei ultione attritus es. E

GOnquestus fuerat Iobus, quòd tres amici, tametsi de impiorum vindicta universè verba facerent, sententias aculeatas in ipsum afflictum, suppresso nomine, collimarent. Eliphaz verò id indignè ferens, ne Iobus existimet eam nominis suppressionem ex sui observantia profectam, neque amicos viros scilicet graves, & fortes, audere, quæ vera censent, palàm enunciare, invehitur modò acerrimè, ac explicatè admodum in ipsum Iobum, & crimina, quæ animo contexerat, & pertractaverat, exprobrat. Et quidem crimina tetra essent, Principe indignissima, quæ deberent coram reprehendi: at à Iobo longissimè abfuit, eiusmodi culpas admittere, nihilque antiquius quàm contrarijs eximiarum virtutum actibus se perficere ipsum, domum, ac familiam instruere suam, & Rempubblicam universam clarissimis pietatis, justitiæ, ac misericordiæ exemplis illustrare. Patebit hoc ex cap. 29. explanatione, ubi mira eiusmodi opera recensuit, quorum expensio obiectorum criminum confutatio erit, ut opus non sit in huius textus pensitatione cunctari. Laqueos appellavit Eliphaz, cruciatus, dolores, anxietates, infamiam, omnia denique mala, quibus Iobus, ut mœstissimo carcere constrictus fuit. Pro verbis verò illis, conturbat te formido subita, LXX. Interpretes habent: Solicitavit te bellum insigne: non enim una, vel altera afflictione infestatus fuit Iobus, sed exercitu quodam malorum bene instructo, & coniurato obsessus, bellum grave diu sustinuit, quod tanti viri patientiam, fortitudinemque commendat. F G *LXX. Interpp.* H

℣. 11. Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri.

PA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Miror, quòd cùm tetra piacula perpetraris, existimares te à Deo irato non obscurandum, & pœnarum gravium irruptione non obterendum?

A RHetoricè agit Eliphaz, ignominiam appellat tenebras, ut claritatem nominis Iobi obnubilatam notet. Impetum aquarum, pœnas nuncupat, iuxta illud: Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Psal.* 58. 2. LXX. Interpretes absque interrogatione legunt: τὸ φῶς σοὶ σκότος ἀπέβη κοιμηθέντα δὲ ὕδωρ σε ἐκάλυψε, Lumen tibi in tenebras abijt, & dormientem te aqua operuit: quasi malorum inundatio sopitum incuria Iobum offenderit, obrutusque emergere nequiverit, At Iobus non obdormijt, sed vigilans, & rerum præsagio cautus Deum coluit: seseque ad prælium comparavit, ut è capite 3. liquet. Timor, quem timebam evenit mihi, &c. Hæc iustorum vigilia est. *LXX. Interpp.*

B ℣. 12. An non cogitas, quòd Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur. ℣. 13. Et dicis: Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat. ℣. 14. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.

PARAPHRASIS.

C *Quænam est hæc tua dementia? nonne considerabis Deum sublimissimum cælestes orbes, ipsaque firmamenti sydera supergredi, omniaque è loco illo excelso conspicari? & tamen dicere audes: Ecquid rerum nostrarum cognovit Deus? qui dubium, ac incertum fert judicium, similis ei, qui allucinans offusa nebula res ægrè discernit, Oppanduntur quippe nubes, in quibus latitat, quæ visum adimunt, atquè id circo res nostras minimè curans cælorum polos, ubi sat illi negotij est pererrat.*

URget Iobum Eliphaz, non ex ijs tantùm, quæ protulit, sinistrè tamen acceptis, verùm etiam ex ijs, quæ levi suspicione illi affingit. Non enim Iobus unquam
D verba illa extulit: Quid enim novit Deus, & alia quæ hoc textu connectuntur: at Eliphaz imputat cogitationes has impias Iobo, quas in reprehensionis argumentum vertit, ac si in hunc modum effaretur: Novi ego impias cogitationes tuas indignanti animo subeuntes. Profectò tu non consideras Deum esse cœlis, syderibusque altiorem, qui è sublimi loco, ut summus imperator, omnia circumspicit, & moderatur. Quin etiam eò amentiæ te proripis, ut intra te ipsum dicas: Ecquid scientiæ in Deo inest? caligat certè, dum incerta judicia fert: nubibus quasi tentorio clauditur, unde quæ in orbe terrarum geruntur, minimè considerat: sed cœlorum polos circuit, corpora illa ingentia è fixo puncto conversurus, satis ea molitione occupatus, cæterorum oblitus. Hæc nefariè cogitas, Iob, quæ animus audire formidat. Ecce, quousque Eliphaz indignatus ineptivit. Culpa acriter disputantium, animoque ægro rationum pondus parùm expendentium est, concertatoribus, quæ nunquam in mentem venerunt, objicere, & insolenter excandescere. Non hic astronomicè disquirendum, quid Eliphaz per vertices stellarum significarit, tanquam necesse sit, eos vertices cœlo sublimiores invenire, ne oratio parùm elaborata videatur; quasi qui præmisit Deum cœlo excelsiorem, non debuerit subdere, quod minus excelsum est, vertices inquam stellarum infra cœlum supremum lucentium, quibus, palam est, E F Deum altiorem esse, qui cœlos omnes excedit: non inquam hoc premendum, cùm ea periphrasi nihil Eliphaz exprimere voluerit aliud, quàm Deum sublimiorem esse universis cœlorum orbibus, summisque sydera ribus. LXX. Interpretes brevius rem expedierunt aientes: Nonne is, qui excelsa habitat, aspicit? Iam verò impiæ, crassæque cogitationes caliginis, & nubium Iobo affectæ, & gressus illi Dei cælipolos, quos cardines vocamus, obambulantis, inferioraque hæc nostra minimè curantis, commenta sunt viro, pijssimo, ac sapientissimo indignissima, quæ satis ipse confutavit, dum Dei sapientiam, & potentiam capite præsertim nono multis præconijs extulit. En vir justus, & innoxius quasi blasphemus carpitur: quis mortalium judicijs fidem commodet? *LXX. Interpp.* G

℣. 15. Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui. ℣. 16. Qui sublati sunt ante tempus suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum.

PARAPHRASIS.

An tu proterve, omnino vis terrere viam, genus inquam vitæ, quod ab antiquis temporibus exercuerunt impij, de divina providentia malè opinantes? Cur audacter imitaris eos, qui præmatura morte correpti sunt, quorum opes impetus iræ Dei, exundanti flumini simillimus, abstulit? H

SEmita sæculorum multifariam exponitur, puta ut sit institutum vitæ hominum huic seculo addictorum, vel mors, quæ appellatur alibi via universæ carnis, quæ ab omnibus

Scripta An. 1610.

bus Adæ posteris carpitur, vel opinio sinistra de divina providentia, quæ antiquis hominibus alta Dei ignoratione laborantibus insedit. Illud verò, Fluvius subvertit fundamenta eorum, non ineptè refertur ad homines impios, quos diluvium obruit, quamvis is sensus minimè necessarius sit. Impiorum fundamenta dicuntur, urbes, opes, auxilia, commoda mortalium, quibus ipsi innituntur, vero scilicet Dei fundamento, ac firmamento minimè innixi: ex quo efficitur, ut facilè quovis impetu evertantur. Non sic sponsa, quæ ascendit innixa super dilectum suum.

A

℣. 17. Qui dicebant Deo: Recede à nobis: & quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum, ℣. 18. Cùm ille implesset domos eorum bonis; quorum sententia procul sit à me.

B

PARAPHRASIS.

Profectò imitaris mores impiorum, qui Deum repulere, aientes: Abscede procul: quique Deum flocci fecerunt, ac si nulla potentia polleret: cum tamen illos Deus ipse clemens prosperasset. Quorum error, absit, ut mihi probetur.

EXplicat Eliphaz semitam sæculorum, mores scilicet, vitæve genus, quod impijs placuit, quorum error enormis fuit, Deum aspernari, pias inspirationes respuere, si quid secundè accidisset, non divinæ providentiæ, sed industriæ propriæ adscribere. Hos ultio Dei consumpsit: propterea quæ Eliphaz subdit: Quorum sententia procul sit à me. Observandum hic illud, Recede à nobis, quo divina bonitas, impiorumque duritia sese prodit. Sanè non recedit, nisi qui accesserat, quò pateat, clementissimum Deum ad sceleratorum mentes crebrò accedere, quandoquidem tam frequenter abigitur, atque ideò recedit. Observanda etiam divinæ liberalitatis magnitudo, quæ bonis explet impiorum domos, ut eos ad grati animi significationem permulceat. Verùm protervia, & impudentia animorum tam validè reluctantium præsertim expendenda, & carbone notanda est.

C

Dei accessus, recessusve ab impiis quid?

℣. 19. Videbunt iusti, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.

D

PARAPHRASIS.

Pij intuentes interitum impiorum, intimè gaudebunt, & sontes injons irridebit.

IUstus lætatur, cum videt vindictam, non certè, quòd interitu impiorum gaudeat, sed quòd laus divinæ justitiæ clarescat, quòd insontes à tyrannorum impetu liberentur, quòd Deus proterat hostes suos, quòd cultus Dei, quem impij delere conantur, amplificetur. Rectè scriptum: Videbunt iusti, & lætabuntur; & omnis iniquitas oppilabit os suum. Deo nimirum impios plectente pii recreantur, roborantur, ad persequendam religionis viam inflammantur: impij verò superstites attoniti, & exterriti conticescunt, neque tàm licenter grassantur. Illud verò, Innocens subsannabit eos, ad victoriam pietatis pertinet, ut qui piè vixit, victis impijs insultet, & se nefariè habitum derisui demonstret, quòd in supremo, ac universali judicio elucescet.

Psal. 106. 42.

E

℣. 20. Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis? ℣. 21. Acquiesce igitur ei, & habeto pacem: & per hæc habebis fructus optimos. ℣. 22. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo.

F

PARAPHRASIS.

An non consideras fractam à Deo superbiam impiorum, eorumque filios divinæ indignationis flamma consumptos? Ergo subdere, & reconciliare Deo, unde insignem bonorum proventum recipies. Audi, & explle illius legem, quam violasti: & in medio corde divina præcepta reconde.

VErba illa, devoravit ignis, ad Sodomiticum incendium referri nonnullis scriptoribus videntur: at non subest eiusmodi interpretationis necessitas, cùm hîc de impijs universè agatur, quorum superbia frangitur, quorumque liberi, & reliqua bona ultione Dei tacta concidunt. Ex hac ergo punitione ducit argumentum Eliphaz, ut pœnitentiam Iobo persuadeat, verbaque appositè, promit. Acquiesce igitur, inquit, ac si ad hunc modum hortaretur: Satis Deo repugnasti: satis protervè reluctatus es: Ergo, mitesce, & qui amore flecti minimè videris, timore saltem vindictæ acquiesce Deo. Et habeto pacem, quæ ex instaurata Dei benevolentia, & propitiatione cooritur. Hinc existent fructus optimi, hoc est, status florens, & omnium bonorum ubertas. Pondus habent verba illa, Pone sermones eius in corde tuo, quasi proprius sermonum, & præceptorum divinorum locus sit cor, arca nimirum thesauro digna.

G

H

℣. 23. Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè

Scripta An. 1620.

gè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.

PARAPHRASIS.

Resipisce Iob, & ad Deum potentissimum convertere, & qui destructus es, reparaberis, proculque arcebis ab instaurato domicilio tuo culpam, & subnexam ei pœnam.

A SUb ea voce, Ædificaberis, prosperitatem omnem temporalem Eliphaz complexus est: hæc enim est pollicitatio repetita, si Iobus ad meliorem, ut opinabatur, mentem rediret. Illud verò, Et longè facies iniquitatem, ad culpam, & pœnam pertinere videtur, quasi Eliphaz diceret: Ne cadas animo Iob, erigere, & Deum pœnitentia placa, fiesque vigilantior, ut in posterum à te familiaque tua scelus omne depellas, & proindè pœnam, quæ culpæ rependitur, longè propulses. Etenim si Eliphaz de interno ædificio dumtaxat loqueretur, & cum scelerato aliquo homine verba faceret, ad rem dixisset; Aedificaberis: structura quippe interna sanè pulcherrima, Deique inhabitationi destinata peccato evertitur, pœnitentia instauratur, miroque opificio sapientissimi Architecti consurgit.

B

℣. 24. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.

PARAPHRASIS.

Ita te Deus prosperabit, ut pro infirma, & quasi terrea fœlicitate prima secundam, ut firmissimam petram, stabiliorem conferat, copiamque auri tantam largiatur, ut eo pro lapidibus uti possis.

G SEnsus Eliphaz est, fore, si Iobus agat pœnitentiam, ut domus firmior quàm antea restituatur. Antea quippe, opinione Eliphaz, domus in terra molli, arenave facilè constructa quovis impetu everti potuit, quia prosperitas pietatis firmitate caruit, at nunc pollicetur: domum in silice excisa fundandam, hoc est, statum florentem pietate stabiliendum. Illud verò, Pro silice torrentes aureos, vel, ut habetur in Græco, Torrentes Ophir terræ nempe lauriferæ (unde dictum aurum obrizum, quod est aurum purissimum) idem est, ac tantam tibi Deus auri copiam largietur, ut possis auro pro lapidibus uti. Ergo status firmus pro infirmo, aurum quasi lapides promittitur.

D

℣. 25. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacervabitur tibi.

PARAPHRASIS.

Deus potentissimus tuos fugabit inimicos, & multa argenti copia ditaberis.

A LIqui vertunt ex Hebræo, Erit Omnipotens silex, hoc est, munimentum tuum. Benè quippe tutus ab hostibus erit is, cuius munimentum, aut robur Deus est. Quod verò additur, Argentum coacervabitur tibi, LXX. sic exprimunt: Purum reddet te, tamquam argentum examinatum igni. Profectò puritas hæc similis argento expurgato, pretiosissimus thesaurus est, quo iustus homo ditescit. Sive ergo argentum proprium cum Vulgato, sive metaphoricum cum LXX. Interpretibus intelligamus, sic textus exponendus: Deus arcebit inimicos tuos; quocirca argentum tuum benè tutum erit.

E LXX. Interp.

LXX. Interpp.

℣. 26. Tunc super Omnipotentem delicijs affluës, & elevabis ad Deum faciem tuam. ℣. 27. Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes. ℣. 28. Decernes rem, & veniet tibi, & in vijs tuis splendebit lumen.

PARAPHRASIS.

Si resipueris, ô Iob, conscientia, quæ modò torquetur, intimè lætabitur: & qui demisso capite ob ærumnam prægravantem iaces, nova fiducia caput attolles intuiturus cælum, ubi Dei sedes est. Ipsum verò Deum præsentissimum senties; statim quippe, ac oraveris, aderit, votumque pro re impetranda conceptum lætus, exolves. Quin etiam adeò tibi opitulabitur, ut quicquid agere constituas, ex sententia succedat, & opera tua semper prosperata clarescant.

F

G

MIra pollicetur Eliphaz, quæ licet importunè obtrudantur Iobo, non dubium, quin ad alios fructuosè deriventur. Tunc ait, Super Omnipotentem delicijs affluës. Sanè qui è peccati lethargo, in quo iacet consopitus, excitatur, & Deum placat, bono conscientiæ testimonio è perenni Dei fonte, quasi rivum lætitiæ intimos animæ recessus perlabentem interdum excipit, & castis delicijs affluit, quas cum bonis mundi universis minimè commutaret. Cui sanè rei fidem adstruit mutatus animus plurium, qui experientia didicerunt, se postquam confessione sacra virus peccati evomuere, percipere nescio quid intimum, sublime, castum, lene, suave, quod tametsi exprimere nesciant, benè tamen animadvertunt, cæleste quiddam esse, quod vanis mortalium gaudijs præponendum sit. Ex quo efficitur, quod subditur: Et elevabis ad Deum faciem tuam. Eminet in facie quoddam conscientiæ indicium, quod non à Deo tantùm animorum inspectore cernitur, sed à viris quoque rerum

H

Conscientiæ bonæ, malæve expressa in facie judicia.

Scripta An. 1610.

rum internarum consultis prudenti coniectura deprehenditur. Conscientia inculpata faciem serenam, hilarem, nitidam creat: fœdata verò squallentem, obscuram, deiectam. Hanc non audet peccator in Deum sublevare, quem prodit; illam iustus confidentia multa erigit, & gaudet. Detersa ergo culpæ fœditate, ait Eliphaz, Elevabis faciem. Sensus hic noster versione Septuaginta Interpretum confirmatur: aiunt enim: Fiducialiter ages coram Domino inspiciens cœlum hilariter. Erectus ergo animus, qui Dei gratiam inivit, fidenter precatus, cui concinit, quod subiungitur: Tunc rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes, pro beneficijs videlicet obtentis. Decernes rem, & veniet tibi, hoc est, omnia, quæ efficere constitueris, ad votum cedent: & in vijs tuis prosperitatis splendor apparebit: Omnia, quæcumque facies, semper prosperabuntur, quæ ampla valdè pollicitatio est.

LXX. *Interpp.*

A

Psal. 1. 4.

℣. 29. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. ℣. 30. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

B

PARAPHRASIS.

Dei consilium est, ut qui se demittit ipsum gloria illustretur, quique in signum mitis animi oculos humi defixos gerit: à malis liberetur. At hæc liberatio continget viro innoxio, qui propter operum puritatem ab ærumna sospes evadet.

HOc Eliphaz pronunciatum, Evangelicum est, si rectè explanetur, nec ad prolatoris mentem coarctetur. Spondet quippe ille gloriam temporalem ab ignominia, salutem item temporariam à lethali, ac desperato morbo, quæ nulla certitudine sulciuntur, tametsi quis sese demittat, inculpateque vitam ducat. Verùm in Evangelico sensu, planè verum est, congruitque illi asserto: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Habitus ille demissorum oculorum apertum humilitatis significatum habet, ut patet ex Publicano illo, qui non audebat oculos sublevare, quique salutem submisso animo veram, hoc est, justitiam adeptus est, Munditia verò manuum, quam Eliphaz ad salutem requirit, sensu nostro verius reposcitur, ut opera cum fide ad salutem animi coalescant. Potest quoque sententia Eliphaz non ad prosperitatem, & salutem temporalem modò, verùm & ad æternam pertinere, iuxta placitum scriptorum, qui de futuræ vitæ præmijs, ac supplicijs amicos Iobi rectè sensisse censuerunt. Sic Eliphaz ad resipiscentiam Iobum hortatus est, qui acerbam, mordacemque orationem leni fine concluſit, ut animum, quem exasperaverat, ultimi sermonis suavitate deliniret.

C

Luc. 18. 14.

D

CAPUT XXIII.

E

℣. 1. Respondens autem Iob, ait: ℣. 2. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus: & manus plagæ meæ aggravata est, super gemitum meum.

PARAPHRASIS.

Respondit Iobus: Nequeo à tristi oratione desistere, ut & modò, sicut hucusque verbæ luctuosa non proferam: animadverto enim vim calamitatis meæ adeo excrevisse, ut nullis gemitibus, aut lamentis eam possim æquare.

F

ANimadvertens Iobus se apud censores parum æquos dixisse, qui pravis interpretationibus verba casta corrumperent, profitetur, optare se ad Dei judicium tandem perduci, quod licèt vereatur, testimonio tamen bonæ conscientiæ erigitur, & benè demum sperat. Nunc, inquit, quoque in amaritudine est sermo meus, quasi planiùs sic efferret: Satis multa exprompsi, generosèque decertavi pro veritate tuenda, dedique operam, ut hisce actibus dolorem, ac mœrorem efflarem meum, at res non cessit ex voto: turgeo aduc quadam mœstitiæ collectione, qua meus animus prægravatur tristitia velut prægnans, cupioque propterea modum inire aliquem doloris leniendi, puta tristem sermonem pertexere, quo astrictus relaxetur animus. Et quidem rationi consonum est, eiusmodi oratione uti, cùm sciam vulnus meum nullis verbis satis exprimi posse. Pro verbis illis, Manus plagæ meæ, &c. LXX. Interpetres habent, Manus eius (scilicet Dei) gravis facta est super gemitum meum. Sensus est idem, sed apertior.

G

LXX. *Interpp.*

℣. 3. Quis mihi tribuat, ut cognoscam, & inveniam illum, & veniam usque ad solium eius. ℣. 4. Ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus. ℣. 5. Ut sciam verba, quæ mihi respondeat, & intelligam, quid loquatur mihi.

H

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Utinam videam, accedamque ad Deum, sistarque coram tribunali eius; ut disponam recto ordine coram ipso causæ meæ defensionem, libereque, ac pleno ut aiunt, ore argumenta increpatoria adversus criminatores meos producam: videamque quid demum judex pronunciet, quomodo mihi afflicto respondeat.

A

PErsistit eodem tenore Iobus in causæ assertione, appellatione, querimonijs: neque enim animus constans, & benè sui conscius de sua generositate remisit, tametsi validè, ac pertinaciter tentaretur. Ponere hic est idem, ac disponere, digerere, ordinare. Increpationes, hoc est, reprehensiones non in Deum, sed coram Deo, contra calumniatores. Affectus Iobi est, ut à Deo audiatur, & judicetur, qui ab hominibus iniustè opprimitur. Quicquid autem verborum cum Deo miscere optat, non ad contentionem, sed ad veritatis indagationem pertinet, quemadmodum

B

solet discipulus cum præceptore disceptans, ut ab eo verum ediscat; quod sanè pium, ac modestum est.

℣. 6. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. ℣. 7. Proponat æquitatem contra me, & perveniat ad victoriam judicium meum.

PARAPHRASIS.

C *Spero equidem, me causam coram Deo obtenturum: at precor, ne infinita potentia sua utatur, ut mecum disceptet; ne immensa magnitudine sua me opprimat. Agat mecum ex æquo dumtaxat, quod inter litigatores observare decrevit, & in hunc modum precor in judicio vincam criminatores meos.*

Mens Iobi est, optare se cum Deo rejectis hominum judicijs, de sua causa demum agere; at vereri se infinitam Dei potentiam, & maiestatem: precarique proinde, attemperet se Deus imbecillitati hominis, proponatque quod æquum est: quo certè obtento, orat, pronuncietur victor

D

non adversus Deum, sed contra suos calumniatores, quod firmiter sperat. Cuius profectò spei ratio hinc eruitur, quòd Deus, cum sit ipsamet veritas, veram sententiam probet, necesse est, si lis tandem ab eo dirimenda sit. Nonnulli legunt asseveranter, Et perveniet ad victoriam judicium meum, quod in eumdem sensum recidit. Annotandum hic, quàm sit proprius iustorum affectus ille, qui spe, ac timore miscetur, Speret firmissimè se fore victorem apud Deum, quem appellat; & tamen veretur, ne coram excelsissima Dei maiestate concidat oppressus. Longè quippe alia ratio cum Deo agendi, quàm cum mortalibus, quantumvis conscientia nihil sibi consciat. Animadversio.

℣. 8. Si ad orientem iero, non apparet: si ad occidentem, non intelligam eum. ℣. 9. Si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.

E

PARAPHRASIS.

Opto manifestum aliquod judicium exerceri à Deo, quo me victorem pronunciet: at quocumque me verto, non cerno judicem meum. Si partem orientalem mundi anterioremve petam, non se manifestat; si occidentalem, posterioremve, non intuebor eum; si aquilonarem, vel sinistram, non illum tenebo; si australem, seu dexteram, non se videri sinet.

F

SEntentia Iobi hæc est: Novi ego Deum esse immensum, possèque ubique judicium exercere. At si non adest votis meis, nihil obtineo. Ego sanè omnes mundi regiones circumspicio, si fortè roganti ferat opem. Verùm in quamcumque mundi partem convertar, quasi apprensurus eum ubique existentem, parum proficio ad rem meam: neque enim intelligo, videovè illum eo modo, quo cupio, ut criminatores meos revincam. Nimirum ad victoriam hanc apertè judicium celebrari deberet. Pars orientalis, in quam primùm à luce vocamur, & prævenimur, anterior appellatur; quo principio posito, liquet occidentalem esse posteriorem, aquilonarem sinistram, australem dextram. Periphrasis est mundi, & conquestio Iobi auxilium postulantis, neque invenientis. Iobi conquestio.

G

℣. 10. Ipse verò scit viam meam & probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. ℣. 11. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi, & non declinavi ex ea. ℣. 12. A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius.

H

PARAPHRASIS.

Nullibi solatium invenio, quamdiù à me, quæ ratione expeto, non reperitur Deus, qui sat novit vitam inculpatam meam, quique

me

Scripta An. 1610.

me calamitatis igne velut aurum incensum exploravit. Novit profectò me vestigiis præceptorum suorum inhæsisse, legem ejus ita observasse, ut ab ea non deflecterem. Quæ ipse imperavit, non prætermisi, & in loco intimo, ac dignissimo animi mei verba eius reposui.

EXprimit rationem, ob quam Deum invenire, judicioque manifesto ab eo exA plorari percupiat. Conscientia quippe suggerit, se à Deo probari, qui vitam exactè noverit, quam viam appeliat, & qui non in prospero statu solummodò, sed in acerbissima calamitate ipsius fidem perspectam habeat. Probavit, inquit, me quasi aurum, quod per ignem transit, puritatem suam, & perfectionem igne concepto prodit: quod iustorum est proprium, qui nitorem, ac puritatem vitæ, perfectionemque virtutis in fornace vexationis luculentiùs exhibent. Iam verò, vestigia, via, mandata, verba pro eodem ponuntur, pro lege scilicet Dei, cuius præcepta, velut vestigia sunt, quæ Deus impressa reliquit, ut qui eis insisteret, in Deum tandem ipsum rectè duceretur. Hæc est ipsamet via, qua itur in patriam B cælestem. Iam verò mandata, & verba ex positione nova hoc loco non indigent. Illud potiùs perpendendum, quàm religiosè Iobus Deum coluerit, cuius legem intimo animi recessu, sive sinu semper excepit.

Lex Dei via, qui ad eum pergitur.

℣. 13. Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus: & anima eius, quodcumque voluit, hoc fecit. ℣. 14. Cùm expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.

C

PARAPHRASIS.

Ratio, cur legem Dei adeo exactè observaverim est, quia ipse solus est judex supremus, qui si decreverit punire sontem, nullus superior est, qui ab hoc proposito possit eum dimovere: omnino enim exequitur, quod semel constituit. Et quidem postquam in mea calamitate, quicquid statuit, egerit, is est, qui absque culpa multas clades persimiles quas in promptu habet mihi possit inferre.

D

Quas ob causas Iobus legem Dei impleverit?

DUas profert Iobus rationes, ob quas Dei legem observaverit. Altera est, Deum solum esse judicem supremum, cuius sententiam mutare, lenire, differre nulla creatura, nullusvè judex superior queat: essequè è re hominis, potentissimum, ac summum rerum dominum minimè irritare. Altera est, Deum pro sua omnipotentia, universalique rerum dominio eum esse, qui possit rebus creatis uti, ut placuerit, ac proinde sine iniustitia ulla valere quemlibet hominem affligere, tametsi nihil culpæ commiserit. Quod Iobus illis verbis indicavit, Cum expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei: hoc est: Postquam me innoxium cæcidit, ut placuit, suppetunt ei modi plures persimiles me affligendi, licet nihil peccem. Ex quo efficitur, ut timendus, colendusque sit eiusque lex sine insigni audaciæ nota à nemine violari queat. Si enim innocentem sic plectit, quid pœnæ impius non feret? si in viridi humore divinæ gratiæ ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Et quidem è duabus his rationibus, prima perspicua est: patet quippe à Deo judice supremo ad nullum tribu- *Lucæ 23. 31.* nal appellari posse, sententiamque ab eo latam infirmari, immutari, leniri, prorogari non valere. Secunda verò ratio ex eo liquet, quòd homo quantumvis innocens potest à Deo excruciari alijs de causis, ita ut licèt prætexatur innocentia subsint alia capita, ob quæ justis de causis insons graviter tractetur, puta, ut spectetur in calamitatis igne virtus, ut Dei gratia elucescat, ut alijs patientiæ constent exempla, ut augeantur merita, ut reddatur cumulatior merces sempiterna. Quibus sanè de causis potuisset Deus Iobum in statum fœlicem restitutum redintegrato certamine Satanæ iterum permittere: quod attentè ponderandum.

E

F

℣. 15. Et idcirco à facie eius turbatus sum; & considerans eum, timore sollicitor.

PARAPHRASIS.

Propter rationes allatas tantæ majestatis magnitudine perturbor, quam dum contemplor, timore concutior.

G

NOn agit de conscientiæ malè conscię metu, sed de Divinæ Maiestatis timore, quo & innoxij tanguntur tantò certè castiùs, quantò à culpa loginquiùs.

℣. 16. Deus mollivit cor meum, & Omnipotens conturbavit me. ℣. 17. Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

H

PARAPHRASIS.

Fateor me timere Deum, non sanè quòd effæminatus, aut mollis, sed quòd à Deo, qui me terruit, experientia malorum mollitus eruditusque sim. Timeo sanè Divinam Majestatem, quòd fortis animi est: nam quod ad instantes ærumnas attinet, non ego illarum causa concidi, vultumve timidus obtexi.

Scripta An. 1610.

VIr fortis, neque audax, neque timidus eſt, ſed ubi expedit, erigit animum, & audet, vel mutato conſilio, ut ſapientem plerumque decet, pericula timet, quæ adoriri, temeritas foret. Ergo audacia, & timor vitio vertuntur, ſi conſilium deſit, laudi tribuuntur, ſi adſit. Iobus igitur ſe religioſo conſilio, timore Dei affici faſſus eſt: ne verò quis animo conſtanti notam inureret, ſubdit, ſe non perijſſe, concidiſſe,
A exanimatum eſſe ob tenebras, hoc eſt, calamitates imminentes, ſeu præſentes, neque in ſignum degeneris animi faciem velaſſe, Deus, inquit, mollivit cor meum, quaſi diceret; Deus animum meum timere docuit, ærumnis erudijt, ducta videlicet pulcherrima ſimilitudine à ferro, quod in fornace mulcetur, ſive mollitur. Sic videlicet cor hominis proſperitati aſſuetum, dum tentationis igne ſuccenditur, miteſcit, lenitur, mollitur. Et quidem, cùm Iobus Deum ſemper timuiſſet, peculiare quippiam obſervaſſe videtur, quod ad cor emolliendum pertineret, quod fortaſſe ſignificavit per adiuncta verba, Omnipotens conturbavit me: nam & qui piè timet, ſed abſque malorum tole-
B rantia conſiſtit, ſtatim ut à Deo per immiſſas calamitates tangitur, ac perturbatur, de illa integra, tutaque cordis affectione multum remittit; quæ certè remiſſio ſatis aptè mollitio appelletur. Magnanimitas Iobi, & in paſſionibus regendis ars mira hoc loco proponitur, meritoque commendatur.

Similitudo.

CAPUT XXIV.

℣. 1. Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tempora: qui autem
C noverunt eum, ignorant dies illius.

PARAPHRASIS.

Deus perfectè novit omnia tempora, & quæ in ijs ubique geruntur: at non ita è contrario: nam qui è mortalibus eum cognoſcunt, neſciunt, quid æternitatis ſuæ die decreverit.

OBiecerat Eliphaz Iobo tetrum crimen per illa verba. Et dicis: quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſide-
D rat, &c. Hoc Iobus elidit, aitque Deum omnia pervidere, ac moderari, at non eo ſenſu, quem concertatores tuentur, ſed alio longè diverſo, quandoquidem impios in hac vita ſæpe graſſari, neque puniri videmus, quod in hoc capite eleganter amplificat. Quod ergo Iobus ait, Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora, perinde eſt, ac diceret: Non eſt, cur mihi divinæ providentiæ reprehenſionem impingatis, quaſi cenſeam ego, res noſtras à Deo minimè curari. Profectò mihi exploratum eſt, nihil ex ijs, quæ quovis tempore aguntur, Deum latere poſſe, qui tempora omnia præterita, præſentia, futura perſpicaciſſimè intuetur. At deberetis animadvertere longè alia via mortalium mentes incedere, quod enim de divinis conſilijs noverunt, exiguum eſt; plurima ignorant, quæ abſcondita ſunt apud Deum, & ſignata in theſauris ejus. Ignorant dies illius, hoc eſt, æternitatem ejus, in qua plurima diſpoſuit, quæ mortales non aſſequuntur. Quapropter par eſſet, modeſtiùs ageretis, neque ad certum aliquem modum Dei providentiam arctaretis, ac ſi nequiret, aut neſciret ille modis alijs cum hominibus agere, ſalutemque illorum procurare. Hæc Iobi mens, quæ eò tendit, ut amici conſiderent, non ſemper flagitioſos homines compeſci, ſed plerumque impunè excurrere, prædiſque ſitim explere.

Iobi argumentatio.

E

℣. 2. Alij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos. ℣. 3. Aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro pignore bovem viduæ. ℣. 4. Subverterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ.

F

PARAPHRASIS.

En, quo pacto impij agere ſinuntur. Aliqui ex eo numero infami agrorum terminos ſepeſve diruunt, ut furentur, pecora abigunt, & ut propria paſcunt, atque depaſcunt. Pupillorum, quibus ex commiſeratione parcendum eſſet, jumenta diripiunt, bovemque viduæ, quo uno alebatur in pignus pro modico debito auferunt. Inopes iter facientes ex inſidijs aggreſſi intercipiunt, & infimæ conditionis innoxios, miteſque homines nefariè proculcant.

G

REcenſet Iobus agmen inviſum ſceleſtorum hominum, qui impunè palantes, non modò non affliguntur, ſed lautè quoque ex prædis vivunt: ut per hoc efficiat, non ſe ſceleris inſimulandum, quòd malè patiatur, cùm alij plurimi, quos patet eſſe flagitioſos, minimè pœnas commeritas terant. Perſpicua, ſatiſque uſitata ſunt crimina hæc, quæ Iobus commemorat, ut in eorum expoſitione cunctandum non ſit. Illud verò annotandum, pro verbis illis, Subvertunt pauperum viam, LXX. ſic habere: Divertere fecerunt impotentes a via juſta, quod eſt immane piaculum, quando videlicet impij potentes nimis, vexationibus, rebus abiectos homines juſtos legem Dei violare, ac proindè divertere a via juſta

H

LXX. *Interp.*

com-

Scripta compellunt. Non desiderantur recentia hu-
An. 1610. jus sceleris exempla, quæ Deus avertat.

℣. 5. Alij quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam præparant panem liberis. ℣. 6. Agrum
A non suum demetunt: & vineam ejus, quem vi oppressérint, vindemiant.

PARAPHRASIS.

Sunt & impij alij, qui asellorum sylvestrium per deserta loca errantium more prodeunt in solitudinem excubantes ad prædam, ex qua se, suosque liberos alunt. Segetem alienam, & vineam hominis oppressi violenta messione, ac vindemia diripiunt.

B PErgit Iobus gentem impiam in medium producere; cuius pars onagris plenè similis videtur fuga laboris, expeditione, seu pernicitate ad pastum, feritateque nativa. Impii, & sunt enim plerique eiusmodi, qui otio, ac funes onagro comparat. prædæ deditissimi, tanquam onagri, in locis desertis vigilanter agunt, & viatores deprædantes infamem victum familiæ comparant. Hi sunt, qui aliena sata, & vineta corripiunt, proprioque dominos vi oppressos à suis agris, ac vineis procul arcent.

℣. 7. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. ℣. 8. Quos imbres montium ri-
C gant: & non habentes velamen, amplexantur lapides.

PARAPHRASIS.

Profectò adeo seviunt impij, ut homines inopes proprijs vestimentis expolient, ut nudi frigori exponantur, pluvijs perfundantur, antraque subeant, ubi concavis saxis, quibus velut amplexu quodam junguntur, se ipsos obtegant.

PAtent, quæ hic Iobus promit, ex præda nimirum efficitur, ut inopes hyeme nudi ventis, frigori, imbribus, ad dirum interitum expositi, se in speluncas ab-
D dant, lapides complecti dicantur, hoc est, lapidibus sese adiungere, cavis saxis sese contegere ad iniurias temporis declinandas. Ex
Ad Hebbr. 11. 38. hoc genere expoliati agminis fuere successu ætatum ij, quos Apostolus ait in solitudinibus errasse, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ. Bona certè sors, ut nudentur corpora, quæ candidissima gloriæ vestis amiciet.

℣. 9. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt. ℣. 10. Nudis, & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. E

PARAPHRASIS.

Pupillos ut inermes, plebeios ut imbelles violenter aggressi prædas egerunt: & ijs, quibus detraxere vestes, ad spicilegium præ fame confugientibus spicarum manipulos eripuerunt.

ELeganter impiorum crudelitatem repræsentat, cuius duo gradus hic ponuntur, quorum alter ablatione spicarum constat. Et quod feritatis genus immanius, quàm im- Impii bifa-
potentes deprædari, nudosque & famelicos ad spicas colligendas accurrentes non arcere modò, sed collectos fasces eripere? Plurima ex his, quæ hoc capite à Iobo recensentur, in tyrannos, aliove potentes, qui vectigalibus iniquis, & alijs iniustis modis piorum inopumve bona corripiunt, egregiè quadrant. F

℣. 11. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.

PARAPHRASIS. G

Ea est impiorum sævitia, ut meridie vescantur, ac sedeant in media congerie rerum, quas eripuerunt inopibus mitibusque operarijs, qui æstuant, sitique vexantur, dum in alienis torcularibus uvas mercede conducti premunt.

CRudelitatis, & malitiæ amplificatio est, eò scilicet impios prorumpere, ut ab egentibus, quales ij, qui in torcularibus calore, ac siti anguntur, exigua illa, multoque sudore parta bona, quæ ad familiam alendam contraxerunt, surripiant: & inter cumulos prædæ meridie prandeant; & quie- H
scant, voluptatemque barbaram ex aspectu spoliorum capiant. Videtur Iobus alludere ad impios in tentorijs degentes, qui inter prædas eò convectas sua convivia celebrabant. Meridiari dixit, hoc est, cibum meridianum sumere plurima hujus generis ætas nostra intuetur.

℣. 12. De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur.

PA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Invadunt urbes impij, quorum improviſa irruptione cives ingemiſcunt: ij verò quos interficiunt, contentè vociferantur. Et profectò impij, licèt modò non plectantur, non impunè ferent.

A

NOtius eſt, quàm ut argumentis aſtruendum ſit viros impios in urbes, oppidave coniuratos irrumpere, gemitus, & clamores inter vulnera excitari: neque Deum cæcum, aut ſurdum eſſe, qui clamores non audiat, vel ſaucios non cernat. Quod cùm ita ſit, & tamen vivere, lætari, diteſcere impij permittantur, neceſſe profectò eſt, opinionem amicorum Iobi, ajentium ſemper impios in hac vita puniri, veritati diſſentaneam eſſe. Neceſſe item eſt, cùm Deus non ſinat impunita ſcelera, ut lumen quoque naturæ oſtendit, ſupereſſe vitam aliam, ubi ſontes torqueantur, ac proinde aberrare eos, qui divinam providentiam ita coarctent, ut in hac mortali vita bonos proſperet, impios peſſumdet, quaſi deſint ſapientiſſimo Deo rationes aliæ ad mortalium animos gubernandos, præmijs, ſupplicijſve afficiendos.

Sceleſtos in hac, vel in altera vita puniri.

B

℣. 13. Ipſi fuerunt rebelles lumini: neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.

PARAPHRASIS.

Deus iure quidem ſuo non patietur impios impunè ſemper excurrere, quia reluctantur lumini naturali, aut certè etiam ſupernaturali, quo ipſe Deus eorum mentes illuſtrat. Divina præcepta, quæ ſunt ſalutis viæ, affectatè ignorant, neque flectuntur tandem, ut à ſcelerum diverticulis per legis divinæ vias in Dei gratiam revertantur.

C

NOtat hic Iobus proterviam rebellium impiorum Deo obluctantium, affectatamque divinæ legis ignorationem, & animum obduratum, Deo reconciliari abnuentem. Notat etiam divinæ bonitatis magnitudinem, quæ lumen rebellibus quoque non interdicit, ſed iteratis illuſtrationibus inſtruit, hortatur, allicit, terret, emollit, ne quid impij cauſari poſſint, qua hora in tartarum detrudentur.

D ℣. 14. Mane primo conſurgit homicida, interfecit egenum, & pauperem, per noctem verò erit, quaſi fur.

PARAPHRASIS.

Matutino crepuſculo impius homicida lecto exilit, vias obſidet, inopem viatorem, ob qualemcumque prædam, interimit: extinta verò diurna luce, qua impeditur, noctu fertur ad furta.

E

OBſervat mores, vitiave impiorum varia; è quibus illud ſanè peſſimum, ut appetente aurora, ſub lucem, quando viatores itineri ſe committunt, invadant interfacientes, atque diripiant, & cædant: Interdiù ſe ſubtrahant lucis odio, vindictæque formidine, nocte verò cuncta obumbrante ad furta proſiliant. Quod perinde eſt, ac ſi Iobus diceret; Dies interrumpit ſcelera: nam quod ad impiorum votum attinet, ſemper cædibus, ac rapinis inſiſterent: & tamen non ſtatim Dei ultione corripiuntur. Profectò verum eſt, eam eſſe peccandi libidinem, ut niſi judicum vindictam formidarent, luceque diei impedirentur, plerique flagitioſi homines nihil aliud cogitarent, aut molirentur, quàm teterrima crimina, quorum voluptate capiuntur.

Impij pœnas magis temporales, quàm æternas timent.

F

℣. 15. Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens: Non videbit me oculus, & operiet vultum ſuum. ℣. 16. Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignoraverunt lucem. ℣. 17. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.

G

PARAPHRASIS.

Adulter crepuſculum veſpertinum captat, optatque à nemine cerni: neque tenebris ſatis fidens faciem obtegit, ne forte dignoſcatur. Perrumpit averſam domus partem, quemadmodum cum adultera ipſa die pepigit: Nimirum uterque odit lucem. Vacant ergo voluptati; Et ſi diluceſcere mox cœperit, aurora ipſa videtur eis ipſa mortis imago: tam cupidè quippe illi verſantur in tenebris, quam homines alij luce meridiana fruuntur.

H

MOres adulteri, quod eſt aliud impiorum genus, pulchrè Iobus deſcribit: adeoque res pervulgata, & exemplis multis confirmata eſt, ut ſine prolixa penſitatione textus hic paſſim intelligatur. Perfoſſio ergo domus licèt furibus, adulteris, homicidiſque communis ſit, orationis connexio exigit, ut adulteris potiùs, quàm impijs alijs hoc loco adaptetur. Conſtat autem ab

Adulteri tenebrarum amatores.

eju-

Scripta ejuſmodi hominibus tenebras obſervari, rem
An. 1610. ex condicto fieri, lucem exoſam eſſe, ac id genus alia, quæ utinam non ita vulgo nota, & expenſa forent. Simile quiddam in univerſis peccatoribus deprehenditur, dum Chriſtum, veram lucem effugiunt, ne arguantur opera ipſorum. Nimirum anima,
A quæ Chriſto ſponſo fidem temerat, adultera eſt.

℣. 18. Levis eſt ſuper faciem aquæ: maledicta ſit pars eius in terra, neque ambulet per viam vinearum.

PARAPHRASIS.

Impius celerior eſt ad fugam, quàm aquæ ſuperficies, quæ quolibet flatu abripitur ad motum. Precor, ſterilis ſiat eius hæreditas, ita ut præ mœſtitia non incedat per vinearum vias, quod eas ſibi infructuoſas
B *animadvertat.*

HIc redit ad genus, agitque Iobus universè de inconſtantia impij, quem fugaciſſimum eſſe, nemo eſt, qui apertè non videat. Similitudo verò a ſuperficie aquæ petita ſatis appoſita eſt, cùm quolibet ſtatu pars illa extima, quò fert impetus venti, abripiatur. Incipit autem illi malum imprecari, optans hereditatem, quæ pars appellatur, ſterilitate damnari, adeò ut non incedat infœlix impius per vias vinearum, è quibus proventum expectabat. Non ambulet, inquit: hoc eſt, non accidat illi ſors hominum, qui animi gratia vineas, & prædia feracia frequenter inviſunt: ſed prænoſcens prædia ſua ſterilia fore non eò com-
C meet, vias illas alijs tritas, & iucundas exoſas habeat. Vineæ hic pro quovis rure, ſpecies pro genere.

℣. 19. Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius.

PARAPHRASIS.

Impius non in hac vita dumtaxat afflictetur; ſed in tartaro, ad quem uſque illius crimen perdurat, à ſummo frigore ad ſummum calorem tormentis addictus tranſferatur.

D GRavis eſt controverſia, an damnati non calore tantum; ſed frigore torqueantur: verùm communis ſententia aſſerit planè ita fore: quod & ex hoc loco Iobi confirmari poteſt, quamvis à multis, interpretibus de alijs impij ſupplicijs accipiatur. Quale verò, quàm tremendum, quàm intenſum tormentum id futurum ſit, exprimi nequit. Horret animus id cogitare.

℣. 20. Obliviſcatur illius miſericordia: dulcedo illius vermes: non ſit in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum. E

PARAPHRASIS.

Nemo miſericors impij recordetur: omnis eius voluptas convertatur in vermes: deleatur ex omnium memoria: & velut aridum lignum excidatur, ac in ignem proijciatur.

PRoximè Iobus imprecatus eſt tartareos cruciatus, ubi Dei juſtitia, & vindicta exercebitur: propterea que ſubnectit: Obliviſcatur illius miſericordia: quod licèt universè proferatur, ſingulari tamen ratione ad repulſam Dei tradentis impium oblivioni pertinet: ut ſicut in memoria æterna erit juſtus, qui ſeſe abdidit, neque mortalium F
gloriam aucupatus eſt; ita impius, qui hominum laudes coemere geſtijt, ſempiterna oblivione tumuletur. Ejus dulcedo, hoc eſt, quidquid ſuave, voluptuoſumque exquiſivit, ſit materia vermium, cedat, vertatur in vermes. Non ſit in recordatione, hoc eſt, expungatur è memoria hominum, qui nomen ſuum immortalitati conſecrare expetivit. Conteratur quaſi lignum infructuoſum, hoc eſt, impacta mortis ſecuri cædatur, uti arbor ſterilis, ignique tradatur. Pro verbis illis, Obliviſcatur ejus miſericordia, LXX. habent: ἀποδοθείη δὲ αὐτῷ ὧν ἔπραξεν, Retribuantur autem ei quæ fecit. Et ſcilicet, ſicut ipſe inopum oblitus eſt, ita Deus, & viri miſericordes eius non meminerint. Pro ligno infructuoſo LXX. reddunt. LXX. *Interpp.* Lignum inſanabili, quaſi impius ſanitatem, *Interpp.* ſalutemve reſpuat, fruſtraque moneatur, G
quemadmodum ſterilis arbor, quæ aruit, incaſſum coleretur. Etenim patienter fert Deus, ac tempus indulget: at ubi experientia conſtat, impium indulgentia ad malum abuti, gravi Dei iraſcentis imperio ſuccidi-
tur, & tormentis tartareis excruciatur.

℣. 21. Pavit enim ſterilem, quæ non parit, & viduæ bene non fecit.

PARAPHRASIS.

Impius meritò excruciatur, qui alit ſterilia ſcorta, non prolis, ſed obſcœnæ voluptatis H
gratia; & viduarum neutiquam miſeretur.

HIc exprimitur impij turpitudo, qui Veneri indulgens lupas nutrit: eas verò, quas commiſerari deberet, dirè repellit, viduas inquam, quæ cùm ab omnibus dere-

lictæ

Scripta An. 1610.

lictæ sint, animum ad beneficentiam commovere deberent. Etenim scelus hoc vehementer invaluit,

℣. 22. Detraxit fortes in fortitudine sua: & cùm steterit, non credet vitæ suæ.

A

PARAPHRASIS.

Non plebem tantum impius infestat, sed patritior, ac potentes vi facta deturbat, ex quo efficitur, ut cùm omnes vexet, omnesque timeat, interim dum prævalet, non credat se in tuto constitutum,

IMpius, qui tyrannicè alios adoritur, tametsi prævaleat, floreat, arce, murisque obsepiatur æneis, non credit vitæ suæ, quam tot periculis cernit obnoxiam, Omnibus est exosus, omnium iram excitavit: quid ergo non timeat? Meritò formidat: & inopinatæ tyrannorum neces timorem exaggerant.

B

℣. 23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius,

PARAPHRASIS.

Clemens Deus impio ad resipiscentiam tempus indulget, quo fit ille deterior, & arrogantior: at non impunè feret, cùm Deus ipse observet prava opera illius, de quo pœnam denique sumet,

C

BOnitas divina commendatur, quæ impios non è vestigio aufert, sed tempus ad pœnitentiam concedit. At quid hoc prosit protervis, qui quò longius vivunt, eò sibi acriorem in tartaro cruciatum conscisciunt? Oculi nimirum Dei contemplantur vias, hoc est, actus illorum. Ergo sic Deus miseretur, ut exploret, an quis clementia abutatur, exigatque pœnas, quas impius commeruit: quod sanè tremendum est,

℣. 24. Elevati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur, sicut omnia, & auferentur: & sicut summitates spicarum conterentur.

D

PARAPHRASIS.

Impij brevi florent, mox concidunt, obscurantur, & intereunt; sicut & res omnes caducæ: præciduntur, ubi satis creverunt, tanquam spicæ è culmis ad triturum.

VEritas hæc, quam Iobus enunciat, plurimis Sripturæ sacræ locis frequenter lectitatis congruit, & per se satis perspicua est. Ecquis enim non videat, in brevi humanæ vitæ curriculo fœlicitatem impij longam esse nequire? Illud verò, Sicut summitates spicarum conterentur, duo supplicia indicat, unum, quod est refectio spicæ à culmo, alterum, quod est tritura primo interitus impij, quo anima falce mortis præciditur, hoc est, separatur à corpore, secundo tartareus cruciatus, quo anima proteritur, sive torquetur, respondet. E Similitudo.

℣. 25. Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?

PARAPHRASIS. F

Si quod asserui, non ita se habet, estne vestrum aliquis, qui me possit convincere mendacij, & proponere Deo ut falsa, verba quæ prompsi,

SErmonis conclusio est. Probavit Iobus impios mira cum impunitate vitam sceleratam degere, ac proinde non debere criminis accusari, quod in statu florenti non perduraset. Neque enim status prosper justitiæ argumentum est: unde neque adversitas injustitiam arguit. Quod si ita non est, ait Iobus, quis me reum mendacem coram Deo peraget? quod ad plurimam justitiæ, ac veritatis fiduciam proculdubio attinet, Ac in hæc verba Iobus cessat, Nullum ex varia fortuna ad mores argumentum. G

CAPUT XXV.

℣. 1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit: ℣. 2. Potestas, & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

PARAPHRASIS.

Respondit Baldad: quid audes Deum appellare, neque times eum, qui potentissimus cum sit, omnes maiestate sua deterret: quique cælos inhabitat, quos mira concordia temperat? H

BAldad iterum Dei potentiam, altitudinem, sapientiam expendit, ut Iobum comprimat, ne divinam Maiestatem appellet, suamve coram judice tanto, innocentiam jactet. Auspicatur ergo à potentia & timore, quem

Scripta An. 1610. quem incutit, ajens: Potestas, & terror, hoc est, causa terroris apud Deum est, qui facit concordiam in sublimibus suis, hoc est, qui corpora illa sublimia, cælestiaque mirabili concinnitate disponit, ordine miro movet, ut à præscripto ne latum quidem unguem vastissimi orbes discrepent. Et quidem, qui primi mobilis, firmamenti, planetarum, qui contrario motu cientur, ordinem in propriis A conversionibus, quas motus raptus neque retardat, neque accelerat, attentè contemplatur, facilè miratur concordiam illam, divina potentia, sapientiaque dignam, cernitque Majestatem, quæ immania corpora regit, & quò vult, sine ullo negotio vertit, esse timendam, ut meritò dicatur terror esse apud eum, qui facit concordiam in sublimibus suis. Rectè quidem: àt hoc quid ad Iobi causam, qui Deum casto timore semper veneratus est? Concordia hæc orbium cælestium ad superioris hominis partem mirificè temperatam, quam Theologi mystici cælum appellant, aptè traducitur: admirabilis quippe concordia est, dum intellectus & voluntas æterna Dei lege B reguntur, & à divinis præscriptionibus non exorbitant: quod probè norunt, qui res arcanas rimantur, & spiritualem hominis structuram introspicere assuescunt.

℣. 3. Numquid est numerus militum ejus? & super quem non surget lumen illius?

PARAPHRASIS.

C *Deberes profectò Deo cedere ob potentiam, quam benè repræsentat innumerabilis Angelorum exercitus ejus obsequio destinatus, & ob sapientiam, quæ inde se prodit, quod universas creaturas lux ejus illuminat.*

MIlites Dei appellantur Angeli ad ejus imperata expeditissimi, per quos strages horrendas impiis solet inferre, ut multis Scripturæ sacræ constat exemplis. Hoc ad potentiam. Lumen verò Dei dicitur surgere super omnia, lux videlicet increata, quæ est ipse Deus omnia creata intuitu perspicacissimo lustrans, circumspectans, introspiciens. Potest quoque lumen creatum intelligi, quod à fonte lucis increatæ derivatur in creaturas, quod est velut sigillum, signumve Dei, ju-
Psal. 4. 7. xta illud; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Sensus ergo Baldad est: Adeònè intumescis ô Iob, ut velis cum Deo congredi? An vires, & sapientiam parem adeptus es? Profectò neque ita validus, neque tot militibus cinctus es, ut queas cum potentissimo Deo concertare, neque vero ita sapiens es, ut lumen, quo illustrantur universa, tu solus exæques. Quid igitur insolescis?

℣. 4. Numquid justificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? ℣. 5. Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, ℣. 6. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

PARAPHRASIS.

An tu Iob, homo cùm sis, justus coram Deo apparere possis? an purus videaris ex impuro ventre mulieris ortus? Luna candida & pulchra cùm sit, & stellæ, quæ munditie nitent, splendore, ac puritate carent, si cum Deo comparentur, quomodo ergo non impurior erit, si cum Deo componatur homo, qui est ipsamet corruptio, verminumque materia?

DUcit argumentum Baldad ex hominis vilitate, ac immunditia, quippe qui, quod ad corpus attinet, ex impura materia concretus sit, quæ pondere suo illum ad peccatum impellit. Fortasse etiam ad Hevam alludit communem parentem, peccatique occasionem, ut ex eo capite homo malè audiat, quòd è muliere natus sit. Quod verò ad lunam & stellas pertinet, perspicuum est eas cum divina luce comparatas obscurari, immundasque videri: nam & sol corporeus eis, mox ac ortus est, quasi velum quoddam oppandit, ut mortalium oculis minimè affulgeant. Ex his Baldad struit argumentum ad Iobum redarguendum, quem opinatur cum Deo congredi, velut cum æquali aliquo, optasse: cùm tamen ille nihil ejusmodi animo concepisset, imò nosset, fatereturque, quicquid excelsum, sanctum, purum de Divina Majestate religio casta requirit.

CAPUT XXVI.

℣. 1. Respondens autem Iob, dixit; ℣. 2. Cujus adjutor es? numquid imbecillis? & sustentas brachium ejus, qui non est fortis? ℣. 3. Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam. ℣. 4. Quem docere voluisti? non ne eum, qui fecit spiramentum?

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Respondit Iobus: Cur ita loqueris Baldad? Profectò dum non expendis veram sententiam, sed vehementer Dei potentiam mihi obiicis, videris me ante congressum velle terrere, ac diffidere Deo, si cum eo congrediar: atque adeò illum, quod ad rem attinet ipsam, quasi debilem velle adjuvare, dextramque imbellem ad luctam fulcire. Videris etiam ei tanquam insipienti consilium dare insignis ostentatione prudentiæ, eruditeque ipsum, qui creavit hominis animum.

A

CErnens Iobus Baldad egisse tenuiter de divina potentia, & sapientia, pungit ipsum, & eas perfectiones divinas eloquentiùs amplificat, Sensus Iobi arguto disputatore planè dignus est. Cùm enim Baldad potestatem, ac terrorem Dei objecisset Iobo, ex quo deduxit, non debere, posseve hominem comparatione Dei justum appellari, perinde egit, ac si relicto statu controversiæ, nihil de rationum pondere, ac efficacitate cogitans, propositio metu Iobum à certamine se divertere velle asseruisset, quod nihil est aliud, quàm ita extollere Dei potentiam, ut Deo se diffidere ostendat, si ad certamen justitiæ descendatur. Ipse etiam dicendi modus, quo Iobum perterrefacere Baldad enixus est, nihil videtur aliud, quàm quædam Dei importuna defensio, aut propugnatio, quasi egeret Deus ejusmodi adjutorio, essetque iners, aut parùm bellicosus aliquis homo, cui gratum foret, ita suos hostes per nuntios timore incusso terrere, ut cum eis prælium nunquam iniret. Ipse denique agendi modus ratio quædam consulendi Deo fuit, ac si deberet Deus idipsum inire consilium, quod selegit Baldad, ut scilicet Iobum timore compesceret, neque ad litem dirimendam ad tribunal suum sisti permitteret. Et quidem textus ita à Iobo luculentiùs posset exponi: Cujus adjutor es Baldad? suscepisti quippe Dei patrocinium, ac si careret ille viribus. Porrò ita eum defendere adniteris, ac si ignavus miles foret, gracilesque, ac exangues lacertos ad luctam haberet. Cui dedisti consilium? ostendendo scilicet ei, quo pacto mecum agere debeat, jactans prudentiam raram, quæ in eo à te ponitur, ut timore opprimar, neque ad causæ discussionem admittar, tanquam eo ipso Deus à me vincendus esset? Quem docere voluisti? An Deus non creavit animum hominis, quando in eum inspiravit spiraculum vitæ spiramentum, aut spiritum, ubi mentem illustravit, & sapientia mira perfecit? Quid ergo moliris? Deeritne sapientia, & consilium ei, qui nostræ sapientiæ auctor est? Porrò multos ultroneos consiliarios Baldad similes ætas nostra intuetur; quibus verba Iobi apprimè congruunt,

B

C

Alia textus explicatio,

D

℣. 5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.

PARAPHRASIS.

Summa est potentia Dei, à quo staturæ immanis homines, tempore diluvii aquis obruti sunt; ubi ipsi quantumvis proceri cum aliis terrarum orbis habitatoribus gementes interierunt,

Memoriæ proditum est Geneseos cap. 6. fuisse gigantes eo tempore, quo Deus peccatorum colluvie irritatus immisit aquas, quæ terram eluerent. Ubi oportuit immania illa monstra cum cæteris mortalibus, aquis operiri, & pœnas luere flagitiorum. Hanc tangit Iobus historiam ad Dei potentiam prædicandam, cui nemo quantumvis validus, fortis, ferus valet obniti. Etenim in arcano sensu mundi proceres sub sæculi hujus fluctibus gravati ingemiscunt, quos neque potentia, neque opulentia, neque nobilitas ab anxietate, & interitu eximere valent. Utinam hoc Principes parùm pii, qui in monstra horrenda degenerant, animadvertant, ut à gemitu, & interitu vindicentur.

E

Nemo Deo resistere valet.

F

℣. 6. Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.

PARAPHRASIS.

Profundus quilibet inferorum lacus apertus est Deo omnia abstrusa penetranti, ipsique tartaro nullum velum obtenditur, quo Dei conspectui subducatur.

SUbtilissimus, ac perspicacissimus Dei visus est, neque terræ objectu, tenebrarumve obductu divinæ cognitioni quicquam adimitur: ex quo liquet, quàm mira sit Dei sapientia subterraneas illas cavitates perviden-
G
tis, ut nihil prorsus ei celari queat. Commodè traducitur hic versus in arcano sensu ad intimos impiorum sinus, ubi flagitia meditantur, suaque turpia vota recondunt. Perditio hic idem, quod tartarus, locus videlicet genti perditæ destinatus. Infernus verò quemlibet inferorum locum, sinumve significat.

Nihil Deo absconsum.

℣. 7. Qui extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.

PARAPHRASIS.

H

Ex hoc divina potentia, sapientiaque insigniter clarescunt, quòd aquilonarem cæli partem, quasi papilionem quendam tetenderit super spatium hoc, quod inter cælum, ac terram patet, quod intuentibus vacuum esse videtur: & quod vastam terrarum orbis molem nullo alio fundamento nitentem, tanquam suspensam teneat.

Aqui-

Scripta An. 1612.

AQuilonem vocat partem cæli ad polum arcticum circumtensam, & synechdochicè cælum totum, quod mirabili Dei opificio, uti tentorium concameratum à Deo conditum fuit. Super vacuum autem dicit cælum extensum, hoc est, super elementa, quæ mortalium oculis, communi loquendi more, vacuitatem quandam repræsentant. Vulgò quippe cubiculum vacuum dictitamus tametsi ære sit plenum, si rebus aliis crassioribus minimè occupetur. Terra verò, quæ fundata est super stabilitatem suam, miro certè modo librata, & firmissimis divinæ potentiæ, ac sapientiæ columnis innixa consistit: ut appositè Iobus aquilonis extensionem, & terræ suspensionem, ut potentiæ, ac sapientiæ infinitæ argumenta produxerit. Horum consideratio viris contemplationis studio deditis plurimùm solet prodesse.

A Iobi ex mundi opificio Divinæ sapientiæ demonstratio.

℣. 8. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.

PARAPHRASIS.

B *Continet Deus in nubibus aquas, è vaporibus densatas, tanquam in stillatorio vase, ut guttatim decidant, neque uno impetu terram obruant.*

BOnus divinorum operum æstimator Iobus, qui ea, quæ nobis, ut quotidiana vilescunt, expendens, atque contemplans, ad perfectiones divinas sibi gradum construit. Et quidem mirum est, quomodò vapores calore in altum elati à Deo ligentur, hoc est densentur, stringantur, & in levissimis nubium vehiculis huc illucque agantur. Paulatim concrescunt regionis illius frigore, ac sensim guttæ distillant, quamvis in resolutione nubium, motu, seu raptu, aliisque meteoricis pluviæ observationibus varia sint celeritatis, tarditatisque discrimina. Oportuit autem, ut aquæ non erumperent pariter deorsum, ne omnia delerent, sed veluti cribro excernerentur, terram molliter humectarent, longoque stillicidio perfunderent. Versus hic eleganter aptatur doctrinæ spirituali, quam in viris perfectis Deus, tanquam in nubibus congregat. Ubi consilium est, non statim copiam immodicam evergere, sed pro captu aliorum, sensim, & quasi per guttas instillare.

Pluviæ origo.

C

℣. 9. Qui tenet vultum solii sui, & expandit super illud nebulam suam.

D PARAPHRASIS.

Obtegit Deus faciem cæli, quod est ejus subsellium, dum nebulam mortalium oculis offundit.

TEnere vultum perinde est, ac continere faciem, ne videatur: solium verò, sive sedes Dei cœlum est. Dicitur autem Deus expandere super illud nebulam, quasi dicas, velum throno oppandere. Nebula ex illis velut reliquiis vaporum, quæ in aquas cogi minimè potuerunt, generatur, cælique conspectum adimit. In arcano sermone plerumque Deus nebulas molestissimas offundit cultorum suorum oculis, ne cæli serenitatem aspiciat; sed in caliginoso exilio versantes tristia multa perferant, quippe qui candidissima Dei luce fruituri sunt.

Quid sit tenere vultum. *Isai. 66.*

E

℣. 10. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiatur lux & tenebræ.

PARAPHRASIS.

Præfixit littora marinis aquis, imperans ne in terram sese effunderent, donec successu dierum, ac noctium expleto, terram demum operiant.

F

PAtres antiqui miraculo vertunt, quòd aqua maris terram minimè obruat, cùm sit altior, & quoddam terræ quasi vestimentum. Dei tamen imperio, aqua in vastissimam cavitatem Oceani, ac mediterranei maris confluere jussa, commodam habitationi hominum partem orbis reliquit: refluxura videlicet ad sæculi hujus finem in locum suum, orbemque terrarum opertura: quod his verbis Iobus significat: Usque dum finiatur lux, & tenebræ, hoc est, vicissitudo diei, ac noctis. Usque ad illum, nempe terminum Deus mira potentia, & sapientia congregat sicut in utre aquas maris, & ponit in thesauris abyssos. Arcanè autem hoc persæpe efficit, dum ingentes passionum, ac tentationum fluctus compescit, & velut in locum profundissimum detrudit, ut animus tranquillè interdum corporis terram inhabitet, vel fatigatus respiret.

Æquarum æquilibrium miraculo adscriptum.

Psalm.

G

℣. 11. Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.

PARAPHRASIS.

Angeli qui regunt cælos, profundissima veneratione colunt Deum: castoque timore illi ad nutum obtemperant.

H

COlumnas cæli Angelos orbium cælestium motores appellat: neque obstat imposita columnis ædificia quiescere, ab Angelis verò supremum illud Dei opificium cieri: non enim in positu figura, vel quiete, sed in virtute similitudo consistit: atque adeo sicut columna est ædificii virtus, firmamentum, robur, ita Angelus cæli virtus, vis, firmamentum, roburve appellatur. Tremor autem, ac

Cur Angeli Cœli columnæ dicti.

Qualis tremor, & pavor Dei in Angelis.

Scripta An. 1620.

ac pavor, nihil pœnæ, sed reverentiæ castique timoris plurimum significat. Natus vero expeditionem ad obediendum imperatis celerrimam, facillimamque demonstrat. Et quidem ex hoc capite Dei potentia, & sapientia summoperè in admiratione habenda.

℣. 12. In fortitudine illius repentè maria congregata sunt: & A prudentiæ ejus percussit superbum.

PARAPHRASIS.

Dei potentia, cum aqua olim terram operiret, imperio grandi mare quantocyùs in unam cavitatem compulit: ejusque sapientia tumultuantis aquæ impetum jussione sua, velut telo fatali perculit.

FOrtitudo potentiam, prudentia sapientiam significat, in quibus extollendis eloquentiam expromit suam. Ergo statim ac Deus aquas exundantes in locum unum confluere B jussit, repentè confestim, paruerunt, quemadmodum in describenda mundi creatione, ac rerum distinctione Moses prodidit. Dicitur autem prudentia, sapientiave Dei, hoc *Gen. 1.* est, ipse Deus sapiens percussisse superbum, sive inquietum, elatum, tumidum vorticibus, & fluctibus mare: quia sapientissimè illud coercuit, atque ab hominum habitatione discrevit. Superbi ergo epitheton maris ferociam, tumoremque designat. Subest & altera secundi hemistichii interpretatio, satis certè gravis, ac pia, juxta quam Dei sapientia dicitur percussisse superbum, id est, Luciferum, quem ultionis divinæ telo sauciavit, & è cæli fastigio imperiosè deturbavit.

Quare mare superbum dictum? Alia interpretatio.

℣. 13. Spiritus ejus ornavit cœlos, C & obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.

PARAPHRASIS.

Deus qui purissimus spiritus est, cœlestes orbes clarissimis syderibus decoravit: & ab illo electorum domicilio, more obstetricis fœtum mortuum extrahentis, Dæmonem angui se inspiras torquenti similem expulit.

COmpertum est, Deum exornasse cœlestia D corpora, ut Moses scriptum reliquit. Certum quoque colubrum tortuosum Luciferum, serpenti scilicet caliditate simillimum è cælo à Deo pulsum. Similitudo autem ob- *Genes. 1.* stetricis eò spectat, ut sicut illa fœtum emortuum à corpore matris eximit absque læsione matris; ita manu, hoc est, potentia Dei urgente, è bonorum Angelorum corpore mystico, sive cœtu hierarchico, sine ulla electæ societatis illius offensione, Diabolus extractus, atque depulsus fuerit. Huc facit versio LXX. Interpretum, quæ sic habet: Præcepto autem peremit draconem desertorem: qua certè periphrasi Diaboli mores, & delectionem à Dei castris expresserunt. LXX. *Interpp.*

Obstetricis similitudo.

Luciferi casus.

℣. 14. Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus: & cùm vix E parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitrum magnitudinis illius intueri?

PARAPHRASIS

En promptsi nonnihil ex viis, hoc est, operibus divinæ sapientiæ, atque potentiæ: at cum ægrè tenuem notionem divitæ inspirationis acceperimus, ecquis valebit infinitam Dei magnitudinem pernoscere?

ELoquentiùs, & copiosiùs multò, quàm Iobide Dei eloquentia. Baldad, Iobus de divinis viis, operibus nempe, quibus ad Deum dirigimur, disseruit. F Quocircà, ut turgentem comprimeret, subjungit: En quam multa, excelsa, varia, mirabilia protuli, quæ tu æquare minimè potuisti: & tamen mihi videor propè nihil attigisse ex iis, quæ de potentiæ ac sapientiæ divinæ magnitudine possent efferri. Quid ergo moliris, dum mihi potentiæ terrorem intentas? Novi & ego vim potentissimi Dei, at non propterea conflacesco, refugiove congressum, tractatumque causæ, cujus diremptio, divinæ veritatis assertio proculdubio futura est. Iam verò similitudo stillæ, ac tonitrui, sive comparatio in eo sita videtur, ut parvam stillam sermonis appellet sermonem submissum, tenuemve sibilum, tonitruum verò, uti res est, crepitum illum immanem, G qui editur nube prærupta. Ergo, ut crepitus terribilis sonum tenuem excedit, sic maxima illa, quæ de Deo enunciari possent, porrò superant ea exigua, quæ nos assequimur, vel proferimus. Verbum illud, Intueri, positum pro audire, ut orationis series, & tonitrui metaphora non visui, sed auditui aptata reposcit. Annotandum hîc, quam sublimem Dei notitiam Iobus divinarum operum contemplationi deditus pepererat: qui nihil adeò excelsum, mirabile, grande se proferre posse existimavit, quod cum iis, quæ promi à mortalibus nequeunt conferri valeret. Celsitudo quippe humana cogitando æquatur, aut exceditur: divina verò, quò H altius attingitur, eò sublimiorem altitudinem, profundioremque abyssum ostentat, ubi sapientes merguntur, & præ admiratione summa tandem obstupescunt. Utinam hæc Iobi stilla nobis obtingat, quæ nos ad penitiorem Dei cognitionem, amoremque permulceat.

Eiusdem de divinis rebus sublimis notitia.

CAPUT

Scripta An. 1610.

CAPUT XXVII.

℣. 1. Addidit quoque Iob assumens parabolam suam, & dixit: ℣. 2. Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam; ℣. 3. Quia donec supereſt halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, ℣. 4. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

A

PARAPHRASIS.

B *Cernens Iobus concertatores suos nihil obloqui, adjunxit multa, parabolam, hoc est, cœptum sermonem sapientia plenum pertexens, dixitque: Deum vivum, qui me in judicio à pœna non absolvit; Omnipotentemque, qui meum animum afflixit, contextor, me ita semper acturum, ut donec in signum vitæ respiro, nihil loquar iniquum, nihil non verum linguæ permittam.*

ANimadvertit Iobus amicos languere suos, ipseque ex concertantium more eò magis invaluit, assumens parabolam, hoc est, utens sermone, sapientiæ luminibus ornato: non enim id tantùm in sacris appellatur, parabola, quod per similitudinem profertur, vel à familiari loquendi more removetur, sed & quod sapienter producitur. Ergo Iobus factus vegetior in suæ sententiæ sive innocentiæ confirmationem, & in supplicii impiorum extremi assertionem incumbit. Validè autem auspicatur jurejurando testatus, se, dum vixerit, pro veritate certaturum. Illud verò, qui abstulit judicium meum, perinde est, ac qui non concessit mihi judicium, quod optavi, ubi absolveret innoxius. Illud autem, Qui ad amaritudinem adduxit animam meam idem est, ac qui me amara vexatione afflictavit. Quod postea subditur, Donec supereſt halitus, & spiritus Dei, hoc est, à Deo; In naribus tantundem est, ac, donec flatu per nares inspirato, ac expirato vivo. Non loqui denique iniquitatem, ac meditari mendacium, periphrasis est asseverantis nihil se non æquum, verumque prolaturum. Lingua tamen dicitur meditari, hoc est, cum attentione animi efferre mendacium, ut sermo animi orisque notetur. Strenuus athleta Iobus, qui, quo tempore molestissima saltem impugnatione delassatus concidere debuisse videtur, fortiùs insurgit, & generosiùs concertat.

Quid in scripturis parabola.

C

Metaphoræ explicatæ.

D

℣. 5. Absit à me, ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. ℣. 6. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

E

PARAPHRASIS.

Avertat Deus, ut vos justè agere censeam, sanè quamdiu vivam, non desistam à meæ vitæ puritate tuenda. Sanctimoniam vitæ, quam à primis annis firmiter apprehendi, non abiiciam, imò tenaciùs amplectar. Cum enim in totius vitæ decursu criminis ullius, culpæve gravis me conscientia non arguat, nolo nunc deserta veritate fœdari.

F

Iobi ex innocentia magnanimitas.

MIrificè se prodit Iobi magnanimitas, & inculpatæ conscientiæ energia ad solatium in rebus turbulentis opportunissima. Ventum est eò, ut Iobus dissentiat, vel assentiatur suis concertatoribus graviter aberrantibus in ratione divinæ providentiæ asserenda: Et quidem assensus tetrum piaculum foret, dissensus verò egregius virtutis actus, ad quem profectò exercendum in prolixa controversia opus fuit, Iobus suam commendaret justitiam, diceretque se absque culpa cædi. Hoc idem modò apertissimè, si usquam, enunciat, quasi ad hunc modum effaretur: postquàm in arenam descensum est, eoque controversia procurrit, ut si in assertione meæ innocentiæ cœpta persistam, culpa vacem, secùs graviter peccem; profiteor me procul absistere à vestro sensu, longeque abesse, ut vos justos existimem. A teneris annis castum Dei timorem didici, nolo ab innocentia mea recedere. Justitiam colui, nolo illam deserere, conscientiamque meam nullo scelere sauciam lethaliter vulnerare. Quod quidem mihi contingeret, si erroneæ vestræ sententiæ cederem, qua asseveratis, hanc esse divinæ providentiæ æquitatem, ut semper in hac vita justos prosperet, injustos ærumnis vexet, atque proculcet. Absit, ut id sentiam, cùm constet, uti jam ostendi, homicidas & prædones plerumque usque ad interitum florere, contrà verò pios permultos continenter affligi. Hoc potius astruam, supereſſe vitam aliam, ubi Deus pro tribunali sedens piis amplam mercedem, impiis horrendum cruciatum justitiæ lege rependat. Observandum hic, non esse extra Sanctorum disciplinam, ut quis vir pius se laudet ipsum, cum id Dei gloria, proximorumve salus exquirit. Sic Iobus hic, sic Paulus ad Corinthios, ubi dum se cum aliis Christi ministris componit, non parem tantùm, sed majorem profert per illa verba: Ut minùs sapiens dico, Plus ego: præterquam quòd capiet

G

Et suæ justitiæ manifestatio.

H

Propria laus aliquando pios Homines decet. 2. *Corinth.* 12.

Scripta An. 1610.

pite proximo revelationes commemorat, Oportuit quippe à pseudoapostolis se discerneret, ut & necesse fuit, Iobus se ab erroneis divinæ providentiæ assertoribus discriminaret. Observandum etiam laudem hanc sui maximam, quæ à Iobo promitur in hæc verba, Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea, de lethali peccato, quod crimen, flagitium, scelus appellari solet, intelligi debere: Quod interpretes LXX. expresserunt in hunc modum: Neque enim conscius sum mihi commisisse absurda, vel, ut alii transferunt, scelera. Culpas nimirum leves admisit, quarum idoneus æstimator, & expiator sedulus fuit.

Cap. 13... Quas culpas à se abnuit Iobus.

A LXX. *Interpp.*

℣. 7. Sit ut impius inimicus meus: & adversarius meus quasi iniquus.

PARAPHRASIS.

B

Qui mihi in assertione veritatis se ut hostem opponit, puniatur ut impius, & qui mihi obluctatur, plectatur ut injustus: quod enim tueor, pium ac justum est.

IMprecatur ultionem iis, qui obstiterint sancta veraque tuenti. Potest quoque morum propriorum expressio esse ad vitæ integritatem, quam prædicavit, asserendam, quasi hoc modo proferret: Ego semper pietatem, & justitiam colui, decrevique pios, ac justos habere amicos, quos amem, venerer, exornem: ex quo efficitur, ut nemo à me inimicus existimetur, nisi qui agit ut impius; nemo adversarius sit, nisi qui agit ut injustus. Utraque expositio idonea, sed prima cohærentior.

Iobi integritas à se iterum confirmata.

C

℣. 8. Quæ est enim spes hypocritæ, si avarè rapiat, & non liberet Deus animam ejus? ℣. 9. Numquid Deus audiet clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia? ℣. 10. Aut poterit in Omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?

PARAPHRASIS.

D

Ego semper colui Deum considerans, nihil prodesse bona, in quibus spem impius collocat: Ecquid enim proficit, si multa cupidè furetur, animæ verò suæ, quam Deus non liberat, detrimentum patiatur? An Deus suspiranti parcet, cùm irruerit in eum calamitas? An qui, Deum potentissimum repulit ab eo in angustia recreabitur? An qui Deum odit, comparatus est, ut illum inter frequentia pericula semper orare, ac exorare possit? minimè quidem.

PRoducit Iobus appositas rationes, ob quas Deum coluerit, è damnis petitas impii, quem, quòd cùm infælix sit, se fælicem simulat, hypocritam appellat. Potest autem sic concipi seipsum exponens: Fateor me semper Deum timuisse, vitæque puritatem, ac sinceritatem esse sectatum. Cùm enim perspicerem impiorum peccata, quibus opes alienas diripiunt, nihil solidi habere, imò fragilissimo fundamento subniti, malui serias virtutes parare, & Dei timore tanquam inconcusso firmamento stabiliri. Floret apparenter impius, & id sanè brevi: at mox accersitur ad Dei tribunal, ubi prædarum luit pœnas, dum æquissimus Deus non liberat, hoc est, damnat, perdit in gehennam ejus animam. Quod si ante tartari supplicium obsidetur angustia ulla, calamitat scelestus, & parum spontè precatur Deum, à quo non est opem obtenturus. Gerit animum impietate efferatum, qui dum criminis illecebra capitur, ac irretitur, nequit Dei lege purissima delectari. Atque ex hoc ipso non est ita affectus animo, ut Deum in creberrimis hujus vitæ discriminibus, uti decet, procari, & ad depellenda mala exorare valeat. Cùm ergo tot, tamque immania damna impium obruant, prudenter egi mea detrimenta prævavens, dum in Dei cultum studiosissimè incubui. Spem hypocritæ posuit pro rebus spiratis, quæ Scripturæ phrasis familiarissima est. Profectò Iobi rationes solidissimæ sunt, quas utinam mundi proceres dignè perpenderent.

E

Iobus seipsum exponit.

F

℣. 11. Docebo vos per manum Dei, quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.

G

PARAPHRASIS.

Ostendam vobis excitatus virtute Dei, quæ potentissimus ipse Deus in impios decrevit. Nolo celare consilium.

VIdetur quoddam orationis gravissimæ quasi exordium, quod Iobus dicendis prætexit, ad attentionem poscendam rerum maximarum captui necessariam. Per manum, inquit, Dei, hoc est, per vim, virtutem, potestatem Dei, qua moveor ad hanc doctrinam tradendam. Grave sanè verbum, Docebo. Mitius LXX. interpretes, Annunciabo: utrumque autem instructionem significat, qua concertatores egent; boniqne consulenda Iobi oratio, licèt gravis, & magisterii auctoritatem exhibens.

H

LXX. *Interpp.*

℣. 12. Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini?

PA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Scitis profectò, quæ de providentia divina profero, gratisque, ac frustra in aliis mihi obloquimini.

PLeraque amici, & Iobus ipse simillima, vel eadem protulere de divinæ potentiæ, ac sapientiæ operibus, ac de impiorum punitione, quæ nota esse suis concertatoribus ait: quæ nisi ab eis cum aliis pravis dogmatibus confunderentur, controversiæ ratio cessaret. Quocirca delinit eos dicens: Exploratum est mihi, nosse vos, quæ depromo: quo sanè dicendi modo temperat acrimoniam versus præcedentis, quo ut magister velle se docere asseruerat, quasi modò subderet: Dixi; Docebo vos: At quid opus sit, docere doctos, rerumque consultos? Illud verò: Et quid sine causa vana loquimini? perinde est, ac, Quorsum mihi obloquimini gratis, ac vanè; hoc est, sine causa, & fructu; cum enim in plurimis assertis minimè discrepemus omnes quippe divinam potentiam, sapientiamque laudavimus, impiorum infælicitatem fassi sumus: cur in aliis, quæ veritati consentanea produco, mihi obluctamini? Profectò id gratis, nihil enim causæ subest, & vanè, cùm incassum mihi dogma erroneum persuadere nitamini.

℣. 13. Hæc est pars hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient. ℣. 14. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane. ℣. 15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.

PARAPHRASIS.

En, qualis est sors impii, quale patrimonium prædonum, quod Deus illis justè rependit. Si liberos multos suscipiant, necabuntur, & nepotes famelici vacillabunt. Si qui verò ex ea stirpe remanserint, morte calamitosa tumulabuntur, neque uxores eorum, instantibus sibi malis sat afflictæ, atque distractæ defunctos lugebunt.

HÆC satis in superioribus explanata, ubi sermo incidit de impiorum suppliciis; quibus similia cecinit Psaltes regius, quale illud: Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, aliaque minimè pauca. Et quidem cùm in hujusmodi asserta & Iobus, & ejus amici conspirent, quos similia proferentes exposuimus, quicquid hîc reticetur, è superioribus petendum. Unum dumtaxat observandum, sepeliri in interitu, idem esse, ac sepeliri prodigioso, raro, insolito mortis genere, alioquin non esset impiis pœna, intereuntes sepeliri, qui deberent sepultura carere. Quid, sepeliri in interitu.

℣. 16. Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta: ℣. 17. Præparabit quidem, sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet.

PARAPHRASIS.

Tametsi impius pecuniam, quasi terræ cumulos, pretiosas vestes, tanquam vile cœnum coacervet, non sibi desudabit, sed pio, qui vestimentis illis induetur, & pecuniam liberaliter, pieque distribuet.

AMplificatio est fælicitatis nimiùm brevis, & erroris, quo seducitur impius, injustè opes contrahens: qui in caput laborat suum, quandoquidem judicio divino sæpe suis laboribus minimè fruitur, sed in usum piorum transferri conspicit, ut malè parta benè impendantur. Sic Deus divitias impiorum regum Chanaan ad pios Hebræos transtulit, sicut scriptum est: Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant. Hæc Iobi sententia, qua impiorum bona piis attribuit, in vita impiorum interdum, quandoque verò in interitu vera est: at non universè accipienda: neque enim mens est asserere, opes, ab impiis congestas ad pios semper devolvi. *Psal.* 104.

℣. 18. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.

PARAPHRASIS.

Sollicitè impius domum construit, & instruit; at tineæ labor est, quæ à veste, in qua moratur, levi pulsu excutitur. Custodis vineæ rum labor est: tumultuarium quippe ad paucos dies parat tugurium, quod citò solvitur ac dissipatur.

DUM vestimenta excutiuntur, tincolæ loco excidunt, quæ lectum ibi mollem sibi coaptaverant. Sic impium molliter domi quiescentem ultio Dei validè elidit, locóque depellit. Cogitat ille è marmoribus expolitis, & firma structura commissis, domum in æva stabilire: at tugurium est ramis, ac cespite contextum quod nimbis, ventis, ferarum impetu deiicitur, vel sponte dissolvitur. Umbraculum est, quasi ad captandum

ab

Scripta An. 1610. ab æstu vitæ hujus modicum refrigerium: at nihil ibi, nisi umbra, qua deluditur impius, vera bona se possidere ratus. Umbraculum non domini, sed custodis est, qui qualiacumque bona servat aliis, non sibi: nam proximo versu scriptum est: Iustus vestietur illis, & argentum innocens dividet. Pro verbis illis, Sicut umbraculum, septuaginta Interpretes habent, sicut aranea, ὡσπερ ἀράχνη, qua similitudine sensus augetur,

LXX. Interpp.

A

℣. 19. Dives, cùm dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet.

PARAPHRASIS.

Impius locuples, cùm interierit, nihil secum exportabit: convertet oculos ad bona, in quibus speraverat, & nihil in eis præsidii inveniet.

EXploratum est, omnia impii bona ab eo invito relinquenda, sicut scriptum est: Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Modus ille dicendi, aperiet oculos suos, ad anxietatem impii obeuntis exprimendam plurimum confert. Tunc quippe, cùm à bonis quæ cordi adhæserant, discedendum sit, neque spes subsit meliorum bonorum, præsentia exacutis obtutibus circumspectat, & in rebus charioribus oculos figit; si fortè aliquid solatii hauriat, quicquam auxilii recipiat, Verum nequicquam.

Psal. 39.

B

℣. 20. Apprehendet eum, quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. ℣. 21. Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo.

C

PARAPHRASIS.

Omnium bonorum penuria, velut alluvio quædam inopinata obruet impium vita functum, & in æternarum tenebrarum nocte, procella dolorum demergetur. In lacum scilicet inferorum propellet eum mors, quæ instar venti calidi non vitalem humorem tantùm, sed spem quoque omnem absumit: mors inquam vehemens, ac propera, quæ illum ceu ventus contortus, rapidusve corripiet.

D

EXtrema planè inopia est, quæ damnatum impium, ut maris aqua circumfluit, operitque, ne respiret. Tempestas immanis est, quæ infœlicem absorbet. Quæ rogo penuria conferri queat cum illa, quam dives Epulo fatetur, dum vel guttam quidem aquæ unam altis gemitibus postulat? Quæ tempestas illa undantis tartari, qui pœnarum fluctibus horribiliùs multò, quàm Oceanus ventis indomitis agitatur? Quàm tetra nox impij, qui usque in æternum non videbit lumen? Mors impij appellatur ventus urens, quia spem siccat omnem, non corporis humorem tantummodò: turbo verò dicitur ob celeritatem, ac vehementiam, qualem ventus fert contortus, ac rapidus, qui arbores, saxaque benè fixa convellit.

Luc. 16. 24.

Psal. 48.

E

℣ 22. Et mittet super eum, & non parcet; & de manu ejus fugiens fugiet.

PARAPHRASIS.

Deus ultor jaculabitur in impium iræ suæ tela, neque ampliùs miserebitur: & tamen ille jam comprehensus à potentia Dei ferientis enixè conabitur effugere.

VErsus hic supposito carens ad Deum referendus in hemistichio primo, ad impium in secundo. Certum quippe, Deum in damnatum impium perpetuò jacula suæ justitiæ vibraturum, neque jam de pœna quicquam remissurum. Certum item, impium mala tremenda ferentem, & contra pondus nitentem, semper, quoad per ipsum fieri possit, enixurum se Deo saucianti subducere, & ictus declinare. At fuga affectus, non effectus erit, quo nihil mœstius cogitari posse videtur.

F

℣. 23. Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum ejus.

PARAPHRASIS

Deus superbiæ domitor de impio prostrato triumphum aget, manibus (ut more nostro dicam) plaudet, sibiloque irridebit, contemplans profundum supplicij locum, in quem illum protrusit.

G

DEscribitur hoc versu anthropopathōs victoria Dei de impio, qui olim, ut in hoc ipso libro legitur, cucurrit adversus Deum erecto collo. Sic videlicet victores peracto prælio, manibus complosis lætitiam, sibilis victæ gentis derisum significant, graviterque, ac excelsè, & cum voluptate intuentur cæsa corpora, gentemque victam, & vinculis ad triumphum obligatam LXX. sic habent: Plaudet super eos manibus suis, & exsibilabit eum de loco suo, hoc est, cum irrisione, sibilove pellet impium de sancto loco, ipsius videlicet Dei: quod cum sensu Vulgati facilè cohæret. Nimirum Deum à se cum derisu repellere, & pulsum à se cum derisu despicere ad rem nostram propè idem est, loci, à quo impius reijcitur, & in quem proijcitur, observato discrimine,

Cap. 15.

LXX. Interpp.

H

Quid sit a Deo repelli, ac despici?

Scripta ne, vel ſucceſſu, in quo eſt mira proportio,
An. 1610. atque connexio. Etenim quis hunc Dei deſpectum non formidet?

CAPUT XXVIII.

A

℣. 1. Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur.

PARAPHRASIS.

Invenitur locus, unde argentum venis multis diſtinctum, ac per terram ſerpens provenit, locus item, in quo auri grana ipſo naturæ opificio concreſcunt.

PErgit Iobus divinæ ſapientiæ, ac potentiæ opera recenſere, additurus mox hoc
B ipſo capite ſapientiæ tractatum, in qua piorum divitias ponendas eſſe, compertum eſt, ut pateat quantò ſit piorum, quàm impiorum ſors fœlicior. Præmittit verò nonnulla pretioſa, & mirabilia, ut gradum ſibi faciat ad ſapientiæ contemplationem, quæ ſubli miſſima eſt. Videtur autem amicos ſuos eleganti, & vario rerum excurſu velle mulcere ad veræ ſapientiæ ſtudium perſuadendum. Tangit argentum, & aurum, quo-
Argenti, & auri origo, & ſpecies. rum alterum in modum arboris terræ viſceribus infuſæ è primordio uno in ramos ſpargitur, qui ſunt ſimiles venis in varias corporis partes à natura diductis. Alterum, ſcilicet aurum, locum habet ſuum ætati noſtræ, ſi unquam notiſſimum, in orbe præſertim novo, ubi non modò in glebas terræ permixtas coit, verùm alicubi purum, deſæcatumque in grana creſcit, quæ aurum
C aliud natura priùs fœculentum, ſed arte purgatum: atque conflatum puritate quidem æquant, quod eſt planè mirabile. Sit quidem cohærens eſt explicatio de auro tam à natura puro, conflato, deſæcato, quàm de artis conflatoriæ opere, ut oratio de mirabilibus Dei operibus vario tenore procurrat.

℣. 2. Ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore in æs vertitur.

PARAPHRASIS.

Sunt ferri fodinæ, è quibus eruitur materia
D *illa rudis, quæ poſtea arte compingitur, & formatur in ferrum. Eſt & locus arte coaptatus, ubi prædura materia inſtar lapidis à natura genita igne reſolvitur, ſeparatiſque fœcibus, in æs funditur.*

VErſus hic, ut & præcedens præfigitur, uti gradus ad ſublimiora. Lucet autem in utroque tam naturæ, quàm artis officium, quod eſt obſervatione dignum. Hinc patet artem eruendi, purgandi, fundendi metalla antiquiſſimam eſſe. In arcano ſermone ferrum de terra tollitur, quando ex molli ac imbecilli homine, Dei gratia, fit vir ad virtutis arduitatem ſuperandam robuſtus. Lapis calore ſolutus in æs vertitur, quando ex duritie cordis lapidea, Spiritus ſancti ardore liqueſcens, fœcibus culpæ ſecretis, atque rejectis, novo Dei robore ad labores duratur, atque fulcitur. Senſus myſticus.

E

℣. 3. Tempus poſuit tenebris; & univerſorum finem ipſe conſiderat: lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.

PARAPHRASIS.

Deus metas præfixit nocti, ut ſuccedente die homines rerum cognitioni vacarent: at ipſe quovis tempore omnium creaturarum terminos conſiderat, ita, ut eum minimè lateat ſaxum quodvis profundiſſimis cavernis ſinuoſum, ubi obſcuritas, & mortis ſimilitudo deliteſcit.

F

DIxerat Iobus metalla è terra erui, modoque ſubiungit, Deum tenebris poſuiſſe terminum, metam, ſive, ut Græci ajunt, τάξιν, ordinem, ut ſcilicet alternè ſuccedant dies, ac nox; quaſi vellicet mortales, qui auri fame tenebras abſque termino quærunt, dum dies, ac menſes totos, in imis terræ cavitatibus, metalli venas lucem ſolis negligentes exquirunt. At ſubdit, Univerſorum finem ipſe conſiderat, hoc eſt, non præfixit metas tenebris Deus, quòd obſtent ei, quò minùs res abſtruſiſſimas uſque ad ultimos earum terminos pernoſcat: hominum quippe gratia id ſapientiſſimè diſpoſuit; nam quod ad ſe pertinet, perſpicaciſſimè intuetur terræ viſcera, lapideſque ſinuoſos, ac proinde caliginoſos, & quadam mortis imagine horrendos. Poſſunt quoque hi lapides caliginis eſſe metalla, lapillive pretioſi, qui è locis obſcuris, & abſtruſis effodiuntur, quos homines in terræ viſcera ſe inſinuantes multo labore perquirunt, cum Deus illos nullo negotio exploratos habeat. Tenebræ hominibus, non Deo datæ.

G

℣. 4. Dividit torrens à populo peregrinante eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & invios.

H

PARAPHRASIS.

Contingit interdum, ut aquarum rapidè currentium amnis intercludat regionis alicujus viam, ſeparetque à viatoribus, ſive peregrinantibus paucos regionis illius homines

Editio An. 1610.

devios in quorum habitacula nemo unquam, vel è pauperibus stipem corrogantibus, otiosis nempe locorum inviorum ambulatoribus, pedem intulit.

VErsus hic in Hebraico, & Græco textu obscurissimus est. Vulgata verò editio leniter decurrit, transpositisque verbis, atque connexis, facilem reddit sensum, ad hunc modum: Torrens dividit eos, quos oblitus est pes egentis hominis, eos inquam invios dividit torrens à populo peregrinante. Ita nimirum solent fluvij loca aliqua cingere, ut à transeuntium nemine petantur, ipsique indigenæ parvo contenti, angustæ regionis cultura parcum sibi parantes victum, externa commercia minimè requirant. Ad hos, ne inopes quidem homines omnia obambulantes, quique per otium ad oppida quæque devia conquirendi victus causa divertunt, accedere ait, ut locorum situm inaccessum indicet. Indigi nempe non vias militares tantùm, sed semitas explorant, quippe quibus nihil est itineris certi, aut commercij, quo in oppida numerosa festini commeant.

A

Peregrinantium, & indigenarum discrimen.

B

℣. 5. Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est.

PARAPHRASIS.

Agri, qui prius segetem multam triticeam reddebant, erumpente igne subvertuntur, ac steriles evadunt.

SOlet hoc accidere, dum terræ subsunt cavitates, ubi provenit sulphur, quod vento intus luctante successum à terra repentè dehiscente vomitur, sive eructatur: quod certè prodigiosum est. Arcanè anima, quæ priùs veris virtutibus solida fructum reddebat, intus evanescens, & vacua, vento superbiæ ignem iræ accendente concutitur; atque funditus evertitur: quod mœstissima ætatis hujus in ipsis monasticis cœtibus exempla demonstrant.

Vulcanorum descriptio.

C

℣. 6. Locus sapphiri lapides ejus, & glebæ illius aurum.

PARAPHRASIS.

Est locus sapphiri, hoc est ubi sapphirus provenit, quasi lapides, qui certè locus glebulas aureas progignit.

SApphirus gemmarum præstantissima, aureis punctis collucens, colore cœlo sereno simillima, atque pulcherrima est, neque nisi in terra, quæ sit auriferax, invenitur, quocirca rectè adiungitur, Glebæ illius, scilicet loci, ubi sapphiri generantur, aurum, quod nempe in glebulas concrescit. In arcano sermone sapphirus cœlestia desideria significat. Locus autem hoc est, animus, ubi ea desideria generantur, auri, hoc est, sapientiæ, spiritualiumque divitiarum ferax est.

D

Mysticus sensus.

℣. 7. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.

E

PARAPHRASIS.

Ad locum sapphiri volucres non feruntur, adeò ut ne vultur quidem perspicaci visu pollens illum conspicetur.

ITa Deus naturæ vim locis attemperavit, ut alia sint animantibus salubria, pastuique percommoda, alia noxia & arentia: illa frequentantur ab animantibus, hæc longè fugiuntur: atque adeò, cùm regiones auri, gemmarumque feraces frequenter sulphureæ sint, vaporesque noxios avibus exhalent, neque pastum producant, rectè Iobus ait, semitam sapphiri & à volucribus ignorari, & acie vulturis minimè discerni. Arcanè, qui more volucrum famelicarum ad pastum inhiantium ad terræ delicias anhelant, ignorant loca deserta, ubi à solitarijs contemplatoribus aurum sapientiæ & sapphirus cælestium desideriorum invenitur.

Mysticus sensus.

F

℣. 8. Non calcaverunt eam filij institorum, nec pertransijt per eam leæna.

PARAPHRASIS.

Semitam sapphiri non terunt mercatorum liberi quantumvis avidi: neque leæna quantumvis prædæ cupida.

G

SAtis rem abstrusam exaggerat, quam scilicet institores [quibus nihil inaccessum urgente avaritia, vel impervium] non agnoscant. Horum videlicet oculi vulturis acie perspicaciores sunt. Quibus aptè leæna prædæ cupidissima conjungitur, quam per sapphiri semitam non irrumpere Iobus ait, ut locum volucribus, reptilibus, hominibus incognitum innuat. Versus hic cum præcedenti arcanè notat locum sapphiri, ubi cœlestia desideria coalescunt, prudentibus mundi; qui sunt vultures visu perspicaces, avaris, qui sunt institores, sanguinarijs, sive immitibus, qui sunt leænæ, sive leones, esse inexploratum.

Sensus allegoricus.

℣. 9. Ad silicem extendit manum suam, subvertit à radicibus montes. ℣. 10. In petris rivos excidit, & omne pretiosum vidit oculus ejus. ℣. 11. Profunda

H

quo-

Scripta An. 1610.

quoque fluviorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.

PARAPHRASIS.

A *Deus omnia quantumvis abſtruſa novit: quocirca potentiam ſuam cum ſapientia ſimul exercet, ſiliceos montes à fundamentis convellens, ut ea, quæ ibi latent, mortalibus aperiat. Nunc in ſaxis duriſſimis ſulcos ducit aquarum, uſui hominum per concava incognita fluentium: ubi quicquid pretioſum lätet intuetur. Imas quoque arenas fluminum cernit, & inde gemmas, margaritaſque abſconditas educit.*

HIs verſibus Iobus Dei ſapientiam, potentiamque commendat, & hominum ignorantiæ, impotentiæque longiſſimè antecellere demonſtrat. Nunc montes è ſilice prædura firmiter ſedentes, terræ motu concutit, & quò nequibant homines penetrare, viam aperit, ut multa naturæ mirabilia cognoſcant, pretioſa multa perquirant. Nunc cernens loca aquis deſtituta, per media ſaxa, quod homines ne ſuſpicari quidem poſſent, rimas agit, & aquam multis divortijs ducit, terraſque fœcundat, ſimulque pretioſa metalla detegit. Nunc imos fluminum alveos nudat, ut gemmas revelet, vel certè homines inſtruit, ut ſe in profunda demergant, margaritaſque ſcrutentur, ac in lucem proferant. Hæc Iobus, qui poſtquam excurſu longo multa cœlorum, elementorumque mirabilia produxit, à quibus Dei potentiam, ſapientiamque laudavit, aſcendit ad ſapientiæ tractatum, è quo divinæ laudis argumenta petuntur.

B

Senſus allegoricus.

C

℣. 12. Sapientia verò ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?

PARAPHRASIS.

Protuli multa inventu difficilia, quæ cum naturalia ſint, nequeunt à mortalibus reperiri. Quid ergo de ſecretis divinæ ſapientiæ quam Deus in theſauris ſuis occultavit, dicam? Ubi, rogo provenit? Ubi locus natalis ejus?

URget hoc verſu Iobus amicos ſuos ad excelſarum rerum cogitationem, & amorem. Effert divina oracula viris ſapientibus digna. Poteſt autem ſic ſenſus exprimi: Plurima dixi, quæ ſi mortales haberent explorata, mirificè ſibi ſapere viderentur: plurima expromſi, quæ ſi homines invenirent, ſe beatos cenſerent, mirabilem quippe ſcientiam cum theſauris pretioſiſſimis conciliarent. At quid hæc omnia proſint, ſi vera Dei ſapientia deſit? Huc vos appello. Adeſte animis, inquirite, ubi lateat infinitus cæleſtis ſapientiæ theſaurus, quo nihil in terris pretioſius, dulcius, amabilius. Sapientia, & intelligentia hoc loco idem ſignificant.

D

Ad divina perquirenda provocatio.

℣. 13. Neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter viventium. E

PARAPHRASIS.

Ignari mortales minimè norunt æſtimare Dei ſapientiam, quæ non reperitur in ijs, qui molliter vivunt.

SApientia Dei capitalis vitæ mollis, ac voluptuoſæ inimica eſt; neque enim ſubtilis ejus ſapor ab ijs, qui corpori indulgent, ſenſumque voluptatibus obtundunt, percipi valet. Ex quo efficitur, ut eum nemo ex hominum genere culpa vitiato per vires proprias norit ſapientiæ pretium, multò illi à vera ejus cognitione, poſſeſſuque longiùs abſint, qui ſuaviter, hoc eſt, molliter, voluptuoſeque vitam mortalem ducunt. F

℣. 14. Abyſſus dicit: Non eſt in me. Et mare loquitur: Non eſt mecum.

PARAPHRASIS.

Profunditas impenetrabilis Oceani clamare videtur ſapientiam inter pretioſa illa, quæ aquis celantur non inveniri. Atque ad eundem modum cætera maria id palàm fateri videntur. G

PRoduxit in ſuperioribus Iobus pretioſa plurima, è quibus pars non exigua ſub aquis provenit. Huc ergo facit, quod ait: Abyſſus dicit: Non eſt in me, &c. Proſopopœja eſt, qua rebus rationis prorſus expertibus ſermo tribuitur. Iobus ergo ſic animo concipiendus: Ne exiſtimetis ſapientiam, de qua dicere adorno, ex eo eſſe rerum pretioſarum genere, quæ ſub aquis naſcuntur, & à mortalibus ingeniosè extrahuntur. Profectò non ita etſi enim gemmas omnes, quotquot mare nutrit, eximis arenis in acervos congeratis, nihil proinde ſapientiæ perquiretis.

Iobi figuratus ſermo

℣. 15. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. H

PARAPHRASIS.

Scripta An. 1610.

Aurum purissimum non æquabitur ei, multoque minus argentum quantumvis defæcatum, cum quo illa minimè commutabitur.

OMnino perspectum est neque argentum, neque aurum obrizum, hoc est, purum, excoctum, cum sapientia cælesti posse conferri: at mortales sapientiam negligunt, aurum, & argentum, velut idola colunt.

℣. 16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

PARAPHRASIS.

Indici lapilli pretiosi variè, ac pulcherrimè colorati, atque inter eos sardonyx præstantissima, & sapphirus lectissima, non possunt cum sapientia componi.

COlores dixit pro rebus coloratis, tinctos, pro coloribus varijs Sardonyx lapillus nobilissimus ungui humano colore similis, sed flavescens, ac rubens. Sapphirus pretiosissima est, de qua superiùs dictum. At hæc omnia nihili facienda, si de sapientiæ dignitate agatur.

℣. 17. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. ℣. 18. Excelsa, & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis.

PARAPHRASIS.

Nequit aurum, uti dictum est cum sapientia comparari, neque verò crystallus, quæ cælo simillima videtur: idemque de vasis aureis artificiosè cælatis asserendum. Quin etiam grandia, & rara quæque non sunt in memoriam inducenda, ut componantur cum dignitate sapientiæ, quæ à reconditis Dei thesauris depromitur.

AMplificatio pretij inæstimabilis est: neque curiosè disquirendum, cur vitrum auro adiunxerit. Fortasse materia illa, sub qua crystallum aliasque gemmas pellucidas complectitur, eo tempore pretiosissima fuit, ut auro meritò societur. Trahitur sapientia de occultis, hoc est, à Dei thesauris, qui hujus mundi mercatores latent.

Vitri cum auro pretium comparatum

℣. 19. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

PARAPHRASIS.

Multò est inferior topazius Aetiopica, licèt in eo genera perfectissima; inferiores quoquæ telæ fericæ vivis coloribus infectæ.

AEthiopia, de qua hic mentio fit videtur esse orientalis illa Aethiopia, quæ sub Aegypto est, propeque illa, quæ Abyssina appellatur. Topazius lucet aureo quodam fulgore; cum virore quodam porraceo diluto. Ab alijs lapis prasius, hoc est, porraceus nuncupatus. Gemma prænobilis est. Per tincturas mundissimas alij telas, alij aurum fulgentissimum, mundissimumque intelligunt: constat autem ea omnia sapientiæ pretio, ac splendori adæquari minimè posse.

℣. 20. Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? ℣. 21. Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet. ℣. 22. Perditio, & mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam ejus.

PARAPHRASIS

Sapientia, quæ gemmis omnibus pretiosior est, unde ducit originem? ubi nascitur? Et hominibus, & Angelis incognita est, nisi Dei munere innotescat. Tartarus tamen, & Interitus ibi regnans, dixere, se sapientiæ famam audisse.

THeologicum est, quod nunc Iobus profert, quod celsitudine rei proposita ad attentionem animos excitat. Dicit sapientiam, quæ in veris virtutibus, Deique cognitione supernaturali consistit, neque hominibus, neque Angelis, quos cœli volucres metaphoricè appellat, notam esse, quod planè verum est, si naturalis dumtaxat eorum vis spectetur. Subiungit verò perditioni, & morti, hoc est, inferno, ubi perditi homines torquentur, & morti, hoc est, mortuis damnatis, qui pœnas luunt, contigisse non sanè, ut possiderent, ut saperent, ut illi adhærerent, sed ut famam auribus perciperent. Norunt quippe infœlices illi fontes se fuisse damnatos, quia sapientiæ Dei minimè studuere: quod nihil est aliud, quàm sapientiæ famam velut aure, sive per auditum nosse, ut discriminentur ab electis, qui & audierunt, & strictissimo amplexu tenuerunt. Perditio, & mors hoc loco idem ferè significant; tartarum nimirum, & fontes; locum continentem, & contentos.

Scripta An. 1610.

℣. 23. Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.

PARAPHRASIS.

Deus novit legem, quæ est via sapientiæ, locumque è quo ipsa nascitur, qui est ipsemet Deus.

A

DEus ex se pernoscit viam, quæ creaturas ad sapiantiæ amplexum perducit: creaturæ verò minimè, nisi ex Dei beneficentia, & largitate. Via sapientiæ lex divina est, sive ipsius legis disciplina, quod sapientia ipsa sic testatur: Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes: quasi diceret: Carpite viam, & acquirite me. Locus sapientiæ Deus est, sicut ipsa docet: Ego ex ore altissimi prodivi. Ergo & viam, & locum nosse, Dei est à natura, cæterorum à gratia. Locus sapientiæ dicitur Deus, vel sapientiæ increatæ, quæ in eo ineſt formaliter, ut schola loquitur, vel creatæ, quæ in eo non ineſt; sed ab eo genus ducit, ac efficitur.

Prov. 8. 32. 33.

Eccles. 24. 5

B

℣. 24. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. ℣. 25. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.

PARAPHRASIS.

Deus mundum circumspicit universum, omnia sub cælis existentia per sapientiam contemplatur, & moderatur suam. Ipse ventis propensionem in varia loca indidit, & aquas in nubibus suspendit ea mensura, quæ nec terram obruat, satisque humectet.

C

DIxerat Deum nosse viam sapientiæ, quod hinc evincitur, quòd cum Deus omnia moderetur, & creaturas in numero, pondere, ac mensura condiderit, necesse est, eum non modò viam sapientiæ agnoscere, sed infinita sapientia excellere. Pondus ventorum est naturalis propensio, ut ferantur, quò Dei sapientia decrevit: appensio aquarum est illa suspensio in nubibus, de qua superiùs egimus, quæ ex divinæ sapientiæ præscripto certa mensura definitur, ne nimius aquarum impetus terram deleat, vel parcitas aquæ animantibus, plantisque noceat. Neque mirum, si, ut sapientiam Dei supernaturalem astruat, gubernationem mundi, & nonnullos effectus naturales inducat: primò quippe è duobus his versibus, omnia quæ sub cœlo sunt, Deum respicere, asseruit, ubi supernaturales effectus plurimos complexus est. Quod verò mox addat, Qui fecit ventis pondus, &c. perinde est, ac si eundem esse supernaturalium ac naturalium effectuum autorem disertè fateatur, ut ex omni capite illum sapientissimum esse pervincat, quod è proximo versu confirmatur. Arcanè Deus vento, hoc est, spiritui facit pondus, afflans hominis animum, ut à spiritu agatur, quò decet: aquas appendit in mensura, dum sitienti, arentique animæ stillicidia quædam divinæ suavitatis immittit, ea proportione, quæ arentem recreet, nec perfundat.

D

Dei sapientia ex rerum omnium creatione.

E

℣. 26. Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis sonantibus. ℣. 17. Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit.

PARAPHRASIS.

In ipsa creatione rerum, quando pluvialibus aquis, ne, nisi certis temporibus defluerent, & aquis maris sonitu terribili æstuantibus, ne terminos excederent, imperabat, contemplatus est in se ipso sapientiam, qua omnia condidit? quam cum Angelis primum communicavit: cui mox in hominum animis paravit idoneum locum, ac demum indagare constituit, an sapientiæ firmiter adhæsissent.

F

ANgelis dicitur enarrasse, hoc est, exposuisse, manifestasse, contulisse, cùm eos creavit, & divinæ sapientiæ, gratiæque consortes effecit. In hominibus præparavit ei locum, dum Adam sapientiæ lumine illustravit, vel sapientiam ipsam præparavit, hoc est, aptavit, attemperavit homini. Vel certè omnia in sapientia præparavit, dum res universas attingens à fine usque ad finem fortiter, suaviterque dispositi. Uterque sensus congruit. Denique investigavit, hoc est, requisivit, an sapientia bene usi fuissent; quod ad Dei decretum referendum: nam in creatione, ut & ab æterno sic investigare, explorare, examinare constituit: pauloque post investigatio hæc in Angelis, & postmodum in paradiso terrestri in hominibus exercita: insipientesque morte damnati, sapientes servati, & amplissima remuneratione aucti. Ubi annotandum, sapientiam sic erogari, ut simul agatur de ratione exigenda.

Divinæ sapientiæ manifestatio quid differat in Angelis, & hominibus?

G

Divinæ sapientiæ laus ex rerum omnium apta dispositione.

℣. 28. Et dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.

H

PARAPHRASIS.

Inspiravit Deus homini recens creato notitiam, qua cognovit veram sapientiam in ca-

Scripta An. 1620.

casto Divinæ Majestatis timore, ac fuga peccati consistere.

ERudijt Deus hominem in creatione; præ-
noscens eum immoderata sapientiæ ap-
petentia vexandum, & à Dæmone, ut qua-
si Deus tentaret, sciret bonum & malum,
urgendum: ac si ad hunc modum illum præ-
Superbia hominis præmonita. moneret: Cave, ne quis te seducat, ut effe-
raris animo, cupiens evadere sapiens: en,
instruo te, hortorque, consideres, sapien-
A tiam, quæ te decet, ac proderit, esse timo-
rem meum, quo, uti discipulus mihi docen-
ti acquiescas, & recessum à culpa, ne mi-
hi umquam reluctari audeas. Non hic pres-
sè quærendum, an Iobus propriam sapien-
tiam scholastico more definire, describereve
voluerit: neque enim id ætas illa, vel lo-
cus iste deposcit: sed gravi, sanctoque sen-
su verba accipienda, qui & apud ætatis
nostræ sapientes, piosque creberrimus est,
ut timorem Dei, mortis meditationem, re-
rum cælestium studium, contemptum mundi,
& id genus alia, quæ hominem Deo sapien-
tiæ auctori conciliant, veram sapientiam
LXX. Interpp. dictitare assuescant. LXX. Interpretes pro
verbis illis, Ecce timor Domini, habent,
Ecce cultus Dei: quicquid enim ad Dei cul-
tum pertinet, in hac pia sapientiæ notione
B ponendum.

CAPUT XXIX.

℣. 1. Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam, & dixit: ℣. 2. Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundùm dies quibus Deus custodiebat me?

C PARAPHRASIS.

Iterum Iobus sermonem gravem, sanctumque resumit, aitque: utinam florerem, sicut olim, quando sub tutela Dei eram.

IObi amici silent: ipse verò ita sermonem
producit, ut eis, si velint, locum dicen-
di permittat. Verùm animadvertens eos ni-
hil promere, rursus dicere incipit, comme-
moratque pristinam fœlicitatem, cujus desi-
derium exprimit. Desiderium inquam partis
inferioris benè valere, florereque cupientis,
aut, etiam superioris actu deliberato, id optan
tis ad Dei gloriam amplificandam, promul-
gata recta de ratione divinæ providentiæ do-
D ctrina, quæ ex ipsius calamitate fuerat op-
Iobi deprecatio. pugnata. Oratio ad commiserationem valet
plurimum, quam sic exorditur: Quis mihi
tribuat, &c. hoc est, utinam restituerer in
statum florentem, in quo Deus me tuebatur,
& ad mei custodiam velut excubabat; repu-
lit me, afflixit, tabefecit, ignominia obnu-
psit, ac penè consumpsit, neque mei vide-
tur meminisse velle. Væ mihi, quàm longè
status hic ab illo dissitus est? quèm procul
me rejecit Deus? Hæc Dei custodia, quam
Iobus memorat, ea fuit, quam ægerrimè tu-
lit Satan dicens; Nonne tu vallasti eum, ac
domum ejus, &c. Deus nimirum ipse, non
Angeli modò, in hominis bonum intentissi-
mus, vallat, ambit, circumdat illum, tan-
quam murus æneus, qui non valet perrumpi.
Custodia ergo hæc, quæ animam, corpus,
bona temporaria complectitur, à Iobo expe- E
dita est, doletque quòd rem pretiosissimam
amiserit. Neque obstat, quòd toties mortem
optarit, aut certè optet: animus quippe gra-
viter affectus nunc in hæc, nunc in illa vo-
ta contraria abripitur, quod ad interpretan-
dos affectus dolentium summoperè observan-
dum: neque importuna connexio verborum
inter optata discrepantia, scrupuloso exponen-
di genere exquirenda. Hic annotandum, caput Animadver-
hoc animis internam desolationem, Deique re- sio.
pulsam patientibus esse appositissimum, ac dul-
cissimis querimoniis plenum, & ut ab hoc ver-
su ducamus exordium, satis frequenter viri
rerum cælestium studio addictissimi, quos
Deus olim suavissimis inspirationibus, ac blan-
dimentis demulcebat, cernentes se in derelic- F
tionem, anxietatem, ariditatem, tenebras
interiores à Deo ad experimentum depulsos,
hujusmodi verbis uti solent: Quis mihi tri-
buat, ut sim juxta menses pristinos, secun-
dùm dies, quibus Deus custodiebat me? Pro-
fectò graviter me Deus repulit: imperiosè
rejecit me. Lactabat me olim, ac in delici-
is habebat: modò verò, postquam me abla-
ctavit, videtur oblitus mei. Gaudebam ego
tutela ejus, ac prosperabar: nunc tamen à
custodia illa procul actus, ac derelictus ex-
tabesco. Hæc justorum lamenta boni consu-
lenda: neque arctandus animus, ne dolorem
exhalet.

℣. 3. Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris? G

PARAPHRASIS.

*Utinam res succederent, ut quondam, cùm fa-
vor, ac lumen Dei affulgebat mihi: ut in-
ter calamitates, ac perplexitates caliginosæ
hujus vitæ, inoffensus incederem?*

LUcerna Dei, lumen, instructio, favor
divinus est super caput, hoc est, vitam
Iobi, ut cælitus adjutus, illustratusque omnia
circumspectaret, atque provideret, rectis- H
que consiliis tenebras discuteret, hoc est,
ærumnas, labores, difficultates superaret. Ex
quo effici videtur, Iobum, etiam dum pros- Iobi conquæ-
peraretur, non caruisse laborum exercitio, stio.
quod proprium justorum in hoc exilio est:
ne quis inopinus affingat Iobo fœlicitatem

quan-

Scripta An. 1610.

quandam cujuſvis adverſitatis expertem, quod hujus mortalis vitæ conditio minimè fert. In arcano verò ſenſu planè ſuavis eſt conqueſtio hæc: Hei mihi, ait Iobus derelictus, quàm infœlix ſum? Olim lucerna Dei, claritas, & formoſa valdè lux illuſtrabat me, ac exilarabat, ut occurrentia mala conſtanter ferrem, aut certè generoſiùs aſpernarer: at nunc denſa caligine obducor, nihil diſcerno, & mœrore confectus, oculis captus mihi videor.

A

℣. 4. Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo? ℣. 5. Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei?

PARAPHRASIS.

B *Vivere opto, quemadmodum in adoleſcentia vixi, ſecreta Dei domum meam inhabitantis neceſſitudine uſus: ac in ætatis proceſſu, quando potentiſſimus Deus me proſperabat, & liberorum, ac famulorum corona cingebat.*

ILle dicendi modus, Quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo, ſignificat ſecretum agendi cum Deo morem, ita ut Iobus Dei præſentiam ſentiens, puta dum clauſus orabat, & meditabatur, animadverteret Deum ſibi eſſe propitium, ex quo ad ipſius cultum ardentius inflammaretur: quod profectò in ætate adoleſcentiæ, quæ vix fræni patiens

C eſſe ſolet, ſæculo præſertim illo inculto, mirabile eſt. Pro verbis his, Quando ſecretò

LXX *Interpp.* Deus erat in tabernaculo meo, LXX. ſic habent: Cùm Deus ἐπισκοπὴν viſitationem faciebat domus meæ: quod curam ſanè miram Dei res Iobi circumſpicientis, & fortunantis ſignificat, ut mala arceret, bona ſervaret, augeret. Quod verò ſubditur, Quando Omnipotens erat mecum, &c. ad ætatis proceſſum pertinet, uxore ducta, liberis procreatis, numeroſo famulitio delecto, quibus omnibus eventu ſecundo florentibus, Omnipotens cum Iobo fuiſſe, hoc eſt faviſſe, opem tuliſſe, roboraſſe, ſecundaſſe aſſeritur. Quæ certè omnia, dum à Deo repulſus, filiis, famulis, opi-

D bus expoliatus, recenſet, triſtia porrò canit. Arcanè verò, qui ſecreta Dei familiaritate fruitus in derelictionem, hominumque averſionem incidit, dici nequit, quàm acerbè diſcrucietur: cujus affectus in hæc verba repræſentari poſſunt: Quis det, ut in ſtatum reponar illum, quo Deus ſecretò morabatur in animo meo? Quando ſcilicet, ſtatim ac me abdebam, clauſoque oſtio intentus orabam, videbar mihi Dei facilitatem experiri, ſuaviſſimaque ipſius præſentia roborari? Quomodo evanuit neceſſitudo illa, opibus, ac regnis pretioſior? Heu, quàm infæliciter langueo, poſtquam ſe Deus mihi ſubtraxit, & quaſi ex amœniſſimo paradiſo, ubi fructu cæleſti alebar, ad ſteriles Libiæ arenas prædonibus expoſitum, ac tabeſcentem ablegavit.

℣. 6. Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei?

E

PARAPHRASIS.

Rediret, opto, proſperitas illa rerum abundè affluentium, cum tanta eſſet butyri exuberantia, ut pedes eo abluere poſſem, tanta olei copia, ut è ſaxoſis locis rivi olei ſcaturire viderentur.

PEriphraſis ubertatis eſt, lavare pedes butyro, qualis illa Iacob in benedictione Iudæ, Lavabit in vino ſtolam ſuam. Quod verò additur, Petra fundebat rivos olei, perinde eſt, ac ſi Iobus diceret, Petricoſi montes, velut ad nutum olivarum ſeraciſſimi, eam fructus abundantiam protulere ut non tam hydrias, utreſve olei exprimerem, quàm rivos largè fluentes acciperem, quod faventi tunc Deo aſcribendum. Subnotat à contrario, omnia ſibi nunc ſterilia, quaſi terra nihil jam ſuave Iobo pareret, ut queſtus eſt ille: *Gen. 49. 11.*

F

Triſtia deformes pariunt abſinthia campi,
Terraque de fructu quam ſit amara docet.

Poteſt autem Iobi ſenſus ita reddi: Dolendum eſt, in quantam ego calamitatem inciderim, qui olim lacte, ac oleo, cæteriſque bonis affluebam quaſi terra ad nutum mihi

G ſerviret. Profectò nunc pro rivis lactis, & olei cerno ex hoc meo corpore tabido, ac ulceribus exeſo rivos tabis effluere. Arcanè autem ſic juſtus à Deo repulſus eloquitur: Hei mihi, quàm videor mihi mutatus ab illo qui quondam fui? Recordor ego, puro divinæ conſolationis balſamo me ſolitum fuiſſe adeò copiosè perfundi, ut non mens tantum, ſed corpus quoque uſque ad ipſos, ut ita dicam pedes cæleſti voluptate afficeretur. Tunc ſanè petra, hoc eſt, aſpera, duraque virtutis diſciplina fundebat mihi rivos olei, adeò ut ex ipſis vitæ auſterioris exercitiis, jejuniis, verberibus, vigiliis delicias caſtas elicerem. Nunc verò verſa eſt in luctum lætitia, nihilque niſi mœſtum, durum, aculeatumque ſuccedit. Precor ergo, qui videor obiiſſe, renaſcar. Et hic profectò ſenſus arcanus mirificè Iobo ipſi congruit, quem interna deſolatio immaniter divexavit: at & aliis Iobo ſimillimis conſentit.

Interna Iobi deſolatio.

H

℣. 7. Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi? ℣. 8. Videbant me juvenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſta-

bant

Scripta An. 1610.

bant? ℣. 9. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo. ℣. 10. Vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.

A

PARAPHRASIS.

Vellem eſſe, qualis fui, dum è regiis ædibus prodirem ad jus dicendum in urbis porta, ubi judicium exerceri conſuevit: quando ſcilicet in area eò deſtinata ſubſellium mihi inſtruebatur, ut ex eo populum judicarem, atque docerem. Tunc ſanè, qui aderant juniores, conſpectum meum ferre non valentes, præ reverentia ſe inde proripiebant: ſenes verò aſſurgebant mihi, præ obſervantia ſtare coram me ſoliti. Optimates cœptum intermittebant ſermonem, aliique alios, digito labiis impoſito, ſilentii admonebant. Militum ductores mox ſupprimebant vocem cùm lingua venerationis ergò velut obſtupeſceret.

B

PEriphraſis eſt pulcherrima, & ad regiam majeſtatem deſcribendam opportuniſſima. Cathedra, ſive ſedes judiciaria parata, atque inſtructa, proceſſus ex aula, cum comitatu videlicet idoneo, adoleſcentium fuga, ſive abſconſio, ſenum aſſurgentium, & ſtantium veneratio, optimatum, ducumque ſilentium, ſigna ſummæ apud cives auctoritatis, prudentiæ, ac juſtitiæ ſatis luculenta ſunt, quæ nemo queat inficiari. Hæc ergo cum adverſo ſtatu comparata, atque perpenſa dolorem exacerbant, ut meritò Iobus dicere

C

valeat: En ego, qui auctoritate ſumma valui, quò decuſſus ſum? pro cathedra ſterquilinium, pro comitatu vermes, pro reverentia juniorum contemptus, pro ſenum honore deriſio, pro Principum, ac ducum ſilentio calumniæ, & criminationes, pro lætitia ſupremus mœror. Et hæc quidem in arcanum ſenſum facilè traduci poſſunt, aptarique viris gravibus vitæ ſanctimonia inſignibus, quos Deus à ſua conſuetudine repellit, & in hominum deriſum inglorios tradit, ut graviſſimis præliis examinati ampliſſima corona remunerentur. Obſervandum hic, quàm urbanè gens illa Auſitis ageret, quæ juvenes verecundos, ſenes obſervantiæ conſcios, optimates, ac duces comiter ſilere, majoribusque cedere aſſuetos nacta eſt. Fortaſſe pars magna cultus illius Iobo tribuenda: non origo, ſed expolitio, quam ætas noſtra æmuletur.

Animadverſio.

D

℣. 11. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. ℣. 12. Eo quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & cui non eſſet adjutor ℣. 13. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum.

PARAPHRASIS.

Fama rerum mearum regiones multas pervagata fuit, adeò, ut qui auditu eas acciperent, me beatum prædicarent, multoque magis teſtes oculati encomium augerent. Quod inter alia inde ortum videtur, quod inopes, & orphanos elatis vocibus opem implorantes in libertatem aſſeruiſſem. Et quidem id familiare fuit, ut, qui calamitate, aut violentia interirent, à me liberaliter auditi mihi bene precarentur, viduæque, quibus re nulla deeram à me ſolatium haurirent.

E

NOminis claritatem antiquam Iobus commemorat, non vanè conflatam, ſed ab egregiis virtutum, miſericordiæ præſertim, ac juſtitiæ actibus exortam, quod & ex his verſibus, & aliis mox explanandis apertè perſpicitur. Boni quippe Principis eſt, ejuſmodi operibus nomen parare, ac amplificare

F

ſuum, quæ animos ſubditorum concilient, quos in Principe ipſo ſpem firmiter collocare decet, affuturum ſibi, ſi quid adverſitatis ingruat. Profectò benè Reſpublica temperatur, ubi potentiores, ac inſolentiores comprimuntur, & indigi ita ſublevantur, ut Principi ex animo fauſta precentur, & velut parentem, ac tutelarem ſuum intueantur. Ergo Iobus fama clarus apud exteros, auditu res geſtas accipientes, & apud ſuos res ipſas ſpectantes: qui acclamationes popularium audivit è clementiæ actibus exortas. Illud, Benedictio perituri, tantundem eſt, ac laus, fælicitatis precatio, ejus, qui, niſi à me fuiſſet ereptus, omnino periturus erat. Pro verbis illis, Cor viduæ conſolatus ſum, LXX. habent: Os viduæ benedixit mihi. Aliqui ex Hebræo vertunt, Cor Viduæ canere feci. Omnia præſentiſſimum Iobi in viduas auxilium commendant. Et verò, ex his omnibus argumenta doloris producit, qui à nemine ſublevetur, & contumeliis exagitatus intereat.

Bonum Reipublicæ regimen.

G

LXX. Interp.

℣. 14. Iuſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento, & diademate, judicio meo.

PARAPHRASIS.

H

Non ſuperbè trabeatus, ſed juſtitiæ operum veſtimentis ornatus inceſſi, neque id leviter, ſed accuratè, ut judicium, quod ex æquo exercui, cùm jus dicerem, mihi amictus, & regia corona foret.

PRetioſiſſimus profectò hic ornatus eſt, in quo non mollis animus opere phrygionico delectatus, ſed virilis fortitudo luxus

con-

Scripta An. 1610. contemptrix, & virtutum ornamentis capta se prodit. Ex hoc loco censendum, Iobum in jure dicendo fuisse justissimum, ut regio diademate se rem indignam committere arbitraretur, si jus violaret. Ius dixit, nam is perantiquus regum mos fuit.

℣. 15. Oculus fui cæco, & pes claudo. ℣. 16. Pater eram pauperum: & causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam. ℣. 17. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

A

PARAPHRASIS.

Neque misericordiæ, neque justitiæ neglector fui: nam quod ad miserendum attinet, cæcis & claudis benignè opitulatus, eis fui pro oculis, & pedibus, ac universè in omnes inopes paternam providentiam exercui. B *Quod verò ad justitiam pertinet, mos mihi fuit, Antequàm pronuntiarem, causam exactè discutere, si quid nescirem, maturè, ac perquam sedulò explorare, ne injustam sententiam ferrem. Quòd si inermem, auxilioque destitutum ab iniquo vexatore opprimi nossem, consuevi vim afferentem imperiosè coercere, ac velut è leonis faucibus prædam eripere.*

SAtis luculenter Iobus sua sensa profert, miramque vitæ integritatem describit, quam utinam universi judices Christiani æmularentur. Obsservandum hìc Principem ita Reipublicæ caput esse debere, ut & oculus cæcorum, & pes debilium plerumque fiat: mirificè quippe hæc officia dignitati supremiæ congruunt, cum inter mortales onus Reipublicæ administrandæ ita Principi imponatur, ut pondus gestare, non excutere, ac proculcare debeat. Fuit Iobus non solum causarum delatarum sedulus, & perspicax cognitor, sed malorum, si fortè in Rempublicam obrepsissent, perquisitor, quod illis verbis indicasse videtur: Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam, hoc est, perlustrabam urbem, & sciscitabar, an causa subesset aliqua, quæ judiciaria discussione indigeret. Elegans est metaphora illa: Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam: sunt nimirum in Republica leones, ursi, aliæque feræ, sunt oves, agni, aliaque mitia, ac simplicia animantia, quæ cedunt in violentorum prædas, quas auferre, eripere, vindicare justi Principis est.

Utilissima animadversio

C

D

℣. 18. Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.

PARAPHRASIS.

Cùm florerem, dicere solebam, me in commoditate domus, in qua tanquam avis in nido bene coaptato quiescebam, tranquillè moriturum, sed ante obitum diutissimè, more palmæ per annos plurimos crescentis victurum.

HÆC profitetur Iobus se cogitasse, dum res prosperè cederent: nunc verò dolens fatetur, se votis contraria passum, qualia tulit ille miser, qui sic scripsit: E

Sic animo quondam non divinante futura — *Ovid. l. 4. Trist. el. 8.*
Optabam placidè vivere posse senex:
Fata repugnarunt: quæ cùm mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posterìora gravant.

Pro verbis illis, sicut palma, aliqui vertunt, sicut Phœnis, φοῖνιξ, avis scilicet illa, quæ symbolum diuturnitatis est, nam ab aliis quingentos, ab aliis sexcentos, & amplius annos vitam protendere dicitur. Congruit niduli mentio, in quo Iobus se obiturum ajebat, quia Phœnix post longissimæ vitæ decursum nidum ex odoratis lignis surculisve construere, seque ibi spontè concremare, ut è cineribus renascatur, asseritur, quod à scriptoribus multis celebratum est. *Lectio alia.* F

℣. 19. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. ℣. 20. Gloria mea semper innovabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur. G

PARAPHRASIS.

Dicere solebam adhuc prosper, esse me persimilem arbori, cujus radices expansæ juxta decurrentes aquas vitam longam hausissent: fore item, ut sicut ros confert ad messionis tempus, ne grana è spicis nimia ariditate dissiliant, ita mihi favor divinus adesset, ne prosperitas mea ante horam, qua velut mortis falce demeterer, inarescens dissiparetur. Pollicebar quoque mihi gloriam perenniter amplificandam, & robur arcu notatum semper augendum.

MUltiplex metaphora perelegans est: videturque radix, de qua in hoc versu fit sermo, esse palmæ illius, de qua proximo versu scriptum est, quæ videbatur longissimè duratura. Ros verò ille ad peritiam rei rusticæ pertinet, ne nimia siccitas expectetur, ut spicæ vix falce attactæ grana excutiant: sed optetur ros matutinus, ac vespertinus, qui segetes humectet, ut sine detrimento sectionem ferant. Sensus Iobi est, cogitasse se H

Scripta An. 1610. ita fore, ut ad mortem usque pro mortalis vitæ conditione fortunatissimus esset, ac in morte quoque ipsa nihil ei è cælo deesset, quod ad secundos eventus expeti posset. Quod autem ait, Arcus meus instaurabitur, perinde est, ac robur armis, puta arcu, & sagittis, notatum augebitur, confirmabitur, constabilietur. In arcano sensu exploratum est, eam interdum cælestis ubertatis copiam affluere, id robur adesse, ut videatur sibi ju-
A stus diutissimè in eo sensu perseveraturus, quasi usurpet illud, Non movebor in æternum. At inopinata derelictio, & vexatio rei veritatem evincunt. Annotandum hic non obstare has Iobi pollicitationes timori illi, quem capite tertio expressit in hæc verba: Timor, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit. Timuit nempe quod accidit, at simul sperare, ac sibi læta promittere potuit.

Psalm. 29. 7. Animadversio.

℣. 21. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. ℣. 22. Verbis meis addere nihil
B audebant, & super illos stillabat eloquium meum. ℣. 23. Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.

PARAPHRASIS.

Ea erat doctrinæ meæ opinio, ut auditores impensè cuperent noße, quid de rebus sentirem, tacitique sine reniſu consilia mea exciperent. Cumque verbis meis tanquam justa trutina perpensis adjungere nihil auderent, mirificè illa, ut roris guttas cælo delapsas accipiebant. Mos erat, me dicturum, quasi terra pluviam, cùm æstu debiscit, expectare: ea verò qua dicebam hora, oribus apertis, velut imbrem ad finem anni usualis ad fruges maturandas cadentem haurire.
C

RHetorica, & poetica simul amplificatio est famæ, quæ de Iobi sapientia percrebuerat. Circumstantiæ expensione dignæ sunt, avida expectatio, silentium auditorum, assensus consilijs præstitus, verborum, quibus nihil addebatur, æstimatio. Metaphoræ à rore, pluvia, imbre peropportunæ sunt ad animos sitientes, doctrinæque cupidissimos significandos. Imber serotinus est, qui ad finem anni agricolarum more computati decidit ad fruges maturandas, ut laboris totius fructus obtineatur. Iobus ergo sapientiæ, ac eloquentiæ famam commemorat, quasi conqueratur, eo se fuisse dejectum, ut a nemine patienter audiatur, à nemine ipsius consilia probentur. Congruit claris doctoribus, & concionatoribus, quos Deus, postquam satis
D

claruerunt, ad salutem exercere; ac negotui exponere solet, ut merita maiora perquirant.

℣. 24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram

PARAPHRASIS. E

Ridebam interdum, ut gravitatem hilaritate temperarem, & quos auctoritate in officio continebam, benignitate permulcerem: & tamen non credebant spectatores me serio ridere, tantam illis venerationem majestas incußerat. Atque ita lux, sive benignitas vultus contemptum minimè inducebat.

SIgnificanter admodùm regiam majestatem repræsentat. Ille dicendi modus, Lux vultus mei non cadebat in terram, indicat, hilaritatem vultus non induxisse in animos populi modicam existimationem, quam familiaris risus solet ingenerare. Sensus ergo erit, non cadebat in terram, hoc est, hilaritas mea, vultus meus placidus, benignus, benevolus non degenerabat in utilitatem, ut propterea spernerer. Alij existimant sensum esse, non cadebat in terram, hoc est, non concidebat, non obscurabatur vultus, non apparebat dejectus, turbulentus, tristis, quod ad populi gubernationem, & conciliandos sibi animos opportunissimum erat. Aspectus videlicet Principum benevolus, animos, quò velit, inflectit.
F

Alia textus explicatio.

℣. 25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.
G

PARAPHRASIS.

Cùm ad consessum optimatum accederem, prima mihi deferebatur sedes, ubi licèt, ut verus Princeps præsiderem, primoribus, quasi lecto agmine cinctus, majestatem facilitate temperabam, verumque afflictorum consolatorem meipsum exhibebam.
H

ILlud, Quasi rex, non elevat vim, ac si Iobus non fuerit verus rex, sed aliquid regi simile: modus quippe ille familiaris est, juxta quem dicitur Christus habitu inventus ut homo, hoc est, verus homo. Et quidem ex hoc capite liquet, Iobum gessisse magistratum supremum, quocumque nomine vocetur; Quod vero ait, Eram tamen mœrentium consolator, tantundem est, ac, Ita me gerebam ut dignitatis sublimitas nullam inopum, afflictorum, lugentium oblivionem induceret. Quocirca vehementer dolet se mœrentem, ac

ad Philip. 2. 7.

penè

Scripta An. 1610.

pènè morientem à nemine humaniter accipi, quod est expensione dignum, & animum graviter afficit.

CAPUT XXX.

A

¥. 1. Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei: ¥. 2. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.

PARAPHRASIS.

B *Ego, qui quondam florui, & summis honoribus cultus fui, modò irrideor à minoribus natu, quorum primos indignos ducebam, quos cum meorum gregum canibus compararem: quorum opera adeò mihi inutilia videbantur, ut eos vita dignos minime censerem.*

DEscripsit capite proximo statum prosperum, modò adversum: aitque se haberi neglectui, atque deludi ab iis, qui abjectissimi essent, quorum patres, hoc est, primos antiquo dicendi more, non æquavit canibus, quos gregum custodiæ destinarat. Virtutem manuum, pro operibus posuit, quæ nullius erant pretii: cetera patent. Observandum tamen, Iobum non hæc ex fastu, & aliorum despectu protulisse, qui sanè mitissimus fuit: sed rei genus vulgari dicendi more ad rem appositissimo significasse. Potuit videlicet absque ulla culpa promere, se olim non fuisse dignatum inutiles homines cum canibus sibi utilioribus conferre: atque adeò existimasse illos vita indignos, qui nulli usui esse viderentur, solummodò numerum mortalium augerent, terramque inutili pondere onerarent.

Animadversio.

C

¥. 3. Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate, & miseria. ¥. 4. Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.

D

PARAPHRASIS.

Ii, à quibus deridcor, erant homines abjecti, inopia, & inedia consumpti, qui in desertis locis radices plantarum corrodebant, languidi, ac sordidi desolatione, ab ærumnis deformati: quorum victus erant herbæ, arborum cortices, ac juniperi præsertim radix.

MIrum videtur, quòd radicem juniperi esculentum faciat Iobus: at fortasse id apud inopes Arabes. Inter herbas, quas depascebant isti derisores, à LXX. Interpretibus ponitur ἄλιμα alima, herba scilicet quædam, quæ comedentem citò explet, atque saturat.

E

LXX. Interpp.

¥. 5. Qui de convallibus ista rapientes, cùm singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. ¥. 6. In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel super glaream. ¥. 7. Qui inter hujuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.

F

PARAPHRASIS.

Ex hoc liquet conditio derisorum meorum, quòd præ fame in valles in montium medio jacentes irrumpebant, ut vilissima esculenta diriperent, & quasi lautas escas invenissent, ad eorum singula reperta clamitantes convolabant. Quid, quod in deserto, quà torrentes decurrunt, vel in antris, vel certè in arena ripis proxima sub dio morabantur, & inter hæc ipsa hilares, tuguria spinis, vepribusve contexta, voluptuosum domicilium existimabant?

G

MIrificè rem amplificat rethoricis, ac poeticis excursibus, qui disertum virum facilè demonstrant: Et quidem passim suppetunt extremæ inopiæ luctuosa exempla, quibus quotidie discimus, quicquid hic Iobus olim observavit, planè verum esse.

¥. 8. Filii stultorum, & ignobilium, & in terra penitùs non parentes. ¥. 9. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium. ¥. 10. Abominantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur.

H

PARAPHRASIS.

Hi, quos extremâ inopes descripsi, homines sunt natalium obscuritate infames, utpote filii hominum insipientium & vilium, nihil prorsus claritatis exhibentes. Et tamen de me irrisoria carmina edunt, & in exemplum

Scripta An. 1610.

contemptus usurpant, Graviter me oderunt, proculque refugiunt, & quod est ignominia plenum, faciem ipsam meam impudenter conspuunt.

PRofectò viri justissimi despectus non videtur ulteriùs valuisse procurrere. Versus fuit in canticum, ut de ipsius calamitate inepta carmina vulgò jactarentur. Factus fuit in proverbium, hoc est, calamitatis exemplum, ad imprecationes, vel hyperboles, ut cui malum vulgares homines imprecarentur, dictitarent, Contingat tibi Iobi calamitas: vel cùm ærumnosissimum aliquem describere vellent, dicerent, Est Iobo ærumnosior. Quod verò de facie sputis deturpata subjungitur, ut jacet, accipiendum est: Verè scilicet petulantes homines in Iobi faciem inspuerunt: neque subest ratio efficax, aut valde nervosa ad rem in hyperbolen, aut metaphoram detorquendam. Ex his liquet, Iobum Christi figuram prætulisse, qui derisus, & conspútus fuit.

A

Iob in proverbium adductus.

Iob Christi figura.

℣. 11. Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in os meum.

B

PARAPHRASIS

Deus tot me calamitatibus afflictans, quasi scopum sibi proposuit, in quem malorum sagittas velut è pharetra depromptas jacularetur. Sanè quasi equum ferocientem fræno in os impacto coercuit.

ELegans translatio est, qua pingitur Deus pharetram gestans, aperiens, sagittas promens arcui, adaptans, & excutiens: Pingitur etiam, ut validus equorum domitor, frænum indens, adstringens; ut ea ratione calamitas, qua homo subiugatur, fræno notetur: quemadmodum pharetra significatur divina providentia, è qua sagittæ calamitatum promuntur, quæ in homines collimantur, ac in finem divinæ gloriæ tandem diriguntur. Non abs re Iobus usurparet illud cujusdam afflicti, qui sibi vivere videbatur, ut novis semper malis premeretur:

C

Ovid. l. 1. de Ponto ep. 2.

Vivimus, ut numquam sensu careamus amaro,
Et gravior longa sit mea pœna mora.
Sic inconsumptum Titij, semperque renascens
Non perit, ut possit sæpè perire iecur.

Iobus redintegratis prælijs, semper infestatur & creberrimis malis urgetur. Potest autem sic loquens induci: Deus in me jacula vibrat me fræno compescit: doleoque vehementer; nam neque hostis ejus sagittis petendus sum, neque indomitus equus, qui validè domari debeam. Semper illum colui, semper jubenti obtemperavi.

D

℣. 12. Ad dexteram orientis calamitatis meæ illico surrexerunt: pedes meos subverterunt, & oppressérunt, quasi fluctibus semitis suis.

PARAPHRASIS

Quasi ad latus dextrum nascentis ærumnæ meæ statim mei adversarii astiterunt, pedes ad lapsum impulere, sibique per me calcatum semita, seu via facta me malorum velut undis obruerunt.

E

NOtat expeditionem adversariorum ad nocendum: qui mox ac Iobum à Deo percussum videre, auxere cruciatum, quasi oriens, sive incipiens calamitas, vir aliquis esset, cujus dextrum latus cohors adversariorum Iobi cingeret, ut facto impetu illum prosterneret. Quocirca appositè subdit, Pedes meos subverterunt, & oppressérunt semitis suis, per medium nempe Iobum prostratum factis: quas fluctibus similes ait, ob multitudinem, ac impetum malorum per eas semitas apertas ingruentium. Interpretes multi sic legunt: Ad dexteram orientis calamitates meæ; quasi à meridionali parte, quæ est dextera pars hemisphærij nostri, cujus pars anterior est oriens, Iobi calamitates inceperint, quod ad prædas illas armentorum à Sabæis ad meridiem habitantibus factas pertinere videtur.

F

℣. 13. Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt, & non fuit, qui ferret auxilium. ℣. 14. Quasi rupto muro, & aperta janua irruerunt super me, & ad meas miserias devoluti sunt.

PARAPHRASIS.

Hostes mei interceperunt me iter facientem: ex insidijs me adorti prostravere me, neque fuit, qui cadenti adesset. Quemadmodum milites in obsidione, diruto muro, portisque convulsis, irrumpunt in urbis prædam, ita inimici mei ad mea damna impressionem fecerunt.

G

PEtit metaphoras multiplices nunc à latronibus clam insidiantibus, mox palàm aggredientibus, nunc à militibus, muro eversо, portisve captæ urbis effractis, ad prædam diripiendam validè se proripientibus, quod & ad primos prædonum Sabæorum, & Chaldæorum insultus, & ad Satanæ domum, ubi Iobi liberi vescebantur, concutientis impetum, & ad posteriores hostes, ac irrisores, demumque ad ipsas calamitates, dolores, angores, mœrores pertinet. Rhetorica quippe afflictionis summæ descriptio est. Dissipare iti-

H

Scripta An. 1610.

itinera, perinde est, ac gradientem invadere, ac præpedire, ne ulteriùs iter faciat, quod ad prosperitatis iter interceptum attinet. Cætera patent. In arcano sensu, animum fœliciter gradientem, hilarem, vegetum solet Deus hostibus agminatim irruentibus ad examen exponere: in quem illi alacres, quasi patefactis obsessæ urbis portis insiliunt.

A

℣. 15. Redactus sum in nihilum, & abstulit quasi ventus desiderium meum: & velut nubes pertransijt salus mea.

PARAPHRASIS.

Videor prorsus defeciſſe, quia quicquid optabile habui, tanquam rapido vento à te Deus abreptum eſt: proſperitaſque mea, ut nubes celerrimè diſſipata evanuit.

SUppositum verbi, Abstulit, Deus est, cui tribuitur ablatio bonorum temporalium, ut permissori, ac pravarum actionum, quæ à peccatoribus exercentur, directori. Dirigit enim malos conatus in bonum finem, ut salus afflictorum constet, gloriaque divina splendidiùs amplificetur, ut ex hac Iobi historia perspici potest:

B

Deus etiam mala in bonum dirigit.

℣. 16. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.

PARAPHRASIS.

Incredibili modò defectione languco, & mœstiſſimis diebus hiſce conſumor.

VErbum, Marcescit, defectionem, lethalemque languorem, significat: dies verò afflictionis, hoc est, mœstissimi, dicuntur languentem possidere, quasi Iobus totus à doloris, ac mœroris magnitudine possessus, dominatuique afflictionum traditus fuerit. Dicere posset illud:

C

Me quoque debilitat ſeries immenſa laborum,
Ante meum tempus cogit & eſſe ſenem.
Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis.
Immodicus contrà carpit utrumque labor.

Ovid. l. 1. de Ponto ep. 5.

℣. 17. Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. ℣. 18 In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me. ℣. 19. Comparatus sum luto,

D

& assimilatus sum favillæ, & cineri.

PARAPHRASIS.

Noctu, dum alij quieſcunt, dolores ſubtiliſſimi oſſa mea pervadunt, & vermes ex pute geniti vigilant, ut me depaſcant. Horum numerus innumerabilis dilacerat cutem meam, turmatimque illi aſcendentes, ac ſe velut orificium veſtis, quo collum cingitur, agglomerantes me coarctant. Profectò in extremam vilitatem deveni, ut meritò cum cœno proculcato favilla, cinereque in ſterquilinia rejecto comparer.

E

DOlores notat acerrimos, qui ossa perforare, terebrare, penetrare dicuntur, quia usque ad medullas sese subtiliter ingerunt. Conqueritur Iobus, se dilacerari, atque depasci à vermibus ex purulenta materia genitis, quibus scatebat, quòd sanè lugendum spectaculum est. Vestimentum suum ab alijs intelligitur cutis, quæ certè metaphora mihi non displicet: ab alijs proprium vestimentum, quod sanie, ac vermium discursibus tabefactum videretur. Quod verò subditur, Quasi capitio tunicæ, perinde est, ac si diceretur, Vermes gregatim ad collum congłobatos fauces cinxisse, ad eum modum, quo supernum tunicæ orificium, quod hîc capitium appellatur, collum ambit, quod profectò horrorem incutit. Ex hoc autem efficit, se contemptui expositum maximo, ac si luti, cineriſque projecti congeries foret. Observent hîc, qui delicatè vivunt, quò decurrerit vir clarissimus, quid sentiret, qui corpus regio more olim cultum, sanie resolutum, vermibus exesum, fœtidum, horrendè deformatum, dirè doloribus trajectum, & gravissimis tentationibus, angoribus, mœroribus infestatum in loco abiectissimo ludibrio habitum cerneret. Etenim ex hoc cinere, ut Phœnix, renasci debuit.

F

Iobi conquestio.

Animadversio.

G

℣. 20. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. ℣. 21. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi.

PARAPHRASIS.

Accedit ad malorum cumulum, quòd te, ſumme Deus, imploro, & inclamo, neque exoro: aſſiſto ut famulus obtemperaturus quàm poſſum exactè tibi, nec dignaris me ſaltem intueri. Profectò, qui olim mihi longè propitiabaris, immiſericors nunc videris, qui averſa manu durè me cædis,

H

Hic

Scripta An. 1610.

HIc conqueſtionis modus planè amatorius eſt, à conſcientiæ puritate genitus. Sto, inquit, ut famuler ſcilicet tibi. Stare quippe habitus famuli ad opus expediti eſt, ſicut patet ex illo Saul: Stet David in conſpectu meo. Et mirum, inquit Iobus, quòd famulum fidum tibi obſequi paratum, tibique aſſiſtentem nolis ſaltem inſpicere. Illud verò, Mutatus es mihi in crudelem, alludit ad tempus anteactum, quando cuncta ſecundè cedebant; Tunc manus lenis, blanda, propitia; nunc aſpera, dura, averſa. Verba hæc Iobi animis pijs graviter affectis æſtuantibus, in agone laborum anxijs mirificè congruunt: neque ſeverè cenſenda.

1. *Reg.* 16. 22.

A

℣. 22. Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me validè.

PARAPHRASIS.

Me tanquam vas fictile utraque manu in ſublime extuliſti, ac nervosè terræ illiſum attribuiſti.

B

ELegans methaphora eſt petita ab ijs, qui vaſa figulina, ſeu vitrea in altum ſublevant, ut illiſa lapidi minutatim conterant: quaſi Deus ſic Iobum in ſublimitatem proſperitatis extuliſſet, ut inde validiùs exturbaret, totumque protereret. David hac phraſi uſus: Elevans alliſiſti me.

Pſal. 101. 11.

℣. 23. Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi. ℣. 24. Verumtamen non ad conſumptionem eorum emittis manum tuam: & ſi corruerint, ipſe ſalvabis.

C

PARAPHRASIS.

Ita te geris erga me, ut omnino credam, me citò è vita te jubente migraturum in ſepulchrum, quod eſt commune mortalium domicilium. At eſt diſcrimen inſigne, quòd alios non adeò cædis, ut conſumas, imò, ſi incidant in adverſitates, ſalvos, ſoſpitesque facis: me vero graviùs plectis.

IDoneus calamitatis expenſor Iobus, qui animadvertens, quàm acerbè à Deo tractaretur, ait: Scio, quia morti trades me, hoc eſt, tam validè, me ex alto eliſiſti, ut proculdubio mihi perſuaſerim, velle te ſepulchro me inferre, ubi omnes viventes tandem reconduntur; At nequeo non lugere ſortem meam, quia licèt omnes mortales tumulandi ſimus, nemo tamen eſt, in quem mittas manum, hoc eſt, cædes, affligas, vexes uſque ad conſumptionem, ut percellis me. Quin potiùs alios leviter tactos ſoſpitas, & cadentes ſublevas; quod planè miror: neque enim ego mortalium omnium peſſimus ac protervisſimus ſum.

D

℣. 25. Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. ℣. 26. Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ. ℣. 27. Interiora mea efferbuerunt abſque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.

E

PARAPHRASIS.

Sane ut crudelis torqueor, cum tamen mihi jamdiu familiare olim fuerit ex afflictorum commiſeratione intima vim lachymarum effundere, & inopum ex animo miſereri. Quæ certe opera longævæ proſperitatis expectationem excitarunt: at pro bonis ſperatis inſperata mala ingruerunt, pro luce fœlicitatis auctæ calamitatum obſcuritas incubuit. Quid dicam? ſentio viſcera mea, cor inprimis immoderata agitatione concuti, ac ſine quiete ulla æſtuare; nimirum tempus luctuoſum, ac ærumnoſum inopinatò mihi contigit.

F

HOc ſtruit argumentum Iobus: Ego miſericordia excellui, ſenſu videlicet alienæ miſeriæ, lachrymis ejus teſtibus, operibus ut aſſertoribus. Ex quo pollicebar mihi prælongam vitæ proſperitatem, cùm videretur rationi conſentaneum, opibus affluere eum, qui tam beneficus, ac munificus eſſet; diù fortunari, ac honorari eum, qui nihil niſi pium, & Reipublicæ ſalutare meditaretur: at longè alia patior, quàm ſperaveram, pro divitijs inopia, pro luculenta gloria ſucceſſit obſcuriſſima ignominia. Quid, quòd & viſcera æſtuant immodico, ac noxio calore concitata, cor abſque inducijs ullis palpitat, atque ſubſultat, tempuſque ærumnoſiſſimum contra votum occurrit, poſſet vir juſtiſſimus uſurpare illud:

Iobi argumentatio.

G

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

Annotandum, pleroſque pijſſimos Dei cultores, tunc præſertim, cùm religioſius agunt, & eximia pietatis opera exercent, ut meritò ſibi videantur peculiare aliquod divinæ benevolentiæ ſignum expectare, graviùs premi, ac in triſtiorem animi aridita-

Animadverſio.

H

tem & deſolationem incidere.

℣. 28. Mœrens incedebam ſine furore, conſurgens in turba clamabam. ℣. 29. Frater fui

dra-

Scripta An. 1610.

draconum, & ſocius ſtruthionum.

PARAPHRASIS.

Tot, tantiſquè malis ſaucius mœrere in hac mea vexatione abſque ira ſolitus ſum: deficiunt quippe vires, ut jam ira, paſſio nempe acuta, & acris excitetur. At interdum recrudeſcente dolore ex accubitu ſurrexi, & in frequentia populi me ſpectantis vocem mitis extuli, ut dolorem lenirem. Neque mirum, nam conſanguinei mei, ut ſerpentes ſibilarunt in me, & ſocij, ſive amici ita me dereliquerunt, ut ſtruthiones ova ſua deſerere ſolent.

DEſcribit hic Iobus miſerrimum ſpectaculum, ſe videlicet ſolitum mœrore concidere, ac ſine furore, hoc eſt, ira vehementi, jam viribus exhauſtis, per loca vicina incedere. Eò nimirum mœſtitia quandoque hominem adducit, ut cùm defectione ſumma iræ acrimonia conciliari nequeat. Fert ergo injurias laſſus, ac extremè defatigatus, & mœret, neque adverſus contumelioſos excandeſcit. Ait nihilo ſeciùs, ſe ſurrexiſſe, ac interdum in turba, ſive coram frequenti populo clamaſſe: quod leniter, & ad commiſerationem appoſitè factum credi debet. Et quidem jure vocem intermorientem efferebat, qui fratres, hoc eſt, cognatos ſimiles draconibus, amicos ſimiles ſtruthio camelis habuit. Cognati verbis, quaſi ſerpentes ſibilo, horrorem incutiebant, & virulenta dicta evomebant. Socii, ut ſtruthio ova ſua à quovis eò accedente proculcanda, ſeu diripienda in arena deſerit, ita Iobum, quem fovere, ac ſolari deberent, dereliquerunt. Alii ideò cenſent Iobum ſe draconum, ac ſtruthionum fratrem appellaſſe, quòd ea animantia triſtes voces edant, quales Iobus immenſo malorum pondere degravatus promebat.

℣. 30. Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præcaumate. ℣. 31. Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

PARAPHRASIS.

En cutis nigreſcit, ſqualletqùe in graviſſimarum affectionum ſignum, & ipſa oſſa nimio ſiccantur ardore: Profectò lætitia in mœrorem, & ſonus gratus, ac ſuavis in fletum, ac lamenta verſus eſt.

SPlendor vultus obſcuratus fuerat malis immenſis: oſſiumque medullas febris ardentiſſima penè depaverat: eo quippe modo oſſa inareſcunt. Cauma vox Græca, æſtum, ardorem ſignificat. Aliqui Græci ſic legunt, ὀστᾶμου συνεφρύγη, oſſa mea ſunt confrixa, calore videlicet noxio, ac ferventiſſimo. *Græca lect.* Cithara, & organum pro lætitia, & feſtivis exercitijs animo læto congruentibus ponuntur. Organi tamen nomen à nonnullis pro tibia, ſeu fiſtula, quæ inflata perſonat, accipitur. Neque abſonat, quòd inſtrumenta hæc muſica propriè accepta Iobo tribuantur, qui eis piè admodùm uti potuit. Si enim in templis ad cultum Divinæ Majeſtatis egregiè conferunt, cur in aulam pijſſimi Principis piè, caſtèque non admitterentur? Luget ergo ſortem adverſam, quaſi diceret: Jam de me actum eſt: omnia læta, ſuavia, delectabilia evanuerunt, pro quibus, luctus, fletuſque ſuccrevit.

CAPUT XXXI.

℣. 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. ℣. 2. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis?

PARAPHRASIS.

Imperavi ſcriò meis oculis, ne virginem quantumvis forma præſtantem, aſpicerent, unde aliqua obreperet impudica cogitatio: cùm noſſem hoc ipſo, quòd forma ſeducerer, nullam mei partem in Dei omnipotentis, quaſi peculium, ſive hæreditatem ceſſuram.

POſtquam ſuas recenſuit Iobus calamitates, ſubdit eximiorum operum catalogum, quo evincat, ſe non ob anteacta crimina in ærumnas incidiſſe. Ducit autem exordium ab exactiſſimo, ac planè mirabili caſtimoniæ cultu. Sic enim pepigerat, hoc eſt, velut ex pacto cum oculis inito decreverat, ſanctè conſtituerat, firmiter ſpoponderat, ſe non obſcœnos dumtaxat actus vitaturum, ſed ne licitum aſpectum, cui mali quicquam poſſet accedere, ſibi permiſſurum. Sancit autem fœdus cum oculis, ne cogitet: quia incautus corporeæ pulchritudinis intuitus turpium cogitationum, ac motuum ſeminarium eſt. Ergo ſignificantiùs dixit: Pepigi fœdus, ne cogitarem, quàm ſi dixiſſet, Pepigi fœdus, ne intuerer: ut per hoc ipſum pateat, appoſitum eſſe ad colendam caſtitatem conſilium, oculos cohibere, quod eſt primos orſus mali ſuaviter ſerpentis præcidere. Ratio verò, cur de virgine potiùs, quàm de muliere dixerit, pervia eſt, cùm virginea pulchritudo adhuc intacta magis ſplendeat, & peculiarem vim oculos capien- *Iobi modeſtia.*

Scripta An. 1610.

piendi prodat. Simile quiddam cernitur in rosa, quæ adhuc decerpta non est, cujus rubor vivacior, fragantia suavior, aspectus jucundior. At quid Iobum præsertim impulit, ne rem oculos allicientem intueri vellet? Quam enim, inquit, partem haberet in me Deus, &c. hoc est, quæ pars mei cederet in selectum peculium, & velut hæreditatem Dei? Pars enim Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. Nimirum pars maxima generis humani cedit in prædas Dæmonis: at & clementissimus Deus sibi partem lectissimam adoptat, ad quam Iobus pertinere impensè optavit, à qua excidere timuit. Septuaginta Interpretes pro verbis Illis, Pepigi fœdus cum oculis meis, reddunt, Testamentum διαθήκην, posui oculis meis: quo significant, non quodvis pactum, sed firmissimum, quale videlicet est testamentum, quod morte confirmatur: quod enim ad rem hanc spectat, Iobus tam firmiter eam constituit, ac si oculos morte clausisset.

Deuter 32.9.

LXX. *Interpp.*

A

B ℣. 3. Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam? ℣. 4. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?

PARAPHRASIS.

Pepigi castimoniæ fœdus, quia novi exitium peccatori, & repulsam Dei paratam. Nimirum ipse Deus observat actiones meas, meosque affectus, ad rationem exigendam, enumerat.

C PRæter rationem proximò versu allatam, qua se ad castitatis cultum promoveri Iobus asseruit, subtexit alteram à formidine pœnæ petitam: perditio enim exitium, interitumve significat, alienatio aversionem, repulsam, sive separationem à Deo notat. Vias pro actionibus, gressus pro affectibus, quibus ad Deum accedimus, vel recedimus, posuit. Tremendum est illud: Vias considerat, gressus dinumerat: ad calculos quippe omnia revocanda, ut quisque præmium, pœnamve recipiat. Ex hoc liquet, non esse dissentaneum viris sanctissimis pœnam formidare, & à culpa ea de causa vigilantiùs abstinere.

℣. 5. Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus: ℣. 6. Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.

D

PARAPHRASIS.

Ego certè non egi mendaciter, neque ad alios decipiendos subdolè properavi: quod ut liqueat, ponderet, precor, æquus Deus me totum, & propalet meam sinceritatem.

VAnitas hic pro fallaci, infidoque agendi more, ubi quis vanè exterius exhibet, quod verè animo non gerit. Illud verò: Si festinavit in dolo pes, vani propositi executionem festinatam excludit. Jam autem appensio in trutina justa purgatissimæ conscientiæ fiduciam arguit. Denique, Sciat Deus, perindè est, ac scire faciat; optavit nempe judicium, quod uniuersis hominibus innotesceret, ut vera de providentia Dei sententia constaret: Ille dicendi modus, Si ambulavi, Si festinavit pes, Appendat me Deus, tantumdem valet, ac Appendat me Deus, ut liqueat, an ambulaverim, festinaverit pes, &c.

E

℣. 7. Si declinavit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula: ℣. 8. Seram & alius comedat, & progenies mea eradicetur.

F

PARAPHRASIS.

Si è justitiæ via deflexi, & intuens alienas opes eas desideravi; si munera accipiens manus fœdavi meas: segetes meas alieni demetant, eisque fruantur, & proles mea prorsus intereat.

PLures hic egregios virtutum Principi congruentium actus commemorat. Primus, non recessisse ab eo, quod justum esset, quæ est via recta. Secundus, non optasse aliorum bona, quæ tyranni mox ac inspiciunt, non cupiunt modo, sed occupant. Tertius, non accepisse munera, quæ manus Principum, ac judicum inficiunt. LXX. sic habent: Si in manibus meis tetigi dona: ex quo efficitur, ut idem sit, adhærere maculam manibus, & manibus attingere dona. Hi actus. Quòd si non ita sit, imprecatur sibi, ut, si agros ferat, alij [non ipse] fructu vescantur, & liberi, si quos fortè susciperet, de medio tollantur, quasi liberorum gratia à tyrannis opes alienæ diripi solcant. Non hic cunctandum, quasi Iobus filijs orbatus ineptè sibi eorum extinctionem imprecetur: nam & alijs bonis expoliatus, segetum furta inter imprecationes recensetoptandi quippe modus est, qui nihil, nisi affectum requirit: potuitque cupere mala sibi inferri, si status id ferret: præterquam quod, ut superius assertum est, filios ex alijs uxoribus, quæ concubinæ appellabantur, susceperat, quos mors illa infausta non sustulerat.

G

LXX. *Interpp.*

H

℣. 9.

Scripta An. 1610.

℣. 9. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum. ℣. 10. Scortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alij. ℣. 11. Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima. ℣. 12. Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

A

PARAPHRASIS.

Si adamavi coniugatam, & ejus cauſa clam tempus obſervavi, juxta amici alicujus mei januam id mihi mali contingat, ut coniuge mea, quaſi ſcorto, abutantur alij. Grave quippe ſcelus eſt hoc: flamma eſt, quæ uſque ad conſumptionem omnia depaſcit, omnem prolem legitimam aufert.

B

Jobi caſtimonia.

DEcipi cor ſuper muliere, eleganter, ac Theologicè dicitur: fallax quippe gratia, & vana corporis pulchritudo, quæ aliud videtur eſſe, quàm ſit, incautos animos ſeducit, & quæ non eſt reddditura pollicetur. Inſidiari ad oſtium adulteræ, familiaris abuſus intemperantium eſt, ut optatis fruantur, vel etiam, ut homicidium adulterio permiſceant. Huic verò tetro crimini pœnam, quam ſibi Iobus imprecatur, juſta proportione reſpondet: ut coniux illius, qui alienam deturpat uxorem, ſimili dedecore fœdetur. Sic uxores David, qui cum Uriæ coniuge adulterium perpetrarat, ab ipſo ejus filio Abſalone pollutæ fuerunt. David occultè, Abſalon palàm egit. Sic Iobus, ſi quid clam peccaſſet in hoc genere, publicam ignominiam ſibi poſcit impingi, ut ſcilicet ejus coniux ſit ſcortum alterius, quod ſane publicam impudentiam olet. Crimen hoc ignis voraciſſimus appellatur, nam opes, valetudinem, corporiſque vitam abſumit, quod tremendis conſtat exemplis, ut interitum animæ, quod malorum caput eſt, ſileamus. Hic ipſe ignis eradicare dicitur genimina, quia prolem aufert legitimam, pro qua adulterinam ingenti damno, piaculoque ſupponit.

℣. 13. Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me. ℣. 14. Quid enim faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? ℣. 15. Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus eſt, & formavit me in vulva unus.

PARAPHRASIS.

E

Profectò ſi quid ambiguum, litigioſumve occurrit, in quo famuli deciſionem judiciariam quærerent, non eos imperioſè rejeci, ſed ad judicem alium ego ipſe ſupremus regionis judex rem totam remiſi. Cogitabam enim, & me ad Dei judicium vocandum, neque occurrebat, quid agerem, quidve Deo interroganti reſponderem, ſi domeſticos meos deſpexiſſem, quos ab ipſo Deo creatos, & è ſimili materia in alvo materno compactos benè noſſem.

REm hic pijſſimo, ac mitiſſimo Principe dignam Iobus commemorat, quæ univerſorum Principum animis adhærere deberet: noluiſſe videlicet ſe res, quas famuli ancillæve controvertendas cenſerent, puta operarum mercedem, vel rerum aliarum pretia, pro ſumma poteſtate decernere, ſed aliorum judicum arbitrio ambigua decidi: qui ſanè mos ingenuus eſt, omnique injuſtitiæ ſuſpicione facile caret. Poteſt quoque judicium hoc loco ſine forenſi ſtrepitu accipi, ut dicatur Iobus non contempſiſſe ſubire judicium, hoc eſt, in rebus agendis non aſpernatum fuiſſe famulos, ita ut quicquid ipſe promeret, ut lex immota conſtaret: ſed rationes illorum leniter audiſſe, ac ex æquo res incidentes judicio quodam domeſtico ſuavitate temperato decidiſſe. Huc facit, quod Apoſtolus monet: Domini, quod juſtum eſt, & æquum ſervis præſtate, ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo. Cui certè monito congruit ratio à Iobo ſubjecta: Quid enim faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus, &c. Etenim grandes animos Majeſtas Dei judicantis cogitata coercet.

F

Coloſ. 4. 1.

G

℣. 16. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. ℣. 17. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. ℣. 18. (Quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum) ℣. 19. Si deſpexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. ℣. 20. Si non benedixerunt mihi latera

H

Scripta An. 1620.

ra ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est. ℣. 21. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem, ℣. 22. Humerus meus à junctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus confringatur.

A

PARAPHRASIS.

Si pauperibus ad votum non succurri, & viduam me intuentem cum rubore, ante largitionem remoratus fui: Si cœnas meas sine pupillis convivis celebravi ego, cui à primis annis misericordia, velut simul nata, hæsit, mecumque coaluit: Si nudum aliàs periturum sine vestimento cum despectu reieci, imò si non statim obtexi, ita ut ejus membra pannis è lana mearum ovium textis operta ipsum ad benè mihi precandùm permoverim: Si velut elata

B *manu minatus sum orphano, tametsi me in judicio, quod in urbis porta celebrari consuevit, causa prævalere cernerem: Deus mihi adeò malè vertat, ut humero, superioreve brachij parte loco divulsa, os etiam ipsum unà cum tota brachij structura perrumpatur.*

SEptem versus, ante quorum ultimum sensus non expletur, connectere, ac simul exponere, operæ pretium visum est. Enumerat Iobus eximios virtutum actus, quorum catalogus hic est: Primus, indigis non abnegasse, quod vellent, hoc est, non eos severè à januis inanes repulisse. Secundus, viduas non retardasse, quod est genus nobilioris eleemosynæ, quando mulieres neque

C sine rubore poscunt; neque sine discrimine expectant: quibus confestim, ac pudicè erogare, consilium saluberrimum est. Tertius, non pransum fuisse solum, quod bifariam exponitur: vel enim è mensa partes pupillis mittebat, vel etiam invitabat, ut desolatos solaretur, & aleret. Quartus, qui iugem bonorum operum tenorem prodit, à prima ætate misericordiam coluisse, quæ ut partus uterinus cum eo simul fusa videretur, quod & ad indolem, & ad educationem referendum est. Discunt quippe, & velut lactis suctu concipiunt misericordiam, qui parentes pios, ac beneficos sortiti sunt. Quintus, non abjecisse cum contemptu inopem, pereuntem, quod nudus foret; imò e vestigiò illum convestisse, & ad suas laudes obtectum, ac recreatum impulisse. Sextus, non levasse manum, hoc est, non terruisse minis,

D aut plagis afflixisse pupillos, quibus cum fortè litigaret, licèt iure ipse potior esset, at eos leniter accepisse, ac perhumaniter fovisse. Denique nisi hæc ita se habeant, humeri prodigiosam à corpore divisionem, totiusque brachij attritionem sibi imprecatur. Etenim multa hic Iobus encomia complexus est, quæ perpauci Christiani promerentur: mirumque certè, hominem in regione Ausitide commorantem anteverso tempore non secùs Evangelica consilia expleisse, quam si è Christi ore illa præsens accepisset.

℣. 23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.

E

PARAPHRASIS.

Dei timor ad bona, quæ recenseo, me permovit: nimirum Deus, velut mare quoddam undis æstuans, mihi naviganti semper incumbere visus est, cuius indignationem, ultionemque numquam sustinere valui.

IDonea ratio à Principibus semper recolenda, ut Dei timore coerciti nihil iniustum, nihil violentum attentent. Est autem pulcherrima translatio à tumentibus undis petita, cuius peritissimi sunt nautæ, & vectores, qui sævas procellas passi sunt. Profectò, si dum navis secundis acta ventis Oceanum legit, indomitis flatibus repentè coortis pulsetur, undæ frementes turgescant, navis hinc inde verberetur, ac penè dehiscat, nunc in sublime elata, nunc ad imas propemodum arenas delapsa vacillet; nemo quantumvis ferox est, qui non pertimescat, fateaturque, se tantæ procellæ pondus ferre non posse. Pondus Dei, sive onus, indignatio, ultio, quæ vel cogitata, Iobo intolerabilis visa est.

E

℣. 24. Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. ℣. 25. Si lætatus sum super multis divitijs meis, quia plurima reperit manus mea.

G

PARAPHRASIS.

Ego certè licèt fortunatissimus, numquam credidi meam in auro positam fortitudinem, vel dixi, aurum purum esse spem meam. Numquam vanè gavisus sum, domum opibus affluentem, plurimaque bona industria mea parta circumspectans,

ILle dicendi modus, Si putavi, Si lætatus sum, in simplicem negationem resolvitur, quod pro versibus subiectis notandum. Profert autem hic Iobus divitiarum modicam æstimationem, quæ ingenuum deceret animum. Dici nequit, quàm sit difficile, opes affluere, nec amari. Experientia ipsa planè constat, rem esse proculdubiò raram,

H

ut

Scripta An. 1610.

ut oracula utriusque testamenti plurima si leamus, quæ eximiæ virtuti vertunt, divitijs animum non hærere. Sanè difficillimum est, opulentum hominem in regnum cœlorum ascendere, qui cùm materiam illam resinosam semper manibus versèt, animo pertractet, strictè sibi eam apprimit, se onerat, ut pondere nimio prægravatus assequi nequeat eum, qui inops esse maluit; & exultavit ut gigas ad currendam viam. Verba illa, Si obrizo dixi: Fiducia mea; blandimentum quoddam præ se ferunt, & quandam velut adorationem auri, quam ægrè fert Deus, in quo spes omnis reponenda est. Ille vero dicendi modus: Quia multa reperit manus mea, ad industriam pertinet, qua Iobus præter ea, quæ spontè proveniebant, opes auxit, ut munificentiùs largiretur. Significat ergo, vir pijssimus, se, cùm divitias copiosissimas intueretur, non solitum animum defigere, vel voluptatem inde capere, sed aspernari, & ad veras, ac immortales opes animum generosum attollere.

Marc. 10. 25.

A

B ℣. 26. Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè. ℣. 27. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. ℣. 28. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.

PARAPHRASIS.

Numquam solem splendentem, candentemque lunam uti vera numina intuitus sum, cum interna ea animi voluptate, externoque osculandi manus ritu, quem idololatræ usurpaut. Scelus quippe pessimum & sublimissimæ Dei majestatis abnegatio est.

C

TEstatur se ab errore Idololatriæ longissimè abfuisse. Abusus ethnicorum fuit, solem sereno cœlo splendentem, lunamque suda nocte candentem, quasi, veros intueri deos, à quibus bona sperarent, atque ideò, dum eos lucentes, & quasi benigno vultu propitios cernerent, lætari animo, & ut religionem testatam facerent, manum radijs eorum tactam osculari. Periphrasis est adorationis ethnicæ, quam Iobus odio summo detestatus est, quippe qui teterrimum piaculum, & altissimi Dei abnegationem duceret. Cur autem posuerit in ethnico cultu illam lætitiam internam, ratio in promptu est, quòd dum quis eum, à quo bona expectat, læto vultu velut arridentem videt, sanè lætatur ipse, voluptasque ex aspectu concepta, introrsum perlabitur. Ritus verò manum osculandi perantiquus est. In sacris autem expressè notatur. Genua, quæ non sint incurvata ante Baal, & omne os, quod

D

3. Reg. 10. 18.

non adoravit eum, osculans manum. Rectè dictum: Negatio contra Deum altissimum: non enim asseri potest Deus alius, sinè veri Dei negatione, cùm nequeant plures dij esse, neque verò nisi per errorem intelligi. Neque obstat prædictæ gravissimorum Patrum expositioni, quòd dum Iobus actus virtutum eximios recenset, non debeat animum ab scelere idololatriæ immunem, quasi rem grandem producere: non enim tam expenditur astinentia ab eo piaculo, quàm immane illius odium cum summa Dei veneratione, latriæque adoratione coniunctum. Neque vero obstat, non videri ad rem, tenoremque orationis leniter decurrentis, quod Iobus se purget ipsum ab eo crimine, quod ei neque obiectum est, neque obijci potuit. Nam præterquam quod obiici potuit, quemadmodum alia impia falsò ei afflicta sunt, satis ad rem hominis vitæ integritatem commendantis est, summam ab idololatria aversionem, ac proinde summam religionem, virtutum moralium præclarissimam sibi cordi fuisse asserere.

Omnes fere Latini.

E

℣. 29. Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quòd invenisset eum malum. ℣. 30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.

F

PARAPHRASIS.

Non commisi, ut calamitate meorum inimicorum lætarer, quibus adversa contigerant: neque permisi ori meo, ut malè de illis cum peccati conscientia loqueretur: neque verò optavi, vel petij a Deo malum malè precans illis.

G

INvenisset eum malum, perinde est, ac venisset in illum malum. Dare guttur ad peccandum, Hebraismus est, pro peccare gutture, sive ore, sive lingua, quæ sunt formandæ vocis instrumenta. Expeterem, ponitur, pro peterem, postularem. Potest sic textus construi, & expleri: Non dedi ad peccandum guttur meum, ita ut peterem à Deo malum inimico, maledicens animam ejus. Jam verò maledictio hæc imprecatio mali est, quod à Deo inferri osoribus suis Iobus minimè poposcit.

℣. 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? ℣. 32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

H

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Certè mos fuit famulis meis immenſo mei amore flagrantibus meæ munificentiæ aſſuetis dicere: Utinam detur nobis ſemper Iobi carnibus, cibiſque expleri, ne aliorum dominorum parcitate extenuemur, Neque ſolos pavi abundè domeſticos, ſed viatores, ac exteros, quos januis benevolè apertis excepi, largèque refeci.

A

VErba illa: Si non dixerunt, ſimplicem affirmationem continent: quaſi dicat: Dixerunt, dicere conſueverunt, aſſeruerunt. Multiplex eſt interpretatio verſus huius, Si non dixerunt viri tabernaculi mei, &c. Ab aliis tribuitur iræ famulos incitanti ad vorandam Iobi carnem, quod obſequia ab eis accurata requireret. Ab aliis aſcribitur amori ardentiſſimo, quo famuli vellent, ſi fieri poſſet, Iobi non modo animum, ſed corpus, carnemve ipſam intra viſcera condere, quod èſt ejus carnibus ſaturari. Et quidem ſecundus hic exponendi modus congruentior eſt, nam primus friget, cùm Iobus catalogum virtutum, ac rerum amabilium recenſeat, cui cohærentior eſt ſecunda explanatio. At ea, quæ in paraphraſi ponitur, ſatis germana videtur. Cum enim Iobus famulitium omne abundè paſceret, ac liberaliter tractaret, profectò optavit apud benignum, ac liberalem dominum perſeverare, ne moroſum alium herum, & avarum incurreret. Poſſunt autem viri illi domeſtici ſic agentes concipi; Nos ingenuum, ac munificum dominum nacti ſumus, cujus menſa abundè paſcimur, Utinam ergo detur nobis eius cibis, carnibuſve largè veſci, quod eſt ſaturari, ut bonis quæ adepti ſumus, perſeveranter fruamur. Notatur hic Iobi largitas, quæ ad famulos ſibi conciliandos plurimum valuit: ſimiliſque laus à peregrinis, viatoribuſque ſuccrevit.

B

C

℣. 33. Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam,

PARAPHRASIS.

Non ſtudui peccata occulere tanquàm homo, filius nempe Adæ: nullum crimen in animo meo ſuppreſſi.

D

SEuſus Iobi eſt: Non fui hypocrita, qui peccata perpetrarem, externaque ſanctitatis imagine abſconderem, quaſi homo, hoc eſt, quaſi filius Adæ, qui ex quo ſe abſcondit, peccatumque excuſare, ac in Hevam regerere tentavit; hoc ipſum vitium in poſteros tranſfudiſſe videtur, ut crimina celent. Hæc Iobi laus duplici ſenſu accipi poteſt, quorum primus eſt, peccaſſe, nec obtexiſſe culpam, imò aliquo ſigno, puta, ſacrificio pro peccato, prodidiſſe, ne ſanctior, quam eſſet, haberetur. Secundus eſt, non commiſiſſe quicquam, quod abſconderet, cùm tamen ita eſſet animo comparatus, ut ſi, pro fragilitate humana, peccaret, minimè id tegeret. Et quidem cum hic de gravibus culpis, a quibus Iobus fuit immunis, habeatur ſermo, ſecundus exponendi modus probandus eſt. Ex hoc efficitur antiquum hypocriſis vitium Iobo exoſum fuiſſe.

Alia textus explicatio.

℣. 34. Si expavi ad multitudinem niniam, & deſpectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egreſſus ſum oſtium.

E

PARAPHRASIS.

Numquam populi conſpectum formidavi, qui neminem læſi: neque me à recto divertit conſanguineorum, amicorumve contemptus ſi eis in judicio non favi ſſem: imo increpationes ſilentio accipiens, domo non exii, ut in eorum gratiam quid parùm æquum committerem.

F

ARX invicta, bona conſcientia eſt, qua Iobus ubique tutus nihil timuit, neque à juſtitiæ cultu receſſit. Frequentem populum rexit, neque ſibi viſus eſt cuiquam injuriam irrogaſſe; Conjunctos ſanguine, vel familiaritate ita excepit, ut in jure dicendo ſolam juſtitiæ rationem haberet, tametſi propterea cognati, vel neceſſarii excandeſcerent, ac in illum inveherentur. Maluit quippè correptiones, ſive objurgationes patienter ferre, quàm jus ulla ex parte violare. Ergo exantlavit injurias, ne ullam injuriam inferret.

G

℣. 35. Quis mihi tribuat auditorem, ut deſiderium meum audiat Omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui judicat: ℣. 36. Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum, quaſi coronam mihi? ℣. 37. Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum, & quaſi Principi offeram eum.

PARAPHRASIS.

H

Ab iis, qui me ex calamitate, non ex meritis cenſet, non audior: opto ergo auditorem ex æquo res penſitantem, qui Deum interpellet, dignetur ipſemet Deus potentiſſimus me audire. Cupio etiam, ut ſcriptura publica rem totam ipſe auditor exprimat: geram quippe ſuper humeros eminentem ſcripturam & capiti, ut diadema, circumducam: paſſim relegam illam, Deoque ipſi, ut principi

Scripta An. 1610.

pi meo, crebrò offerre assuescam. Tantùm abest, ut in ea quid turpe consignandum verear.

IObus sermonem mox expleturus, sub finem testatur, optare se audiri, ac dijudicari ex iis, quæ gessit. Auditorem æquum expetit, qui precetur Deum, Iobum audiat: ipse verò auditor judicet, hoc est, rem ex æquo censeat,
A publicoque instrumento fidem faciat. Optatum illud libri, quem cupit, scribat ipse, qui judicat, id videtur requirere, ut gravi auctoritate liber perscribatur, & (ut ita dicamus) sigillo, ac subscriptione notetur: hoc quippe ex more hominum ad fidem altruendam oportuit. Tunc verò se super humeros in honoris signum, & in capite, ut regium innocentiæ diadema gesturum pollicetur, ac frequenter ad solatium relecturum. Explanatio hæc, quæ libri scriptorem facit auditorem illum æquum à Iobo expetitum, Hebraico textui congruentior est, & Latino satis consentanea.

℣. 38. Si adversum me terra mea
B clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent. ℣. 39. Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi: ℣. 40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

PARAPHRASIS.

Si terra mea ab operariis injustè vexatis culta quasi vociferatur, ejusque sulci sudore colonorum, ac lachrymis respersi, velut fletum evergunt, quo rapinam, vel tyrannidem mihi exprobent: Si fructibus ejus ita
C *vesci assuevi, ut agricolis ruri à me præpositis, sive conductis, non continuò pretium solvens fatigatos afflictarem: pro tritico, precor, & hordeo tribuli, vepresque succrescant.*

TErra à colonis arata tot ora adversus injustos mercedis retentores aperit, quot sulcis proscissa est; atque ita pereleganti Iobus prosopopœja utitur ajens: Si terra clamat. Sulci verò dicuntur deflere aspersi sudore, qui lachrymarum pondus habet. Iustus ergo Princeps ne suorum quidem prædiorum capiebat fructus, nisi cultores reddita mercede sublevassent: tantùm abest, ut aliena invaderet prædia, & potentia ad luxum abuteretur.
D Imprecationem attexit, si id commiserit, ut pro
LXX. Interpp. tritico tribulus, sive juxta LXX. Interpretes, urtica, κνίδη, & pro hordeo spina oriatur, qui sanè proventus infæliciissimus foret. Sic Iobus sermonem absolvit: pauca enim verba, quæ posthac enunciabit, nihil obstant, quò minùs longam, graviissimam, & continentem orationem expresse dicatur, qua omnia, quæ ad suam sententiam pertinerent, complexus est. Atque idcirco subjunguntur verba illa,

Finita sunt verba Iob, quibus simillima sunt illa LXX. Interpretum initio 42. capitis: Et cessavit Iob à verbis. Neque mirum, si in assertione justitiæ erga colonos cessarit, cum rapinæ crimen à suis concertatoribus tam sæpè illi objectum fuerit. Dicitur verò Iobus à verbis cessasse, non à votis, & suspiriis, à quibus desistendum in anxietate non est, donec Deus lætus affulgeat.

LXX. Interpp. Cap. ult.

E

CAPUT XXXII.

℣ 1. Omiserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quòd justus sibi videretur. ℣. 2. Et iratus indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram: iratus est autem adversus Iob, eò quod justum se esse diceret coram Deo. ℣. 3. Porrò adversum amicos ejus indignatus est, eò quòd non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob.

F

PARAPHRASIS

Cessarunt altercari cum Iobo se justum constanter asseverante tres ejus amici. Quocirca Eliu filius Barachel Buzites Ausitidis regionis incola è stirpe Ram, vir ingenio, eloquentia, & pietate insignis, qui interfuerat certamini, excanduit in Iobum, quod justum se judicio Dei asseruisset, & in tres ejus amicos, quod aptè non respondissent Iobo, cum tamen vehementer eius sententiam improbassent.

G

PRolixum exordium prætexit Eliu iis, quæ prompturus est, ut è dicendis liquebit. Multa hic de Eliu quæri solent curiosiùs, quàm utiliùs. Nobis sat fuerit nosse mores hominis, quos ipse, dum loqueretur, expressit, fortasse cùm esset Husita, ut LXX. Interpretes habent, & LXX. *Interpp.*
trium regum adventum nosset, quorum tamen neque socius, neque comes fuit, sponte sua accurrit juvenis ingenio acer, ac vehemens, si quid novi esset, exploraturus, cœptaque disputatione captus, exitum expectavit, donec ipse in re graviissima sententiam diceret. Vir sanè illustris fuisse videtur, qui inter viros tantos non incongruè loqui posset. Quod & nominis paterni Barachel, & cognationis Ram mentio indicant, quæ hic tamquàm celebria scribuntur, licèt incertum sit, quis Barachel, quis Ram fuerit. Eliu verò urbanitas ex hoc ipso patet initio,

H

quod

Scripta quòd neque Iobum, neque tres concerta-
An. 1610. tores interpellavit, sed impetum repressit, donec pro ætatis ratione suam sententiam subtexeret, Pietas verò posthac spectabitur, Deo litem dirimente: verosimile tamen est, eum in eodem cum tribus amicis Iobi errore versatum, Iobum videlicet ob anteactæ vitæ scelera mulctari.

A

℣. 4. Igitur Eliu expectavit Iob loquentem, eo quod seniores essent, qui loquebantur ℣. 5. Cùm autem vidisset, quod tres responsionem non potuissent, iratus est vehementer.

PARAPHRASIS.

Urbanè egit Eliu, qui cunctatus est, dum Iobus, & ejus amici verba facerent, quod natu majores essent. At considerans, tres
B *simi satisfacere minimè valuisse, ira conflagravit.*

SAtis hîc elucet vel hominis, vel ætatis illius disciplina. Eliu expectavit non Iobum modò, sed tres amicos, ut ipse disertè subjecit. Etenim modò, ætate scilicet cultiore, perpaucos invenias disputatores acres, qui tandiu sileant, & majoribus natu concedant.

℣. 6. Respondensque Eliu filius Barahel Buzites dixit. Junior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco demisso capite veritus
C sum vobis indicare meam sententiam. ℣. 7. Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam: ℣. 8. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. ℣. 9. Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium.

D PARAPHRASIS.

Subjunxit Eliu: Sum natu minor, vos majores, atque ideò erubui præmaturè sententiam proferre. Spes quippe suberat, ut viri ætate provectiores priùs loquentes veram doctrinam enunciarent. At, ut perspicio, non ætas, sed spiritus Dei hominem illuminat, divinaque inspiratio intelligendi vim confert: atque adeò, non ideò homines sunt sapientes, quia longævi, neque ideo callent rectè judicandi rationem, quia senes.

LOngum certè silentium Eliu benè pensat, qui Buzites dicitur à loco aliquo Ausitidis regionis, patriæ videlicet suæ. Pondus habet illud, Demisso capite veritus sum, &c. quæ sanè disciplina, imitatione digna est. At arrogantia illa, qua juvenis grandia cogitat, docereque constituit, minimè probanda. Zelum quidem habet: sed non secundùm scientiam. Spiritus, inquit, est in hominibus, quod de
E spiritu Dei accipiendum, ut ratio nervosa constet, nam ex anima rationali, quæ universis hominibus communis est, frigidum argumentum duceret ad suam sententiam commendandam, nisi fortè textus ita costruatur: Anima est in hominibus, cui inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Et quidem, si prudentia, scientiave, prolixa ætate parta, cum disciplina spiritus divini comparetur, exploratum est assertionem Eliu esse planè verissimam: verùm laus illa propria, qua sibi cælestem instructionem tribuit, non bene olet.

℣. 10. Ideo dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. ℣. 11. Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec discepta-
F remini sermonibus. ℣. 12. Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed ut video, non est, qui possit arguere Iob, & respondere ex vobis sermonibus ejus.

PARAPHRASIS.

G

Dicam ergo, accipite, quæ dico, meam propalabo disciplinam, diu quippe sustinui vos loquentes, & qua prudentia præstaretis, ex vestro certamine perspexi. Et quidem, quandiu vos ad rem dicere credidi, omnia expendi: at non ultra: neque enim è vobis est aliquis, qui Iobum revincere, ejusque dicta refellere valeat.

APertè satis Eliu suam de concertatoribus opinionem producit, vellicatque tres amicos, quòd tam prolixo prælio Iobum prosternere nequiverint, validusque pugnator sibi maiora pollicetur. Textus satis è paraphrasi conspicuus.
H

℣. 13. Ne forte dicatis; Invenimus sapientiam, Deus projecit eum non homo.

PARAPHRASIS.

Non est ad rem, si dicatis: Iobum sat confutavimus, sapientemque revincendi hominis modum invenimus, dum longa oratione de-

mon-

Scripta An. 1610.

monſtravimus, illum non ab homine aliquo rerum ignaro, ſed a Deo repulſum, & in calamitates conjectum eſſe.

VIs orationis, quam Eliu ex perſona amicorum Iobi promit, hæc eſt: non eſt cur nobis ignorantia, vel inertia exprobretur, quaſi nequiverimus Iobum convincere, ſatis
A enim convicimus, qui Deum ærumnæ illatorem probavimus: neque enim Deus inſontes mulctat: atque ideò ſontem Iobum perculiſſe eo ipſo demonſtratum eſt. Rationem hanc velut truncam, ſive ineptam elidit Eliu per verba illa, ne fortè dicatis, hoc eſt: non eſt, cur dicatis. Decernit ergo ipſe meliora proferre.

℣. 14. Nihil locutus eſt mihi, & ego non ſecundùm ſermones veſtros reſpondebo illi.

PARAPHRASIS.

Nondum Iobus mecum verba fecit, eritque mihi integrum experiri, quid valeam: verùm ego multò aliter, quàm vos, eius dicta refellam.
B

GRandia pollicetur, eo peccans vitio, quo acres diſputatores, ætate præſertim juniores ſolent, quos experientiæ defectus facit audaces.

℣. 15. Extimuerunt, nec reſponderunt ultrà, abſtuleruntque à ſe eloquia. ℣. 16. Quoniam igitur expectavi, & non ſunt locuti, ſteterunt, nec ultrà reſponderunt: ℣. 17. Reſpondebo &
C ego partem meam, & oſtendam ſcientiam meam.

PARAPHRASIS.

En tres viri timore cohibiti Iobo non reſtitere ulteriùs, & conticuere. Cùm ergo comiter expectaverim, illique taciti nihil novi prompſerint, diſputabo ego pro virili parte mea, ſcientiamque meam demonſtrabo.

HÆC Eliu verba per apoſtrophen ad aliquos, qui aderant, vel quos adeſſe oratorio more fingebat, diriguntur, & expendenda committuntur. Moroſus prœmii textor eadem repetit, quæ modo protulit, &
D quid ipſe valeat, experiri velle ſæpe decernit. Novellorum militum brachia tollentium, & vires ſuas venditantium hic mos eſt.

℣. 18. Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei. ℣. 19. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas diſrumpit. ℣. 20. Loquar, & reſpirabo paululum: aperiam labia mea, & reſpondebo.
E

PARAPHRASIS.

Multiplici conceptu, fœtuve ſententiarum, quas ſermonibus exprimere aveo, expletus ſum. Urget, diſtendit, inſlatque me totum ardor, ac vis vehemens, quam generat ſpiritualis uterus intellectus mei ſapientiæ prægnantis. Ecce ipſemet intellectus æſtuat non ſecùs ac recens muſtum, quod fictilia vaſa, quibus infunditur, ebulliendo perrumpit. Ergo ne ipſe dirumpar, proferam quæ concepi, ac reſpiratione mihi permiſſa parum perquieſcam. Labia diu commiſſa diducam, ac Iobum revincam.

PRofectò eleganter hominem loquendi cupidiſſimum, ſcientiaque turgentem Eliu repræſentat. Videtur ſimilis mulieri, in quam dolores partui proximi incubuere, illamque ad enitendum fœtum impulere: hanc quippe vim prodit ille dicendi modus, Coarctat me ſpiritus, vis, vigor, ardor, impetus uteri mei. Mirum ſanè dictu, quàm graviter pleroſque vexet, ac extimulet loquendi cupiditas. Similitudo à lagunculis petita eſt appoſitiſſima: muſtum enim ebulliens, & anguſtiæ velut impatiens vaſa diſrumpit. LXX. Interpretes utuntur ſimilitudine duplici in hæc verba: Sicut uter muſto fervens ligatus, aut veluti follis ærarii diruptus. E duabus tamen translationibus prima congruit Vulgato, ſecunda eundem ſenſum amplificat: follis enim fabri ferrarii nimio vento diſtentus, dum nervosè conſtringitur, crepat. Ex his certè verſibus liquet verum eſſe illud: Scientia inflat. Turgidus ergo animus rationis imperio comprimendus eſt, ne immoderato impetu grandia jactet, ſimiliſque evadet vento cavernis terræ violenter incluſo, qui, dum erumpit, montes ipſos ab radicibus convellit.
F

Similitudo.

LXX. Interpp.

1. Cor. 8. 1.
G

℣. 21. Non accipiam perſonam viri, & Deum homini non æquabo. ℣. 22. Neſcio enim quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.

PARAPHRASIS.
H

Non ero injuſtus eſtimator, gratiæve ullo modo ſerviam, ſed veritatis tenax: hominem cum Deo minimè comparabo. Ignoro quippe, quantùm vitæ ſuperſit, & an paulò poſt vitam mihi Deus ablaturus ſit.

Acci-

Scripta An. 1610.

ACcipere personam, familiarissima phrasis pro abusu gratiæ hominum, quod vitium admittitur, dum plus personæ, quàm veritati, meritisve tribuitur. Hoc ergo à se propulsat Eliu, gravi pollicitatione ajens, se in ullius gratiam nihil à veritate alienum prolaturum. Quod se ideò præcavere profitetur, quòd nesciat, quamdiu supervicturus sit, & an extemplo Deus illum è medio tollere velit. LXX. Interpretes sic reddunt ultimum hemistichium: Alioquin & me tineæ edent: quod supplicii genus Iobi calamitate non absimile videtur. Tinea enim metaphoricè accepta commodum significatum habet cujusvis vexationis, vel cruciatus, quo homo infestatur, atque consumitur. Eliu factorem suum appellavit Deum, cujus ultionem pertimescit.

A LXX. Interpp.

CAPUT XXXIII.

℣. 1. Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta. ℣. 2. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis. ℣. 3. Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.

B

PARAPHRASIS.

Ergo incipiam, tuque Iob mites aures præbe sermoni, omnia, quæ proferam, precor attende. En, jam cœpi loqui; fas est, jam linguam exerceam. Quæ sentio, syncerè promam, doctrinamque veram disertè subiiciam.

C CAptat benevolentiam, & attentionem verbosè, pro juvenis ardore, quem temperare non posse videtur. Præmissa ergo attentionis petitione incipit Iobum urgere, proponitque è verbis Iobi ipsius ea, quæ refellere decernit, eoque incumbit, ut persuadeat non esse inquirendam divinorum operum rationem, sed res nostras omnes arbitrio Dei credendas. Cor simplex, sententiamque puram venditat, quod nescio quid elationis portendit, quasi Iobum vellicet.

℣. 4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me. ℣. 5. Si potes, respondе mihi, & adversus faciem meam consiste.

D

PARAPHRASIS.

Deus me creavit, & spiraculo vitæ, hoc est animâ, quam inspiravit mihi ipse Omnipotens, hanc, quam cernis, vitam impertiit, ex quo debeo creatoris mei defensionem alacriter suscipere. Ergo si vales, satis mihi facito, & mecum tandem congredere.

MIrificè verba, quæ ardentem ætatem indicat, Eliu fundit, miles videlicet recenter in arma veniens, qui maximarum rerum ampla cogitatione intumescit. Ille dicendi modus, Spiritus Dei fecit me, idem significat, ac Spiritus divinus creavit me. Spiraculum Omnipotentis vocat animam, quod congruit verbis Mosis creationem hominis describentis: Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Videtur autem Eliu hoc præmittere, ne contemnatur ejus ætas, quasi innuat, facile esse Deo, qui condidit hominem sapientiam juniori ætati suggerere, ac inspirare. Videtur etiam cohærens sensus, si verba illa, Spiritus Dei fecit me, ad creationem, Spiraculum Omnipotentis, ad vitalem quandam motionem pertineant, quasi Deus illum ad disceptandum impellat.

E

Gen. 2. 7.

℣. 6. Ecce, & me, sicut & te fecit Deus: & de eodem luto ego formatus sum. ℣. 7. Verumtamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi gravis.

F

PARAPHRASIS.

Ambos nos Deus condidit, corporaque ex eodem limo terræ compegit. At post creationem parem, dispar sapientiæ ratio est: quocirca, ne precer te à disputatione deterreat mirabilis sapientia, quam mihi, non tibi, infudit creator, neque me eloquenter dicentem molestè feras.

G

INducit Eliu creationis mentionem parem, sed disparem, sapientiam, & eloquentiam ne Iobus juniorem ex ætate, sed ex collato sapientiæ dono censeat, judicetque non dignum modò, cum quo decertet, sed tantò sapientiorem, ut ad ineundum cum eo certamen animum roborare opus sit. Propterea dicit: Miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi gravis.

℣. 8. Dixisti ergo in auribus meis & vocem verborum tuorum audivi ℣. 9. Mundus sum ego, & absque delicto, immaculatus, & non est iniquitas in me. ℣. 10. Quia querelas in me reperit, ideò arbitratus est me inimicum sibi. ℣. 11. Posuit in nervo pedes meos, custodivit

H

omnes

Scripta An. 1610.

omnes ſemitas meas. ℣. 12. Hoc eſt ergo, in quo non es juſtificatus: reſpondebo tibi, quia major ſit Deus homine.

A

PARAPHRASIS.

Audiente me plura abſurda aſſeruiſti, teſcilicet mundum eſſe, nulla impietate, vel injuſtitia, vel denique crimine ullo fœdari: Deum accuſatorem tuum, & hoſtem eſſe: te compedibus aſtrinxiſſe, omnes actiones tuas obſervaſſe. Hæc ſunt quæ te peccati convincunt: reſponſio quippe in promptu eſt: Deum eſſe altiorem homine, noſſeque multa, ob quæ juſtè hominem iguarum cædat.

REcenſet Eliu nonnulla Iobi dicta in ſpeciem duriuſcula, ex quibus eum coarguere parat cap. 10. dixit: Et ſcias, quia nihil impium fecerim. Cap. 17. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Querelas (ſive accuſationes, juxa LXX. Interpretes) indicant illa verba Iobi cap. 10. Inſtauras teſtes tuos contra me. Et cap. 13. Scribis contra me amaritudines. Et cap. 14. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea. Inimicum autem ſuum à Deo putari, cap. 13. Iobus dixit in hunc modum, Arbitraris me inimicum tuum. Verba verò illa, poſuit in nervo pedes meos, &c. Iobus extulit cap. 13. Ex quibus liquet, Eliu attentè verba obſervaſſe, fidaque memoria retuliſſe. Per hæc autem ipſa compendiario, & firmiſſimo, ut credit, argumento Iobum proſternere nititur, quòd cum Deus major homine ſit, plurima efficit, quorum rationes homo ignarus, ac fragilis minimè aſſequitur, ac propterea debet Deo quicquid agat, acquieſcere, nec ab eo quicquam ſciſcitari, vel ſe acerbè tractatum conqueri. Et quidem argumentum Eliu ex genere nervoſum, ex perſonis tamen, & circumſtantiis expenſum friget: ut enim è variis locis ſuperiùs à nobis expoſitis conſtat, actus virtutum egregii fuere, dolorem exhalare, innocentiam ſuam aſſerere, querimonias proferre, ac in vera doctrina de providentia Dei tuenda, ex occaſione calamitatis ſuæ, Iobum varia vota concipere, nunc Dei judicium optare, nunc ad illud provocare, nunc mortem expetere, ac id genus alia, quæ ſuis jam locis expreſſimus.

B LXX. Interpp.

C Eliu argumentum futile.

℣. 13. Adverſus eum contendis, quod non ad omnia verba reſponderit tibi? ℣. 14. Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit.

D

PARAPHRASIS.

Nimis audes Iob, qui Deo obloqueris, quòd tibi ad numerum interrogationum reſponſa minimè reddat. Profectò Dei Majeſtatem non decet is loquendi modus: Deus quippe ſemel inſtruit hominem naturali lumine rationis, qui eſt ſermo eius, qui non repetitur, cum nunquam deficiat.

PRoducturus Eliu varios loquendi modos, quibus erga homines utitur Deus tangit hic primum, qui eſt per naturale lumen, quod ſemper adeſt homini, ut Deum cognoſcere valeat, diſpiciatque cum Deo ſapientiſſimo, ac potentiſſimo non eſſe congrediendum, neque familiariter, ut cum mortali homine colloquendum. Iam verò non eſt, cur exiſtimemus Eliu adeò ſubtilem Theologum fuiſſe, ut ætate præſertim illa, noverit, Æternum Patrem unico Verbo coæterno ſuo omnia locutum. Mens autem ejus eſt, Iobo in hunc ſenſum reſpondere: Quid audacter conquereris Iob, quòd Deus tibi cauſam tuæ calamitatis ſciſcitanti non reſpondeat? Profectò jam reſpondit, ex quo tibi ſemel per naturale lumen locutus eſt, quo te docuit, creaturam creatoris ſui non debere facta perſcrutari, ſed credere, quicquid agat, planè juſtiſſimum eſſe. Ne ſis igitur petulans, & reſponſa minimè neceſſaria ab excelſiſſimo Deo ne requiras: ſed reſponſo dato piè, ac prudenter utere. At & aliis modis tecum Deus clemens collocutus eſt.

E

F

℣. 15. Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo. ℣. 16. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. ℣. 17. Ut avertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de ſuperbia. ℣. 18. Eruens animam ejus à corruptione, & vitam illius, ut non tranſeat in gladium.

G

PARAPHRASIS.

Alloquitur quoque Deus homines obiectis per ſomnia viſis, dum in lecto quieſcunt. Tunc videlicet ad internas aures animi inſpirat ſecretam prudentiam, & mira hominem flagitioſum diſciplina imbuit, ut abſtrahat eum à culpæ illecebra, & ſuperbiæ rumorem comprimat: ac per hoc ipſum præſervet illum ab interitu imminente, ne vitam per inſidias infeſtorum inimicorum enſis eripiat.

H

HIC traditur ſecundus divinæ eruditionis modus, quo ſolet Deus non juſtos tantùm, verùm & impios alloqui, atque ab ſceleribus per viſa, terroreſque divertere. Sic Abimelech, ne Sara abuteretur, coercuit. Sic Laban, ne Iacob officeret, præmonuit. *Gen.* 20. 3. *Gen.* 31. 24.

Scripta An. 1610.

Sic Pharaonem, & Nabuchodonosor erudiit. Animum ergo hominis somno indulgentis, à tumultibus rerum aspectabilium, ac exteriorum avocatum, & divinis monitis per quietem accipiendis aptatum Deus ita instruit, ut ejus aures, hoc est, intellectus vim perceptricem aperire eleganter dicatur. Hæc autem instructio practica cùm sit, planè ad vitæ correctionem destinatur, quod ex adjunctis perspicitur, Ut avertat hominem ab his, quæ facit, &c. hoc est, ut Deus corrigat anteactæ vitæ obliquitatem, & ne homo inposterum insoleſcat, apposita instructione præcaveat; quod indicare videntur verba illa, Et liberet eum de superbia. Et quidem hic est divinæ instructionis fructus primus, qui animum à culpa repurgat. Mox annectitur secundus, qui liberationem à pœna culpæ inferenda complectitur: hoc enim sibi volunt verba illa, Eruens animam, hoc est, vitam à corruptione, hoc est, à morte & vitam ipsam, ut non transeat in gladium, id est ne incidat in structas sibi inimicorum accinctorum insidias, infestisque necetur ensibus, vel certè publico gladio judicum Rempublicam administrantium peccator contrucidatus intereat, Pro verbo illo, Sopor, Quando irruit sopor, LXX. vertunt δεινὸς terror: visa quippe, aut somnia, quibus peccatores instruuntur, ad resipiscentiam crebrò terribilia sunt, qualia superius attulimus. Aures internæ, quas Deus aperire dicitur, nihil sunt aliud, quàm intellectus ipse ad Dei illuminationem, sivè sermonem patescens, Dei verba concipiens; auditus quippe, quemadmodum, & visus ad intellectum familiariter traducitur. Ratio verò, ob quam Eliu, secundum hunc loquendi modum induxit, ex eo liquet, quàm sit ad rem, qnòd inter Iobi verba observarat illa, Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quapropter Eliu mens sic exponenda est. Conquereris, ô Iob, quòd tibi Deus minimè respondeat; quòd sanè absurdum est. Semel quippe tecum locutus est, per naturale lumen, quo benè uti posses. Rursus, & id quidem crebrò, per somnia, ubi te horrore concutit, quemadmodum tu ipse fassus es. Quid ergò requiris? Cur obdurescis impavidus, neque, timore Dei coarctaris, ac subiugari te finis?

A

B

C

D

Gen. 41. 15. usque 37. Daniel. 4. 19. & seqq.

LXX. Interpp.

Cap. 7. 14.

℣. 19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit. ℣. 20. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis. ℣. 21. Tabescet caro ejus, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. ℣. 22. Appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.

PARAPHRASIS.

Loquitur tertiò Deus, dum hominem acerrimis doloribus decumbentem corripit; & usque ad ossa extabescere sinit, adeò ut lethali cibi inappetentia laborans, nauseabundus escas olim suaves respuat. Noxia febri consumitur caro, & tabe defluens ossa nuda relinquit: ex quo efficitur, ut ad interitum proximè accedat, & malis mortem afferentibus graviter infestetur.

E

IIs, qui divinæ providentiæ mirum ordinem observare, ac perpendere assuescunt, perspectum est, morbos à Deo immitti solere, ut homines feri, miteſcant, peccata odisse, ac deflere, Deum seriò implorare condiscant. Quocirca, qui graves affectiones explorant, disertam ibi linguam Dei loquentis, & erudientis dignoscunt, quæ universorum mortalium eloquentiæ debet anteferri. Schola Dei est, qua homines, quibus plerumque sacra verba frigent, mirificè eruditur, & ad pietatem colendam permoventur. Ibi se prodit Dei cædentis Majestas, cui omninò cedendum esse, viribus fractis, afflicto animo, subeunte lethali anxietate, vel ipsi obdurati peccatores cælitus eruditi animadvertunt. Ergo ad exprimendum morem hunc loquendi, quo Deus hominem instruit, pingit Eliu ægrotum in lecto jacentem, doloribus transverberatum, tabe marceſcentem, nausea quadam molestissima in sumptione ciborum divexatum, consumptum, solaque propemodùm ollium structura constantem, & morti denique proximum: quod sanè spectaculum animum excitat, ut consideret rem minimè fortuitam esse, sed æterno Dei consilio dispositam, ut ibi velut in tabula quadam Dei timorem, legisque divinæ custodiam expressam intueatur, ac legat. Potest autem Eliu mens ad hunc modum exponi: Quorsum nova Dei responsa reposcis, ô Iob? An desiderantur Dei verba? Ecce, tibi disertè locutus est, imò in ipso corpore tuo responsa multa eruditionis plena conscripsit. Dolores quippe hi, sanies, inappetentia, mœror, anxietas, & horrenda corporis deformatio, quid aliud sunt, quàm Dei te admonentis verba, ut resipiscas, culpas expies, legi divinæ acquiescas, Deique pace fruaris? Ergo age: oracula Dei, quæ in te ipso scripta, & altè impressa cernis, lege, recole, expende: neque snpervacanea responsa, qualia Deum minimè decent, insolenter exquiras.

F

Comparatio.

G

℣. 23. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem; ℣. 24. Miserebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: in-

H

veni

Scripta An. 1610.

veni, in quo ei propitier. ℣. 25. Consumpta est caro ejus à suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ. ℣. 26. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem ejus in
A jubilo, & reddet homini justitiam suam ℣. 27. Respiciet homines, & dicet: Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi. ℣. 28. Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.

PARAPHRASIS.

Profectò si peccator gravi morbo correptus, ac penè consumptus ita se gerat, ut Angelus ejus custos, unus scilicet è multis millibus, qui Deo ministrant, offerat Deo ejus preces cum æquitate vitæ conjunctas, clemens Deus misericordia motus iniunget Angelo, persanet eum, ne prorsus computrescat, & corruptus intereat. Neque hoc certè miserendi genus injucundum accidet Deo ad beneficentiam propenso, imò gaudens
B *nostro more loquendi dicet: Reperi tandem occasionem propitiandi, quam ego capto. Angelus verò sic interpellabit: Peccatoris corpus, ô misericors Deus, cruciatus multiplex ferè consumpsit: convalescat oro, & restituto vigore iuveneſcat. Orabit sanè, ac exorabit Deum, ante cuius faciem peccator venerabundus, & lætus se statuet ipsum. Deus verò resipiscentem justitia imbuet sua: ex qua orietur confessio glorioſa Deo, salutarisque ipsi peccatori alios homines intuenti, palamque profitenti, se*
C *peccasse, neque verò æqualem culpæ ultionem accepisse. Porrò sic se in libertatem, & incolumitatem asseret, nec præceps ruet in mortem, quò festinabat, sed sospes gaudebit huius lucis usura.*

HIs versibus Eliu complectitur dogmata multa, quibus orationem exhortatoriam contexit, quam cupit à Iobo perpendi. Et primùm quidem Angelorum pro hominibus interpellantium preces, piaque opera Deo offerentium munus attingit. Numerum quoquè beatorum spirituum innumerabilem indicat. Angelis præterea officium homines
D ægrotantes curandi imperari à Deo, notat per illa verba, Libera eum, ut non descendat in corruptionem, hoc est, mortem. Innuit deinde rem planè suavem, Deum scilicet captare miserendi occasiones, easque repertas gratissimas habere, per illud: Inveni, in quo ei propitier: quasi clementissimus Deus diceret: Observavi ego actus hominis flagitiosi, an intermicaret aliquid, ex quo ansam largè miserendi arriperem, diùque conspicatus reperire non potui. At ex quo gravi morbo tactus suspiravit mihi, inveni, in quo ei propitiarer, ac lubens id accepi. Mox Angeli deprecationem subtexit in hunc modum: Consumpta est caro ejus à suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ: hoc E
est, Respice Deus, qui gaudes te inveniſſe, in quo clementiam exerceas, hominem cruciatibus confectum: redeat obsecro flos primævus, renascatur caro absumpta, quasi nunc adolescentia ipsa vigeret. Hæc est Angeli precatio, cui subnectitur exauditionis promissio, in hæc verba: Deprecabitur Deum, (Angelus scilicet) & placabilis ei (peccatori) Deus erit. Videtur autem hac prece alludi ad perfectissimum sanitatis modum, qui nullum transacti morbi vestigium relinquit: qualis fuit restitutio illa Naaman Iordanis aqua eluti, cujus caro, 4. *Reg.* 5. 14
quæ antè fuerat lepra exesa, & maculosa, restituta fuisse dicitur, non secùs ac pueri parvuli, sive infantis caro, in qua nihil sordidum nihil non candidum appareret. Quod F
verò subtexitur, videbit faciem ejus in jubilo, perinde est, ac, statuet se coram Deo lætus, exultans, grates agens ob recuperatam valetudinem: qui certè mos nunc quoque familiarissimus est: nam postquàm quis Dei ope è morbo convaluit, templum gratias acturus petit, ubi Dei faciem videt, hoc est, intuetur locum, ubi Deus præsentiæ suæ signa exhibet, & quasi faciem spectandam offert. Illud verò adjunctum, Reddet homini justitiam suam, tantundem est, ac, restituet hominem in gratiam justificationis, quam amiserat: ita enim ex Dei præscripto fit, ut tangente Deo cor hominis, ipsoque homine resipiscente justificationis gratia ei conferatur, quæ prioris ruinæ reparatio est, G
priorisque justitiæ redditio hoc loco appellatur. Jam autem animus divinæ gratiæ lumine illustratus ingenuam delicti confessionem expromit: quod subjectis indicatur verbis: Respiciet homines, & dicet: Peccavi, & verè deliqui, &c. Hujus verò discursus clausula est: Liberavit animam, hoc est, vitam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. Potest hujus versus pars prima de anima propriè accipi, ne pergeret in interitum sempiternum, pars secunda de vita corporali, quæ satis aptè significatur hoc hemistichio. Sed vivens lucem videret: Inducit hac oratione Iobum Eliu ad considerationem beneficii planè maximi, quo Deus homines auxit, dum singulis Angelum tutelarem præfecit: ut ex hoc ipso capite H
pernoscat Iobus, sat sibi verborum & oraculorum à Deo reddi: qui quasi pædagogum cœlestem ei destinavit: à quo instrueretur, fulciretur, in patriam deduceretur.

℣. 29. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singu-

Scripta An. 1610.

los: ℣. 30. Ut revocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viventium.

PARAPHRASIS.

Considera Iob hos, quos recensui loquendi admonendive modos exerceri à Deo sæpè erga homines singulos: ut præservet eos ab
A *interitu, & luce huius vitæ frui concedat,*

MUltiplex est tres has vices exponendi modus: sed germanus, cohærens, ac gravis est, qui numerum ternarium pro incerto quovis magno numero accipit. Non ait, Tribus dumtaxat vicibus, sed, Tribus vicibus, ut figuratè quemvis numerum longè procurrentem intelligas. Videtur alludere ad judiciarium morem trinæ monitionis,
LXX. Interpp. cui nisi pareatur, infertur supplicium. LXX. Interpretes sic habent: Ecce hæc omnia operatur fortis, vias tres cum viro, ὁδοὺς τρεῖς μετ' ἀνδρὸς, Hæ viæ, seu modi tres sunt, loqui per lumen naturale, terrere per somnia, morbos inferre, At uti diximus, ternarius
B pro quovis numero auctiore ponitur: his quippe instructionibus clementissimus Deus utitur, quoties ei videtur erga singulos, quos videt, juxta suæ providentiæ rationem increpari, admonerive debere. Quod tamen de primo illo loquendi modo, pernaturale lumen, non est accipiendum æquè ac de duobus reliquis: nam uti proprio loco assertum est, modo illo primo semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit. Quòd verò subnectitur, ut revocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viventium, tantumdem est, ac, ut liberet eos à morte, & concedat luce hujus vitæ jucundè perfrui. A nonnullis tamen auctoribus de corporali & spirituali morte, ac luC ce simul exponitur, quod satis congruere videtur.

℣. 31. Attende Iob, & audi me, & tace, dum ego loquor. ℣. 32. Si autem habes, quod loquaris, responde mihi: loquere, volo enim te apparere justum. ℣. 33. Quòd si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.
D

PARAPHRASIS.

Adverte animum Iob, & attente percipe, quæ promo: Sile, dum verba facio silentio digna. Quod non ideo dictum, ut supprimas, si quid responsi succurrit. Placet quippe sententiam dicas, cum syncerè disputem, velimque, si ita res se habeat, te justitiam evincere tuam. Verum, si nihil subest di-
cendum, ut opinor, tacitus ausculta, & te silentem erudiam.

AMplè nimis de sua opinatur sapientia Eliu, importunus attentionis postulator. Etenim optionem dat Iobo loquendi, aut silendi: at concessio hæc è confidentia Eliu orta videtur. Facilè nimirum permittitur sermo ei, quem nihil afferre posse credas. Difficile profectò est grandes animos oblata occasione reprimere, & inflatam, E gravatamque sermonis conceptu mentem non exonerare, ac partu fuso sedare. Pro verbis, Tace, & docebo te, LXX. Interpretes habent, Obmutesce, & docebo te, *LXX. Interpp.* quod fastum exaggerat. Verùm doctorem istum audiamus.

CAPUT XXXIV.

℣. 1. Pronuncians itaque Eliu, etiam hæc locutus est. ℣. 2. Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. ℣. 3. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat. ℣. 4. Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius. F

PARAPHRASIS.

Persequens Eliu suam orationem adiecit hæc: Viri sapientia conspicui dictis meis aures attentas præbete, & qui rerum peritia excellitis, sensa percipite. Adeste animo, & G *ut auditu verba, gustatu cibi discernuntur, ita mentis acie, quæ promo, dispicite. Nolo gratis mihi fidem habeatis, sed ex consensu judicium fiat, conferamusque mutuò, quid in hac controversia verius sit.*

CŒptum pertexit sermonem Eliu sapientum concionem affectans, ut quæ purgatis auribus digna [ut putat] depromit, discutiantur, quod animi confidentiam redolet. Dei commendat æquitatem, Iobumque pungit, quòd de judicio conqueratur divino, qui justè pro sceleribus excrucietur: Judicium, inquit, eligamus. Electionem videlicet postulat non judicii cœpti, sed absoluti, nam judicium hoc loco discussio, collatio, exploratio est, per quam cognoscitur, quod est omnium optimum, atque verissimum, cujus delectus rejectis parùm piis, ac veris sententiis, haberi debet. Et quidem hac dicendi ratione ætatem excusat, quasi non quærat sibi, sed rebùs ipsis adhiberi fidem, quò sententiæ discussionem collimat. Subiicit autem nonnulla Iobi dicta examini postulato. H

℣. 5.

Scripta An. 1610.

℣. 5. Quia dixit Job: Iustus sum, & Deus subvertit judicium meum. ℣. 6. In judicando enim me mendacium est. Violenta sagitta mea absque ullo peccato.

PARAPHRASIS

A *Hæc nunc expendenda. Iobus asseruit, se planè justum esse, Deum eius judicium pervertere; in judicio ferendo de ipsius vita subesse mendacium, nihil se peccasse, quo ultionem gravem commerucrit.*

ASserta hæc, quæ profert ex Iobo Eliu ad examen non uno sensu ab interpretibus accipiuntur. Nos quæ cohærere videntur, dicemus. Capite videlicet 13. Iobus sic extulit: Si fuero judicatus, scio, quòd justus inveniar. Capite verò 27. Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram; ubi apertè constat, Iobum se justum asseruisse. Quod verò ad secundum assertum pertinet, Deus subvertit judicium meum, cap.
B 27. sic habet Iobus: Vivit Deus, qui abstulit judicium meum. Capite autem 19. sic dixerat: Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me. Subvertere judicium hic, quod ad rem attinet, idem cum auferre judicium, non æquo judicio affligere, vel quid simile. Quod ait, In judicando enim me mendacium est, si verba spectemus, nullibi de Deo à Iobo dictum videtur: at quod ad rem spectat ipsam, sæpe de amicis id videtur affirmasse, dum contendit eos apertè falli, falsove opinari illum peccasse, qui fuisset innoxius. Et quiUtilissima animadversio
C dem ita se res habet, amicos videlicet Iobi in eo judicando fuisse mendaces, cùm longè aliud, quàm veritas requireret, asseverarint. Illud denique, Violenta sagitta mea absque ullo peccato respicere videtur verba illa cap. 16. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces. Violentum quippe juxta opinionem Eliu foret, graviter torqueri absque culpa, cùm minimè nosset aliis de causis insontes à Deo exerceri. Interest multum, quo sensu verba syncerè prolata accipiantut.

℣. 7. Quis est vir, ut est Iob, qui bibit subsannationem, quasi aquam. ℣. 8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? ℣. 9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.
D

PARAPHRASIS

En, quàm egregius vir Iobus, qui deridet Deum, qua facilitate aquæ potum hauriret; cuius socii cum eo individuè versantes sunt homines iniusti, ac impii. Quid, quod non erubuit dicere homines Deo minime placere, tametsi cultum sedulò afferant?

COntendit Eliu Iobum, ut projectissimæ audaciæ hominem, Dei irrisorem ac neglectorem redarguere: verbisque illis: Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo, carpit vehementer ipsum, quasi sentiat frustra E Deum coli, qui nihil boni suis cultoribus conferat: fortasseque indicat malus interpres illud Iobi assertum: Unum est, quod locutus sum: Innocentem & impium ipse consumit: *Cap. 9. 22.* & illud: Si impius fuero, væ mihi est, & *Cap. 10. 15.* si justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria. Graviter solet errari, ubi Dei opera humano æstimandi more censentur.

℣. 10. Ideo viri cordati audite me, & absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. ℣. 11. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis. ℣. 12. Verè enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium. F

PARAPHRASIS.

Eò me Iobi stultitia impellit, ut vos, viri sapientes, appellem, quibus protestor, à Deo omnem prorsus impietatem & iniustitiam abesse. Profecto judicabit quemque juxta opera eius, & justum meritis præmium, pœnamve rependet. Etenim Deus non damnat absque culpa hominem, neque tametsi Omnipotens sit, potestate abutitur, ut iniquè judicet. G

INcipit divinam justitiam asserere, cupitque à viris prudentibus audiri. Ex hoc autem, quòd Deus injustus esse nequeat, efficit, reddere illum cuique, quod commeruit, neque condemnare frustra, hoc est absque peccato, quod plectendum sit: ac per hoc ipsum videtur Iobum vellicare, qui Eliu ipsius opinione non ita severè vexaretur, nisi peccasset. Hæret in eadem salebra cum tribus importunis disputatoribus, qui Iobum revincere minimè valuerunt.

℣. 13. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? H

PARAPHRASIS.

Ex hoc liquet, nihil iniustè à Deo committi posse, quòd, cum pateat, orbem terrarum divina lege justissimè gubernari, neque sit alius, qui curam eius supremus rector gerat,

Scripta An. 1610.

rat, neceſſe eſt fateri, Deum ipſum illius conditorem ſumma cum æquitate res noſtras adminiſtrare

VIS rationis ab Eliu allatæ petitur, vel à divina providentia, quam oportet eſſe perfectiſſimam, & cui accidere nequit immoderatus aliquis affectus, aut rerum ignoratio, ut judicium pervertat: vel à Dei amore, quo ſuas proſequitur creaturas, ex quo duci poteſt argumentum, incredibile eſſe à Deo corrumpi judicium erga res, quas impensè amat. Nequit enim credi Deum, qui abſque detrimento illo beneficentiam exercere poteſt, gratis excruciare, affligereve innoxios, vel non ſyncerè judicare.

A

℣. 14. Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet. ℣. 15. Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem revertetur.

B

PARAPHRASIS.

Etenim ſi Deus in animo ſuo conſtitueret, velletque voluntatem ad aliquem perdendum collimare; extemplò halitum interciperet, omniſque homo deficeret, ac in pulverem redigeretur.

DIrigere cor, idem ac, apponere cor, hoc eſt, velle decernere, conſtituere. Spiritum, ſeu flatum ad ſe trahere, perinde eſt, ac intercipere, perimere, extinguere, quod videtur alludere ad hominis creationem, in qua factus eſt homo in animam viventem, mox ac inſpiravit Deus in faciem ejus ſpiraculum vitæ Noſtro quippe more intelligendi, Deus ad hominis corpus propius accedens, quaſi inhalavit, flavit ſive halitum ſuum infudit, inſpiravit, ut viveret: quapropter à contrario ſenſu eleganter dicitur Deus dum interficit, flatum, quem immiſerat, ad ſe trahere. Ex hoc autem apertè efficitur, ut omnis caro deficiat, & in cinerem reſolvatur. Senſus autem Eliu eſt: Patet profectò, Deum nolle ſubvertere judicium: hoc enim proveniret certè ex voluntate perdendi mortales: quo quidem admiſſo, fruſtra quæreret judicium ad homines interimendos corrumpere, qui abſque corruptela illa poſſet ſine ſtrepitu judicii quoties vellet, facillimè, quaſi flatu introrſum inſpirato, illos extinguere.

Gen. 2. 7.

C

D

℣. 16. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & auſculta vocem eloquii mei. ℣. 17. Numquid qui non amat judicium, ſanari poteſt? Et quomodo tu eum, qui juſtus eſt, in tantum condemnas?

PARAPHRASIS.

Si polles ingenio, Iob, percipe quæ dico: An qui odit judicii rectitudinem, ſalvus erit? Cur ergo tu Deum rectiſſimè judicantem adeò reprehendis, ut videaris ſalutem odiſſe tuam?

SAtis perſpicuè Eliu Iobum reprehendit, quaſi è graviſſimo illo morbo perſanari nequeat, quòd judicium Dei rectum, quo pœnam peracerbam intulit, minimè amet. Antonomaſticè dictum, Qui juſtus eſt, pro quo LXX. habent: ὄντα αἰωνιον δικαιον, Exiſtentem æternum juſtum. Chaldæus, Sanctum magnum. Sanctè agere ſibi videtur Eliu: ſed aberrat.

E

LXX. *Interpp.* Chaldæus.

℣. 18. Qui dicit regi, apoſtata; qui vocat duces impios; ℣. 19. Qui non accipit perſonas principum, nec cognovit tyrannum, cùm diſceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus ſunt univerſi.

F

PARAPHRASIS.

Ex hoc etiam perſpicitur à Deo judicium non ſubverti, quòd neminem timet, cujùs gratia jus violet. Etenim regem quantumvis potentem carpit, vocatque prævaricatorem, Principeſque appellat impios, dum iniquè agunt. Non reveretur perſonam Principum, nec potentem præ inope in judicio unquam honorat. Nimirum omnium conditor, ac dominus eſt.

G

RAtio leniter decurrit, qua Eliu probare pergit, a Deo judicium minimè corrumpi. Nulla enim creatura vel potentiſſima eſt, cujus cauſa credi poſſit à Deo jus perverti: nihil enim ab eis ſperat, vel timet: & dum à recto aberrant, graviter objurgat. In judicio verò tanti apud eum ponderis inops, quàm dives, ac potens eſt, cum omnium dominatu æquè potiatur.

℣. 20. Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertranſibunt, & auferent violentum abſque manu. ℣. 21. Oculi enim ejus ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. ℣. 22. Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. ℣.

H

23.

Scripta An. 1610.

23. Neque enim ultrà in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium.

PARAPHRASIS.

A *Tyranni, violentive Principes inopinatò intereunt, Deo sic judicante: media quippe nocte populus vexatus ingruit, & eos imparatos, nulla cohorte cinctos de medio tollit. Nimirum Deus eorum actus, conatusque conspicatur, neque ullis tenebris, vel umbris horrendis aspectui ejus, peccatores se ipsos occulere possunt. Quod si semel impios damnet, non est ultrà in hominis manu regressus ad judicium, ut ibi à supplicio absolvatur.*

PErsequitur Eliu, quod de imperio Dei in reges, ac duces impios protulerat. Tantum quippe abest, ut Deus in gratiam alicujus tyranni jus violet, ut eum, æquè ac homines quosvis impotentes, aut inopes severè B tractet. Quin etiam tyrannos gravius punit, quandoquidem, ut certis liquet historiis, principes impii repentè solent extingui seditione populi, ac impressione in eos facta, quam vitare nequeunt. Neque obstat huic tremendo judicio multiplex dolus, & ingeniosa scelerum occultatio: Dei enim visus perspicacissimus cùm sit, in ipsis antris latentes peccatores apertè cernit, adeoque severè plectit, ut nullum redintegrandi judicii locum eis relinquat. Non ergo est ultrà in hominis damnati potestate, ut in judicium Dei rationes novas productarus revertatur. Ex quo profectò efficitur, ut Deus nullo modo judicium pervertat, cùm non sit regressus, vel appellatio ab ejus sententia, uti esse deberet, si C ulla culpa in jure dicendo fœdari posset.

℣. 24. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis: ℣. 25 Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. ℣. 26. Quasi impios percussit eos in loco videntium. ℣. 27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt: ℣. 28. Ut D pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.

PARAPHRASIS.

Non unum, aut alterum, sed plerosque tyrannos Deus interimet, aliosque mites pro eis excitabit. Crimina enim eorum satis cognovit, ob quæ inferet tragicam mortem, qua eos ultor justus dissipabit. Profectò ejusmodi graves peccatores in locis publicis, ac celebr bus percellere solet ob immania flagitia: nam sponte, atque consulto à Dei castris deficiunt, cujus præcepta pernoscere, ac observare detrectant: inopes verò divexant, quorum clamor effertur usque ad solium Dei, qui voces inopum, ac gemitus exaudit. E

SImilia iis, quæ tres amici Iobi protulere, profert Eliu, dum impiorum supplicium amplificat. Contextus perspicuus videtur; illa tantummodo observanda, Inducet noctem & in loco videntium. Inducere noctem idem est ac, inferre mortem, quæ adimit hujus vitæ lucem. Locus videntium, locus patens, frequens, celebris, omnium oculis expositus est. Porrò Hebræi peccatores, in celeberrima urbe constituti, in captivitatem Chaldaicam patria dulcissima pulsi, & abducti sunt. At hujus exitus tremendi exempla recentia minimè desunt. F

℣. 29. Ipso enim concedente pacem, quis est, qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum, & super gentes, & super omnes homines? ℣. 30. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.

PARAPHRASIS.

Sanè si Deus inopi, qui à tyranno opprimitur, pacem libertatemque concedat, ecquis eum damnet? E contrario verò, si faciem iratus velet, quis absque defectione cogitare possit eum mortalibus iratum? Profecto timendus est Deus, qui populos feroces peccatis fœdatos punit, sinens hypocritam, tyrannum scilicet bonos mores ementientem imperare. G

VErum ploculdubiò est Deo propitio, res prosperè cedere, irato adversitates ingruere. Absconsio vultus signum iræ, sicut ostensio benignitatis; quam observasse videtur, qui dixit: Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Hypocrita hic, tyrannus est, qui *Psal. 79. 20.* ementitur faciem, aliud exhibet, aliud molitur. Et quidem acerba punitio est, tyrannum imperitare ob crimina populi: videturque Eliu Iobum pungere, quasi eo vitio laborarit. Etenim flagitiosus Princeps populum visu, verbo, actu deturpat, & efficaciter ad scelera, quæ probat, impellit: cujus sanè mali exempla suppetunt in populis sectariorum, qui ad Principis impii nutum mentem, fidemque mutant. H

℣. 31.

Scripta An. 1610

℣. 31 Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. ℣. 32. Si erravi, tu doce me: Si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. ℣. 33. Numquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Tu enim cœpisti loqui, & non ego: quod si quid nosti melius loquere.

A

PARAPHRASIS.

Ego dixi ad Deum, hoc est, quæ ad honorem divinum pertinere censui: teque, si dicere velis, non interpellabo. Errata mea, si ulla obrepsere, corrige: si falsa protuli, silebo. At nequeo non rogare, num Deus a te iniquitatem reposcit, ut tibi adeò invisus sit? Etenim non mirum, si talia de te promam à te irritatus tu quippe sermonem exorsus es, quo me permovisti, ut te confutarem. Quòd si modò quippiam congruentius tibi succurrit, produc illud precor.

B

EVerbis hujus textus obscurissima sunt illa, Nunquid à te Deus expetit eam &c. quæ ut sensum congruentem reddant, intertextis verbis aliis proculdubiò explenda sunt. Paulò antè, iniquitatem nominarat, quam respiscere videtur, relativum, Eam, ut sensus Eliu sit: An Deus exquirit, exigit, exposcit à te iniquitatem, ut propterea tibi velut injustus postulator tantoperè displiceat? Subnotat impietatem, quasi Iobus impiè affectus esset, cui Deus foret exosus. Injusta certè viri justi, ac sanæ mentis insana interpretatio. Non absimilia inter pios viros opinione dissentientes interpretamenta contingunt.

C

℣. 34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me ℣. 35. Iob autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

PARAPHRASIS.

Utinam viri intelligentia insignes mecum colloquerentur, mutuoque attentius audiremus. Ægrè quippe fero agere cum Iobo, qui insipienter verba veræ disciplinæ dissona effutiit.

D

NImis tumet Eliu, neque finem ætatis immaturæ significandæ facit. Optabile quidem cum sapientibus versari, colloqui, convincere: at qui se aliquid existimat scire, nondum novit, quemadmodum oporteat eum scire. Sapientis est sapientum consilia requirere, non importunè dare.

℣. 36. Pater mi, probetur Iob usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis. ℣. 37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur; & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

E

PARAPHRASIS.

Summe Deus, conditor, ac proinde pater mi, exerceatur, obsecro, Iobus severè usque ad sui delirij finem, quandoquidem mitescere recusat. Nihil remittas, precor, de acerbitate supplicii. Nos verò, ô qui adestis, cernentes hominem insanum anteactis sceleribus suis horrendæ blasphemiæ crimen apponere, illum circumsistamus, & rationum agmine conferto coarctemus. Ipse verò disceptare cum Deo, & ad judicium provocare frustrà pertendat.

F

DEum appellat Patrem, cujus honorem, uti decet filium, tueri admititur, Obsecrat ergo Deum, cædat Iobum usque in finem vitæ, si in culpa persistat, vel usque ad finem sceleris, si desistat. Ne desinas, inquit, ab homine iniquitatis, hoc est, familiari phrasi Hebraica, ab homine iniquissimo cædendo, affligendo, excruciando. Addit blasphemiam, imputando videlicet Deo injustitiam. En, quàm enormiter aberrat Eliu, & quàm vehementer ad imprecationes pia, ut putat, mente præcipitat. Concludit autem facta ad circumstantes apostrophe: Inter nos interim constringatur: adhortatio est, ut à multis obsessus cedat, & resipiscat. Immensi sanè ponderis est, in rebus seriis nosse mentem synceram ejus, cum quo versaris: innumera enim ex ejus prænotionis defectu monstra concrescunt.

G

CAPUT XXXV.

℣. 1. Igitur Eliu hæc rursum locutus est. ℣. 2. Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Iustior sum Deo? ℣. 3. Dixisti enim: Non tibi placet, quod rectum est: vel quid tibi proderit si ego peccavero?

H

PARAPHRASIS.

Orationis filo minimè interrupto sic addit Eliu: An tibi justè egisse videris, cùm dixisti: Ego

Scripta An. 1610.

Ego sum Deo justior? Ex quo enim dixisti, Deo non placere rectitudinem, prodesse peccatum, te quem innoxium jactas, Deo justiorem asseruisti.

COEptis insistit Eliu Iobum graviter coarguens ex iis, quæ perperam interpretatus est: ostenditque Deo, neque justitiam hominum prodesse, neque injustitiam obesse. Notat ergo Iobum blasphemiæ, quòd dixerit se Deo justiorem esse: quod Eliu tum ex variis Iobi assertionibus pravè intellectis, tum ex constanti Iobi asseveratione, qua se insontem esse, & à Deo absque culpa cædi defendit, deducere potuit. Eo quippe ipso; quod Iobus sine delicto se plecti affirmavit, visus est Eliu, sicut & tribus primis certatoribus Deo notam injustitiæ impingere, ac proinde se Deo uti minùs justo, aut certè injusto anteferre. At Eliu assertum illud, Non tibi placet, quod rectum est, affingit Iobo ex verbis c. 10. Si justus fuero, non levabo caput hoc est, non relevabor, honorabor, remunerabor, si justè egero: ex quo videtur effici, ad sensum Eliu, Deo non placere, quod rectum est, quandoquidem non illud remunerat. Illud denique: Quid tibi proderit, si ego peccavero, attribuit Iobo Eliu ex verbis illis capitis ejusdem: Quare mundum me esse non pateris? ac si Deus ideò non pateretur Iobum esse purum, quòd aliquid lucri ei proinde accederet. Malus porrò interpres, qui tam deformiter casta verba corrumpit. Etenim ætate hac purissima sacræ Scripturæ verba ad impuros sensus sectarii detorquent. Et antiquum ergo, & recens pravæ interpretationis vitium est.

℣. 4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum. ℣. 5. Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quòd altior te sit. ℣. 6. Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? ℣. 7. Porrò si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? ℣. 8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adjuvabit justitia tua.

PARAPHRASIS.

Te Iob insolenter loquentem revincam, & amicos docebo tuos, quo pacto tecum congressuri sint. En cœlum, quod contemplare precor, videque orbes æthereos te sublimiores esse, neque machinis ullis eis te offi-

cere posse. Quomodò ergo Deo, qui cœlis altior est, culpis & criminibus tuis plurimis nocere possis? Certè quod ad Deum attinet, nihil eum lædes: atque ad eundem modum, si rectè vivas, integritas tua nihil ei lucri afferet. Homini fortasse alteri peccando oberis, benè agendo proderis: quod rectè perpende.

HAC ratione à Dei sublimitate petita enititur Eliu Iobum perurgere, amicosque illius instruere, ut renitentem pervincant. Etenim Deus infinitè perfectus, neque suæ fœlicitatis detrimentum patitur, quantumvis fœda peccata perpetrentur: neque incrementum, quantumvis eximia pietatis opera augeantur: at externa ejus gloria apud homines peccatis obscuratur, egregiis operibus clarescit: quod Eliu parum expendisse videtur. Deum ergo internè tantùm consideravit, atque in eo sensu idoneum argumentum confecit, tametsi ad Iobi animum expugnandum frigeat. Hominibus verò bona aliorum opera prodesse, officere mala, planè verum est, ut quotidianis liquet exemplis. Orbis terrarum peccati contagio laborat.

℣. 9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & ejulabunt propter vim brachii tyrannorum, ℣. 10. Et non dixit, Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? ℣. 11. Qui docet nos super jumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos ℣. 12. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.

PARAPHRASIS.

Patet certè injustitiam aliorum aliis graviter nocere, cùm afflicti homines à criminatoribus, & potentibus tyrannis oppressi clamorem tollant. Ubi mirum est, tyrannum quemque alta cum oblivione Dei grassari: neque enim se à Deo creatum recolit, neque meminit liberalem Dei morem, qui in media calamitatum nocte oppressis solet remedium, ac lætitiam afferre. Abutitur intellectu, quo à Deo præ reptilibus, & volucribus ditatus est. Insolenter ergo agita, adeò, ut in iis eventibus inopes oppressi propter malorum, ac violentorum superbiam clamitent ad Deum, qui licèt audiat, vindictamque concipiat, non tamen mox exaudit, sinens tyrannos augere malitiam, afflictos exercens ad coronam.

ASper, & salebrosus contextus est, nisi exequetur leni interpretatione, ac interjectis sententiis expleatur. Dixerat Eliu

Scripta An. 1610.

proximo versu, Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: quod statim probat ex clamore inopum, ac imbecillium ejulantium. Mox verò intexit quandam admirationem sævitiæ, ac licentiæ tyrannicæ, per illa verba, & non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me: qui dedit carmina in nocte? hoc est, miror certè tyranni cujuslibet audaciam, & Divinæ Majestatis oblivionem. Ecquis non obA stupescat, dum cernit tyrannum omnia populantem, nec dicentem unquam: Ego sum creatura quædam, deberemque meminisse Dei, qui condidit me, cultusque divini tributum rependere? Quòd si Dei memoria parùm urgeat, deberem saltem recordari potentiæ illius, qui dat carmina in nocte, quando in mediis calamitatibus afflictos exhilarat, & tyrannos interimit, quod exemplis multis vulgatum est. Jam vero, si Dei timor non me cohibet, par esset, recordarer humanæ nobilitatis, qua ultra cætera animantia decoratus sum, effectus compos rationis, cui planè repugnat, homines alios mei similes velle proterere, Deique sapientiam negligere. B Hæc Eliu ad tyrannicæ feritatis admirationem, ac detestationem, quæ licet sub tertia persona extulerit, ad Iobum tamen ipsum direxit. Subjungit autem, Ibi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum, hoc est in tyrannica vexatione egentes, inermesque oppressi vociferabuntur propter superbiam aggressorum, & tamen Deus non audiet, hoc est, non continuò oppressos liberabit, oppressores coercebit. Posset autem obiici: si non exaudiat oppressos, quid solatii supersit? Respondet,

℣. 13. Non ergo frustra audiet Deus, & Omnipotens causas
C singulorum intuebitur. ℣. 14. Etiam cùm dixeris: Non considerat: judicare coram illo, & expecta eum. ℣. 15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valdè.

PARAPHRASIS.

Etsi Deus non statim oppressos exaudiat, non credas, ô Iob, res hominum Deo curæ non esse. Audit quippe, neque frustra: ipse enim Omnipotens cujusque facta contemplatur, præmium, pœnamve redditurus. Quòd verò dicis: Non considerat, non expendit res nostras: erras planè graviter seductus rerum apparentium imagine. Sine, rogo, judiceris ab illo, expectaque judicii tempus, ubi cuique, quod suum est, tribuetur. Nam quòd modò Deus peccatoribus multis non inferat gravissimum supplicium, scelaraque perfectè vindicet, tempus ipsum clementiæ destinatum postulat: ulciscetur tamen posteà.

Sibi persuaserat Eliu, Iobum de providentia Dei non rectè opinari, quocirca monet illum non ex ijs, quæ oculis carnis patent, censeat, sed mentem altius attollat, sciatque Deum omnia pervidere, & tyrannorum insolentiam, & inopum anxietatem intueri: non tamen confestim innoxios eripere, noxios plectere: neque verò frustra videre, sive audire, cùm tempora discreverit, sinens qui in sordibus est, sordescat adhuc, qui justus, justificetur adhuc. Ea nempe ratione graves peccatores ad necem, insontes ad palmam festinare. Quòd si æquam rerum mensuram, proportionemque perspectam habere velit, abstineat à verbis blasphemis, qualia sunt illa, Deus nostra non considerat, patienterque agat, donec à Deo judicetur, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Nunc enim non est tam ultionis, quàm clementiæ tempus, propterea que Deus non infert furorem suum, hoc est acerbam punitionem iræ divinæ indicem, neque ulciscitur scelus valde, ulturus videlicet, cum judicarit orbem terræ in æquitate, quod certè rationi, ac divinæ fidei consentaneum est. Ille dicendi modus, Etiam cum dixeris, non considerat, &c. perinde est, ac certe cum dixeris, non considerat, erras: quod si perspicere velis, judicare coram illo, hoc est, fac judiceris ab illo, & vera disces. Potuit autem Eliu ansam hujus sinistræ interpretationis, qua Iobo abnegationem divinæ providentiæ attribuit, arripere ex iis, quæ Iobus de sævitia tyrannorum in hac vita impunè agentium disseruit, quasi Deus non accurrat, non opituletur afflictis, impios florere sinat. Obiter tamen Iobum vellicat, quod significarit se acerbiùs excruciari, quam commeruisset, in hunc sensum: Attende Iob, cum dicis, non considerat: cunctare aliquantum ut judiceris coram illo, hoc est, ab illo, expecta rogo, & nisi mentem mutes pernosces tibi non inferri æqualem criminibus cruciatum. Nunc enim non infert Deus furorem suum, nec ulciscitur scelus valde; at ubi ad ejus tribunal vocatus fueris, cernes te suaviter tractatum fuisse Ex his ergo infert Eliu Iobum vanè locutum, quo capitis hujus texturam claudit. E *Apocal.* 22. 11. F *1. Cor.* 4. 5. G

℣. 16. Ergo Iob frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

PARAPHRASIS. H

Ex iis, quæ exprompsi, efficitur, Iobum vanè linguam exercere, verbaque stulta absque numero profundere.

IMputavit Eliu Iobo superbiam, blasphemiam, divinæ providentiæ reprehensionem, quod si verum foret, profectò verba, quibus ea temeraria asserta protulisset, &

vana

Scripta vana, & ſtulta, & impia cenſeri deberent. An. 1610. At error in Eliu interpretamentis ineſt, quæ correctione indigent. Recta multa enunciavit Eliu, ſed non rectè: vera multa, ſed falsò affecta Iobo: multa ſyncerè, ſed importunè: Iobus quippe ex ſapientiæ, pietatis, integritatis capitibus neque rectè, neque piè, neque juſtè accuſari, redargui, vel ſperni potuit.

A

CAPUT XXXVI.

℣. 1. Addens quoque Eliu hæc locutus eſt. ℣. 2. Suſtine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar. ℣. 3. Repetam ſcientiam meam à principio, & operatorem meum probabo juſtum. ℣. 4. Verè enim abſque mendacio
B ſermones mei, & perfecta ſcientia probabitur tibi.

PARAPHRASIS.

Cùm à Iobo nihil reſponſi redderetur, adiecit Eliu: Patienter me audi brevi dicturum, oſtendamque tibi, quæ pro aſſerenda Dei juſtitia mihi ſuppetunt. Rurſus à rei principio exordiar, evincamque Deum conditorem meum juſtum eſſe. Et quidem oratio mea planè vera, ſcientiaque ſuis numeris abſoluta tibi placebit.

G IUſtitiam Dei capite hoc Eliu pergit aſtruere, quam à Iobo læſam exiſtimavit. Homo verboſus, & exordiorum prætextor mirificus eſt. Prolixè dixit, & dicendi cupidus a brevitate, quam pollicetur, a pietate cauſæ, a veritate, ac ſynceritate attentionem captat. Obſervandum hîc illud, Pro Deo loquar. In eo quippe errore verſatur, ut credat ſe pro Deo decertare, ut ei, ſi quid exorbitet, parcendum ſit.

℣. 5. Deus potentes non abiicit, cùm & ipſe ſit potens. ℣. 6. Sed non ſalvat impios, & judicium pauperibus tribuit.

D PARAPHRASIS

Conſidera Iob, Deum homines potentia inſignes non ideò reſpuere, quòd poteſtate excellant, cùm ex eo capite ſimiles ei ſint, qui omnipotens eſt. At reiicit illos, ſi impiè agant: inopeſque ab eis afflictos æquo judicio abſolvit;

DUcit orationis initium à Dei potentia, atque juſtitia, bonumque à malo diſcriminat. Tria ergo producit aſſerta, Deum non reijcere potentes, non ſalvare, imò damnare impios, egentibus æquo judicio favere: quæ planè vera ſunt, licèt importunè Iobo illata:

℣. 7. Non aufert à juſto oculos ſuos: & reges in ſolio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. ℣. 8. Et ſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis: ℣. 9. Indicabit eis opera eorum, & ſcelera eorum, quia violenti fuerunt.

PARAPHRASIS.

Iuſtus profectò Deus eſt, neque ullo modo perſonam reveretur: ſolet quippe juſtos amanter, & perſeveranter intueri, eoſque licet inopes ad regium thronum evebere, ut perpetuo imperent, è loco humili in ſublimem promoti. At ſi abutantur imperio, eos deturbat, & in carceribus, catenis obligatos, funibuſque arctiſſimè adſtrictos ſeverè tractat, eoque ipſo eis demonſtrat, ſe ob ſcelera, vimque populis illatam illos acerbè punire.

FUnes paupertatis, vel ut ex Hebræo alii vertunt, funes ærumnarum, ſunt funes, ſeu vincula afflictionis, quæ ſcilicet afflictionem afferunt, graviter vexant, premunt adſtringunt. Sententia his verſibus comprehenſa perſpicua eſt. Illud verò eſt omnium ſuaviſſimum: Non aufert à juſto oculos ſuos: G quaſi Deus voluptatem capiat ex juſtorum aſpectu. Iam autem juſtos tametſi ignotos, ac inopes in ſolium regium à Deo vocari tum ex aliis, tum ex Davidis liquet hiſtoria. Reges tamen regnandi gloria abutentes a Deo exturbari, è ſacris, & profanis notiſſimum eſt. Porrò Antiochus judicavit ſe ob crimina peracerbè cædi; ac infeliciter interire: ut pateat ex vulgatiſſimo exemplo, Deum reges impios peſſundare, indicareque ipſis ſcelera eorum, quibus violenter innoxios oppreſſerunt.

1. *Reg.* 16.

2. *Mach.* 9. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

℣. 10. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate. H ℣. 11. Si audierint, & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria: ℣. 12. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſu-

Scripta An. 1620.

sumentur in stultitia, ℣. 13. Simulatores, & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint, ℣. 14. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effæminatos,

A

PARAPHRASIS.

Deus aperiet internas aures impiorum, quæ obturatæ fuerant, & inspirationibus piis, quas velut ad aurem suggeret, redarguet eos, ut resipiscant. His, si obtemperent, prosperati defungentur, secùs gladiis hostium, vel calamitatum spiculis stultè occumbent. In hoc certè numero recensentur potentes hypocritæ iram Dei irritantes, qui licèt in speciem pii fuerint, instante morte, in ipsis vinculis desperatione summa dejecti, Deum non implorabunt; sed viribus destituti publico gladio interibunt in adversitate illa, non aliter quàm scorta masculа

B *mollitudini palàm assueta, & infami morte mulctata.*

PIngit hîc Eliu officium divinæ bonitatis, quæ impios inspirationibus instruit, illuminat, emollit, terret, allicit, ut si rectè agant, præmium, si obdurescant, pœnam reportent. Subiungitque simulatores, qualem Iobus censebat, eò devolvi, ut si è prosperitate dejecti catenis vinciantur, hoc est, vel in carceris custodia obligentur, vel adversitatibus premantur, non invocent Deum, neque in eo suæ salutis spem collocent, quasi conscientia, quæ diù Deum repulit, ægrè possit ingruente procella cæleste auxilium fidenter implorare. Anteactæ nimirum turpis vitæ memoria animum enervat, quemadmodum justitiæ cultæ recordatio roborat.

C Subdit verò ejusmodi impios, qui simulavere pietatem, publicandos, ut revelata hypocrisi, infami morte tollantur, non secus, ac effœminati, sive cynædi, infamia publica notati, qui nihil finxerunt, sed impudenter, patenterque peccarunt. Videtur alludere ad sodomiticum prodigium: vitium quippe, ac supplicium regionis illius portentosum fuit, neque ullo velamento tectum. Licèt autem doctrinam hanc Eliu in commune proponat, verosimile tamen est, Iobum dicendo pungere, qui sacrificia, ac pia opera frequentarat. Hæc nimirum, opinione Eliu, hypocrisi quadam vitiata fuere, neque simulatio profuit, quò

D minus Iobus publicè puniretur, ac si inter palàm peccantes vitam fœdasset. Observandum hîc, quod superiùs in eodem trium amicorum Iobi errore monuimus, verba illa Eliu: Si audierint, & observaverint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria: si de instaurata temporali prosperitate accipiantur, quæ mens Eliu videtur non esse universè vera: non enim resipiscentiam individuè comitatur florentis status reparatio; imò non est inter duo illa nexus, sed varia divinæ providentiæ ratio, quam mortales exiguo captu suo metiri non debeant. Gladius quoque ille, quem Eliu impiis minatur, non semper ferreus est: at pro gladio subit adversitas temporaria, vel certissimus, si ad mortem usque impietas procurrat, interitus, cruciatusve sempiternus,

Animadversio.

E

℣. 15. Eripiet de angustia sua pauperem, & revelabit in tribulatione aurem ejus ℣. 16. Igitur salvabit te de ore angusto latissimè, & non habente fundamentum subter se; requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. ℣. 17. Causa tua quasi impii judicata est, causam, judiciumque recipies.

F

PARAPHRASIS.

Impium quemvis tyrannum in extremam paupertatem redactum liberabit Deus, si obtemperet ille, dum aures animi aperiuntur, & inspirationes divinæ instillantur. Quod cùm negetur nemini, profectò & te Iob si obaudias, eripiet Deus è calamitate, velut ex profunda, angustaque fovea, fundoque carente, in statum florentem, tamquam in locum tutissimum latissimè patentem: reparataque opulentia, sedebis ad mensam lautam adipositis cibis instructam. Vide, rogo, quid agas: in hac enim causa tua te Deus quasi impium damnat, & percellit: & quale judicium commereueris, talè certè feres.

G

ORatio paræneticа est, qua Eliu Iobum ad pœnitentiam hortatur, aitque; fore, ut Deus eripiat eum de ore angusto, hoc est, de calamitate, quæ similis est puteis, foveisque os angustum habentibus, quibus si semel homo absorbeatur, non supereſt spes emergendi, observato fluviorum discrimine, ubi plerumque solet evenire, ut aqua ipsa ad ripas, insulasve medias appellat, quos voravit, licèt natandi imperitos. Ille verò dicendi modus, Non habente fundamentum subter se, hyperbolica abyssi, sive profunditatis, cujus fundum invenire non datur, similitudine, gravissimam notat ærumnam, è qua vix subit spes evadendi. Usus est David simillima phrasi: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: hoc est, nihil firmum subsitat, quo nitar. Requiem mensæ dixit tranquillam mensam, quam futuram pollicetur pinguedine, hoc est, pinguibus dapibus plenam. Postremò ille versus, Causa tua quasi impii judicata est, &c. gravem exhortationem continet, comminatione per-

Putei, & fluvii discrimen.

H

Psal. 68. 3.

mu-

Scripta An. 1610. miſtam, cujus ſenſus eſt: Deus te ut impium mulctavit: recipies uti egeris, pœnam, ſi malè, præmium, ſi rectè. Cauſa, & judicium, pro termino cauſæ, ſive diſcuſſionis, ac judicii, prænio ſcilicet, pœnave ponuntur.

℣. 18 Non te ergo ſuperet ira, ut
A aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.

PARAPHRASIS.

Amplectere conſilium hoc: Iram reſtingue, ne uti prius quemquam proculces: munera reſpue, ne te, ut anteà malè afficiant.

EN apertiſſimè Iobum carpit Eliu, monetque ſimilia prioribus peccata præcaveat. Ergo cenſet proculdubio cum tribus primis concertatoribus, Iobum ob anteactæ vitæ crimina excruciari, & credit, ſi reſipiſcat, proſperitatem ei reſtituendam, quemadmodum tres illi credidere.

B ℣. 19. Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione, & omnes robuſtos fortitudine. ℣. 20. Ne protrahas noctem, ut aſcendant populi pro eis. ℣. 21. Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.

PARAPHRASIS.

C *Comprime animi elationem ſponte tua, non calamitate coactus. Coerce potentes viribus, neque illis connivcas noctem prolixam, deſiderans, ut populi eis fœderati invadant alienas opes, aſcendant in alienas arces, furore perciti. Vide ne injuſtè agas, ſicut ex quo in hanc ærumnam, ſive miſeriam incidiſti.*

COnſilia ſunt non petita, ſed obtruſa: correptio etiam eſt præteritorum ſcelerum opinione Eliu à Iobo admiſſorum, & præſentis impietatis, qua vir pius fœdari credebatur. Verba ergo illa, Hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam, non ita accipienda, quaſi Iobus juſtè priùs egiſſe, at miſeria inſtigante peccaſſe exiſtimaretur: ſed quaſi præteritis ſceleribus novum, idque horrendum apponeret è multis capitibus conflatum,
D puta ex aſſertione propriæ juſtitiæ, & reprehenſione divinæ providentiæ. Ille modus dicendi, Depone magnitudinem, hoc eſt, elationem tuam abſque tribulatione, perinde eſt, ac, Ne ita efferaris, ut ad te ſubjugandum opus ſit tribulationem tibi inferre. Illud verò, Depone omnes robuſtos fortitudine, &c. tantundem eſt, ac, deprime, compeſce potentes, neque noctes eis longas permittas, ut aſcendant populi eis ſociati, pro eis pugnaturi, & alienas opes expilaturi. Neque obſtat, quòd hæc adhortatio inepta videatur, cùm Iobus in eo jam ſtatu conſtitutus ſit, ut nequeat, quæ conſuluntur, præſtare: familiaris quippe monendi modus eſt, quo in eventibus pleriſque paſſim utimur. Quid enim crebrius, quàm latroni, homici- E
dæque in vincula conjecto ſic ſuadere: Ne præderis, ne interficias, ſi velis Deo gratus eſſe. Sanè uſitatus eſt hic ſuadendi modus, qui præterita crimina reſpicit, & ad corrigendum affectum valet plurimum.

℣. 22. Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legislatoribus. ℣. 23. Quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis poteſt ei dicere: Operatus es iniquitatem? ℣. 24. Memento quod ignores opus ejus, de
quo cecinerunt viri. F

PARAPHRASIS.

En Deus potentia excellit, & ſapientia, quam in ſua legislatione, cui nulla ſubeſt ſimilis, demonſtrat, ut par ſit, ei omninò cedas, neque opera ipſius examinare velis. Nemo enim valet ejus actus ſatis explorare, culpæve ipſum convincere. Quocirca ne, precor ſuperbias, effectus ſcrutator audax, ſed memineris te ignarum eſſe operum Dei, quem viri antiqui, majores noſtri, cantu religioſo abſque ſcrutinio laudarunt. Hos imitare.

G

OPtarat Iobus examen, & rogarat, cur ita eum Deus judicaret, aliaque id genus: quibus occurrit Eliu, Dei fortitudinem, ſeu potentiam, & ſapientiam, cui nemo ex legislatoribus parem adeptus eſſet, proponens, ut Iobus legi puriſſimæ collum ſubderet, bonique conſuleret calamitatem à Deo illatam, quam ex divinæ legis præſcripto patienter ferre deberet. Huc facit, quod monet, Neminem videlicet poſſe vias, hoc eſt, opera, ſive actus Dei perſcrutari, vel injuſtitiæ illum incuſare, cùm ſit ineffabilis, ac natura juſtiſſimus. Propterea urget, recordetur ſe modici captus eſſe, ignorareque mira Dei facta, viroſque antiquiores non ſic egiſſe, ut
Dei opera ſcrutarentur, aut reprehenderent, H
ſed cum animi demiſſione decantarent. Religioſum eſt, quod hortatur Eliu, ſed extra rem, & intempeſtivum.

℣. 25. Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur procul. ℣. 26 Ecce Deus magnus

vin-

Scripta An. 1610.

vincens ſcientiam noſtram; numerus annorum ejus inæſtimabilis. ℣. 27. Qui aufert ſtillas pluviæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum; ℣. 28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta deſuper,

A

PARAPHRASIS.

Univerſi certè mortales cognoſcunt Deum, ſed quiſque velut è longè diſſita regione tenuiter. Eſt quippe Deus major multò, quàm ut per hominum ſcientiam perfectè poſſit agnoſci, nempe ſempiternus, ac proinde infinitè perfectus. Quòd ſi ejus opera expendamus, patebit, ne illa quidem ſatis ab hominibus cognoſci. Quis enim ſiccitatem, ubi ne ſtilla quidem una decidit, & copioſam pluviam, ubi funduntur aquarum velut flumina è cataractis nubium cœlos obducentium, exactè novit?

B

PRobaturus Eliu Deum incognitum eſſe Iobo, ponit Deum ab omnibus quidem hominibus naturali lumine videri, hoc eſt, agnoſci, procul tamen, hoc eſt, exiliter, tenuiter, qualis eſt notio rerum longè diſſitarum, quas conſpectu, vel intuitu parum diſcernimus. Et quidem cognitionem hanc aſſeruit Apoſtolus ajens; Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. At cognitio exigua eſt, ut verba, Conſpiciuntur, & Vident, quibus Apoſtolus, & Eliu uſi ſunt, pro cognoſcunt, intelligunt, & modice id quidem accipienda ſint. Periphraſis illa, Numerus annorum ejus inæſtimabilis, æternitatem ſignificat, quæ tempora omnia ſine ullo ſucceſſu complectitur. Hæc ad Deum ipſum. Quod verò ad ejus opera ſpectat, profert Eliu exemplum ariditatis, & pluviæ, quod in ſuperioribus expenſum eſt, cujus perfectam cognitionem hominibus non contingere rationibus multis aſſeritur: ut ex hoc pateat, exactam divinorum operum notitiam à mortalibus minimè parari, ac proinde à curioſa eorum diſcuſſione abſtinere debere.

Rom. 1. 20.

C

℣. 29. Si voluerit extendere nubes, quaſi tentorium ſuum, ℣. 30. Et fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet. ℣. 31. Per hæc enim judicat populos, & dat eſcas multis mortalibus.

D

PARAPHRASIS.

Qualis ſit Dei potentia & ſapientia ſcrutari deſine Iob, & mirare Deum, qui dum placet, nobis oppandit, quibus velut papilione occulitur, & terribili ſpecie fulgura emittit, monteſque quorum imis radicibus mare, tanquam in cardinibus volvitur, nubibus coactis obtegit. Ex his certè nubibus nunc punit populos rebelles, dum eos obruit, nunc paſcit mortales, dum opportunè terram pluvia fœcundat.

E

DEſcribit Deum nubis latibulo, ac tenebris velut incluſum, homines fulguribus, & nubium conglobatione terrentem, vocatque cardines maris, montes; quorum imis radicibus ſub aquis latentibus, mare innititur, ac circumvolvitur. Hos ergo cardines operit, conveſtitque nubibus agglomeratis, ſi ſupernas eorum partes, id eſt, cacumina ſpectemus. Ab aliis ſcriptoribus cardines maris dicuntur littora, ad quæ interdum pertingunt cœleſtes nubes, eaque obnubunt. Littoribus autem mare arceri, nitique, uti cardinibus videtur. Ex his contendit Eliu, Deo, cujus Majeſtatem naturalia meteora repræſentant, cenſendum eſſe. Porro nubes eleganter dicitur tentorium Dei, qui ponit nubem aſcenſum ſuum, & ambulat ſuper pennas ventorum. Et apud Matthæum, Æternus Pater velut è tentorio nubis lucidæ graviter, & excelsè inducitur loquens: Hic eſt filius meus dilectus, &c. Denique notum eſt pluviis è nubibus effuſis, nunc homines puniri, nunc recreari, & ali, nunc copiam, nunc inopiam exiſtere.

F

Pſal. 103. 3.

Matth. 17. 5.

℣. 32. In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rurſus adveniat. ℣. 33. Annunciat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere.

G

PARAPHRASIS.

Deus, manu velut oppoſita, ſolis lucem mortalibus ſubtrahit, manu velut amota, reddit, dum nube coacta orbem obſcurat, diſjecta illuſtrat, lucemque affulgere jubet. Et quidem veris cultoribus, & amicis ſuis oſtendit hoc lucis ſymbolo, veram eorum hæreditatem eſſe lucem quamdam beatiſſimam, ad quam ope divina, boniſque operibus, tanquam gradibus ſcalæ aſcendere valeant.

H

THeologicum eſt, quod Eliu his ultimis capitis verbis producit, dum ex aſpectabili luce ſeſe ad lucem immenſam, divinam, æternam effert; ad quam Dei amicos aſcendere poſſe teſtatur. Et quidem appoſitè: nam ſolis lux nobiliſſima, quæ mundum exhi-

Scripta An. 1610.

exhilarat, fovet, illuminat, idoneis rerum divinarum contemplatoribus uſui maximo eſt ad aſcenſum in divina, quibus immortalis animus illuſtratur, & paſcitur. Poteſt ſecundò verſus ultimus, Annunciat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere, ſic exponi: Monet Deus fidum amicum ſuum, quod ſol lucens, ſive cælum lucidum ſit poſſeſſio, hoc eſt, locus poſſeſſionis ejus: quia locum illum gloriæ beatorum deſtinavit, ad quem bonis operibus paratur aſcenſus. Et in hac certè expoſitione lux pro corpore lucido accipienda, & pro cæleſti fabrica illa, quæ tenebrarum expers eſt, uti decet locum divinæ lucis conſortio decretum. Poteſt demum ſic verſus tertiò explanari: Annunciat Deus amico, ſive homini gratia divina illuſtrato, quod lux ſolis pertineat ad poſſeſſionem, ſive opes ſuas: nam ſicut qui male agit, odit lucem, ut non arguantur ejus opera, ita è contrario qui rectè agit, amat delectatur, quærit lucem, ut rem ſibi congruentem, cui aptè dicitur, poſſe ad illam aſcendere, hoc eſt, ad loca conſpicua prodire; ubi lux affulget, ut eo ipſo diſcernatur à peccatoribus, qui latebras exquirunt, & hominum conſpectum conſcientia carpente refugiunt.

A

B

CAPUT XXXVII.

℣. 1. Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo. ℣. 2. Audite auditionem in terrore vocis ejus, & ſonum de ore illius procedentem. ℣. 3. Subter omnes cælos ipſe conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ. ℣. 4. Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inveſtigabitur, cùm audita fuerit vox ejus. ℣. 5. Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter, qui facit magna, & inſcrutabilia.

C

PARAPHRASIS.

D

Supereſt aliquid dicendum, quod dum contemplor, equidem cohorreo, & attonitus hæreo. Expendite & vos terribilem ſonum à Deo in tentoriis nubium latente erumpentem. Expendite quoque viſum ejus omnia, quæ ſub cælo ſunt, penetrantem, & fulgura, quibus ad ultimas uſque orbis terrarum oras ſubito lumine omnia illuſtrat, mugitumque illum divinæ magnitudinis indicem, tonitruum ſcilicet, quod poſt Deum ipſum quaſi ſuper ventos gradientem, & ſuæ Majeſtatis terrifica ſigna relinquentem, auditur. Certè ubi detonuit, perveſtigari, certove ſciri non poteſt, quid egerit; quo ſua fulmina jaculatus fuerit, quæ terræ pars è cælo tacta conflagrarit. Edit Deus tonitrua mirabilia, efficitque multa, porrò magna, quæ mortales perſcrutari nequeunt.

E

PErſiſtit Eliu hoc capite in deſcribendis aliquot naturæ effectis meteoricis planè mirabilibus, quibus Deus mortalibus terrorem incutit, quorum cauſæ, fineſque perfectè cognoſci nequeunt, ut ex hoc divinam potentiam, ſapientiamque commendet, hominumque Dei opera ſcrutantium audaciam frangat. Tonitruum amplificat, quod auditionem in terrore vocis Dei, ſonum de ore Dei procedentem, ſonitum rugientem, vocemque magnitudinis Dei appellat. Periphraſis poetica eſt, Ille dicendi modus, poſt eum rugiet ſonitus, ſignificat noſtro intelligendi more, Deum quaſi per ſummos ventos, regionemve aeris altè gradientem, tranſituque ſuo terribiles illos crepitus excitantem, ut homines ad ſui timorem permoveat. Alii opinantur, verba illa, Poſt eum, perinde eſſe, ac poſt fulgorem, ſeu fulgur, quia phyſicè agendo priùs cernitur fulgur, poſteà tonitruum auditur, quod cum motu, ſucceſſuve ad aures perfertur. Illud verò, Non inveſtigabitur, cum audita fuerit vox ejus, referri poteſt & ad ſonum incerto ex loco delatum, & ad fulmina & conflagrationes horrendas, quæ paſſim contingunt certis in locis, quæ certò ſciri non poſſunt, & denique ad multa naturæ mirabilia ibi latentia, quæ ſatis comprehendi nequeunt, tametſi incendia, & fulmina quandoque inveſtigentur. Præmiſit Eliu tonitrui mentioni verba illa, Subter omnes cælos ipſe conſiderat, ut ſignificaret jactus fulminum, tonitrui terrorem, cæteraque omnia, quæ fortuita, & nullis legibus adſtricta videntur, divino conſilio regi, ut ne minima quidem corruſcatio hiante nube vibrata extra, Dei decretum ſplendeat. Eſt autem perelegans ordinis ratio, nam poſt verba, Subter omnes cælos ipſe conſiderat, ſubiungit, Et lumen illius ſuper terminos terræ, tertioque loco tonitrua commemorat: quaſi noſtro dicendi more Deus primùm conſideret, mox fulguribus ſubitis illa, quæ in orbe denſis nubibus obducto geruntur, retegat, denique peccatores tonitruis, & fulminibus terreat, & puniat. Videtur Eliu idoneus mirabilium operum contemplator, quæ mentem ad ſapientiæ, ac potentiæ divinæ admirationem extollant, quod à viris piis obſervari decet.

E

F

G

H

℣. 6. Qui præcipit nivi, ut deſcendat in terram, & hyemis pluviis & imbri fortitudinis ſuæ. ℣. 7. Qui in ma-

Scripta An. 1610.

manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua. ℣. 8. Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur.

PARAPHRASIS.

Mira eſt ſapientia, & potentia Dei, cujus
A *imperio nix candore, ac puritate mirabili decidit, & ſeſe agglomerat terræ, & byemales pluviæ influunt, nimbique vehementiſſimi corruunt. His verò meteoricis impreſſionibus velut in hominum manibus ſcribit, notatve temporum diſcrimina, ut quiſque ſciat tempeſtivè ſua opera exercere, tempus antevertere, ne ob nivem, aut imbrem impediri poſſit. Dum enim ningit, aut vehementer pluit, non homines tantum, ſed feræ quoque ipſæ in ſua luſtra ſe condunt, atque quieſcunt.*

Pſal. 148. 8. REctè cecinit Vates, Ignis, grando, nix glacies ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, ut & res illas, quæ impetu celerrimo feruntur, & abſque conſilio
B accidere videntur, præcepto Dei, ordineque miro ſuccedere demonſtret: quod congruit aſſerto Eliu dicentis: Qui præcipit nivi, pluviis, imbri fortitudinis, hoc eſt fortiſſimo, per phraſim Hebraicam familiariſſimam. Eo autem ipſo, quòd ex Dei præcepto hæc contingant, multiplex divinæ ſapientiæ, ac potentiæ, & juſtitiæ laus ex hoc textu conflatur, à menſura, diſtributione, effectis, aliiſque capitibus, quæ novit ipſe rerum conditor, & ſervator. Illud verò, In manu ſignat, perinde valet, ac notat velut in manu, hoc eſt, ita erudit hominem ad obſervanda tempora operibus, ſive laboribus ſuis opportuna; ac ſi in ipſa vola manus
C omnia perſcripſiſſet, quod ad peritiam rei ruſticæ pertinet. Cætera patent.

℣. 9. Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus. ℣. 10. Flante Deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſimè funduntur aquæ.

PARAPHRASIS.

D *Ab Auſtro erumpunt venti, qui tempeſtates excitant, & ab Aquilone, ubi nitet Arcturus, provenit frigus. Deo auctore aqua glaciatur, poſteaque large reſolvitur.*

CAp. 9. ſcriptum eſt: Qui facit interiora Auſtri, hic verò, Interiora, dumtaxat ponuntur, pro plaga cæli Auſtrali circa polum Antarcticum, apud quem ſunt ſtellæ nimborum, ac tempeſtatum effectrices. Plaga illa nobis abſcondita eſt, ut ſolent eſſe interiora domus loca. Et quidem pro interioribus, LXX. Interpretes aptiſſima metaphora poſuere, Promptuariis, quaſi venti in cellariis quieſcant, è quibus, ubi opus eſt, à Deo promantur. Arcturus conſtellatio eſt, quæ dicitur Urſa, de qua ſcripſimus capite 9. Certum eſt autem, boreales ventos inde flantes frigidiſſimos eſſe. Iam verò, quod ſubtexitur, Flante Deo concreſcit gelu, &c. idem eſt, ac Deo ventos frigidos emittente aqua coit, atque duratur, calidos edente, aqua ipſa è ſoluta glacie largiſſimè fluit: quod ad ſermonem arcanum, ubi Deus animam E nunc velut congelare ſinit, mox calore divino in dulciſſimas lachrymas reſolvit, elegantèr traducitur. LXX. Interp.

℣. 11. Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum: ℣. 12. Quæ luſtrant per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne, quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum. ℣. 13. Sive in una tribu, ſive in F terra ſua, ſive in quocumque loco miſericordiæ ſuæ eas iuſſerit inveniri.

PARAPHRASIS.

Triticea ſeges nubes pluvias optat, quæ Dei juſſu fulgura emittunt, dum reſolvuntur: ferunturque ad loca omnia, quò Deus gubernans flexerit, ut in quovis orbis univerſi loco mandata exequantur: & quidem nunc in tribus unius regione, nunc in terra, quam Deus velut ſuum peculium ob cultum, & cognitionem Divinæ Majeſtatis habet, nunc variè in quavis alia regione clementer jubet eas adeſſe. G

FRumentum dicitur optare nubes, uti res quælibet, licèt ſenſus expers, aſſeritur deſiderare, quæ naturæ ipſius conſentanea ſunt. Pingitur autem Deus nubibus, velut quadrigis vectus, quas regit, & flectit, quò vult, ut varias orbis regiones opportuna pluvia perfundat. Et quidem hic nubium ductus mirabilis eſt, operumque divinorum contemplatoribus dignus. Quid autem Eliu ex hac obſervatione deducat, ex adiunctis liquet.

H

℣. 14. Auſculta hæc Iob: ſta, & conſidera mirabilia Dei. ℣. 15. Numquid ſcis, quando præceperit Deus pluviis, ut oſtenderent lucem nubium ejus? ℣. 16. Numquid noſti ſemitas nubium,

ma-

Scripta An. 1610.

magnas, & perfectas scientias?

℣. 17. Nonne vestimenta tua calida sunt, cùm perflata fuerit terra Austro?

PARAPHRASIS.

A *Audi me Iob, quiesce, & contemplare mira Dei opera, neque cum eo disceptare velis. An nosti tempus, quo Deus imperat, fluant pluviæ, appareatque lux nubium fulgurantium? An exploratas habes vias, quibus nubes feruntur, & secretorum naturæ maximam, perfectamque scientiam comparasti? Certè tu experiris vestes calefieri tuas, flante Austro, cùm tamen venti illius ortum, motum, proprietates multas ignores. Cur ergo Deum ad disputandum lacessis?*

ACriter instat Eliu rogans multa, quorum notio modica est, ut ex hoc struat argumentum, evincatque ab homine ignaro non esse cum Deo congressum faciendum. Proponit duo illa meteorica, effusionem pluviæ, & lucem, sive fulgur è nube micans, ut ignis, & aquæ mistionem quandam miram, neque satis cognitam repræsentet. Addit statim semitas nubium, hoc est, cursus varios, flexus, reflexus, elevationem, depressionem, motusque multiplices, quos nosse nequimus. Denique meridionalis venti Oceani vaporibus gravidi, & obvia quæque humectantis mentionem inducit; ubi arcana multa inexplorata complectitur.

B

℣. 18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt? ℣. 19. Ostende nobis, quid dicamus illi, nos quippe involvimur tenebris. ℣. 20. Quis narrabit ei, quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, devorabitur. ℣. 21. At nunc non vident lucem: subito aer cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas. ℣. 22. Ab Aquilone aurum venit; & ad Deum formidolosa laudatio.

C

PARAPHRASIS.

D *Quousque insolescis Iob? Certè videris tibi adeò sapiens, ac si cum Deo cælestes orbes constantissimos; ærique fuso, ac puro simillimos architectatus esses. Si ergo adeò sapis, doce nos, qua ratione cum illo agere debeamus, nos enim ignorantiæ tenebris excæcamur. At quis aget cum eo de his, quæ profero? Sanè si loqui audeat coram majestate tanta, confusus, perturbatusque stupebit, & quasi modicus rivus ab Oceano immenso absorbebitur. Verùm quò feror? Omnes mortales ignari sunt, qui hæc inferiora non capiunt, tantùm abest ut cum Deo disputare valeant. En nunc orbis terrarum non fruitur luce solis ob nubes densas, quæ coguntur in aerea regione: & mox, nemine causam sciente, ventus repentè ortus illas dissipat, & ab Aquilone sereneścit: obiicitque se oculis mortalium aer purus, aureo colore flavescens. Ex quo non concipitur ab hominibus ausus in Deum, sed laus timore plena.*

E

ARguta est derisio illa, tu forsitan cum eo fabricatus es cælos. Nemo quippe Deum adjuvit, eive ministravit, dum cælos conderet, præsertim cùm creatio solius Dei opus sit. Et quidem licèt Deus creatura aliqua in opere illo vsus fuisset, certè non Iobo, quem nondum creaverat. Dicuntur cæli solidissimi, & quasi ærei ob incorruptibilem materiam. Emphasim habet illud, Ostende nobis, qnid dicamus: quasi dicat Eliu cum fastu: Doce nos, magistrum agis, ergo nos oportet à te discere. Illud verò, Quis narrabit ei, quæ loquor? hanc vim habet: Quis erit adeò sapiens, qui cum Deo de his quæ promo, disserere audeat? Subiungit, Etiam si locutus fuerit, devorabitur, hoc est, Tametsi pro captu hominis disertè loquatur, nihil proficiet, neque verò quicquam loqui videbitur, quemadmodum tenuis rivus, qui in Oceanum influit, & absorbetur immensis maris aquis, nihil esse videtur. Potest quoque verbum, Devorabitur, significare supplicium hominis cum Deo disceptare audentis, quem mors ultrix vorabit. Revertitur mox ad meteora, ex quibus disparitatem divinæ scientiæ humanam cognitionem vincentis amplificat: proponitque nubes nunc coactas, terram obumbrantes, lucemque prohibentes, nunc extemplò desjectas, cælique serenitatem auream ab Aquilone apparentem. Pro verbis illis, Ab Aquilone aurum venit, LXX. vertunt, Ab Aquilone nubes coloris aurei: quibus certè verbis id effici videtur, ut germanus hujus loci sensus non necessariò aurum verum, sed aliquid lucidum, flavum, aureum, nitorem exhibens requirat, ut in paraphrasi expressimus. Mira ergo Dei opera recensuit, quibus debetur formidolosa, hoc est, timore plena laudatio. Carpit Iobum, qui nimis audere videtur; at non capit Iobum.

F

G

LXX. Interpp.

℣. 23. Dignè eum invenire non possumus: magnus fortitudine, & judicio, & justitia, & enarrari non potest. ℣. 24. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.

H

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS

Ex his, quæ dixi, patet, homines non posse Deum, ut ejus dignitas requirit, nosse: excellit quippe potentia, sapientia, & justitia, adeo ut planè sit ineffabilis. Quapropter viri fortes eum pavent, & qui sapiunt, eum curiosè scrutari non audent.

A

HÆC prolixi sermonis conclusio, qua Eliu duo pronunciata complectitur: unum, non posse nos Dei cognitionem suprema illa natura, potentia, sapientia, justitia dignam in hac mortalitate perquirere, ob ineffabilem divinæ Majestatis sublimitatem, alterum, viros quosvis, eos etiam qui sapientia præstant, si sapiant, non ausuros Deum, ipsiusque opera curiosè perscrutari. Et quidem primo asserto, ubi justitiam Dei recenset, Iobum vellicat, ne se justum jactet, secundo pungit, ne cum Deo disceptare cupiat, sed grandes animos compescat, & calamitatem patienter exantlet. Pro verbis illis ultimis, Et non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes, LXX. reddunt, Timebunt quoque eum & sapientes corde, φοβηθήσονται αὐτὸν καὶ σοφοὶ καρδίᾳ. Ergo non audebunt contemplari ex timore casto, quo decet eos affici erga infinitam Dei Majestatem, qua nihil excelsius, & ad continendos in officio animos efficacius. His grandi sermone recensitis, Eliu silet.

LXX. Interpp.

B

CAPUT XXXVIII.

℣. 1. Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit: ℣. 2. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? ℣. 3. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.

C

PARAPHRASIS.

Expleta oratione Eliu repentè coaluit turbo, ventusve vehemens, atque contortus, è nube validè erumpens, impetuque remisso, animis perterrefactis, & ad rei novitatem attentis, sonuit vox corporeis auribus percepta Dei è tribunali loquentis in hunc modum: Ecquis est iste adeò arrogans, qui sententias implicat verbis scientiæ, ac prudentiæ parum congruentibus? Ergo tu Iob compara te ipsum more illorum, qui ad opus se diligenter accingunt, ac expediunt: tecum verba faciam; rogabo, & responsa reddes.

D

CEssarunt quinque viri, postremusque Eliu prolixam orationem absolvit, & Deus votis Iobi responsurus extemplò turbinem, nubem scilicet cum vento rotato, atque contorto coegit, quæ Iobo incubuit, ea scilicet propinquitate, qua vox Dei post strepitum, fragoremque turbinis posset commodè audiri. Terruit ergo viros, & animos ad attentionem excivit, & è vero, externoque turbine, vero, & externo sono, qualem requirit germanus hujus versus intellectus, sic Iobum Deus affatus est: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Quæ quidem verba scriptores aliqui de Iobo, alii de Eliu dicta contendunt, argumentis in utramque partem minimè spernendis. Ego censeo de Eliu dicta, qui tunc sermonem expleverat, ut verosimile sit, vix ullam inter finem orationis Eliu, & turbinis ortum intercessisse moram, quemadmodum contextus ipse videtur exposcere. Cohæret quippe, ut oratorem prolixum vix finem dicendi facientem coortus è vestigio turbo quasi præoccuparit, ne de integro sermonem instauraret. Cohæret etiam, ut Deus cum Iobo loquens, roganque. Quis est iste, &c. interroget non de Iobo ipso, sed de alio quopiam, neque succurrit alius, quàm qui recenter siluerat, si tamen siluerat, & non potiùs orationem pertexere cogitabat: nam & inter dicendum, argutè ab interpretibus observatum est, Eliu aliquoties tantillùm expectasse, si fortè Iobus responderet, moxque nullo accepto responso, dicere perrexisse. Cohæret demum ipse verborum sensus, Quis est iste, qui loquitur sententias sermonibus imperitis? hoc est, qui effert pia asserta, & erudita, sed imperitè, hoc est, imprudenter, neque ad rem loquitur: quo ætas Eliu, fastus, & sermo ausu, & arrogantia vitiatus obtrususque Iobo notatur. Neque obstat, Eliu non imperito dumtaxat sermone, sed sententia quoque aberrasse, nam non subest ratio efficax, ob quam obiici debuerit, quidquid erroris admisit spontaneus disputator: præterquàm quòd satis ei erronea sententia, in quàm cum tribus amicis conspiravit, exprobratur, dum illi à Deo posthac redarguuntur. Licèt autem in controversia divinæ providentiæ Eliu errasset, sententias tamen multas pias congessit, & (ut sacer textus ait) involvit. Quod verò additur, Accinge sicut vir lumbos tuos, habitus est hominis se ad opus expedientis, ac præcingentis: & in arcano sermone significat libidinis in lumbis residentis compressionem, quæ ad sensa divina percipienda opportunissima est. Illud autem, Interrogabo te, & responde mihi, perinde est, ac desistat iste disputator, cui benè est, ne respondeas: mihi potiùs respondebis, ut votis tuis satisfaciam. Observandum hìc, Deum apparuisse, ut litem hanc satis agitatam dirimeret, quod posteà liquebit. Priùs tamen, quàm ad pronunciandum accedat, longa, varia, delectabilique oratione plurima sane mirabilia Iobo proponit è naturali mundi opificio, & animantium natura deprompta. Ratio verò cur, aut quorsum hæc Deus mira

E

F

G

H

Animadversio

pro-

Scripta An. 1610.

producat, multiplex ab ſcriptoribus redditur, qualis hæc, ut Iobus, qui cum Deo diſputare cupierat, & non certè in ſententia, ſed in modo loquendi metam rationis exceſſerat, reprimatur, & in operum divinorum, quæ capere nequit, admirationem elatus culpam agnoſcat: & hæc, ut qui ſe derelictum
A conquerebatur, cernens Deum rerum univerſarum conditorem, ſervatorem, & altorem eſſe, conſideret ſe à Deo minimè haberi neglectui, aut oblivioni tradi. Poteſt ratio utraque in unam bimembrem coaleſcere, & ex acri, dulcique temperari.

℣. 4. Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam. ℣. 5. Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ℣. 6. Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut
B quis demiſit lapidem angularem ejus, ℣. 7. Cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.

PARAPHRASIS.

Iob, qui mecum diſceptare cupis, vide, quam ſis impar. Rogo, quàm es ætate provectus ut ſcientia inſigni præcellas? Certè ego ſum ſempiternus: tu verò nondum eras, cum mundum architectarer. Nondum eras, cùm jacerem ego terræ fundamenta, hoc eſt, ſtabilitatem terræ nativam tribuerem, qua fundaretur. Reſponde, ſi capis. Et
C *quidem certum eſt, me terram emenſum fuiſſe, & velut lineam duxiſſe, qua molem illam dirigerem, ne locum, aut metas excederet, quod tamen fabricæ genus tu prorſus ignoras, neſcis videlicet, quanam re firmitas terræ baſibus ſignificata nitatur. Ego profectò centrum, quod inſtar lapidis angularis omnes terræ partes coagmentat, atque connectit, conſtitui, quando creavi ſydera ſummo mundi mane lucentia, meque ſuo formoſo ſplendore laudantia, quando creavi Angelos, qui in me conditorem ſuum ineffabili lætitia geſtierunt.*

PEr elegans eſt metaphora hæc architecti, qua utitur Deus, terram condens. Fun-
D damenta & baſes idem ſignificant, firmitatem nempe, ſive ſtabilitatem terræ, ſicut
Pſal. 103. 5. ſcriptum eſt. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: quod planè mirum eſt. Menſura, & linea, imperium Dei certam quantitatem, formam, modumve præſcribentis eſt. Lapis angularis appellatur centrum, quod partes terræ quaſi conſtringat, & nectat, quemadmodum lapis prægrandis in angulum deſinens, qui in imo fundamento ſtatuitur,

ut latera, parieteſve committat. Aſtra matutina ſunt, quæ ſummo illo mundi mane lucere cæperunt Filii Dei, Angeli nuncupantur, ut patet ex verſione LXX. πάντες ἄγγελοι μου, omnes Angeli mei. Deſcriptione hac creationis terræ, aſtrorum, ac proinde orbium celeſtium, quorum partes ſunt aſtra; & Angelorum, firmiſſimum ſtruitur argumentum ad revincendam hominum ignorantiam. Vis rationis hæc: Ego (inquit Deus) jam inde à prmordio mundi is eram, qui noſſem ab æterno rationem architectonicam fabricæ mundi, & naturæ Angelicæ, quod eſt ſublimius: tu verò nondum creatus fueras, quomodo ergo mecum diſceptare cupis, vel ais, te id vehementer optare? Obſervandum hîc cælum, & terram ſimul creata, licèt diſtinctis diebus ornata fuiſſe. Obſervandum etiam, fieri hîc expreſſam Angelorum mentionem, quam in Geneſi Moyſes non fecit, quod eſt expenſione dignum. Obſervandum denique ad ſenſum arcanum, creaturas nobiliſſimas recens conditas veſtigio in ſui conditoris laudem conſpiraſſe, quod ſane ſtudium & pueris rationis luce uti incipientibus, & univerſis hominibus ſummo mane evigilantibus impensè commendandum: Deus nimirum ſummo jure primitias ejuſmodi requirit; qua certè in re, dolendum eſt, quàm ſint contraria mortalium vota, & ſtudia: qui vix ſomno ſoluti multiplices cogitationes, & affectus parum pios patentibus animi portis admittunt: quibus Deo ſe inſinuare cupienti viam intercludunt. Sane ex hoc capite non congruit hoc illuſtre cognomentum Filii Dei.

LXX. Interpp.

E

Duplex Animadverſio

F

℣. 8. Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulva procedens? ℣. 9. Cum ponerem nubem veſtimentum ejus, & caligine illud, quaſi pannis infantiæ obvolverem ℣. 10. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia: ℣. 11. Et dixi: Uſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

G

PARAPHRASIS.

H

Expende Iob potentiam, & ſapientiam meam. Ego immenſas aquas maris paulò antè creatas ex utero ſapientiæ meæ, ut ex matris alvo enatas littoribus, montibuſque uti portis clauſi, ac ſepſi: & nubibus, aereque vaporibus turbido, atque caliginoſo, ſicut infantulus mox à partu linteis conveſtiri ſolet, obtexi. Terminos præfixi imperans in locum confluere unum, ubi quaſi

Scripta An. 1610.

ostiis, ac vectibus mare coercui: jussique ad certum usque locum procederet, neque præteriret, sed ibi ferociam poneret, ac conflacescceret.

TAngitur hic aquarum creatio, à Deo, velut ex utero in quo latent omnium creaturarum rationes, & quasi fœtus, e-
A rumpentium, hoc est, vehementer emanantium pro rei genere. Impetus quippe ille congruit naturæ liquidæ, quæ sese præcipitat, quousque rem cosistentem offendat, qua con-
Similitudo. tineatur, & determinetur. Similitudo autem infantuli recenter à vulva fusi aptè consentit, cùm corpusculum tunc molle, ac humidum, & quasi aqueum sit, varieque formari possit compressione, depressione, expressione, antequam obdurescat. Iam ergo Deus aere caliginoso nuper creatas aquas obduxit. Est autem insignis divinæ potentiæ, ac sapientiæ laus; qnòd rem indomitam, tumentem, mugientem, quæ terram universam ambiebat, velut inertem, ac nudum infantulum nutricis manibus exceptum, resistere non va-
B lentem tractarit, & in locum unum imperio compulerit. Mox nimirum immensitas illa aquarum loco cessit, & in cavitatem sibi destinatam, quasi pavens divinam Majestatem extemplo confluxit. Ubi mirum, quòd cùm ex gravium scriptorum sententia maris aquæ terra sint altiores, ita se terminis à Deo designatis continent, ut statim ac littora alluunt, langueant, & concidant, sicut
Psal. 103. 9. scriptum est: Terminum posuisti, quem non trasgredientur, neque convertentur operire terram. Multa hîc mira, ex quibus Iobus discit, non esse cum Deo disceptandum. In
C arcano sermone pars hominis inferior multis, ac ferocibus agitata motibus imperio Dei, ac viribus divinæ gratiæ compescitur, ut prescriptos fines, aut metas rationis, quantumvis fremat, minimè transiliat.

℣. 12. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? ℣. 13. Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea? ℣. 14. Restituetur ut lutum signaculum, & stabit sicut vesti-
D mentum. ℣. 15. Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur.

PARAPHRASIS.

Dic Iob, an postquam natus es, præscripseris diei, ut diluceseceret, auroræque, ut consurgeret, hoc, illove temporis puncto cælive loco? Certè non expectavit mundus te nasciturum, ut dierum luce frueretur, cum ego jam à creatione id imperassem. Rogo etiam, an lucem usque ad ultimas orbis terrarum oras diffuderis, sicut ego lucis auctor, extremaque terræ radiis illustraveris, & impios lucis inimicos cædibus, & prædis noctu intentos abegeris in latebras? An considerasti, quo pacto signaculum, figura, formave rerum noctu velut amittitur, orta verò luce restituitur, qua facilitate lutum varie figuratur. Est quippe lux quoddam quasi aureum rerum vestimentum, quod nocte exuitur, manè resumitur. Quod licèt commune mortalium beneficium sit, ab impiis tamen auferetur, quorum potentia, & superbia extremo supplicio proculcabitur. E

NEquit divinæ sapientiæ resisti. Rogarat Deus de aquarum mirabilibus: nunc de aeris illustratione mira multa subjungit: ostenditque jussu suo lucem apparere, auroramque rubore, ac pallore aureo lucentem definito ex loco se prodere, ac mortalibus arridere. Docet lucis effecta, extrema terræ concutere, hoc est, illustrare feriendo, ac verberando, quæ videtur esse proprietas ra- F
diorum, qui in terram velut spicula feruntur. Excutere impios ex ea, hoc est, abigere, arcere: noctu enim prodeunt ad prædas, mane, ut lux emicuit, timore perculsi recedunt, & se in latebras abdunt. Ille verò dicendi modus, Restituetur ut lutum signaculum, perinde est, ac sigillum illud, seu forma rerum, quæ luce se prodit, tenebris velut emoritur, apparente luce reponitur, restituitur, reparatur, qua facilitate lutea materia in varias formas compingitur, variasve impressiones, signacula, vel sigilla recipit, etenim à Philosophis lux dicitur forma colorum, qui noctu emortui, interdiu redivivi videntur: quod certè assertum ad res omnes aspectabiles eleganter transfertur. Illud verò, Stabit sicut vestimentum, significat, G
lucem esse pulcherrimum quoddam rerum corporearum velut indumentum, quod apposita tanslatione, noctu exui, mane resumi dicitur. Quod autem subtexitur, Auferetur ab impiis lux sua, è paraphrasi liquet. Ex argumento ergo lucis Iobus planè cognoscit, se multa non capere, quæ Deo exploratissima sunt.

℣. 16. Numquid ingressus es profunda maris, & in novissimis abyssi deambulasti? ℣. 17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti? H
℣. 18. Numquid consideraſti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti omnia: ℣. 19. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit: ℣. 20. Ut ducas unumquodque ad terminos

suos

Scripta An. 1610.

suos, & intelligas semitas domus ejus.

PARAPHRASIS.

Responde Iob, an te demerseris curiosus explorator in alveum maris, & Oceani penetralia pervaseris? An inferorum portis patefactis secreta, quæ lethalibus tenebris occuluntur, apertè videris? An terram, quàm sit lata, mensus fueris? Dicito, si pro comperto habes. Adde præterea, ubi moratur lumen, quod se per aerem diffundit, ubi tenebræ, quæ sole occumbente se refundunt: ut scias unumquodque horum ad suum deducere domicilium, sat peritus semitarum, per quas lumen, ac tenebræ emergunt, seque velut domum recipiunt, atque remergunt. Ego certè novi, ac disposui hæc, quæ te prætereunt.

A

DIxit de luce, quæ occulta detegit, nunc de rebus abditissimis, quæ maris aquis, & inferorum foveis, ac portis mortis, ostiisque tenebrosis, quæ idem significant, celantur, quæ sane omnia Deo tam pervia, & aperta sunt, quàm quæ meridiana luce splendescunt. Idem asserendum de orbis terrarum dimensione multiplici; per latitudinem hîc synecdochicè intellecta. Illud verò elegans, & mortalium opinioni attemperatum, In qua via lux habitet, &c. More quippe nostro, cum lux, & tenebræ alternè, statis horis, velut è domicilio ad terram occupandam procedant, & redeant, poeticè pro libri hujus stylo interrogatur Iobus, quis sit lucis, & tenebrarum locus, quæ via, quis recessus? Videtur enim obscuritas nocturna velum quoddam, quod nocte appetente explicetur, orbique terrarum iniiciatur, summo mane replicetur, seponaturque in locum abditum, in solis occubitu resumendum. Et quidem res mira contemplantibus videtur lucis ortus effusio, interitus, tenebrarum refusio protensio, atque discussio. Augetur ex hoc Iobi admiratio, facileque perdiscit, ignota sibi esse, quæ Deus vel in imis Oceani arenis, tartarique specubus apertè conspicatur.

B

C

℣. 21. Sciebas tunc, quod nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noveras?

PARAPHRASIS.

D

An, cum ego lucis semitas designavi, sciebas te à me creandum, dierumque numerum à me tibi præscribendum?

INterrogatio hæc necti potest cum tota oratione præcedenti, ubi de creatione terræ, maris, cœlorum, Angelorum dictum est? ita ut illud, Tunc referat tempus creationi proximum, sive momentum creationis ipsius. Potest quoque referri ad versum proximum, ubi de semitis lucis, ac tenebrarum dictum est, de quibus cùm rogasset Deus, intelligendus est, indicasse rem Iobo incompertam esse, sibi verò a primordio mundi compertissimam, cùm ipse ab initio discreviisset tempora, diemque, ac noctem alternè succedentem. Tunc autem cum Iobus natus non esset, certum proculdudio, nosse minimè potuisse, an esset nasciturus, vel quicquam omnino aliud. Ergo mens Dei est, se sempiternum esse, qui anteceserit mundi creationem, omniaque norit, Iobum paulò antè, paucos nimirum ante annos natum, ac proinde sapientiam divinam infinitè perfectam venerari debere.

E

℣. 22. Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? ℣. 23. Quæ præparavi in tempus hostis; in diem pugnæ, & belli?

PARAPHRASIS.

F

An tu, quemadmodum ego, te insinuasti in aereas regiones, ubi nix, & grando generantur, quibus uti soleo ad hostes in bellis obruendos, & interimendos?

EXploratum est, non potuisse Iobum hæc adeo perspecta habere. Fortasse alludit Deus ad nonnullas Ægypti plagas recenti tunc memoria celebratas, quando produxit ventos, grandinem, imbres de thesauris suis, & percussit armenta, hominesque perterruit. Ærea regio, ubi hujusmodi meteora gignuntur, est quoddam quasi armamentarium Dei, è quo profert arma, sive militares machinas ad impios fugandos, atque cædendos.

Exod. 7. 8. 9. 10. 11.

G

℣. 24. Per quam viam spargitur, lux, dividitur æstus super terram?

PARAPHRASIS.

Ego lucis, quam olim creavi, radios mirificè distribuo, & calorem pro regionum diversitate partior. An tu Iob nosti hæc?

SUperiùs de creatione astrorum, ac cælorum, ac proinde solis ipsius actum, nunc de lucis divisione, & æstus partitione mirabili quam necesse est à mortalibus tenuiter cognosci, vel etiam ignorari. Sunt enim pleraque loca, ubi rarò nubes coeunt, lucemque adimunt, alia ubi frequenter. Sunt loca torrida sole, alia diversis gradibus æstu hjantia, quorum rationes planè nescimus. In arcano sermone obstrusa est scientia divisæ à Deo lucis, qua mentes illuminat consilio miro, & à mortalium rationibus politicis longè remoto. Scientia item æstus divisi, quo cultores suos divexat, ut proportione mirabili quisque suum onus constanter gestet.

H

Quis

Scripta An. 1610.

℣. 25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui. ℣. 26. Ut plueret super terram, absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ℣. 27. Ut impleret inviam, & desolatam, & produceret herbas virentes? ℣. 28. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? ℣. 29. De cujus utero egressa est glacies? Et gelu de cælo quis genuit? ℣. 30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.

A

B

PARAPHRASIS.

Ego imprimo imbribus impetum, ut cum tonitruorum crepitu ferantur in regiones desertas, a mortalium habitatione procul dissitas, & perfundant terram illam deviam, quæ producit herbas multiplices animantium pabulo destinatas. Curam quippe ferarum gero, & pastum cujusque naturæ congruentem provideo. Quin etiam & res ipsas sensus expertes curo paterna quadam providentia, puta vapores temperans, ut pro modo, ac exigentia temporum, ac rerum nunc pluvias, nunc rores efficaciam, & quasi pater generem. Ego ipse aquas frigore constringo, ut glacientur, & gelu, influxu cœlorum a me directo progigno. Ego glaciem ipsam adeò premo, ac obduro, ut crystallus fiat: & ipsam superficiem maris cogo, atque in terræ similitudinem gelu stringente consolido. An tu Iob, hæc omnia nosti? An hæc patrare possis?

C

MUlta hîc recenset Deus, quæ sapientiam, potentiam, providentiamque divinam egregiè commendant. Primum, cursus est ille imbrium, quos Deus pellit in loca deserta, ubi nulli usui esse videntur: & tamen hoc ipso fœcundat regiones illas, ut animantia oberrantia pascat. Secundum, generatio est pluviæ, & roris, quæ quantitate materiæ distinguuntur, ubi se Deus patrem appellat metaphoricè, quamvis aliqui scriptores cælum, aut calorem, qualitatem scilicet masculam, patrem, vaporem, sive humiditatem, quæ videtur esse his meteoris gravida, matrem interpretentur. In generatione glaciei, & gelu se Deus matrem non obscurè indicat, dum rogat, è cujus utero glacies prodierit, &c. ut per hoc non paternam providentiam modò, sed maternam quoque indulgentiam, & amorem significet. Tertium, quod commemorat, aquæ congelatio durissima est, quæ crystallum efficit: crystallum quippe esse glaciem, certò ponitur. Quartum sane mirabile abyssi constrictio est, quæ in mari glaciali, sub Aquilone præsertim conspicitur, ubi non secus, ac in continenti, iter agitur, edificatur, pugnatur. Ex his contexitur argumentum, quo Iobus convincitur, divinæque sapientiæ, ac potentiæ cedit.

D

E

℣. 31. Numquid conjungere valebis micantes stellas Plejadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? ℣. 32. Numquid producis Luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facis? ℣. 33. Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?

F

PARAPHRASIS.

An poteris, ut ego disponere septem illas stellas propè conjunctas, quas Plejadas appellant, ut certis sapientiæ modis sociatæ, neque contiguæ sint, factoque velut agmine tempestatibus excitatis mortales infestent? An valebis circulum Arcturi, constellationis nempe illius, quæ circa polum Arcticum volvitur, Ursaque major nuncupatur, destruere? An Veneris stellam, quæ ubi præit solem, Lucifer cum subsequitur, Vesperus dicitur, oriri, & mortalibus apparere facies? an perspectum habes ordinem sphærarum cælestium, conversionum, ortus, & occasus syderum, rationem Zodiaci circuli, influxum, & virtutum cælestium, ut terram inde gubernes?

G

PLejades septem sunt stellæ caudæ Tauri inhærentes, quas Virgilias nominant, quarum positus mirabilis est, neque satis à mortalibus capitur, cur ita conjunctæ sint, & quid arcanum in ea propinquitate lateat, quidve inde in orbem hunc infimum proveniat. Ille modus rogandi, Numquid conjungere valebis? idem valet, ac, Num conjunctas creare, disponere, ordinare poteris? Illud verò, Aut gyrum Arcturi dissipare, perinde est, ac disjicere, destruere: quasi dicat, à nemine posse ordinem constellationis illius perverti, aut mutari. Quod synecdochicè de universis syderibus accipiendum: nam è parte insigni, aptè totum opificium cœlorum intelligitur. Potest etiam exponi dissipatio Arcturi, ut sit stellarum sydus illud constituentium, & longè distantium, ac velut dissipatarum mira dispositio. Iam autem productio Luciferi, & consurrectio Vesperi, unius stellæ pulcherrimæ, Veneris nempe, quæ, ut antecedit solem, Lucifer, seu Phosphorus, ut succedit, Vesperus appellatur, notatio est, quæ hominibus arridet, & radios candidos, ut capillos, comasve diffundit. Denique ordo cæli omnia, quæ ad conver-

H

Scripta an. 1610.

versionem orbium illorum, dispositionem, ornatum, influxum pertinet, complectitur: diciturque is ordo in terra poni ab effectu, quia inde terra vim & ornatum concipit. In arcano sermone ordo cæli ponitur in terra, quando ex vi partis superioris, quæ in homine justo cælesti ordine regitur, pars inferior vim concipit, ut passionibus edomitis, & sedata perturbatione, piis operibus, & puris actibus assuescat. A

℣. 34. Numquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? ℣. 35. Numquid mittes fulgura, & ibunt & revertentia dicent tibi: Adsumus?

PARAPHRASIS.

An imperas, ut ego, voce elata ad nubes, ut statim coeant, & impetum aquarum effundant? An jacularis fulgura, & fulmina terribili sonitu percrepantia, ita ut ad nutum tibi obtemperent, quasi dicant: En præstò sumus, & quò velis ferimur, ac referimur. B

HÆc elevatio vocis, imperium Dei est, eleganseque significatio contentæ vocis, qua è longinquis terræ, marisque regionibus materia nubium, aut nebularum evocatur, ut statim concrescat, & resolvatur. Ille verò sermo tributus fulguribus, prosopopœia est, & notatio divinæ potentiæ, cui res, quæ videntur præcipites, concitatæ, indomitæ, ad nutum obediunt. Hinc Iobus Deo concedere perdiscit.

℣. 36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam. ℣. 37. Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? C

PARAPHRASIS.

Ecquis, nisi ego sapientia hominis animum illustravit? Quin & animantibus intelligentiæ meæ vestigia impressi; nam & gallo, instinctu miro, ut ternis horis caneret, & quasi noctis tempora sidus excubitor discerneret, dedi. Quis prætereà, excepto me, aereæ regionis naturam, & mirabilia explicabit? Quis sonitum ejus discussis nubibus, tonitruis explosis, ventorum sibilis interceptis, quiescere, ac placidissimam serenitatem apparere jubebit? D

TErnos hîc gradus sapientiæ notat, quæ vel ab homine acquiritur, vel animantibus quasi inscripta deprehenditur, vel in elementis exercetur. Et quidem quod ad primum attinet gradum, planè excelsum est, & ex eo capite lucet divina sapientia clariùs, quàm ex plurimis naturæ secretis, quòd scilicet in hominem sapientiæ suæ infinitæ quasi stillicidium derivarit, & ad scientias multiplices mentem amplam contulerit. Quòd si sapientiæ supernaturalis captum addamus, multò hîc mirabilior Deus, & quem Iobus meritò debeat admirari. Iam verò quis non videat, quoddam tanquam inscriptum divinæ sapientiæ in plerisque animantibus, puta, apibus, araneis, bombycibus, gallis, quæ omninò persuadent auctorem suum infinita sapientia præcellere? Et quidem, quod ad gallum spectat, notum est horas cantu distinguere, ac si nosset syderum rationem, & noctu productiorem vocem tollere, & quasi castrensi vigilia homines ad laborem excitare, ut alia hujus animalculi mira prætereamus, quæ assiduitate vilescunt. Denique cælorum, hoc est, aereæ regionis in tres partes sectæ multiplex observatio est, quæ auctoris sapientiam prodit, de qua superius sæpè dictum: Illud autem admirandum, quod concentus, hoc est, strepitus, crepitus, fragor nubium diruptarum, imbres fundentium, fulgura, fulminaque quasi vibrantium, imperio Dei ad momentum penè evanescit, consopitur, sedatur, moxque subit aurea serenitas, & defæcatissima aeris puritas. Cælum ergo hîc pro aere ponitur, ad quem sensum volucres cæli dictitamus. In arcano sensu hic concentus dormit, sive quiescit, cùm incredibiles animi perturbationes, quibus Dei cultores infestari solent, Dei jussu sedantur. Neque abs re concentus dicitur, strepitus ille aeris nobis inconditus: quod enim ad Deum pertinet, harmonicè temperatus, ac dispositus est, cùm Dei jussis ad numerum consonet. E F G

℣. 38. Quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur.

PARAPHRASIS.

Affuisti fortasse Iob, quando ego terram ex genere aridissimam moleque pulveris maxima constantem aquis obrutam, quasi glebam pluvia immissa humentem compegi, strinxi, & constipavi?

MOdo meminit aeris sereni post nubes disjectas, pluviamque profusam: & intexit terræ creationem ad significandam similitudinem molis illius aquis densatæ, & agri passim æstu hjantis, posteaque pluviis humectati, atque compacti. Ille dicendi modus, Quando fundebatur pulvis, perelegans est, quasi in prima creatione Deus ingentem pulveris molem apparere jusserit, & è nihilo quasi fuderit, evestigioque, ne pulvis dissiparetur, aquam immensam circumfluere H

im-

Scripta An. 1620. imperaverit, qua pulvis consisteret. Congruit hoc naturæ elementi terræ, quod nisi aqua, humoreve aliquo temperetur, dissolvitur, & in pulverem dispergitur. In arcano sensu pars hominis inferior, & verè terrea incredibili fragilitate resolvitur, nisi cælesti humore aquæ salientis in vitam æternam, hoc est, divinæ gratiæ coagmentetur, roboretur, atque consistat.

A

℣. 39. Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis? ℣. 40. Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur?

PARAPHRASIS.

Ego curam animantium gero, leænamque excito, ut ad venationem è lustro prosiliat, animalia infirmiora capiat, discerpat, asferat catulis, eorumque appetentiam expleat. Putasne me deserere leunculos in spelæis accubantes, & è latibulis ipsis in animalcula prætereuntia insilire condiscentes? Minimè: quin ego ad prædam illos erudio.

B

POstquàm de rerum creatione Deus egit, ac meteora multa recensuit, quibus potentiam, sapientiamque suam infinitam Iobo repræsentavit, subjungit tractatum animantium, in quo cum potentia, sapientiaque sua miram providentiam connectit, qua Iobus facilè perspiciat, se non desertum iri à Deo, qui animalia tam providè curet, pascat, & servet. Exorditur autem à leone, qui animantium rex est, fortitudine, roboreve præcellit, impavidus, constansque decertat, & quibusdam magnanimitatis, ac aliarum virtutum vestigiis, signisve claresçit. Producit verò Deus maternam leænæ curam, industriam, ausum, prædæ capturam, leunculorumque saturitatem: in quo mira sunt plurima, sive feræ illius vires, sive venandi sagacitatem, sive celeritatem, sive sollicitudinem nutriendi fœtus expendas. Ergo leæna ad prædam egreditur & revertitur, pascitque catulos juvenculos adhuc venandi ignaros, sed conantes tamen stimulante fame, ex ipsis specubus infirma animalcula, propè repentia adoriri, atque depascere. Ex his Iobus facilè animadvertit, Deum omnia nosse, gubernare, alere, nihil ex iis quæ condidit aspernari, seque ab eo neutiquam oblivioni tradi.

C

D

℣. 41. Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eò, quòd non habeant cibos?

PARAPHRASIS.

Expendo Iob meam providentiam. Ego non paternam tantùm, verùm & maternam curam gero vilium quoque avicularum, nam corvo grandævo, naturâ voraci, escam paro, & quando ejus pulli, à parente derelicti crocitantes, nidoque excluſi volitant, atque vagantur, pastum cupidissimè quærentes, meque, inclamantes, ego illos delicatè nutrio, mollique, ac roscido cibo exaturo.

E

MUlta hîc ab scriptoribus de corvi crudelitate, voracitate, pullorum neglectu traduntur. Alii parentum repulsam tribuunt colori pullorum, quòd recenter ab ovis excluſi albescere videantur, exosique proinde sint parentibus nigerrimis, tanquàm nothi, sive alieni. Horum sententia pulli dicuntur vagantes, hoc est, in ipso nido huc, illucque anxiè se vertentes. Alii repulsam ascribunt voracitati corvorum, qui malint se ipsos, quàm pullos explere. Alii corvum à pullis, ut in textu liquet, discernunt, juxta quorum sensum Deus à providentia laudatur, quòd corvo grandævo, natura voraciſſimo præparet escam, & pullis quoque novellis, quando instinctu naturæ ad ipsum clamitant. Addendum verò huic explicationi aliquid mirabilius, ne gratiam perdat, puta, parentum impietas, ut in secundam recidat, quæ à crudelitate petitur, juxta quem explanandi modum pullos jam plumis recentibus utcumque convestitos intelligimus, qui extra nidum vagari, vel fragiliter queant. Ergo undecumque penuria proveniat, Deus indulgentiſſimus est in animalcula nullius pretii: quid ergo in homines? Quid in Iobum inter homines pietate conspicuum? Rem igitur callet, considerâtque se à Deo minimè despici. Potest autem Deus sic loquens induci: Ego tempus anteverto, & corvo, qui videtur neglectu dignus, cibum præparo, quem abliguriat, ejusque pullis, sive in nido implumibus, sive extra nidum fame incitatis, circumvolitantibus, & crocitantibus pastum congruentem præbeo: quid ergo erga te non agam? Perculi te calamitate hac: verùm hanc in bonum converto tuum, lautasque ex ipsa epulas paravi, quibus fælix, lætusque vescaris. Opiparum convivium est ærumna patienter exhausta, cujus memoria animus alitur, & vires acquirit.

Alia textus explicatio.

F

G

CAPUT XXXIX.

H

℣. 1. Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? ℣. 2. Dinumerasti menses conceptus exhi-

Scripta An. 1610.

earum, & sciſti tempus partus earum? ℣. 3. Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. ℣. 4. Separantur filii earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.

A

PARAPHRASIS.

Ego novi horam illam, qua ibices, caprarum ſylveſtrium genus, rupium amans, & qua cervæ pariunt, ut eis opem in ſummis doloribus feram. Præſcripſi tempus uteri, & horam partus, quæ præteriri nequit. Etenim ubi dolores ingruerunt, curvato corpore conantes fœtum excludere, validè rugiunt. Alunt poſtea perquam ſedulò binnulos, quos ad pabula deducunt: ſed poſtquàm illi adoleverunt, exeunt velut emancipati, neque matrem ultrà requirunt. An hæc noſti Iob?

B

CŒpit Deus ſub finem præcedentis capitis de animantibus agere, quem tractatum modò perſequitur. Rogat de ibicibus, quod eſt caprarum genus, quod in ſaxis, rupibuſve, quas amat, enititur, ac ſervat partus. Rogat quoque de cervis parturientibus, quarum menſes dinumerat, horam partus præſcribit, & modum, quòd ſcilicet irrumpentibus partus doloribus curventur, quod eò videtur conferre, ut validiùs conari, enitique fœtum poſſint, ac minùs difficulter pariant. Tunc elatè rancant, dolore vocem intendente, ubi Deus animalcula afflicta non deſerit, ſed munus obſtetricis auxilio explet ſuo, & ab eo diſcrimine liberat. Ratio cur rugiant ſciſſio eſt membranarum ob anguſtias vulvæ, ut ſe ipſas totas dirumpere videantur, unde aliqui ex Hebræo vertunt: ad fœtus ſe ſcindunt. Curant poſtmodum prolem, quæ ubi crevit, matrem minimè requirit. Quod Deus ſciſcitatur à verbo illo, Dinumeraſti menſes, &c. ad ibices, & cervas pertinet, ut plerique auctores ſenſere. Iuxta alios ad cervas dumtaxat. Et quidem, licèt in cervorum genere, quod eſt familiare hominibus, nonnihil ex iis quæ Deus profert, compertum ſit: at id, quicquid eſt, ipſius Dei dono mortales accepere: eſt tamen exiguum, quod innotuit, ſi conferatur cum iis, quæ de ipſiſmet actibus, petras quærendi, enitendi, fœtus alendi, proculdubio ignorantur. In arcano ſermone anima incurvatur ad partum, quando jugum Chriſti ſubit, quæ collo erecto ſuperbierat. Tunc concipit à timore Dei, tollit onus impoſitum, velut uterum ferens: mox parturit conatu multo, & bonorum operum fœtus, multa demiſſione animi curvata, ac pœnitentiæ exercitio prona cum rugitu, hoc eſt, gemitu enititur.

C

Altera textus explicatio.

D

℣. 5. Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula ejus quis ſolvit? ℣. 6. Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis. ℣. 7. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. ℣. 8. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.

E

PARAPHRASIS.

Ego creavi aſellum ſylveſtrem ingenuum abſque vinculis, quibus jumenta ſervituti deſtinata ſtringuntur. Aſſignavi ei pro ſtabulo ſolitudinem, pro domicilio terram ſterilem, ubi tamen illum non deſero. Liberè vagatur, quaſi ſpernens urbium commercia, nolens imperantem, & labores duros exigentem audire. Ego provideo annonam in montibus herboſis, ac virentibus, quos ille procul conſpicatur, & ad pabulum ſe celerrimè proripit. An tibi perſpecta ſunt hæc?

F

DEſcribit hîc Deus onagri mores ingenuos, in quibus multa ſanè mira latent, quæ homines callere nequeunt, Quod autem ad ſenſum litteralem attinet, paraphraſis ſat eſſe videtur. In arcano verò ſenſu onager liber, vir contemplationi deditus eſt, qui cum corpore cæteris hominibus ſimilis ſit, ut aſellus ſylveſtris domeſtico; moribus tamen, & exercitiis tam longè diſcrepat, quàm vir patritius, nobiliſve ab ignobili ſervitutis vinculis obligato. Hic liber à Deo dimittitur ſolutis temporalis vitæ, ac ſollicitudinis nexibus. Deſignat ei Deus in locis deſertis antra pro domo, ubi animi libertas, rerum cæleſtium æſtimatio, mundi, ac politicæ vitæ contemptio ſuccreſcunt: neque auditur vox ullius mortalis domini, qui ab homine ingenuo operas, & negotia ſæculi hujus exigat. Hinc efficitur, ut perſpicaci mentis acie circumſpiciat liber montes paſcuæ ſuæ, hoc eſt, cœlos, in quos ſuſpirat, ubi viror arridet æternus, & amœnitas, quæ nunquam languebit, quàm perenniter contemplatur, qua paſcitur, & roboratur, tametſi in eremo ſterili inter ſcopulos, & ſpineta moretur.

G

H

℣. 9. Numquid volet rhinoceros ſervire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? ℣. 10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confrin-

Scripta An. 1610.

get glebas vallium post te? ℣. 11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos? ℣. 12. Numquid credes illi, quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

A

PARAPHRASIS.

Mihi creatori suo servit ad nutum rhinoceros, animal ferum, ac indomitum hominibus, cui è nare cornu eminet. Ego utor illo, non secùs ac mortales bove subiugali, qui ad præsepe quiescit, jugo, ac vinculis ad arandum religatur, trahitque vomerem, quo glebas proscindit. An tu Iob fidenter ejus robore uteris ad agricolationis laborem? An expectabis ab eo terræ cultæ, ac satæ fructus, & vecturam segetis demessæ in aream, ut tritura peracta borrea impleas?

B

RHinoceros, quasi dicas, Naricornis, animal vastum, longitudine par Elephanto, cruribus brevius, capitales inimicitias cum ipso Elephanto gerens, & cautibus ad pugnam cornu exacuens, colore affectum buxeo, cui cornu alterum è nare prominet, alterum exiguum, inter brachia extat: quod in Hispania me vidisse memini: ferum sanè animal, indomitum, ac violentum, quod tamen Deo mitescit. Rogat autem Deus, an illud cicurare, illo ad culturam agri uti, quasi bove domito possit Iobus: ut ex hoc liqueat ejus potentia, ac providentia, qui ducit, quò velit, feritatem illam, pascitque, ac diligenter nutrit. A LXX. Interpretibus Monoceros, ab Aquila Rhinoceros appellatur, soletque à Vulgato differenter verti Monoceros, sive Unicornis, & Rhinoceros. In arcano sermone, rhinoceros ferus, ac jugi impatiens, indomitusque peccator est: qualis ille Gulielmus, quem Deus per Bernardum domuit, & ad opus austeræ vitæ mirificè usus est, non aliter, quàm si bos jugo assuetus foret.

LXX. *Interpp. Aquila.*

℣. 13. Penna struthionis similis est pennis herodii, & accipitris. ℣. 14. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in

D

pulvere calefacies ea? ℣. 15. Obliviscitur, quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. ℣. 16. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laboravit nullo timore cogente: ℣. 17. Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. ℣. 18. Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet aquam, & ascensorem ejus.

E

PARAPHRASIS.

Attende Iob, an pernoscas struthionis naturam. Ego ei pennas certè pulchras addidi, similes pennis herodii & accipitris, ut videatur volucris, cum tamen minimè volet. Est animal stolidum, absconditque ova in sabulo, ubi ego illa calefacio, ac foveo, non enim animadvertit à viatore, vel fera alia posse proteri, atque disperdi. Dura certè mater, quæ non magis partus curat suos, quàm si alieni forent: quæ dum nullo timore, sive sollicitudine prolis amittendæ ad curam urgetur & cogitur, profectò incassum peperit, sive ova excluserit. Nimirum caret industria, & astutia qua animantes aliæ pollent: nec tamen propterea a me despicitur: contuli enim alas, ut se servaret, & molem corporis ad cursum juvaret; deluderetque equites venatores, qui eam insectantur.

F

STruthio est in confinio volucrum, & reptilium, pennas quippe habet, ut avis, sed à terra non tollitur, ut reptile. Animal est corpore vasto, ungulasque habet bisulcas, aptasque comprehendendis lapidibus, quos in fuga reiicit in venatores insequentes. Est miræ stoliditatis animal, cujus ova ob magnitudinem, pennæ ad galearum ornatum in pretio habita. Dicitur habere pennas similes pennis herodii, hoc est, falconis, aut hierofalci, qui est ex genere aquilino, & accipitris, qui sublimiter volat, & notior est. An verò similitudo hæc ad formam, an ad colorem, an ad utrumque referatur, incertum mihi est, præsertim cùm in significatu harum volucrum sit mira inter scriptores varietas, variaque admodum ex Hebræo traductio. Et quidem ad litteralem hujus loci sensum satis esse videtur formæ, sive figuræ similitudo, qua Deus mirum quiddam ostendit, animal nempe alatum ut volucria, neque tamen volucre. Subdit mox duo observatione digna, unum, quod ad neglectum ovorum, alterum, quod ad fugam venatorum insequentium pertinet. Et profectò stolidum est, quod hic ab Interpretibus de animante hac traditur, ova videlicet exclusa terra ab ea occuli, ac deseri: quod divinæ providentiæ ova illa foventis indulgentiam planè commendat. Fortasse autem non incubat ovis, ne mole corporis illa opprimat, atque perfringat. Fuga verò struthionis mirabilis est: nam invadentes venatores sublatis alis, ut navigii velis cursu pernicissimo deludit, hoc est, evadit, ut illi spe fraudati, & tanquam derisi remaneant. Ex

G

H

quo

Scripta An. 1610.

quo perspicitur non frustra alatum esse animal minimè volatile. Hæc Iobi eruditio est, ut nova semper audiens demiretur divinam sapientiam, & in creaturas rationis expertes providentiam, beneque speret.

℣. 19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? ℣. 20. A Numquid suscitabis eum, quasi locustas? gloria narium ejus terror. ℣. 21. Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. ℣. 22. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. ℣. 23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus. ℣. 24. Fervens, & fremens sorbet terram, nec B reputat tubæ sonare clangorem. ℣. 25. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah; procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.

PARAPHRASIS.

Ego nativa generositate, ac robore equum armavi, collumque arduum eleganter flexi, ex quo fervidus hinnitus erumperet. Expedivi eum pernicitate mira, non secùs ac locustas volatu præceleres. Efflat patentibus naribus ventum calentem iræ, & audaciæ indicem, quo videtur ille gloriari. Exultat vehementer grandes animos continere non valens, adeò ut dum consistit, quiescere prorsus nequeat, sed multiplici motu terram pulset, ac ungulis fodiat, tunc præsertim cum tympanis, tibiisve exercitus personuit, cui obviam generosè intrepideque procedit. Nihil profectò pavet, neque splendentibus gladiis ad ictum districtis deterretur. Vehit promptus, ac velox equitem ex balliſta, arcuve sagittas excutientem, hastam validè crispantem, clypeum quatientem, & strepitu terribili hostibus minantem. Nihil trepidat in adversum agmen infestis telis hispidum se hinnientem; ferventemque adeò velociter librare, ut obvia quæque proculcare, ipsamque terram exorbere velle videatur. Eoque se constantiùs quasi jaculatur, quò turbæ militares vehementiùs percrepant, clangorque fortiùs invalescit. Quin etiam ubi buccina insonuit, exilit, ac lætitiæ motibus gestit, eoque quantocyùs procurrere perruptis carceribus tentat. Habet præterea vim castra longè dissita præsagiendi, & velut discernendi voces ducum adhortantium, & agminum animos è confligentium.

EQui generositas, pernicitas, robur, alacritas, audacia, ira, & quædam magnanimitatis, fortitudinis, ac virtutum aliarum indicia, notissima sunt, quæ passim intuentur, neque jam ob crebritatem demiramur. At certè, qui ea, ut par est, contemplatur, facilè perspicit, animal adeo ingenuum, tot nobilibus notis illustre infinitam conditoris sui sapientiam arguere. Commendatur ex multis capitibus, quæ ferè omnia cor impavidum, arduum, robustum, congrediendi cupidum apertè significant: ut si capita similia ad veras virtutes viri fortis traducas, facilè animadvertas generosum animum in arcano sermone meritò equum appellari; ut Deus ipse equitatu hoc palam glorietur, sicut à Salomone scriptum est: Equitatui meo assimilavi te, ubi de anima sponsæ verba fiunt. E paraphrasi textui subjecta sat sensus percipitur: Illud tamen observandum, pharetram non pro theca sagittarum, sed pro balliſta, arcuve, ex quo cum strepitu excutiuntur, accipiendam. Interjectionem quoque Vah, affectum lætitiæ prodere, ut tantumdem sit, Cum audierit buccinam, dicit, Vah, ac si luculentiùs diceremus: Ad sonitum buccinæ militaris exultat. Decet viros fortes invictos esse, & occasione virtutis experiendæ lætari. *Cant. 1. 8.*

℣. 26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?

PARAPHRASIS.

Ego miro sapientiæ opificio indidi hoc ingenium accipitri, ut volaret oppansis alis adversus flatus meridionales, quibus pori laxantur, vetustæ pennæ excidunt, novæque succrescunt.

HOC in natura mirabile. In arcano verò sensu dum peccator vitam veterem pertæsus, excitante Dei gratia velut ad volatum, benè utens, sese è terrenis negotiis attollit, & sinus expandit ad Austrum, hoc est, ad Spiritum sanctum divinæ charitatis calore vehementer flantem, vetus Adam exuitur, locove excidit, novus subit, & coalescit.

℣. 27. Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? ℣. 28. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. ℣. 29. Inde contemplatur escam, & de lon-

longè oculi ejus proſpiciunt ℣. 30. Pulli ejus lambent ſanguinem: & ubicumque cadaver fuerit, ſtatim adeſt.

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

A *Ad nutum meum, non tuum, aquila in ſublime volat, nidulatur, ac in præruptis, præcelſisque cautibus manet, velut in arce tutiſſima. Quo ex loco perſpicaciſſimo viſu prædam captat, ſe in eam jaculatur, corripit, diſcerpit, ad pullos refert, qui avidè cruore illo paſcuntur. Habet hoc avis ingenua, & prævalida, ut odoretur occiſa corpora, & in illa celeriter feratur.*

MUlta hîc ambigua de aquilarum genere, quæ noſtri non ſunt inſtituti: ſat ſit textum leniter exponere de aquilino genere, quamvis paſtus interfectorum corporum vulturi potiùs, quàm aquilæ congruere videatur.
B Eſt tamen aliqua ſpecies aquilarum carnivora, quod vel ex hoc textu aſſerendum eſt, & ex illo præſertim Matth. 24. & Lucæ 17. Ubicumque fuerit corpus (cadaver ſcilicet) illuc congregabuntur aquilæ. In arcano ſermone plurima è proprietatibus aquilæ petuntur, quale illud de ſublimi volatu, & perſpicaci viſu, quod in viros contemplatores apprimè quadrat. Cæterum hæc ſatis nota, neque à nobis modò requirenda.

℣. 31. Et adjecit Dominus, & locutus eſt ad Iob: ℣. 32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facilè conquieſcit? Utique
C qui arguit Deum, debet reſpondere ei.

PARAPHRASIS.

Dixit Iobo Deus: Optaſti diſputare mecum, neque animadvertiſti eum, qui cum Deo concertat, non poſſe levi negotio rem abſolvere, ac tranquilla mente requieſcere. Nimirum, qui Deum redarguit, obnoxius ſit novis reſponſis, quibus roganti ſatisfaciat.

VErbum, Arguit, duplici ſenſu accipi poteſt, primò, Arguit, hoc eſt, redarguit, reprehendit, quod egiſſe viſus eſt Iobus ex concertantium ſententia: Etſi enim
D nihil carperet, ex modo tamen loquendi cenſuerunt illi Iobum Deo notam aliquam inurere. Secundò, Arguit, hoc eſt, argumentantur, & licèt hic ſenſus minus Latinus ſit: placet tamen nonnullis interpretibus, & conſentit verſui præcedenti, Numquid qui contendit cum Deo? ubi Deus de diſceptatione, non de reprehenſione agere videtur. Hæc autem interrogatio & admonitio Dei, diſceptandi optatum, provocationem ad divinum tribunal, modumque loquendi reſpicit: & ad omnium congredientium eruditionem, Deo ſemper è turbine magiſterium exercente, dirigitur.

Alia textus explicatio.

℣. 33. Reſpondens autem Iob Domino, dixit: ℣. 34. Qui leviter locutus ſum, reſpondere E
quid poſſum? manum meam ponam ſuper os meum. ℣. 35. Unum locutus ſum, quod utinam non dixiſſem: & alterum, quibus ultra non addam.

PARAPHRASIS.

Reſpondit Iobus Deo: ecquid reſponſi reddam homo parum cordatè locutus? ſatiùs mihi digitum labiis imponere. Bis anxietate urgente verba imprudenter prompſi, quæ protuliſſe nollem. Conſtituo linguæ licentiam perenniter coercere, neque quicquam ejuſmodi ulteriùs committere.

DUO hîc ponenda, unum ingenuam eſſe Iobi confeſſionem, ſe leviter locutum: alterum omnes propemodum interpretes exiſtimare verbis illis, unum, & alterum, duplicem verborum lapſum à Iobo deſignari. Nimirum alii notarunt duo illa, quòd diſputare cum Deo expetiſſet, ſuamque juſtitiam verbosè commendaſſet; alii, quòd ſe non æquo judicio à Deo afflictum fuiſſe, & peccatis ſtatera appenſis pœnam graviorem eſſe, aſſeruiſſet; alii verò aliter, Et quidem aſſerta, & vota reprehenſione carent: modus tamen intemperans fuit. Nihil ergo in doctrina, ſed in ſermonis modo carpitur, quemadmodum propriis in locis obſervatum eſt. Ex hoc planè liquet, perquàm rarum eſſe, verba ita trutinare, ut lingua nihil non expenſum, limatumque producat. Clariſſima ſanctitatis lumina verbis labuntur: quid non peccent mortales linguæ licentiæ nimis aſſueti?

CAPUT XL.

℣. 1. Reſpondens autem dominus Iob de turbine, dixit: ℣. 2. Accinge ſicut vir lumbos tuos: Interrogabo te, & indica mihi: ℣. H
3. Numquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut juſtificeris?

PARA-

Scripta An. 1610.

PARAPHRASIS.

Subjecit Deus è turbine: Compara te Iob, ut mihi interroganti respondeas, An judicium meum de afflictione tibi illata, tui gratia rescindetur, & ego injustus existimabor, ut tu justus censearis?

A INterrogatio hæc vehemens ad hunc modum exponi potest. Tu Iob conquestus es de me, quod te insontem ceciderim, & ita loquutus es, ut videreris velle me coarguere, mecum in judicio disceptare, mihi in judicio quasi injusto vexatori prævalere. Quod nihil videtur aliud, quam me injustitiæ damnare, ut tu tandem justus appareas. Symmachus vertit: ἄδικον ποιήσεις με, ἵνα δικαιωθῇς: Injustum facies me, ut justificeris. Hic sensus Dei, quo non sententiam Iobi piam, & castam, sed liberiorem sermonis modum reprehendit. Vim prodit ille dicendi modus, Numquid irritum facies judicium meum? Irrita quippe fieri solet crudelium, ac iniquorum judicum sententia, dum eorum actus à supervenienti judice infirmantur, ac rescinduntur, quasi B dicat Deus: Profectò non is judex sum, qui à superiore alio juris custode corripiendus, nedum corrigendus sim: & tamen ita loqueris, ac si actus mei justa trutina perpensi, gratia tua rescindi, legesque meæ abrogari deberent.

Symmachus

℣. 4. Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas? ℣. 5. Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto glorioſus, & speciosis induere C vestibus. ℣. 6. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. ℣. 7. Respice cunctos superbos & confunde eos, & contere impios in loco suo. ℣. 8. Abscconde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam: ℣. 9. Et ego confitebor, quod salvare te possit dextera tua.

PARAPHRASIS.

D *Sanè ita locutus es Iob, mecum te velle concertare professus, ac si robusta, ut ego, brachia, vires nempe infinitas haberes, & aliis tui formidinem, ut cum ego tonitrua edo, fortiter incuteres. Certè qui hoc modo loqueris, videris æquè, ac ego posse te decoris radiis coronare; excelsè regio more per cælos incedere, ac lumine cæleſti, quasi vestimentis pretiosissimis gloriosè te ipsum amicire. Quin & tyrannos potentia dispergere, torvoque aspectu superbos deprimere, pudefacere, proterere, interimere, altisque foveis condere, ac terra demum obruere. Hæc profectò te posse significas, dum me ad certamen lacessis: æqualem quippe te mihi hæc omnia patrare valenti, modo sermonis indicas. Quod si ita est, quid conquireris, petisque à calamitate liberari, cùm te possis ipse redimere? fateor, si ita esset, posse te tua virtute teipsum sospitare.* E

ARgumentum hoc Dei Iobum carpentis porrò argutum, & lepidum est, videturque textus brevi paraphrasi satis exprimi. Vis rationis ex eo perspicitur, quod nemo alium ad duellum provocat, qui paribus, aut certè majoribus se viribus, aut dexteritate pollere non censeat: quod adeò certum, ac testatum est, ut vix credi possit, quemquam in certamen descendere, qui ea opinone saltem seductus non accedat. Quod cùm planè verum sit, eo ipso quod Iobus secum Deo congredi optare asseruit, pares, ac divinas vires se habere non sanè credidit, at credere, seu jactare visus est. Sed vexatio verba minus limata extorsit: mens casta, piaque permansit. F

℣. 10. Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet: ℣. 11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus. ℣. 12. Stringit caudam suam, quasi cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt. ℣. 13. Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ. G

PARAPHRASIS.

Ex hoc conijcies, quam sim potens, ne mecum confligere velle ulteriùs asseras. Ego creavi, uti teipsum, animal vastum, robustum, mirabile, elephantum videlicet, qui herbis, ut bos, pascitur, qui lumbos, parteſque illas proximas validissimas, quin & eas, quæ molliores sunt, ventrem scilicet vi multa præditum habet; quandoquidem turres ligneas, inclusosque bellatores loris sub ventrem reductis religatus gestat. Caudam cedro, non longitudine, sed robore similem fortiter adstringit, dum quicquam conatur. Ejus nervi, quibus testiculi colligantur implexi, ac prævalidi sunt. Ossa, ut æneæ tubæ, cartilagines instar laminarum ferrearum. Totus robustissimus, & omni ex parte visendus: quem tamen, uti agnum mitem, quò velim duco. H

BEhemoth Hebræis plurale nomen est, significatque, Bestiæ, unde Interpretes, θήρια,

Scripta An. 1610.

θήρια, beſtiæ, transferunt: Celeberrimaque Interpretum ſententia eſt, poni hîc pro certo genere, hoc eſt, elephanto, qui animantium terreſtrium maximum, quaſi belluas omnes gregatim acceptas repræſentat. Illa verba, Quem feci tecum, ſignificant, quem creavi tecum, id eſt, ſimul te, & illum creavi, Sexta quippe die homo, reliquaque animantia terreſtria condita ſunt. Mira ſunt, quæ de fera hac ab ſcriptoribus traduntur, A ſive prægrandis corporis vaſtitatem, ſive robur incredibile, ſive varia virtutum ſemina, quibus ad hominis ingenium prope accedere videtur, velimus expendere. Nos leniſſimum exponendi modum textui congruentem ſeleginus, qui ex paraphraſi liquet. Mens autem Dei animal grande deſcribentis eſt, Iobum urgere, conſideret divinam potentiam in animantis mole immani, altiuſque imprimatur humilitatis ſenſus, quo ediſcit humanam virtutem divinæ poſthabere. Plurima huc allegoricè intexuntur ab Interpretibus, quæ præterire nobis conſilium eſt, præter pauca ſelecta, quæ interdum excerpemus: Elephas in arçano ſenſu dæmonis figura eſt, ſive *Iſai. 60. 6.* feritatem, ſive vires obſervemus. Dæmon B fœnum, hoc eſt, carnales homines paſcit: omnis nimirum caro fœnum; quæ niſi ſpiritu reformetur, Dæmonis pabulum eſt. Pollet robore lumborum, partiumque, ubi luxuria viget, eas quippe partes vehementer inflammat. Stringit caudam, hoc eſt, validè conatur, dum hominem infeſtat, & vrget ab Venerem. Oſſa ejus, &c. hoc eſt robuſtiſſimus, & quaſi æreus, aut ferreus eſt, ut ejus congreſſus timendus ſit.

℣. 14. Ipſe eſt principium viarum Dei: qui fecit eum, applicabit gladium ejus. C

PARAPHRASIS.

Elephantus eſt maximum animal terreſtre, & quaſi ſpectaculum principale inter animantium opera, quæ Deus creavit. Qui adeò tremendus eſt, ut potentiæ divinæ argumentum ſit, ipſum Deum, qui eum condidit, inferre illi necem, & quaſi gladio eum traiicere, cùm à nemine præter Deum ſuperari poſſe videatur.

PRincipium viarum, hoc eſt, operum Dei, dicitur elephantus, quaſi dicas, D principale, præcipuum, eximium: & hoc ad animantia terreſtria referendum, quæ granditate, ac docilitate ſuperat. Deus dicitur applicare gladium ejus, hoc eſt, interimere eum potentia ſua gladio notata. Aliqui hunc gladium, quo Deus utitur ad elephanti necem, cornu rhinocerotis ſaxo exacutum, quo ventrem petit interpretantur, vel dentes draconum: nam rhinoceros, & draco cum elephanto validiſſimè dimicant, & plerumque necant. In arcano ſermone Dæmon vocatur, Principium viarum Dei, quia Lucifer fuit prima, & ſuprema è creaturis, quas Deus in mundi primordio condidit. Gladius autem, quo Deus cædit Dæmonem, Angelorum potentia ad coercendum hoſtem illum divinitus intenta eſt: quem ſanè ſenſum LXX. Interpretes diſertè tradiderunt in hæc verba graviſſimam allegoriam continentia: Hoc eſt principium formationis Domini, factum ut illuderetur ab Angelis ejus. Formationis dicunt, hoc eſt creationis, Vt illuderetur, E hoc eſt, ut compeſceretur, & victus derideretur. LXX. *Interpp.*

℣. 15. Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri ludent ibi.

PARAPHRASIS.

Verax elephas eſt, cui herboſi montes pabulum deſtinati ſunt: & cùm ſit tam ferus, & procerus, multæ beſtiolæ illudunt ei. F

LUdere ibi perinde eſt, ac ludere, ubi elephantus verſatur, eique proinde illudere. Mus vexat chamæleon, ſi per imprudentiam devoretur, necat, ſues grunnitu deterrent. Idoneus ſenſus. Subeſt autem interpretatio altera non minus apta, ut beſtiæ ludere ibi, hoc eſt, juxta elephantum ludere dicantur, quia cum carnibus non paſcatur, clemens eſt in beſtiolas alias, adeò ut in grege pecudes occurrentes manu dimoveat, ne quam imprudens obterat. In arcano ſenſu Dæmon in homines, pecudum more viventes, clementiam exhibet quandam ingeniosè confictam, ludereque, ac jocari patitur. At pòſt pœna luenda. *Plin. Lib. 8. cap. 7.* Alia textus explicatio. G

℣. 16. Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus. ℣. 17. Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum ſalices torrentis. ℣. 18. Ecce abſorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. H

PARAPHRASIS.

Elephantus corpore vaſto æſtuans humentia loca calamis, carectis, ſalicibus obumbrata quærit, ibique requieſcit. Ea exardeſcit ſiti, ut ſi fluvium quaſi exhauriat, nihil ei mirum videatur, ſed ſperet Jordanem quoque ipſum iterato potu velut ſiccare.

Se-

Scripta An. 1610.

SEcretum calami, locum calamis obtectum appellat. Elephantus quippe loca uliginosa ad quietem amat. Quod verò additur: Protegunt umbræ, &c. ejusdem rei amplificatio est. Succedit autem hyperbole, Ecce absorbebit fluvium, &c. quod ad significandum largissimum potum calidissimi animalis eleganter effertur: hemistichium verò ultimum, Et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus, rem eandem exaggerat. Italice diceremus: *gli basta l' animo di bevere tutto il Giordano*. Mira de copiosissimo belluæ hujus potu traduntur, quæ instituto nostro minimè necessaria videntur, cùm immanis corporis constitutio rem satis persuadeat. In arcano sermone, umbrosa, & humentia loca, ubi Dæmon placidè moratur, homines sunt otio torpentes, & inertes, quorum studium est, æstum, laboremque detrectare. Eò autem pertingit mollities hæc, ut confidat Dæmon, se absorpturum non homines profanos tantùm, qui fluviis aliis notantur, sed sacros, quasi Jordanis aquis lustralibus expiatos: qui ubi vitam inertem, velut umbram captantes consectantur, horrendis casibus in luxuriæ voraginem demerguntur: & ab hoste sævissimo, ejus escæ lautæ cupidissimo, exorberi significanter asseruntur.

A

B

℣. 19. In oculis ejus, quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares ejus

PARAPHRASIS.

Ælian. l. 43. Plin. Lib. 8. Cap. 12.

C *Animal hoc validum, ac visendum, quasi hamo capitur, dum ad ramos decerpendos accedens à dracone insidiante, & in oculos primùm insiliente mordetur, ac strangulatur, ejusque naris, sive proboscis illigatur.*

PLurima hîc de modo capiendi elephantum ab scriptoribus traduntur, è quibus duo sat sit excepere. Unum, quod in paraphrasi ponimus: in quo tantumdem est, narem illigare, ac sudibus perforare: quasi lingua draconis, quæ bifida, sive bifulca, mucronis figuram refert, proboscidem constringat, & velut duabus lanceis, sive jaculis percellat. Alterum, quod proferimus, est modus capiendi elephantum artificiosus, quando defossa prælta fovea, terràque, ac ramis operta, & pabulo superinjecto, stimulata accedit bellua, gravique pondere

D omnia perrumpit, in foveamque incidit: ubi venatores comprehensam venabulis saucrant, promuscidemque transverberant. In arcano sensu Christus objecit Dæmoni formam hominis, quam depascere optavit, & in oculis, hoc est, in erroneo oculorum, sive cognitionis judicio Dæmon illusus, captus, alligatus, & percussus est. Nares, quibus sagacitas notatur, vulneratæ sunt, quia deceptæ, ludibrio habitæ; atque mulctatæ.

℣. 20. An extrahere poteris leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus? ℣. 21. Numquid pones circulum in naribus, aut armilla perforabis maxillam ejus? ℣. 22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? ℣. 23. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum? ℣. 24. Numquid illudes ei, quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?

E

PARAPHRASIS.

E

Expende nunc, Iob, potentiam meam ex immanissimo ceto Oceanum pervagante: qui adeò ferus, & incredibilis magnitudinis spectaculo horrendus est, ut nequeat hamo capi, fune constringi, annulo ferreo per nares, maxillasve trajecto vinciri. Non est ex genere animantium, quæ statim mansuescunt, & blandimentis multis alludentia, quasi ad preces, verbave humilia convertuntur: neque verò ex eorum genere, quæ velut inito pacto, suis dominis ad onera gestanda, vel ad usus alios perpetuò serviunt; tantùm abest, ut quasi avicula per deceptionem capi, & è pede, alave ligari possit ad pueros, puellasve lusibus oblectandas. Ego verò illo utor, ut libet.

G

PRofert ultimo loco Deus conspicuum potentiæ suæ argumentum, quod Iobus usque ad stuporem admiretur: Cetum videlicet, qui appellatur hoc loco Leviathan, hoc est, additamentum, societas, comitatus, quasi belluæ omnes marinæ huic tanquam maximæ addantur, socientur, vel quasi cetus ipse visendus sit, velut animantium aquatilium societas, vel aggregatio. Vulgatum est, quod à Plinio traditur, Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse. Dum in aquæ superficiem sese attollunt, insularum speciem referre, navesque aliquando vorasse dicuntur. Incertum est autem de quo cetorum genere Deus hîc sermonem habeat: ratio verò ipsa exigere videtur, ut de omnium maximo, ac immanissimo loqui credatur. Quòd autem roget Deus Numquid, multiplicabit ad te preces, &c. perinde est, ac Numquid geret se erga te habitu supplici, more animantium, quæ facilè miteſcunt? Nimirum prosopopœia est. In arcano verò sensu Dæmon ceto significatur, quem Deus hamo

Lib. 32. c. 1.

H

ce-

Scripta cepit, quando per Unigenitum filium paſ-
An. 1610. ſionis pondere in figuram hami curvatum è mortalium animis illum extraxit, alligavit, ludibrio expoſuit, quod facilè amplificari poteſt.

℣. 25. Concident eum amici, dividentillum negociatores? ℣. 26. Numquid implebis ſagenas pelle ejus, & gurguſtium piſcium capite illius? ℣. 27. Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec ultrà addas loqui. ℣. 28. Ecce, ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

A

PARAPHRASIS.

B *An cetus immanis humanis viribus capi, concidi in fruſta, & inter piſcatores dividi, ſagena, retive obvolvi pellis ejus, aut vimineo vaſe caput ipſius exectum recondi poterit? Minimè quidem. Iniice Iob, ſi vales, manus in eum: fiet quippe, ut prælium excites adverſus te, quod numquam memoria excidat: fiet quoque ut à bellua ſæviente deterritus, & attonitus verba formare nequeas. Hæc eſt immanitas ceti: & tamen providente me ipſe quaſi maris rex omnia pererrat, audaciaque fallitur ſua, nam impingit quandoque in maris littus, ubi confluentibus accolis, ac rem viſendam ſpectantibus, illum vulnerant, atque diſcerpunt.*

C

SEnſus leniter decurrit, ut à nobis contextus, & ex interpretibus ceti capturam deſcribentibus explanatus eſt. Primus & ſecundus verſus cum interrogatione legendus, ut patet è vulgato juxta Typographiam Vaticanam. In ſecundo, Sagena rete piſcatorium, gurguſtium, vas è vimine contextum ad piſces capiendos. In tertio verſu pulchra adhortatio eſt ad ſummum periculum aggrediendum. In quarto, & ultimo confidentia ceti è quovis diſcrimine ſe elabi poſſe ſperantis, decepti tamen, & capti deſcribitur: quod enim homines nequeunt, Deus facillimè efficit, cetum ad arenam ipſam luſu quodam deducens, ubi quaſi navis aqua deficiente, cui innatet, in terram impingit, unde remeare non valeat. Sic ſpe fruſtratur ſua. In arcano verò ſenſu ſæviſſimus Dæmon omnia ſibi licere ratus, ex iis, qui cum luxu vitam intemperantes ducunt, velut è medio mari ad terram arentem, hoc eſt, ad eos, qui corpora inedia, vigiliis, continentia ſiccant, ſenſim labitur: ubi ſpe fraudatur ſua, multiſque vulneribus à fortiſſimis Dei cultoribus fauciatur.

Editio Vaticana

D

CAPUT XLI.

℣. 1. Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum: quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? ℣. 2. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia, quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt. ℣. 3. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis.

E

PARAPHRASIS.

Leviathan potentiſſima bellua eſt: at ego non utor ea ad crudelitatem exercendam, ſed ad potentiam, & magnitudinem meam propalandam. Et quidem cùm immaniſſima ſit, ſi ea ad inferenda mala uterer, quis repugnare iræ meæ valeret? Nemo ſanè. Neque mihi vitio vertendum, quòd ceto vires tantas non item aliis creaturis contulerim: poſſum quippe bona mea, ut placet, largiri: nemo enim priùs mihi quicquam dono dedit, ut virtutem inſignem ei in creatione ipſa, velut ſolvendo debito rependerem. Omnia planè mea ſunt, juxta meum placitum conſiſtentia, quæ condidi, roboravi, ornavi ut placuit. Quod verò ad cetum maris tyrannum pertinet, non dimittam eum graſſari, ut vellet, licèt mihi vel ferociam potenter obiiciat, vel lenitate quaſi blandiatur, & alludat.

F

G

PErſequitur mirabilem ceti deſcriptionem, diluitque primùm objectionem tacitam, quæ poſſet opponi. Cùm enim belluam adeò immanem condiderit, videri poſſet alicui rem minùs penſitanti, non eſſe æquam providentiam, quæ maris tyrannum, cui non poſſit repugnari, permittit. Hanc elidit, teſtatus ſe non ad crudelitatem, ſed ad infinitæ potentiæ ſuæ oſtenſionem cetum creaſſe, neque velle ſuſcitare, hoc eſt, excitare, vrgere illum, ut noceat. Conſtat quippe neminem repugnare valiturum, ſi belluam excitaret. Vultum hîc pro ira vultu expreſſa poſuit. Neque cum Deo expoſtulandum, quòd ceto, non aliis vim illam fortiſſimam contulerit: quis enim priùs illum muneribus obligavit, ut ſimilem vim quaſi emptam pretio reciperet. Deus omnibus dominatur creaturis, ſinguliſque diſtribuit ingenia pro conſilio ſapientiæ ſuæ, quæ nequit reprehendi. Cæterùm quod ad gubernationem rerum, & tyranni illius repreſſionem attinet, non parcet ei, hoc eſt, non ſinet eum ita licenter excurrere, atque prædari, ut poſſet. Pingit autem per proſopopœjam belluam illam vel ſævientem, ac minantem, quæ

H

ſunt

Scripta An. 1610. sunt verba potentiâ figuratè dicta, vel adbladientem, ac ludentem, quæ sunt verba ad deprecandum composita. Sæpe nimirum animantibus rationis expertibus actus humani eleganter in Scriptura tribuuntur ad affectus naturales eorum significantiùs exA primendos. In arcano sermone Deus non suscitat Dæmonem, imò conantem reprimit, quicquid ille verbis compositis impetrare nitatur, ut ex hujus libri patet exordio: ubi Satan importunus postulator licentiam infestandi Iobum per partes temperatam accepit: quod est luculentissimum divinæ clementiæ testimonium.

℣. 4. Quis revelabit faciem indumenti ejus? & in medium oris ejus quis intrabit? ℣. 5. Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido.

B

PARAPHRASIS.

Nemo audebit superciliorum ceti oculos operientium, ac velut induentium pellem sublevare, tremendumque in os ejus ingentibus usque ad stuporem dentibus armatum ingredi, maxillas duas, portis duabus similes aperire, neque dentes illos, quibus formidinem incutit, intueri.

FAcies indumenti variè ab interpretibus accipitur; sed proprius videtur significatus, qui ad aliquid in facie, capitevę ceti consistens rem hanc aptè reducit, cùm hîc capitis partes describantur. Inter multa verò creditu *Plin. Lib. 9. 29.* difficilia placet illud, quod de balena scribitur creditu facilius, oculos nempe obrui gravi superciliorum pondere. Operiuntur ergo prominentia illa, & quasi vestiuntur oculi: nemoque ausit pellem, cutemve, aut corium illud, quod facies indumenti appellatur, admota manu attollerę, confestim à bellua vorandus. Facies pro eo, quod in re aliqua extimum est, primumque se spectandum exhibet, familiariter accipi solet. Cætera patent; etsi enim auctores silerent, posita semel corporis vastitate visenda, efficitur proculdubiò maxillas valuis similes, dentes gladiis, venabulisve majores, faciemque totam esse omnino formidabilem. Quæ certè omnia arcanè accepta hjatum Dæmonis ad homiD nes vorandos, discerpendos, perdendos horrendo significatu portendunt.

℣. 6. Corpus illius, quasi scuta susilia, compactum squamis se prementibus. ℣. 7. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. ℣. 8. Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.

PARAPHRASIS.

Ceti corpus obducitur pelle durissima, quasi clypeis ex ære fusis obtegeretur, vel squamis ferreis ita premeretur, ut ne minimum spatii interpateret, per quod ventus posset illabi, alteraque ab altera vi quantavis impacta, divelli nequiret. E

CEtorum pellis ab scriptoribus antiquis glabra, neque squamata describitur, tamen quod nimiùm sit spissa, firma, solida, hirsuta, apparet squamosa. Durissima profecto est, quæ neque jaculis, neque ferro cedit. At verosimile videtur, esse aliquam ejusmodi belluam squamis obtectam, vel ob loci hujus auctoritatem, quem interpretes aliquot de squamis propriis accipiunt, Arcanè obstinatio Dæmonis notatur, qui adeò obduruit, sese constrinxit, atque costipavit, F ut ne minimæ, ac subtilissimæ inspirationi divinæ locum reliquerit. Hæc pellis squamata Leviathan.

℣. 9. Sternutatio ejus splendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi. ℣. 10. De ore ejus lampades procedunt, & sicut tædæ ignis accensæ. ℣. 11. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque ferventis. ℣. 12. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egredietur. G

PARAPHRASIS.

Sternutamentum ceti, quo vim aquæ ingentem reflat, terrificè micat, oculique ipsius igneścentes auroram rubentem, cujus palpebræ sunt primi ejus radii, repræsentant. Dum respirat ferventer, videtur faces, tædasve succensas efflare. Per nares fumum uti olla ebulliens expirat: ejusque flatus carbones inflammaret: halitu enim quasi flammam exhalat. H

PEriphrasis quædam perelegans est hæc, qua prægrandes oculi micantes, & flatus ore, naribusque redditus, à calidissima bellua velut inflammatus, & nimbis aquæ splendentis immixtus significatur. Palpebras diluculi dixit Vulgatus, radios primos auroræ surgentis. Et satis quidem apta metaphora: nam palpebræ propriè acceptæ sunt pili, qui enascuntur è duabus illis membranis, sive operculis, quibus oculi obteguntur: qui certè pili cum radiis similitudinem gerunt. At

Scripta An. 1610. hoc argutum est: palpebræ quippe hîc simplicius pro oculis metonymicè ponuntur, ut oculi ceti similes dicantur oculis diluculi, quos cœlum summo mane aperire videtur.

LXX. Interpp. LXX. vertunt: Oculi ejus speciés Luciferi, sunt enim quasi duo splendida lumina. In arcano verò sermone sternutamentum Dæmonis, est tentatio vehemens, vi qnasi expultrice fortiter explosa, & in animum hominis impacta. Oculi revelationes falsæ. Flatus, halituſve calidus, vel igneus, suggestio Veneris, iræve appellatur.

A

℣. 13. In collo ejus morabitur fortitudo, & faciem ejus præcedit egestas. ℣. 14. Membra carnium ejus cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. ℣. 15. Cor ejus indurabitur tamquam lapis, & stringentur, quasi malleatoris incus.

B

PARAPHRASIS.

Leviathan collum habet robustissimum, & quocumque se vertat, omnia devastat. Habet membra bene solida, atque compacta, in quæ Deus jaculatur fulmina; quæ in vastum corpus demersa aliò non resiliunt. Habet cor incredibili spissitudine velut lapideum, imò quasi ferreum, simileque prorsus incudi, quæ quo fortius à fabro ferrario tunditur, durior evadit.

C

SAtis patet litteralis sensus ex paraphrasi; præter pauca, quorum primum, Egestatem præcedere faciem ceti, perinde esse, ac ante faciem ceti omnia consumi, confici, ad inopiam converti: omnia quippe depascit, pisces coram natantes, navesque interdum ipsas, quæ rerum demolitio, egestas appellatur. Secundum observatione dignum est verbum, Fulmina, pro quo multi legunt flumina, quasi Leviathan adeò vastus sit, ut si se flumini occurrenti opponat, ejus cursum sistat, alveique cavitatem expleat. Verum correctio Vaticana habet, fulmina, quibus Deus immanem belluam percellit. Cætera patent. In arcano verò sensu Dæmon collum habet erectum, robustumque, quod jugi impatientiam significat, Faciem ejus præcedit egestas, obvia enim quæque devastat, ut Dei potentia coercendus omnino sit. Habet membra cohærentia, impios videlicet homines inter se connexos, mutuoque ad maleficia faventes. Deus jaculatur fulmina in Demonem, validè eum ferit, & torquet: ille vero ultionis divinæ tela excipit, tantumque abest, ut molliatur, ut potius lapidescat, & velut incus percussa pejùs obduretur. Similem autem duritiem in suis creat membris, & ad statum obstinationi tartareæ quasi contiguum impellit.

Vaticana correctio.

D

℣. 16. Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.

PARAPHRASIS.

E

Cùm cetus immanis caput sustulerit, viri fortes, qui navigant, timore correpti, se statim vorandos arbitrati, Deum precabuntur, culpasve supplici prece expiare nitentur.

OMnino credibile, ceto caput, collumque tremendum super aquas erigente, nautas quoque animosos, ac vectores fortes contremiscere; & quod est familiare periclitantibus, se ipsos quà possint à culpis expurgare. Angeli hoc loco viros fortes significant, varios quippe nomen hoc significatus in Scriptura passim admittit. Hebraice hic legitur: אלים Elim, fortes. Arcanè, si Dæmon, ut serpens annosus, ac truculentus caput attollat, qui rem attentè considerat, quantumvis fortis sit, timet profectò, & se precibus, & piis operibus dedere assuescit, quibus vita corrigitur, ac expiatur.

F

℣. 17. Cùm apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax: ℣. 18. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. ℣. 19. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. ℣. 20. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.

G

PARAPHRASIS.

Si quis Leviathan gladio petat, vel hasta, frustra id quidem, cùm pellis durissima, ferrum repellat. Thorax quoque ferientis inutilis, quem cetus facilè discerpet. Profectò ferrum ei palea, æs lignum est putre, quod vetustate ipsa dissolvitur. Hinc efficitur, ut sagittas, lapides funda projectos, malleos, hastas, uti stipulas leves contemnere, ac deridere dicatur.

H

PEriphrasis sanè pulchra ferocissimæ belluæ, quæ vires omnes frangat, & nullo impetu mortalium deterreatur: ex quo Dei potentia mirabilior, sapientia major elucescit. Arcanè notatur Dæmonis potentia, quæ conatus hominum eluderet, & prælia piorum aspernaretur, nisi Deus sævitiam ejus compesceret.

Scripta An. 1610.

℣. 21. Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum. ℣. 22. Fervescere faciet, quasi ollam profundum mare, & ponet, quasi cùm unguenta bulliunt. ℣. 23. Post eum lucebit semita æstimabit abyssum quasi senescentem.

A

PARAPHRASIS.

Res pretiosæ, instar radiorum solis illustres, sub ceto jacent in imis cavitatibus maris, quibus ille incubat, ubi aurum cum demersis navibus eo onustis, quasi lectum sibi mollem sternit. Profectò dum se huc, illucve convertit, mare concitat, intimasque undas concutit, ut cùm olla fervet, unguentave igne colliquescunt, ac subsultant. In superioribus verò aquis, ubi aliò se transtulit, longa conspicitur via lucida è prolixo tractu caudæ relicta, mareque ipsum concussum spumis canescere videtur.

B

VArius radiorum solis explicatus: nobis verò metaphoricè accipiendi videntur, ut constet proprietas sensus, exigentis rem radiis significatam sub corpore ceti jacere, vel residere. Alii radios sub ceto, exponunt radios minimè valentes calefacere cetum, quasi in eo genere radii vincantur, & sub ceto proinde esse asserantur. Videtur frigere interpretatio hæc. Arcanè radii solis, & aurum, hoc est, pretiosa quæque spiritualia, virtutes nempe divinæ, sub Dæmone esse dicuntur, quando viros sanctimonia vitæ insignes prosternit, atque proculcat. Quod solet tragicè contingere, postquam sævissimus hostis

C

passiones enormiter perturbavit, totumque hominem fervescere fecit. Concussi quippe, ac vehementer agitati viri quoque fortes, corruere solent. Quando verò ejusmodi triumphum agit Satan, conspicua remanet semita in homine victo, ac pessumdato, quæ non è vestigio aboletur, aliisque idoneis tantæ cladis æstimatoribus timorem incutit. Illud, Æstimabit abyssum quasi senescentem, perinde est, ac faciet abyssum, sive Oceanum canescere, quasi senesceret.

℣. 24. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. ℣. 25. Omne sublime videt:

D

ipse est rex super universos filios superbiæ.

PARAPHRASIS.

Nihil in terrarum orbe tam validum, quod potentia non vincatur à ceto, qui creatus est formidinis expers: quique cùm ex aquis collum erigit, omnia loca sublimia, malos navium, & montium vertices conspicatur. Nimirum est rex maximus inter omnia animantia immanitate insignia.

EX animantibus terrestribus elephas est maximum; & tamen elephanti plurimi cetum unum magnitudine, ac robore minimè exæquant. Cetus dicitur factus, ut nullum timeret, ea scilicèt potentia, viribusque præditus, ut nihil ei timendum sit. Appellatur verò rex super omnes filios superbiæ, familiarissima phrasi Hebraica, qua filius rei alicujus nuncupatur, qui re aliqua insigniter excellit: atque ita in hoc loco, filii superbiæ. Sunt immanes belluæ, robustissimæ, ac ferocissimæ, sive superbissimæ, quæ sævitia, ferocia, superbiave præcellunt. Ceti ergò alii, & belluæ marinæ, filii superbiæ dicuntur: quod ex versione LXX. Interpretum confirmatur, qui sic vertunt: αὐτὲς δὲ βασιλεὺς πάντων ἐν τοῖς ὕδασιν, Ipse autem rex omnium, quæ in aquis. In arcano autem sensu, dum Satan tortuosus coluber collum erigit, hoc est, dum te ad speculandum coaptat, omnia explorare dicitur, utpote sagacissimus, ac perspicacissimus. Ipsum autem esse regem superbissimum, & filiis superbiæ, sive superbia insignibus antecellere, compertum est

E

LXX. Interpp.

F

CAPUT XLII.

℣. 1. Respondens autem Iob Domino, dixit: ℣. 2. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio, ℣. 3. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? Ideò insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent, scientiam meam, ℣. 4. Audi, & ego loquar, interrogabo te & responde mihi.

G

PARAPHRASIS.

Respondit Iobus Deo, Omninò scio te omnia posse, omnia item usque ad intimas cogitationes nosse, quod mirabilium operum descriptione modò luculenter ostendisti. Ecquis ego sum, qui consilium providentiæ tuæ, qua me afflixisti, tacui absque prudentia? Debui quippe plus operæ ponere in consiliis tuis mirabilibus prædicandis, quam in conditione mea deploranda, vel justitia meæ asserenda. Quocirca fateor me insipienter locutum, ineptè egisse de arcanis, quæ longissimè superant peritiam meam. In posterum ergo tecum modestius agere discam,

H

Scripta An. 1610.

demiſsè tibi audienti loquar, & more diſcipuli rogabo, ut me ignarum reſponſis tuis inſtruas, & rudem informes.

POtentiam, & ſapientiam ſuam Deus mirificè laudavit excurſu longo, mirabilium operum ſerie contexto, ut Iobus animadverteret, cum Majeſtate Divina minimè diſceptandum, neque anxiè diſquirenda conſilia, judiciave divina, ſed ſuſcipienda, & animo demiſſo colenda. A Hæc benè callet Iobus, & orationem Dei dicentis admiratus, ſubdit, Scio, quia omnia potes, perfectiùs videlicet ſcio, quàm antea: ſcio etiam, quia nulla te latet cogitatio, hoc eſt, ſcio te omnia noſſe: qui enim ſecretiſſimas cogitationes vix conceptas introſpicit, profectò demonſtrat ſe omnia pernoſcere. Hæc cum Iobus efferret, erupit affectus vehemens, quo ſibi ipſi ſuccenſuit, de ſe nimirum ſub tertia loquens perſona: Quis eſt iſte, &c. hoc eſt, Ecquis ego ſum, qui celavi, id eſt, tacui, non decantavi, non celebravi conſilium B tuum, imprudenter agens, & in querimonias, juſtitiæque propriæ aſſertionem linguam ſolvens? Debui ſcilicet, ex quo plagam accepi, extemplo animadvertere, ſat eſſe à te, clementiſſime Deus, calamitatem inferri, ut continuò mirarer abſtruſa conſilia tua, mihique imperarem, nollemque cauſam ſcrutari, ſed firmiùs ſperare omnia bene ceſſura. Multa quippe in ſalutis humanæ procuratione patras, quæ longè excedunt mortalium, meamque proinde ſcientiam. Ergo poſthac modeſtiùs loquar. Audi, quæſo me, ego demiſsè quæram. Interrogabo te præceptorem maC ximum: doce precor me hominem eruditionis tuæ cupidiſſimum. Verba hæc, Audi, & ego loquar, &c. humillimi animi demiſſionem, ac modeſtiæ propoſitum continent, nam in Hebræo additur particula obſecrantis, Audi quæſo, LXX. Interpretes apertè hanc temperantiam exprimunt in hæc verba: Verùm audi me Domine, ut ego loquar: interrogabo autem hoc, & tu doce me. Videtur autem doctrinam inſpirationum, internæve illuminationis requirere, ut in ſapientiæ divinæ ſchola proficiat. Si quis autem ſciſcitetur, unde tanta provenerit animi demiſſio, aptè ſubdit.

LXX. *Interpp.*

℣. 5. Auditu auris audivi te, nunc D autem oculus meus videt te. ℣. 6. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.

PARAPHRASIS.

Te antehac per auditum cognovi, modò verò per viſum, qualem ſtatus præſentis vitæ patitur. Quocirca ipſe me ipſum corripio, & ſolitis cæremoniis pœnitentiam ago.

NOverat anteà Deum Iobus, ſuſpexerat, coluerat per fidem, quæ eſt ex auditu. Nunc verò calamitate factus eruditior & ſermone Dei è turbine loquentis illuminatior, dum anteactam notitiam cum preſenti confert, illam auditum, hanc viſum appellat, non ſanè, quòd Deum apertè, ut in patria intueatur, ſed quòd ſingulari luce perfuſus illuſtriùs, excelſiuſque quàm antè, de Deo ſen- E tiat: qui vexationis, & divini colloquii mirus effectus, & fructus planè ſuaviſſimus eſt. Ex hac ergo penitiore Dei notione ſe in ſermonis modo metam exceſſiſſe diſpicit, & pœnitudine tangitur. Favilla, & cinis reſperſus, antiquus pœnitentiæ ritus eſt. LXX. Interpretes mirificè ſenſum Iobi expreſſerunt *LXX. Interp.* ad hunc modum: Quamobrem ſprevi me ipſum, & extabui: putavi autem me terram, & cinerem. Hæc Iobus. Ubi preſpicaciter *Animadverſio.* obſervandum, quàm graviter à Deo reprehenſus fuerit, & quàm ſeverè ſe ipſemet carpſerit, ob ſolum ſermonis exceſſum, ſententia recta, & vitæ integritate conſtante. Quid ergo nos, qui verbis, operibuſque fœdamur?

F

℣. 7. Poſtquàm autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Iob.

PARAPHRASIS.

Expleto ſermone, quem habuit ad Iobum Deus, dixit Eliphaz Themanitæ: Excandui in te, duoſque ſocios, quia non rectè ſenſiſtis de me, verumque locuti eſtis, ut cultor meus Iobus. G

POnendum hîc hanc vocem Dei ad Eliphaz, inſonuiſſe non ſolùm Iobo, ſed aliis diſputatoribus: eſt quippe litis inter eos controverſiæ diremptio, & ſententiæ pronunciatio: ſed principalem dumtaxat, natuque majorem Deus alloquitur. Non eſtis locuti rectum, inquit Deus, hoc eſt, juſtum, verum, ſententiam rectam, ac veram. Non ait, Non eſtis locuti rectè, nam & hoc lapſu, licet leviùs notatur Iobus; ſed rectum, quod ad ſenſum, ſententiamve referendum. Quid verò aget Deus, qui juſtè iraſcitur?

H

℣. 8. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam,

ut

Scripta An. 1610.

ut non vobis imputetur ſtultitia: neque enim locuti eſtis ad me recta, ſicut ſervus meus Iob.

PARAPHRASIS.

Succenſui ex juſtitia, ſed ex clementia vos inſtruo, ut me placetis. Seligite tauros ſeptem, arietes ſeptem, adite Jobum, & ſacrificate pro vobis ipſis in hunc modum: Iobus ſervus meus immolabit, orabitque vobis adſtantibus, & ſacrificium ſimul offerentibus. Exaudiamque Iobum, ne vos pro culpa ſtultè commiſſa puniam: nimirum non dixiſtis rectam de me ſententiam, uti Iobus, qui mihi ſyncerè ſerviit.

A

IRatum ſe profitetur Deus, neque mox ulciſcitur: ſed (quod eſt luculentiſſimum clementiæ exemplum) docet offenſores ipſos, quemadmodum propitiandus ſit. Præſcribit tauros, vituloſve, ac ſeptem arietes, numerum ſcilicet à primordio mundi, ob creationem die ſeptima quieti deſtinata abſolutam, religioſum: jubetque adeant priùs Iobum, quem vexaverant, anteverſo nempe conſilio Evangelico, quod per Matthæum evulgaturus erat, ut non prius ad altare munus offerat, qui proximo irrogavit iniuriam, quam offenſo reconcilietur. Iniungit præterea, ut Iobus oret, ſacrificans nempe, ac ſimul preces fundens, ut verus ſacerdos, cui ſacra exercenti, qui adſunt, aſſiſtuntve, offerre dicuntur: quo certè modo amici præſentes holocauſtum obtulere. Subiungit autem, Faciem ejus ſuſcipiam, hoc eſt, placabor, admittam, amplectar, non repellam, non reiiciam, ut neceſſe ſit ei terga vertere, ac faciem proinde à me non acceptam avertere. Hoc itaque modo iram ponam, ne vobis ſtultitiam imputem, hoc eſt, ſupplicium inferam pro actu ſtulto. Maxima pollet energia offenſi hominis non pœnam de offenſore repetentis, ſed pro eo Deum obſecrantis oratio.

B

Matt. 5. 24.

C

¥. 9. Abierunt ergo Eliphaz Themanites & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Iob.

D

PARAPHRASIS.

Mox tres amici obtemperarunt, Iobumque convenerunt, ac Dei præconio convicti venerati ſunt. Deus verò Iobi prece, ac ſacrificio placatus eſt.

HIC non fit mentio Eliu: at veroſimile eſt, ipſum quoque vocem Dei audiſſe, adiiſſe Iobum, honoraſſe, ſacrificio interfuiſſe, ut qui in eodem errore cum tribus verſatus fuerat, eodem holocauſto expiaretur.

¥. 10. Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis ſuis. Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob duplicia.

E

PARAPHRASIS

Clementiſſimus Deus, qui videbatur averſus, cùm Iobum affligeret, converſus eſt, & noſtro dicendi more pœnituit eum, quòd acerbè tractaſſet Iobum, cum videret illum pro ſuis impugnatoribus obſecrantem. Reſtituit ergo illum in ſtatum florentem, bonaque omnia duplò auxit.

ELeganter Deus dicitur ad pœnitentiam converti more noſtro, ut Jeremiæ 18. Si pœnitentiam egerit gens illa, &c. agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Et ſubitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud. Hac nimirum phraſi favor divinus notatur, quem abſque ulla mutatione Deus, qui priùs affligebat, impendit. Huc ſpectat hæc Dei pœnitentia erga Iobum. Ex hoc textu aliqui ſatis aptè colligunt Iobum, dum oraret, ſanitati perfectè reſtitutum: quaſi Deus obſervarit, deſtinaritque horam illam miraculoſæ ſanitati, qua Iobus eximia in proximos, à quibus laceſſitus fuerat, charitate flagrabat. Inſtaurata ergo valetudine, opportunè ſubtexitur, addita fuiſſe bona duplicia, ut proſperè valenti cuncta fælicius acciderent.

F

G

¥. 11. Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui, & univerſæ ſorores ſuæ, & cuncti, qui noverant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum ſuper omni malo, quod intulerat Dominus ſuper eum. Et dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam.

H

PARAPHRASIS.

Ergo rei novitate ſtupentes conſanguinei, & familiares Iobum adierunt, & inſtructo convivio lætiſſimè epulati ſunt, motioneque capitis calamitatem recentem, & oculis adhuc ha-

Scripta An. 1620.

hærentem ſignificantes & cum reſtitutione mirabili comparantes, lachrymas, & gaudia miſcentes, illum ſolati, illique gratulati ſunt. In amoris verò, ac lætitiæ ſignum oves, & inaures ſinguli ſingulas dono dedere.

FRatres, ac ſorores familiari Scripturæ phraſi conſanguinei appellantur. Qui noverant eum prius, neceſſarii, amicive in-
A telliguntur, nam alioquin à nemine potuit non agnoſci. Comedere panem, perinde eſt, ac veſci quocumque cibo, quem panis crebrò in Scriptura ſignificat, ut, E-
4. Reg. 6. 22. 23. liſeus dixit Regi Samariæ, Appone eis panem, Syris videlicet militibus: & mox ſubditur, Appoſita eſt eis magna ciborum præparatio. Moverunt caput in ſignum incredibilis calamitatis adhuc animo, & oculis hærentis, quam depellere nequibant, & profuſa lachrymarum vi ſolati ſunt eum. Ita quippe in confinio adverſæ, proſperæque ſortis affectus permiſceri ſolent. Motio ergo capitis, quæ compatientis geſtus eſt, non abs re in lætitiæ crepuſculo exerceri potuit. Ab aliis motio hæc admirationi tri-
B buitur. Et quidem varius eſt motus capitis, & nunc læta, nunc triſtia, nunc aſpera, nunc ſuavia, nunc ſeria, nunc jocoſa ſignificat. Ovis, & inauris donata gratulationis ſigna ſunt, & ad morem reges cum muneribus ſalutandi, qui perantiquus eſt, alludere videtur. Iam verò inauris uſitata videtur fuiſſe Huſitanis etiam viris: eſt autem inauris circulus, qui ex auro fabrefie-
LXX. Interpp. bat cum appenſa gemma. LXX. habent, Dedit autem ei unuſquiſque agnum unum, & tetradrachmum auri, & non ſignati, hoc eſt, pondus auri ſine figura, ſeu charactere ullo. Gratulabundi ergo munera obtulere, jam per hoc reſtitutionem in regnum, ſive principatum indicantes.

℣. 12. Dominus autem benedixit
C noviſſimis Iob, magis quam principio ejus. Et facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & ſex millia camelorum, & mille juga boum, & mille aſinæ.

PARAPHRASIS.

Contulit Deus Iobo ampliora bona poſt calamitatem, quam in ſtatu primævo: atque adeo greges & armenta duplò numeroſiora
D *recenſuit.*

PAtet è libri primordio, ſeptem ovium millia, tria millia camelorum, quingenta boum juga, quingentas aſinas numeraſſe. Hic duplò plura recenſentur. Incertum eſt autem, quam citò proſperatus fuerit: veroſimile tamen, ſatis citò, ut miraculoſæ ſanitati opum incrementa reſpondeant. Neque verò hîc jure poſſumus, aut debemus rem grandem conſueto diteſcendi more cenſere: rarius quiddam, & mirabilius eminet.

℣. 13. Et fuerunt ei ſeptem filii & tres filiæ. ℣. 14. Et vocavit nomen unius, Diem, & nomen ſecundæ, Caſiam & nomen tertiæ, Cornuſtibii. ℣. 15. E
Non ſunt autem inventæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in univerſa terra: deditque eis pater ſuus hæreditatem inter fratres earum.

PARAPHRASIS.

Septem liberos Iob reſtitutus ſuſcepit, tres item filias, quarum nomina, Dies, Caſia, Cornuſtibii, quæ forma omnes Huſitanas facilè ſuperarunt, & inter fratres amplam hæreditatem acceperunt. F

TOt filios, quot domus concuſſa oppreſſerat, genuit, non plures: & tamen ſcriptum eſt: Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia: quia filios illos primos extinctos non amiſerat, ſed ad ſinum Abrahæ præmiſerat, ubi ſanè vivebant. Salvos ergo, ac vera vita fruentes liberos inter amiſſas opes recenſere non decet, quæ gravium Interpretum expoſitio eſt. Nomina verò filiarum Latinè reddita ſunt: nam quæ in Hebræo habentur, Latinè per Diem, Caſiam, Cornuſtibii, exprimuntur: quæ certè nomina à conſilio impoſita videntur, quod olim Patriarchis antiquiſſimis familiare fuit. Potuere autem hæc nomina ad corporis elegantiam, vel animi virtutem inſignem notandam excogitari. Dies pervium ſignificatum habet G
clarum, luculentum, ſerenum, quo virginea forma ſplendida, & virtus integra notatur. Caſia frutex aromaticus eſt, cujus plura ſunt genera, inter quæ recenſetur, quod cinnamomum, cannellamve appellamus, quæ colore, ac odore præcellit, formæ corporis, ac virtutis odore ſignificando ſatis opportuna. Cornuſtibii eſt cornu, in quo aſſervatur ſtibium, quod oculis non medendi gratia ſolum, ſed elegantiæ cauſa adhibetur, quod ad pulchritudinis ſignificatum facilè traducitur. Quod verò ſubiicitur, non fuiſſe inventas in univerſa terra mulieres æquè ſpecioſas, ad Huſitanam regionem referendum videtur, licèt nihil obſtet, ſi ad H
univerſum orbem terrarum protendatur. Hoc indicaſſe videntur LXX. Interpretes ajentes: In ea, quæ ſub cælo: verbaque Vulgati ſa- XXL. Interp
tis propriè hunc ſenſum admittunt.

℣. 16. Vixit autem Iob poſt hæc centum quadraginta annis, & vidit filios ſuos, & filios filiorum ſu-

Scripta An. 1610.

suorum, usque ad quartam generationem, & mortuus est senex, & plenus dierum.

PARAPHRASIS.

Exantlata calamitate Iobus per centum quadraginta annos fortunatissimam vitam duxit, & filios, nepotes, ac longam posteritatem jucundissimo spectaculo intuitus, demumque senio confectus, fœliciter defunctus est.

A

VErosimile nonnullis videtur Iobum septuagenarium fuisse, cùm in ærumnam incidit, ut vita centum quadraginta annorum sit duplò productior, ac in hoc etiam genere duplicia receperit. At hoc incertum: neque verò prasis illa, Addidit Dominus omnia duplicia, id requirit, cum de bonis aliis, quæ textu ipso sacro recensentur, aliisque similibus sermo fiat, neque res debeat nimiùm mathematicè, vel arithmeticè premi. Unum hìc minimè silendum, sanctimoniam Iobi validè tentatam multò auctiorem evasisse, quæ arcano sensu inter duplas opes primo certè loco reponenda sit. Ergo Iobus ad florentissimum statum revocatus est, ipsoque rerum eventu facile demonstravit, quam sit è re hominis, mala à Deo illata patienter ferre. Erexit Deus jacentem, tabidum persanavit, exhilaravit afflictum, locupletavit inopem, infamem illustravit. Procella sedata, nubila disjecta sunt, & serenitas cælestis arrisit. Obiit vir clarissimus, Deoque acceptissimus, juxta Rom. Calendarium, die Maii decima: honorificentissimè elatus, & tumulatus fuit: & in Abrahæ sinum exceptus quievit, præstolaturus candidissimam Christi lucem, quæ jam affulsit, qua ævo sempiterno victor amplissimus perfruetur. B

Iobi obitus.

IN

CANTICI CANTICORUM

INTERPRETATIO,

QUA CŒLESTIS SPONSI, ET SPONSÆ ELECTÆ
INCOMPREHENSIBILIS AMORIS VIS SENSU
PENITUS DIVINO CONSCRIBITUR.

IN SEQUENS OPUS MONITUM.

NIsi Scripturæ Sacræ in iis, quæ de illis disseruit Ven. Scriptor, & argumentorum ab ipso actorum ordinem, quà fieri possit diligentiùs nos in hac editione servaturos, exemplo recentiorum, insigniorumque alienorum Operum Collectorum, in nostra generali Præfatione præmonuissemus, inversæ, retroversæque chronologiæ hîc facilè argui possemus. Certissimis enim argumentis constat, hanc in Cantica Canticorum Interpretationem elucubrasse, absolvisseque Vir divinæ contemplationi addictissimus, ante Paraphrasim in Iob, scilicet anno 1598. *Romanisque typis primò paruisse an.* 1601. *Verùm illa Sacrorum Bibliorum, quàm temporum seriei servandæ ratio potior nobis visa est. Cæterùm universis Ordinis nostri Historicis in confesso est, id Operis perfeciisse Iohannem ipso anno, quo prima veluti Generalia Comitia Italicæ nostræ tunc enascentis Congregationis Romæ habita sunt; quibus præcipuè de altero communi formulæ Professionis adiiciendo solemni humilitatis Voto decretum est; qui is idem fuit annus* 1598. *Anno verò insequenti commissum est Theologorum examini, ac datæ ejusdem imprimendi facultas à Ven. P. Petro à Matre Dei, qui sub nomine Commissarii Apostolici, ceu infantulæ adhuc in Italia Familiæ præfectus fuerat: Quæ quidem in prima Romana editione, quæ non ante annum* 1601. *typis Stephani Paullini vulgata est, sic legitur:* „ *Ego Fr. Pe-*
„ *trus à Matre Dei, Commissarius Congregationis Italiæ Fratrum Carme-*
„ *litarum Discalceatorum, hanc Interpretationem Cantici Canticorum à*
„ *Patre Iohanne à Iesu Maria compositam, & à nonnullis Theologis nostris,*
„ *& externis perlustratam, & approbatam, probo, ut typis mandari pos-*
„ *sit, si placuerit Illustriss. D. Vicesgerenti, ac Reverendissimo Patri Ma-*
„ *gistro sacri Palatii. Dat. Romæ, Idib. Decembr.* 1599. „ *Quid verò caussæ fuerit, cur à data facultate ad publicam Operis editionem tantum moræ dissarit, nec juvat, nec placet divinare. Illud potius prænotare lubet, quod non modicam auget Scriptori celeberrimo commendationem, eam statim Opellam tanto receptam fuisse plausu, ut anno sequenti* 1602. *cùm Salmanticæ, tùm Coloniæ recusa paruerit, Moguntiæ verò an.* 1603. *& iterum Coloniæ* 1608. *eadem semper ubique octavi, ut ajunt, forma servata. Nec prætereundum etiam reputo, nec exactioribus rei bibliographicę studiosis invidendum, quod noster Isidorus à S. Ioseph, in Vita Auctoris, cap.* 9. *animadvertit*, hunc primum esse librum, qui à nostræ Congregationis Italicæ Patribus sit evulgatus; *quem ipse ex obedientia edidit, ut satis innuit in sua ad Card. Ptolomæum nuncupatoria Epistola.*

Præter hæc admirationem nec levem, nec vulgarem ingerere potest, hanc sibi demandatam provinciam feliciter absolvisse, vix à studiis peractis, ut idem in eadem Epistola apertè testatur, adhuc triginta circiter annorum juvenem, &, quod est sanè mirabilius, medium inter difficillimas controversias pro nostræ Italicæ Congregationis contra Hispanorum vota erectione, quam Clemens VIII. P. M. vehementer urgebat, ac ratam omnino voluit, necnon inter gravissima ab eodem Pontifice illi commissa negotia, & assumtam insignium Virorum à confessionibus, à consiliis

filiis curam, ac prorsus paternam sollicitudinen. Quantus in eo Viro animi recessus, quam firma in Deum cordis erectio, quanta divinæ Mystologiæ experientia! si inter tot rerum externarum distractiones tam præclarè, suaviterque, ut subjectum Opus demonstrabit, sacri Epithalamii arcana sensa, & reconditas Divini Spiritus in animas sanctas transfusiones aperire, explicare potuit? quùm illud, ceu axiomatis loco, vulgatum sit inter Mysticarum rerum Magistros, neminem de his benè sapienterque disserere, qui quod disserit, proprio quodam experimento non didicerit? Verùm, ut ad argumentum redeamus, hoc fortè unicum Opus est, quod nostri Clariss. Scriptoris manum iteratò senserit. Excurrere enim solebat ejus calamus, nec quod semel exaratum erat, vix verbo uno, aut altero excepto, aut revocare, aut retractare opus habebat; quod ejus archetypa MSS. demonstrant, & quidem paucissimis, planèque divinitus datum est. Hujus ergo Interpretationis aliud brevius, rudiusque specimen MSS. exstabat, quod nobis ex Generali Romano Archivo humanissimè concreditum, ut ut est, ad calcem hujus Tomi, Appendicis loco subiiciemus, ut ex eo appareat, qualis esset Johannes vel ex subito, impulitoque rerum conceptu,

De hoc Opere, ac de iis omnibus, quæ diximus, loquuntur omnes nostri historici scriptores cùm Hispanicæ, tùm Italicæ Congregationis, præsertim verò laudatus Isidorus à S. Ioseph, Hist. Gener. L. 1. c. 35. *& in ejus Vita,* cap. 9. & cap. ult. *quod ejus Operum Catalogum continet, Philippus à SS. Trinitate in ejus Vita, Eusebius ab Omnibus Sanctis in suo* Enchirido Chronologico, *Martialis à S. Io. Baptista in* Bibliotheca Scriptorum Ord. nost. *Ex Extraneis autem Auctor insignis* Bibliothecæ Carmelitanæ, *Eruditissimus Calmet in sua* Bibliotheca Sacra, *aliique.*

Quod denique monemus est, Chronologiam, quam Operi præfignabimus, esse eam, quæ diximus illud ab Auctore scriptum, scilicet Anni 1598.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

PTOLOMÆO CARDINALI
COMENSI EPISCOPO PORTUENSI
VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA.

POstquàm à Theologicis concertationibus ad optatissimam Scripturæ Sacræ pacem velut ad Sionis arcem me recepi, Cardinalis Illustrissime, pictorum more rudes aliquot lineas scribendo duxi, quibus animus ad arcanos sensus altiùs perquirendos, inspectâ operis imperfectione, acueretur: & quod latomis evenire solet, ex oblato rudi lapide marmoreo, vel porphyretico, ut scalpro frequenter adacto scabritiem ac ruditatem excidant, & columnis sensim lævorem inducant, id ego erga opus imperfectum, quod in Salomonis canticum mihi cudere cœperam, præcurrente superiorum jussu, ac operis evulgandi necessitate cœpi moliri; ac pro exiguo captu meo demum absolvi. Inter universos autem Sacræ Scripturæ libros hoc potissimùm captus fui, quòd divinæ philantropiæ, ac reciproci erga Deum amoris ingenium hîc luculentiùs exprimeretur; quo nihil, ex amœnissimo Scripturarum paradiso, instituto nostro congruentiùs mentem subire poterat. Iustituti quippe nostri pars & potior, & antiquior divinæ unionis, ac proinde amoris, à quo illa prodit, studio constat. In hoc autem cœlesti epithalamio, Spiritus Sancti dìgito, tanquam egregii pictoris arte, divini amoris imago graphicè pingitur; & castissimus ille, ac cœlesti voluptate refertissimus animæ cum Deo complexus, multis, planeque miris translationibus, quasi notis hieroglyphicis, adumbratur; ut ex rerum aspectabilium observatione ad divinas affectiones dignoscendas, & (quod est fœlicius) subeundas tanti boni & honestate, & voluptate possit animus, afflante Deo, permulceri. Nihil enim ad cor humanum flectendum efficacius excogitari potest, quàm divinæ bonitatis, & pulchritudinis in nos effusa propensio, ac indulgentia; quæ in hoc præsertim opere, velut in speculo limpidissimo cernitur, dum suavissimus Deus sponsi functiones obiturus, animæ gratæ arctissimo charitatis fœdere sociatus à Salomone introducitur. Qua in re cùm oporteat divini amoris motus expendere, effectus internoscere, ac in abditissimos ejus recessus, velut quadam subtilitatis dote, penetrare libri hujus interpretem; & ego in eo genere planè sim infans, necesse est, errata plura in opus irrepsisse. Quapropter, ut mihi ob Tutelaris veneration[illegible] ignoscatur, sub clypeo Nominis tui, inter alia multa nomina, tam augusti, Card. Illustrissime, opus hoc, quod tibi nuncupo, in lucem proferre decrevi. Quod sanè consilium multiplex ratio stabilivit. Nam præter purpuræ majestatem, qua insigniter clares, & eximias animi dotes toti Ecclesiæ salutares, & conspicuas, quas ægrè ferres à me recenseri; [illegible] ad rem propiùs accedit, matura tam ætate in unius sapientiæ studium totus incumbis, ut quasi alter David, post tot gesta præclara, in Abisag Sunamitidis amplexu conquiescas. Agis enim serìò de divina charitate perficienda, quæ vera sapientia est, ex Dei sincera notitia & amore conflata. Cujus certè rei sacram lectionem tam frequentem, ac tot eleemosinas, quas passim erogas, quibus & nos fruiti sumus, tanquam locupletissimos testes possum accire. Quibus apertè convincitur generosis charitatis motibus, animum lectione in Deum, largitione in proximum cieri; & fluxam mundi gloriam & opulentiam aspernari. Qua profectò laborum tuorum coronide vitæ totius opera, & canum prudentia caput sapienter exornas. Ut ergo animus jam ad cursum Christianæ perfectionis expeditus, & longam satis viam emensus, quod reliquum est, hujus lectionis pastu factus vegetior & alacrior, sine defectione, percurrat, utere, Card. Illustriss. hac interpretatione, quam tibi devovi. Intereà precor clementissimum Deum, ut te ad Ecclesiæ tutamentum din servet incolumem.

PRÆ-

AUCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

EX arcano hujus libri sermone interpretes multi, pro suo quisque ingenio, velut opportunam occasionem nacti, in varias exponendi sententias abierunt; quas nimis operosum esset percensere. Quarum observatio profuit, ut Scripturæ Sacræ augustissimæ gravitati duos explanandi modos planè dissentaneos vitaremus, ac interstructam interpretandi methodum seligeremus. Sanè nonnullis satis emunctæ naris placuit, hujus carminis symbola ita pressè ex amatoriis actibus humanis exprimere, ut necesse sit, obscœnum quippiam, vel certè operis puritati parùm consentaneum lectorum animos incessere. Etsi enim divini amoris & ingenium, & motus per carnea spectra discamus; in eo tamen genere parciùs agendum, & necessariis dumtaxat excerptis, in arcanos potissimùm sensus mens debet expositoris incumbere. Aliorum è contrario mens fuit ad internos sensus multiplices adeò prona, ut lectori quovis propemodùm in verbo, velut in trivio insistendum sit; nec totius carminis texturam & concinnitatem in tot explanationum divortiis possit amplecti. Satius ergo duximus, è carneis simulacris necessaria parcè repetere, & arcanos sensus, paucos eos quidem, sed qui videbantur aptiores, quàm potuimus exactè pensitare. At præter duos illos exponendi abusus, supererat unus multis certè optatitissimus, ut arrepta verborum ansa, ad singulas ferè periodos variam, ut ajunt, eruditionem, quasi communes concionatorum locos digerentes, hinc inde conveheremus; ut si de unguentis, vel conviviis incidisset mentio, eò intexeretur longus quidam excursus de ritibus unctionum, & conviviorum, quibus antiquitas abusa est. Sed profectò perspicuum est, ejusmodi centonibus synceram textus explanationem obturbari, & integritatem dissipari; ut alia interim nocumenta taceamus. Quapropter iis omnibus rejectis, solam textus expositionem, Sanctorum Patrum in hoc genere labores æmulati, tradidimus. Duas tamen ac tres interdum textus ejusdem interpretationes intulimus, at inter se congeneres, ne lectoris mens ad extranea digrediens, libri totius seriem minùs perfectè conciperet. Et ut explanationum sensum faciliùs, suaviusque perciperet, ipsis textus cujusque verbis, brevem paraphrasim, quæ unam saltem è subjectis interpretationibus amplecteretur, quasi operis parergon appinximus. Illud tamen, quod in hoc dramate desiderari videbatur, impensiùs conati sumus; ut scilicet verba textus ita sibi harmonicè consentire ostenderentur, ut à minùs etiam provectis construi facilè possent. In tradendis autem arcanis sensibus, quos nonnullæ metaphoræ vulgatiores à corpore humano, ab animantibus, plantisve petitæ suggerebant, notis rerum proprietatibus leviter indicatis, sermonem contrahere maluimus, arbitrati ejusmodi res lectoribus satis esse perspectas. Qua etiam ex causa sensuum aliquorum rationes lectoris animum ultrò subituras afferre supervacaneum duximus. Quidquid verò boni à nobis allatum est, clementissimo Deo acceptum referatur. Nobis autem veratur vitio, quidquid re tanta minùs dignum irrepsit. Omnia verò S. Romanæ Ecclesiæ correctioni subiicimus.

CA-

CANONES AUCTORIS.

ARcana hujus divini Carminis, quo ineffabilis clementiſſimi Dei philanthropia exprimitur, ſenſa percepturis, canones ſubjectos animo complecti maximè neceſſarium eſt.

I. In comœdiis ſtylus eſt duplex, alter exegematicus, cum videlicet poëmatis author quippiam effatur, vel exponit; alter verò dramaticus nuncupatus, cùm authore ſilente, perſonæ variæ in ſcena ultrò, citroque loquuntur. Hoc autem poëma dramatico ſtylo contexitur, quod ex ipſo patet initio.

II. Crebrò ſub una periodo, alter colloquentium, modò ſecunda, modò tertia utitur perſona, eandem perſonam alloquens, quod Hebræis familiariſſimum eſt.

III. Cùm Salomon hujus Carminis ſcriptor, divini erga homines amoris reſeravit arcana, eniſus eſt ex naturali amore, univerſis animis longè notiſſimo, illius divini vires exprimere, ut inde diſcamus ex noſtri amoris affectibus in illius auguſtiſſima quaſi adyta penetrare.

IV. Carmen hoc hexametris & pentametris verſibus à Salomone conſcriptum eſt, in quo perpetua quædam, eaque longè pulcherrima metaphora excurrit, quæ in rhetoricam tranſit allegoriam.

V. Canticum canticorum nobis, ſicut Hebræis, ac Græcis appellatur epithalamium hoc, eò quòd cæteris canticis, non aliorum ſcriptorum tantùm, ſed & ipſius Salomonis antecellat.

VI. Palæſtinorum hiſtoriæ, ac mores à cæterarum moribus gentium longè diſſiti effecerunt, ut nonnullæ ex his ſimilitudinibus arcanis, ex medio vulgo, rureve petitæ, non adeò concinnæ viderentur externis, cùm tamen mira ſit in illis ad res exprimendas efficacitas, & cum rerum proprietate congruitas.

VII. Sponſus, qui à Salomone tanquam colloquentium perſonarum princeps in ſcenam introducitur, Jeſus Chriſtus eſt, ſecunda ſummæ Trinitatis hypoſtaſis, duabus in naturis (ut ſchola loquitur) ſubſiſtens. Sponſa eſt anima ſpiritualis conjugii fœdere Jeſu Chriſto ſociata. Sponſi comites, Doctores Eccleſiæ ſunt; Sponſæ verò ſociæ, animæ, modò Sion, modò Hieruſalem filiæ nuncupatæ.

VIII. Non omnia prorſus, quæ inſunt in hoc Carmine, Salomon literis expreſſit, ſed nonnihil interdum lectori concipiendum commiſit, quod ad operis pertinebat elegantiam; quemadmodum in comœdiarum actibus perſpicimus, quorum pars non exigua, ſenſu, non voce peragitur. Hoc autem non utile modò, verùm prorſus neceſſarium eſt in hoc opere ſtatui, atque moneri, ubi plures periodi ſibi ægrè cohærere videntur, ſi verba dumtaxat ſcripta expendas, nihilque omninò intertexas. Apparet enim nonnunquam ferè inane quiddam, oratioque languens, & quodammodo inconcinna videtur.

IX. Quæ in hoc Carmine à ſponſis laudes congeruntur, non rhetorica ſerie ſunt perpendendæ, quaſi in eis artis præcepta ſerventur. Hoc enim ad amoris vim exprimendam parum conduceret. Sic igitur laudes appendi debent, quaſi, quæ ſine delectu ex affectu amoris eruperint, cujus non eſt artis humanæ præceptis inſiſtere. Fertur enim, ſeu potiùs incendii ſui flammis modò in has, modò in illas laudes arripitur. Quod dictum opportuit, ne quis ſuſpicaretur, alterutrum ſponſum alterius pulchritudinem efferentem, vel ineptè laudes nonnullas prætermiſiſſe, vel pertubatè, inter laudandum, artis præceptionibus non obtemperaſſe.

X. Vulgatæ editionis textum enarrare in primis conſtituimus. Ex aliis verò verſionibus Hebraica, & Septuaginta Interpretum translatione, prout in Bibliis regiis habentur, ubi myſterii quippiam latere viſum eſt, uſi ſumus. Verſiones aliorum authorum, quibus non tanta fides habenda eſt, perquàm rarò huic operi intexuimus, quas ſine authorum nominibus allegavimus.

XI. Dum animæ (cui ſponſæ nomen tribuimus) in charitate progreſſum à baſi uſque ad umbilicum explanare curamus, eam rationem inivimus, ut ab ipſo juſtificationis primordio auſpicaremur, quemadmodum ex enarrationis initio perſpici poteſt.

XII. Senſus, quem explanare conamur, ad mores Animæ, cui ſponſæ nomen tribuimus, totus pertinet, quam interpretandi rationem plurimi Patres in hoc Carmine amplexi ſunt. Hunc verò ſenſum, licèt ad mores pertinentem, literalem magna ſaltem ex parte eſſe appellandum, probabile ſatis eſt, cùm rationi conſentaneum ſit, in plurimis, ſin minùs, in omnibus, quæ de ſponſa enunciantur, effatis, mores Animæ Chriſto ſociatæ, ſub quadam perpetua translatione, non alio ſenſu interjecto, depingi. Si autem in iis laudibus, quæ de ſponſa ſcribuntur, Eccleſia primùm laudari putanda ſit, non ideò duos quaſi diſcretos ſenſus opus eſt comminiſci, alterum Eccleſiæ, alterum animæ juſtæ adſcribendum; ſed unum dumtaxat verè literalem, qui Eccleſiæ ut corpori, animæ ut membro conſentiat. Eædem quippe laudes eodem ſub ſenſu ſunt, quemadmodum pulchritudo, quæ commendatur, eadem eſt; non enim alia, cum de virtutibus agitur, credi debet Eccleſiæ, quam ſanctarum animarum, quibus ut membris potiſſimis illa conſtat, pulchritudo.

XIII. Quæ de ſponſo leguntur, literali ſenſu ſcripta putanda ſunt, quod multò nobis

bis certiùs eſt, quàm quod de ſponſa aſſeruimus. Sive enim quis cenſeat, Eccleſiam eſſe eam, quam Salomon pinxit, ſponſam, ſive alius credat, animam juſtam ſponſam hîc nuncupari, in eundem tamen, cùm de ſponſo agitur, ſenſum, opus eſt utramque conſpirare ſententiam. Eſt enim idem Eccleſiæ, ac animæ juſtæ ſponſus Jeſus Chriſtus, cujus hîc amor exprimitur, de quo in ſenſu planè literali Spiritus ſanctus eloquutus eſt.

XIV. Quamvis autem ſpiritualia ſub rerum corporearum figuris deſcribantur, non tamen ea, quæ iis figuris aſpectabilibus innuuntur, ad myſticum pertinent ſenſum, ſed literalem. Senſus quippe literalis eſt, qui primò per verba innuitur, ſeu propriè, ſeu metaphoricè prolata. Salomon autem de Jeſu Chriſto, ac anima ei ſociata, ſub corporatis imaginibus, & jugi translatione effatus eſt.

XV. Plurima ex ſanctorum Patrum interpretatione corraſimus, quæ, nominibus ſuppreſſis, huic operi intexuimus, quod ideò fecimus, quia ea nonnihil elimavimus, & ut noſtro labori congruerent, invertimus. Ordinis autem rationem novam inivimus, ut verba connecteremus, contextaque mutuò, etiam parum in Scriptura verſatis, pervia redderemus.

XVI. Arcanum hoc epithalamium adeò fuit Hebræis auguſtum, ut niſi poſt trigeſimum ætatis annum legi à quopiam minimè paterentur. At verò poſtquàm ſponſus in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, plurimæ huic carmini factæ ſunt lucis acceſſiones, quas ex priſcorum interpretum laboribus enitere conſpicimus, quibus potiùs, quàm ingenii noſtri viribus freti, operi manum admovere decrevimus.

Sed Jeſu Chriſti ſponſi, puriſſimæque Virginis Mariæ auxilio (ne quid inaugurato fiat) auſpicemur.

VEN.

VEN. P. F. JOANNIS
A IESU-MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI
CANTICI CANTICORUM
INTERPRETATIO.

CAPUT PRIMUM.

SPONSA.

Scripta An. 1598.

¥. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui.

PARAPHRASIS.

Pater æternus, filii ſui Spiritu, eo modo peculiari, quo juſtis conjungitur, mihi ſocietur.

A

DIvinus ille Hierotheus rerum divinarum, quas non modò ſciebat, verùm & patiebatur, conſultiſſimus, ut amoris exprimeret ingenium, in libro de amoris laudibus prodidit, amorem vim quandam eſſe conjungentem, atque miſcentem. Cui ſanè oraculo apprimè conſentit ardentiſſima hæc amantis ſponſæ petitio, quæ votis omnibus ſponſo cupit permiſceri. Statuendum eſt autem in hoc divini epitalamii quaſi veſtibulo, animam, cui ſponſæ nomen & functio tribuitur, anteactæ vitæ culpa obduruiſſe, & multis à Deo motibus ad juſtitiam fuiſſe pulſatam. Cor autem ejus illis motibus cœpit concuti, & ſe ad juſtitiam ſenſim comparare, qui eſt mirus divinæ ſapientiæ ad gratiam vocantis ordo. Non enim uno ictu omnes, ut Paulum, ſed multis, ſæpeque iteratis emollit. Timorem incutit, quo degener adhùc animus percellitur. Spem mox ingerit veniæ, qua voluntas allicitur. Amoris denique, ac ex amore or-

Amor vis quædam conjungens.

B

tæ pœnitudinis actum excitat, quæ eſt potiſſima, & ultima ad divinam gratiam præparatio. Hoc ergo ultimo, ac efficaciſſimo ad gratiam amoris motu, poſt longam cordis agitationem æſtuans, & Deo cupiens charitate ſociari, ſponſa depingitur; & eo ipſo impulſa motu hæc verba enunciat: (Oſculetur me oſculo oris ſui) quaſi planiùs in hunc modum effaretur: Arcana conjunctione, ac ſingulari modo mihi Deus commiſceatur. Enim verò, quemadmodum divinæ Theologiæ tradit oraculum, præter eum modum res univerſas pervadentem, quo Deus cunctis eſt præſens creaturis, ſecretior eſt, ac divinior modus alter, quo juſtis omnibus quaſi miſcetur, quem cœleſti quadam, cum illapſu, cognitione, ac amore conſtare accepimus. Ex hujus certè modi vi, tametſi Deus ob ſuam immenſitatem ubique non eſſet, fieret nihilominùs intimè præſens animæ gratiam habenti. Quæ quidem præſentia (ut ſcholæ phraſibus utamur) eſſet ſecundùm eſſentiam divinam, quæ tunc animæ conjuncta efficeret, ſicut verè modò efficit, participationem ſui multò nobiliorem, quàm per naturalem ordinem; quæ ineffabilis quædam in naturam divinam metamorphoſis, ſeu transformatio eſt, à ſacris litteris naturæ divinæ conſortium appellata. Modum ergò conjunctionis planè divinum, ſponſa velut emblemate quodam expreſſit, cùm id oſculi nomine ſignificavit. Sicut enim oſculum eſt duorum corporum contactus, ita hæc Dei cum anima ſibi grata coniunctio arcanus duorum ſpiri-

C

D

Scripta An. 1598.

tuum, isque strictissimus contactus est. Priùs verò, quàm interpretationem auspicemur, sic habendum est, sponsam, ut paulò antè dicere cœpimus, multis fuisse ad justitiam è culpa motibus impulsam, multis quasi fluctibus in maris æstu verberatam, & ut olim Susannæ contigit, angustiis undique septam; dum hinc peccati mulcetur illecebris, inde Dei timore quatitur, & quod fortius est,

A aliunde etiam Dei amore incenditur. His dum arctatur affectibus, motus ille amoris ad justitiam efficaciissimus, & ultimus clamare illam fecit, & in publicum jussit prosilire, ibi-

Oſculum quid?

que oſculum, hoc est, arctam eam cum Deo conjunctionem avidissime petere. Ubi cernimus, hujus dramatis exordium internis actibus cœpisse; verba autem hæc (osculetur me osculo oris sui) ad dramatis pertinere processum. Jam verò ea verba multifariam interpretari possumus.

Prima interpretatio Osculans, Os Osculum tres Triadis personæ.

Primùm quidem, dum sponsa tam exacta verborum distinctione, osculantis oris, osculi utitur, pereleganti quadam velut effigie

B tres summæ Triadis personas expressit. Non enim tantùm, osculetur me, ait, sed (quod est plenum energia) enucleatè attexuit, osculo oris sui. Et quidem, quod ad verbum attinet primum, nullius meminit personæ, à qua sibi osculum expeteret, sed satius duxit rem silentio supprimere duabus inducta rationibus. Siluit quippe nomen, quia Deus, cujus osculum cupiebat, est ineffabilis, nec aptè ullo quantumvis amplo nomine significari valet. Siluit etiam, quia, cùm nihil ipsa, nisi Deum mente pertractet, nec verò à quopiam pertractari censeat, satis esse putavit illis actum exprimere, quem universorum cogitationibus credit esse præsentem. Nullius ergo personæ præfixo nomine, ipsa verborum distinctione valde mira tres summæ Triadis personas gratiæ divinæ complexu sibi poscit uniri, ajens;

C Osculetur me osculo oris sui. Æternus quippe Pater introducitur in scenam, tamquam osculum imprimens. Os verò, quo sponsam exosculatur, filius ejus, hoc est, Verbum æternum est, quod ex metonymia vulgatissima, qua os pro verbo ponitur, apertè liquet; præterquam quòd juxta Theologorum effatum, ea quæ in divinis ad sermonem pertinent, ut os, lingua, & id genus alia æterno Verbo tribuuntur, quo æternus Pater loqui eleganter asseritur. Osculum verò ipsum ab osculante, oreque procedens divini spiritus quasi nota hieroglyphica est, quod luculenter apparebit, si osculi proprietatem expendamus. Osculum nimirum nihil est aliud,

Oſculi proprietas.

quam duorum inter se amantium mutua inhæsio, ac nexus, quo Spiritus Sancti proprie-

D tas velut admoto penicillo depingitur. Sanè Pater, & Filius (quod est Theologorum pronunciatum) diligunt se Spiritu Santo, quasi translatè dicas, dum sibi mutuò hærent, amore producto, quodam velut nexu connectuntur, quodam velut osculo se mutuò exosculantur. Osculetur ergo me osculo oris sui, sponsa inquit, hoc est, Pater æternus Verbi sui spiritu mihi arctissimè copuletur, ac me suæ naturæ efficiat arcana ista conjunctione consortem. Et hæc prima est horum verborum interpretatio.

Altera textus explicatio.

Secunda verò introducit sponsam vehementi quodam impulsam afflatu, & Sponsum Jesum Christum cupidissimè implorantem, ut nova quadàm creatione per Spiritum Sanctum osculo notatum effecta illam condat, sicut in protoparente condiderat. Poscit autem sub

E osculi metaphora ipsaminet Spiritus Sancti personam, qui est divinus flatus, halitus, vel spiraculum, quod Deus inspirat in animæ faciem, alludens ad historicam hominis creationem, ex qua exp·titi osculi arcanam eruit significationem. Porrò tunc, ajente sacro textu, *Gen. 2. 7.* Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Quam historiam ut percipiamus, quamdiù corpore, quo ad intelligendum egemus, in hac mortalitate obsepti sumus, non aliter Deum in hoc actu concipimus, quàm sub imagine cujusdam hominis, os ori, faciem faciei admoventis, habitumque suum Adæ ori infundentis, ac velut osculantis. Hæc autem faciei, orisve admotio, & inhalatio eleganter appellatur osculum, cujus vi plasma

F illud ex limo terræ, priùs natura (ut Theologi loquuntur) compactum, eodem tamen temporis momento spiraculum, vel, ut alii vertunt, spiritum vitalem, animamve concepit, & sic factus est homo in animam viventem. Huc alludit sponsa, quæ totam se ob culpam, velut quandam cœni massam, cui deficit spiritus vitæ, contemplatur. Sicut enim anima corpori, ita Spiritus Sanctus (quod est arcanum osculum) animæ vitam impertit; unde sine illo cœni quædam concretio est. Sponsa igitur juxta hunc sensum sic loqui existimanda est: Sum propter culpam in cœni relapsa naturam, & cupio spiraculum vitæ concipere, ut fiam in animam Deo viventem. Osculetur igitur me sponsus clemen-

G tissimus osculo oris sui, hoc est, inspiret in animæ meæ faciem emortuam, & infundat mihi halitum, seu spiraculum vitæ divinæ, quasi faciem suam faciei meæ, & os suum ori meo admovens, & osculum Spiritus sancti imprimens; & sic in hac palingenesia, seu regeneratione, propter osculum anima mea fiet in spiritum viventem, sicut olim plasma illud corporis Adæ in animam viventem propter osculum effectum est. Profectò sponso faciem admovente velut osculaturo, fit homo naturali, ac divina vita vivens; avertente verò illo faciem, quasi osculum negante, perit homo; & tanquam spiraculo vitæ orbatus in eum, unde compactus est, pulverem revertitur, sicut scriptum est: Avertente autem te faciem turbabuntur; & mox *Psal. 103. 29.* explicatur, quidnam sit faciem avertere, per H verba hæc, Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Hoc ergo sensu sponsa petit osculum, ea loquendi ratione precans, ne sponsus faciem suam avertat, ipsaque redigatur in pulverem, sed emittat suum osculum, seu spiritum, ut ejus facies, quæ culpæ squallore sorduerat,

Spiritus Sanctus vita animæ.

Destituto divino osculo homo perit.

re-

Scripta An. 1598.

renovetur. Explanatio hæc majorem habebit energiam, si (ut aliqui satis aptè censent) inspiratio hæc spiraculi vitæ, quæ secundo capite Geneseos narratur, non sit animæ creatio, quæ capite primo, sexta die cum corporis formatione facta intelligitur, sed immissio Spiritus Sancti. Hoc enim modo per illam inspirationem, vel oculi impressionem, historico sensu intelligenda est ipsius personæ Spiritus sancti missio & receptio, quam sponsa ardentissimè poscit. Et hæc secunda est interpetatio.

Immissio Spiritus S. in animam quando?

A

Tertia Textus explicatio.

Tertia, reconciliationem ex culpa, & post bellum pacem oculo notari vulgatissima opinione censet. Et in hoc sensu sponsa sic effatur: Osculetur me majestas sponsi suavissimi oris sui oculo, hoc est, adeò arctè mihi copuletur, ut ego post culpæ inimicitiam novæ pacis fœdere percusso, pacem oculo notatam, deleto inimicitiæ veteris chirographo, inter justos recipere merear. Quam interpretationem enucleare opus est, expensa reconciliatione, quæ fit anima ad sponsum è culpa quasi ab exilio revertente. Porrò oculo pacem significari notissimum est, unde

B

& in scriptura salutatio in pacis oculo legitur. Videtur autem ex ipsa rei proprietate ducta hæc significatio: Concordia enim, quæ pax est ipsa, duorum est cordium, sicut osculum duorum corporum arcta conjunctio. Juxta hunc ergo sensum, sponsa cupiens pacis cum Deo fœdus percutere, Osculetur me, inquit, hoc est, salutet me in osculo pacis, quo nihil mihi delectabilius evenire potest.

Quid concordia! quid quid osculum.

Pax osculo significatur.

Quod verò attexit, osculo oris sui, supervacaneum non est, sed emphasi plenum, ad plenam optatæ pacis significationem innuendam. Principes quippe solent pacis osculo notatæ, significationem nonnullam exhibere per nuncios: Quemadmodum David, qui juste in Absalonem excanduerat, Ioab dexteritate victus, passus est Absalonem in urbem redire, sibique aliquantùm propinquare, pacis quasi partem impertiens; at se ab illo videri non permisit, nec oris sui osculo illum excipere voluit, sed quasi osculo Ioab conciliatoris illum salutavit. Denique post-

2. Reg. 14.

C

quàm maturuit, ira pacis plenitudinem ostensurus illum osculo oris sui, hoc est proprio recepit, plenamque pacis significationem exhibuit, ac conquievit. Sic sponsus David verus peccatorem non evestigiò ad osculum admittit, sed pacis exiguam ostensionem per nuncium, hoc est, per impulsum Spiritus Sancti nondum inhabitantis, sed moventis exhibet, quoadusque ille multo conatu, ac nativitate osculum flagitet, ac Deum placare contendat. Mox verò ut illum satagentem, & æstuantem sponsus cernit, ira posita, plena pacis significatione, animam è culpa revertentem eleganter dicitur osculari, quando non jam per impulsum ad justitiam, quasi per nuncium, pacis, ac veniæ velut partem impendit, sed animæ jam justæ sociatur, labia quasi labiis admovens, & Spiritus Sancti ibi moraturi habitum immittit, sicut quondam cùm pace nunciata insufflavit, & ore

D

admoto, Spiritum sanctum arcano quodam osculo Apostolis infudit. Osculum quippe sponsi, & conjunctione, & habitu constat. Hæc de tertia interpretatione.

Animadversio ex Hæbraico Textu & LXX. Interpp.

Hîc autem annotare opus est, pro osculo sponsam juxta Hebraicum textum, & septuaginta Interpretum versionem in plurali numero oscula poscere: sic enim in Hebraico & Græco habetur: Osculetur me ex osculis, vel ab osculis oris sui. Quibus sanè verbis sponsa innuit, se plures conjunctiones intimas juxta interpretationem primam, vel iteratum vitæ spiraculum juxta secundam, vel plures pacis, ac reconciliationis notas juxta tertiam expetere.

E

Nunc vero statuendum est, sponsum sponsæ desiderio flexum, statim affuisse, ut ejus vota præsens satisfaciat, & expetitum osculum imprimat, quod ex Theologico liquet effato. Sponsa quippe ultimo ad justitiam motu, qua schola ultimam dispositionem appellat, impulsa illa verba enunciavit: Osculetur me osculo oris sui. Est autem infallibile decretum, in eo motu efficacissimo divinam gratiam infundi, cum qua ipsemet Deus fit animæ novo modo planè divino præsens, pater venit, Filius, ac Spiritus Sanctus mittuntur. Sponsus ergo à Patre ad sponsam illius cupidissimam missus, ineffabilique illo modo jam præsens, sic effari putandus est: Cur adeò ardenter, ô sponsa, meæ præsentiæ flagras desiderio? Cur osculum tam sitienter expetis? Huic verò interrogationi sic sponsa respondet:

Quando in justificatione infunditur gratia? & quæ Dei præsentia in anima?

F

Quia meliora sunt ubera tua vino.

PARAPHRASIS.

Duplex amor tuus, ô sponse, quo velut gemino ubere me alis, ad excalefaciendum, & exhilarandum generoso vino melior, ac potentior est, ideò osculum expetivi.

G

Uber amoris symbolum.

UBer est insigne amoris symbolum. Sicut enim uber suapte constitutione tenerum est, ac molle, lactis plenum, & à pectore velut erumpens in fœtus bona propensum; ita planè amor est ingenio suo tener, dulcore lacte notato affluens, & in rem amatam pronus, ab amantis pectore velut exultans. Quæ quidem omnia quotidiano satis experimento patent, præterquam quòd è media amoris natura sine ambiguitate promuntur. Quod præterea clarè perspiciemus, si editionis nostræ verba ad fontem Hebraicum conferamus. Pro eo enim, quod noster interpres vertit, Meliora sunt ubera tua vino, in Hæbræo sic legitur (Boni amores tui præ vino:) ubi cernimus amores, & ubera eandem rem uno sensu, ac mysterio censeri, quod ex allata uberum cum amore similitudine planissimum fit.

Varia lectio.

H

Prima interpretatio.

Jam verò sponsus uberibus præditus in scenam inducitur, ad exprimendum illum verè maternum affectum, quo recentes justitiæ fœtus

Scripta An. 1598.

sermonis justitiæ expertes alit. Est quippè mater illorum, quos in sua generat justitia: quod non obscurè scripturæ sacræ oracula tradiderunt. Enim verò ipsemet sponsus per Isaiam, se, qui generationem cæteris tribuit, non fore sterilem asseruit; & in Apoclypsi pingitur ad mammillas, zona præcinctus aurea, quibus apertè significatur ejus affectus verè maternus, quo justos prosequitur. Nil infantulus efficere potuit, vel mereri, ut mater illum conciperet & pareret, cum non esset ita; nec peccator quicquam præstare potuit, ut eum sponsus tanquàm novam conderet creaturam. Infans sicut partum non mereri, ita nec eo se potuit indignum exhibere, cùm non esset; peccator vero potuit sponsum scelere irritare, ne novo justitiæ partu ederetur. Qua in re facilè patet, sponsum plusquam materno erga justos esse præditum ingenio, cum potenter amet eos, à quibus fuit lacessitus injuria.

Cap. 1. 13.

A

Geminum verò uber, duplicem sponsi prodit amorem, tenerum utrumque, dulcoris quasi lactis plenum, suoque velut pondere in sponsam propensum. Uber alterum æternus amor est, quo in charitate perpetua sponsam dilexit. Alterum verò creatus est amor, in humana sponsi voluntate repositus, inde ad sponsam fovendam à primo suæ conceptionis momento, velut uber à pectore erumpens. Adeò sanè duo hæc ubera voluntati sponsæ sunt expositа, & quasi sacrata, ut ad eam dumtaxat alendam destinata videantur, & perennes ob id lactis rivos evergant. Hic autem non pro utroque amore sponsi propriè accipiuntur, sed pro utriusque amoris dulcore, quo sponsus quasi lacte dulcissimo, recentes justitiæ fœtus permulcet, & alit. Ex his igitur uberibus, vel amoribus sponsa recens ad justitiam evocata, lac dicitur suxisse, quia utriusque erga seipsam amoris sponsi dulcorem gustavit, ac incredibili exinde voluptate perfusa ad osculum expetendum, ubi plurimum voluptatis esse præsagivit, vehementer æstuavit. Quamobrem verba sponsæ sic explananda, contexendaque sunt (Quia meliora sunt ubera tuo vino,) dixi, ô sponse, de te loquens, (Osculetur me osculo oris sui) ac si in hunc modum loqueretur: Quia dulcorem ex utroque amore tuo hausi, vino generoso, ad excalefaciendum, exhilarandum, ac sopiendum potentiorem, tuam in me indulgentiam in tuò illo efficacissimo ad justitiam motu experta, osculi dulcorem novum, halitus, spirituvè tui illapsu constantem expetivi. Contemplatur ergo sponsa sponsi lac, pro quo ubera metonymicè ponuntur, & collata vi lactis hujus (qui est dulcor internus, quo Deus plurimos ad justitiam allicit) cum vini proprietatibus, ait lac esse melius vino. Melius enim dulcor hîc lacteus animam calefacit, & exhilarat (quæ sunt duæ notissimæ vini proprietates,) quàm vinum artus corporis. Ille enim eo dulcore excitatus calor, & alacritas, mentem ad divina vehunt; vini verò calor, & hilaritas ad terrena cor laxant, & impellunt. Vinum inducit somnum, quo rationis usus præpeditur, & homo belluarum more jacet; ille verò arcanus dulcor mentem erga terrena sopit; rationis verò vim & usum acuit ad divina, totumque hominem erigit ad statum, in quo Deus illum condidit. Tanta est hujus lactis sponsi uberibus expressi vis, quam tyrones non sine admiratione experiuntur, dum se animadvertunt eo potu fieri sobrios, & rerum conscios divinarum. Et hæc prima est interpretatio.

B

Quid per duo ubera significetur?

C

D

Lac melius vino.

E

Secunda verò, non ubera arcane accepta cum hoc vino sensili, quod ex uvis torculo exprimitur, sed tam vinum, quam ubera sensu mystico intellecta mutuò confert. Æquum enim est, vinum, arcanum quippiam innuere, cui ubera sponsi dicantur antecellere: siquidem, ubera vino ipsi prælata, non sunt hæc aspectabilia, qualia in fœminarum pectoribus extumescunt; parum enim laudis inde mererentur. Vinum igitur in sacris litteris ultionem ab ira Dei erumpentem egregie significat, ut novit regius Psaltes, qui Dei peccata ulciscentis notam velut hieroglyphicam excogitans, Deum calicem vini meri peccatoribus propinantem pinxit: sicut scriptum est: Quia calix in manu Domini, vini meri plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc. Et in Apocalipsi 14. Qui adoraverit bestiam, & imaginem ejus, hic bibet de vino iræ Dei. Et hæc quidem de æterni cruciatus ultione scripta sunt. Significat autem vinum eam pœnam, quam Deus peccatoribus infert, ut resipiscant, & salutem adipiscantur, sicut scriptum est, Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis; & mox ratio subjungitur, dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui. Deus ergo vinum ultionis quibusdam æterna damnatione porrigit, quibusdam vinum pœnæ in præsenti vita propinat, ut ab æterno cruciatu liberentur. Hæc autem illatæ pœnæ significatio ex ipsius proprietate vini deprompta est. Cùm enim vinum ulceribus infunditur, medetur sanè, at non sine morsu, & acrimonia, quod est apertissimum symbolum ejus remedii, quod Deus illatis pœnis & calamitatibus, quibus cor dum convellitur, & pungitur, salutem instaurat, peccatoribus parvit. Et hic est unus ex duobus modis facilè notissimis, quo Deus corda nostra quatit, & verberat ad salutem. Alter verò, qui est sponso familiarior, dulcore, ac suavitate refertus est, qui non verbere inflicto, non pœnis illatis, sed cælesti quadam voluptate cor emolliente, & fluxarum mundi voluptatum oblivionem inducente, hominem facit resipiscere, & unionem cum sponso intimam medullitus facit optare. Hujus verò divinæ vocationis imaginem sponsa depinxit, cum sponsum materno in homines affectu, & corde præditum ubera gestantem, lacte distenta, in scenam introduxit. Porrò uterque sponsi in homines amor gemino ubere notatus, iis, quos è peccati captivitate eripere, ac sibi per charitatem cu-

Altera Textus explicatio.

Vini in sacris litteris significatio.

Psalm. 74.

F

Psal. 59. 5.

G

Vini proprietas.

H

Scripta An. 1598. cupit ſociare per id tempus, rivos dulcoris interni, lacte ſignificati propinat, eoque modo generoſum hominis cor, quod amore potiùs, quam minis, ac terrore capitur, efficaciùs trahit. Quis enim unquam ærumnis à Deo inflictis, vel tam ſeriò reſipuit, vel Deo tam inhæſit arctè, quam Magdalena his uberibus, hoc lacte ad ſponſi unionem allecta? Guſtavit lac, & dulcore mirificè capta eſt.

Luc. 7. Magdalena arctè adhæſit Deo.

Hos ergo duos divinæ vocationis modos, ſponſa mutuò comparat, & eum, qui lacte ſignificatur, alteri, qui vino exprimitur, præfert tanquam meliorem. Eſt autem melior, id eſt, efficacior, ut quotidiana eorum, qui reſipiſcunt, experimenta declarant. Eſt melior, hoc eſt, naturæ divinæ proprior, atque germanior. Cum enim Deus amanter agens, interni hominibus lac dulcoris inſtillat, naturæ motu, & ſuo velut genio ducitur, cùm verò pœnam infert licèt amanter puniat, quaſi violento motu impellitur, ac proinde quantocyùs flagellum abiicit; ſuavitatem verò ſui ſpiritus, tametſi ob lucra noſtra eam interdum celet, nequit tamen ſeriò abiicere. Cùm igitur hîc vocandi, trahendique modus ſit ex tot capitibus melior, & ad convertendos animos efficacior, optimè ratiocinatur ſponſa, dum ait, ſe oſculum petere, quia ubera, quæ nuper ſuxit dulcorem mirum percipiens, ſunt vino meliora, ac ſi in hunc modum effaretur: Si me incuſſo timore attraxiſſes, ſponſe, cunctarer, minuſque tibi propinquare auderem: at quia me cerno modo meliore, hoc eſt, dulcore amoris ad te allectum, audeo tecum familiariùs agere, ac optatum oſculum poſcere.

Hac autem præmatura oſculi petitione mirificè declaratur rude amoris teneri ingenium. Comparatio Solet infans gremio matris exceptus, per ipſius matris reptare corpus, faciemque ipſam leniter attrectare, oſculo demum matri blandiri. Minimè veretur parentis dignitatem, nondum quippe didicit vereri, cùm cœperit amare. Hoc planè modo ſponſa, quæ in amoris verſatur infantia, rudis adhuc & urbanitatis expers, divina pingitur arte. Experitur indulgentiam ſponſi, vereque maternam erga ſe propenſionem, quamobrem amare incipit, & audire, majeſtatem verò ſponſi nondum didicit à propenſione ſecernere. Quod profectò non obſcurè diſpicitur, ſi ſponſæ verba libremus. Ait enim, meliora ſunt ubera tua vino, quaſi luculentiùs in hunc modum loqueretur. Quia illud lac, quod efficaci amoris motu, ac ſuavitate mira ad juſtitiam allecta nuper exſuxi vino fortius, ac generoſius eſt, tenella ego, liquore victa, & quaſi ebrietate conſopita ſum, quamobrem celſitudinem tuam non adeò dignoſce, ſed ad eam, quam prælibavi ſuavitatem, toto mentis conatu feror, matrem amare, non ita venerari novi. Subtexit autem rationem alteram, ad hanc ſententiam confirmandam peropportunam. Quam ut percipiamus, ſtatuendum eſt, animam è culpa ad gratiam efficaci motu traductam, in eo tunc amoris motu dulcorem divinum uberum ſponſi lacte notatum deguſtaſſe, quo mox percepto, vinum cœpit deſpicere. Poſt eum verò motum, jam Spiritus Sancti & gratia, & unctione delibuta, ſeptem donorum, quibus obuncta eſt, ſuavitatem percipiens, ait ea ſe fragrantia ad oſculi etiam impreſſionem expetendam incendi. Hoc enim ſibi volunt hæc verba, his quæ proximè enarravimus, annexa.

℣. 2. Fragrantia unguentis optimis.

PARAPHRASIS.

Duplex amor tuus, ſponſe, effundit in me unguenta optima, quæ ſunt Spiritus Sancti chariſmata, quibus ungor abs te, ut tui, qui Chriſtus es, particeps fiam.

UBera Sponſi fragrant unguentis optimis, hoc eſt, ſimilitudine unguentorum, ſeu aromatum optimorum, eſt enim ablativus ſimilitudinis. Ut autem horum verborum ſenſum penitiſſimè inſpiciamus, concipiendus eſt nobis ſponſus ſub imagine aſpectabili, uberibus pulcherrimis præditus, & ſacra unctione perlinitus. Sponſa etiam ſub effigie corporata concipi debet, ubera illa ſugens, ac ſponſum amplectens, quo in amplexu ſponſi illa tactu linitur; nec enim quis corpus unctum contrectare valet, niſi, dum contrectat, ungatur. Ex hac verò effigie corporea in arcanam fragrantiam, internamque nos inſinuemus unctionem. Porrò ſponſus unguentis optimis, hoc eſt, Spiritus Sancti donis ad palæſtram, in qua, ut olim athletæ, cum hoſte ſæviſſimo luctaturus erat, præ participibus ſuis unctus eſt. Hoc myſticum athletarum ceroma, quo qui perungitur, hoſtis unguibus teneri nequit. Iam verò univerſi, qui ſponſo charitatis ſociantur amplexu, illum quodam ſpirituum contactu attingunt, & inde unguntur participes Chriſti, hoc eſt, uncti effecti. Non enim Spiritus Sanctus, qui ad luctam juſtos obungit, alios, quam ſponſo conjunctos, ejuſque in ea unctione conſortes linit. Oportet enim ut quicumque linitur, eam unctionem ſponſo referat acceptam, quaſi ejus contactu, amplexuque contractam. Quapropter ſponſa non ſine emphaſi, cùm potuiſſet dicere, totum corpus fragrare, ubera dumtaxat elegit, quæ diceret eſſe fragrantia, hoc eſt, unguentorum optimorum fragrantiam effundentia. Fatetur nimirum ſponſa ubera ſponſi effundere, ac efficere hanc ſpiritalem donorum ſuaveolentiam. Uterque enim ſponſi amor uberibus notatus, nativa ſua propenſione efficit, ut ſponſa, ſicut & divinæ gratiæ, ità & ſeptem chariſmatum particeps fiat. Non enim ex operibus juſtitiæ, ſed ex amore ſponſi delibuta, & his arcanis unguentis ad futuram luctam comparata eſt. Duo videlicet ſponſi amores, vel arcana ubera, duæ ſunt quaſi odorum ſelectorum pyxides, ex quibus my-

Sponſus, & Sponſa ſub imagine corporea concipi debet.

Comparatio.

Scripta An. 1598.

myſtica hæc unguenta in ſponſæ animam funduntur. Ex quo patet, quàm ſignificanter ſponſa dixerit, ubera eſſe fragrantia unguentis optimis, hoc eſt, odorem unguentorum aromaticorum exhalantia. Sicut enim odoramenta vaſculis concluſa non percipiuntur, cum verò inde funduntur, odore latè fluente olfactum afficiunt; ita ſpiritus divini dona, quibus ſponſus perlitus eſt, quamdiù illius anima, ceu vaſe clauduntur, odorem ſponſæ naribus minimè ingerunt; verùm mox ut ſponſus quadam effuſionis imagine, ſponſam ſuæ plenitudinis velut exundantis facit eſſe conſortem, quaſi partem ſuæ unctionis, in eam ſua propenſione transfundens. Odorem quàm ſuaviſſimum ſpirant unguenta profuſa: odor autem ſeu fragrantia, quam ubera fundunt, dum ſponſum ſuo quaſi cotactu linunt, ſpes futuræ fœlicitatis eſt, quæ pereleganti metaphora nuncupatur odor. Quemadmodum enim, dum pomis æſtate percoctis, & opportuno tempori aſſervatis veſci non datur, illorum odore mirificè recreamur, & velut alimur, ut facilè credunt, qui cellas quaſdam in pomariis ad poma eò convehenda & ſervanda conſtructas prætergrediuntur, & dum illorum eſus interdicitur, multa voluptate ſaltem odorem hauriunt; ſic dum ligni vitæ fructu, hoc eſt, ſponſi gloria frui non ſinimur, quam ſponſus velut obſeratam & opportuno tempori aſſervatam tuetur, ne in hoc deficeremus exilio, divina ſapientiâ effectum eſt, ut odorem illius trahamus fœlicitatis ſpe gaudentes, quæ ad fœlicitatem comparata, odori, ſi ad pomum maturum conferatur, ſimillima eſt. Hanc profectò ſpem in ſponſa generat unctio Spiritus Sancti ab uberibus, hoc eſt, utroque ſponſi erga illam amore profecta. Nihil enim ad ſpem acuendam videtur efficaciùs, quàm ab illo amari & donis augeri, qui poſſit, & velit fœlicitatem largiri; hoc enim ipſo, quòd amat, & donis ad fœlicitatem directis ornat, ſe eam fœlicitatem donare velle commonſtrat. Ex his, quæ de his arcanis unguentis aſſerta ſunt, apertè lucet, & cum athletarum ceromate, & cum unguentis odoratiſſimis, ad delicias comparatis ſimilitudinem habere. Cum ceromate quidem, quia anima illis obuncta, redditur agilior, & ad luctam expeditior, & ne à colluctatore teneri poſſit, immunior, quod ex Theologico liquet aſſerto. Concors enim omnium ſententia eſt, præter virtutes infuſas Spiritus Sancti dona ſimul cum gratia conferri; ut anima quaſi pondus carnis excutiens, fiat mobilior, & agilior ad obtemperandum Spiritui Sancto ejus unctionis authori, qui palæſtræ præſidet, & animam ciet. Cum odoramentis autem hæc arcana unguenta ſimilitudinem gerunt, quia ſpe recreant, & fœlicitatis odorem quaſi naribus ingerunt. Et hæc prima eſt enarratio, quæ ubera, ſeu quod ex Hebræo vertitur, amores, ut chariſmatum divinorum cauſas expendit.

Alia.

A

Alia.

B

C

Ceroma unguentum, quo athletæ ungebantur.

Spiritus ſancti dona cum gratia conferuntur.

D

Altera textus explicatio.

Secunda verò non in eum ſenſum ubera contemplatur, ſed quemadmodum, cum illa vino præferuntur, lac intelligit metonymicè uberibus ſignatum, quod antefertur vino; ità nunc non amores ipſos ſponſi, ſed eadem metonymia procurrente, lac ex ipſis amoribus expreſsum dicit optimis unguentis fragrare. Et hic ſenſus concinnior, & ad eandem periodum explendam conſonantior eſt. Lac ergo ſponſi vino antelatum optimis unguentis fragrare aſſeritur, quia dulcor internus lacte ipſo notatus, quem Deus recentibus juſtitiæ partubus inſtillat, paradiſi cœleſtis odores aromaticos internis naribus immittit. Tunc enim naribus, vim diſcernendi innuentibus, quaſi patefactis anima diſcit divinam à terreſtri ſuavitate ſecernere. Dum ergò ſponſa inquit, lac, ſeu dulcorem uberum ſponſi fragrare unguentis optimis, tanquàm rem ait, ac ſi diceret, lac non ſolùm guſtavi, ſed etiam olfeci, & olfactus organo, ac vi, quæ vis eſt diſcernendi, ſuavitatem ejus percepi, quæ mihi unguentis optimis ſimillima videtur. Unguentis, inquit, optimis, non iis, quæ ad laſciviam conficiuntur excitandam, ſed iis paſtillis odoratis, qui ſacris aris adoleri, ac mentem ad divina erigere ſolent.

E

Lac quare fragrans dicitur?

F

Porrò ſeptuaginta interpretes verba hæc, Fragrantia unguentis optimis, non referunt ad ubera ſponſi, ut noſter retulit interpres; ſed poſtquam præmiſere: Quoniam bona ubera tua ſuper vinum, clauſa periodo, ſic ajunt: Et odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata, quaſi duas ſeorſim cauſas oſculi cupiendi ſponſa diſtinxerit, & ubera eſſe bona ſuper vinum, & odorem unguentorum, quibus ſponſus obunctus eſt, fragrare ſuper aromata univerſa, quorum ſenſus arcanus ex proximè dictis promi facilè poteſt.

LXX. Interpp.

Nunc autem ut verborum conſenſionem, texturamque perpendamus, notandum eſt, quamdiù anima peregrinatur claro ſponſi interdicta conſpectu, cæteris ſenſibus omnibus, quaſi ſponſum ipſum experiri. Oſculo enim tetigit ſponſum, lac uberum ſugens guſtavit; unguentis ſponſi delibuta olfecit: ſolus ſupererat auditus, quo ſponſum etiam perciperet, & ex omnium internorum ſenſuum experimento ipſum deſiderandum eſſe convinceret. Propterea dicit:

G

Oleum effuſum nomen tuum.

PARAPHRASIS.

Non ſolum quæ tibi hærent, ſed & nomen tuum Jeſus, quod extrinſecum quiddam eſt, olei more exhilarat, recreat, charitatis ignem alit; præſertim quia notat effuſam à te in nos ſalutem. quæ myſticum eſt oleum noſtra vulnera delens.

H

AC ſi planiùs diceret, non modò illa, quæ tibi hærent, ut oſculum, ubera, unguenta, verùm & ea, quæ te utcumque indicant, mira nie voluptate permulcent, & ad te cupiendum alliciunt; unde & inter-

nus

Scripta An. 1598.

nus dumtaxat tui nominis ſonus me more olei lætitiæ perfundit, & afficit, ut te perveſtigare contendam. Duo autem nominis ſponſi ſeſe produnt encomia, oleum videlicet eſſe, & effuſum eſſe. Verùm cùm ſponſus Chriſtus appelletur, & Ieſus, utri horum nominum hæ laudes impendantur explorandum eſt. Liquebit autem Ieſu nomen auguſtiſſimum à ſponſa commendari, ſi ejus verba trutinemus. Ait enim, nomen tuum, ac ſi clariùs diceret, nomen proprium tuum, quod tibi in circumciſione oraculo acceptum tributum eſt; non verò id nomen, quod tibi cum aliis eſt commune. Conſtat autem Chriſti nomen non eſſe Sponſi proprium, ſed appellativum, quod & regibus, & ſacerdotibus ſacra unctione delibutis, frequenter in Scriptura tribuitur, ut pote nomen dignitatis, licèt in hac ſignificatione antonomaſticè ſponſo conveniat. At de hoc non adeò propriè ſponſa loqui potuit cùm dixit: Oleum effuſum nomen tuum. Venerabile autem Jeſu nomen eſt id, quo propriè ille à cæteris dignoſcitur, atque ſecernitur, quemadmodum nomine tunc impoſito, quicumque ſacro abluitur baptiſmate, à cæteris internoſcitur hominibus, idque nomen uniuſcujuſque communi omnium ſenſu putatur. Quapropter in his ſponſæ verbis hæc proprietas, quæ optimè ſervari, & ad ſenſum arcanum prodeſſe poteſt, cæteris eſt ſignificationibus præferenda, ut cùm ait: Oleum effuſum nomen tuum, de proprio, non ità de appellativo nomine loqui credatur. Nunc autem, quo pacto nomen hoc cælitus elapſum, & oleum, & effuſum oleum ſit, accuratè explanandum eſt. Porrò oleum, ſi vulgari ſenſu pro liquore ex olivis expreſſo accipiatur, permulta habet, ex quibus nominis Ieſu vim queat oſtendere, voluptatem corpori conciliat, & exhilarat, laſſa membra roborat, & recreat, ulceribuſque medetur. Sic etiam ſuaviſſimum nomen Ieſu eos, qui aure id cordis percipiunt, cæleſti voluptate pervadit, & faciem mentis exhilarat, quaſi bonum ſalutis nuncium, animas languentes ſalutis ſignificatione erigit, ac recreat, peccatique ulceribus medetur, omnemque prorſus calamitatis ſpeciem animo expungit, ut probè norunt, qui nomen id religioſiùs colunt, ex quorum affectibus, ac moribus deſcriptos effectus, multoque plures alios licebit deprehendere.

Nominis Sponſi duplex encomium.

Nomen Jeſus.

Nomen Chriſti eſt appellativum.

Nomen Jeſu diſtinctivum.

A

B

C

Habet prætereà nomen hoc quoddam in mundo univerſo imperium, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, quod ſatis aptè notatur olei aquæ ſupernatantis proprietate. Sicut enim oleum nec mergi, nec verò aquæ permiſceri patitur, ita ob ſuam celſitudinem Ieſu nomen rebus creatis, vel condi, vel admiſceri non fert, ſed ſuper univerſum mundum caput effert, & illi toti ſua majeſtate præſidet.

Imperium nominis Jeſu. *Philip. 2. 10.*

Comparatio.

D

Hæc quidem idonea ſunt, Verùm, quod ſignificantiùs hujus nominis vim videtur aperire, eſt vis olei ad ignem nutriendum opportuniſſima, cujus Deus curam in vetere teſtamento geſſit, dum ad concinnanda lumina puriſſimum oleum juſſit adhiberi. Profectò fomentum quoddam, quo charitatis alitur ignis, nomen Ieſus eſt, cujus vel ſolo auditu, ingens in cordibus juſtorum flamma excitatur: nam quale incendium excitetur, cùm cordis aure percipitur, nequit prorſus explicari. Profectò Paulus, ut in ejus licèt epiſtolis animadvertere, creberrimè nomen hoc divinum repetebat, quaſi hoc cibo ejus charitas, tanquam vorax ignis paſceretur. Pauli verò erga id nomen ſtudium permulti æmulati ſunt, quorum charitas orbe toto hac etiam ætate noſtra inſigniter enituit. Et hæc quidem de olei olivarum cum Ieſu nomine ſimilitudine allata ſunt.

S. Paulus creberrimè nomen Jeſu repetit.

E

Alii autem expendentes nomen Hebraicum שמן, pro quo interpres noſter oleum vertit, unguentum tranſtulerunt, ut ſeptuaginta Interpretes, qui μύρον habent. Alii demum exiſtimarunt liquorem aromaticum eſſe, ex arboribus aromaticis Arabiæ, ac terræ promiſſionis fluentem. His autem duabus interpretationibus appenſis, arcanos ſenſus eruere facillimum eſt. Si enim unguentum dicatur pretioſum, quale ab antiquis ad capita ungenda in deliciis habitum eſt, dum ſponſa inquit, nomen ſponſi unguentum eſſe, innuit proculdubiò, ſe illo velle perlini, & caput, hoc eſt, principem animæ partem ſemper de illo cogitantem eo delibuere; ſi enim nomen id unguentum eſt, profectò qui illud (quod vulgò dicitur) ſemper geſtat in capite, ſemper incedit obunctus. Si verò nomen id liquor dicatur aromaticus, qui in truncis arborum orientalium concreſcit, ut gummi, & ad ſacros ſuffitus adhibetur, dum ſponſa inquit, ſponſi nomen liquorem aromaticum eſſe, tantumdem agit, ac ſi diceret, odorem divinum exhalare, talem videlicet, qui aris adoleri, & hominum corda ſuffitu illo ſacroſancto ad Dei cultum poſſit allicere, quo manifeſtè proditur ejus nominis ad corda in Dei cultum acuenda efficacitas. Et hucuſque alterum è duobus nominis Jeſu encomiis, oleum ſcilicet eſſe, explicatum ſit.

LXX. Interpp.

F

G

Nunc verò ſecundum auſpicemur, quod eſt oleum non vaſe conditum, ſed effuſum eſſe. Quo quidem inſigni mira ſe nominis Jeſu prodit energia, qua à Chriſti nomine facilè ſecernitur. Chriſti nimirum nomen non effuſionem, ſed abſconſionem ſignificat olei: ungi videlicet, quod Chriſtus, hoc eſt, unctus, notat, nihil eſt aliud, quàm unctionis oleum vaſe recipere, & velut haurire: qui enim ungitur, oleum poris trahit patefactis. At ſalvare, quod Jeſus, id eſt, Salvator exprimit, nihil eſt aliud quàm unguentum, oleumve ſalutis effundere, ac alios unctionis ſuæ participes efficere. Ex quo patet inſigni quodam diſcrimine Jeſu nomen à Chriſti nomine ſejungi, quia Chriſtus propalat unctionem, quam ſponſus, quà homo eſt, ad propriam recepit dignitatem; Jeſus autem conditæ unctionis effuſionem, quam nobis ſponſus, ut Deus homo contulit, manifeſtat. Significat quippe Jeſus ſalutem à divina hypoſtaſi delabentem, & per aſſumptæ

Chriſtus, id eſt unctus.

Jeſus, id eſt Salvator.

H

Scripta An. 1598.

ptæ naturæ quasi sulcum ad nos modo planè miro derivatam; impositum enim nomen id fuit ad divinam personam salutis effectricem, non seorsum, sed in natura humana significandam. Cujus certè significationis plenitudo, tunc apertè perspecta fuit, cùm vulneribus confossus in cruce sponsus sanguinem, sine quo remissio non foret, effundens, salutem quoque illo sanguine subnixam in genus humanum, velut fracto suæ purissimæ carnis fudit alabastro. Et quidem significatio hæc non fuit temerè conficta, sed ab ipsa rei natura deprompta; est enim verbi æterni carne obsepti non minus proprium salutem afferre, ac in nos effundere, quàm sit ignis urere. Qua ex significatione facilè perspicitur, sponsam de Jesu nomine perspicuè effatam fuisse. Cùm enim nomi is sponsi meminisset, ut illud, more olei ignem amoris alere, ac excitare assereret, omninò certum erat Jesu potiùs, quàm Christi nomen innuere debuisse, quia ex suo proprio sensu ad amoris incendium excitandum est multò efficacius. Porrò acrius inflammatur homo, cum percipit nomen Jesu, quo Deum carne obtectum ad suam intelligit salutem esse propensum, quàm cum Christum audit, quo nomine sponsi ipsius, ea qua excellit ipse, ac nitet, dignitas regia, & sacerdotalis exprimitur. Et hæc prima est interpretatio.

A

B

Altera textus explicatio.

Secunda vero non minus arcana promitur ex alia versione, quæ pro oleo effuso unguentum legit exinanitum. Exinaniri autem more sacræ scripturæ dicitur, quod à perfectioris naturæ, & constitutionis plenitudine, ac integritate in naturam minus consistentem, ac perfectam quadam velut metamorphosi descendit. Sic enim in quandam velut inanitatem abit, ac resolvitur. Sic unguentum, cùm in pyxide concretum, ac coagulatum est, naturam habet firmiorem, ac consistentiorem, tunc verò dicitur exinaniri, cum liquatur, ac resolvitur, & quasi in nihilum vertitur: & tunc sanè ad medendum aptius est, suaviorem que exhalat odorem. Ex hac ergo similitudine arcanus eruitur sensus. Sponsus quippè, antè quàm homo fieret, erat sanè unguentum, at concretum, & in se quasi contractum; sed cum ad nostram humilitatem carnea toga obtectus se abiecit, tunc exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; tunc verè fuit unguentum exinanitum, à suæ naturæ plenitudine, ac integritate, in qua sine rapina Patri æqualis permansit, ad nostram delapsus inanitatem. Abiit quasi in nihilum: illud enim nihil, quod sine ipso factum est, quod est peccatum, assumere nequivit; illius tamen imaginem, peccatoris similitudine tectus, induit, & proinde non in nihilum, sed in quasi nihilum descendit, cùm seipsum exinanivit. Tunc verò efficacius, quam olim, cœpit sua velut eliquatione mederi, odoremque suæ naturæ, ac bonitatis multò, quam olim, suaviorem effundere. Nomen igitur Jesu hunc ad nostram inanitatem, commerciumque descensum, hanc sponsi exinanitionem significans, rectè appellatur

Comparatio

Philip. 2. 7.

Jo. 1. 3.

Peccatum nihil dictum.

C

D

unguentum exinanitum. Qui profectò sensus si medulliter concipiatur, efficacissimus est ad amorem excitandum, ac dulcorem ingerendum. Hæc est secunda interpretatio.

Tertia elicitur ex alia versione ad Hebraicum textum expensa, quæ pro oleo effuso oleum evacuationis habet. Est autem oleum evacuationis liquor aromaticus de vase in vas elutriatus, sive transfusus, qua sanè transfusione latiùs suaveolentia diffunditur. Hæc est profectò eximia nominis Jesu laus, ut ex uno electionis vase transfundatur in aliud, & sic Ecclesiam orbe toto propagatam, odore imbuat planè divino. Porrò è cœlo, prope Damascum, oleum hujus nominis sponsus ex se in vas quoddam electionis transfudit; rogatus enim, quisnam esset, se Jesum esse respondit, ac ità Paulus electionis vas, aperto velut ore, id nomen toto pectore hausit. Ex Paulo verò, tanquàm ex uno electo vase, in alia innumera elutriatum est. Ideò enim hoc oleum excepit, ut in aliarum nationum selecta vasa transfunderet, sicut scriptum est, Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.

Tertia textus explicatio.

Act. 9.

Act. 9. 15.

E

F

Nunc ergò. sive nomen Jesu oleum effusum in primo sensu, sive exinanitum unguentum in secundo, sive oleum evacuationis in tertio esse concipiatur, miram habet ad animos permovendos, & voluptate imbuendos energiam. Quidquid enim illis sensibus arcanè intelligitur, totum est ad nostram salutem comparatum, ac propterea, cùm sit hominis animus salutis avidissimus, illius nominis sensu percepto, excitato, divinitus amoris flagrat incendio. Habet etiam nomen hoc vim alliciendi, voluptateque capiendi, nihilque arduum, quod tener animus formidet, repræsentat, sed divinæ in nos largitatis indulgentiam suo sensu commendat, unde recentes in charitate fœtus adolescentularum imagine notati, laboribus adhuc inepti, quibus voluptas, & indulgentia eximiè placent, concepto hujus suavissimi nominis sensu, Deum ardenter amant. Quapropter sponsa subdit.

Nomen Jesu miram habet energiam in quavis significatione.

G

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

PARAPHRASIS.

Propter hanc nominis tui vim voluptatis effectricem, animæ quæ nondum charitatis perfectionem nactæ sunt, quæ voluptate ducuntur, dilexerunt te.

H

Adolescentularum nomine quid intelligatur?

A Dolescentularum imagine, ac nomine tenellæ animæ, quæ nondum ad justam charitatis ætatem adoleverunt, nomine diminuto significantur. Quæ dum nominis Jesu & sensum, & suavitatem corde percipiunt, quam Deus illis tanquam puellis lacte alendis instillat, incredibili amore incenduntur. Quomodo enim amore non æstuent, cum sub hoc nomine tot arcana salutis nostræ celante, Deum, intelligant sibi fore, immò &

ex-

Scripta An. 1598. experiantur jam esse indulgentissimum? Qui enim nomen Jesu audit, Deum, quasi de nulla re alia, quàm de salute nostra cogitantem, non infensum, non punitorem, sed mansuetum, facilem, ac liberalem concipit. Quo certè sensu dulcore, voluptateque referto etiam saxa liquantur, etiam imperfecti, amore incalescunt. Ideo, inquit, adolescentulæ dilexerunt te. Enim verò adolescentularum, hoc est, animarum, quæ nuper amare cœperunt, mos est voluptate deliniri, affectare dulcorem, lac expetere, cibumque solidum formidare, perfectionem quippè syncери amoris non ita confestim comparare contingit. Qua quidem in re divinæ providentiæ suo rem unamquamque loco reponentis, concinnitatem, harmoniamque miramur. Oportuit enim tenerum in amoris gymnasio fœtum, lacte ali, atque mulceri. Si enim sponsa labori non assueta, legisque paulò antè pertæsa severitatem, in ipso justitiæ primordio verbere cæderetur acri, in ipso quasi domus vestibulo pateretur a sponso repulsam, ab instituto certè resiliret, & ad culpæ simulatam jucunditatem remearet. Sapienter igitur in hujus epithalamii ingressu actum est, quandoquidem, quæ hucusque commemorata sunt, omnia præ se ferunt suavitatem, quasi ad tenellos partus enunciata: osculum videlicet, ubera, unguenta, oleum, suavitatis plena videntur, quæ rudem amorem dum recreant, in ulteriora propellunt. Significantissimè ergò dixit sponsa; Ideò, seu quod idem est, propterea adolescentulæ dilexerunt te, causam dilectionis tenellorum partuum, perceptam voluntatem esse declarans.

Sponsæ argumentum. A

B

Trahe me.

At si res ità se habet, ut hæc eximia voluptas sponsam ex adolescentulis unam, quàm suavissimè trahat, quorsum tam anxiè clamat, Trahe me?

C

LXX. *Interpp.* Profectò si septuaginta Interpretum versionem huic loco inseramus, ordo invertendus est, miraque se in ea inversione prodit amoris energia. Pro his enim verbis (Trahe me,) illi reddiderunt ex Hebræo (Traxerunt me,) quibus sanè verbis sponsus loquitur, verborum sponsæ vim declarans. Cùm enim sponsa dixisset (Adolescentulæ dilexerunt te,) ille opportunam suæ dignationis ostendendæ nactus occasionem, illa verba intexuit, (Traxerunt me,) ac si planiùs dixisset: Adolescentulæ, quæ me dilexerunt, ipsa sua dilectione quasi catena quadam vinctum, ad sua vota traxerunt me. Qua sanè loquendi forma nihil potuit aptius excogitari ad divinæ bonitatis in nos, nostræque in illum charitatis vim propalandam. Enim verò Deus res, quas condidit, universas, utpote bonas amat, ac proindè in eas, velut extra se, sua propensione ferri dicitur. Sed hoc ad divinam spectat bonitatem, atque naturam, quæ motu proprio erga suas æstuat creaturas. At verò, quòd perfectio aliqua creata Deum tenacissimè apprehendat, vinciat & trahat, omninò

D

Amor Dei erga creaturas.

mirandum est, & oportet quidem illam perfectionem Deum capientem vi divina pollere. Sic planè se res habet. Dei enim dilectio divini ordinis est, quandamque omnipotentiæ rationem habet, siquidem ligat, ut ita dicam, omnipotentem, & ligatum ad sua vota inflectit. Hæc de Græcorum editione dicta sint. Verùm editionis nostræ verba, quæ sponsa enunciat, exponamus, & illum solvamus nodum, cur sponsa, quæ à sponso quam suavissimo trahitur, tam anxiæ clamet?

Amor erga Deum quid omnipotens est.

E

℣. 3. Trahe me.

PARAPHRASIS.

Ne cesses trahere me, quia ut rotâ, etsi trahi cœperit; nisi perpetim trahatur, moveri cessat: ità ego, nisi jugiter abs te trahar, vitæ motu carebo.

F

NImirum, quia timet à sponso ob lapsum quempiam separari, ac exindè, quem modo experitur dulcorem amittere, quo nihil posset ipsi evenire funestius, Propterea clamat (Trahe me) hoc est, me tibi adjunctam fortiùs trahe. Quamvis & his verbis quædam teneri amoris adumbratur formido, qua patiuntur, qui turpitudinis anteactæ vitæ meminerunt. Etenim; etsi credendum sit, sponsam à sponso tractam, gratiaque divina fuisse perfusam, eo momento, quo ardentissimo amoris æstu petiit osculum, cujus eventus fœlicitatem nova novorum affectuum potuit edisscere conjectura; meritò tamen timet, sitnè sponso reconciliata, quem lacessivit injuria, quod quia ignorat, anceps facilè hùc, & illuc impellitur. Nam non sibi tutò fidit animus, peccati quidem conscius, remissionis ignarus. Quamobrem sponsa succlamat (Trahe me) ac si dicat; Suspicor sponse, nuper à te tractam me fuisse, sed suspicio est, à qua timor longè nequit abesse. Sanè rectè dixit quidam;

Sponsæ timor.

G

Res est solliciti plena timoris amor.

Cum enim quis ardentiore boni cuiuspiam tenetur desiderio, non quiescit, quod coniiciat rem ex voto eventuram, nec quod mirabilius est) si rem optatam quasi præsentem experiatur. Sed sollicitudine ipsa æstus excitatur amoris, nihiloque segnior ob id experimentum evadit amans, sed sollicitius rem perquirit, quam fortè cœpit adipisci. Ergo propter hanc sollicitudinem, ac timorem sponsa sic clamat (Trahe me.) Vix, inquit, inducor ut credam, te, quem amplector, esse præsentem ob boni magnitudinem. Quapropter nec cunctabor, sed ne quæpiam me mora retardet, ulterius (Trahe me,) si cœpisti, ocyus age, ut per rupes præruptas, mundique salebras abs te tracta me librare queam.

Ovid. Heroid. epist. 11

H

Innuit sponsa sub hac anxiæ petitionis imagine, quod veritas Catholica profitetur;

Scripta An. 1598.

nos videlicet non tantum, nisi a Patre, Filioque per Spiritum Sanctum suaviter trahamur, non posse à culpa ad justitiam resurgere, sed nec in parta justitia perseverare valere, nisi Deus clementissimus afflans, & trahens perseveret: ac proindè, & ut ad justitiam assurgamus, & ut in ea permaneamus, ardentissimè flagitandum est. Quapropter sponsa sic loqui putanda est: Ne trahere cesses sponse indulgentissime, quia te cessante rotæ motus intercipietur, quasi qui à Deo trahitur, tanquàm curru vehatur, ubi apertè dispicimus, currum sine trahentis vi non posse cieri. Relinquitur ergo planum ac manifestum, trahente Deo, per justitiæ semitam, & non aliter sponsam ingredi, ac procurrere posse. Si igitur sponsus ejus adest voto, quod pro se, ac pro adolescentularum choro concepit, cœtus omnis post eum certatim curret, quod sic Sponsa promittit:

Homo absque Dei auxilio nihil valet.

A

Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

B

PARAPHRASIS.

Si trahis me, ac adolescentulas mei similes, nos donis Spiritus Sancti agilitatem impertientibus ungens, eorum unguentorum odore ductæ, ut canes sagaces post prædam, post te curremus.

SI me, sociasque meas, ô sponse, magnetis more traxeris, vique tua rapueris, adolescentulæ omnes spiritum, impetumque similem sortitæ, citato cursu quæremus te, imitabimur te. Enim verò tanquàm sagaces canes, qui olfactu pollent, & odore ducti feras, quæ se abdunt in latibula, pervestigant, sic nos odoratu internarum narium vim unguentorum tuorum, quibus nos linis, haurientes, velut in latebris absconditum, in ulteriore charitate pervestigabimus te. Perpendere hîc operæ pretium erit, sponsam actæ olim vitæ pertæsam dedecora, sponsique desiderio, velut acerrimo stimulo incitatam, majora in dies operari gestientem, Spiritus Sancti dona unguentis notata flagitare, quibus, ut trahatur, fiat expeditior, atque mobilior. Sic enim verba enarrari debent: Post te curremus in odorem unguentorum tuorum, hoc est, effundente te tua in nos unguenta, nos ad odorem eorum unguentorum, quem naribus trahemus internis, ut canes sagaces post prædam, ita & nos post te curremus. Quod sic debet intelligi ut sponso dona Spiritus Sancti in animas infundente, & ea unctione sui ipsius odorem mentibus ingerente animæ fiant ad cursum expeditiores. Idoneè autem dona unguentis notata, potiùs quam virtutes exposcit, cùm de cursu, ac festinatione cogitat. Cùm enim virtutes sive morales, sive etiam theologicæ ad rectos destinentur actus, quos ægrè generant, ob animæ, quam afficiunt, imbecillitatem, & inconstantiam, vitiatæ naturæ causa ægram, & ardua quæque formidantem, divinæ fuit providentiæ opportunissimum opus, ut justis omnibus septem Spiritus Sancti largiretur dona, quibus adiuti, & à naturæ concretione, pondereque partim immunes, faciliùs à Deo moverentur, & ad theologicarum virtutum scopum perducerentur, quippe à nobilioribus Theologis affertur ratio ad septem charismatum necessitatem astruendam, quo videlicet (sic inquiunt illi) anima reddatur facilè mobilis à Spiritu Sancto. Aptè igitur sponsa pro adolescentularum choro respondit, ajens, omnes esse cursuras in odorem unctionis donorum Spiritus Sancti, eas impellentis, & afflantis.

Comparatio.

Quid per unguentum innuatur?

C

Dum verò postquàm dixit, (Trahe me) non subiungit, Post te curram, sed, Post te curremus, plures docet esse concertatrices, & in cursu æmulas, non studiorum diversitate, sed charitatis, charismatumque meliorum æmulatione, quæ & opportuna, & necessaria est ad citius proficiendum. Vix enim explicari potest, quanti referat eos, qui virtutem parare cupiunt, non seorsum in ejus studii ingressu agere, sed in societate, ubi aliorum æmulatione incendantur, & ad præstantiora opera provocentur.

Animadversio.

E

F

Prodit se præterea in editionis nostræ verbis mysterium minimè silendum. Non enim putandum est, orationem malè cohærentem, aut hiulcam ex oscitantia relictam, cùm de se sponsa inquit: (Trahe me) moxque de pluribus agens ait (Post te curremus. Profectò inter justos quandam affabrè consertam licebit cernere catenam; dùm sapientissimus Deus animam quampiam ad se trahit, & illius æmulatione plures alias animas ansularum, orbiumve catenæ more consertas, illique primæ connexas ad se perducit ipsum. Sic ergo sponsa loqui credenda est: Trahe me, sponse, si enim me traxeris, non ad te solam me perduces, sed plures alias animas more orbiculorum catenæ mihi exemplo, ac imitatione connexas ad te pertrahes, mecumque plura animarum lucra parabis. Non enim jam sola ego, sed plures mira pernicitate post te curremus, teque repertum amplexabimur.

Similitudo.

G

Animadversio.

Animadvertendum fuerit in hoc loco, quod experimento constat, eas actiones, quas divini spiritus afflatu expeditius obire solemus, qualis est hîc depictus à sponsa cursus, delectationem parere, cujus veritatis illa probè gnara sic eloquitur:

Introduxit me Rex in cellaria sua.

H

PARAPHRASIS.

Traxit me sponsus, & in cellaria duo sua, contemplationem videlicet, ac inde ortam dilectionem, à quibus receßerum, introduxit me, ubi me mira voluptate perfudit.

PErculerat sponsum anxia sponsæ vox quadam velut ex fornace deprompta, cùm

Tra-

Virtutum moralium, & donorum Spiritus Sancti discrimen.

D

Scripta An. 1598.

[Trahe me] clamabat, & [quod est amantis ingenium] mox lætus & festivus affuit. Ponendum igitur in hoc loco est, sponsum votis illius cessisse, hoc enim ad orationis concinnitatem statuere oportet, præterquàm quòd sponsa ipsa diserte ait: Introduxit me rex in cellaria sua. Cellaria verò sponsi sunt duo, divina videlicet contemplatio. & ex ea orta dilectio, quæ sane cellaria & vini, & unguentorum quædam quasi promptuaria nuncupari possunt, vini quidem, propter charitatis ardorem, & sobriam amoris ibi excitati ebrietatem; unguentorum verò, propter delicias, quas ibi anima percipit, internis voluptatibus à sponso delinita, specialique Spiritus Sancti unctione delibuta, Ibi enim Spiritus Sanctus particeps sponsi, quem ut hominem præ consortibus linivit, singulari perungit bonitate, & septem donorum incremento, sicut & gratiæ animam ibi locupletat accessibus. Hîc autem sponsa tot bonis aucta, tot cellariorum voluptatibus delinita, quasi mentis excessum patitur. Animadversio. Sibi verò postmodum restituta, illa verba: Introduxit me Rex in cellaria sua, enunciare credenda est, ac si planiùs sic enunciasset: B Impensè sponsum precata fueram, ut ad se vi suorum traheret unguentorum. Accurrit ille, ac voto meo lætus indulsit, me traxit, & ad penitissimos, ubi latet ille, me recessus introduxit.

Cellaria sponsi contemplatio, & dilectio.

A

Juxta interpretationem hanc sponsa fatetur suis optatis sponsum indulsisse, & currere cupientem, adjuvisse. Optabat illa arcana donorum Spiritus Sancti unctione liniri, & sponsum, parta per unctionem expeditione, cursu celerrimo pervestigare, quod illi sponsus indulsit. In duo nempe illam quasi cellaria, in quæ justis dumtaxat patet aditus, introduxit, ibique arcanis illam unxit unguentis, ad quorum odorem sponsum deinceps insequeretur. Alterum cellarium contemplatio divina est, valdè quidem recondita, & hujus sæculi sapientibus clausa, in qua viget ea sponsi notitia, quæ affectuosa, seu affectuum excitatrix nuncupari solet, quam qui experiri cupit, à tumultibus externis longe avocandus, & in cordis intima introducendus est. Alterum autem cellarium amor intimus est, in cordis centro defixus, in quem mundus neutiquam penetrare valet; nec enim in externorum se amorem effundens, in amorem illum medullas permeantem, Deoque internè fruentem, cælique gaudia prælibantem, qui justorum proprius est, se valet insinuare. Si verò quis postquàm se in externa, & fluxa hæc bona profudit, Deo afflante, resipiscit, & ad cor revertitur, elegantissimè dicitur in hæc introduci cellaria, quod de se ingenuè sponsa fatetur, quæ extra se abierat, & ad cor reversa est. Notandum autem est, magnoperè cellaria hæc & vini, & unguenti esse receptacula, seu promptuaria: notitia enim illa, quæ contemplatio appellatur, inflammat affectum, cujus certè affectus inflammati, quædam exarsio amor ab ea notitia genitus est. Hæc autem omnia vini significantur effectibus. Quia verò præter hæc Spiritus Sanctus animam in eas cellas introductam novis linit unguentorum, charismatumvè accessionibus, rectè cellaria unguenti appellantur. Et hactenus de notitia, & amore, quibus cellariorum similitudo satis apte convenit.

C

Cellarium contemplationis.

Cellarium amoris.

D

Animadversio.

Altera Textus explicatio.

Poterit autem non minùs aptè dici, cellaria hæc sponsi intellectum, voluntatemque notare, ut jure suo duas has animæ potentias à philosophis eo nomine vocatas, cellas suas sponsus esse dicat. Quod sanè perpulchrè asserere potest: Cellaria enim quædam sunt ad quippiam asservandum, puta poma, vinum, unguenta, destinata loca. Sic autem prorsus duo hæc animæ cellaria, intellectus, ac voluntas; à Deo fabrefacta sunt, non ad creatum quippiam, sed ad sponsum rerum conditorem ibi condendum, atque servandum. Quod quam sit aptè assertum, ex ipso patet hominis fine, ad quem conditus est. Constat nimirum eò conditum esse illum, ut creatorem suum cognoscat, & amet cùm in hoc exilio, tum in patria, ubi eas actiones perfectissimè exercebit. Iam verò dum intellectus conditorem suum intelligit, illius in se, quoad fieri potest, imaginem concipit, ac proindè Deus ipse intra intellectum, velut intra cellarium condi, perapta dicitur similitudine. Quod servata proportione, de voluntate dicendum est; quum enim Deum amat, impulsum quendam producit amando, cuius ergò sponsus ipse, qui amatur, in voluntate asseritur esse. Construxit autem ipse sibi duo hæc regia cellaria, nec alius in illis vult admittere consortium; non enim fas est regis cellas mancipiis ullo modo patere. In hæc ergo cellaria sponsus sponsam introduxit, cum eam ad mentem revocavit: & in justitiam asseruit, & in dies illam penitùs introducit, quod nec mirum, nec absonum videri debet. Porrò sponsa, cùm peccatis erat obnoxia, extra suum intellectum, seu extra mentem aberrabat, erat enim amens, quod est peccatorum epitheton: Erat etiam extra suam voluntatem, non enim amabat se; qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Fuit autem dignum divina sponsi largitate munus, eam ad mentem, ac voluntatem propriam reducere, ut quæ sui oblita erat, de se jam cogitaret, & quæ se oderat, se justo affectu diligeret, ut intra duo intellectus, ac voluntatis suæ cellaria introducta, communem cum sponso domum incoleret. Quapropter illa hujus conscia beneficii, tanquam regiæ domus compos effecta, sic effatur (introduxit me rex in cellaria sua,) quasi diceret: Me reduxit ad mentem, ut intra me secum habitem, & ejus consortio perfruar. Explanatio hæc maximam habet cum prima similitudinem, aut certè eadem est. At hîc explanandi modus videtur proprior, & rei naturæ germanior.

E

Cellaria quid propriè?

Quid mysticè?

F

G

Peccatores, amentes.

Psalm. 10.

H

Magnoperè autem considerandum est, ils

Animadversio.

in

Scripta in cellariis ſponſam cæleſti voluptate abſorberi, quod tametſi ſponſæ recens ſit adhuc partus, mirum videri non debet. Quotidiano quippe didicimus experimento, clementiſſimum Deum tyronibus, qui amoris militiæ recenter nomina dederunt, quoddam ſuæ celſitudinis, ac dulcoris ſpecimen in iis exhibere cellariis, quò alacrius, voluptate poſtmodum ſubtracta, ſuavitatis divinæ, quam guſtarant, recordatione incitati, ſtadium præſentis vitæ percurrant, ſenſuſque divinæ legi reluctantes, dum ſponſus abeſt aſſidua exercitatione, atque ſedulitate pervincant. Cujus certè veritatis quædam eſt aſſertio, quod à ſponſa pro ſe, ac pro æmularum cœtu ſubtexitur, dum ait:

An. 1598.

A

Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum ſuper vinum.

PARAPHRASIS.

B *Ego, ſponſe, ac adoleſcentulæ cæteræ in tua cellaria introductæ, ac tuam voluptatem expertæ, cùm creverimus, & voluptate caruerimus; exultabimus in te, memores dulcoris ex tuis uberibus expreſſi, qui vino generoſo ad inebriandum fortior eſt.*

SIcut paulò antè, cum de ſe dumtaxat ſponſa loquuta fuiſſet, ajens (Trahe me,) ſubjunxit de ſe, ac adoleſcentulis (poſt te curremus) ſic modò, poſtquam dixit, (Introduxit me rex) attexit [exultabimus, & lætabimur,] quod ideò ab illa obſervari videtur, quia ſub perſona propria cæterarum ſimilium animarum affectum exprimit, quas interdum commemorat, interdum ſilet, quod ad ſcenicarum actionum pertinet varietatem, ac venuſtatem. Cùm igitur ſponſa dicit: Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum, ſic eloqui credenda eſt: Satis fuerit, ô ſponſe ſuaviſſime, me, cæteraſque adoleſcentulas ejuſdem ſtudii conſortes tuam ſuavitatem in hoc juſtitiæ primordio percepiſſe, ac tuam dignationem in cellariis penitiſſimis, quo ſine merito introductæ ſumus, expertas fuiſſe, ut perceptæ voluptatis recordatio nos in officio contineat. Quamobrem cùm à te videbimur repudiatæ, & ariditatis verbere acriter cæſæ; certò ſcientes, eam nobis expedire repulſam, ex amore, quem perſpeximus in amplexu, profectam, exultabimus non interna modò, verum & externa gaudii ſignificatione, memores uberum tuorum, hoc eſt, per metonymiam lactis, ſeu dulcoris, quem in tuis hauſimus cellariis: qui ſanè dulcor melior eſt vino, ad calorem ingerendum, ad exilarandum, & ad roborandum. Exultabimus ſanè, tametſi poſteà voluptate careamus, voluptatis olim perceptæ recordatæ. Porrò pro eo quod noſtra habet editio (Memores uberum tuorum,) ex Hebræo verti poteſt; Memores amorum tuorum, magis, quàm vini, ac ſi ſponſa pro ſe, ac adoleſcentulis dicat, ipſas poſteà gaviſuras, memores duplicis amoris; quo à ſponſo Deo, ac homine, in illis cellariis delinitæ ſunt, quem perpendentes, magis quam vim generoſi potu incenduntur. Hanc ſanè interpretationem juſtorum vita probat eſſe ſatis idoneam. Conſuevit enim Deus clementiſſimus eos in aditu juſtitiæ, ſine meritis, demulcere, & ad cellaria illa, ubi eos voluptate perfundit, introducere, ubi nihil niſi ſuave, jucundumque prælibant. Ibi autem erudiuntur, & diſcunt, quàm ſuavis ſit Deus. Et poſteà, cum illis pœnæ infliguntur, ut expientur, fideles permanent, Dei ſemel bonitatem, ac ſuavitatem experti, nec ad fluxas ſe mundi voluptates conquirendas abiiciunt, ſperant enim ſibi eos labores ad potiores voluptates profuturos. Frequenter illud Iob apophthegma uſurpant, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala (hoc eſt, pœnas) cur non ſuſtineamus? Qua quidem in ſententia juſtitiæ Job ſe facilè monſtrant eſſe participes: ſicut enim ille vir rectus erat, & ea rectitudine ductus, nec dextrorſum, nec ſiniſtrorſum aberrabat, ſed æquè Deum in proſperis, & adverſis diligebat, ſic & iſti quaptopter appoſitè ſatis ſponſa ſubdit:

Job. 2. 10.

F

Recti diligunt te.

PARAPHRASIS.

Faciemus, quod rectitudo poſcit, ut etiam te dulcorem negantem diligamus. Sic erimus juſtæ, ſeu rectæ, ut qui vel blandientem, vel minientem æquè te diligunt, recti, hoc eſt, juſti ſunt. Quia videlicet in omni eventu te diligunt, recti ſunt.

G

REctum ſanè eſt, ſponſum ac judicem æquiſſimum decens, ut ſui copiam exulibus non adeò largè faciat. Rectique proinde cenſeri debent, qui quandiu coercentur hoc corporis ergaſtulo, non ſatagunt, perenni voluptate frui. Satis quippe fuerit, eam adhuc in exilio prælibaſſe ſuavitatem, quæ veteranis militibus, victoriæ potitis, in patriamque reverſis, eventura eſt. Nec verò æquum eſt, hanc vel tenuem, quam Deus extorribus inſtillat voluptatem, velle omnes æquè guſtare. Decet enim eos, qui plurium ſe annorum domuêre labore, copioſiùs refici, quàm eos, qui recenter geniti nihil ſuſcepere laboris, qualis ſponſa modò, ejuſque ſociæ adoleſcentulæ pinguntur. Rectitudo ergo in iis meritis imparibus ex ſponſi eſt libranda menſuris, ut recti dicantur, quicumque ſua ſorte contenti ſunt, & in ariditate non minùs, quàm in ſuavitate conſtantes. Animadvertere itaque opus eſt, rectos in hoc loco eos eſſe, quos juſtos appellamus, ſic enim vulgò, judicem rectum, hoc eſt, juſtum dictitare ſolemus. Eſt autem juſtitia virtus, quæ

H

C Sponſæ ad locutio ad ſponſum.

D

Recti qui ſint cenſendi.

Animadverſio.

Juſtitia qualis virtus.

Scripta An. 1598.

quæ unicuique tribuit, quod ſuum eſt. Eſt autem manifeſtum exilii proprium eſſe, pœnis concuti, calamitatibus premi, quamobrem ex juſtitia huic noſtræ peregrinationi nihil niſi mœror, ariditas, & ærumnæ debentur. Ex quo fit, ut ii juſti, rective jure optimo nuncupentur, & ſint, qui ea mala æquanimiter perferunt, & in iis ſunt non minùs, quam in proſperitate conſtantes. Diligunt ſyncerè Deum, ſeu blandientem, ſeu punientem. Hoc quippe modo facilè probant, ſe univerſa alia Deo poſthabere: ſeque perindè rectos eſſe. Nec profectò alias recti eſſe poſſent, niſi ea rectitudine Deum verè diligerent. Verba ergo hæc, (Recti diligunt te) non ſic explananda ſunt, recti ſunt, & propterea diligunt te, ſed contrà; Ideò recti ſunt, quia diligunt te, hoc eſt, quia æquè, dum ades & abes, diligunt te, ideo recti, hoc eſt, juſti ſunt. Ex quo efficitur, quantumvis inſignem juſtitiam rectam (quod ad æternitatem ſpectat) non putari, niſi a dilectione Dei ad finem charitatis dirigatur. Ubi cernimus mirabile quiddam, ipſam videlicet juſtitiam, ſeu rectitudinem, ut recta ſit, charitatis directione prorſus indigere.

Juſtitia ut recta ſit charitate indigere.

A

B

Nunc verò quicunque ea, quæ paulò antè enarrata ſunt, de ſponſo animam ſuis in cellariis permulcente, ac deliciis leniente, animo colligit, nequit ſibi profecto ab admiratione temperare. Quis enim ſponſi humillimam ſponſam in ſuum thalamum introducentis, ac impotenter amantis humanitatem non miretur? Concinnè quidem hoc in loco filiarum Hieruſalem hanc ſponſi dignationem demirantium, chorus in ſcenam introducitur. Cui ſponſa divinam edocta ſapientiam, ſic aptè reſpondet.

C

℣. 4. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem.

D

PARAPHRASIS.

Mirabimini fortè, Eccleſiæ filiæ, ſponſi me in ſua cellaria introducentis propenſionem contemplantes, ac ſi tanto rege ſit indignum nigram ſponſam adamare. Sed rem æqua lance appendite, etſi enim ob peccati reliquias nigreſco, ob gratiam candida ſum, & candor vincit eam nigredinem.

Filiæ Hieruſalem quæ?

FIliæ Hieruſalem, vulgata ſatis allegoria, animæ Eccleſiæ, filiæ nuncupantur, quæ cùm Dei propenſionem in animam ipſi charitate conciliatam, & in ipſius cellaria, thalamumvè introducta mirantur, ac ſtupent, ſic mutuò colloqui exiſtimandæ ſunt: Quid ſibi vult incredibilis hæc Dei erga ſponſam humanitas? Etiamnè deformem, ac naturæ corruptela nigram adamabit Deus? Ità nè qui candor eſt lucis æternæ, nigram in thalamum admittet? Candidam ſanè candor ipſe potius ſeligere debuiſſet, quam in ſecretos ædium ſuarum receſſus introduceret, & gurgite dulcoris abſorberet. His occurrit ſponſa, quæ ſic effari putanda eſt: Non eo inficias filiæ Hieruſalem, me nigreſcere. Nigra quidem ſum, Nec enim, quæ nuper è peccati nigredine ad juſtitiæ ſum tradueta candorem, adeò confeſtim tota poſſum candida comparere. Adhuc certè peccatorum vixdum ab antiqua habitatione recedentium umbras, & canum, quos inceſſit rabies, quaſi latratus patior. Hæc enim ſunt inoliti veſtigia ſceleris. At verò non quia eo modo ſum nigra, a ſponſi thalamo continuò arceri debeo. Nam formoſa effecta ſum nova juſtitiæ pulchritudine, atri coloris, quem peccata reliquerunt, turpitudinem longè ſuperante, totique animæ egregiam formam divinæ naturæ ſimillimam, quæ divina gratia eſt, inducente. Quapropter nova pulchritudine magis ſponſus capitur, quàm nigredine, ac deformitate fugetur. Expendendum eſt in hoc loco, turpes ſcelerum præteritorum affectus, quos altis radicibus infixos, peccata reliquere, non eveſtigiò revelli ob divinæ gratiæ candorem animæ inductum. Oportet enim velut impacto ligone terram invertere, ſeduläque cultura noxias herbas propriis actibus genitas, propriis conatibus extirpare. Quia verò nequit hoc adeò brevi peragi, donec charitatis viribus, ac navitate, affectus rebelles animus edomet, ac elidat, neceſſe eſt gratiæ vires lucta quodammodo retundi, & quibuſdam velut patratorum ſcelerum nebulis obtegi. Nebulis autem propter charitatis radios rareſcentibus, gratiæ forma ſe prodit, & intermicat, quemadmodum nubium denſitate rarefacta, ſoliſque radiis transverberata, cœli ſe facies, per eos nubium quaſi cancellos, oſtentat. Quoniam autem nondum eæ nebulæ animam obnubilantes propter charitatis infantiam, in qua ſponſa modò verſatur, prorſus abſumptæ, ac reſolutæ ſunt, oportet gratiæ in anima repoſitæ pulchritudinem quodammodò celari, ac proindè non ita elegantem apparere. Quod appoſita ſponſa propalat ſimilitudine ajens.

Turpes ſcelerum affectus peccatis relictis, non eveſtigio revelli.

E

F

G

Sicut tabernacula Cedar: Sicut pelles Salomonis.

PARAPHRASIS.

Peccatis aßueta, externos actus nondum moderata, externè nigreſco, ut tentoria Arabum externè ſole peruſta. Sed ob infuſam gratiam, & virtutes, veſtes Salomonis in gloria ſua ornati imitor, & omnis gloria mea eſt interna.

H

CEdar filius fuit Iſmaelis, à quo Iſmaelitæ duxêre genus. Ex qua etiam ſtirpe Agareni, qui nunc Saraceni appellantur, profecti ſunt. Univerſi autem hi Cedar nomine intelliguntur, ut eadem ſint tabernacula Cedar, ac tabernacula Agarenorum. Agareni autem olim in tabernaculis, papilionibuſvè habitabant. Papilionibus verò teter obducebatur color, ob imbres, variamque aeris

Cedar filius Iſmaelis, unde originem ducunt ſaraceni.

Sap. 7.

Scripta An. 1598.

æris inclementiam, cui expositi exorto post sole torrebantur, & sic atrum colorem prætendebant. His tabernaculis, propter relictas peccatorum umbras, & vestigia se sponsa dicit esse similem, utpote quæ imbres ingruentium libidinum, inustasque à dæmonibus notas perpessa sit. Pelles autem Salomonis in hoc loco, vel Salomonis in omni gloria sua ornati vestes elaboratas intelligit, quibus & divina gratia, & virtutes ejus comites animam mirificè, quasi ad nuptias exornantes intelliguntur; vel zulæa, seu peristromata Salomonis regiæ, quæ filiorum textu vario, colorumque discretione distincta, virtutum texturam quasi polymitam notant, quam Deus variis staminibus, ac coloribus, ob varia virtutum in eandem texturam concinnata studia dicitur contexuisse. His ergo Salomonis pellibus, ob gratiæ divinæ, divinarumque virtutum accepta dona, vestesque quasi nuptiales, quibus ad sponsi thalamum accedat ornata, sponsa se similem esse profitetur, ita ut nigredo ad Agarenorum exustos papiliones, pulchritudo ad pelles sit referenda Salomonis.

Pelles Salomonis divinam gratiam & virtutes notant.

A

Verum, tametsi apta sit hæc pellium Salomonis interpretatio, aptiùs nihilominus videtur juxta textum Hebraicum, & paraphrasim Chaldaicam, pellibus hîc significari cortinas. Sic quippe ex Hebræo rectè vertitur (Sicut cortinæ Selomoh) vox autem Jeriah significat cortinam, seu velum album, quod in tentoriis extenditur. Qui sanè sensus ideò aptior est, quia, cùm sponsa nigra sit ob peccati reliquias, & candida ob gratiæ formam (hæc enim est pulchritudo nigredini contraria) propriùs is gratiæ candor cortinis tabernaculorum candidis, quàm aliis notatur telis sicut nigredine tabernaculorum peccati obscuritas innuitur. Et par est, ut in tentoriis & nigredo, & candor esse dicatur, sicut & in sponsa nigredo, & candor asseritur esse, ut sic harmonicè rerum externarum similitudo internæ respondeat venustati. Hæc prima sit enarratio, quæ nigredinem tabernaculis Cedar, pulchritudinem Salomonis David filii regis Hierusalem pellibus ascribens satis aptè cuncta discernit.

Altera explicatio ex Hebraico Textu, & Chaldaica Paraphrasi.

B

C

Secunda verò tam Cedar tentoriis, quàm Salomonis pellibus & nigredinem tribuit, & pulchritudinem, duplici similitudine utrobique inventa. Prima enim similitudo ex tentoriis Agarenorum, seu Arabum posterorum Cedar filii Ismaelis petitur in hunc modum: Cum nimirum illi in tentoriis, vel causa pascendi greges, vel prædandi habitarent, continuò solis ardore exusta, pulvereque terræ illius arenosæ operta tentoria, nigredinem externo aspectu præferebant, intus verò auro, multisque opibus, quibus Arabes abundabant, plena erant. Sic etiam sponsa externo aspectu, cùm corpus nondum edomuerit sibi, cùm erat aversa, similis, nigredinem præfert, at verò mente intus mutata divinæ gratiæ opibus affluit. Hæc prima est similitudo.

Altera textus explicatio.

Comparatio.

D

Secunda verò ex pellibus Salomonis alio sensu acceptis eruitur, ità ut pelles Salomonis sint papiliones seu tentoria tentoriis Cedar respondentia. Salomonis verò nomen hîc non regem illum Hierosolymorum, qui à mulieribus seductus est, sed Deum significat, cui aptissimè quadrat ejus nominis sensus à pace deductus. Constat autem Deum in deserto tabernaculum parari jussisse, cuius externa facies pellibus arietum, & ut aliqui putavere, taxorum operiebatur, quæ pilosæ erant, & cùm ad repellendos imbres consutæ fuissent, ne quod latebat, humore maderet, & sole postmodum urerentur, necesse fuit eas pelles nigrescere. Intus verò explicabantur cortinæ opere plumario variegatæ, ex purpura, cocco, byssо, hyacintho contextæ, & aliæ complures opes ad divini cultus apparatum conquisitæ. Sic prorsus externus sponsæ aspectus horridus est, ac rudis, nondum enim tonsa & erudita est, cùm fœtus sit in justitia recens; intus verò Christi sanguine tingitur ut purpura, gemino amore, ut cocco bis tincto ardet, castimonia candet ut byssus, cælesti colore claret, ut hyacinthus, ejus enim mens cælites æmulatur. Aliæ denique permultæ opes intra eam sunt à sponso conditæ, ut tabernaculi fœderis exterius horrida, interius pulcra imaginem referat.

Salomon quid hic intelligatur?

E

F

Duo extulerat sponsa, se nempe deformem, se etiam pulchram esse. Et pulchritudinis quidem causa sponsum esse omninò patebat. Deformitatis autem, seu nigredinis origo non ita facile apparebat. Quamobrem huius pergit manifestare originem, ut filiæ Hierusalem sinant eam demirari, quas sic alloquitur:

℣. 5. Nolite me considerare, quòd fusca sim quia decoloravit me Sol.

G

PARAPHRASIS.

Non ergo pergatis me fuscam à noxio Sole dæmone adustam contemplari, sed potius novam gratiæ venustatem intuemini, & videbitis me ad regis thalamum comparatam.

SInite ergo, Ecclesiæ filiæ, fuscedinem meam attentiùs intueri; nec inde velitis sponsi metiri charitatem, quasi ea nigredo, seu fuscedo mea illum à mea consuetudine queat arcere. Non horret illam, sed excidit, ac delet. Non irascitur, aut repudiat: novit enim, tametsi ego culpa non vacem, aliundè mihi colorem illum atrum illatum fuisse. Non sum fusca natura, sed dæmonis arte. Condidit me candidam sponsus, sed Satan invidiæ stimulo incitatus me denigravit. Monet ergo sponsa, se minus ob eam deformitatem arguendam, quod serpentis calliditate illam contraxerit, quam excusationem serpens ipse nequibit afferre, qui non peccavit irritatus. Quod eò tendit, ut constet

H

Altera comparatio.

ho-

Scripta An. 1598.

hominem lapsum divina miseratione minus fuisse indignum, quam dæmonem, & ob id sponsum non ex justitia, sed ex misericordia, ac munificentia sponsæ culpam condonasse, ac eam in sua cellaria introduxisse. Porrò sponsam non natura, sed casu culpam concepisse, ac inde evasisse deformem, Septuaginta Interpretes divinorum mysteriorum consultissimi notasse videntur. Eorum quippe

LXX. Interpp.

A

translatio Latinè reddita sic habet [Ne aspiciatis, quod ego sum nigrefacta] hoc est, ab alio nigra effecta. Quod enim natura est atrum, non nigrefactum, sed nigrum appellatur. Quod vero natura candet, & casu nigrescit, propriè dicitur nigrefactum.

Quid solis nomine.

Author ergo fusci, nigrive coloris serpens est, qui Soli non in alendis, sed cùm efferbuit æstus, in enecandis & amburendis plantis est quàm simillimus. Profectò Sol iste pestilentissimus animæ virtutem eripuit, & quasi terræ feraciss imæ vim totam absumpsit, humorem gratiæ lætissimum flamma immissa decoxit, unde formam candore illustrem contigit inquinari. Hæc prima est interpre-

B

tatio.

Altera textus explicatio.

Secunda vero aliquantò secretior succurrit. Neminem latet, prunas esse aspectu pulcherrimas, ignisque flammam noctu lucentem. At, cùm primum Sol incipit apparere, prunarum, flammæque color emoritur, livescit, ac evanescit, Solis interemptus aspectu. Sic nimirum anima justa, velut pruna, flammaque pulcherrima igne charitatis concepto lucet, si inter peccatorum mentes culpa obtenebratas, & in noctis obscuritate jacentes spectetur; at, dum ea sponsi comparatur aspectui, Sole clariori, emoritur, & fusca videtur, ejus pulchritudine velut evanescente, quod dum Ecclesiæ, filiæ animæ visu perspicaces animadvertunt, jure quidem mirantur à sponso animam quampiam, etsi justam, in ejus introduci cellaria. At si sponsam seorsum, vel certè ad peccatorum animas collatam expenderent, omnino eis quasi fax in me-

C

dia nocte lucens videretur. Propterea

Sponsæ adlocutio.

que sponsa sic eas hortatur: Nolite me considerare sponso comparatam, sic enim fusca sim necesse est, Sole ipso justitiæ sponso meo sua infinita luce lucem meam obtenebrante, sua pulchritudine meam obducente, ac si adderet: Considerate me potius ad alias deformes collatam, & cernetis me non esse omnino deformem, thalamove sponsi prorsus indignam.

Quia verò cœpit (ut ex prima patet enarratione) suæ nigredinis originem retegere, pergit hoc ipsum à suo principio repetere, ajens:

D

Filii matris meæ pugnaverunt contra me.

PARAPHRASIS.

Profectò nigredo mihi natura non est; sed à dæmonibus inducta.

DIvinam sapientiam universarum esse matrem creaturarum communis est Theologorum consensio. Enim verò rerum omnium rationes, ac ideas, tanquam fœtus quosdam in lucem suo edendos tempore, velut in utero capacitatis continet immensæ. Quo quidem ex utero per creationem, tanquam per partum quendam, promuntur in lucem tempore definito. Etsi verò creaturis universis filiarum quadret appellatio, natura tamen angelica ob eam, qua cæteris antecellit, nobilitatem, Dei filia potissimum nuncupatur. Quæ quidem nomenclatura apostatarum angelorum naturæ, & ob gratiam, in qua condita fuit, & nunc ob solam naturalem integritatem ævo sempiterno perseveraturam, apprimè convenit. Angeli ergo apostatæ sunt filii, filii tamen alieni, qui claudicaverunt à primis suis semitis rectis, de quibus sic sponsa loquitur: Filii matris meæ, hoc est, dæmones, quos ut filios olim mater mea, sapientia videlicet divina condidit, filiorumque nomine, gratia, & adoptione insignivit; (etsi hanc illi per summum scelus repulerunt) hi filii alieni pugnarunt, & incursarunt contra me, ardentissimo velut æstu torruerunt me, unde mihi contigit ater ille color. Emphasim habet hîc loquendi modus: Filii matris meæ pugnaverunt contra me, ac si dicat sponsa: Sanè cum creationis jure ejusdem, ac ego, sint matris filii, non in me pugnare, sed propugnare deberent, at filiorum adoptionem repudiarunt, & nomen; unde licèt origine fratres, sunt tamen studio, ac professione acerrimi hostes.

Divinæ Sapientiæ rerum omnium mater.

Natura Angelica filia Dei.

E

Angeli apostatæ filii alieni.

F

Est autem victorum mos debellatis hostibus leges dicere, quem morem vulgari cernimus experimento probatum, dum exultantes victores, vel ad terram effodiendam, vel ad onera comportanda, vel aliud non absimile servitutis genus victos adigunt, atque condemnant. Quo quidem tyrannicæ victoriæ jure Angeli transfugæ nimiùm dire utentes, ad miserrimam vinearum colendarum sponsam compulêre servitutem, quod sic ipsa fatetur:

Victores legem dicunt victis.

G

Posuerunt me custodem in vineis.

PARAPHRASIS.

Illi me vicerunt, & ut aliis præessem, impulerunt, ut aliorum custos mei oblita fierem.

PErgunt igitur tyrannici victores jure prælii, quo me prostrarunt, iniquas mihi leges dicere. Servituti miserrimæ addixerunt me, cum me multarum vinearum custodiæ præfecerunt: Inextricabilibus me sæculi curis implicueruht, ut inde lætum, quasi uvarum proventum expectarem, cùm tamen neque racemum mitem decerpere potuerim. Custodia vinearum, prælatio, seu præfectura est, quæ cum excellens quiddam, & vulgari fortuna maius videatur, hamus quidam est ad homines superbiæ contagione vitiatos egre-

H

Custodiæ vinearum delineatio.

Scripta An. 1598.

egregiè capiendos. Quod Lucifer ipſe, hujus elationis ſator optimè novit, & ſuo damno expertus eſt, cum divinum invito Deo appetiit principatum. Hanc vinearum cuſtodiam, tanquam divinitatis conſortium quoddam, primis parentibus depinxit, ut, quo telo ipſe fauciatus fuerat, genus noſtrum interimeret. Hoc enim notat illa ſuggeſtio: Eritis ſicut Gen. 3. 5. Dii, ac ſi dixiſſet, eritis cuſtodes in vineis, moderatores, ac tutores veſtri, vobis ſufficientes, ut cæteris dominemini, ac præcellatis. A Hanc ſuggeſtionem patiuntur paſſim peccatores, qualem fuiſſe ſponſam ex his verbis ediſcimus. Quæ ſuæ ſervitutis grande malum nunc admiratur, & retegit, ut pateat, quanam arte Lucifer ſeducat ignaros. Promovet illos ad prælationem, quam dum tradit captivis, ſe illis perſuadet principatum tradere, quo nullum eſt ſervitutis genus infœlicius. Vix rei ruſticæ ſtudioſi ullum plantarum genus norunt, in quo excolendo, ac repurgando ſolicitius, quam in una vite eis laborandum ſit, quod vulgatiſſimum eſt; nec ullum eſt ſervitutis genus, aut majore anxietate ſeptum, aut acriore ſauciatum dolore, B quàm ſit illud, quo, inter mundi voluptates, & illecebras, deſertores Angeli torquent homines ſceleſtos, quos aliis præeſſe faciunt; ut facilè animadvertas, non abſque emphaſi ſponſam conqueri de ſuorum victorum tyrannide, quæ acerbiſſima captos premit ſervitute, quam cuſtodia vitium arcanè notavit. Neque verò id ſolum calamitatis genus ſponſam oppreſſit, quòd bonis intenta caducis, nihil inde voluptatis, commodique perciperet, ſed (quod funeſtius eſt) vinearum cuſtos aliarum, vineam ſibi ab ſponſo commiſſam oblivioni tradidit, & aprorum, aliarumque ferarum incurſibus expoſuit. Quapropter ſubdit.

Animadverſio.

C Vineam meam non cuſtodivi.

PARAPHRASIS.

Quamobrem, aliorum proſpectura bonis, animæ vineam virtutum vitibus ab ſponſo ſatam, & mihi ſub fide magni proventus commiſſam, non cuſtodivi, ſed vaſtari ſum paſſa.

VIneam, in qua ſponſus ejus cultor peritiſſimus vini radices conſeverat, malleoloſque panxerat, quæ jam pampinis obtecta, æſtuique ſubducta fructum ediderat, non cuſtodivi. Nimirùm alienis diſtracta curis, alienis D proſpectura bonis animam meam virtutibus, crebriſque virtutum actibus, ceu vitibus, uviſque locupletem deſpexi, curam divinæ legis ablegavi. Non fuit virtutum læta vindemia per merita, piaque exercitia, quæ à virtutibus tanquam à vitibus præcerpuntur, & graphicè per uvas vite pendentes, extumenteſque notantur. Hæc prima textus expoſitio (quam ſumus auſpicati ab illis verbis, Filii matris meæ, &c.) notat infœlicem ſponſæ in Adam caſum. Pugnavit quippe in illum dæmon, & ſtravit; quamobrem Paradiſum, cujus cuſtodiæ, ac culturæ, velut vineæ lætiſſimæ fuerat præpoſitus, minimè curans, ad externas regiones ſuopte ingenio ſteriles colendas relegatus eſt.

Merita quaſi uvæ in vite pendentes.

Sponſa hic Adamo comparatur.

Secunda loci explanatio, non minus quàm prima quadrans, immò illi annexa, & ab ea originem ducens, filiorum nomine, pravos, ac petulantes ſenſuum motus intelligit, qui adverſus mentem importunè præliantur; & illam è conſtantiæ faſtigio propter vehementiam, & improbitatem exturbant. A propria conſcientia, ſicut à vinea propria colenda, & à ſponſo, ſicut à vite ſua deterrent, & ad fluxas mundi voluptates conquirendas, ad honores aucupandos, velut ad alienas vineas tuendas impellunt, ex quibus cùm homines fœlicem vini proventum expectant, fellis uvam, & amariſſimos botros in propria cuſtodis damna decerpunt. Eleganter autem hîc ſentientis appetitus effrænes motus à ſponſa, filii matris ſuæ, hoc eſt, Evæ, quam ſine metaphora matrem appellare potuit, nuncupantur. Profectò ex elata Evæ voluntate, quæ ſe tanquam F uterum exhibuit, & ex ſuggeſtione ſerpentis, qui tanquam pater, elationis ſemen in eam iniecit alvum, per inauſpicatum partum, horum filiorum, motuum ſcilicet petulantium, numeroſa proles excrevit. Nam poſtquam Evæ uterus intumuit, elationis ſemine conCepto, motus effrænes in Deum, ac mentem rebellare cœperunt. Quorum ſanè filiorum numerus ingens in Evæ filios hereditario jure proſerpſit, & partem non exiguam ſponſa ſortita, in culpam præceps acta eſt, cujus in hoc textu ter hoc arcano ſermone commeminit. Deflet amiſſam pulchritudinem, & deformitatem invectam, quæ non ex natura, ſed ex eventu inhæſit, & virtutum concinnitatem in nova monſtra pervertit. Motus quippe immoderati, monſtra ſunt immania, ex Evæ, G ſerpentiſque genita congreſſu. Nec enim dispares adeò naturæ, ſerpentina videlicet, & humana, niſi ad gignenda monſtra potuere miſceri. Iuxta hunc ergo ſenſum inquit ſponſa: Motus effræni appetitus ex halitu ſerpentis, & Evæ matris voluntate geniti, pugnarunt contra me, & à rationis faſtigio me exturbarunt, egoque proindè alienis diſtracta curis vineam meam, hoc eſt, vitem meam, qui eſt ſponſus, non cuſtodivi. Sed iam ex diverticulo revertamur. Poſtquam votis adoleſcentularum ſponſa ſatisfecit, ſeque ipſam propugnavit, ad ſponſum avidè converſa, & ardentioris ſpe charitatis incitata, in hunc modum effatur: H

Altera Textus explicatio.

Quid nomine filiorum.

E

℣. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas.

PARAPHRASIS.

Iam ergo (te appello ſponſe) vinearum experta culturam, incaſſumque vexata reverſ-

vertor ad te, ut, quæ vineis præeram, tibi modò subsim, & tuarum ovium merear in grege censeri. Si fortè contingat lanæ purioris vellera tibi pro custodiæ referre, virtutum nempe fructus optatos promere.

Comparatio

A CUm quis maris temeritatem evasit, cujus fluctibus, tabula post naufragium apprehensa jactabatur, tutus etiam in littore, pericula enarrans, animo concutitur & horret, ac benè sibi precans ad terræ loca tutiora, & interiora convertitur. Hoc planè modo sponsa periculis erepta maris, serpentis flatibus concitati, jam in littore, commemorans quod est passa naufragium, adhuc certè cohorret, & quasi metu concussa ne fortè iterum procella ingruente obruatur, ad interiora continentis loca festinat. Culpæ igitur recordatione, quæ ipsam in servitutem compulerat, perculsa, ad sponsi asylum conversa sponsa, Indica, obsecro, ait, ô sponse, quem diligit anima mea, ubi pascas oves charitate fœtas, qui pastoris functiones obis, sicut prophetarum oracula prædixere? Dæmonis olim parvi libidini, ipseque se pastorem profitebatur, qui greges suos dulcissimis posset herbis alere, lætioribusque terræ fructibus enutrire; quapropter vineis me præfecit, ut vel sic primos quosque botros carptura viderer; at sanè spes me fefellit, & pastu destituta interibam. Revertor igitur ad te, vigilantissime pastor, ut tua pascua colam, terræ fructibus vescar, & novorum vellerum fœnus tibi pro custodia referam. Famem, qua vexor, solus sedare potes; quid igitur prodest aliena pascua disquirere, in quibus herbæ noxiæ, ac venenatæ leguntur? Prudenter agam, teque pervestigare contendam, ut mihi demum gratuler, propter te meum tutelarem, more cujusdam Vatis elata voce canentis: Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ. Hic annotandum est, animam velut ovem, symbolica Theologia in scenam introduci, pabuli cupidissimam. Pabulum autem animæ sponsus est, cujus defectu peccatores intereunt. Cùm verò ad divinam gratiam suscitantur, fame Dei se torqueri sentiunt, quod in culpa mortui minimè sentiebant. Profectò fames vitæ index est. Et quo illa minùs urget, eò mors fit vicinior, ut patet in morbis. Et mox ut quis cœpit convalescere, fame infestatur. Propterea sponsa, quæ non multò ante suscitata fuit, famem hanc salubrem vitæ indicem percipiens, anxiè rogat, ubi sponsus pascat oves, ut famem elevare, etsi non sedare queat. Sed quia pascua plura sponsus habet, in quibus sui copiam aut modicè, aut largius facit, sic sponsa loqui credenda est: Mihi cunctatio displicet quamobrem nec in quavis vulgari pastione quiescam, sed ferar in ulteriora, incredibili, ô sponse, tuæ pulchritudinis amore capta. Profectò sponsa jam norat, ubi sponsus oves pasceret, ac propterea in eum locum ocyssimè confugit: Nunc verò alienæ pascuæ filiorum alienorum recordatione perterrita, & interioris cum sponso consuetudinis avida, in tutiora, & interiora pascuæ loca, sponso auspice, se recipere, ac penetrare conatur. Quod facilè subjecta verba declarant.

B

C *Psal. 78. 13.*

Animadversio.

Fames vitæ index.

D

Ubi cubes in meridie?

E

PARAPHRASIS.

Apparuit mane lætissimam, cùm amare cœpi, sponsa amoris meridiem pera, in quo tui cum sponsis conquiescere soles, quasi in toro cubans, nuptiale fœdus confirmans, ad charitatis incrementa. Illuc ergò perduc me.

F

TUi sis in pascuis, ô sponse, definitæ sunt quasi stationes, auroræ, meridici, cæteriique temporis partibus, quas percurrere oportet eos, qui lucis, & caloris incrementa conquirunt. Nimirum, cùm tu, ô Sol divine, ardentissimos amoris emittis radios, ac Sol, dum medias cœli partes permeat, quibus animas, quas humanissimè pascis, torrere soles, in amoris fornace tibi arctissimè sociatas. Tunc sanè meridies est, quem ego vobis omnibus expeto, & efflagito, ut tuis trajectus radiis, igne divino percoquar, & absumar. Non enim conquiescam, donec amburar, tibique quam simillima reddar. Juxta explanationem hanc verba sic intelligi debent, ut sponsa interroget in hunc modum: Indica mihi, sponse, ubi, hoc est, quo in loco cubes, seu requiescas, in æstu meridiano? quis, inquam, amoris gradus sit ille, in quo tu cubare diceris, cùm meridies hoc est, maxima vis, & calor amoris est? Videtur autem sponsa ad phœnicis historiam alludere. Sicut enim in nido succenso fœnix cubat, & ardet, ita sponsus in amore meridiano, hoc est, ardentissimo cubare, & eo igne incendi perhibetur. Optat verò sponsa, licèt nuper amare cœperit, ad meridiem amoris pervenire. Oportet enim novos justitiæ cultores desideria magna concipere, aliàs vix egregium quippiam præstabunt; cùm enim in excelsum scopum collimant, illuc sanè suos conatus omnes intendunt, & si fortasse non eousquè perferuntur, valdè tamen propinquant. Ii vero, qui non magna moliuntur, minùs certè conantur, modicisque conatibus partus edunt breviores. Hæc prima loci est interpretatio, juxta quam, intra charitatis ipsius naturam, & ingenium, dicitur esse meridies, mane teneri amoris exacto.

G Similitudo à Phœnicis cubatione.

Est autem secunda satis elegans explanatio, ut meridies non hic aliquis intra amoris naturam gradus, sed in notitia sponsi claritatis immensa, & quasi meridiana notetur, quæ est ipsamet visio divinitatis, ab sponsa avidissimè expetita. Est quippe, notitia rerum in divina sponsi elucentium naturæ, quæ matutina appellatur. Vespertina verò, quæ res conditas in propria ipsarum, extra Deum, natura contuetur. Meridiana denique, quæ re-

Tyrones grandia concipere oportet.

H Altera textus explicatio.

Scripta An. 1598.

rerum conditarum prætergreſſa menſuram, ſponſum in ipſomet ſponſo ſpeculatur, quæ quidem omnium eſt nobiliſſima, & excelſa maximè. Hic eſt meridies, in quo ſponſus ævo ſempiterno cubat, hoc eſt, conquieſcit, quem ſponſa noſſe cupit. Cupit autem & noſſe illum, & in eo cubare, quod eſt conquieſcere, quod Hebraica verba apertiſſimè declarant, quæ ſic Latinè redduntur [Ubi A cubare facias.] Precatur quippe ſponſa, ejus quietis cupidiſſima, ut ſponſus doceat, ubinam cubare faciat in ea luce patriæ meridiana eos, qui de via feſſi illuc migrant, æterna requie fruituri. Cùm verò ſic rogat: Ubi cubare facias, idem agit, ac ſi diceret: In quo illius gloriæ loco, quam excelſo, quàm fœlici? Licèt enim locum fide norit, fidei tamen cognitio obſcura eſt, ac proindè velut rei ignara, illuſtrius quiddam poſcit, & rem clariùs noſſe cupit. Hoc verò deſiderium ardentiſſimum patriæ, tyronibus, qualis adhuc ſponſa depingitur, opportuniſſimum eſt. Cum enim non adhuc ingenuè ament, non adeò excitantur ſolo puri amoris affectu; præmii autem ſpe acerrimè urgentur, & ad opera difficilia B alacrius incitantur. Propter hoc igitur ſponſa tam ſedulò quærit de loco, ubi ſponſus oves paſcat, & eas cubare, hoc eſt, requieſcere faciat. Non ſanè, quia confeſtim illuc migratura ſit, longam enim prius eſt emenſura viam, ſed ut ſine concepto, juxta veræ philoſophiæ pronunciatum, & rectà gradiatur, & expectati boni magnitudine ad percurrendam viam fiat expeditior, nec aberrare ſinatur, quod verba proxima opportunè ſignificant.

Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

PARAPHRASIS.

C

Vereor, ne poſtquam fauſtè cœpi, infœliciter abs te ſejungar, & qui paſtorem ementiuntur, cùm lupi ſint, me ad ſuos greges abducant, atque diſcerpant.

SAtius profectò erit, te facem præferente, ô ſponſe, noſſe viam, qua gradiendum eſt, quàm per anfractus, diverticulaque, aberrantem ſeduci, in aliorumque paſtorum caulas incurrere, dæmonum ſcilicet, ac ſceleſtorum hominum, qui cum cœtus, gregeſve perditarum paſcant animarum, ſodales tui nuncupantur, quadam officii ſimilitudine, non ſuo quidem ingenio, ad perdendum, profligandumque comparato. Pro his verbis: Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum, aliqui ex Hebraico ſic vertunt (Quia, ut quid ero, veluti operiens ſe ſuper greges ſodalium tuorum?) illa verò verba (operiens ſe) nomine conficto, licèt ad ſenſum eundem opportuno, exprimunt quidam, ajentes. (Ne oberrans per greges conſortium tuorum, videar palliolata.] Scorta nimirum olim in triviis apparebant, & hac, illacvè excurrebant pallio obnupta, ut patet ex hiſtoria Thamar, quam, cùm Judas ſuos greges petens, pallio vidiſſet opertam, velut ſcortum alloquutus eſt, & paſtor ab eo miſſus de ſcorto, an comparuerit, interrogabat. Precatur ergo ſponſa Deum, ac ſponſum ſuum, ne patiatur illam aberrare, & peccatorum paſcua colere, quia ſi exerret, erit ut ſcortum, ſuum verum ſponſum, violata fide conjugii, relinquens, & aliorum, qui ſponſum ſimulant, adhærebit amori. Et hanc emphaſin habent illa verba (Quia ut quid ero, veluti operiens ſe ſuper greges ſodalium tuorum?) Quod verò ſodales hi nomine dumtaxat tales ſint, patet ex paraphraſte Chaldaico, qui interpretans hunc locum de filiis Iſmaelis, & Eſau, qui relicto vero Deo, alienos Deos colebant, ac ſi vere eſſent ſocii divinitatis Dei veri, ſic ait (Qui applicant tibi idola ſua pro ſociis.) Preces ſponſæ ſponſus exaudit, quapropter ſic eam affatur.

Gen. 38.

Chaldaice Lectio.

SPONSVS.

℣. 7. Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere.

PARAPHRASIS.

Si te ipſam non calles, qua ex ignoratione meridiem noſſe nequis, egredere ex temetipſa. Exue veterem hominem. Sic quippe egreſſa, viam carpes, expeditiuſque percurres.

FIeri nequit, ut ſponſæ ardentiùs amare cupientis clamore non percellatur ſponſus, qui amoris paret imperio. Eveſtigiò adeſt, quam cupiebat ſponſa viam, ad ipſum in ulteriore charitate perveſtigandum, monſtraturus. Pulcherrima (inquit ille) inter mulieres, hoc eſt, recentes, ac imbecilles fœtus, mulierum natura imbecillium translatione graphicè pictos, quibus tu major effecta, facilè antecellis. Si ignoras te, cujus ignorationis, ergò, & meridiem, ubi conquieſco, noſſe, & aſſequi nequis; egredere. Temetipſam fuge, lares proprios, domumque antiquam relinque. Exue veterem hominem, in quo ſepulta jaces, actuſque illius averſare. Hæc prima lex, ſi ad meridiem ferri ſatagis, ut foras prodeas; nec te domus antiquæ remoretur amor, qui retardare nequivit apud Chaldæos Abrahamum, exire adornantem, arcani huius exitus typum præferentem (Si ignoras te.) Latet porrò mira in his verbis energia, minimè ſilentio tumulanda. Enim verò ſponſa petierat meridianam ſponſi lucem, ajens (Indica, ubi cubes in meridie?) Cui profectò interrogationi, (quantum coniectari licet) diſertè reſpondendum erat, oſtenſa via, qua in meridiem tenderetur, niſi altius quiddam, arcanumque, magis hac reſponſione celaretur. Nimirum ſplendidiſſimam ſponſi lucem appetenti ſponſæ idoneè admodum imbecillitatis propriæ circumſpectio præcepta eſt,

G Mulierum imbecillitas.

Gen. 12.

H

D Hæbraica Lectio.

qua

Scripta An. 1598.

qua in penitiſſimam Dei cognitionem via ſternitur, quaſi planiùs in hunc morem ſponſus eam commoneret: Si ſapientiæ, ac divinæ charitatis amore flagras, à tui ipſius cognitione auſpicare, hæc enim te ducet, ac una tuebitur. Modum verò ſecretiorem ſponſus edocet, quo ſemetipſam ſponſa callere perdiſcat unico rem totam verbo complectens, dum ait: Egredere, tanquam ſi expreſſiùs

A diceret: Temetipſam interſeca, mediamque concide, ità ut mentem ab appetitu diſtermines, ac duo quaſi agmina conſtituas. Altero quidem in agmine appetitum ſentientem, effræneſque ipſius motus recenſebis. Ab hoc verò agmine mentem, voluptatemque ſegregabis, alterumque numerabis agmen, in quo te ipſam repones, & indicto bello, agminis primi colloquia, commercium que vitabis. Sic viam arripies, luceque frueris. Profectò, ſi oculus colore tinctus eſſet, & imbutus, colores nequiret cernere, ut apud naturæ inſpectores compertum eſt. Quin quamvis purus eſſet oculus ab omni nebula, humoriſque affluxu repurgatus, ſi

B hærerent illi externè dumtaxat res colore infectæ, percipere illas non valet, ita ſanè, ut omninò ſpatium interjacere debeat, quo colorum imago purior reddita in oculum perferatur, & cernatur exactè. Hoc planè modo, à temetipſa exiliens, & velut ab excelſo loco, mentis intuitu repurgato, tuam deſpiciens humilitatem, illius affectus internoſcere, ac explorare valebis. Nam ſi mentis acies appetitus concretione, ac ſanie fuerit imbuta, vel ipſi nimiùm propinqua, vi cernendi, qua prædita eſt, nequaquàm fungi ſinetur. At poſtquàm egreſſa, ô ſponſa, ne cuncteris, deſidiavè torpeſcas, ſed viam arripe. Et

Aptiſſima Comparatio

C Abi poſt veſtigia gregum tuorum.

PARAPHRASIS

Poſt greges gradere, non ut à motibus appetitus effrænis traharis, ſed ut quaſi verbere inflicto urgeas, & quò mens vocat, rectà ire compellas.

NE præeas; non enim greges hœdorum, id eſt, ſenſuum & affectuum petulantes, ac laſcivientes te ſequentur; ſed aberrabunt. Sunt quippe greges non ovium, quæ ultrò ducuntur ad occiſionem, nec agnorum, qui tundenti non reluctantur, ſed hœdorum,

D qui ſi creverint evadent hirci, qui reproborum mores ſignificant, ac ideò in judicio ſtatuuntur à ſiniſtris. Hos igitur, ut ſalvi fiant, & ad dexteram reducantur, verbere urgebis. Coges ergo illos præire, tuque ipſorum poſt veſtigia gradieris, more paſtorum, qui ſuorum gregum veſtigia ſequuntur, non quò hœdorum laſciviam à militari via exerrantem ſequantur, aut ferant, ſed quò greges in proſpectu habentes, cùm à via deflectunt, funda, pedoque utantur, rectàque illos ingredi cogant, & impunè vagantem coerceant petulantiam. Cùm verò inflicto verbere, incuſſoque timore, appetitus ſentientis agmen more paſtoris egeris, diſce oraculo, quidnam tibi ſit agendum. Et

Mores reproborum.

Paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum.

E

PARAPHRASIS.

Affectus appetitus edomiti in officio contine, & fac, ut ſpiritalis palæſtræ conſultorum monitis obtemperent.

SEnſus rebelles hœdorum more, dum recens ſanguis effervet, exultantes cùm domueris, dictoque jam feceris audientes, ne patiaris otio ſe tradere, aut tam citò deſeras, ac ſi rebellare nequeant, neque ſoleant. Sanè ſi eos impunè agere permiſeris, fœdus reſcindent, ac in te uno conniſu irrumpent. Præſide igitur illis, acriterque cæ-

F de, ac ſimul paſce juxta caſas, mapaliave paſtorum, qui ſunt viri rerum divinarum conſultiſſimi, Apoſtolorumque poſteri, ac hæredes, qui ſaluberrimas ſpiritalium dogmatum herbas ſibi credito gregi carpendas porrigunt. Quorum ſi dogmata toto pectore hauſeris, ad meridiem ipſorum ducatu ocyſſimè properabis. Præcipit ſponſus, ut ſenſus rationi rebelles ſponſa coerceat, & juſtitiæ ſervire cogat. Quod proculdubio fit, cum ſenſus ſive internos, ſive externos, culpæ licentia exultantes, ità comprimimus, ac moderamur, ut nec cogitare, nec recordari, nec audire, nec cernere turpe quippiam ſinamus, ſed ſuas ad rationis lineam functiones cogamus obire, quod ſponſa præ-

G ſtitiſſe credenda eſt, ut mox appoſita laus ei congruere poſſit; Sponſus, quippe illi tanquàm equo domito inſidere voluit, quod ſanè noluiſſet, ſi ſenſus nondùm magna ſaltem ex parte repreſſiſſet. Eſt autem accuratè animadvertendum, generoſi equi illuſtre ſignum eſſe, Domino inſidenti ſe facilem, ac lenem exhibere; aliis verò, præſertim inimicis eſſe intractabilem, & in eos calcium illiſu & hinnitu ferocire, quale quiddam de bucephalo Alexandri magni dictitari ſolet. Quod generoſi animi diſcrimen in ſponſa reperiri, ſubjecta ſponſus ſimilitudine propalat.

Generoſi equi proprietas.

V. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea.

H

PARAPHRASIS.

Angelo, quo tanquàm equo meo vehebar olim, dum in ſinu Arabico currus Pharaonis everterem, te ſimilem feci.

Scripta An. 1598.

BElli consultissimus sponsus est, Sabaoth, Deus ob id appellatus, quapropter bellicum sibi iure comparat apparatum, in dæmonem Pharaone significatum præliaturus. Armat equitatum, quo apparatus belli notatur universus, propter nobilissimam equi naturam, firmissimum in præliis robur. Nam ingenuè hoc animal sese periculis obiicit, irrumpentium gaudens clamore copiarum, Tubarum exultat clangore, hastarum ictus, clypeorum collisionem minimè perhorrescit, sed fidentiùs ingreditur, & in confertissimos hostes, adactis leviter calcaribus irrumpit. Equi verò, quibus sponsus vehitur, Angeli sunt, quibus, quasi vectus & insidens, sua ducit agmina, adversamque potentiam, tyrannidemque coercet. Quod, præterquam quòd est divinæ Theologiæ oraculum, quo docemur, dæmonum impetum, quo in nos debacchari moliuntur, à Deo per Angelos elidi & frangi, sacrarum etiamnum historiarum veritate sancitur. Cum enim Israelis Pharaonem fugientis castra duceret Angelus, qui selectum illum populum columna, & nube præibat, & tuebatur; jamque præceps Pharao rubri maris alveum ingrederetur, respexisse dicitur Dominus per columnam in Ægyptiorum castra; non quia ductor Angelus non esset, sed quia, velut equo generosissimo, Deus illi insederat, ut gentem, quam sibi cooptarat, propugnaret, hostemque dirueret. Hujuscemodi ergo equos sponsus conscendit, (sicut scriptum est,) Qui ascendis super equos tuos) & his ait esse similem sponsam, dum sic eam affatur: Equitatui meo, & ex Hebræo, Equæ meæ, ex Septuaginta verò Interpretum versione, Equo meo assimilavi te, quæ omnia sensum eundem reddunt. Porrò ex anima charitate provecta (quo quidem in genere eadem est Angeli, hominisque mensura) tanquam ex equo nobilissimo, quo vehitur sponsus, tela suæ potentiæ evibrat, hostisque animam invadentis arcet improbitatem, non aliter, quàm olim per Angelum dimicans, respiciens per ignis columnam in Ægyptiorum currus Pharaonis, temerè insanientis repressit audaciam. Fecit ergo sponsus Angelicæ sublimitati sponsam persimilem, in Pharaonis curribus evertendis, ac dissipandis. Hæc prima est interpretatio.

Apparatus belli notatur

Equi natura.

A

Equi sponsi sunt Angeli.

Exod. 13.

B

LXX. Interpp. & Hebr.

C

Altera textus explicatio.

Secunda eruitur ex scriptore hujus cantici, ejusque historia. Porro Salomon, qui numine afflatus hoc carmen scripsit, loquitur; Dei personam agens, sicut Angelus in veteri testamento nomine Dei plerumque loquebatur, præcipiebat, hortabatur. Constat autem, Salomoni ex Ægypto, seu Pharaonis regno equos duci solitos fuisse, & currus, ut tertii Regum narrat historia. Sic enim habet inter alia, cap. 10. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa, & paulò pòst: Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti. Habebat ergo Salomon equitatum in curribus, seu quadrigis Pharaonis, hoc est, ab Ægypto, seu Pharaonis regno missis. His verò utebatur Salomon ad regni præsidium, sicut scriptum est; Congregavitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum, & disposuit eos per civitates munitas, & cum Rege in Hierusalem. Sponsus ergo loquens per Salomonem, aut Salomon velut in comœdia sponsi personam agens, ait, se sponsam equitatui suo in Ægyptiis curribus comparasse. Quæ similitudo sic accipienda est, ut sponsa quæ antè in regno Pharaonis, hoc est, dæmonis serviebat, & Ægiptios, hoc est, dæmones vehebat sessores, à Salomone, hoc est, sponso magno pretio empta, in ejus equitatum sit ex liberalitate vocata, & ad Ecclesiæ, cujus rex sponsus est, robur, præsidiumque pertineat. Sic ergo sponsus loqui credendus est: Eras, ô sponsa, equus Ægyptius, effrænis, sed ego redemi te, & redemptam assimilavi equitatui meo, quo ego in curribus à Pharaone redemptis utor in regno meo. Habet sponsus equitatum & currus, hoc est, animas plurimas, è dæmonis servitute in Hierusalem libertatem assertas, ut Moysen, Paulum, Augustinum, quibus ipse vectus, regnum Ecclesiæ obequitat & tuetur, & his similem sponsam fecit, quæ magna profectò illius laus est. Quamobrem jure pergit eam excelsam dignitatem, ac meritorum magnitudinem commendare.

D

E

Similitudo.

F

℣. 9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

PARAPHRASIS.

Quemadmodum extincto alterutro sexu, Venerem turtur execratur sponte sua, ita tu, cùm quasi extinguor, me celans, amorem execraris externum, & genarum exortus rubor te indicat, me tametsi absentem vereri, adeò ut rubor ipse sit quasi frænum, quo genæ suaviter premuntur, chamo, frænoque duriore minimè indigentes.

G

NE nomen equi, quo adulterii rabies à Hieremia significata est, sponsæ aliquam violati tori labis notam inureret; nevè quis suspicaretur sponsam chamo, frænoque tanquàm hinnientem præ lascivia equum indigere, subjecit sponsus arcanam turturis similitudinem, ut hujus animantis ingenio sponsam à calumnia vindicaret. Inquit ergo (Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.) Rubore, qui præ verecundia tuas genas obducit, illasque venustat, mirificè delector, quia turturis rubor est. Quemadmodum enim turtur, alterutro conjuge extincto, nequaquam induci valet, ut Veneri ultrà indulgeat, in primum amatorem, ac conjugem vim amoris effundens; sic tu, rubore genas perfundente, erubescis, nec induci potes, extraneum ut admittas amorem, si quando ego videor extinctus, dum consultò me celans, voluptatemque meæ præsentiæ subducens festinus abscedo. Sic igitur, ne quid turpe committas, opus non est te reprimere, vimque in-

Turturis natura describitur.

H

Scripta An. 1598.

inferre, chamo & fræno genas conſtringente. Pudor enim ipſe ex amore profectus te in officio continet, actuſque omnes adamuſſim legis conjugalis facit effingere. Hæc prima eſt explanatio.

Altera textus explicatio. ex Hebr.

A

Secunda verò maximè arcana eruitur ex Hebræo textu, qui ſic Latinè redditur. (Decoræ ſunt maxillæ tuæ in murænulis, vel propter margaritas) ubi cernimus pulchritudinem genarum ſponſæ ab ornamentis muræ-nularum, vel vittarum, in quibus margaritæ lucent, commendari, ſumpta metaphora ex puellis, ex quarum auribus inaures, ut catenulæ, vel aliàs margaritis conſertæ pendere, ac ità genas ornare ſolent. Qua quidem imagine ſponſus declarat, ſponſam non egere lupato, ſeu aſperiore fræno, equorum indomitorum more; ſed eam aure duci. Nam verbis ſponſi aurè percep is, tanquam aureis inauribus totam faciem honeſtat, & illis ſuaviter trahitur, non indigens alia vi ad Deo obtemperandum. Quod profectò myſterium Chaldæus paraphraſtes eleganter expreſſit, verba hæc de populo Iſrael, in quo plures erant ſponſæ ſimiles, interpretans, & ſic ajens: (Quando egreſſi ſunt ad deſertum, dixit Dominus ad Moyſem: Quàm pulcher eſt populus hic, ut dentur eis verba legis, & ſint ſicut inauris in maxillis eorum, ut non recedant à via bona, ſicut non recedit equus, in cujus maxilla eſt frænum.) Qua ex re planè perſpicitur, ſponſam non equum ferocientem, ac petulantem, ſed ingenuum, equitique parentem imitari, non verbere, & calcaribus, ſed phaleris indigere. Quod ſponſus perpulchra colli figura commonſtrat, nam ſic ait:

B

Paraphr. Chaldaica.

Collum tuum ſicut monilia.

PARAPHRASIS.

C *Collum habes in ſeipſum recurvum, ſicut orbiculata monilia, & ſic oculos ad tuum greſſum moderandum ſemper convertis.*

MOnile Græcè hormiſcos appellatur, ſimilitudine locorum maritimorum, quorum littora in Lunæ ſunt cavata figuram. His nimirum locis, quæ hormi vocantur, monilium figura in ſeipſam reflexa reſpondet. Cœpit autem ſponſus commendare ſponſam ſub equi pereleganti ſimilitudine, cujus genis ruborem pudoris indicem, tanquam elaboratum, ſuaveque attribuit frænum.) Qua in translatione perſiſtens, colli laudat elegantiam à figura circulari in ſeipſam recurrente. Sic quippe inter notas equi generoſi colli curvitas ſolet commendari, vt, cùm graditur, crura ipſemet ſua, ungularumque poſitum inſpectare videatur. Sic & ſponſa, equus videlicet generoſus, quo ſponſus vehitur, collum habet elegans, in ſe recurvum, ut ſubinde ſuum inceſſum, curſumque proſpectet, nec inopina in lapidem impingat, in ſalebras incidat, vel dæmonis tendiculas oſcitanter

Equi ſimilitudo.

D

incurrat. Collum hoc recurvum, quod ſponſa ad ſemetipſam torquet inſpectandam, ea eſt virtus, quæ à ſanctis Patribus Oratio mentalis nuncupatur, quæ inſtar colli porrectam à ſponſo eſcam, potumque excipit, & in ſpiritalem ventriculum traiicit. Verè enim tunc ſponſus animam paſcit, & per id collum dapes cæleſtes animæ ingerit. Hujus ergo arcani colli laus eximia eſt, ut ſit ſicut monilia, hoc eſt, ut ſit in propiam cognitionem reflexum. Sunt enim plerique, qui vix orationis primordia ſummis labiis deguſtarunt, & inani quadam elatione deluſi collum nimis erectum habent; hiant enim ad ſuperna præmaturè, ſuique immemores id collum ad ſe non retorquent, quia de ſemetipſis purgandis, ac edomandis minimè cogitant. Propter hoc ergo ſponſus commendat ſponſam à colli curvitate quaſi hæc figura illi potiſſimum placuerit, quod alia ex Hebræo verſio apertius indicat, in qua poſt illa verba (Decoræ ſunt maxillæ tuæ in murænulis) additur, Collum autem in torquibus, quaſi ſponſus diceret: Colli tui arcani elegantia, & decor in torquibus, ſeu monilibus, hoc eſt, in figura ad ſeipſam reflexa eximiè lucet. Poterat nimirum, ob alias dotes, orationis collum Symbolicum laudare, verùm illam tamquam ſponſæ utiliſſimam, Deoque gratiſſimam, quam laudaret, aſpexit, quòd orationem ad propriam cognitionem; inſtar equini colli retorqueret, Cum igitur ſponſa ſit adeò ſedula in propio inceſſu moderando, & ad equitis nutum componendo, non eſt ſanè adductis habenis reprimenda, nec domitori tradenda; nec verò eques de habenis ex firmiore corio iniiciendis, ſed de catenulis mirificè elaboratis habenarum loco ſufficiendis cogitat, ideòque ait.

Oratio mentalis.

E

F

G

℣. 10. Murænulas aureas faciemus tibi.

PARAPHRASIS.

Iniiciam tibi catenulas murænam referentes, tenues eas, & adornandum, non trahendum, cogendumque fabrefactas, quod eſt tuæ ſymbolum obedientiæ, quæ libens ducitur, quò impero, nec habenis eget violentis.

VLtrò mihi obtemperas, ô ſponſa, & cum præſagis, quid malim, tempus antevertis. Non ergo mihi ad te flectendam, & edomandam nitendum eſt; nec verò habenis eges ad coactionem, ſed ad venuſtatem, & ornatum, ut phalerata incedas. Decrevi ergo catenulas tenues, murænarum imaginem aſpectui gratam referentes ex auro conſerere, illaſque tibi ad ornamentum iniicere. Non te invitam traham, ſed volentem ducam; nec enim pertenues catenulæ ad inferendam vim quidquam proſunt. Inſignis ſponſæ in obedientia progreſſio, novo iſto, planeque miro habenarum opere notatur. Adeò enim promptè, ac ſuaviter obaudit, ut, quod vul-

H

Sponſæ progreſſio in obedientia.

Scripta An. 1593.

vulgò jactari solet, laneo filo ducatur. Quo quidem proverbio voluntatis ad parendum significatur expeditio, & spiritus pernicitas. Quod ut exactè intelligatur, contuendus est sponsus sub imagine corporea, suave quoddam frenum, habenasque ex aureis catenulis consertas sponsæ, velut equo generoso, iniiciens.

A

Hæ igitur habenæ mystice virtutem obedientiæ notant, per quam, velut per illas tenues catenulas, sine vi ulla, immò eximia cum suavitate sponsam ducit, quò vult. Materia verò catenarum, arcanum quiddam suggerit, est enim aurea, ut divinæ charitatis auro notatæ natura, in cuius finem universa obedientiæ opera, ex ipsius charitatis ingenio, ac imperio sunt destinanda, ista saltem adumbretur imagine. Hæc prima est interpretatio.

Aurum divinæ charitatis naturam insinuat.

Altera explicatio ex LXX. Interpp.

Iuxta Septuaginta Interpretum versionem. quæ pro murænulis aureis (simulacra auri) habet, secunda hujus textus interpretatio educi potest, in hunc modum: Porrò auro majestas regia notatur, quod & sacris & profanis scriptoribus compertissimum est. Cùm vero de regia majestate agitur, per antonomasiam sponsi majestas intelligitur. Unde & per aurum hîc sponsi notatur majestas. Cùm verò majestatem sponsi, vel habere, vel æquare nemo possit, excelsa certè dignitas est, si quis ejus majestatis similitudinem gerat. Et hoc ad eximiam sponsæ laudem spectat, quòd sponsus auri, hoc est, sui ipsius similitudinem sponsæ faciat. Hæc autem similitudo in hoc sita est, ut quemadmodum sponsi majestas lege non cogitur, sed ipse ejus directione utitur, ita sponsæ, utpote justæ, lex posita non sit, quæ illam cogat, nec enim eget, sed ipsa legis vi dirigente utatur, & in hoc regiæ majestatis similitudinem gerat, quòd Regis, seu Principis more, lege non cogatur, sed dirigatur. Postquam autem aureas sponsus fabrefecit sponsæ catenulas, aurive similitudines, quibus ad parendum legi insignis animi promptitudo, obedientiaque signatur, tutò illi doctrinæ suæ sponsus dogmata, argento significata, observanda committit; ideòque ait:

In auro majestas regia elucet.

B

C

Vermiculatas argento.

PARAPHRASIS.

Habenas istas, quibus obedientiæ tuæ exprimitur perfectio, argento liniemus, ita ut arctè illis argentum inhæreſcat. Quod arcanè fiet, cùm mea doctrina argenti puritate, & candore signata, animo tuo obtemperanti imprimetur, & arctè inhærebit.

D

VErmiculatum opus dicitur, quod tessellis insititiis, vermiculos referentibus, concinnatum est, quod interrasili opere, in ligno, osse, vel jaspide, marmore scalpto passim fieri solet. Fit verò etiam ab inauratoribus absque ulla sculptura, cùm aurum inductis argenti lineis, punctisve, vermes imitantibus ornant, & variant, ut pallor ille auri nativus inter albicantes argenti guttas, & puncta, speciosa se prodat varietate, quod Hebræa satis clarè notant, cùm Latinè reddita sic habent [Murænulas auri faciemus tibi, cum punctis argenti.) In hunc ergo morem aureis murænulis argentum sponsus decrevit inducere. Vulgatum est, argenti candore, ac tinnitu sponsi doctrinam, puritate, ac sono insignem præferri. Quid ergo innuit hæc punctorum, guttarumve argentearum auro inducta pulchritudo, nisi sponsi doctrinam obaudientis sponsæ animo, divino hærentem artificio? Quot enim dogmata illius animo à sponso imprimuntur, tot puncta dicuntur auro induci. Porrò postquam obedientiæ accessione sponsa cumulata fuerat, (quod in aureis catenulis symbolum latebat) opportunè admodum sponsi doctrina, & vox clarè sonans, ceu argentum igne examinàtum, obtemperanti animi ad gloriam, & venustatem debeat hærere. Recenseri autem par est, hanc eximiam inter laudes sponsæ universas. Si enim sponsi monita illius cordi altè adeo inhæreſcunt, emetietur profectò actus omnes suos ad sponsi nutum, quo nihil ad veræ virtutis absolutionem accommodatius poterat excogitari. Postquam verò sponsus nonnullas recensuit sponsæ laudes, quibus internam, externamque illius extulit pulchritudinem, sponsa gratè commemorat, quemadmodum ex sponsi commercio, hæc bona receperit.

E

Argentum doctrinam sponsi insinuat.

F

SPONSA.

℣. 11. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

G

PARAPHRASIS.

Dum Rex sponsus, postquam lectum voluntatis meæ stratum vidit ibi accubaret, charitas erga ipsum mea, nardi expressa symbolo, effudit odorem suum, qui ei peculiaris, & quàm suavissimus est. Ipse præterea sponsus, nardus mea est, me calefaciens, ac odore suo imbuens.

SPonsæ voluntas velut arescens, ac humore terræ Solis ardore perustæ dehiscens, identidem implorabat ipsum, cùm vox illa desiderii interpres erumpebat (Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes:) quam ipse libenter exaudivit, & affuit, explicatasque proximè sponsæ laudes recensuit. Subtrahit enim se; at citò studet reperiri; moræ impatiens. Oportet autem hanc vicissitudinem inter seriò amantes esse crebram; quò sitienter bonis creptis inhient, & suaviore postmodum voluptate, cùm redduntur, tamquam ingenti aquarum affluxu perfundantur. Observans verò, quasi ex insidiis sponsus humanissimus sponsæ voluntatem hiantem, latèque patentem, in ipsam irrepsit, qui est proprius, ac

H

opta-

Scripta An. 1598.

optatus illius accubitus, in quo cum conjuge conquieſcit, & miris charitatem auget incrementis. Quamvis enim in ſponſæ voluntate antè proculdubio fuiſſet, verùm ſe abeſſe ſimulabat, & ſe conſultò non prodebat. Nunc verò cùm ſe manifeſtat ipſum, voluntatemque adurit, nova & potiore quidem ratione in accubitu dicitur eſſe. Pro accubitu aliqui ex Hebræo vertunt (circuitum) quod in præſentem ſenſum apprimè quadrat. Eſt enim ſponſæ voluntas ſphæra quædam, ambitus, ſeu circuitus, ſponſum undique complectens; & vallans; & hæc propria eſt ſponſi ſphæra, ſicut igni, cæteriſque elementis a natura ſua ſphæra propria definita eſt, ad quam elementum, cùm inde abeſt, ſemper tendit; ac exindè, cùm in illa eſt, velut in nativo loco conquieſcit. Rectè igitur expenſa metaphora, ſponſus dicitur in accubitu, circuituve voluntatis ſponſæ cubare, hoc eſt, conquieſcere. In hoc autem accubitu nardus dicitur odorem fudiſſe ſuum. Sicut enim odorati paſtilli admoto igne colliquefiunt, odoremque fundunt, ita nardus, quæ eſt ſponſæ charitas, admoto ſponſi propalantis igne lenteſcens, in voluntatis fornace ſuccenſa, odorem ſuum exhalavit, cujus olfactu mirificè ſponſus delectatur. Odorem, inquit, ſuum, hoc eſt, proprium, ac peculiarem, quo à cæteris rebus odoratis facilè ſecernitur. Hic eſt ſponſi Chriſti odor, quo, fragrant, qui cum ipſo inière commercium, habentque conſuetudinem, quemadmodum qui paſtillos contrectant, manibuſque verſant, odorem ipſorum contrahunt. Nimirum cum ipſamet charitas nardi ſymbolo, ut proximè explicavimus, expreſſa, ſit manus, aut brachium, quo ſponſum contrectat, & amplectitur ſponſa, (charitate quippe conſtat arctiſſimus ille voluntatis cum ſponſo ibi cubante complexus) efficitur omninò ſponſam divino ſponſi odore imbui, dum agit in accubitu. Nardo charitatem exprimi, quæ tota ignea, & fervens eſt, facilè perſpiciet, qui plantæ hujus deſcriptione contemplatus fuerit.

Sponſæ voluntas ſimilitudine deſcribitur.

Comparatio.

Nardi uſus in medicina.

Enimverò ſi nardum, cujus eſt uſus in medicina, expendamus, comperiemus nardum radicem tantùm eſſe, & non aliam plantæ partem, ejuſque radicis partes, ut conferti glomi, torulive compacti, quòd ſpicarum formam referant, à peritiſſimis Medicis ſpicæ nardi appellantur, quibus excalefaciendi vis ordine primo tribuitur. Si nardi folium contueamur, expetitum maximè ad unguenta cernemus. Erat enim mox olim, non Paleſtinis modò, verùm & Romanis, unguentis pretioſiſſimis ex nardo confectis, capillos delibutos geſtare. Si odorem optemus, nardus (quod vulgatiſſimum eſt) odore præſtantiſſimo commendatur. Calor autem ſpicæ latentis ordine primo à Medicis laudatus, charitatis ſuopte ingenio calore æſtuantis, corde conceptæ ſymbolum exiſtit. Unguentum verò ex folio, & odoris fragrantia externi ſunt amoris latentis indices, quales apud amantes paſſim conſpicimus, quibus mos eſt ejuſmodi, & unguentis prætioſis ſe delibuere, & odores comparare. Plura ſunt alia, quæ ſi exactè trutinentur, divini amoris vim planè cæleſtem apprimè ſignificant, quæ tanquam pervia prætermittimus.

Altera Textus explicatio.

Subit autem mentem ſecunda hujus loci non inepta interpretatio, quæ ſub nardi ſymbolo ſponſum intelligit; cui nativa competit animos glaciatos calfaciendi, cæleſtemque odorem fundendi proprietas. Quaſi ſponſa diceret; Dum eſſet Rex in me cubans, ipſemet, qui eſt nardus mea, me excalefaciens obungens, ac odore imbuens, exhalavit odorem ſuum. Quemadmodum enim ſponſus habet nomen ſuum, quod eſt ſuper omne nomen, quo ab univerſis internoſcitur rebus; ita & odorem, quo à cunctis aliis rebus odoratis facilè diſcernitur, cujus efficitur conſors, quicumque ipſi arctiſſimo amoris fœdere ſociatur. Quia verò hujus odoris hauſtu recreata, quodam voluptatis amne velut obruta fuerat ſponſa, ne quis fortè ſuſpicetur eam ſemper à ſponſo voluptate mulceri, quod hujus exilii lex minimè patitur, hæc verba ſubtexit:

Comparatio.

V. 12. Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi.

PARAPHRASIS.

Cùm acriora præcipit ſponſus, fit mihi myrrhæ amaræ, tactuque aſperiore rigentis faſciculus.

NOn mihi nardus dumtaxat, verùm & myrrhæ faſciculus ſponſus eſt, nam velut alternis poculis, dulcore, ac amaritudine me potat. Dum accubabat mihi, tanquam nardi odoratus faſcis meo pectori ad conciliandum hærebat odorem, meque ſuavitate capiebat. Non tamen abfuit omninò ab accubitu illo myrrhæ ſelectæ ſurculis concinnatus faſciculus, tunc ſanè prælibatus, poſtmodumque depaſcendus; futuræ quippe ariditatis, laboriſque acerbi, quem perlatura eram imperante ſponſo, meis oculis fuit imago repente objecta: ut riſum præſentem venturi luctus imago temperaret. Arcanum quiddam ſponſa retexit, quod neutiquam oſcitanter præteriri debet. Sapientis conſilium eſt perquam opportunum, fœlicitate non efferri, ſed inſtantis calamitatis meminiſſe; ſicut enim humanus animus moderationis admonitus, proſperitate parcè utens ad calamitatem ferendam æquanimiter ſe comparat. Proſperitate vires concipit, & armatur animus futuri memor, ac proindè non ſuccumbit irrumpenti adverſitati. Cujus ſanè dogmatis ſponſus ipſe fuit aſſertor, cùm in Taboris montis vertice, quò nos erudiret, dum mortale corpus gloriæ quadam brevi exundatione abſorberet, Moyſen & Heliam accerſit, non de præſenti effaturus gloria, verùm de exceſſu, quem (ut ait ſacer textus) completurus erat in Hieruſalem, hoc eſt, de acer-

In felici ſtatu de calamitoſo cogitandum.

Exemplum Chriſti.

acerbissimo genere mortis myrrhæ symbolo notatæ, qua erat interimendus. Monet igitur nos sponsa dogmatis hujus non ignara, se adhuc nardo arcana fruentem, ferendi laboris philosophiam (velut alterum Joannem) ex sponsi pectore hausisse, ac tum deliberasse, quascumque inferendas sibi ærumnas, vel optandas ultrò, generosè subire, austerioriscque vitæ inire rationem; quæ quidem omnia laborum genera, unius arbusculæ myrrhæ significatione celantur. Nimirum arbuscula hæc in Arabia nascens, minor quàm thuris arbor, altitudine ad quinque ferè cubita adolescit. Convenit autem inter auctores, qui hac de re scripserunt, eam esse scabram, spinosam, foliis aculeatis, caudice duro & intorto, è cujus vulnere defluit lacryma gustu acris, cum amarore, quæ glutinandi, siccandi, & abstergendi vim habet egregiam. Quæ quidem omnia adeò sunt apta ad vitæ austeritatem pingendam, ut ne voto quidem aptiora possent excogitari. Vitæ videlicet austeritas est herinaceus quidem contractus, ac in se convolutus, cujus hæc arbor elegans imago est; quam si velis attrectare, scabro cortice, aculeisque foliorum lædaris, aut pungaris oportet. Si ejus lachrymam vel primoribus labiis deguste, acrimonia, & amaritudine infesteris opus est. Et hanc viam salebrosam, rupibusque rigentem prius debet carpere, quam in Paradisi convolet amœnitatem, qui ad charitatis fastigium pervenire contendit; sic enim tamquam myrrhæ pharmaco resolutus, luxu glutinatur, ac constipatur animus, arente humore noxio, qui ante in sinus ejus permearat, & acrimonia vitæ affectum scalpente detergitur. Quæ omnia penitissimè sponsa contemplans, velut in montis vertice consistens, dum nardi voluptate delinitur, agit cum sponso de excessu, hoc est, de semetipsa vexanda, & austeritate crucianda ob ipsius sponsi amorem ardentissimum, qui propterea myrrhæ fasciculus appellatur. Nempe dum mulcet, ac delectat, nardus, dum labores immittit, aut præcipit, myrrha, pulchra translatione vocatur. Ut verò liquidò perspiciatur, quàm avidè sponsa charitate saucia laborem ab sponso impositum subire constituat, subjuncta verba plurimum conferunt:

Myrrha in Arabia nascitur.

A

Vitæ austeritas quasi herinaceus.

B

Inter ubera mea commorabitur.

PARAPHRASIS.

D *At verò inter uber utrumque reponam illum, cùm laborem amarum utroque septum, amore complectar, & perferam.*

NOn ægrè feram myrrhæ puncturas, & amaritudinem, nec ad inhonesta loca reiiciam fascem ab sponso mihi porrectum; verùm in loco omnium potissimo, ac maximè conspicuo reponam; inter ubera videlicet, ut inhæreat pectori, uberibus sepiatur, more amantium puellarum. Notissimum est ubere, amorem notari; est enim amor suopte ingenio tener, ac dulcoris effector, & suo quasi pondere in rem dilectam fertur; sicut uber constitutione sua est molle, lactis, quod facilè reddit, plenum, & corporis angustiam non ferrens extumescit, ac pondere suo in fœtum procumbit. Myrrhæ igitur manipulum inter ubera sponsa collocat, cum amore gemino, Dei scilicet, ac proximi, & laborum acerbitatem, & austeritatem vitæ, velut brachio amplectitur utroque. Profectò insignis est in hujus verbis textus energia. Fasciculus quippe myrrhæ locatur inter ubera, loco videlicet cordi proximo, & quod mirum est, non brevi manet ibi, quasi confestim elidatur, sed commoratur. Pugnat nimirum aperto Marte hæc lex spiritus, cum lege membrorum, quam generis nostri maxima pars amplectitur. Cùm enim sponsus se quasi resurgentem, gloriaque coronatum, læta nunciantem exhibet, passim locatur inter ubera, cum verò fit myrrhæ fasciculus, & amaritudinem ingerit, vix invenit locum cordi propinquum, sed ægrè recipitur collo impositus gravis jugi modo statim detrectandus. Si verò fortè à quopiam spiritu vehementi flante ponitur inter ubera, non sinitur ibi commorari, sed evestigiò repellitur, raroque à quopiam hic mirrhæ fasciculus cordi inculpitur. Ex quo patet sponsam jure laudari debere, quæ illum inter ubera reposuit, & ibi commoraturum pollicetur. Hæc sanè laus eximia est, quæ in sponsæ lucet ornatu, quæ ad absolutam magnoperè confert venustatem. Anxietatem quippe sive aliundè illatam, sive ultrò quæsitam, non coactè, non molestè ferre, sed amore impellente complecti, egregium facinus est, quo Deus capitur quàm facillimè. Est autem clementissimi sponsi adeò liberalis natura, ut cùm voluntatis expeditionem, tanquam è specula prospexerit, accurrat ipse, & ipsam voluntatem non modò afflet, verùm præ immissa voluptate sensum doloris elevet, quod sponsa fatetur ajens:

Uber amorem designat.

E

Amor Dei & proximi.

F

V. 13. Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi:

H

PARAPHRASIS.

Humanè mecum agit sponsus, nam vino generoso, quod botrus notat, propinato, me tanquam sensu alienat, ne admodum myrrhæ amaritudinem formidem, aut sentiam.

APud nationes aliquas mos olim invaluit, ut morte plectendis, commiserationis ergò, vinum generosissimum propinarent, ut illius haustu præventi, ac sensuum usura non parum alienati, inferendi supplicii acerbitatem minimè sentirent. Ad morem hunc satis humanum, ac lenem sponsa vide-

Mos antiquus apud aliquis nationes,

Scripta An. 1593.

videtur alludere, cùm sponsum, qui myrrham interdum porrigere, hoc est, inflicto laboris verbere, ac examine ipsam solet acriter cædere, ac velut patibulo affigendam tradere, fatetur adeò esse humanum, & ad commiserationem propensum, ut cùm ipsam immissa calamitate, & ariditate, tanquam myrrhæ liquato poculo vult experiri, laboribusque obruere, vel certè, cùm ultrò ipsa se torquere parat; tunc ille vino propinato, quod Cypri insulæ generosi vini feracissimæ botro notavit, sponsam ipsam consopiat, doloriſque sensum miro modo elevet. In hunc ergo modum effatur sponsa; Etsi sponsus, ceu myrrhæ gustatus flos me interdum amarore divexat, est tamen ipse humaniſſimus, cum quo ab infantia crevit miseratio, ac proindè velut expresso botro, vinum offert, cùm me voluptatis influxu demulcet, sensibusque quodammodo præ suavitate alienat, ut parum formidem, ac sentiam permixtam dulcori myrrhæ amaritudinem. Quod autem subtexit, in vineis Engaddi, qui locus est in Iudæa vitium satu nobilis, ad eandem facit explanationem. Est autem phrasis poetica, botrum in Engaddi nascentem, nuncupare Cypri botrum, ad ejus generis perfectionem explicandam, quemadmodum Leones Pœnos, Tigresque Armenias, quamvis nec in Aphrica, nec in Armenia nascentes, figuratè vocamus. Interpretatio hæc nomine Cypri, insulam intelligens, huic loco satis est opportuna; quam profectò non debuisset licenter adeò quidam recens hujus libri interpres expuere, ac nimiam illi imperitiam adscribere, cùm sit clarissimorum Cantici hujus explanatorum consensio, Cyprum hîc insulam esse uvarum proventu laudatissimam. Sic existimarunt S. Gregorius Papa, S. Bernardus, Venerabilis Beda, S. Anselmus, Rupertus Abbas Tuitiensis, S. Thomas, Dionysius Carthusianus, & alii. Nec mirum, aut novum censeri debet nomen Cypri, quod infrà capite quarto, aromatis genus significat, ac eisdem, quibus hic characteribus scribitur, [est enim utrobique Hebraicè כֹּפֶר Copher] varios sensus reddere; nam ex quovis etiam vulgari idiomate promi possunt voces ejusmodi varia sensa claudentes. Et quidem si auctor ille ideò Copher vel Cyprum ait insulam non significare, quia illud aroma significat, necesse erit, ceteras omnes interpretationes, præter unam illam suam, ineptas esse, ac propterea nobiliſſimos quosque explanatores, non Latinos tantùm, verùm & Græcos explodere. Porrò Origenes juxta S. Hieronymi versionem botrum floritionis, pro botro Cypri transtulit, cui Theodoretus, Psellus, aliique Græci botrum florentem exponentes, astipulantur. Gregorius Nyssenus Cyprum florem vitis asseruit. Rabbi Abr. in Epitome thesauri linguæ sanctæ allegatus, putat esse nomen loci, ubi botrus provenit, vel genus palmæ gignentis dactylos. Chaldæus paraphrastes botrum uvarum vertit. Lyra censuit esse aromaticam, nomine Cyprum, nec qualis esset, satis exposuit. Alii denum censuerunt esse medicamentum quòdam, quod Arabibus Capur, seu Casur appellatur, veteribus Græcis ignotum, recentioribus autem καφουρα appellatum. Latini Caphuram, officinæ Camphoram vocant, & sic Isidorus, Clarus Brixianus botrus Camphoræ transtulit. Hæc paulò fusius præter consuetudinem scripsimus, ut SS. Patribus deferatur honor: est quippè liberum cuique, quam maluerit interpretationem communi sanctorum Patrum sententiæ non repugnantem, aut dissentaneam seligere; non autem imperitiæ notam Sanctis inurere, ubi notandum est allatam de Cypri botro interpretationem semper manere inconcussam, licèt enim, omnes allati Patres per Cyprum insulam illam intellexerint, satis profectò est, communem esse sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum consensionem, botri nomine, uvarum racemum intelligi debere, sive is ex Cypro insula, sive aliundè sit. Interpretatio quippe nostra non insulæ Cypri, sed botri significatione nititur. Nunc denum Copher ultimam quam attulit significationem persequar, secundamque huic loco interpretationem affigam. Qui accuratè de aromatibus Indicis scripserunt, tradunt Copher, seu Caphuram esse arborem nuci juglandi similem, cujus materia cinerei est coloris, faginæ assimilis, interdum nigrior, & mediocriter solida. In hujus arboris ligni medium gummi quoddam excurrit, quod postmodum extrahitur, aut per rimas exsudat, quod cum concreverit, facilè in botri, aut cujusvis alius rei figuram compingi, & informari potest, non enim arbor illa fert botros. Tria verò notatu maximè digna de hoc gummi à probatis auctoribus excerpta, prætereunda non erunt. Ajunt Caphuram in aqua flagrare: deindè tradunt eam humore madere, si in recenti & calido pane condatur. Ajunt denique, nisi sedulò asservetur ex operculatis etiam thecis nonnumquam evanescere. Quæ profectò tria sponso impendiò conveniunt, ut non immeritò botrus Copher sit appellatus. Etenim in hoc spirituali humani generis cataclysmo, quo aquæ culpæ hyemales, tum origine permanantes, tum voluntate prava erumpentes, mundum obruerunt, & ignem charitatis extinxerunt, in medio ipso diluvio extans, & erectus fluctibus ipsis velut oleo pascitur, & more lampadis accensus flammam charitatis emittit, quam flumina nequeunt obruere. Sic ergo in aqua sponsus flagrat. Jam autem, si postquam ille ventum emisit australem, qui aquas diluvii hujus absumeret, & humore culpæ noxio demum excocto, anima spiritus flantis cœlestem calorem conceperit, ut panis recens appellari queat, tunc sponsus arcano quodam illapsu animam ipsam cœlestis gratiæ, ac voluptatis rore conspergit, aquamque diluvii infectam hoc rore permutat, ac proinde verum est ipsi-

A B C D E F G H I

Interpretes Cantici Canticorum.

Altera Textus explicatio.

Caphuræ proprietates

Paraphrasis Chaldaica. Nicolaus de Lyra.

Scripta An. 1598.

ritalem Caphuram recenti pane concluſam humore madere. At tunc, niſi condita ſemel perquàm ſedulò aſſervetur, elabitur quidem & evaneſcit, quod altè memoriæ ſculpendum eſt; nam ſi ſponſus (qui hac proprietate Caphuræ velut effigiatur) ſemel ſit a ſponſa dignè exceptus, & tamquam operto vaſe incluſus, non continuò tanti Regis magnitudini ſatisfactum eſt, nec eſt umquam ab ejus cultu, & veneratione ceſſandum, alias irritatus aufugiet. Nunc igitur Spiritus ſanctus hæc & alia plurima Cypri botro complexus, ſponſam introducit ſic ajentem: Botrus Cypri dilectus meus mihi, hoc eſt, ſponſus tamquam racemos Caphuræ compactilis fuit, mihi lampas quædam, dum ego olim ſcelerum aquis fluctuabam, quibus ipſe velut oleo utebatur. Poſtquam verò prævaluit lampadis flamma, & abſumpſit aquas, ipſius ego calorem concepi, ac recens quidam panis evaſi ipſius humore reſperſus. At modò multò mihi vigilantiſſimè enitendum eſt, ne ulla noxa laceſſitus effugiat; omnes pori ſunt obturandi, omnes meatus obſtruendi, habeo quippe theſaurum in vaſe fictili, quod eſt multis caſibus obnoxium. Hactenus de ſecunda expoſitione dictum ſit, quæ primæ minimè reluctatur. Utraque verò confert, ut clarè cernamus, ſponſus quàm ſit erga ſponſam humanus, & quàm curet ſedulò myrrhæ amaritudinem cum ſuavitate miſcêre. Jam autem longum iter emenſi, ſponſum audiamus laudes ſponſæ rependentem.

A

B

C

SPONSUS.

℣. 14. Ecce tu pulchra es amica mea. Ecce tu pulchra es.

PARAPHRASIS.

Bis pulchra es, ô ſponſa, & ideo pulchra, quia per charitatem, veram nempè animæ pulchritudinem, es effecta amica mea. Interna tua pulchritudo partium animæ concordia, & proportione cum ſplendore conſtat. Externa verò exteriorum actionum moderatione concinna cum ſplendore conflatur.

D

Pulchritudinis delineatio.

BIs pulchram appellat. Eſt autem pulchritudo debita membrorum proportio cum quadam ſuavitate coloris. Oportet ergo duplicem eſſe proportionem, duplicem etiam coloris temperiem, ubi gemina elucet pulchritudo. Quod profectò ita eſt accipiendum: ut altera interna ſit, & externa altera, utraque tamen longo diſſita intervallo à corporis ea pulchritudine, qua ſceleſti etiam homines perſæpe ſunt præditi. Prima verò ac princeps pulchritudo, qua ſponſa præſtare cernitur, ex debita potentiarum animæ proportione conflatur. Potentiæ quippe tranſlatè membra dicuntur animæ, quæ ſi officio fungantur velut harmonicè diſpoſitæ, ſibi mutuò connexæ abſque ordinis perturbatione, obtemperante rationi appetitu, ac ejus partibus, mira tunc exiſtit concinnitas, quæ quamdiu perſtitit, Adæ anima pulcherrima fuit. Et hujus harmoniæ ſolutio, propria eſt & nativa deformitas, quam & origine contrahimus, & peccatis augemus. Ex hac denique harmonia partium animæ quidam ſpiritalis ſplendor elucet, qualem armis obſepta ſplendentibus, emittit caſtrorum acies ordinata, & hic eſt internus color, quem ſponſus avidè intuetur. Eſt autem animadvertendum, & proportionem, & colorem hunc non animæ partibus ipſis ſua hærere natura, ſed eſſe cœlitus elapſum infuſis virtutibus ad internam ſponſæ faciem honeſtandam. Hæc prima pulchritudo, & origo ſecundæ. Porrò qui primam illam & principem venuſtatem adepti ſunt, cum externas obeunt functiones, in exemplar ſibi oſtenſum mentis aciem intendentes, motus ſic moderantur univerſos, ut in ipſis externis actionibus mira ſit concinnitas, & harmonia, nihilque in eis perſpici poſſit, quod non præferat honeſtatem. Tempus, modumque obſervant, nihilque aggrediuntur, niſi tempeſtivè, ac prudenter. Hæc ergo actionum concordia proportio eſt, ex qua etiamnùm ſplendor enitet, ſpiritali ſolùm intuitu perceptus, quem colorem metaphoricè nuncupamus. Videtur autem hic ſplendor ex ſponſi aſpectu, in quo ſponſa conſiſtit, acceptus, ac in ſpiritales intuentium oculos velut à terſo quopiam corpore, reflexus. Adhuc enim in externos actus ſe promit ſponſi lux. Ab hac igitur duplici pulchritudine ſponſa meritò commendatur. Inquit ſponſus: Ecce tu pulchra es amica mea, quaſi planiùs dixiſſet, ideò tu pulchra, quia amica, pulchritudo enim hæc ſponſi eſt amicitia, charitatis fœdere ſociata. At quia longum eſſet ſponſæ laudes, vel curſim percenſere, ceteras formæ partes omittens, in unos oculos vim laudis effundit, ajens.

Duplex pulchritudo, interna, & externa.

Animæ in ſui creatione pulcritudo, & ſplendor.

E

Animadverſio.

Myſtica ſponſæ pulchritudo unde!

F

G

Oculi tui columbarum.

PARAPHRASIS.

Habet ſimplicem intuitum nil mali cogitantem, ſed in bonum finem cuncta dirigentem, unde tota pulchra es.

H

VUlgatum ſatis eſt, quam intentionem Philoſophi vocant, oculorum ſcopum intuentium ſymbolo notari. Columbam etiam eſſe animal ſimplex, ac intentionis proinde ſynceritatem, ac rectitudinem præ ſe ferre, nemo eſt quem prætereat. Felle caret, & quamvis pullis orbetur, ad eoſdem dominos, eaſdemque revertitur ædes, nihil enim mali ſuſpicatur, aut refugit: quod ſynceritatem cordis ſponſæ ſatis aptè delineat. Habet etiam hoc, ut aucupem retia tendentem

vide-

Scripta An. 1598.

videre, aut vitare non magnopere curet, quemadmodum alia vafritie prædita animalia, quod ad ſimplicitatem aſtruendam plurimum conducit. Eſt præterea in columbarum oculis laude dignum, quòd toti quaſi figuntur in re, quam aſpiciunt, ut apertè pateat, quorſum aciem dirigant, non ut vafrorum animalculorum, ut vulpium oculi, qui ſimulati, ac duplices, dum hùc videntur aſpicere: illuc aciem dirigunt, captantes prædam, vel fugam, ex quo etiam oculi ſponſæ ſatis commendari debent, qui toti ſunt in ſponſo defixi, nec nutant, nec aliò ſe vertunt, cùm ibi collocatum habeant omne bonum. Unos igitur ſponſus, quos efferret, elegit oculos columbæ, quia per hos emphaſi ſatis idonea, totius corporis, & ſub typo corporis animi totius pulchritudo notatur; ſicut ſcriptum eſt, Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Cernens nunc ſponſa ſe à ſponſo laudari, non patitur cunctationem: ac propterea, ocyſſimè accurrens, laudem non ſibi, ſed ſponſo jure ſuo deberi teſtatur; propalatque ſuæ pulchritudinis, ac venuſtatis originem, ajens.

Columbæ, & vulpis oculorum diſcrimen.

A

B

Matt. 6. 22.

SPONSA.

℣. 15. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus.

PARAPHRASIS.

Duplex mea pulchritudo à te duxit originem, qui bis pulcher, & effector pulchitudinis es.

Sponſus Chriſtus Deus, & homo.

QUod ais, ô ſponſe, me bis pulchram, tibi acceptum refero, qui, quà Deus, es ipſamet pulchritudo, & quà homo, intus es pulcher, extràque decorus. Cùm autem ſis ipſamet pulchritudo, me inter creaturas alias ipſius efficis paticipem. Non enim ego pulchra eram, ut te meà venuſtate ad amandum permulcerem, ſed ex amore antiquam meam deleſti deformitatem, tuamque mihi ſimilitudinem impreſſiſti, unde pulchra tuo munere evaſi. Sanè tuus decrevit pater electos omnes conformes fieri imagini filii ſui, quamobrem velut prototypum te conſtituit, noſque ad exemplaris formam expreſſit. Nunc poſtquam ſponſa ſe undecumque ſimilem ſponſo animadvertit, quoniam ſimiles animi, ſicut etiam corpora facillimè, ac arctiſſimè conciliantur, ipſa id ſimilitudine ſuo jure poſcente; ſic eloquitur:

C

Lectulus noſter floridus.

PARAPHRASIS.

Voluntas velut lectus virtutibus, quaſi odoratiſſimis floribus ſtratus, nos manet per omnia ſimiles: cubemus ergo ibi, ac mutuis amplexibus fruamur.

D

SI ergo ità ſe res habet, ut conjux uterque ſit inſignis pulchritudine; cum præter coniugii fœdus ipſa per ſe ſimilitudo ſit efficaciſſima, ad ſimiles inter ſe arctiùs ſociandos, æquum omnino eſt, ô ſponſe divine, ſpiritalis, ac interni tori arcana petamus. Eſt nimirum torus floribus odoratiſſimis ſparſus, qui ſponſorum mos eſt ad voluptatem augendam. Profectò lectulus, aut torus, in quo ſponſus libentiſſimè cubat, & cum ſponſa mutuis amplexibus quàm caſtiſſimis fruitur, ſpiritale cor, ſeu voluntas eſt, in qua vis eſt amandi; in qua totius rei cardo vertitur, cujus affectum ceù ſtratum lectum identidem ſponſus ab ſponſa repoſcit, crebrò repetens illud, Præbe mihi cor tuum. Hoc in lectulo ex univerſorum Theologorum aſſertione virtutum principes tum thelogicarum, tum moralium reponuntur. Ibi charitas cum comitatu affectuum, nomine quidem ſimilium iis, qui in appetitu ſentiente excitantur, genere verò multò excellentiorum. Ibi juſtitia virtutum ad mores ſpectantium principes cum prole numeroſa, ſub qua religio, quæ cæterarum principatum obtinet, ac ſponſo cultum, cæremoniamque affert. Hi ſunt flores odorem divinum latè fundentes, quem quidem odorem ex ipſius ſponſi commercio hauſerunt. Cùm enim charitate, ac religione velut quibuſdam brachiis Sponſum amplectatur ſponſa, non poteſt odorem Chriſti ſuaviſſimum non contrahere, ac ſemel contractum, quia hæret arctiſſimè, diù conſervare. Cupit ſponſa non perfunctoriè ſponſo conciliari, ac hærere, quemadmodum ſolent ii, qui inter ſe non ſyncerè amant, ſed arrepta opportunitate cum alienis conjugibus in conductis lectis obſcœnè cubant, ſed in æde ad hoc extructa vitam cum ſponſo degere, definitis divino conſilio temporibus, jure matrimonii torum petitura. Quod proxima verba declarant.

Lectulus; Cor, ſeu voluntas.

E

Prov. 23. 26.

℣. 16. Tigna domorum noſtrarum cedrina; laquearia cypreſſina.

F

PARAPHRASIS.

Ingrediamur domum tignis, & laquearibus affabrè conſtructam. Tigna, quibus anima mea, quæ domus eſt noſtra, multis potentiarum diſcreta cellis, fulcitur, virtutes ſunt cedro in corruptione perſimiles. Laquearia verò una efficit charitas toti contignationi, ac domui decorem veræ virtutis impertiens, quæ cypreſſi, & firmitate, & fœcunditate notatur.

G

DOmos plures figuratè vocat unius domus plures receſſus, vel cubicula. In hunc ergo modum ſponſum affatur; tutò poſſumus (ô ſponſe) cubare, ſimulque quieſcere. Habemus enim domum benè conſtructam, ſartam, & tectam, & quod ad voluptatem facit, etiam ornatam. Tigna, quæ ſtructuram fulciunt, & ſuſtinent, firmiſſima ſunt, corruptelæ minimè obnoxia, qualem eſſe conſtat

H

Sponſæ adlocutio.

Quid tigna, & laquearia in domibus.

Scripta An. 1598.

ſtat cedri materiam, Laquearia, quæ tectum tignis cedri ſubnixum exornant, è cupreſſo arbore odorata, & fæcunda fabrefacta ſunt, ut ob cedrum tuti, & ob cypreſſum odore recreati, ac prolis ſpe non ſimus deſtituti. Porrò ſi tignorum ſpectemus obſequium, liquidò perſpiciemus, iis ſaltem adumbrari virtutes potentiis (ut philoſophi ajunt) hærentes, earumque vim fulcientes. A Collaberetur enim domus hæc animæ ruinam vitiatæ naturæ minantis, niſi ſapiens architectus ſponſus hæc tigna ſuppoſuiſſet, potentiasque iis fultas ſua ope firmaſſet. Ut verò hæc firmitas luculenter exprimeretur, nihil aptius, quam cedrinæ materiæ incorruptio potuit excogitari. At ſi laquearia perpendamus, quæ tecti ſunt ornamenta, domumque totam honeſtant, & materiam cupreſſi contemplemur, veram quandam charitatis comperiemus effigiem, ad domum ſponſæ perficiendam opportuniſſimam, & velut è tecti factigio toti ſtructuræ præſidentem. B Conſtat proculdubiò, ſi de ſpiritali generatione ſermo fiat, miram vim generandi ineſſe in ipſamet charitate, cujus vi à viris perfectis proles quotidiè creſcit numeroſa, quam amore primùm Deo concipiunt, deindè alunt, & ad incrementa perducunt. Quam ſanè charitatis excellentiam, etſi ſponſa non ſit hactenus aſſecuta, ex incredibili tamen ſponſi humanitate, qua ſe demulceri conſpicit, non temerè præſagit ex ſe ſponſum prolem ſuſcipere parare; cujus certè præſagii non eſt exiguus fomes, jam lectum apparatum eſſe, in quo ſit cum ſponſo cubitura, & amplexu caſtiſſimo fruitura. Hoc ergo ex præſagio introducit Spiritus Sanctus ſponſam de lacunari cupreſſi ſponſum monentem, quo notatur charitatis ingenium. Eſt quippe in hac arbore ſexus duplex, cupreſſus nempè mas, & in latum ramos ſpargens: & fœmina, cujus meta in faſtigium convolvitur. Non niſi in locis calidis ſpontè provenit. Eſt præterea arbor hæc trifera, ter ſcilicet fructum quotannis ferens, ejuſque baccæ Januario, Majo, Septembrique colliguntur. Cariem denique non ſentit. Omnia nimirum hæc caſtum ſponſi utriuſque congreſſum, media charitate factum, ſatis aptè commonſtrant. Sponſum, ac Sponſam una charitas, ſicut una hujus arboris natura ſexum amplectitur utrumque. Quod locis tantùm calidis ſpontè naſcatur, nota eſt incendii, quod charitas in mutuò amantibus optat. Quòd ter fructum edat, ſymbolum charitatis fœcundiſſimæ ſub ternarii numeri perfectione exiſtit. Quod verò cariem non admittat, numquam excidentem charitatem oſtendit. D Cùm ergo cupreſſi arbor ex tot capitibus charitatis exprimat naturam, quid ſibi vult hæc ingenioſa laquearium ex cupreſſo ſtructura, quæ tigna ipſa, totamque domum velut emblemate quodam exornat, niſi apertè notare, cæteris omnibus virtutibus per tigna ſignificatis, ex una charitate ornatum, ac decorem verum emanare? Enimverò, quantamcumque vim arcana virtutum tigna potentiis, in quibus reponuntur, impertiant, decorem tamen verum impertire nequeunt, cùm & ipſæ illo careant, niſi ex charitatis imperio, ac motu ad eas ille derivetur. Non enim modò morales, verùm & Theologicæ virtutes reliquæ, ſi charitatis lacunar abſit, tametſi potentias utcumqe ſuffulciunt, veræ virtutis pulchritudine (ut eſt apud Theologos vulgatum) proculdubiò carent. Compendiò igitur agentes, ſponſam audiamus ajentem. Tigna domus noſtræ cedrina, laquearia cypreſſina, hoc eſt cubitum eamus (ô ſponſe) domuſque noſtræ ſtructura gaudeamus, quæ tignis virtutum incorruptione præditarum, & laqueari charitatis conſtat elegantiſſimo. Juxta textum Hebraicum, pro verbis modò explanatis, aliqui ſic vertunt (Tigna domorum noſtrarum larices, laquearia noſtra abietes,) laricis autem, & abjetis ſenſus arcanus idem eſt cum ſenſu cedri, & cupreſſi. Larix enim quia vim habet incorruptam, igni non cedentem, ponduſque validè ſuſtinentem, optimè convenit virtutibus, quæ tignorum inſtar animæ ædificium ſuſtinet, juxta ſenſum cedro accomodatum. Abies autem, quæ (ajente Plinio) ad tectum firmiſſima eſt, aptè congruit laquearibus, quæ pro tota concameratione, ſeu contignatione elaborata ponuntur. Arcanè verò abies, & quia proceriſſima eſt, & non in latera pronos, ſed in altum tendentes ramos habet, quorum ſi cacumina decidantur, emoritur, non verò ſi toti rami truncentur, divinam prodit charitatem inter virtutes altiſſimam, non pronam, vel languidam, ſed in altum ſemper elatam, cui ſi caput, hoc eſt, Chriſtus, cui hæret, præcidatur, emoritur, non verò ſi aliàs tota lanietur, hoc eſt, torqueatur. Hæc toti præſidet ſtructuræ, totamque domum ſponſæ honeſtat, ut meritò ad illam ſponſus invitari poſſit. Nunc verò ad G ſermonis concinnitatem expendendum eſt, ſponſum non ad quemvis domus ſponſæ receſſum, ſed ad intimum potiſſimum, ubi lectulus floribus ſparſus apparatus eſt, invitari, ac proindè ſecundo capite ſic ſponſus eloquitur.

E

Cupreſſi natura. C

Laricis natura. F

Abietis natura.

CAPUT II.

SPONSUS.

℣. 1. Ego flos campi, & lilium convallium. H

Æquum eſt torum floridum adeamus: Nam ego (ſponſa mea) flos ſum ex Jeſſe radice in anima, quæ curarum ſæculariium vomere non finditur, campo ſignificata proveniens. Et tamquam lilium, quod intra florem candidum, luteum habet floſculum: ego intra candidiſſimam humanam naturam, aurea-

Scripta An. 1598.

ream continens divinitatem, tanquam hoc (inquam) lilium convalles humilium amo.

MInimè mirum est, si torum floribus sponsa dicat sparsum, cum in eo ille conquiescat, qui iuxta priscum vaticinium de radice Iesse flos est, & qui modò inquit, Ego flos campi. Arcanum autem quiddam indicat adiunctum campi nomen. Sponsus quippè non est flos agri, in quo quid scinditur arvi, vel ruris, quod vomerem, sarculumque perpetitur; sed campi prorsus intacti, cœli verò solius elementis fœcundi, floribusque vernantis. Animæ videlicet, quæ sæculi curas vomeris instar terram cordis proscindentes, ad scelerum sementem excipiendam minimè patiuntur, vel admittunt, quibus intacti campi propriè quadrat appellatio, florem hunc planè divinum gremio, in quo tanquam in solo pingui ocyssimè coalescit, excipiunt. Editio nostra florem sine discrimine sponsum appellavit. Ex Hebræo tamen aliqui pro flore campi, Rosam Saron transtulerunt. Saron regio est inter Tabirinum montem, & lacum Tyberiadis, & à Cæsarea usque Ioppen protensa, pinguis, ac fertilis. Huius ergo regionis, quæ ob fertilitatem significat animam iustam, se sponsus rosam nuncupavit: Talem nimirum in hac nostra regione, quam ipse coluit, ac fertilem reddidit, se exhibuit, qualem se rosa germinans exhibere solet. Germinat enim illa granoso inclusa cortice, quo mox aperto, rosa rubens se prodit, & suam pulchritudinem ostendit, ac fundit odorem. Sic quippè sponsus cortice corporis inclusus ibi germinavit, dum in corpore actus meriti, ac satisfactionis exercuit. Latuit tamen tunc. Posteà verò cortice rupto se prodidit divinitas, vimque suam tum in orbe nostro, tum in infero propalavit, odoremque suum mundo toto profudit. Hæc tamen arcana rosa non cujusvis est loci, sed Saron, quod interpretatur, planities, quia videlicet non confert suam pulchritudinem, ac odorem animabus elatis, sed planis, hoc est, humilibus, quæ convallium etiam nomine notantur. Hæ quippè animæ sunt convalles illæ, quæ mundi ambitu, fastuve non elatæ in humillima imbecillitatis propriæ cognitione subsidunt, ac cælestium donorum imbres hinc inde, velut è montium verticibus ad convallem excurrentes loco in humiliore concipiunt. Cùm enim animi montium instar elati delapsum divinæ largitatis rorem sua convexitate sinus expertè repellunt, ordine providentiæ mirando, ad humilium convallem decurrit, & sic non habenti in semetipso, quod in divina largitate habebat, aufertur, ac datur habenti. His igitur in vallibus sponsus lilii significatus imagine, suavi quadam enascitur cultura, quæ nec vomerem experta est, nec ligonem. Expendenda verò est lilii ad sponsum perpulchra translatio. Sanè præterquam quòd lilium inter flores est maximè excelsum, quo sponsi notat celsitudinem, ipse lilij candor in florestriato primum commisso, mox aperto, atque repando, purissimam & candidissimam indicat sponsi humanitatem, nulla culpa, vel umbra obtenebratam, ita ut quod de ipso, quà Deus est, Spiritus sanctus effatur ajens, Candor est lucis æternæ, servata mensura, ac proportione de ipso, quà est homo, possit sapienter enunciari. Jam autem luteus, & aureus ille flosculus intus enascens in lilio Divinitatis, quam humana celat natura, symbolum præfert. Apertissimum est quippè auro regiam significari majestatem, sub qua antonomasticè sponsi divina majestas jure suo debet intelligi. Hæc sponsi est laus, qua semetipsum commendavit, quasi viam sternens ad sponsam ex eodem capite commendandam. Nullo enim pacto eam veriùs valebat extollere, quàm seipsum prius efferens, suamque imaginem sponsam esse declarans, ac propterea cum se lilium asseruerit, sponsam etiam lilium esse testatur, ajens:

Isai. 2. 1.

Saron regionis nomen.

Antonomasia.

℣. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

PARAPHRASIS.

Tu etiam, sponsa mea, ceu lilium candens me intus, ut aurum contines splendentem, ut in medio tui cordis satum florem luteum, qui ex medio albo lilii flore consurgit. Et tua magis splendet pulchritudo, quòd inter horreutes sæculi filias spinis similes creveris, nec ab eis ullo modo læsa fueris.

APtè ratiocinans mea intulerat sponsa, nos cubitum simul ire debere, mutua pulchritudine fruituros, quos similis venustas conciliabat. Porrò sicut ego sum lilium, ita & ipsa lilium est. Candida quippe est ipsa, ceu lilii flos latior, è cujus ego medio, ut aureus flosculus exsurgo; ipsa puritate albet, ego majestate regia, decore aureo splendeo. Crevit valde sponsa inter filias sæculi, ex quarum ipsa numero fuerat eodem genere, sanguineque concreta. Nunc autem, mutata forma, mira ejus elucet pulchritudo inter spinarum horrorem, quò enim hic incultior, illa comptior apparet. Et quod admirationem auget, ipsius est inter tot hostes immunitas; inter spineta quippe non læditur, sed crescit, clypeo virtutis obsepta. Profectò filiæ hoc in loco, sæculi hujus, non sponsi sunt intelligendæ, ut spinarum illis congruat similitudo. Animæ nimirum, quæ satæ sunt in arente mundi terra, quæ spinas tantùm, ac tribulos proferre novit, aculeis horrentes enascuntur; quas si vel levissimè attrectaveris, à punctura non eris immunis, eò præsertim, quòd ipsæ malignitatis nativæ aculeos, tanquam infestas hastas, in justorum synceritatem, & candorem intendunt. Inter has autem spinas versari, ac more lilii caput erigere, punctoris non modò non interire, sed ne lædi quidem, & languere, eximia sponsæ laus censeri debet, ac multò sanè

Filiorum nomine quæ intelligantur.

Lilii qualitas

Scripta An. 1598. nè major, quàm si inter flores alios, in viridario consita, & sponsi cultura compta felicius crevisset. Candor videlicet animi inter homines sceleſtos non obnubilatus, virtutis solidæ, ac constantis argumentum est, quale in viro illo invictissimo Job inter ethnicos agente perspici potest. Mutuis laudibus certatur; nunc ordine observato sponsa in scenam ingreditur, ajens. A

SPONSA

℣. 3. Sicut Malus inter ligna sylvarum, sic Dilectus meus inter filios. B

PARAPHRASIS.

Sicut Malus colore, odore, sapore feras arbores superat, sic sponsus filios sæculi, qui sylvestres mores didicerunt, inter quos satus est ille, ut hi in ipsum inserantur, & fructum queant legis afferre.

Malus arborum princeps.

POrrò Malum arborum esse principem, agrestibusque seu feris arboribus longè antecellere, planissimum est. Filii verò (quemadmodum de filiabus proximè asseruimus) hujus sæculi veniunt intelligendi, ut sylvarum inculta, & austeros partus promentia ligna eis comparata docent. Inter hos ergo filios alienos sata est hæc sponsi C arbor nobilissima, cujus pomum fructus est vitæ, quo alimur, & fulcimur. Pomi certè gratia tribus sensibus idoneè distribuitur. Specie quippe aspectabili, ruboreque pallori admisto delectat oculos. Bono odore olfactum recreat. Sapore optimo gustum afficit. Quæ sanè tria sponso graphicè quadrant. Oculos nimirum aureo divinæ Majestatis colore, seu pallore, concretæque sanguine carnis rubore mirificè oblectat, dum fidei visu perspicacissimo percipitur Deus & homo. Olfactum suavissimo solatur odore, cum propinquiùs sponsa illum sentit in charitatis progressu. Gustum deniquè sapore afficit dulcissimo, cùm in contemplationis arcano sponsam dulcore permulcet, quo nihil in hac vita suavius excogitari potest. Notatione autem hîc opus est. Visu scilicet percipiuntur, quæ longissimè distant, odoratu, quæ propinquiora sunt, gustu quæ conjuncta, ac eadem proportione, fide sponsum èminus exploramus, charitate propinquiùs sentimus, vel olfacimus, contemplatione, in qua charitatis est perfectio, illum D experimur, atque gustamus. Mysterio autem non vacat. Malum arborem mitem in sylva inter feras arbores Deum posuisse, ac conseviſſe. Omne quippè genus hominum, ferarum & incultarum arborum sylva quædam est, & inter has sponsus divini spiritus arte satus est, ut feræ arbores mitescant, & explosis fructibus austeris, novos fructus edant, & eos quàm dulcissimos. Quod quia sine insitione fieri nequit, Pater æternus hujus arboris cultor sauciavit illam justitiæ falce, ut in illius vulnera præcisi, ferarum arborum surculi inserantur, & hac arte mira Mali sauciatæ vim hauriant, & supra naturam in mitem arborem inserti fructum possint legis afferre. Arboris certè hujus sponsa vim novit, ac sub ejus umbra recreatur, ejusque fructu planè divino alitur, quod modò fatetur inquiens: B

Pomi gratia tribus sensibus distributus.

Visus, odoratus, & gustus discrimen.

Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.

PARAPHRASIS.

Sub umbra protectionis sponsi, quæ est saluberrima, consedi, non pertransii citò, sed quievi, ut optâram; ac proindè ab æstu vitæ hujus grassante recreata sum, & in spem novam erecta. F

VEtus Hispanorum parœmia est (Quien a buen arbol se arrima, buena sombra le cobija) quæ sanè cùm alibi, tum maximè hoc in loco verissima est. Profectò veteres observavêre umbrarum discrimina. Quasdam umbras dixêre utiles, ut alni platani & aliarum arborum: quasdam noxias, ut juglandium, pinorum, piceārum, abietis, &, quibusque satis (ajente Plinio) umbra, aut nutrix, aut noverca est; quamobrem ait non fastidiendam, nec in ultimis ponendam hanc scientiam umbrarum. Ex quo patet sponsam prudenter egisse, cùm arboris hujus mysticæ umbram observavit, qua frueretur. Desideravit in ea sedere, quia novit inde se posse haurire salutem, & sic desideranti ea sessio divinitus concessa est. Quod Septuaginta Interpretum versio videtur innuere, sic ajens: In umbra ejus desideravi, & sedi. Hæc est umbra satorum nutrix. Cujus profectò umbræ saluberrimæ non debebat ullo pacto mentio præteriri, ad quam quicumque se recipit scelerum æstu fatigatus, divino munere recreatur, & ad spem patriæ cœlestis erigitur. Et quidem si priscorum Ecclesiæ primitivæ hominum cordibus de Petri virtute opinio insedit adeo magna, ut eo transeunte ægros exponerent, ut saltem illius umbra obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus; quanto est æquius hoc de arboris hujus umbra cogitare? Hoc ergo postquam sibi sponsa persuasit, non quæsivit umbram perfunctoriè, velut alia cogitans, & ad majora festinans, sed sub arbore consedit, quasi diu cunctatura, & umbræ salute fruitura; sic enim fieri oportebat, ad sedandum, quo diù flagrarât, desiderium. Ideò quippè significanter ait, se sub umbra non cujuslvis obviæ arboris, verùm ejus, quam desideraverat, sedisse. Homines verò, quia non sedent, sed ocyssimè transiliunt, etsi tantillum recreantur ab umbra; mox tamen ad æstum festinantes noxio calore torrentur.

Non omnium arborum umbra bona.

LXX. Interp.

Act. 5. 15.

Scripta An. 1598.

tur. Est autem mos sponsi regis munificentissimi, quos ad se confugere perspicit, regio excipere convivio, quod satis expressit in deserto, ac propterea cùm sponsam velut cervam canibus infestatam, ad ipsum cerneret accurrisse, symbolicæ arboris fructum carpi ab ea permisit, quod ipsa notat cùm ait:

A **Fructus ejus dulcis gutturi meo.**

PARAPHRASIS.

Arbor scientiæ in paradiso sata sponsus est, cujus proinde fructus est sapientia, quem ego gutturi voluntatis meæ dulcissimum experta sum.

MAli hujus proceræ, ramorumque ambitu perquàm latè patentis umbra fessa de via recreata sum, & fiducia erecta pomum carpo cælesti rore cónspersum, ac melle imbutum. Sponsus scilicet est arbor scientiæ, sub qua sponsæ animus, à peccatorum æstu

B refocillatus, illuc se conspicit admitti, unde primus generis humani parens est factus extorris. Et profectò arborem scientiæ fuisse Malum, & non arborem aliam, satis convincunt sacri textus verba, pomum à pulchritudine aspectabili, & suavitate gustus laudantia, quæ non adeò propriè aliis fructibus videntur congruere. Hujus ergo arboris fructus sponsi præ se typum ferebat, qui proculdubiò ipsum gustantes veræ sapientiæ compotes efficit. Sapientiam igitur unum ex Spiritus Sancti donis, quæ simul intellectum illustrat, & inflammat affectum (quæ à quibusdam mystica Theologia nuncupatur,) verum, ac genuinum arboris hujus fructum par est intelligere. Qui quam sit ad vescendum suavis, non orthodoxi tantùm, verùm & ethnici nosse videntur, qui in sapientiæ actu felicitatem collocarunt, cui senserunt summam inesse dulcedinem à purissima veritatis notitia, tanquàm à parente prognatam. Verùm isti hallucinantes de

C sua sapientia verba fecerunt, nos verò liquidò rem perspicimus, qui novimus in actu sapientiæ nostram fore beatitudinem, cujus quoddam specimen à veris sponsi contemplatoribus, adhuc in hoc exilio prælibatur. Sive igitur de Philosophorum sapientia, sive de nostra sermo fiat, compertum est, ab ea in affectam eximium permanere dulcorem, qui & sopire sensus, & super se hominem efferre valeat. Et quidem sapientia ipsa in intellectu, velut in propria sede reponitur, at organum, quo ab illa fluens percipitur suavitas, voluntas ipsa est, quæ arcanè guttur hoc in loco nuncupatur. Benè ergò, inquit sponsa, sub arbore scientiæ (quæ cùm sit notitia rerum per altissimam causam, sapientia est) consedi. Scientiam hanc summam comparavi, quæ est arboris fructus gutturi, hoc est, voluntati meæ notus experimento quam suavissimo.

Arbor scientiæ fuit Malus.

In sapientiæ actu consistit felicitas.

D Suavissimum se gustasse fructum Sapientiæ. quæ more generosi, vini inflammat voluntatem per subjecta verba sponsa patefacit.

V. 4. Introduxit me rex in cellam vinariam, E

Ut fructu vescerer, potumque arcanum sapientiæ ipsius haurirem, in contemplationis cellam, quæ ab effectu vinaria nuncupatur, me sponsus introduxit.

CUm effervescentem vitæ hujus noxio calore percoctæ fugiebam æstum, sicut Cervus desiderans umbram, sub umbram sponsi procurri, diù ibi morari decernens. Ubi me conspiciens urbanus & comis sponsus, non escam tantùm mihi porrexit, verùm & potum, quem ipse fæliciùs bibit in regno patris sui. Hæc est una sapientia, quæ una cùm sit, potus & esca, quia inebriat, & alit seu pascit, nominatur. Quam ut toto pectore haurirem, in altam me introduxit contemplationem, ob inflammationis effectum, cellam vinariam eleganter appellatam. Est autem avidè audiendum, quod intrà cellam sibi evenisse sponsa commemorat:

Sapientia potus & esca.

F **Ordinavit in me charitatem.**

PARAPHRASIS.

Amorem in centrum, ordinemque redegit, ut qui antè intensiùs voluptatem spiritalem, quàm Deum amabat, etsi Deum pluris æstimaret, nunc non solùm Deum pluris faciat, verùm & intensiùs amet. Amorem prætereà affectuum omnium principem in ordinem reduxit, ex quo mira enascitur cæterorum affectuum in pace consensio. G

CHaritas sive amor in ordinem digestus, multiplicem parit cogitandi ansam. Ordinare profectò nihil est aliud, quàm in ordinem redigere, quod extrà ordinem, vel chorum aberrabat. Quamobrem si sponsæ amor ordinatus est; extra ordinem antè vagatus fuerit, omninò consequitur. Quod fiet satis planum, si quæ superiore capite exposuimus, mente repetamus. Meminisse igitur oportet, sponsam voluptate captam, & dulcore ad sponsum allectam præsertim fuisse, nam osculum, unguenta, oleum, & id genus reliqua, quibus Deus illam deliniebat, suavitate madebant omnia, & infantilem ætatem referebant. Quæ propterea omnia procul arcenda sunt, amore forti, ac syncero regnante, qui nec indiget voluptate, nec labori succumbit. Præposterus erat ordo charitatis teneræ, nec adhuc nervos adeptæ ad sponsum prò voluptate hiare; licèt enim pravus non esset affectus, non erat tamen ordinatus. Deus nimirùm à charitate forti tàm quæritur ardenter, cùm cædit, & punit, quàm cùm lenit, ac blanditur. Introduxit igitur sponsam in cellam,

Quid sit ordinare.

H ut

Scripta An. 1598.

ut affectum ingenuum veri amoris, Deum primum propter ipsum, voluptatem mox ob eundem inquirentis præponeret alteri voluptatis affectui; ut posthàc non æstimatione tantùm (hoc enim habet etiam amoris infantia,) verùm & intensione maiore sponsum, quàm internam investiget suavitatem. Non ergo absque emphasi, sed significanter admodum sponsa eloquitur, inquiens, Ordinavit in me charitatem. Innuit præterea sub hac

A periodo, sponsum induxisse quandam affectuum omnium seriem, & consensionem ordine ipso mirandam, quam in utriusque appetitus affectibus cernere licebit. Porrò in appetitu sentiente, amor, qui primus, ac princeps universorum est affectuum, si reducatur in ordinem, ne quid turpe prosequatur, ne à quopiam abhorreat bono, ac verè pulchro, motus omnes alii rectà gradientur, & amore ordinem deserente, belluarum more, motus cœteri ferociunt, ac in turpe feruntur. Sic etiam voluntatis actus sentientis appetitus actibus persimiles, etsi passiones non appellentur, sed actus simplices, ab uno gubernantur auriga, qui est a-

B mor. Hic enim mox, ut ordinem à mente præscriptum ex bono & honesto præceps violarit, actuum voluntatis universorum perit harmonia. Si autem in officio perstiterit, mira est motuum consensio, & pacatissimus ordo. Quamobrem sapienter dici solet, Ama, & fac quod libuerit, si enim doctor navis clavam rectè torqueat, navis tota fœliciter navigabit. Ait itaque sponsa: Ordinavit in me charitatem, vel amorem, quasi dicat, affectum utriusque appetitus potissimum sponsus in ordinem redegit, unde motuum partis utriusque enata est concordia, cujus ergò in suavissimæ harmoniæ, pacisque bono conquiesco. Ex Hebraico textu, ubi sic habetur (Introduxit me ad domum vini; & vexillum ejus super me amor) eruitur altera satis arcana interpretatio. Porrò contemplatio domus vini est, ubi vinum generosum, quo voluntas inebriatur, hauritur. Ibi enim effervescit amor. In hanc ergo domum sponsus sponsam introduxit. Quod verò ait, & vexillum ejus super me amor, allusio est ad cellaria, ubi vinum vænire solet; præ quorum foribus hedera, vel aliud signum appenditur. In hunc enim morem pro foribus contemplationis amorem præfigit Deus, ut hoc insigni introducantur in cellarium contemplationis, qui amore ducuntur. Hoc verò insigne ingredientes, eam domum afficit, propterea super illos poni dicitur. Qua ex re patet, quàm rectè sponsa sic enuncier: Et vexillum ejus super me amor. Quod & ex re etiam militari, ubi, urbe capta, erigitur in mœnibus vexillum ad victoriam significandam, exponi potest, ac si sponsa di-

D cat, Mecum pugnavit sponsus, ut me amore superaret, quando verò me vicit, & bello fausto cœpit amorem super me, ut victoriæ vexillum erexit, quod præstitit in cella vinaria contemplationis, in qua licèt ego amem, plus tamen ille me, & sic vexillum ejus super me est amor. Expendendum est sponsam ea, quæ sibi cum sponso accidêre, referentem, recordatione sauciatam, excitato repentè absentis sponsi desiderio, precari obnixè audientes, ut si qua ratione valeant, illum sibi animo cadenti concilient. Quo in voto miri, ut mox aperietur, amoris reteguntur effectus, quos omninò convenit explorare. Dicit ergò. E

Altera Interpretatio ex Hebr.

Domus vini est contemplatio.

C

℣. 5. Fulcite me floribus, stipate me malis.

PARAPHRASIS.

Sponso meo, qui est flos campi, & Malus inter ligna sylvarum, sustinete me deliquium animæ ob ipsum patientem.

COncinnè quidem orationem contexit. Cùm sponsi recordor pulchritudinem, & humanitatem, affectus vehemens, sponsa inquit, incessit, & intercepit me. Ferte igitur opem, si qua est herba, si quod pharmacum opportunum, & præsens. Ægrotis florum fasces, & poma odoratissima offerri solent ad sensus recreandos, & ægritudinem elevandam. Flores ego, & mala posco, nec enim aliter fulciri possum, meminisse opus est, sponsum in superioribus, florem campi, & inter ligna sylvarum, Malum fuisse nuncupatum. Ex hoc igitur flore, ac Malo pharmacum parari optat. Languentem videlicet præ amoris vehementia & magnitudine animam solus ipse sponsus valet miris, & arcanis modis consolari. Minimè cupit flammam extingui, conceptumve amoris remitti calorem, unde omnis vitæ conservandæ ratio proficiscitur. Quinimmo disertè, ac notanter non fulciri tantùm, sed etiam stipari, circumdarive sponso, velut igneo quodam vallo poscit, ut circumpositæ flammæ incendio sensim aduratur, donec tanquam Phœnicem se morti devoventem, totam illam ignis expetitus absumat. Malorum nomine cùm arborem, tùm pomum ejus fructum aptè possumus interpretari. Videtur sponsa Phœnicem æmulari, cujus, cùm moritura est, hoc est ingenium, ut legat arborum aromaticarum surculos, & florum cacumina, ut niduni construat, in quo jacens excitato amburitur igne. Carpit surculos cinnami, amomi, thuris, & arbuscularum similium, nardi aristas, & flores assimiles. Sic sponsa ex arbore Mali, & floribus campi, juxta sensum expositum, concinnari sibi nidum poscit, in quo jacens mortem præstoletur per ignem sponsi transitura, moritura sibi, ac in sponsi vitam transferenda.

F

Flores, & poma ægrotis solatium.

G

Ex Phœnicis combustione similitudo.

Nec obstat, plurali numero, floribus, ac Malis usam fuisse sponsam, hoc enim ad emphasim pertinet, ut sponsi vis, qua sui similes plures & flores, & arbores generat, innuatur, præterquam quod familiare est scripturæ plurale, pro singulari figuratè reponere. Ut Exod. 32. Hi sunt Dii tui Israel, qui

H

Scripta An. 1598.

qui eduxerunt te de terra Ægypti, & tamen unum dumtaxat erat idolum, quod conflaverant, & adorabant. Ut patet ex ultimis verbis capitis, ubi dicitur, Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron. Denique (quod ad rem magis conducit) cùm qua mulier nupsit viro, cui campus, vel simile aliud nomen est, dum
A vir abest, alludens ad viri optati nomen, dictare solet, se camporum amore teneri, campos sibi tantùm placere: vel certè de absentia conjugis sui conquerens, dicere consuevit: Ducite me ad campos, quia langueo. Ex quo liquet, quam vim habeant illa verba, quæ ad sponsi nomina floris, & mali alludens sponsa enunciat ajens: Fulcite me floribus: Stipate me malis. Non est autem silendum, his verbis explanatis quendam amoris effectum exprimi, qui liquefactio à Philosophis appellatur. Est autem liquefactio amoris effectus, quo anima ipsa mulcetur, ac emollitur, ut res, quam ardentissimè cupit, sibi per amplexum, &
B penetrationem quandam imprimatur. Quod ut fiat, tota dehiscit, & patet illa, ut quasi poris apertis non hauriat rem amatam, tanquam recens panis aquam haurire solet. Hanc autem liquefactionem, qua in sponsum hiat anima, consequitur effectus amoris alter molestissimus sanè, qui languor appellatur, quem disertè notat illa dicens:

Quia amore langueo.

PARAPHRASIS.

Ob sponsi absentiam animo cado præ amoris magnitudine.

C Languor unde accidat.

LAnguor quidem accidit, cùm res abest, quam quis cupit ardenter. Absentia quippe illa interarescit animus, & emoritur, multoque mœrore tabescit, cui certè morbo res sola dilecta præsens mederi potest. Propterea sic audientes obtestatur sponsa, Ego mœrore conficior, ac velut terra rore destituta dehisco. Quia ergo amore langueo, atque marcesco, afferte mihi sponsum, fulcite, ac sustinete me illo, qui florum, ac Malorum est facilè princeps, qui solus morbo lento valet opitulari. Reddidit ergo rationem à languore petitam, ob quam flores, Malaque poscebat. Et præsentiam sponsi, brachia porrigere festinantis, more alterius Assueri de solio exilientis, & ulnis suis Esther
Esth. 15. 11. reginam sustentantis, donec ad se rediret, sentiens hæc verba contexit:

D

℣. 6. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

PARAPHRASIS.

Cadentem me conspicatus accurrit, & utroque brachio in signum perfecti amoris me ille complexus est, circulo peracto, læva etiam humanæ naturæ assumptæ me erexit, divinitatis dextera postmodum coronabit.

FAcilè quis ad id prece flectitur, quod cupit impendiò. Quamobrem cum sponsus rex immortalis me præ amoris sui magnitudine languentem, velut è solio conspicatus esset, diù abesse non patiens, sua primùm propensione bonorum, mox precibus accurrit, ut me fulciret præsens, atque stiparet. Stipat autem & sustinet me ambitu brachiorum, circulum peragens, quo ego velut arce tutissima circumdor. Non enim vulgaris custodia hoc brahiorum vallo, sed exacta, & undecumque perfecta notatur; ut ex circuli inter figuras mathematicas perfectione perspicitur. At non debet profectò fileri, quid sibi velit illa brachiorum, manumve in complexu distinctio; quid inquam læva, quid dextera innuat. Sanè dextera vulgatissimum est Dextera fortitudinis symbolum. apud sacros, profanosque authores fortitudinis symbolum. Sinistra verò imbecillitatis est Sinistra imbecillitatis. nota, vix enim sinistra ad aliquam functionem difficilem obeundam uti possumus, nisi leve aliquod adminiculum optemus. Porrò sponsus antequam naturæ nostræ assumpsisset imbecillitatem, totus erat fortis, totus dextera. Postquam verò carne obtectus est, nostræ factus imbecillitatis consors, cæpit habere sinistram. Hanc verò capiti nostro, hoc est, Adæ suppposuit, cum ille vitali spiritu privatus elanguit, & cecidit, etsi collisus non est, quia sponsus manum lævam supposuit, & humanitatis assumptæ meritò, ac satisfactione, velut è solio accurrens, naturam lapsam in spem salutis erexit. Et hoc ipsum, quod capiti nostro Adæ, læva supposita, præstitit, toti æquè posteritati contulit, ut meritò quisque Adæ filius dicere queat, læva sponsi sub capite meo, ac perindè sub me quemadmodum de se nunc sponsa fatetur. Quos autem sponsus manu læva suffulcit, ac sui meriti efficit consortes, dextera demum confecto cursu complectitur, hoc est, coronat; complexus quippè perfecti, ac coronæ figura est eadem, in se recurrens, ac sphærica. Dextera verò sola complectitur, sicut enucleatè textus ait; quia videlicet sola divinitas, cujus est dextera symbolum, est, qua constat ille perfectus amplexus, ac præmium, quod in scholis essentiale nuncupatur, quod respondet justorum vitæ ex suppositâ sponsi dæva contractæ. Sapienter igitur sponsa effatur in hunc modum, Cùm elangui ego, sive ante justitiam, ob scelera, sive postquam revixi è culpa, ob imbecillitatem naturæ, læva sponsi me sustinuit, dextera postmodum coronabit. Est præterea arcanum quiddam, quod aliam suggerit interpretationem, in eadem lævæ, ac dexteræ distinctione subnixam. Alia textus explicatio. Enimverò caput mulieris vir est, sic sponsæ caput sponsus utraque manu præditus. Contingit autem non rarò, post spiritale conjugium sponsam tepescere, degenereinque se exhibere, quasi nequeat capitis pondus, viri scilicet, ac sponsi sui præceptum, & amo- Vir caput mulieris.

Scripta An. 1598.

ris legem ſuſtinere, Sponſus verò tunc (quæ ſua eſt in uxorem indulgentia) pondus legis, ſeque ipſum, quem velut caput humeris ſponſæ impoſuerat, quaſi læva ſuppoſita fulcit, cùm illam vi ſua, divina fortitudine conſtabilit, ut in ſancto connubii fœdere valeat permanere. Sic in ſponſa ſe fulcit ipſum, ac pervigili cuſtodia ſervat, cùm illius opera ipſe læva ſubjecta promovet, ac

A verè operatur, ut vivere, ac mereri dicatur in ipſa. Sponſam demum emeritam agone confecto, divinitatis dextera complectitur, & corona donat ævo ſempiterno. Ex quo mira elucet divinæ ſapientiæ, ac bonitatis ratio, ut læva ſponſi ſupponatur ad meritum, dextera complectatur ad coronam. Hîc jam nequit ultrà ſponſa vocem edere, ſomno quodam abſorpta. Concipiendum enim eſt, ſponſum ſponſæ voces exaudiſſe, ac vix expleto ſermone, ad illius arctiſſimum accurriſſe complexum, ex quo ecſtaſis ſponſæ contigit, ad præſentis Dei illapſum excipiendum evectæ, ac pelago voluptatis abſorptæ. A qua ne à quopiam temerè excitetur, interdicit ſponſus in hunc modum.

Ecſtaſis ſponſæ.

B

SPONSVS.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, cervoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoaduſque ipſa velit.

PARAPHRASIS.

C

Obteſtor vos Eccleſiæ Filiæ per memetipſum, qui caprearum, ac cervorum ſimilis ſum, ne animam, quam ego ecſtaſi, vel vitali quovis ſomno ad me rapio, excitare audeatis ad aliorum ſalutem curandam, quoaduſque iubeam te ipſa velit.

Sponſi ad-locutio.

OBteſtor vos, ô animæ, quæ ſponſam ſtudetis æmulari, Eccleſiæ filiæ, ne præmaturè illam mecum in ecſtaſi quieſcentem, mihique ſoli vacantem interpelletis. Ne præcipiti conſilio illam à ſomno ſolvere feſtinetis ſub quovis virtutis obtentu, donec ipſa me velit annuente. Priùs armanda ipſa eſt, ut ſibi fortis alios queat erigere, & ad palæſtram erudire. Carpit hoc in loco Sponſus temerarios eorum inſultus, qui ab uberibus ipſius ſponſas non ſatis enutritas revellere conantur, & in curas extraneas enituntur effundere: cùm prius ex ordine divinæ providentiæ ab ipſo ſponſo debeat anima ſpiritum divinum haurire [quod abſque frequenti

D cum ipſo commercio obtineri nequit, [quàm in externa prodire, & proximorum audeat curare ſalutem. Propterea inquit. Ne ſuſcitetis dilectam. Pro Dilecta Septuaginta Interpretes Dilectionem verterunt, quæ vox energia pollet. Vocat enim ſponſus ſponſam

LXX. Interpp.

dilectionem, ſicut vulgò quis eum, quem amat, ſuum amorem dictitare ſolet. Ineſt autem in ipſa dilectionis ſignificatione arcanum quiddam. Cùm enim jubet ſponſus, ne filiæ Hieruſalem ſuſcitent dilectionem à quiete, apertè ſignificat, dilectionis naturam in ipſo, ad quem fertur, tantum conquieſcere, & ex dilectionis vi ſponſam ad divina, in quibus ſolum quieſcit, efferri. A divinis autem quempiam temere avocari, nefas eſt, ac proindè auſum interpellandi ſponſus damnat. Quod quàm ſit neceſſarium, ex verborum emphaſi venandum eſt. Non enim monet tantum, ſed adiurat. Adiuratio, quæ nihil eſt aliud, quàm per ſacram obteſtationem, vel obſecrationem ad quippiam agendum inductio, ſi ab eo, qui jus habet imperandi fiat, obligationem inducit. Perſpicuum autem eſt ſponſum imperandi jus habere, ac proindè arctè obſtringere ad contemplationis arcanum auguſtiſſimum non intercidendum. Cunctandum eſt igitur, & ſanctorum quieti cedendum; eos enim poſtquam ſponſus ſuo in gymnaſio inſtruxerit, ac educarit, quaſi è portu ad navigationem noſtræ ſalutis promovendæ ſolvit. Maxima igitur vis in adiuratione ineſt, ſi divinam obteſtantis perſonam expendamus; at quia, ut præmiſſum eſt, adiuratio eſt F obteſtatio per ſacra, operæ pretium erit, quænam ſint ea ſacra, per quæ ſponſus adiurat, explorare. Per capreas, inquit, cervoſque camporum. Porrò ſi verborum vim trutinemus, liquidò perſpicietur, adiurationem hanc non minus, à ſacris, per quæ fit, quàm ab adiurante vim obligandi contrahere. Sacra ergo hæc capræ, ac cervi ſunt. Quæ quidem animalia munda ſponſum ſignificare, non extraneo, ſed intrinſecus nato convincimus argumento. Paucis quippe interiectis, ſponſa inter cæteras ſponſi laudes mox recenſebit hanc, ſponſum videlicet ſimilem eſſe capreæ, ac cervorum hinnulo. Eſt enim planè verum, animalcula hæc ſymbolicè & ſponſum, & ejus in noſtra ſalute curanda comites eleganter exprimere. Ni- G mirum caprea felle caret, cervi vero halitus ſerpentes urit, quemadmodum, qui eorum animalium naturam ſcrutati ſunt, tradidêre; ac ita ſponſus, ejuſque comites amarulento peccati felle prorſus immunes, & aliorum ſalutis cupidiſſimi, ſerpentes, qui in latibulis ſceleſtorum hominum deliteſcunt, halitu Spiritus Sancti immiſſo, prorſus amburunt. Diſcrimen autem non exiguum eſt, quia ſponſus natura, comites verò munere id habent, ut felle careant, & aura ſpiritus ſerpentes adurant. Princeps ergo ſignificatio capreæ, ac cervi in ſponſum tendit, qua proindè ille uſus eſt ad confirmandam adiurationem. Quia enim nullum habuit majorem, per quem adiuraret, adjuravit per H ſemetipſum arcanè ſignificatum. Ex hoc patet, quid ſibi velit Patrum Græcorum verſio, quæ ſic ait, Adiuravi vos filiæ Hieruſalem per potentias, & fortitudines agri. Enimvero in agro hujus mundi totum id, quod præter ſponſum, ejuſque comites re-

Græcor. PP. Lect.

pe-

E

A divinis contemplationibus nemo temerè avocandus.

Adiuratio quid?

Capreæ natura.

Halitus cervi caliditimus.

Scripta An. 1598. LXX. Interpp.

peritur, est imbecille, ac proindè apud sponsum tantum, ejusque sectatores potentia viget & fortitudo, unde cum Septuaginta Interpretes, quos ii Patres secuti sunt, verterunt potentias & fortitudines ex Hebræo, sensum potiùs, quam verba expendisse videntur. Fuit autem satis mystica versio. Cum enim is, per quem quis adiurat, potentia,
A & fortitudine pollere debeat, ut queat adjuratum coercere, consultò ad id innuendum pro sponso, ejusque comitibus, potentiæ, ac fortitudines positæ sunt, per quas adiurantur filiæ Hierusalem, ne sponsam contemplantem interpellare, ac excitare audeant. Cùm ergò ab hominibus rerum divinarum ignaris, cùm sponsa Deo avidissimè vacat, excitanda non sit sub obtestatione divina; conficitur planè, unius sponsi munus esse, illam excitare, elata voce somnum intercidente, quod sponsa nunc innuit, subdens.

SPONSA.

℣. 8. Vox Dilecti mei.

B

PARAPHRASIS

Vox Dilecti mei, quæ una id poterat, vi sua divina sonuit, & expergefecit me.

AC si planiùs loqueretur: Sonuit vox Domini in virtute, quæ sola arctissimum somnum, qui me totam permeârat, solvere valebat, & cujus erat ad sensuum functiones me revocare. Cùm oportuit, consopivit, cùm fuit opus, expergefecit me. Cedamus ergo illi fidissimo educatori. Animadvertendum est unicuique, sicut lineamenta distincta, ita esse vocem à quavis alia discretam, qua internosci queat ab aliis. Quæ tametsi plerisque soleat esse nota, est
C tamen amantibus notissima; quam ut primum sentiunt, lætitia perfunduntur. Id autem, quo sponsi vox à cæteris vocibus secernitur, vis quædam est divina, qua intercidit flammam ignis, concutit desertum, & cætera patrat prodigia, quæ Vates regius
Psal. 28. fusè prosecutus est. Inter quæ reponi jure debet hæc proprietas, ecstasi absorptos excitandi. At priusquam quid sponsus hac voce eloquatur, exponat, adventus, quem observat, modum delineare curat, qui ad augendum amorem ipsum opportunissimus est. Depingit ergo illum (cùm animam humanè visere, & affari dignatur, ut proximè fecit erga sponsam ipsam) festivum, celerem, ac meritorum mensuram metientem. Propterea
D inquit:

Ecce iste venit saliens in montibus; transiliens colles.

Animadversio.

PARAPHRASIS.

In Montibus versatur, ab hoc in illum, velut saltu se librans, collesque præterit, cùm grandiores charitate visitans, non ita sublimes, simili non afficit voluptate.

EXpendite modum, quem sponsus observat, cùm ad Sponsæ accurrit amplexus. Per excelsa loca erectus graditur, pedesque in montibus reponit; colles verò, qui montes altitudine non exæquant, transilit. Non erat ullo pacto supprimendum montium, colliumque discrimen. Sanè colles, minores appellantur montes, sponsus autem montes perambulare dicitur, colles verò transilire. Cum autem inter arduos ipsos montes, & colles intermicent à vallibus se surrigentes, montium tamen altitudinem non æquantes, necesse fit, ut sponsum concipiamus à monte in montem, quasi saltu se librantem. Hæc autem est perpulchra translatio, qua sponsi arcana via, quum animas solaturus visitat, aperitur. Profectò, cùm animas grandiores, charitatis provectas celsitudine visitat, ex hac in illam commeans, montes peragrare, ac in montibus salire aptè dicitur, alios verò amore divino non ita provectos & excelsos, priorum merita non exæquantes, qui translatè colles appellantur, quos simili non afficit, ac visitat voluptate, transilire dicitur, aut præterire. Delectatur impensè locis arduis sponsus, & gratior est illi saltus, quàm incessus, quod ex subjecta patet similitudine.

E

Collium, & montium discrimen.

Via quam sponsus animas solaturus ingreditur.

F

℣. 9. Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

PARAPHRASIS.

Sponsus meus dorcades visu perspicacissimas, hinnulos cursu pernicissimos imitatur: visu eminus conspicit laborem, cursu festinat ad opem.

G

PORrò præter illa, quæ de caprea, cervoque superius aperuimus in expositione adjurationis, ad enucleandam capreæ, cervique similitudinem, animadvertendum est, capream, dorcademve visu acutissimo pollere, cervis autem hoc esse ingenium, ut suos hinnulos salire doceant, quod qui eorum naturam & mores explorarunt, tradidêre. Quæ profectò omnia huic loco sunt satis idonea; nam cùm paulò antè sponsa languisset, & ipsius sponsi adventum avidissimè flagitasset, ille quasi è longinquo more dorcadis, visu perspicacissimo anxietatem sponsæ conspicatus, quasi moræ impatiens, saltu quodam, nedum celerrimo cursu ad illam properavit. Et hic sponsi mos nativus, ut è cœli fastigio justorum anxietatem, ut caprea prospiciat, & ad eam elevandam, velut hinnulus cursum, saltumque doctus accurrat, quod etsi pluribus confirmari posset, una tamen sequenti periodo satis evincitur. Ait enim:

Capreæ; Dorcadis, & Cervi, dotes.

H

Scripta An. 1598.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

PARAPHRASIS.

Ut tempus opitulandi captet, stat, postquam cælos petiit, post hujus vitæ parietem ob-
A *servans. Habetque in aula sua fenestras non patentes, sed cancellis prætextas, ut nos inde inspectet, nec mutuò cernatur, nisi parcè, & ab acutissimo contemplatore aliquo. Cancelli temperant sponsi lumen, ut ad nos modicè feratur, ne noster perstringatur intuitus.*

Huius vitæ exilii delineatio.

EXilium vitæ hujus, quo arcemur à sponsi conspectu, qui nostra erit fœlicitas, nihil videtur esse aliud, quam interjectus paries, qui omnino diruendus sit priusquam ingrediamur in Sancta. At verò intereà dum illius nobis conspectus interdicitur, unum, quod erat in hac orbitate solatium, nos quasi ex insidiis spectandi, qui mos amantium est, noluit amovere. Unde sponsa venustè ipsum velut admoto penicillo
B depingit post parietem quidem stantem, at fenestras, & cancellos, per quos nos intueatur, habentem. Arcanum verò quiddam in fenestrarum structura pensari debet. Fenestræ quippe non pinguntur patentes, &

Cancellatæ fenestræ descriptæ.

perviæ, sed insertos cancellos, hoc est, ligna cancellatim transversa habentes, Hispanè *gelosias*, quæ videntur eò constructæ, ut ii, domi delitescunt, & à quopiam cerni nolunt, prætereuntes inspectare, nec ab ipsis mutuò perspici possint. Sic nimirum sponsus, postquàm cælos petiit, revehens triumphum, cancellos habet, seu fenestram cancellatim coustructam: fenestram verò patentem, ac perviam consulto habere noluit; ne ipsius intuitu exilium in patriam verteretur. Cancellorum nempè constructio dum sponsi lumen obumbrat, prodest, ne ille nimio
C splendore nostros perstringat oculos, & ut nos attemperato lumine illustret, nec sinit nos illum è fenestra prospicientem agnoscere, nisi quis fortè contemplator Dei gratia visum nactus fuerit acutissimum, non quo Divinitatem intueatur ipsam, sed quo ad purissimam quandam, Dei cognitionem assurgat. At sanè ipsi, qui arcanè caprea, dorcasvè ob visus perspicacitatem appellatur, cancelli nihil obsunt, verùm ex illis conspicatur nos humi repentes, sicut olim quando ducebat populum suum per desertum, cùm esset densa nubes inter ipsum, ac
Exod. 13. 2. populum, frequenti coruscatione è nube erumpente, nubes ipsa videbatur aperiri, & per scissuras nubis videbatur ipse prospicere. Et cùm periculum impenderet, latu-
D rus opem, ut cervus acurrebat, quod & nunc cumulatissimè præstat. Hæc prima loci interpretatio, fenestram cancellatim prætextam in sponsi aula constituit.

Existit verò secunda non parum idonea expositio, si eam fenestram, non in sponsi, sed in sponsæ aula contemplemur. Sanè mos amantium est condicto tempore puellarum adire domos, & per clathros, cancelloive solo propinquiores observare, si qua intermicet earum, quibus placere studeut, imago; ac per transennam saltem in amatæ pulchritudinis scopum collimat. Hæc autem observatio, spiritalis anatomiæ peritia quædam est, qua mentis aperitur nativa constitutio. Porrò etsi ob carnis, cui animus nimium hæsit, concretionem inter mentem nostram, ac sponsum paries interstructus quidam sit, quo is à sponsi arcetur, & obcæcatur aspectu, non tamen usque eò mentis oculi sunt obstructi, ut quasi per cancellos saltem, etsi non per patentem fenestram, sponsi divini solis lux in animam penetrare nequeat. Per has verò quasi rimas, & cancellorum intervalla θεοφανείας seu divinos radios sponsus immittit, quibus tota domus sponsæ in exilio lugentis illustratur. Juxta hunc igitur sensum sponsa sic loqui putanda est: Quamvis pariete mortalitatis, ac humanæ concretionis separemur ab sponso, at fenestram habemus cancellatim constructam, cujus foraminibus sponsi post parietem agentis oculi me interdum intuentur. Hi verò cancelli secretiores sunt, sponsoque soli ad arcana colloqnia explorati, qui perquàm sedulò excolendi, ac repurgandi sunt, ne aranearum telis pulvere consperfis prætexantur, ac luci liber non sinatur illapsus. Caveri præterea debet, ne Satan hos nort cancellos, & lucis angelum ementiens, sponsam seducat ignaram; novit enim fucatæ lucis imagine sponsi honorem suffurari. Jam autem, postquam visitationis modum graphicè sponsa depinxit, exponere pergit, quid sponsus ea voce, qua illa excitata est, monere velit. Quamobrem ab eo loco, ubi ait: Vox dilecti mei, usque ad sequentem periodon, parenthesis quædam protenditur. Sic ergo textus verborum consuendus est: Vox dilecti mei (totaque parenthesi prætermissa) En, dilectus meus loquitur mihi, ac si planiùs diceret: Dixi, Vox dilecti mei, altera idem plrali enuncio, ajens, En dilectus meus loquitur mihi, ne intertexta verba longè a meo sensu lectorem absterreant. Ait igitur:

Altera Textus explicatio.

E

F

Sponsæ adlocutio.

Satanæ insidiæ, & simulationes.

G

V. 10. En dilectus meus loquitur mihi.

SPONSUS.

Surge, propera amica mea, H
columba mea, formosa mea,
& veni.

PARAPHRASIS.

Surge, hoc est, attollere mare surgentis, in altiora contende, currens propera, & ut

co-

Scripta An. 1598.

columba in nidum convola per charitatis incrementa. O sponsa verè formosa, cui & virtutum decor, & actuum expeditio venustatem conciliant. Gradere, & ad me veni, hoc est, specie tua, & pulchritudine tua prosperè procede.

A MOnet sponsus, ut in altiora festinet, ajens, Surge. Non sanè quòd hucusque sponsa jacuerit: Semper enim attollebatur, & ut superiùs patuit, ardua petebat. Sed surgere dicitur eleganter cùm in altiora conscendit, quemadmodum solem surgere vulgò dicunt, cùm in altiora procedit, esto numquam jacuerit, vel à motu interquieverit. Citatiorem ergo motum, ac in charitate progressum poscit sponsus, quòd subjuncto verbo declarat, inquiens, propera. Tanquam luculentiùs diceret, Surge, hoc est, propera, celeriùs curre. Ut verò efficacior sit adhortatio, interserit amicitiæ recordationem, ac legem, dum ait, Amica mea. Amicorum quippe res, & mores fiunt necessitudine communes. Mos autem sponsi est ocyssimè currere, quod ex hinnuli,
B capreæque patuit similitudine. Dum ergò ait, Amica mea, tantundem profectò agit, ac si apertè diceret: Ut surgas, & properes, & cursum potiùs quàm incessum ames, mea reposcit amicitia, quæ te mihi exactè similem præstare contendit, ut in charitatis progressione capreas, cervosque pernicissimos æmuleris, quibus ego arcanè significor. Hanc autem exhortationem mirifice auget subjecta mentio columbæ, quæ magis huc ad volatum commendandum, quàm ad syncéritatem prodendam videtur accita. Porrò columbæ volatus & ocyssimus, & constantissimus est; & ob id Noe illam ex arca
Gen. 8. 8. videtur emisssse, ut si non tam citò locum quietis offenderet, longius posset convolare,
C nec fessa mergeretur. In hunc ergo modum sponsus sponsam hortatur. Surgere moneo, ac properare, at non confestim amori satisfactum est, qui non abs re alatus effingitur. Adeò quippe festinandum est charitatis augmentis, ut ex cursu ad volatum transeatur, & velut terrestri animantis natura volucris ingenio permutetur. Volatum igitur arripe columba mea, cui ego pennas addidi, ut à terræ humilitate sublata, in me, velut in nidum convolares. Quod verò subdit, ajens, Formosa mea, arcana significatione non vacat. Porrò pulchritudinis laus in sponsa ex sponsi existit similitu-
Duplex Sponsæ pulchritudo. dine, cujus binæ sunt partes. Pars videlicet una ex interna, animoque hærente virtutum concinnitate constat, pars altera in actione consistit: quam sponsa germanè satis
D exprimit, dum surgit properat, & ut columba volat, quæ functionum expeditionum universa notant. Concinnè igitur formosam appellat sponsus eam, cui & virtutum, & actuum absolutio exactam conciliat venustatem. Quod verò subdit, & veni, tantundem est, ac si hoc modo exhortaretur, gradere, specie, ac pulchritudine crescens, prosperè procede. Non enim, ut è corpore migret, sed ut fœliciùs progrediatur, monet; ad quam profectò adhortationem subtexta verba mirificè conducunt.

℣. 11. Iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. E

PARAPHRASIS.

Gradere velox, quia frigus culpæ, quæ hyems est, qua pedes congelarant, nec ad iter expediri poterant, cessavit, flante Spiritus austro, qui calorem vitalem advexit. Cessavit & imber præceps diabolicæ incursionis, agri fœcunditatem devastantis.

F Rigore grassante, membra quasi glaciata loco vix movere possumus. Et quidem, si necessitas urget; ægrè incipimus, donec sensim calore motu concepto, pedes ad iter expediuntur. Sicut autem calor divini amoris, ita frigus culpæ symbolum est. Sublatum ergo sponsus monet impedimentum, pulsumque culpæ frigus, quo sponsa olim congelarat, & apertè docet se inducto calore, porisque à contractione laxatis sponsæ, quasi cervorum posuisse pedes. Enimverò poros etiam suos in anima sponsus condidit, qui petita è corpore metaphora, culpæ gelu constipantur, atque premuntur, calore verò divino solvuntur, & patent. Premuntur sanè, cùm frigus cogit artus, cùm obrigescit mens spiritus divini calore destituta, & peccati glacie contracta. Solvuntur autem, cùm flat genialis auster, hoc est, cùm spiritus ardor sponsam permeat, arcanis tanquam poris exceptus, & attractus. Cujus profectò mysterii natura symbolum adumbravit in accipitre, qui flante austro se attollit in aerem, ac vento illi calido, & salubri, expansis se alis opponit, & dum perflatur, totum rarescit corpus, porique patefiunt, mox vetustæ pennæ loco excidunt, novæque succrescunt. Quæ quidem omnia in sponsam harmonicè conveniunt, quæ cùm olim frigore congelasset, nec gradi, nec ad volatum novas virtutum, quibus ferretur, pennas promere valebat, sed postquam meridionali aura perflata est, promit nova ad celerem progressum munimenta, ut ritè in eam quadret illud effatum: Et placebit sponso super vitulam *Psal. 68. 32.* novellam, cornua producentem, & ungulas. Cornua quippè, ac ungulæ, hoc est, ad pugnam, & gressum instrumenta quædam sunt ea, quæ mox apparuisse dicemus. Consultissimè autem sponsus, antè quàm sponsæ, qui apparuêre, fructus recenseat, ut lætior fiat commemoratio, ait, imbrem, hoc est, præcipitem dæmonum incursionem, qua fœlix
H animæ vastatur ager, abiisse, ac ver-redisse tranquillum.

Calor divini amoris, frigus culpa symbolum. F

Comparatio ex accipitris natura. G

℣. 12. Flores apparuerunt in terra nostra.

PA-

Scripta An. 1598.

PARAPHRASIS.

Ex virtutum animo consitarum plantariis actus, ceu flores odorati, & aspectu pulchri, in anima tua, quæ terra ferax nostra est, enati sunt, ô sponsa charissima.

A VIrtutum habitus plantæ sunt in anima satæ, ex quibus apparere, hoc est, enasci actus tanquam flores asseruntur, quæ verni temporis significatio est. Etenim flos quasi latebat in caula, cùm frigus grassabatur; apparet autem, asperitate frigoris cedente, mitioreque tempore subintrante. Quod verò sponsus ait, in terra nostra, satis apertè notat, sibi cum sponsa terram esse communem, animam videlicet sponsæ ipsius ab utroque conjuge curandam, & excolendam. Longè quippe seiuncta est terra hæc ab ea, quam dedit filiis hominum. Flores ergo inquit sponsus, apparuerunt in terra nostra; quasi amoto symbolo planè dixisset, ex virtutibus in anima tua satis, ô sponsa, velut è plantis, actuum & aspectu, & odore gratissimorum flores emersérunt, sed quæ sequuntur, emphasim habent.

Veris temporis designatio.

B

Tempus putationis advenit.

PARAPHRASIS.

Accessit tempus amputandi vetustos mores falce virtutis succrescentis.

PRæposterus videtur ordo, ut flores primùm apparuisse dicantur, deindè putationis tempus advenisse. Priùs quippe, ut sub uno dumtaxat exemplo universim de agricultura loquamur, è vite sarmentum amputatur, postmodum concrescit gemma, flores deindè uvarum erumpunt. At contrà in agro usu venit interno: Ipsarum nempe virtutum divinitus infusarum flores primùm enascuntur, cùm suos promunt actus, exindeque vetustas amputatur, ita sanè, ut virtus ipsa succrescens, acumenque proferens, sit ea falx, qua vetustas est recidenda; postquam enim vitia radices egerunt, si quis ad iustitiam extemplò evocetur, ex virtute recèns infusa, crebros debet actus multa navitate progignere, per quos velut scalpro quodam, vitiorum callos exsecet. Hoc ergo mysterium latet in ordine arbores putandi post florum exortum. At turturis vocem expendamus.

Agri interni actus.

C

Vox turturis audita est in terra nostra.

D

PARAPHRASIS.

Vox turturis, quæ arcanè vox a casto tuo prompta corpore dicitur, in animæ terra feraci sonans, ad me perlata est.

NOtissimum est, turturem avem esse castissimam, secundæ Veneris insciam. Notissimum est etiam, castitatem ad clariorem vocis sonum, & quendam tinnitum velut argentum, valdè conducere. Qui enim Venerem adhuc experti non sunt, vocem edunt suaviorem multò & clariorem. Contrà verò, qui vel primoribus labiis Venerem gustarunt, vocem quandam obtusam, & iniucundam reddunt. Turtur autem hoc loco sponsa symbolicè nuncupatur, cujus vocem clarè sonantem, verè argenteam, qua sponsum precabatur, auditam esse sponsus ipse testatur, in ea terræ sorte, quæ illi hæreditate obtigit; quæ profectò terra anima ipsa est, quam sponsus, ceu proprius hæres possedit. In hac terra feraciissima castas exaudit voces, intus dumtaxat prolatas, quæ quantò puriores, & ab omni Venere remotiores sunt, tantò altius efferuntur, & in aurem divinam extolluntur. Constat nempe (ut in translatione persistamus) à castis corporibus subtiliores edi voces, aerem faciliùs intersecantes, & longiùs, quàm obtusas, pervagantes. Potest præterea turturis nomine Spiritus divinus intelligi, sicut & sub columbæ symbolo nonnunquam solet, cujus vocem, internum sibilum, vel inspirationem, vel petitionem auditam sponsus ait. Vox autem turturis gemitus est, ut quidam dixit: Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo; Spiritus autem pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus. Cùm ergo sponsa divino Spiritu afflata frequens gemebat, & præsentis sponsi desiderio æstuabat, postulabat certè per illam Spiritus, gemitum pro cantu edens, turturis more. Quem porrò gemitum quia sponsus audivit, & hyeme pulsa, vel adesse imperavit, vocem turturis auditam rectè fatetur. Verùm, quæ sequuntur explorenus, pertinent enim ea ad absolutam quandam veris effigiem.

Sponsa instar turturis.

E

F

℣. 13. Ficus protulit grossos suos.

G

PARAPHRASIS.

Sicut ficus grossis emissis fructum perfectiorem pollicetur, sic tu actibus, cùm esses infans, rudibus, tanquam grossis quibusdam editis, dulciorem virtutis fructum, velut ficus melle imbutas, sperare feciisti.

FIcus, ob calorem, prædita est vi ad humorem terræ exsugendum, & attrahendum insigni. Et quasi moræ impatiens, ante fructum dulcem, ac perfectum, fructum quendam imperfectum, qui grossus appellatur, & interdum est esculentus, emittit, qui præmonstrat fructum syncerum, ac mitem. Sponsa symbolicè ficus nuncupatur, quæ in sponso fata, per recentem charitatem, vitalem terræ illius feraciissimæ, humanæ scilicet naturæ assumptæ, humorem toto pectore hauriebat, cùm in charitatis infantia, velut lac ab ea sugebat, vim meriti, & satisfactionis eliciens: At quia parvula erat, & sermonis justitiæ expers, nequivit evestigiò perfectum ferre fructum, qualem ficus melle imbutą notat pro-

Veris effigies.

Sponsa ficus nuncupatur.

H

Scripta An. 1593. protulit tamen, velut more impatiens, groſſos, actus videlicet inſuaves, quales animus promit virtuti non aſſuetus, qui tamen ſpem fructus perfecti excitarunt, & animum, ne caderet, erexerunt. Animadvertendum fuerit non oſcitanter, in hac tota veris deſcriptione, præteritis ſponſum uti vocibus, ait enim, flores apparuiſſe, vocem turturis auditam, ficum protuliſſe groſſos, & ſimilia, quia videlicet hæc jam inde ab exordio charitatis ſponſæ contigerunt, ex quibus ad progreſſum ſponſam exhortatur. Sed ſponſum audiamus pergentem.

Animadverſio.

A

Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.

PARAPHRASIS.

Ego, qui vitis ſum, è cujus propaginibus vineæ ſeruntur, florui, ac odorem fudi per te, ceu palmitem, ô ſponſa mea.

EX ſponſi ipſius accepimus oraculo, ipſum vitem eſſe, eos verò, qui arcana inſitione ipſi hærent, palmites dici. Conſtat autem experimento, vitem ſuam vim in palamitem corrivare, qui humorem vitis exſugens florem promit. Unus itaque, ac idem eſt vitis, ac palmitis flos. Vitis ergo ſponſi per inſitum ſibi, & ab ipſo porrectum ſponſæ palmitem floruit, & odorem cœleſtem effudit. Quod autem vineas, & non vitem Salomon dixerit, metonymia eſt. Numerus verò pluralis pro ſingulari figuratè reponitur. Poſt pauca enim in eandem ſententiam ſingulari numero dicturus eſt. Nam vinea noſtra floruit. Præterquam quòd vinearum omnium, quotquot ab æterno Patre, tanquam agricola coluntur, ſeries ab una ſponſi vite propagata eſt, quod innuitur, cùm ſponſus ipſe plurium vinearum ſignificatione notatur.

B

C

Et quidem, quemadmodum per ſponſam florere, ſic ad fructum pervenire cenſendus eſt. In iis enim, qui mira cultoris Patris ſui ſapientia inſeruntur ipſi, ut palmites fiant, diversè proficit ſapientia, ætate, & gratia, & juxta palmitum menſuram, aut infans incipiens, aut adoleſcens proficiens, aut vir perfectus apparet, quemadmodum, & vitis fructus diverſa metamorphoſi mutatus, flores, omphacium, maturaque uva conſpicitur, quæ omnia ſunt amoris quædam velut emblemata. Principiò ergo ſponſus per ſponſæ palmitem floruit, ac odorem ſuaviſſimum exhalavit, quo velut apice veris deſcriptionem abſolvit, & argumentum paræneticum conſtruit, quaſi in hunc modum effaretur: Spes magna tui profectus ab ipſo charitatis primordio excitata fuit, ô ſponſa, quam augebat veris modò deſcripti fœlicitas, quæ tunc oborta eſt; nunc igitur ſpei reſponſura nervos intende, ac aſcenſiones in tuo corde diſpone. Propterea dicit:

D

Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni.

Horum verborum interpretatio paulò antè à nobis adducta eſt, quam enim hîc ſpecioſam, nuper formoſam nuncupavit. Columbæ autem nomen, quod ibi ſponſus intexuit, hîc in proximam periodum tranſtulit, ut novum myſterium propalaret.

℣. 14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.

E

PARAPHRASIS.

Sponſa mea, ut columba vola ad me immortalem petræ ſoliditate ſignatum, & requieſces in relictis vulnerum foraminibus, quæ ut nidum tibi comparavit amor. Convola etiam in cavernam lateris mei vulnere lato patentis, ut ibi gemas, & cum quadam ſympathia, mortis pro te perlatæ acerbitatem mediteris.

HOrtatur ſponſam columbæ nomine ob conjugii fidem inſignitam, ut tanquam celeri quodam volatu in ipſum convolet, in quo velut in nido molli conquieſcat. Amant columbæ petrarum receptacula cæſarum parietum etiam, ſeu maceriarum cavitates, quibus receptæ naturæ ſervire queant. Vulgatum eſt autem, petra olim in deſerto percuſſa, & aquam evergente ſponſum fuiſſe notatum, ſicut ſcriptum eſt, Petra autem erat Chriſtus. Maceria etiam idoneè ſatis ſignificatur ipſe. At petram à maceria ſecernere ad ſponſi ſenſum concipiendum oportebit, quemadmodum ex ſanctorum obſervatione accepimus. Maceria quippe, quæ nihil eſt aliud, quàm ſtructura, & ſeries lapidum calce carentium, quæ proindè facilè ſolvitur, ac diruitur, mortalem adhuc ſponſum notat, tunc maximè, cùm impendente morte, vitali humore deſtitutus, carneque verberibus abſumpta, ſola coſtarum crate, oſſiumque ſerie videbatur exſtructus. Petra verò, quæ ſuapte natura benè compacta & ſolida eſt, difficileque teritur, præſertim ſi ea ſilex ſit, qualem deſerti fuiſſe petram, Chriſti præferentem typum, ſcriptura docet, immortalem ſignificat ſponſum, quod emphaſim habet valdè miram. Quod enim in eo, dum adhuc maceria eſſet morte diruenda, latè pateret lateris vulnus, ceu caverna quædam, in quam, velut in nidum ſponſa convolaret, repetito illic gemitu, columbæ more ſponſi paſſionem meditatura, non adeò videtur mirum; hoc enim mortalis natura ferebat. Verùm poſtquam reſurgens ex mortuis, jam non moritur, cùm mortis, paſſioniſque veſtigia delenda eſſent, ut myſtica ſilex immortalis appareret; præ amoris magnitudine in immortali petra foramina reliquerit, in quibus per ſympathiam quandam ſponſæ animus ex morte ad immortalitatem libandam reſurgens conquieſceret, impensè mirandum eſt. Monet igitur ille ſponſam, ut ad ipſius imitationem aſſurgat, alterniſque poculis doloris, & gaudii deinceps utatur. Ac ſi luculentius

F

1. Cor. 10. 1.

Maceriæ deſcriptio.

G

Petræ delineatio.

Rom. 6. 9.

H

di-

Scripta An. 1598.

Sponsi adlocutio.

diceret: Assurge, & advola in nidum à me tibi comparatum, ô sponsa columbas æmulata, advola in vulnus lateris hiantis, & in corpore mortali maceria significato patentis. Hîc, ut columba, meditare mortis prote latæ acerbitatem, geme, & è corde meo vim elice divinam. Hic nidus esto, in quem ab accipitre infestata confugias. Sed caput interdum effer, & me solidam, morti non

A ultrà obnoxiam petram contemplare, in quam & convolabis, & in patentibus foraminibus quiescès, ut, immortalitate prælibata, fias in bello fortior, & constantior. Expedit autem, quod ad ordinem attinet, prius adire foramina petræ, ut inde fias animosior ad frequentandam cavernam maceriæ, quemadmodum, & ego proposito gaudio sustinui crucem, confusione contempta. Ad hoc eximium opus assensum poscit sponsus in hæc verba:

Ostende mihi faciem tuam.

B

PARAPHRASIS.

Faciem utramque, internam scilicet, ac externam mihi ad ardua te excitanti ostende, hoc est, hilarem exhibe. Ut illam avertas, more illorum, qui de forma quippiam, vel sibi exosum visum execrantur.

CUM quippiam exosum, aut deforme conspicimus, faciem solemus avertere, ac ita ejus contactum, commerciumve detrectare. Contrà verò, si quid gratum, vel ex se pulchrum occurrit, faciem illi solemus admovere, & attentius inspectare. Hoc ergo arcanè sponsus postulat, ut, cùm ad majorem profectum sponsa evocata sit, libens rem

C aggrediatur, nec difficultate deterrita, nec mœrore confecta, hilarem enim datorem

2. Cor. 9. 7. diligit Deus. Ostende igitur mihi faciem tuam, inquit illa, faciem scilicet lætam, ablutam, oleoque lætitiæ delibutam; ne mœror, & pallor, qui olim hypocritis objectus est, tibi possit exprobrari. Profectò, tametsi facies hæc ab sponso expetita, sit mens ipsa, internusque assensus expeditus, ac hilaris; opportunè nihilominus intelligitur externa hæc & aspectabilis facies, quæ animi signa exteriùs exhibet. Ab hac enim non aliter, quàm ab interna mœstitia omnis arceri debet, quoties gravia nobis imponuntur onera, ex divino imperio ferenda. Quod autem hîc de facie assertum est, idem prorsus de voce est accipiendum. Quamobrem subditur:

D Sonet vox tua in auribus meis.

PARAPHRASIS.

Interna, & externa assensum prodente voce mihi responde, & concine. Utraque enim humano more mihi agenti eximiè placet.

NON posco, ut alienis utaris vocibus quantumvis suavibus, & ad modos musicos inflexis. Tuam cupio audire vocem, claram, argenteam, elatam, qua mihi vocanti respondeas, quam mente primùm concipe, externè pòst enuncia. Duplici voce, interna scilicet, & externa, sibi ad altiora excitanti responderi sponsus optat; quam mentalem, & vocalem orationem appellamus, sibi eximiè placere, hoc loquendi modo humanis moribus attemperato saltem adumbrans. Enimverò vocem eam, quæ profertur externè, nedum internè conceptam, sponsi auribus jucundè insonare, omnino verum est; etsi enim desiderium pauperum, & præparationem cordis, ante vocis externæ sonum sponsus percipiat; ne tamen externa verborum enunciatio, quæ uni homini inter animantes omnes, ad sua sensa promenda tributa est, sua potissima functione, quæ divina laude constat, ullo pacto careret, divinæ fuit sapientiæ laudis externæ jus ab hominibus expetere. Quam sanè laudis rationem in patria cœlesti, ubi tamen minus fore credi posset, censemus non defuturam. Rationem autem, ob quam & faciem, & vocem expetat, palàm reddit, ajens.

Vox interna & externa, est mentalis & vocalis oratio.

E

F

Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

PARAPHRASIS.

Vox assensum exprimens, quæ tua (non aliena, per vim, aut necessitatem extorta) est, harmoniam dulcissimam mihi excitat. Facies item ad obsequium læta, quæ tua, hoc est, non simulata, vel coacta, sed spontanea, & nativa est, mira me allicit pulchritudine.

G

AC si planiùs diceret; tuam opto audire vocem, faciem tuam spectare avidè conor. Si enim vox tua est, hoc est, spontè abs te edita, non coacta, non extorta, non ex tristitia, vel necessitate profecta, suavissimam efficit harmoniam qua nihil à te mihi jucundius præstari potest. Si facies tua est, hoc est, spontanea intus enata, non aliundè inducta (qualem deformes inducto fuco, ac cerussa fœminæ conquirunt) decore, ac venustate nitet incredibili, ita ut minimè mirandum accidat, si Rex speciem tuam concupiscat. Emphasis ergo inest in iis verbis, Vox tua, facies tua; qua sponsus obtemperantem animam læto vultu, obviis ulnis ipsi occurrentem, valde commendat; magis enim operis modum, quàm ipsum opus expendit. Hîc existimandum est, spontam læto, ac expedito ad opus animo se immolasse totam; & sponsum modò fausta illi acclamare, ac de illius tuitione vigilantissimè cogitare. Quamobrem per apostrophen quandam ad vinearum custodes conversus, ab sponsa insidiosos hostium incursus procul arcere jubet.

Vox tua, & facies tua Emphasin habent.

H

Scripta An. 1598.

℣. 15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.

PARAPHRASIS.

Doctores, ac Duces animarum, fraudulentos dæmones, qui vulpes imitantur parvulas, cùm leves culpas æstu miro animabus persuadent, & sic sensim vineas à me cultas devastant, capite, hoc est, in æstu suo deprehendite, ac procul arcete.

A

VUlpium symbolo, notari dæmones prodidit divinus Psaltes, cùm hostes suos tradendos in manus gladii, & partes, hoc est, sortem, vel prædam vulpium futuros cecinit. At humani generis hostis vulpis nomenclaturam non est sortitus ex aperto marte, cùm debacchatur in hominem, & teterrima illi scelera palam persuadet; sed ex argutia, ac simulatione, (quæ in vulpe notissima est,) qua utitur, cum per arduam virtutis viam fœliciter gradientes obiecto virtutis puta charitatis, aut prudentiæ colore, pertrahit in anfractus, & diverticula. Hac enim calliditate sperat ille vineas animarum ex sponsi vite propagatas à se vastandas, porrectosque inde virtutum palmites concerpendos. Si enim animis toto conatu ad Deum hiantibus turpia sine integumento persuadere tentaret, probè novit sibi ostia oppilanda. Hæ sanè vulpes plus vafritie nocent, quàm cum in piacula graviora viros perfectos præcipites agunt. In iis quippè diù morari animus horret, ac indè resilit quantocyus; at leviora non adeò formidat, sed callum in illis contrahit, semper ad pejoria proclivis. Benè ergo sponsus ait has vulpeculas, non apros, aut alia efferata animantia, suas vineas demoliri. Propterea studet per suorum ministrorum vigilantiam, & sedulitatem à sponsa sua hanc pestem avertere. Ait igitur, Doctores Ecclesiæ alloquens, Vos, quibus hostium technas, ac decipulas explorare commissum est, ne in eas, qui per charitatis iter gradiuntur, incurrant, accuratius inspicite, ne vulpes parvulæ, hoc est dæmones, parvulas, leveſque culpas persuadentes, se in vineas à me propagatas clam insinuent, illasque devastent. Hujus autem præcepta imponendi, urgentem satis rationem procudit, ajens:

Per vulpes dæmones insinuantur.

B

C

Per vulpeculas quid?

Nam vinea nostra floruit.

PARAPHRASIS.

D

Ipsa opportunitas monet, ut vulpeculas capiatis, quia sponsa, quæ à me & à vobis tanquam vinea communis excolitur, per me, qui ceù vitis in ejus corde satus sum, floret. Animamque ipsius, ut palmitem mibi insitum longius porrigo. Ne igitur vulpes hanc vitem lacerent, eas procul pellite.

SI naturam spectemus, plantæ à terra humorem hauriunt, quo aluntur, & crescunt. Si supra naturam caput efferamus, plantas in subacto, & divinitus culto animæ solo defixas, non à solo vim altricem elicere, sed contrà vim illi cernemus impertire. Et tametsi hoc verum experiamur in universo virtutum genere, quibus natura nostra suffulcitur; multò tamen est verius, si virtutum authorem sponsum, in medio sponsæ corde consitum, & tanquam vitem virtutum flores per sponsæ animam tamquam palmitem promittentem contemplemur. Fit nimirum arte mira, ut idem sit flos vineæ, ac vitis, sponsæ, ac sponsi; ita tamen, ut vim sponsæ terra fugat à vite. Quia ergo vinea nostra, hoc est, quæ mihi & vobis (ô Doctores Ecclesiæ, ac animarum duces) colenda est, florem prompsit, modo (ut audistis) planè mirando, vulpeculas fraudulentas arcete. Nunc quia amoris ingenium semper fertur in orbem, quam curam ab sponso sibi cernit impendi, quasi circulum peragens; sponsa rependit.

Plantarum nutritio.

E

SPONSA.

F

℣. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi.

PARAPHRASIS.

Sponsus se totum mihi tradit, & ego illi avidè me tradam. Illi uni vacabo, solique ipsi subserviam, quemadmodum calicis capsula soli servit excipiendo calici, ad cujus figuram & mensuram effecta est.

AEquum est omninò, si excelsa sponsi Majestas tam sedulò sponsæ curat incolumitatem, ut nihil aliud vel cogitare, vel optare videatur, cùm tamen universa ipse moderetur, & compleat, ut sponsa humili loco nata se totam illi tradat, nihilque aliud interea moliatur, & se cæteris rebus universis subtrahat, hanc unam functionem obitura. Inest ergò in verbis energia, dum ait, Dilectus meus mihi, ex quo quasi subinfert, & ego illi; tamquàm si expressiùs diceret; & ego illi adeò addicta & medullitùs hærens futura sum, ut cætera omnia præter unum illum mihi sordeant, & cordis cavitatem explere nequeant. Quam quidem sponsæ sententiam accita calicis, aut ensis similitudine possumus explanare. Sunt, & vænunt passim capsulæ quædam ad calices sacros condendos effictæ, calicibus ipsis & figura, & mensura omninò quadrantes, huic tantùm usui destinatæ, quarum intercapedinem res aliæ explere nequeunt, calix dumtaxat ipse complet. Quod peræquè de vagina & ense asseri potest. Sponsus ipse calix est sacer; (qui metonymicè dictus, quotidie hauritur in Ecclesia) capsula, qua ille conditur, illi figura apprimè quadrans, sponsa est, cujus cavitatem incassum quis tentet explere, nisi

Comparatio perpulchra.

G

H

Scripta An. 1598.

ſponſum condat in ipſa. Sicut enim ille ſponſam ad ſuam effinxit imaginem, ita & ſolus ille valet eam explere. Cætera quidem omnia, quæcumque cavitate hac includi poſſunt, partem quidem occupabunt, at omninò habilia eſſe nequibunt. Hoc ergò ſenſu verba illa interpretanda ſunt, Et ego

A illi. Quibus profectò verbis conjunctio, inhæſioque cum ſponſo arctiſſima notatur; qua ex inhæſione, arcanove tactu mens defæcatiſſimam contrahit puritatem, qualem Agnes experiebatur, cùm ajebat: Quem cùm tetigero, munda ſum. Hæc verò eximia puritas, & interna, nedum externa caſtitas mirificè delectat, & quaſi alit ſponſum, qui propterea canitur ſeptus choreis virginum, inter quas verſatur feſtivus & hilaris, tamquàm agnus in paſcuis uberrimis, quod ſubjecta verba demonſtrant;

S. Agnes. *In Off. Breviar.*

Qui paſcitur inter lilia.

B PARAPHRASIS.

Qui voluptatem percipit, dum verſatur inter animas ob caſtimoniam, & puritatem liliis comparatas.

MIrum eſt profectò, ſponſum, qui paſtorum eſt princeps & nomine, & functione, non paſcere, ſed paſci inter lilia. Quamobrem meminiſſe oportebit, eundem non minùs agni, quàm paſtoris ſymbolo ſignificari. Introducit autem illum Spiritus Sanctus in ſcenam, velut agnum candidiſſimum, in campo, pratove liliis referto agentem, ac paſcentem, ut innuat, animas caſtimonia inſignes, quæ ſymbolicè lilia nuncupantur, ea eſſe paſcua, quæ ipſe libentiùs frequentat, & colit, ex quibuſque eximiam percipit voluptatem; hoc eſt enim paſci, quaſi planius dicas, guſtare. Quòd verò liliis conſita dicantur ſponſi agni paſcua, non violis, cæteriſque id genus floribus, efficit exacta cum ipſo ſimilitudo, quæ non adeò in aliis virtutibus elucere videtur. Sive enim, quà homo eſt, illum contueamus, virgo ex virgine exortùs eſt, matris illæſa, & obſignata puritate. Sive illum, quà Deus eſt, ſpeculemur, candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Jam verò, quia hoc liliorum pabulum dulciſſimum ſponſus expertus eſt, difficileque quis ab eo loco recedit, ex quo & requiem, & voluptatem elicit, ſponſa rei non ignara prodit, ſponſum decreviſſe, quamdiù immortalis jam ipſe, cum hominibus agit mortalibus, in iis liliorum paſcuis, velut in proprio, ac nativo ſolo ſe præſertim verſaturum, quouſque immortalitas appareat. Videtur enim loton guſtaſſe. Propterea dicit:

Animæ caſtæ lilia nuncupantur.

C

D

Donec aſpiret dies, inclinentur umbræ.

PARAPHRASIS.

In iis paſcuis liliorum agnus Dei candidiſſimus paſcitur: donec dies virtutis ſuæ (quæ gloriæ claritas eſt) juſtis affulgeat: & peccatorum umbræ, quæ mundum obtenebrant, in tartarum detrudantur.

E

QUaſi expreſſiùs loqueretur: Donec dies ille virtutis ſuæ, quæ illuſtriſſima eſt gloriæ claritas, aſpiret, hoc eſt, affulgeat, & umbræ mortis peccati, ſub quibus mundus ſepultus jacet, inclinentur, hoc eſt, in tartarum delabantur; ibi enim umbra mortis tota ex eo die concluſa, & horror ſempiternus habitabit. Pulchra certè tranſlatio à diei ortu, & umbrarum delapſu petita. Exoriente quippè ſole, & ſummo mane monitium vertices primùm illuſtrante, umbræ inclinari, hoc eſt, à culminibus ad imas valles delabi, & Solem ipſum quaſi fugere cernuntur. Sic cùm in adventu ſecundo ſponſus, verus juſtitiæ Sol, inclaruerit, omnis mundi caligo ipſum formidans, in tartarum detrudetur, dieſque lucebit æternus. Nunc verò expendenda eſt divinæ providentiæ ratio, quæ verbis proximis aperitur:

Tartari deſcriptio.

Comparatio.

Adventus ſecundus ſponſi.

F

Revertere (ſimilis eſto, Dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum) ſuper montes Bether.

PARAPHRASIS.

Dilecte mi, qui à liliis recedere ſoles ad deſiderium augendum, ne moreris abſens, ſed ocyſſimè revertere ſuper animas montibus Bether, ubi te manifeſtas, notatas; quæ ſicut lilia dicuntur ob puritatem, ita montes Bether ob contemplationem, cui puritas reddit eas aptiſſimas. Reverſionis autem modus hic eſto, precor, ut velut caprea, ſeu dorcas, eminus acutiſſimè cernas hos montes arcanos; quibus, inter alias, ego notor, & cùm opus fuerit, tanquam hinnulus, qui eſt ad curſum perniciſſimus, ad nos revertaris, ut ſis adjutor in opportunitatibus.

G

LIbenter ſanè inter myſtica lilia ſponſus verſatur; & figuratè dicitur ab eis nunquam recedere, quia crebriùs per familiare colloquium adeſt; quemadmodum à theatro numquam eum abeſſe dicimus, qui frequentat illud. Et quidem, quoties ſponſus lilia inviſit, ſpontè accedit. Pertinet autem ad divinæ ordinem, & harmoniam ſapientiæ, ut quod ipſe ſponſus præſtare decrevit, ab ipſo nihilò ſegniùs petatur, quàm ſi parum ille libenter annueret. Quantò enim acriùs urgemus, tantò petitio ad impetrandum fit nervoſior, & qui flagitat dignior. Propterea Salomon introducit ſponſum anxiè poſtulantem, & ſponſum quaſi averſum, ad ſeipſam prece convertere, & exorare ſatagentem. Revertere igitur (inquit illa,) hoc eſt, Qui

H

abi-

Scripta An. 1598.

abire, & crebrò ad lilia redire soles, ne absentiæ tempus protrahas, sed ocyus revertere. Novi te ad reditum promptissimum, sed orari vis, & repetita prece pulsari; ob id precor te, sponse suavissime, ad lilia, inter quæ consita sum ego, revertere. Opto ardentissimè, te, dum recedis, capreæ, dum reverteris, cervorum hinnulo persimilem esse; ut dum abes capream, cujus est visus acutissimus, imiteris, eminùs me, anxietatemque meam explorans visu perspicacissimo; cervum autem, qui est cursu perniciissimus, dum reverteris, æmuleris, accurrens ocyssimè ad opem anxietati ferendam, & me voluptate perfundendam. Sic ergo textus hîc interpretari debet, ut sponsus reverti ponatur, ac proindè illum abire opus sit, ut hac vicissitudine, dum abest, augeat desiderium, dum revertitur, cumulet voluptatem; dum longiùs recessisse putatur, ut caprea, visu sit præsens; dum redit, ut hinnulus exultans, currat in amplexus. Cur autem reverti super montes Bether dicatur, enucleandum est. Nonnullis placet Bether hîc montem Sinai, ubi cum Deo Moyses agebat, significare. Chaldæus autem paraphrastes montem Moriah, ubi Abraham filium immolare parabat intellexit. Sive autem Sina, sive Moriah intelligatur, satis ad rem sponsa loquitur. Sponsus enim in utroque monte, ut caprea suos dilectos respiciebat; ut hinnulus accurrebat ad opem. An non ad Moysen sæpe redibat in Sina, & populi bonis familiarissimè prospiciebat, ac si paterfamilias domus tantùm fuisset illius? An non in Moriah, & se clariùs manifestavit, & hinnulo velocior accurrit ad Abrahæ gladium retardandum? Benè quidem ista congruunt, at arcanum quiddam succurrit, quod ex utriusque montis in historia sponsa traducatur. In utroque quippè monte Moysi, & Abrahæ Deus præsentissimus affuit, suæque cognitionis lumine (pro ænigmatis statu) eximio illos cumulavit; ita quidem, ut duos eos montes ad divinum splendorem excipiendum à cæteris consultò videatur secrevisse: ut meritò Bether domus separationis interpretetur. His proindè montibus visioni destinatis, animæ translatè significantur, quæ ob castitatis candorem liliis comparatæ sunt, & ob angelicam vitæ rationem humana concretione, ceù valle multò excelsiorem, quasi in montium vertices visioni opportunos se erexerunt. Constat enim animas puritate insignes lumini divino concipiendo cæteris esse multò aptiores; sicut de Carpo, quem offendit in Creta, Dionysius Areopagita ad Demophilum Monachum scribit in hæc verba: Cùm aliquando in Cretam veniissem, me Carpus hospitio excepit, vir, si quis alius, propter magnam mentis puritatem ad cernendum Deum aptissimus. Quibus rectè perpensis efficitur, ut easdem animas, quas appellavit lilia, nunc sponsa montes Bether appellet; quasi disertiùs diceret, eas ob puritatem velut in altiorem naturam evectas esse eos montes, in quibus luculentiùs se sponsus manifestat. Sic igitur intepretamur verba, ut sponsa precetur: Dilecte sponse, qui soles abire, identidemque animas puras Bether montibus notatas revisere, revertere quantocyus super illas: In recessu autem, ac reditu similis esto capreæ è longinquo prospiciens, ac erga illas vigilans; ubi verò eas vel opè, vel solatio egere conspexeris, hinnuli more quàm celerrimè accurre. Verba sic contexenda sunt, Revertere Dilecte mi super montes Bether, similis esto capreæ, hinnuloque cervorum.

A

B

Bether qualis mons? *Paraphrasis Chaldaica.*

C

Bether domus separationis interpretatur.

D

Sponsæ ad sponsum deprecatio.

E

F

CAPUT III.

℣. 1. In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni.

PARAPHRASIS.

In requie, qua sponsus me teneram permulcebat, lectulo, ac noctis tempore notata, sponsum ipsum quæsivi; at non ibi cunctandum erat, & quia nimis ibi voluptati hærebam, illum non inveni.

POstquam ea verba disertè prompsit sponsa, quibus eam sponsus in arcano alloquio adhortabatur, ajens: Surge, propera, & id genus cætera, ut hortationis causam, & opportunitatem aperiat, hæc verba producit, quorum sensum ut assequamur, animadvertendum est, sponsam non admodum provectam depingi ante illam exhortationem; quippe, quæ tenerum, quàm fortem amorem magis experiebatur. Quod ut nobis edisserat, accita lectuli translatione opportunè utitur. Porrò neminem latet, lectos ad requiem comparari, noctisque tempus humanis commerciis ineptum ad somnum homines pellicere, omniaque tum hominum ingenia quasi sepulta jacere. Symbolicè igitur lectus, & nox, non arduum quippiam, quod natura formidet; non virtutis experimentum; sed eam requiem quam partibus recenter ad justitiam editis Deus immittit, cùm eos & lacte voluptatis alit, & indulgentissimè solatur, apertè notant. Et quidem tametsi, dum eiusmodi voluptatem sponsus efficit, adsit ipse; asseritur tamen non inveniri, cùm non propter se, sed propter voluptatem inquiritur. Est enim consentaneum, instillatum ab ipso dulcorem excipere; at non expedit in illo, sed per illum sponsum investigare. Quamobrem cùm sponsa in illo lectulo, & nocte arcana sponsum quæsivisset, idoneè satis fatetur incassum se laborasse ajens: Quæsivi illum, & non inveni. Parcè igitur voluptate fruendum & ad voluptatis effectorem ocyssimè properandum est. Propterea sic effatur:

Animadversio.

G

Lectus, & nox requiem notant.

H

Scripta An. 1598.

℣. 2. Surgam, & circuibo civitatem.

Per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.

PARAPHRASIS.

Ad amoris examen è lecto voluptatis surgam,
A *& in laboribus, ac ærumnis Ecclesiæ urbem perambulabo, sedulò me bonis operibus exercens. Sic enim voluptate non delinita, sed amore forti calamitates perferens ad sponsum perveniam.*

Matt. 17. 4. JAcebam in molli voluptatis lecto, Petrum imitata, voluptatis avida, perfectæ charitatis immemor, ajebam. Bonum est nos hîc esse. At quia didici pueriles mores, ac delicias exuere, excutiam me ipsam, & lacte relicto, ad cibum solidiorem assurgam. Hæc enim ascensio amoris est in valle constructa lachrymarum. Sic ergo sponsa effatur, & apertè docet; Surgere nihil esse aliud, quàm in perfectiorem charitatem ascendere. Hic verò ascensus non voluptate, sed cordis pressura & labore constat, quod Sanctorum
B res gestæ facilè declarant. Tunc enim illi fœliciùs creverunt, cum a Deo velut repulsi, omni prorsus voluptate orbati, ærumnis conficiebantur, & cruciatibus, per quos sponsum sollicitiùs, quàm antè quærebant. Hos,
Hebr. 11. 37. inquit Paulus, circuisse in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiatos, afflictos. Eleganter autem circuitus nomine usus est. Circuire quippè ibi, errare, vagari significat, ut notet animi anxietatem, qua cum quis premitur, velut inops consilii facilè huc, illucve impellitur, si vel exigua spes evadendi supersit; quemadmodum de Duce nostro
Helias Carmelitarum Dux. Helia memoriæ proditum est. Sponsa igitur,
C cùm deprehendisset, se Sanctorum circumeuntium debere vestigiis insistere, opportunè satis attexuit, Et circuibo civitatem, non externè, more illorum, qui urbem obsident, & eam circumeunt, sed intra civitatem, sedulò excurram, hac, & illac obambu-
LXX. Interpp. labo. Certè hoc aptè Septuaginta notarunt, qui significantiùs verterunt, circuibo in civitate, hoc est, intra Ecclesiæ fines omnes angulos circumiens sponsum perquiram, ut per hoc in hac sola civitate salus esse notetur. Porrò civitas hæc, est Hierusalem nova cœlo delapsa, præsens inquam Ecclesia,
Civitas est Ecclesia. quæ ad charitatis examen circumeunda est, donec sponsum perveſtigemus; sicut terre-
Luc. 11. 43. & seqq. strem Hierusalem trium dierum periodo Maria, & Joseph exerrantes perambularunt incredibili cordis anxietate, donec illum in templo repererunt. Sic igitur sponsa eloqui putanda est: surgam è voluptate, & tanquam
D à sponso derelicta, laboribusque tradita, perambulabo Ecclesiam, si fortè hac mea sedulitate, dum thalami fidem servo absens, nec circuitu fessa, nec anxietate fracta, in amoris experimento crescam, & effecta grandior sponsum queam invenire. Quod autem mox apposuit, ad eandem rem declarandam primùm conducit, Ait enim:

PARAPHRASIS.

Homines arctam salutis viam ingressos vi-
cis adumbratos, & eos, qui lata via gra- E
diuntur, quos plateæ notant, adibo; & utrosque penitus explorans, ac quid quid boni in eis elucet excerpens, ad eum, quem diligit anima mea, contento itinere festinabo.

MUltiplici periodo urbem pervasura sponsa, ut sponsum in veræ charitatis examine queat demereri, periphrasi quadam, ad describendos in civitate circuitus satis idonea utitur, cùm nihil se prætermissuram in urbe pollicetur, quod non adeat, atque percurrat. Sanè urbem in duas partes, vicos scilicet, ac plateas aptè distribuit, quibus urbis totius mensura constat. Vici sunt angustæ viæ ædificiis utrimque septæ, plateæ verò areæ sunt latiores, ac planiores in quas populus confluit à labore feriatus. His autem duabus partibus duo Ecclesiæ status exprimuntur: vicis angustioribus ii adumbrantur, qui per arctam virtutis viam utrinque legis structura sepți gradiuntur; plateis vero ii, quibus latum placet iter, cujus exitus est præceps. Circuire autem hujusmodi vicos ac plateas, arcane nihil est aliud, quàm utrumque hominum genus iis symbolis expressum explorare, crebròque mente adire, ut impressa illis sponsi vestigia sponsa dignoscat, avidèque sequatur, donec longum iter emensa post agonem valeat quem diligit invenire. Verum mirabile videtur, sponsam frequentare plateas. Etsi enim bene habeat, eam viros arctam salutis viam carpentes, vicorum angustiis notatos, imitari, ac austerioris vitæ rationem inire, ad amoris experimentum; at certè non videtur usquequaque consentaneum, hominum licenter agentium, eam mores addiscere. Hæc verò admiratio procul arcebitur, si meminerimus (quod observatione deprehenditur) plerosque, non orthodoxos tantùm, verùm ethnicos etiam, tametsi lata via gradiantur, nonnihil præ se ferre, quod etiam studiosi debeant æmulari, non enim natura extincta, sed vitiata est, unde vix invenire queas hominem, in quo non boni quippiam eluceat. Sic homines Venere dementatos, valde ad commiserationem propensos; sic iracundiæ addictos, orationis frequentare gymnasia cernas. Est autem mos eorum, qui
G sinceros habent oculos, turpes aliorum actus minimè internoscere, honestos verò quantumvis exiles, attentiùs contemplari, unde cæteros omnes tanquam virtutis præceptores suspiciunt, ac æmulantur (cùm id in eis tantum aspiciant, quod æquum sit & honestum. Et hoc modo plateas perambulare, ad perfectionis augmentum mirificè
H
con-

Scripta conducit. Rectè igitur ſponſa non vicos modò, ſed & plateas pervadit, ut quidquid honeſti in aliis conſpicit, ſedulò excerpat, ac ita bonis actibus effecta locupletior, in provectiore ſtatu ſponſum perveſtiget. Verùm quod apponit, audiamus.

An. 1598.

Quæſivi illum, & non inveni.

A

PARAPHRASIS.

Exercui me inquirens ſponſum per anxietates, ac labores, non tamen voluit apparere, ſed ſpem ad majora charitatis incrementa prorogavit.

DIvinæ providentiæ harmonia eſt, ſpem plerumque in ulteriora protelari, & ad fidem explorandam, & ad charitatem augendam. Evenire nimirum ſolet, animam ſponſo gratiſſimam, dum illum quærit ardentius, non invenire adeò confeſtim, quod ex prophetarum oraculis paſſim fit exploratum. Eſt autem animadverſione digniſſimum, eoſdem, qui de ſponſi conqueruntur abſentia, dum ſedato interquieſcunt animo, apertè fateri, id ſibi eſſe utiliſſimum, & ad amorem Dei ob id acrius incendi. Sanè Regius vates amanter conquerebatur, ajens: Uſquequò Domine obliviſceris me in finem uſquequò avertis faciem tuam à me? & aliis id genus querimoniis utebatur. Idem aut repulſæ hujus à divino amore profectæ ad vitæ correctionem vim expertus, ajebat: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi. Ac ſi planiùs ita dixiſſet: Tametſi dies, ac noctes precationi incumbam, & à te velut repulſus mœrore conficiar, non eſt labor inanis, non mihi inſipientiæ vertendum eſt; eo enim ipſo, quòd me quaſi deſeris, me fidei inconcuſſæ majore laude cumulas. In hunc ergo ſenſum interpretari oportet, quod ſponſa enunciat: Quæſivi illum, & non inveni. Ideo quippe non invenit, quia utilius erat ſpem prorogari, & firma in labore permanſione ad fæliciùs inveniendum per ardua procurrere. Eſt autem ſponſi mos, cùm quampiam cernit ſponſam proſperè procedere, obvios illi nuncios, Eccleſiæ Doctores mittere, qui ſalutaribus monitis: & ſecretiore philoſophia illam erudiant, & ad optata præſentioris Dei vota perducant, ut & propria navitate, & Doctorum ope, velis (ut ajunt) & remis navigare poſſit. Propterea ſubjungit:

Animadverſio.

B

Pſalm. 12.1.

Pſalm. 21.2.

C

Deus aliquando non exaudit, ſpem prorogans.

℣. 3. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem.

D

PARAPHRASIS.

Cernens autem ſponſus meam in quærendo navitatem, obvios miſit Doctores, qui Eccleſiam cuſtodiunt, qui conquiſitam invenerunt, ac illuminarunt me.

VIgiles, qui cuſtodiunt civitatem, ipſi ſunt Eccleſiæ præſides, ac Doctores, qui ad tuendam gentem ſibi creditam ſemper invigilant. Quia verò excelſior eſt ipſorum ſtatus, id præſtant in ſpiritali militia ſinguli, quod in externo bello pluribus committi ſolet. Cùm enim urbs aliqua obſidetur, quoſdam cernimus è mœnibus, ac ſpeculis hoſtium externos impetus explorantes, qui decreto ex loco ſub capitis reatu non recedunt; quoſdam verò intra urbem agentes, vias ſingulas obeuntes, hominum animos acuentes, & ſi qua excitatur ſeditio, pacantes, ne inteſtino urbs excindatur bello, dum cura in externos tota convertitur. Hæc autem duo munia Doctoribus ſimul commiſſa ſunt, ut & externos dæmonum, ac fidei hoſtium arceant incurſus, & urbis pacem, ac fœlicitatem intus alant. Quamobrem non uno in loco conſiſtere, ſed orthodoxorum cœtus frequenter inviſere, ſegnes hortari, acres promovere, univerſosque opportuna inſtruere debent armatura. Non domi pigritari, verùm aliorum domos adire, & ad colendam pietatem acriter incitare, tametſi ex hoc animæ ſalutis avidæ in exquirenda Doctorum vigilantia nihilo ſegniores effici debeant. Rectè igitur ſponſa, poſtquam feſtina ſurrexit, ſe dicit naviter quæſiviſſe, cui non te merè contigit ab excubitoribus inveniri. At illa tempus antevertere curavit, & cum noſſet Doctores, qui angelico miniſterio mentes populi purgant, illuminant, & perficiunt, probè noſſe viam, quà in ſponſum illa gradi deberet, ſic interrogat:

Eccleſiæ Præſides, & Doctores vigiles dicti,

E

Comparatio.

F

Num quem diligit anima mea vidiſtis?

G

PARAPHRASIS

Quos ego ubi conſpexi, rogavi, an vidiſſent ſponſum, & rectè conſiderant, qui poſſem invenire quem anima (non caro) diligit. Labores enim conſtans animus ex charitate tolerat, ſed ſenſus horret, ac expaveſcit.

NOn dubitat, ſed more vulgato rogat, an viderint ſponſum, hoc eſt, an rectè animadverterint, ubi ſit inveniendus, ideò quippè utitur eo verbo, vidiſtis, hoc eſt, exploraſtis, perſpexiſtis eum, quem diligit anima mea. Porrò breviùs dicere potuiſſet, Num quem diligo vidiſtis? at in modo loquendi mira proditur energia. Enimverò anima, quæ pro principe ipſius parte hîc uſurpatur, ſponſum diligit, cujus amore abſentiam, ærumnas, ac repulſas perfert; at caro hæc odit omnia, languet, ac mœret, cùm ex imperio mentis ad laborem impellitur. Nec mirum accidere debet, ſponſam

H

Anima principalis hominis pars.

Scripta An. 1598. A

sam voluptate nunc orbatam, & laboribus traditam in amoris examine animam à carne secernere, quod & Paulus charitate provectus de seipso ingenuè fatebatur, ajens, se mente servire legi Dei, carne autem legi peccati. Sed nunc boni, ac fausti nuncii verba libremus:

Ad Rom. 25.

℣. 4. Paululum cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.

B

PARAPHRASIS.

Mox ut Doctorum jussis acceptis, ad opus ex obedientia commissum pertransii, brevi ad sponsum perveni, ut optâram. Fœlicius cucurri, brevi Doctorum educatione hausta, propter obedientiæ vim, quàm longo tot laborum excursu sponsum proprio Marte quærens cucurreram.

C

DIvinum est oraculum, quotidiano experimento comprobatum, nullam esse viam rectiorem, planiorem, ac breviorem ad sponsum pervestigandum, quàm Ducum spiritalium, quibus ex divino præcepto obtemperandum est, monitis parere. Hinc evenisse credimus, eos, qui obedientiam colunt, & ejusmodi Ducibus se tradunt educandos, fœlicius crescere, ac citiùs ad charitatis proceritatem pervenire, quàm alios austeriorem vitam proprio arbitrio seligentes, ac se laboribus conficientes. Propera sponsa, quæ nunc asseritur Duces hos erudienda petiisse, cùm antè per ambages, ac circuitus, vicos, ac plateas pererrasset, laudabili quidem, at non adeò perfecta vitæ norma, plus brevi Doctorum eruditione, ac obedientia, quàm longo tot laborum excursu profecit. Quamobrem appositè satis, Paululum cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Quasi planius ita loqueretur: Sponsum proprio marte quæsieram, at parum profeci; ex quo autem scholam Doctorum, quibus obaudivi, salutavi, mirum dictu est, quam fœliciter creverim, cum enim acceptis eorum præceptionibus pertransirem, hoc est cœptum iter persequerer; paulò post sponsum inveni. Hoc mihi vis præstitit obedientiæ, ac Patrum educatio. Nunc autem, quàm arctè sponsum complexa fuerit, jucundissimè refert.

Obedientia brevior, ac tutior ad sponsum via.

D

Tenui eum.

PARAPHRASIS.

Apprehendi illum inventum, & velut cum eo luctatura: illum fortiter tenui, ut Iacob olim fecit. Ex quo forti complexu sensus emarcuit; ut solo jam spiritu nitar, & vivam.

Gen. 32. 25.

A Deò, inquit, antè illum apprehendi; ac si eum visceribus meis intimè essem insculptura. Certè, cùm quis diù pulchrum quippiam concupivit, ac spe protensa desiderium excrevit, incredibili quodam præsens bonum amplectitur affectu. Ut ergo verborum vim perspectam habeamus, in ea, quæ dicta sunt, oculos referre operæ pretium est. Satis autem patere potest sponsam diù caruisse sponsi affatu, ac præsentia, & longum iter confeciisse. Nunc verò ipsa loquendi forma notat, se, ubi primùm sponsum conspexit, postquam Doctores paululùm prætergressa est, in præsentem insiluisse, ac velut manibus tenuisse, qui est luctatorum mos, cùm in palestra versantur. Tenuit ergo illa sponsum, cum ipso animosè luctatura, ac ut alter Jacob prope vadum Jaboch cælestem benedictionem pro lucta relatura. Et quia novit, quid sponsus cum Jacob egerit, cùm tetigit nervum femoris, qui statim emarcuit, sperans sibi simile quippiam evenire posse, tenet eum. Porrò sponsus se teneri gaudet, ac vinci, hoc est, exorari. Ex quo fit, ut clementissimus Deus, verè philantropos, nervum femoris sponsæ tangat, qui extemplò marcescit, illaque claudicat altero pede. Vulgatissimum est femore sensum notari, carnisque libidinem, quæ in ea corporis parte viget. Unde & generandi vis ipsa libidini semper admista, crebrò femore innuitur, ex quo illa scripturæ phrasis emanavit: Hæ, vel illæ sunt animæ de femore hujus, vel illius egressæ. Nervum ergo femoris cum ipso luctantis, ipsumque tenentis sponsæ sponsus tangit, ac emarcescere facit, cùm illius carnem edoinat, motusque effrænes sedat, & loco excedere jubet. Ac ita sponsa, quæ antè geminis incedebat desideriis, carnalia quidem sentiens, sed spiritalibus consentiens, nunc uno dumtaxat pede graditur spiritalia complectens, altero carnis pede claudicare demum edocta. Jam verò ut persp.cere possimus quàm arctè sponsa sponsum tenuerit, Jacob ad unguem æmulata, quæ sequuntur expendamus. Ait enim illa:

E

Luctatorum mos.

Gen. 32. 24.

F

Femore sensus notatur carnis libido.

Nec dimittam.

PARAPHRASIS.

Affectu ardentissimo sponsum amplexa, luctabor cum illo (ut Jacob olim fecit,) nec dimittam illum, nisi me largo benedictionis imbre perfuderit, hoc est, charitate cumulaverit.

Gen. 32. 26.

IN prætacta Jacob historia scriptura tradit, virum quendam luctantem cum Jacob ipso precatum fuisse in hunc modum Dimitte me, respondisse verò Jacob, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Hoc ergo idem arcanè sponsa docet sibi cum viro illo (qui proculdubiò sponsus est) contigisse. Enimverò plerumque accidit, animam

H

Scripta An. 1598.

diù à ſponſo repulſam, laboribuſque ferendis traditam, velut è medio mari fluctibus ad portum jactatam, ad optatiſſimum Deum avidiſſimè confugere, eumque adeò fortiter apprehendere, ut niſi largo benedictionis imbre perfundatur, amoriſque acceſſibus ditetur ab eo, non deferveat ſpiritus incendio. Sic igitur effari ſponſa exiſtimanda eſt:

A Diù ſponſi carui commercio, hac & illac ipſum inveſtigans: poſtquam verò à Doctoribus erudita illum comperi, cum eo cœpi luctari, unde ſenſus emarcuit. At non continuò mihi ſatisfactum fuit. Non enim aliter, quàm Jacob olim poſt nervi etiam tactum, illum fortiter tenebo, nec dimittam, quoaduſque optatam benedictionem impertiat. Si verò curioſius inquiramus; quouſque ſponſa decreverit cum ſponſo pro benedictione luctari: Reſpondet:

B Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

PARAPHRASIS.

Tenebo illum fortiter mihi adſtrictum, nec recedere ſinam, quouſque ego, quæ illius vehiculum effecta ſum, è corpore migrans introducam eum in me manentem, in aulam ſuperne Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra, & in ſedem mihi in patria decretam, quæ eſt ſymbolicum cubiculum, genitricis meæ prædictæ operâ comparatum, ut ibi ſponſo fruar.

C NOn divellar à ſponſo ſuaviſſimo, dum vivam. Sed illum arctiſſimè mihi adſtringam, donec peracto vitæ hujus ærumnoſæ curriculo, ut ferculum quoddam veham illum, & introducam in aulam ſuperne Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra. Profectò ut arcanè dicamus Deus tunc ab anima concipitur, cùm primùm ea ad gratiam evocata, ſponſum gremio voluntatis excipit. Creſcit autem in anima ſponſus per charitatis incrementa. Denique anima in cœlum ſublata, cùm ferculum Dei ſit, invehit illuc, ac introducit ſponſum jam ſtatura procerum. Quouſque igitur è corporis liberata cuſtodiis migret in ſanctam civitatem, quæ à Paulo dicta eſt mater noſtra, ſe inquit arctiſſimè ſponſum amplexaturam, ut ſic plæniſſimam ſortiatur benedictionem, qualis electis univerſis, velut hæreditario jure obventura eſt, cùm ex ore ſponſi verba illa immenſæ voluptatis plena excipient: Venite benedicti Patris mei. At quod adjungit ſponſa, dum ait, Et in cubiculum genitricis meæ, eundem habet ſenſum, paulò tamen diſtinctiorem. Notat enim, in civi-

D tate illa ſuperna, quæ Regis, ac electorum aula eſt, eſſe diſcreta cubicula, hoc eſt, ſedes beatorum diſcretas unicuique aſſignatas. Et cum exantlato agone anima repetit aulam cœleſtem, ſuum diſcretum eſt habitura cubiculum, quaſi à genitrice ad nuptias cum ſponſo celebrandas dedicatum. Profectò cùm mater filiam nuptui tradit, cubiculum mirificè exornatum, ubi cum ſponſo jure fruatur conjugali, perquam ſedulò comparat. Quam ſanè curam matri illi ſupernæ E erga filias, ad lætiſſimum epithalamium in patria canendum, minimè deeſſe, ſponſa innuit per ea verba; Et in cubiculum genitricis meæ, hoc eſt, quod genitricis meæ ſupernæ providentia, mihi ſponſo in mea ſede fruituræ, apparatum eſt. Sic ergò domus, & cubiculum arcanè accipi conſentaneum eſt.

Mater noſtra eſt ſuperna Hieruſalem.

Gal. 4. 26.

Minimè autem ſileri debet energia, quæ ſe prodit in verbis modò explanatis, Tenui eum, nec dimittam, donec introducam, &c. Hoc nimirum arctiſſimo, & conſtantiſſimo complexu à ſponſa ſe teneri vult humaniſſimus ſponſus; ut per hoc pateat, nobis ita F eſſe nitendum ad ipſius benedictionem fauſtiſſimam impetrandam, ac ſi ab eo eſſet extorquenda, non ultrò impertienda. Quantò enim fortiùs enitimur, tantò erit largior benedictionis imber. Hîc annotare oportet, ex hoc arctiſſimo ſponſi complexu in ſponſæ animam incredibilem permanere voluptatem, quæ proindè illam ad ſe rapit, ac ſenſuum functione privat. Quamobrem opportunè ſatis hîc attexitur ſponſi conſueta adjuratio, qua prohibet ſponſam ullo prætextu à ſomno ſaluberrimo excitari.

Animadverſio.

SPONSVS.

℣. 5. Adjuro vos, filiæ Hieruſalem, per capreas, cervoſque G camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipſa velit.

VErba hæc in ſecundo capite ſunt explanata, quamobrem non oportebit eorum repetere interpretationem. Prætereundum verò non videtur, hunc arcanum in ecſtaſi complexum tantò eſſe illo primo ſuaviorem, doniſque cœleſtibus pleniorem, quantò poſt illam primam ecſtaſim ſponſa fœliciùs crevit, ac ſtrenujus laboravit. Nunc verò Doctorum, qui ſponſam erudierant, ac viam, qua incederet, commoſtrarant, chorum in ſcenam à Salomone introductum audiamus. H

Animadverſio.

DOCTORES.

℣. 6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit?

PARAPHRASIS.

Quænam eſt iſta, quàm ſtrenua, quàm fortis, quæ cùm deſcendere deberet, eò quòd ex Adæ terra compacta eſt, originiſque pon-

Scripta An. 1598.

pondere per ima scelerum præcipitem se dedit, nunc vi nova, planèque mira in virtutis ardua conscendit?

MUtuò se rogant ipsos Ecclesiæ Doctores admiratione quadam, emphasis, ac energiæ plena: Cùm enim animarum educatores sponsam quampiam, deposita curarum fluxarum mole, imperio parentem, fœliciterque properantem conspiciunt, quam corporis concretio non prægravat, cursumvè retardat, ab admiratione sibi nequeunt temperare. Cursus autem celeritatem ascensus verbo notarunt, est enim cursus non per plana, sed per ardua, & rigentia saxa, quæ nisi ascensu nequeunt superari. Ideò ergò mirantur, quia sponsa, quæ carne compacta est suoptè ingenio gravi, per arduum virtutis iter festina conscendit, quemadmodnm jure nos miraremur, si prægrandem lapidem non in ima ferri, sed in montium vertices nova vi moveri cerneremus. Sic igitur loqui Doctores putandi sunt: Quænam est ista, quæ ascendit? Nonne ex Adæ genere, quod carnis, peccatique pondere in ima deprimitur, profecta est, ac proinde jacere deberet, quomodo ergo surgit? quomodo ascendit? Mirum est planè, sponsam terrena stirpe prognatam ascendere. At si loca, per quæ ascendit, oculis percurramus juxta arcanæ geographiæ præceptiones, augebitur admiratio. Ajunt enim illi:

A

Comparatio

B

Per desertum.

PARAPHRASIS.

Verè mirandum accidit, eam naturâ ægram non per plana incedere, sed quod longè difficilius est, per extuberantia loca, non aliorum hominum brachiis fultam: graditur enim per desertum mundi, in quò non est charitatis habitatio, unde nemo illi manum porrigit in hac solitudine, per quam perniciter graditur.

C

VIX homines ægri per plana queunt incedere sine aliorum adminiculo. Nam si locus extuberat, scalave conscendenda sit, alienis proculdubiò sunt manibus fulciendi. Hæc igitur nova est admirationis ratio, quam penitissimè convenit explorare. Porrò desertum est locus hominum habitatione destitutus, tametsi plantæ, animantiaque frequentissima ibi sint, cùm quibus homo societatem habere non valet ob naturæ inferioris humilitatem. Unde quamvis homo inter leones, elephantosve cicures versaretur in regione quapiam, semper ageret in deserto, si mutuo aliorum hominum commercio, habitationeque careret. Sic Theologi ajunt, si personæ divinæ plures non essent, Deum fore solum, vel solitarium, quasi dicas in deserto versantem, etiamsi Angeli, animæque beatæ cum ipso vitam fœlicem ducerent ævo sempiterno. Non enim solitudo tollitur per societatem extraneæ naturæ dignitate posterioris. Nunc ergo maximè expendendum est, animas ad divinam quandam dignitatem per gratiam, & charitatem evectas divinæ naturæ fieri consortes; quamobrem cæteris humano tantùm sensu viventibus effectæ longè excelsiores, tametsi inter peccatores hanc externam mortalem vitam agant, verè tamen, si novam, eamque divinam vitam, qua donatæ sunt, contemplemur, societate carent, cùm rarissima sit in hoc mundo charitatis societas & habitatio, quapropter eleganter sponsa dicitur & in deserto agere, & cum ærumnas in eo perfert, illiusque asperitate utitur, ad charitatis incrementa, & cordis adscensiones graphicè asseritur per desertum ascendere. Poterunt sanè cæteri homines charitatis expertes leones, elephantive nuncupari, in quibus agnoscitur exigua quædam humanæ excellentiæ, prudentiæque similitudo, si cum sponsa conferantur; at cùm non attingant naturæ divinæ consortium, quo illa cumulata est, societatem, ac habitationem cum ea habere non valent, ac proindè solitudinem, seu desertum de medio tollere minimè possunt. Iam igitur viarum asperitas, & frequens montium, clivorumque inæqualitas superatu difficillima, ab ægra natura ex Adæ sanguine propagata non sine admiratione transcenditur. Hunc itaque Doctores sponsæ adscensum demirantur, ac si luculentiùs in hunc modum interrogarent: Quænam est ista, quæ, cùm sit ex eodem efficta luto, quo tota posteritas Adæ compacta est, tam insigniter super cæteros caput effert, & cùm sit ex origine sua imbecillis & ægra, non per plana incedit, sed per clivosa, & surrecta loca conscendit, per desertum, ubi non est, qui porrigat illi manum? Modum verò ascensus istius admirandi Doctores huic admirationi appingunt, quod ad rem totam illustrandam plurimum conducit.

Anima per gratiam quid divinum efficitur.

E

F

Doctorum admiratio.

G

Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.

PARAPHRASIS.

Persimilis effecta est sponsa virgulæ fumi, ex myrrhæ, thurisque aromate igne adusto exurgenti. Nam mortificationis amarulentæ myrrha, & orationis thus, traditum divini amoris incendio, sursum fertur, & ut virga quædam directionis igneo charitatis motu in Deum intenditur.

H

TAbula quædam spiritu divino; velut sponsi digito eleganter picta, nobis proponitur, in qua modum, quo sponsa in hac valle deserta ascensiones in corde suo disposuit, contueamur. In qua debemus mente concipere pastillum ex lachryma Myrrhæ, Thurisque confectum, in ignem injectum, ac demum ignis vi resolutum, ac sub fumi tenuis imagine in altum elatum. Ex hac ni-

Deserti descriptio.

D

Scripta An. 1598.

nimirum aſpectabili rerum coporearum ſimilitudine arcanus aſcenſus eſt eruendus. Porrò vulgatiſſimum eſt myrrhæ amaritudinem, eam quam ſancti Patres dixêre mortificationem, thure verò, quo in ſacroſancto ſacrificiorum ritu utriuſque legis ſacerdotes uſi ſunt, mentis elevationem, quam Patres orationem appellavêre, notari. Planè verò perſpicimus, has duas egregias ſponſæ virtutes id præſtare, ut altera quaſi auferat nativam gravitatem generis terreni; altera verò levitatem ingerat, qua ſurſum anima vehatur. Enimverò mortificatio ſenſuum, qui mentem prægravat, edomat, carniſque pondus procul arcet. Oratio verò, cujus ingenium eſt ferri ſurſum, addit quam Philoſophi appellant levitatem, qua mens hiat in ſuperna. Cernimus igitur, quàm appoſitè ambo hæc aromata Doctores commemorarint, cùm de aſcenſu ſponſæ in admirationem rapiuntur. At profectò magis arcanum eſt, quod ajunt, ex utroque aromate exilem fumum virgæ figuram referentem excitari debere, ut omninò conſtet pulchra hæc ſimilitudo. Niſi autem aroma iniiciatur in ignem, ſuſcitari fumus nequit. Ignis verò divinæ charitatis, ſuapte natura flagrantis, apertiſſimum ſymbolum exiſtit. Innuunt ergo Doctores utramque illam ſponſæ, virtutem, aromatibus illis adumbratam etſi ad aſcenſum mentis opportunam, non tamen ea vi præditam eſſe, ut tam fœlix hîc ſponſæ aſcenſus ei tribui deberet, niſi in charitatis ignem iniiceretur. Ex hoc enim planè fit, ut cæteræ virtutes, quæ in excelſum charitatis finem ex ſola ſua nobilitate non poſſunt efferri, ſi illi permiſceantur, & ab ea in ſuum finem dirigantur, quandam quaſi levitatem contrahant, qua valeant charitatis motu cieri, igneamque naturam imitari. Sic igitur, cùm mortificationis, orationis virtus, ſeu quæcumque alia à charitate in ſuum finem dirigitur, virgula quædam directionis ſurſum intenditur, quæ arcani ſacrificii fumus eſt odoratiſſimus. Ubi apprimè animadvertendum eſt, aromata illa colliquefieri, ac reſolvi, & in tenuiorem fumi evaporationem ab igne converti. Quia videlicet ipſa mortificatio, ac oratio, ſi ex morali tantùm honeſtate perpendatur, craſſum quiddam eſt, nec in cœlos intimos penetrare valet, niſi charitatis igne liquefiat, & extenuetur, & quandam velut ſubtilitatis dotem adipiſcatur, qua ſe in Dei pectus inſinuet. Verùm myſterio minimè vacat, quod de pulveribus pigmentarii ſubdit, ſub ſymbolo pulveris univerſi virtutes univerſas eleganter innuens. Quòd enim aromatibus, quæ conficit pigmentarius, virtutes exprimantur, ex aromatum odore, ac pretio patere poteſt: at quid ſibi vult aromatibus in pulverem tritis comparari virtutes? Profectò plurima in verbis ineſt energia, cùm ait:

Myrrhamortificationem deſignat. Thus orationem notat.

A

B

Morum documenta.

C

Animadverſio.

D

Et univerſi pulveris pigmentarii.

PARAPHRASIS.

Non eſt ſponſa ſimilis virgæ ex aromatibus integri, ſed ex contritis, ac in pulverem redactis excitatæ. Deus enim peritiſſimus pigmentarius eam ad experimentum amoris cædit, & virtutes examinis malleo conterit, quæ dum attritæ ab igne charitatis corripiuntur, & ſuaviùs olent, & rectiùs in Deum inſtar virgæ fumi feruntur; penetrat enim eas tritas ignis faciliùs, ac in ſubtiliorem quandam naturam convertit.

E

SAnè odorati paſtilli priuſquam acerris, ſeu thuribulis injiciantur, ſolent conteri, ac ita in pulverem redacti prunis inſperguntur unde citiùs excitatur fumus, ocyusque percipitur ſuavis ille odor, qui non tam facilè ex paſtillo integro ſuſcitaretur ob moram, quam ignis traheret in eo abſumendo. Hoc igitur modo Deus ſapientiſsimus, tanquam peritiſſimus pigmentarius, ſponſam cædit, ærumniſque quodam modo conterit, ut ità virtutes illius examinatæ, & velut in pulverem redactæ, amoris prunis adſperſæ, in cordis ara fument, ac recto illo amoris adſcenſu raptæ (quæ arcana fumi virga eſt) in puriorem, cœloque ſimiliorem naturam converſæ, ad Dei olfactum perferantur. Pluribus ex capitibus ſponſam commendavit Doctorum chorus, allatis myrrhæ, thuriſque metaphoris; at hoc pulveris hieroglyphicum, omnium laus potiſſima eſt, qua perſpicuè declaratur, nec virtutes quidem ipſas Deo immolari poſſe perfecto illo ſacrificii ritu, quod holocauſtum appellamus, niſi examine conterantur, ac ità demum igni amoris abſumendæ tradantur. Porrò cùm vitulus, ſeu quodvis aliud animal ſacrificabatur olim, cædebatur primùm, mox verò cæſa animalis fruſta igni tradebantur amburenda, ſic virtutes interno ſacrificio immolandæ, exterendæ, ac velut in fruſta cædendæ primùm ſunt ex amoris imperio, deindè amoris ipſius flammis exurendæ, ac in Deum, qui amoris eſt ſcopus, rectà dirigendæ ſunt, quo quidem ſacrificandi ritu virtutes ipſæ ſupra naturam propriam in Deum efferuntur, & in Deum intentam charitatis virgam impreſſo amoris motu æmulantur. Nunc autem audire delectat novam quandam ſimilitudinem, ad egregiam ſponſæ progreſſionem exprimendam opportuniſſimam. Sic quippe Doctores effantur:

Ritus ſacrificandi vitulos.

F

G

℣. 7. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.

PARAPHRASIS.

H

Sponſa lectus eſt Salomonis noſtri pacifici, qui in corde ſponſæ velut in molli lecto conquieſcit. Ille quippe locus abditiſſimus eſt, ab omni perturbatione ſemotus, qui ad quietem inſtar lecti videtur deſtinatus. Ne autem tranquillitas ea lædatur ab hoſte, ſenarium

Scripta An. 1598.

custodum numerum sponsus illi lecto præfecit decies repetitum, decade perfectionem, senario verò laborem custodum delineans.

QUam fumi virgulam nuncuparant, nunc lectulum Salomonis Doctores appellant, in quo plura sunt arcana non oscitanter prætereunda. Notum est, Salomonem & ex regia dignitate, sacraque unctione, & ex cumulatissima sapientia, & ex ipso nominis interpretamento, sponsum significare, qui pacis author extitit. Etsi verò Rex hîc immortalis requie non egeat, ob humanissimam tamen in nos propensionem corda hominum, velut ostia pulsat, in quæ cupit introire, ibique velut in lecto molli conquiescere. Nonnulli autem pulsantem ipsum, spem procrastinantes eludunt. Alii ostia referant, vix tamen alterum pedem inferre sinunt. Alii ulteriùs admittunt, sed inurbanè agunt, nec lectum sternunt, ipsumque stare cogunt, tamquam citò recessurum. Alii verò urbanitatem edocti, admissum colunt, cordisque lectum studiosè comparant in penitissimo recessu ab omni anxietate longè semoto, in quo sponsus ab aliis, repulsus, tanquam fessus de via quiescit. Locus hic augustissimus est, in quem solus Salomon noster ingreditur; rectèque Salomonis, hoc est, pacifici lectus appellatur. Est enim ibi pax jucundissima, motibus adversis immunis, qua nihil tranquillius inter mortales possit esse. Ut verò pax hæc diuturna esse queat; id agit sponsus, quod urbium pace gaudentium principes factitare solent. Præficiunt, mœnibus exploratores, portisque custodes pacis cupidissimos, & ad arcendos hostium pacem rescindere satagentium impetus instructissimos. In hunc enim modum sponsus Angelorum, Doctorumque præsidio sponsæ cor sepsit, & pro foribus stare jussit, ne quis motus ab hoste excitatus, pacem obturbet, lectumve commoveat, in quo cum sponsa ille cubat. Hos autem lecti custodes, & sexaginta esse Doctores ajunt, & fortes appellant. Fortium verò nomenclaturam mox aperiemus; sexagenarii numeri modò rationem aucupemur. Porrò sexagenarius numerus nihil est aliud, quam senarius decies repetitus. Decadis autem perfectio exploratissima est, cùm eo usque numeri procurrant, & quasi apicem attingentes, nec ultrà procedere valentes, ad monadem inde descendant. Senarii verò numeri ratio, ex rerum creatione deprompta, tempus laboris, navitatisque notat: sex quippè diebus sponsus mundum condidit, septima requievit. Sexaginta igitur custodes custodiæ sui lectuli Salomon noster dicitur præfecisse, quando numerum custodum perfectum decade notatum ad navitatem & laborem sex dierum opere significatum, accinxit, ac disciplina militari erudivit. Hoc ergo est agmen, quod excubat ad sponsæ custodiam, cujus officium, quod labore, ac navitate constat, partim Doctores adumbrarunt sexagenarii numeri mysterio, partim modò notant, sic ajentes:

Nomine lectuli quid?

Similitudo.

Lecti custodes sunt Doctores.

Sexagenarius numerus.

Ex fortissimis Israel.

PARAPHRASIS.

Fortes hi, qui præ fortitudine pericula non formidant, non ex quocumque pervio agmine, sed ex fortissimis Jacob, qui pro fortitudine dictus est Israel, æmulatoribus, ac sectatoribus selecti sunt, tales enim oportet esse lecti Salomonis custodes.

SAtis profectò videri posset, excubitores fortes appellasse, ne oportuisset addere ex fortissimis Israel. Fortes quippè sunt, qui pericula, cùm expedit, non timent, sed experiuntur, & honesti causa mortem oppetunt, quæ vera est proprietas Doctorum sponsam ex sponsi præcepto tuentium. At sanè hoc ipsum fortitudinis ingenium expressiùs pingitur, cùm Doctores addunt, ex fortissimis Israel. Est enim Israel nomen proprium fortissimi illius athletæ, qui manum cùm viro illo juxta amnem conseruit, ac prævaluit, & præsagio oraculum accepit, fore, ut contra homines prævaleret, quia contra Deum fortis fuerat. Ubi nomen Israel, deposita Jacob nomenclatione, recepit ad fortitudinis significationem luculentissimam. Sic enim dixit ille vir: Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, (& causam attexuit) quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis? Qua in re mirum accidit, cur Deus illi jubeat deponere nomen Jacob, quod supplantatorem, ac proindè robore, ac fortitudine præditum significat, & nomen Israel accipere, quod Deum cernentem notat, si ostensam in lucta fortitudinem tanquam causam nominis adducit. Profectò Jacob, quam Israel aptius nomen videtur ad nervos, & ad fortitudinem propalandam. Abstrusa est hæc philosophia, quam sponso auspice conemur explorare. Profectò robur hoc corporcis nervis innixum, & ad mundi præfecturam, qua Esau prælatus est Jacob, spectans, egregiè signabatur supplantatoris nomine, quod probè animadvertit Esau ipse cùm de primogenitura conquerebatur erepta. At vis illa divina, & cælestis fortitudo, qua quis cùm Deo certat, & nunquam quiescit, quoadusque illum flectit, & quasi aversum convertit, & ut se clarius manifestet, oratione pervincit, illa inquam fortitudo luculentiùs Israel, quàm Jacob appellatione notatur. Est enim cognomentum à victoria petitum, quemadmodum Imperatorem quempiam, puta Justinianum Germanicum, Gothicumve dicimus, ad triumphum ex iis gentibus reportatum innuendum, quibus tamen cognomentis non robur, non industria literatè significatur; at ex universorum hominum sensu, iis appellationibus auditis, victoriæ fortitudine partæ succurrit imago. Sic prorsus, cum Israel audimus, non robur, non nervos audimus, sed victoriam de Deo reportatam, divina quadam fortitudine par-

Fortes nulla pericula timent.

Israel nomen fortissimi Athletæ. *Gen. 32. 28.*

Scripta An. 1598. tam intelligimus. Propter hanc ergo eximiam fortitudinem, & cognomenti notam constitutus est à Deo Jacob dictus Israel, caput & ductor virorum omnium fortissimorum, qui illius fortitudinem æmulati sunt, sicut Abraham pater credentium nuncupatus est. Ex quo fit, ut fortissimi Israelis sint ejus posteri, ac in fortitudine imitatores, ex quorum selectissimo numero esse debent
A ii, quibus sponsæ cura credita est, ut qui jam Deum ad sua vota flexerint, & pia lucta, ut secum familiarius agat, clariusque affulgeat, obtinuerint, tutò aliorum curam gerere, & custodes esse possint. Porrò fortissimos Israelis ea phrasi nuncupamus, qua milites hujus, aut illius ducis dictitare solemus: Sapienter igitur Doctorum chorus divinam in sponsam protectionem explicuit, cùm eam à pugnatoribus, non trivialibus, non vulgari fortitudine munitis, sed cum emphasi, a fortissimis Israel dixit ambiri. Hucusque verò, & numerum, & fortitudinem pugnatorum expressit, nunc, quo utantur armorum genere, pergit explicare.

B

℣. 8. Omnes tenentes gladios.

PARAPHRASIS.

Habent arma, non lanceas, aliasve machinas ad sectionem parum opportunas, sed gladios ancipites, quæ sunt munimenta, & sermonis Dei symbola, qui velut gladius anceps penetrat, & pertingit usque ad divisionem animæ, ac spiritus. Hoc quippe gladio, partem animæ, quæ spiritus appellatur ab ea, quæ dicitur anima, exsecant, & dividunt lecti custodes, & quia bellum semper urget, non vaginis inclusos, sed districtos manibus gladios tenent, quasi ad hostem invadendum.

C

NON tradidit eis sponsus custodiæ præfectus lanceas, quas evibrarent, aut bellicas machinas, quas intorquerent, nec denique aliud quodpiam armorum genus ad cædendum, ac exsecandum minus idoneum, sed gladios exacutos, & hos non vaginis inclusos, sed exemptos, manibus apprehensos, & ad cædem admotos. Profectò, cùm symbolicè hîc agatur, spiritales gladios interpretari oportet, quos tenent Custodes: Gladium verò spiritus esse verbum Dei, Scriptura prodit. Verbum autem Dei, sermo Dei est, quem Paulus tradit (licet cum excessu, comparatione tamen utens) esse penetrabiliorem omni gladio ancipiti, usque ad divisionem animæ, ac spiritus pertingentem. Eadem sanè res, anima & spiritus, at functione discreta.
D Quà enim corpus movet, ac fovet, anima dicitur, quà verò superna concipit, spiritus appellatur. Fit autem mira verbi Dei energia, & acumine, ut anima functionis animalis velut oblita, solis superno influxui tota pateat vi verbi divini, & tunc elegantissimè dicitur spiritus ab anima dividi. Hunc ergo

Gladium Spiritus quid *Ephes. 6. 17.*

gladium, spiritum ab anima suo acumine secantem, ac dividentem unusquisque custodum sponsam propugnantium versare debet, ut omnes animæ, quà corpori affinis, & amica est, motus excidat, nec in lectum cordis irrepere, quietemque perturbare patiatur. Si enim primos ejus generis motus animæ educator quantocyus exsecuerit, docens effrænem
E domare sensum, pacem illam internam illius descripti lectuli, in qua factus est sponsi locus, diutissimè conservabit. Quia verò motus moderati sine induciis in lectulum conantur irrumpere, & cor sponsæ commovere, oportuit omninò custodes lectuli districtum semper ensem tenere, atque versare. Hic enim est habitus militum, non cùm gradu composito incedunt armati, non cùm castrametantur, non cùm in statione persistunt, verùm cùm tympano insonante hostem invadunt. In hunc ergo morem educatores animæ sermone Dei continenter uti debent, hostes pacis sponsæ præcurrentes, ac invadentes, ut divini verbi efficacitate sensum cædant, nec rebellare sinant, quoad fieri poterit. At insigni disciplinæ militaris peritia ad hoc opus; quo
F spiritus dividitur ab anima, opus est; propterea sponsa fœliciter gradiens non quibuscumque belli gestoribus, sed consultissimis, sed experimento provectissimis tradenda est. Propterea satis appositè Doctores addunt:

Comparatio.

Et ad bella doctissimi.

PARAPHRASIS.

Creberrima concertatione in scholis fiunt homines doctissimi, longo temporis excursu, non enim temporis longitudo tantùm, sed pugna necessaria est. Sic lecti custodes longo tempore, frequentique conflictu cum hoste ad bella evasere doctissimi: tales enim animæ decet esse Doctores.

G

IN bene constitutis urbibus, non modò ubi bellum impendet, verùm etiam ubi togati cives incedunt, belli simulacra exerceri debent, quò, cùm hostis irruperit, arceri, & civium animi fortitudine, ac constantia ex iis progymnasmatis concepta erigi possint: Sicut cecinit Poeta:

Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis; domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus; aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque, ictuque lacessunt.

Virg. Æn. l. 7. v. 163.

H

Hoc planè modo in urbe Hierolymitana, Ecclesia videlicet, ab Imperatore militiæ consultissimo condita, juniores animæ educantur in palæstra, & cum sævissimo humani generis hoste colluctari debent, & incredibili navitate, ac strenuitate egent propter

Scripta An. 1598.

pter hoſtis calliditatem, ac impetum. Quia verò prudentia militaris exiguo tempore parari nequit, ſed acceptis, & illatis ultrò, citròque vulneribus experimento diuturno ediſcitur, ætate jam provectos, ac veteranos pugnatores oportet eſſe, qui doctiſſimorum laudem promerentur. Ut ex horum
A numero ſelecti ſunt ii, quibus ſponſæ cura credita eſt. In quorum agmine minimè recenſeri debent, qui doctiſſimi evadere conati ſunt, non tamen ad bellum, & conflictum, ſed ad jactantiam & ignaviam. Pergamus tamen, & quod apponitur auditu jucundiſſimum, expendamus.

Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.

PARAPHRASIS.

B *Ne dæmones carnis voluptatem ſuggerentes, ob mentis, quam inducunt, cæcitatem, appellati nocturni, cuſtodes prælio capiant, armati ſunt ita, ut unuſquiſque enſem diſtrictionis ſuper femur habeat, non ad ornatum, ſed ad inciſionem Veneris femore notatæ.*

MIrabile videtur, poſtquam aſſertum eſt, fortes illos tenere gladios, deſcribi eos modò enſem ſuper femur habentes. Quorſum enim duo gladii? Et tametſi duos gladios admittamus (nec enim unus in hoſtem, & ſponſæ tuitionem intendi ſimul, & femori hærere poſſe videtur,) at qua
C poterit manu verſari? una enim dumtaxat dextra gladio apta eſt. Verùm hîc mira latet rerum concinnitas, quam è verbis eruere nitamur. Et primum impensè animadvertendum eſt, enſem in femore pictum, non appenſum geſtari, vagina conditum, quemadmodum fieri conſpicimus, cùm non pugnatur, ſed exemptum manu teneri, ac admoveri ad femur cædendum, hoc enim innuit enſis ſuper femur. Per hoc autem, quòd duos ſimul gladios ad cædendum verſant cuſtodes lectuli, ambidextri planè pinguntur, quales decet eſſe animæ educatores. Oportet quippè ea illos dexteritate pollere, qua olim habitatores Gabaa, Qui *Judic.20.16.* (ut ait ſacer textus) erant ſeptingenti viri
D fortiſſimi, ita ſiniſtra, ut dextra præliantes: & ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. Sic nimirum educatores animæ ambidextri ità ad certum enſem vibrare debent, ut capillum cogitationis unius interſecent, & in eo abſque ullo errore ab eo; quod ſpiritale eſt, quidquid eſt carnale, recidant. Jam verò gladius hîc femori admotus arcanè ſignificat propriam laſcivorum motuum exactionem: vulgatum eſt quippe femore Venerem (ut ſuperiùs annotavimus)

Animadverſio.

Quid femur?

indicari. Hujus autem effrænes motus, ii, qui animam, ceu Doctores illuminant, conſtantiſſimè debent excidere; ne mens illis motibus obcæcata (proprium enim illorum eſt mentem obtenebrare) & ſibi reproba, & aliis illuſtrandis, ac educandis reddatur inepta. Hoc autem planiùs fiet, ſi rationem, propter quam cuſtodes ſponſæ gladium femori intendant, expendamus, (ajunt enim Doctores) propter timores nocturnos. Profectò dæmones ſenſum, ad mentem obnubilandam, motibus turpiſſimis commoventes, quod ſecreta ſuggeſtione, ac obreptione fit, nocturni timores appellantur, quia cæcitatem nocte ſignificatam inducunt. Tantumdem nimirùm ſignificamus, cùm timores nocturnos, ac cùm dæmones nocturnos, dicimus. Porrò ſicut dæmones gloriam vanam ſuggerentes, quia in lucem homines impellunt, meridiani nuncupantur; ita qui turpitudinem obſcœnam ſuggerunt, quia in noctem, hoc eſt, cæcitatem mentis homines mergunt, nocturni dicuntur. Propter hos ergo prædicatores, ac educatores animarum jugi quadam ſectione debent femur incidere, ne, E dum aliis prædicant, ipſi reprobi fiant, ſicut ſcriptum eſt: Caſtigo corpus meum, & in 1. C. ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Jucunda quidem fuit lectuli, cuſtodiæque deſcriptio; at quæ ſequitur ferculi Salomonis ſtructura, & elegantiſſima, & jucundiſſima eſt.

Comparatio

V. 9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon.

PARAPHRASIS

G

Sponſus Salomon verus, ita ſponſam architectatus eſt, ut eam, ſuum ferculum, ſeu lecticam fecerit, qua vehitur ad amoris opera exercenda. Fecit autem illam lecticam ipſe, qui faber eſt, opus enim Rege dignum erat, nec alteri committendum.

VIdetur humaniſſimus ſponſus, qui figuratè hîc Salomon appellatur, nihil intereà aliud cogitare, quàm ſponſæ ornatum, & gloriam. In ſponſa equitat, in ea cubat, illa vehitur, quod ex allatis equi, lecti, ferculique metaphoris clarè perſpicitur. Cujus certè rei Doctores non ignari, velut hjerogliphicis notis ſponſæ dignitatem, quam ſub lecti ſimilitudine commendarant, ſub ferculi ſymbolo laudare pergunt. Ferculum verò hoc loco, lecticam, vel geſtatoriam ſellam, qua nobiles paſſim vehi ſolent, oportet intelligere. Quæ ſatis accomodatè Regi noſtro tribuitur. Sicut enim geſtatoriæ ſellæ, vel lecticæ, quibus Principes geſtantur, ſerico obtectæ, auratis fibulis, clavique ſplendentes, dolatis lignis in columnarum effigiem fabrefactis, argentatiſque conſtructæ, mediam ſedem bombycino obductam, ubi, qui vehitur, conquieſcit in quam

Ferculum lecticam hoc loco ſignificat.

Concinna comparatio.

H

gra-

Scripta An. 1598.

gradu ferè uno, vel etiam duplici conſcenditur, habentes, ad regiæ majeſtatis apparatum ſunt opportuniſſimæ; ita & animæ ſponſo conjugali fœdere ſociatæ, quibus pulchrè quadrat arcana ſtructuræ ferculi ſignificatio, (quemadmodum de ſponſa mox liquebit) ſi virtutum ſpectetur concinnitas, &

A

ſtructura, ad ſponſi regium apparatum, quo ille libentiſſimè utitur, maximè pertinere videntur. Nunc verò, quod ex verbis elici debet, minimè alienum erit. Sponſa nimirum ferculum appellatur, à ferendo translatum nomen ſortita. Geſtat enim ſponſum, quem mente concepit, & huc, atque illuc vehit, quando ex ejus imperio diſtinctas obit functiones, & ad varia divinæ charitatis opera procedit, ad quæ cùm ſponſus ipſe arcana illa ſponſæ lectica vectus procedat, ſponſam ad opus permovens, quin & ipſa opera exequens, facilè perſpicitur, quàm eleganter ſponſæ congruat ferculi appellatio. Poteſt & ad rem hanc accommodatiùs ferculum hîc intelligi, quod Hiſpanis cuſtodia, Italis tabernaculum eſt, quo in ſupplicationibus Euchariſtia geſtatur, quod expolito opere, columnis quatuor argento, vel auro ductis, mediaque velut ſede, ubi ſponſus ipſe ſub Euchariſtico pane latens reponitur, ac fertur, & aſcenſu, qui eſt ea pars tota, qua columnæ nituntur, quam vulgò pedem, rectiùs baſim appellamus, conſtare ſolet, cujus deſcriptio quàm concinnè ſponſæ conſentiat, ex dicendis mox patebit. Opus autem eſt hujus ferculi figuram, & ſtructuram memoria retinere, non materiam, quæ in Salomonis noſtri ſymbolico ferculo varia eſt, & magis arcana, quàm quæ vulgò cernitur in ſacrariis. Quòd autem Rex ipſe Salomon ferculum feciſſe aſſeratur, novum hominibus accidere certum eſt. Nec enim Reges fabrilem artem exercent regia majeſtate indignam,

C

ob materiæ, ac inſtrumentorum humilitatem. Picturæ interdum deditos Reges conſpicimus, & alias id genus artes non uſque adeò illiberales exercere animi gratia videmus. Sed dolabra, ſcalprum, & tabularum commiſſio, ac lævigatio non videntur regias decere manus. At fabrile opus internum, ſive materiem (quæ virtus eſt) contemplemur, ſive inſtrumenta, quibus opus conſtruitur, quæ ſponſi humana natura, & Sacramenta, & id genus alia ſunt, expendamus, & animi celſitudinem, & ſapientiam, & manus Regis immortalis decet; ut meritò dicatur ipſemet feciſſe ferculum, non commiſiſſe faciendum. Quod ipſe alta mente cogitaſſe videtur, quando & faber, & filius fabri eſſe, dum inter mortales ageret, dignatus eſt. Jam autem ferculi ſtructuram contemplemur, atque materiam.

D

Ferculum tabernaculum.

B

Artes a Regibus exercitæ.

De lignis Libani.

PARAPHRASIS.

Structura ferculi, ſeu lecticæ, ex virtutibus cedro ſimilibus, in monte Libano excelſo, qui Chriſtus ipſe eſt, creſcentibus effecta eſt.

CEdri ſunt Libani ligna, quæ ex eo monte cædebantur olim ad omne opus ob firmitatem, odorem, proceritatem, & incorruptionem laudatiſſima. Quibus proindè virtutum firmitas, qua domus animæ fulcitur, odor Chriſti, quem exhalant, altitudo, qua mundo eminent, incorruptio, qua vitiorum contagia expuunt, ſatis germanè notantur. Hæ ſunt ligna, quæ Regis manus, & ſapientiam decent; ſi decor & honeſtas eorum expendatur; multoque magis Rege digna apparebunt, ſi illorum inſpiciatur origo. Naſcuntur quippe ex Libano monte excelſo ſelectarum arborum feraciſſimo, qui typus ſponſi eſt, ex quo omnis vera ſyncera-que virtus ducit originem, ob quam virtus ipſa nobilior fit, quam ob internam ſuam honeſtatem. Animadvertendum eſt, hoc loco ſub ſymbolo lignorum Libani cœtum virtutum omnium univerſim adumbratum eſſe. Nunc verò ex parata virtutum ſylva è Libano cæſa potiora quædam ſeliguntur ad opus, quæ ad diſcrimen innuendum diſtincta argenti, & auri translatione ſignificantur, propterea Doctores addunt:

Cedri qualitates explicatæ.

E

Animadverſio.

F

℣. 10. Columnas ejus fecit argenteas.

PARAPHRASIS.

Quatuor columnas argenteas in hoc ferculo ſponſus erexit, hoc eſt, quatuor Cardinales virtutes, argento dignitate ſimiles, ſecundam poſt aurum dignitatem habentes.

COncipienda nobis hîc eſt ferculi ſtructura, quæ lignis Libani, quatuor columnis argenteis, reclinatorio aureo, aſcenſuque, ſeu ſcala purpurea conſtat. De lignis Libani proximè dictum eſt; nunc verò columnarum elegantia perpendi debet. Portò ſeu lecticæ, ſeu ferculi, quo geſtatur Euchariſtia, figuram deſcribamus, quatuor ligna expolita, quibus quatuor latera finiuntur, quatuorque exiſtunt anguli, ſurriguntur, quæ in ferculo pervia ſunt, quatuor in lateribus portas efficientia, ne quid oculis obſtare poſſit. Petita hinc tranſlatione, in hoc arcano ſponſæ ferculo quatuor ſponſus columnas argenteas erexit, mirificèque cælavit, hoc eſt, quatuor Cardinales virtutes, quibus & rectitudo, & lævor columnarum, & argenti ſplendor, ac inter metalla dignitas convenit quàm aptiſſimè. Profectò ſicut argentum ſecundam, auroque proximam in metallis ſortitur nobilitatem: ſic Cardinales virtutes, cum cæteris moralibus, velut inferioribus, Theologicisque ut ſupremis, præſertimque cum charitatis auro collatæ, medium, ac proindè proximum auro locum ſortiri cernuntur. Quæ ſanè nobilitas etſi quatuor his virtutibus acquiſitis apprimè conveniat, convenit, tamen potiſ-

G

Sacrarii deſcriptio.

Quatuor Cardinales virtutes.

H

ſimum

Scripta An. 1598. simùm aliis quatuor, quæ licèt eisdem nuncupentur nominibus, sunt tamen infusæ, à divinæ gratiæ comitatu numquam recedentes, quibus, & rectitudo columnarum, & argenti candor germanior est. Cæteræ ferculi partes ex cedris Libani extructæ sunt: columnas, ut nobiliores, decuit esse argenteas: subsellium autem inter columnas fabrefactum quale sit, audiamus.

A

Reclinatorium aureum.

PARAPHRASIS.

Sella ferculi aurea est, in qua sponsus sedet, quæ est divina charitas, sponsum ceù gremio excipiens, & amplectens.

SUbsellium illud, in quo sedet, qui vehitur ferculo, reclinarium hic appellatur, quòd aureum asseritur esse. Aureo verò subsellio charitas exprimitur. Constat enim aurum Regiæ majestatis præferre symbolum. Charitas autem regina virtutum est. Subsellio verò, qui locus quietis est, ipsiusmet charitatis gremium rectè intelligitur, quo excipitur regia sponsi majestas; ut vehatur simul & quiescat. Profectò etsi columnæ ferculi essent argenteæ: inter eas sponsus minimè conquiesceret, nisi reclinatorium, subselliumve esset aureum, quæ propria Regis sedes est. Porrò tametsi virtutes morales, quarum principes Cardinales appellantur, naturali sua honestate sponso placeant, ille tamen divinus in animam illapsus, quo in suam quasi sedem sponsus penetrat, neutiquam fieret, nisi charitatis reclinatorium intus esset, in quo ille conquiesceret. Hunc verò thronum planè regium, in quo excelsa sponsi majestas sedet, qua ratione ille sibi comparârit, modò patebit.

Charitas virtutum Regina.

B

C

Ascensum purpureum.

PARAPHRASIS.

In hoc ferculum, quæ sponsa sua est, per passionis, ac livoris scalam conscensu difficilem sponsus ascendit, ac proinde per purpureum ascensum, sine quo tamen ascendere potuerat.

POtuisset sponsus sapientissimus ferculum hoc sibi sine sanguinis effusione construere: quis enim hoc ignorat? Verùm charitatis suæ divitias non ita manifestâsset, si absque cruore id præstitisset. Tunc ergo ascensum in sponsam exstruxit, quando per cruciatus, ac mortem acerbissimam, tanquam per quosdam scalæ purpuratæ conscensu difficiles gradus, hanc in anima sedem novo jure quæsivit. Etenim ascensus ipse præ se fert laborem, non ità incessus per planitiem; si autem labor cum sanguinis profusione toleratur, pulchra translatione ascensus purpureus intelligitur.

D

Totius descriptæ ferculi structuræ imago quædam fuit tabernaculi fœderis apparatus, quem Moysi præscripsit Deus. Sic enim pro ferculo ex Hebræo papilionem quidam vertunt. Papilio verò tentorium est, quale fuit tabernaculum, quod connivente Deo tendebatur in deserto. Hoc verò tabernaculum lignis Libani imputribilibus instar peristylii defixis parabatur, ubi castra consistebant. Intra tabernaculum verò quatuor erant columnæ, quarum erant bases argenteæ. Ex his velum pendebat, quo Sanctum discriminabatur à Sancto sanctorum, quod ascensus dicitur, quia per columnas sursum tendebatur. Reclinatorium Dei, in quo sedebat, & reddebat oracula, erat propitiatorium, hoc est, tabula illa ex auro purissimo ducta, qua testamenti arca tegebatur, è cujus lateribus duo Cherubim exurgebant, alis ultrò, citròque porrectis, ita ut speciem quandam subsellii exhiberent, in quo Deus sedens in tabula aurea velut pedes reponebat. Ex quo patere potest, quod est ultimum, ac supremum ferculi nostri ornamentum. Cùm dicitur:

Tabernaculi Fœderis figura.

Tabernaculi Fœderis descriptio.

E

F

Media charitate constravit.

PARAPHRASIS.

Media, seu medium ferculi locum, quod est reclinatorium, seipsò, qui charitas est, ibi sedente exornavit.

PRiusquam ferculum, lecticamve princeps quispiam conscendat, apparata omnia, & ornata esse decet, ac tunc princeps ascendit, qui est potissimus ferculi ornatus. Quamobrem sic accipienda sunt, quæ dicuntur: Media charitate constravit, hoc est, interiora ferculi, vel medium locum ferculi, reclinatorium nempe, charitate constravit, hoc est, seipso, qui charitas est, exornavit, quando in eo consedit. Quod quàm sit rationi, & divinæ harmoniæ consentaneum, vel ex eo patere potest (quod etsi de Ecclesia Joannes enunciaret, de anima tamen justa concinnè satis intelligitur:) Vidi Hierusalem novam descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Sponsus quippè nobilissimum, ac supremum sponsæ ornamentum est. Quia verò hunc elegantissimum ornatum celari nefas est, debet enim ut caput corpori eminere, (caput enim mulieris vir) ideò ad æmulationem in aliis sponsi studiosis acuendam, ferculum sine operculo depingitur. Hanc nimirum habent emphasin verba sequentia:

G

Apoc. 21. 2.

Propter filias Hierusalem.

PARAPHRASIS.

Sedit ibi conspicuus sine operculo propter animas sponsam æmulantes Ecclesiæ filias, ut

H

Scripta An. 1598.

ut ibi conſpectus ad ſimilem dignitatem illas incitare poſſit.

ANimæ ſponſæ perfectionem æmulantes, cùm animadvertunt ei ſponſum præſentiſſimum eſſe, illique velut caput corpori præſidere, diviniſque motibus eam ciere,
A illius ſtudium, ac navitatem curant imitari; ac propterea in hoc arcano ferculo ſine operculo columnis innixo pingitur, ut cerni poſſit. Sedet ergo conſpicuus in ſponſæ reclinatorio propter æmulantes animas, quæ ſunt Eccleſiæ filiæ. Quòd cùm Doctores cœleſti lumine perfuſi rectè norint, ad ferculum, Regemque ſedentem per urbem Eccleſiæ vectum contuendum filias exhortantur.

℣. 11. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua.

B PARAPHRASIS.

Oculus ex ſenſuum clauſtro exite, & illuſtriorem viſum nactæ filiæ Eccleſiæ contemplationi vacantes, cernite ſponſum Salomonem verum, coronatum regio diademate charitatis ſponſæ, quæ mater etiam ipſius eſt.

DOctorum munus eſt, cùm animam quampiam velis, remiſque navigantem conſpexerint, alias non ità ſtrenuas hoc propoſito paradigmate ad ulteriorem navitatem incendere. Quapropter perſpecto hoc efficaciſſimo ſponſæ exemplo cæteras hortantur in hunc modum: Egredimini, hoc eſt, ex carcere ſenſus, quo mens obcæcatur: Exite filiæ Sion, hoc eſt, animæ contemplationis avidæ. Exire opus eſt ad ſublime hoc ſpectrum cernendum, quemadmodum ad publi-
C ca ſpectacula ex vicorum anguſtiis erumpentes in plateas, & latiores areas homines certatim confluunt. Intuemini Salomonem Regem noſtrum æternæ pacis authorem, in gloria & apparatu regio ab ſponſa vectum, ex qua velut ex aperto ferculo exhibet ſe conſpiciendum. Et licèt apparatus ferculi totus ſit pretioſiſſimus, non vos modò monemus, ut veſtigiò univerſa perluſtretis. Satis profectò æquum eſſet vos hortari, ut illum contueremini in lignis Libani, in columnis argenteis, in aſcenſu purpureo; ſed ad potiſſimum inter eos, quos à ſponſa recepit, vos hortamur ornatum. Videte, cernite illum in charitate, quod eſt diadema aureum, quo illum ſponſa cinxit, ac coro-
D navit, quæ etiam mater ſua eſt. Porrò de Joſeph pulchritudine memoriæ proditum eſt elogium recordatione dignum. Ajunt enim propter inſignem ejus venuſtatem ſæpè, identidemque ſpectandam, cùm per urbem incedebat, ſolitas fuiſſe Ægyptiorum filias, quæ ſemel, aut pluries illum incedentem intuitæ fuerant, tempus antevertere, ac præcurrere,

Charitas diadema aureum.

ut in loco, per quem ille tranſiturus erat, conſiſtentes, avidiſſimè illius pulchritudinem contemplarentur. Et ſic nonnulli benedictionem a Jacob illi impenſam, cùm dixit, (filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum) interpretantur in hunc modum: Quia Joſeph adeò fuit decorus aſpectu, Ægyptiorum filiæ diſcurrerunt per mœnia urbis, ut identidem tranſeuntem inſpectarent. Si ergo æquum fuit Ægyptiorum filias ad Joſeph pulchritudinem ſpectandam clauſtris tam ſæpè exire; quantò erit æquius Eccleſiæ filias foras erumpere ad contuendum ſponſum multò ſanè pulchriorem, charitate præſertim coronatum. Expendere oportet (tametſi virtutibus univerſis ex amoris imperio id etiam competat,) uni tamen charitati, ex proprio ſuo ingenio coronæ quadrare ſymbolum. Si enim materiam, ſeu metallum coronæ regiæ cogitemus, aurum eſt, quo inſigniter charitas exprimitur. Si coronæ figuram exploremus, circulus quidam eſt, ſeu complexus capitis perfectus; circumdare autem, ſeu complecti caput, hoc eſt, Chriſtum, charitatis functio nativa eſt. Si locum, ubi corona locatur, ſpectemus, caput eſt princeps corporis pars; nulla autem virtus tam excelſa eſt, quam ipſa charitas, ac proindè quacumque libretur ratione, diademati noſtri Salomonis opportuniſſima videtur. Quòd verò ſponſa mater etiam ſponſi nuncupetur, ex ipſius ſponſi patet oraculo: Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater & ſoror, & mater eſt. Nec mirum videri debet, Regem tantum humilis ſponſæ charitate coronari. Qui enim ex humanis parentibus genus ducere dignatus eſt, ac ex eis nomen accipere, ut glorioſum duceret ſe Deum trium hominum, Abraham, Iſaac, & Jacob nuncupari, cur divina ſponſæ charitate non coronetur? Profectò Reges pluris genus, & cognomina, quam diademata faciunt. Si ergo Rex Salomon noſter ab hominibus accepit, & genus novum, & nomen, cur non & coronam? Etenim ſive quia charitas opportuna diademati eſt, ſive quia humaniſſimus Rex propter nimiam charitatem ſuam optat amore noſtro ambiri, & coronari, planum omninò eſt, ipſum eo diademate libentèr redimitum incedere. Ut apertum eſt eo, quod ſequitur.

E

Ratiocinatio

Gen. 49. 22.

Coronæ Regiæ deſcriptio.

F

Math. 12. 50.

G

In die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

PARAPHRASIS.

Intuemini illum feſtivum diem, qua nuptias olim cœptas perficit, & intima cordis lætitia propter diadema perfunditur. Nuptias init cum ſponſa, ut illo poteſtatem voluntatis ſponſæ, illa ipſius è contrario habeant, ſicut in externis nuptiis poteſtatem corporis conjuges ſibi mutuò tradunt. Hinc oritur lætitia cordis.

H

Ne-

Scripta An. 1598.

NEminem fugit nuptiarum dies festivos esse, ac voluptatis. Vocant ergo diem nuptialem Doctores, totum id temporis, quo sponsus ferculo descripto vehitur, & sponsæ amore, ut perfecto complexu redimitur. Profectò jam pridem sponsa in thalamum fuerat admissa, ac proinde desponsata: verùm familiare est sacræ Scripturæ asserere
A tunc aliquid fieri, cùm ornatur atque perficitur. Sicut cœli lumina quarta die in primo Geneseos capite dicuntur effecta, cùm tamen die prima cum ipsis orbibus, quorum partes sunt, condiderit illa Deus. Dictus ergo est, illa tunc facere, hoc est ornare, ac perficere. In hunc ergo modum dies desponsationis appellatur tempus illud, quo spiritales nuptiæ novis charitatis augmentis perficiuntur. Et quidem si desponsationis rationem expendamus, comperiemus profectò potiore jure diem perfectioris charitatis, in quo nunc agit sponsa, desponsationis diem appellari, quàm eum, quo primum anima in gratiam admissa est. Hic quippè non est dies sponsalium, ut juxta vulgarem acceptionem à matrimonio secernuntur, sed dies desponsationis præsentis, &
B contractus spiritalis matrimonii. Patet enim ex hujus contractus jure (ut naturali, ac divino proditum est oraculo) tam stricto nexu coniuges mutuò vinciri, ut quamdiù vivunt, vir potestatem corporis sui non habeat, sed ejus vxor, pariterque è contrario. In hunc ergò modum, quando arctissimè charitatis nexu sponsus, animaque ligantur; quamdiù perseverat is nexus) qui sola culpæ morte dirumpitur,) sponsa non habet animæ, ac voluntatis suæ potestatem, sed sponsus, qui matrimonii jure utitur ea voluntate, per quam sponsa illi debitum reddit. Si verò admissa culpa sponsus repulsus fuerit; & in anima proindè quasi mortuus, tunc potestatem eam vinculi conjugalis amittit; nec enim utitur voluntate illa, quæ contra jus ad secundas nuptias aversa transivit. Perdurante igitur
C nexu, sicut de sponsa assertum est: ita sanè mutuò de sponso asserendum. Eum nimirum animæ, voluntatisque suæ potestatem non habere propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, hoc est, adeò impotenter amare, ut omnino servet jura matrimonii (ex quo se totum sponsæ tradidit,) & voluntatem sponsæ compleat. Si enim voluntatem timentium se facit, ut Psaltes regius cecinit, quantò magis voluntatem amantium? Hujus certè fœderis conjugalis plura sunt illustria exempla. Illud verò est longè illustrissimum, quod inter Deum, & Moysen Scriptura commendavit, postquam fœdus matrimonii percusserunt. Cum enim rebellis ille populus Hebræorum vitulum conflasset, & illum
D Deus delere vellet, quasi qui voluntatis propriæ jure careret, petiit à Moyse, cum quo spiritale matrimonium inierat, ut pateretur ipsum tunc, ut ita dicamus, sui juris esse: tic enim effatus est, Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Moyses autem quasi jure suo non cedens, cùm nosset, se non annuente non esse delendos, renuit, & adjecit tandem: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti: quasi diceret, aut dissolvatur matrimonium deleto contractus chirographo, aut redde debitum conjugii, quod est inter nos, ex quo ego tuæ voluntatis potestatem habeo, ut fiat, quod mihi placet. Placet autem populum non deleri. Quamobrem Deus nolens contractum solvere respondit: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, tu autem vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo. Ac si planiùs eloqueretur: Non deletur Scriptura contractus conjugalis, nisi quis peccarit. Tu autem cùm non peccaris, manes in fide conjugii. Utere ergo jure tuo. Vade, & duc populum. Et quia ex jure matrimonii omnia mea tua bona effecta sunt. Utere ministerio angelico, & Angeli mei ducatum sequere. Quia verò tu non vis peccatorum impunitatem, protelabo vindictam usque ad judicii diem, quando tibi placet eos puniri. Ex iis patere potest, desponsationis diem multò propriùs nuncupari diem adultæ, quam teneræ, ac incipientis charitatis. Nec enim infans charitas divinæ sponsi voluntati tam exactè consentit, quàm absoluta hujus contractus arcani perfectio exposcit. In hoc desponsationis die charitate sponsæ procera contractæ, sponsus novum jus suæ voluntatis sponsæ tradit, quo maximè suam erga illam charitatem propalat, & commendat. Hic verò desponsationis dies magna cum energia dies lætitiæ cordis nuncupatur ad significandam intimam, cumulatissimamque lætitiam non extrinsecùs hærentem, sed in imo corde plantatam, qualem mundus expertus non est, cujus gaudia cuti duntaxat hærent, ac citò evanescunt. Postquam Doctorum sponsæ progressionem admirantium chorus in scenam à Spiritu S. introductus est, sponsus siluit, & laude à Doctoribus sponsæ impensa mirificè delectatus est. Quamobrem ubi Doctores loqui cessarunt, festinus ipse ingreditur, & ex vera, quam probat, sponsæ laude ipsius pulchritudinem eximiam esse convincit.

Sponsalium à Matrimonio discrimen.

Comparatio ad spiritualia

Psal. 144. 19.

Exod. 32.

CAPUT IV.

SPONSUS.

℣. 1. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es? Oculi tui columbarum.

RECTÈ ajunt Doctores (sponsus ait) cum varia similitudine tuam eximiam venustatem, ô sponsa, depingunt. Adeò nimirum exacta tua est pulchritudo, quæ interna vir-

Interna, & externa pulchritudo sponsæ.

Scripta An. 1598. virtutum concinnitate, & externa moderatione in actionibus conflatur, ut me etiam pulchritudinis conditorem & amore sauciaverit, & ad laudem quoque permoverit. Agit hoc in loco sponsus anthropopathos, quemadmodum qui quampiam egregiæ formæ fœminam ardentissimè amat, solet crebrò rerum cæterarum velut oblitus faciem illius avidissimè spectare, ac contemplari. Ubi verò attonitus pulchritudinem aliquanto tempore contemplatus est, velut impotenter amans, sic enunciare solet, quàm pulchra, quàm venusta es, & id genus alia decoris encomia solet efferre. Hîc verò, quod ad explanationem attinet, repetere minimè necessarium est, cùm verba hæc sub finem primi capitis exposita fuerint. Expedit autem animadvertere, repetitam hîc pulchritudinem multò jam esse auctiorem, synceriores, ac gratiores columbarum oculos. Nosse etiam operæ pretium est, sponsum modò sponsæ laudes auspicari velle accuratiùs, quàm antè, & ab oculis exordiri. Qui tantæ venustatis in externa pulchritudine dignoscuntur esse, ut faciem aliàs deformem illi dumtaxat insigniter honestent. Quod & interdum in ea, quam Philosophi appellant intentionem, quæ oculo, ceù symbolo notatur, solet accidere; quæ si recta & simplex, velut ingenio columbæ affecta fuerit, totum hominem alias deformem in nonnullis actibus exercendis plerumque solet honestare. Verùm, quod post oculos columbarum attexitur, ad inquirendum acuit intellectum. Sic enim sponsus ait.

Similitudo.

Animadversio.

A

B

Absque eo, quod intrinsecùs latet.

PARAPHRASIS.

Synceritatis, rectæque intentionis columbarum oculis notatæ, index quidam se prodit, & hic laude dignus est, præter virtutem omnigenam in anima tua, ô sponsa, latentem, quæ ineffabilis est.

C

QUibusdam virtutibus familiare est, seipsas prodere, qualem esse synceritatem, quotidiana docet experientia. Nec enim animi simpliciate columbæ præditi animadvertunt, se quippiam honestum habere, quod propter gloriam vanam celandum sit. Sed soli Deo placere studentes, nec quid alii suspicentur curant, neque cogitant. Quod sapientissimè à Deo fit, ut virtus aliis cedat in exemplum, ipsaque sit à vanitate prorsus immunis. Aliarum virtutum ingenium magis ad interna vergit, minùs se prodit. Cùm ergo synceritatis columbarum oculis notatæ sponsus meminisset, rectè subiunxit, Absque eo, quod intrinsecùs latet; quasi majora innuens bona latere, quàm quæ à diserto quoquam possint enunciari. Profectò nemini dubium est, ea quæ in anima sponsæ latent, esse multò majora, ac nobiliora, quàm quæ cernuntur. Adhuc enim in simplicitate ipsa, quod cernitur, exiguum est, si cum eo, quod latet, comparetur. Est sanè, quod latet, ineffabile, quod Septuaginta Interpretes satis apertè commonstrant, dum vertunt, Extra silentium. Alii transferunt cum emphasi, Præter id, quod in te reticetur, quasi dicerent, quod necessariò reticetur, cùm id effari sit impossibile.

D

LXX. Interp.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

E

PARAPHRASIS.

Cogitationes tuæ (ô sponsa) persimiles capillis à capite ortis, imitantur capras è montis Galaad declivio ad verticem propter pabula salutarium herbarum conscendentes. Cogitas enim frequenter, quomodo, quæ antè recèns genita ad pedes meos, ut altera Magdalena constitisti, per me ceu montem excelsum cordis ascensionibus, & meritis possis ascendere, & salutaria Sacramentorum medicamenta ex me orta, velut salutares è monte plantas, carpere valeas.

F

CApillis à capite nascentibus cogitationes, quæ in capite, ubi sensus viget, conflantur, indèque prodire dicuntur, exprimi, perquam manifestum est. Vocanturque similes capris, quæ de radicibus montis Galaad ascendentes, excelsa juga montis pervaserunt. Capræ quidem animalia munda sunt, & ardua loca pastus gratia conscendere solent. Galaad verò in Cananæorum finibus mons est altus, & conspicuus à septentrione in meridiem procurrens, qui Ismaelitarum regionem à Cananæis dirimit. Ferax est arborum, plantarumque, ex quibus resinæ leguntur & fructus ad materiam medicam expetiti; qui proindè sponsi nativam gerit imaginem. Sanè concipiendum est, eos, qui ad gratiam recenter evocati sunt, ad pedes Christi, ceù montis cujusdam excelsi radices, decliviumve sisti; Sic enim Magdalena recèns ad gratiam traducta spiritus divini monitu ad sponsi pedes collocata est. Cùm verò in charitate progressus justi faciunt, quia se ad mensuram, & celsitudinem Christi erigunt, & meritorum ascensibus attollunt, à declivio ad verticem montis ascendere elegantissimè dicuntur. Sic ergo loqui sponsus putandus est; Cogitationes tuæ affectibus permistæ (ô sponsa) id agunt, quod caprarum greges montem Galaad fertilem conscendentes, efficere solent. Quemadmodum enim illi è montis declivio se librant in altiora, ut montis pabula salubria carpant, & pingueſcant, ita planè ex humili loco, in quo antè, quasi altera Magdalena, juxta meos pedes constitisti, ad montis excelsi, & pinguis altitudinem conscendis, cùm ad meam mensuram, & celsitudinem ascensionibus cordis te conaris erigere, & ex me orta Sacramentorum medicamenta, velut herbas è monte sa-

Capilli è capite nascentes sunt cogitationes.

Galaad mons altus;

G

Sponsi adlocutio.

H

Magdalenæ exemplum,

Scripta An. 1598.

Altera Textus explicatio.

Gregorius Nyſſenus. Rupertus Abb.

A

ſalubèrrimas medicæ materiæ expetitas avidè præcerpis. Hæc prima loci eſt interpretatio, ſatis (ut patet) opportuna, Secundam verò expoſitionem ut afferamus, etſi præter morem hoc fiat, duos tamen graviſſimos authores, Gregorium Nyſſenum, & Rupertum Abbatem Tuitienſem allegare non pigebit, qui hunc textum de auſpice noſtro Helia, ejuſque comitibus, ſeu diſcipulis interpretantur. Verba Gregorii ſunt hæc: Fortaſſis & Helias alquid nobis ad hanc caprarum conſiderationem confert, qui longo tempore verſatus in monte Galaad, inſignia vitæ continentis exempla præbuit, forma ſquallidus, capillis hirſutus, pro veſte molli pelle capræ tectus. Itaque omnes, quotquot ad exemplum vatis illius vitam ſuam inſtituunt, ornamentum Eccleſiæ fiunt, gregatim (qui philoſophandi mos hoc tempore in uſu eſſe cœpit) virtutem in converſatione mutua colentes. Ruperti autem hæc ſunt verba: Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad, Nimirum quando Jezabel interficiebat Prophetas Domini, tunc apparuerunt de monte Galaad, id eſt, de civitate ejuſdem nominis Galaad. Sic enim ſcriptum eſt: Et dixit Helias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab, Vivit Dominus, &c. Et poſt pauca ſubdit Rupertus Hæc dixit, & hæc fecit ille primus author, & inſtitutor eorum, qui dicti ſunt filii Prophetarum, quos fuiſſe monachos in veteri teſtamento, conſentit authoritas Patrum venerabilium. Ubi (quod perfunctoriè dicimus) Gregorius Nyſſenus ſentit Heliam fuiſſe exemplum monachorum virtutem gregatim colentium, ſeu vitam communem ſimul ducentium, quam vitæ rationem tunc ait cœpiſſe. Rupertus autem ſine ullis ambagibus luculenter ait, in veteri teſtamento ex Patrum venerabilium ſententia fuiſſe monachos, quorum authorem dicit Heliam, Hoc eſto parergon. Nunc verò ad ſecundam explanationem ex horum Patrum verbis elicitam deſcendamus. Quemadmodum enim illi cenſuerunt, comas Eccleſiæ ſymbolicè eſſe viros illos, qui vitæ auſteræ normam ab Helia inſtitutam imitantur, pellibus caprinis ſuccincti, hoc eſt, rudibus ex ferarum ſetis, vel aliis ſimilibus veſtibus induti; ut eos capras, eleganti translatione, poſſimus appellare, ſicut in comœdiis hiſtriones regia veſte ornatos, paſtoriſve lacerna obtectos, reges, paſtoreſve nuncupamus: Sic nos comas ſponſæ, cogitationes auſterioris vitæ agendæ ad æmulationem Protoparentis noſtri Heliæ conceptas interpretamur, quibus cùm ſponſa vacat, quaſi aſperis caprarum pilis ſemetipſam induit, ut ſponſi amore, ac inſpiratione incenſa dicere valeat, Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Verba enim labiorum ſponſi intus loquentis, & ad vitam auſteram, qualem ipſe inter mortales duxit, exhortantis, frequenter ſponſa percipit, & ex hoc duras vias jure carpere cogitat. Inquit ergò ſponſus, Capilli tui, hoc eſt, cogitationes tuæ ſimiles, ſunt ſimulachra, vel imagines quædam cœtuum Prophetarum ſub Helia in Galaad degentium, quorum tu auſteritatem cogitas æmulari. Rectèque & ſine metahora dicit cogitationes ſponſæ eſſe illis viris ſimiles; ſunt enim ex vera philoſophia naturales rerum conceptarum imagines: Quòd enim cœtus Prophetarum, ſeu veteris teſtamenti Monachorum greges caprarum appellentur, metaphora eſt; quòd verò cogitationes ſponſæ illis ſimiles dicantur proprietas eſt, Hæc de ſecunda interpretatione. Nunc ſponſum laudem dentium arcanè enunciantem audiamus.

Novum inſtitum philoſophandi.

Pſalm. 16. 4.

D

B

C

E

F

℣. 2. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro,

PARAPHRASIS.

Meditatio tua, quæ velut dentibus quibuſdam mea dogmata fruſtillatim concerpis, in ventriculum voluntatis meditatione ipſa excalefactæ, traiiciendæ, & excoquendæ, ſimilis eſt gregibus ovium, quæ tonſæ, quæ ablutæ, quæ agminatim gradientes ſunt. Eſt tonſa, reſectis affectibus terrenis; eſt abluta lachrymis, mentiſque puritate ex ablutione hac nitens, & candida. Eſt concinna & more gregum agminatim gradiens, cùm rationum ſerie, & quodam velut agmine in voluntatem impetum facit. Hæc meditatio de lachrymarum lavacro amoris motu aſcendit tot gradibus, quot motus efficit in voluntate.

DEntium mundities, & concinnitas, & candor, ad pulchritudinem eximiè conducunt; mundities, ut ſcabra materia eis nulla inhæreat; concinnitas, ut dentes æquè parvi, velut ad lineam exacti videantur, nullus emineat, nullus extuberet; candor, ut diductis albicent labiis. Quæ profectò tria gregibus tonſarum de lavacro aſcendentium pulchrè ſignificantur. Candor enim ablutione fit, nitent enim pecudum corpora, lana eluta, ſordibuſque deterſis. Concinnitas ovium, gregatim ex fluvio aſcendentium, agmine conferto exprimitur. Mundities tonſura, qua ſordida vellera exſecantur, quaſi ſcabrities dentium ſcalpro excideretur, idoneè notatur. Dentibus verò, quorum munus eſt mutuo attritu ſolidiores cibos mandere, ac conterere, meditationis notatur ingenium, cujus eſt conflictu quodam, & agmine rationum, non ſine labore conari, & ſponſi dogmata velut mutuo attritu concerpere, ac ita contrita in voluntatis eis rationibus excalefactæ, ventriculum traiicere percoquenda. Hic autem conatus, & labor tunc animam vexat, cùm contemplationis abeſt ſuavitas, in qua dentium attritu, rationumque excogitatione minimè opus eſt; omnes enim, qui in con-

Dentibus meditationis notatur ingenium.

G

H

temi-

Scripta An. 1598.

templatione deguſtantur cibi, liquidi ſunt, nec cum labore mandi, ſed cum voluptate hauriri, ac deglutiri debent. Propter hoc, ſi meditatio contemplationi conferatur, aridus quidam, ac ligneus fructus fructui recenti, ac ſucci pleno comparari videtur. Eſto tamen hoc verum habeat, nihilominus
A ſi meditatio ſuis numeris abſolvatur, hoc eſt, exciſis affectibus terrenis munda, rationum agmine, ac concinnitate efficax, mentis lacrymis ablutæ puritate candida ſit, ſatis profectò eſt ſimilis gregibus ovium mundis, agminatimque gradientibus, & candidis. Quæ rectè dicitur de lavacro aſcendere. Lachrymarum quippè profuſio aſcenſum efficit, cùm meditatio efficax eſt, ad voluntatem permovendam. Tunc nimirum ad meditationis menſuram voluntas permota, gradibus amoris aſcendit. Motus nempè voluntatis igneus, cùm ſit ſuaptè natura, aſcenſus quidam eſt. Qui cùm ex meditatione fit, cùm non excedat illam, ſed ad ejus elevationem attollatur, ſimul efficitur, ut affectus in voluntaté, & meditatio in intellectu æquè aſcendant
B . Ideò verò de lavacro aſcendunt, quia meditatio dictis moribus affecta nec areſcit, nec cœleſti rore deſtituitur; perſæpè enim efficacem meditationem vis lachrymarum, mira cum voluptate, perfundit. Hinc exiſtit, ut quæ ſterilis ſuaptè natura videbatur, & infœcunda, non conquieſcat, donec prolem pariat numeroſam, ſicut Anna olim arida, quæ non eſt animo dejecta, ſed conata, donec ſterilis peperit plurimos. Propterea Spiritus Sanctus adjunxit:

Lachrimarum profuſio ad voluntatem movendam apta.

Omnes gemelli fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

PARAPHRASIS.

Meditatio ſic affecta non ovibus ſterilibus, nec vulgò fœcundis, ſed iis, quæ gemellos pariunt, ſimilis eſt. Ex ea quippè naſcuntur duo amoris actus velut uterini fratres ab una charitatis virtute, & ab una voluntate producti, & ab una primùm meditatione originem ducentes.

C

MEditatio hæc, quæ ſuoptè ingenio videbatur ſterilis, & effœta, quando ſuis numeris abſolvitur, mirum dictu eſt, quanta ſit prole fœcunda. Redditur quippè fœcunditate ſimilis ovibus gemellos fœtus edentibus, quarum greges adeò ſunt fœlices, ut ne una quidem ex ingenti numero ſterilis reperiatur. Bini autem, ſeu gemelli fœtus, eodem ex utero enati, duo ſunt amoris actus in Deum, & proximum, ab eadem charitatis virtute, & ab eadem una exorti voluntate. Qui profectò appoſitè ſatis à meditatione originem ducere dicuntur, ex qua divini amoris ignis enaſcitur ſicut ſcriptum eſt, In meditatione mea exardeſcet ignis. Ubi cernimus mirabile quiddam, ab una videlicet meditatione, & elici aquam, & ignem, lachrymarum vim, & amoris flammam. Ipſe verò lachrymarum

Gemelli duo amoris actus in Deum, & proximum.

D

Pſalm. 38.4.

fluxus fit ignis paſtio, qua magis amor convaleſcit, quemadmodum cernimus in fornacibus, ubi mulcetur ferrum, quæ quando inſperguntur aqua, ſcintillas emittunt, igniſque majus excitatur incendium, capillos, oculos, denteſque commendavit, labia nunc, in quibus maxima ineſt pulchritudinis pars, pergit commendare ſponſus, ajens: E

℣. 3. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

PARAPHRASIS.

Verba tua labiis figuratè notata (ô ſponſa) ſunt ſicut vittæ, ſeu faſcia coccinea, bis tincta, quales telas tabernaculi coccineas elegit Deus. Verba quippè tua ab amore in Deum, proximumque flagrante, ceù duplici tinctura imbuto producta, patris naturam referuut, & duplici infectura rubent. Unde fit, ut eloquium tuum dulce ſit; mihi enim amanti nulla verba elegantiora, & dulciora, quam quæ ab amore trahunt origiuem. F

COccum eſt granum ex arbuſcula Ilici ſimili, vel ex gramine rubeo naſcens, à Dioſcoride granum tinctorium appellatum. Hoc grano telæ inficiuntur, quo nihil aſpectui gratiùs. Quæ ſanè tinctura loco purpuræ ſubrogata eſt. Purpura quippè vera jam exolevit. Obſervare autem oportet, coccineas telas, quas Deus juſſit olim ad tabernaculum fœderis apparari, non ſimplici dumtaxat, ſed duplici tinctura fuiſſe imbutas. Sic enim coccum bis tinctum in Exodo paſſim legimus. Quo arcanè notatur animi affectus, duplici rubens infectura, hoc eſt, Dei, proximique amore, qui totus rubens, ac igneus eſt. Et quidem ſi coccum dibaphum, ſeu bis tinctum ſymbolicè contemplemur, perſpiciemus profectò, nec à Deo exigi, nec ad tabernaculum admitti potuiſſe coccum, quod ſemel tantùm, & non bis eſſet infectum. Fieri nempè ullo pacto nequit, amorem alterum ab altero ſecernere, ſed duplex ille animam ſimul imbuit, duplici quaſi tinctura illam inficiens. Ex hac verò interna, duplicique infectura verba prodeunt eodem imbuta colore; mirum enim eſſet, verba ab amore genita patris non referre naturam. Affectus ergo ſponſæ bis amore tinctus, tanquam lanis vellus muricem ebibens, hoc eſt, amorem toto pectore hauriens, per labia quibus figuratè verba ſignificantur, ſe prodit; & ex hoc capite vittæ coccineæ bis tinctæ, labia fiunt quàm ſimillima. Inter amantes verò nullus eſt ſermonis lepor, nulla vis eloquentiæ, quæ tam eximiam efficiat voluptatem, quàm vel inculta, & rudis quædam verborum enunciatio, ſi ex amore proficiſcitur, extra quem Rhetorum flores minimè amantibus placent. Et hanc emphaſim habent ea verba (Et eloquium tuum dulce,) quaſi dicat ſponſus: Quia labia ſimilia ſunt vit-

Coccum quid?

Animadverſio.

Quid per vittas coccineas intelligatur?

G

H

Scripta An. 1598.

tæ coccineæ, ideò eloquium tuum (quum amoris opus illud sit) mihi dulce videtur, ideò cùm verba effers, mihi eloquens videris. Non est autem prætereunda hoc loco ordinis ratio. Commendârat sponsus dentes, quibus meditatio adumbratur, moxque sermonis leporem, & eloquentiam purpureis labiis expressam annectit. Quia videlicet postquam quis accuratè meditatur dogmata cœlestia, fit ad sermonem cordatè promendum aptus, & (quod maximè optandum est) apud sponsum eloquens. Ne quis verò putaret eloquium hoc loco idem, ac facundiam, seu verborum copiam esse, vittis, seu fasciis ad stringendum comparatis labia conferuntur; quia scilicet justorum sermo non debet effluere, sed præcurrente meditatione labiis commissis coerceri. Quod sanè mysterium Septuaginta Interpretes luculenter ostendunt, cùm pro vitta vertunt funiculum, qui significat in scripturis sacris mensuram. Fiunt ergo labia funiculo coccineo similia, cùm parcè verba, ceù sub mensura promuntur, & ad charitatis relata finem, velut arcano cocco tincta enunciantur, ejusdemque cocci vitta, hoc est, charitatis mensura ligantur, ne videlicet Deum, proximumve, in quos charitas fertur, offendant. Quod verò de mensura sermonis assertum est, ex sequenti periodo fiet luculentius.

LXX. Interpp.

D

B

Sicut fragmen mali punici, ità & genæ tuæ; absque eo, quod intrinsecus latet,

PARAPHRASIS.

Genæ tuæ rubore perfusæ, qui est index verecundiæ, sunt sicut fragmentum mali punici, quod quacumquè spectetur, præfert ruborem. Hîc autem index virtutis, etsi externus sit; placet etiam, si expendatur sine eo, quod intrinsecus latet, hoc est, distinctè, seu discretè ab eo, quod latet, & ex se verè pulchrum est. Hîc autem pudor verba cohibet, & parcè loqui sinit, sicut in fragmine punici cortex grana retinet, & sepit, ne spargantur, aut excidant,

C

RUbor quidam ingenitus colore mali punici notatus, genas perfundens, fœminas in primis honestare solet, cum viros alloquuntur, cùm quocumque prætextu in lucem prodeunt. Fragmen autem mali punici ad rem hanc satis accommodatè allatum est, hinc enim cortex, inde verò grana rubent, ut quacumque spectetur, verecundum significet animum. Externus hîc pudicitiæ, ac verecundiæ index maximè sponso probatur, quamobrem sic loqui existimandus est: Genæ tuæ verecundia rubentes, fragmini mali granati simillimæ mihi eximiè placent, absque eo quod latet intrinsecus. Ac si planius diceret: Dubitari à quoquam possit, an rubor hîc externus mihi placeret (norunt enim universi, externa me non mulceri pulchritudine;) ego verò ut eum nodum solvam, respondeo, eum ruborem mihi esse gratissimum, præter id, quod latet intrinsecus, cujus ille rubor index est. Ex hoc ipso verecundiæ, quam notat, capite, & ex naturali constitutione sua, fragmen mali punici arcanam cum genis habet similitudinem ad sermonis moderationem valdè accommodatam. Genas quippè natura effinxit, ut septa, vel claustra quædam, quibus aer continetur, quo intercepto per linguæ plectrum, palati, ac dentium adminiculum verba formantur. Pudor autem in genis elucens, præpedit, ac remoratur hæc organa, ità ut (quod creberrimo constat experimento) qui erubescunt, vix verba promere valeant, & cùm tandem loquuntur, ea & pauca, & concisa efferunt. Quod autem rubentes pudore genæ efficiant, si verba intra os quasi cohibita spectemus, id cortex in fragmine mali punici præstat, dum grana sibi hærentia retinet, ne loco excidant. Est enim cortex acinorum claustrum, ac retinaculum quoddam, non patiens grana dispergi. Voluit ergo sponsus sponsæ silentium verecundiæ germanum hoc velut emblemate punici mali exprimere, ac si hoc modo effaretur: Non modò rubes præ verecundia, ut punicum malum (ô sponsa;) verùm etiam silentium mirificè colis, fragmenque imitaris, genarum rubentium claustro verba continens, sicut fragmen corticis sepio grana retinet, ne fortè spargantur. Septuaginta quasi alludentes ad hoc genarum officium, corticem mali punici pro fragmine reddiderunt. Et quidem ob hanc etiam significationem, mala punica ex Aaronici sacerdotis tunica inter ipsa tintinnabula pendebant. Quo sacerdos ediscceret, tempora sibi discriminanda fuisse; ita ut tempus loquendi certam quasi sedem, ac stationem sortiretur; tempus etiam silendi, verbaque genis continendi, ac futurum sermonem meditandi, quod intermista tintinnabulis punica commonebant. Hanc autem sermonis cum silentio permistionem vestio nostra innuit, quæ non integrum malogranatum, sed fragmen habet, quod partim grana ostendit, partimque celat. Non enim silentii virtus omnem prorsus sermonem interdicit, sed interdum parcè loqui, interdum verò prorsus tacere monet. Confert mirificè silentii cultura ad orationis profectum; experimento quippè quotidiano liquet, animas silentio, deuitas tantò, cum sponso familiariùs loqui, quantò parciùs cum hominibus verba faciunt. Ex hoc autem commercio, quod habent cum Deo, nova cunctarum virtutum vi stabiliuntur, & invicta Dei armantur fortitudine. Undè aptè sponsus addit;

E

Genarum natura.

F

LXX Interpp.

G

Tempus loquendi. Tempus silendi.

Silentium ad orationis profectum confert.

V. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propu-

Scripta An. 1598.

pugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

PARAPHRASIS.

A *Orationis virtus collo similis, quia ex capite per eam in animam permanat influxus & motus: effecta es similis (ô sponsa) turri David, quam ad hostes expugnandos extruxit; est enim ceù turris illa in Deum erecta, & contra hostes obfirmata, cujus propugnacula sunt virtutes, quæ illam tuentur; & hosti vulnus infligunt, ut constantia & fortitudo: Clypei verò sunt eæ virtutes, quæ hostis ictus sine læsione tolerant, qualis est humilitas, & patientia. Denique in ea est universum armorum genus; quibus animi fortes redduntur.*

Turris David.

B TUrrim, seu arcem, domumve excelsam turris hic nomine appellatam, è regione arcis Jebusæorum in colle propinquo, quo gentem illam, arce sua expugnata, deleret, à David Rege fuisse olim constructam, ex ipsa Hierusalem antiquæ descriptione accepimus. Hanc autem suis fuisse munitam propugnaculis, hoc est, structuris, ex quibus lapidum, telorumve jactu pugnaretur, & quæ præsidium esset ad Jebusæos debellandos, æstimandum est; nam ex eo loco arcem Sion, totumque Mello, pluribus insignem collibus, Rex cepit, constructoque per montis extrema muro munivit. Et ne quid ad firmissimi præsidii munimentum desideraretur, variis armorum generibus Rex eam arcem instruxit, unde ex ea clypeos, aliaque id genus appendit arma, ut terror hostibus incuteretur. Hæc est perelegans quædam orationis effigies. Patet enim iis, qui eam virtutem colunt, eam esse firmissimum ad omnia prælia præsidium, universo armorum genere refertum. Oratio, cujus est ingenium ad Deum hians, & erectum, qua velut arteria, seu gutture sponsi capitis nostri & spiritus, & influxus, & motus ad animam perlabitur, ac permeat, collo pulchrè significatur, cujus in pulchro corpore laus potissima est, ut sit erectum, & servata proportione longum. Propterea turri asseritur similis. Est autem expendendum; turrim hanc non cujuscumque Regis, sed David hominis bellicosi ædificium esse. Non enim orationis turrim istam symbolicam aliùs, quàm verus David noster exædificare potuit; qui, utpote belli consultissimus, eam propugnaculis sepsit, clypeisque munivit. Quæ sunt tanquam duæ classes, ad quas omnis pertinet armatura.

C Orationis effigies.

D *LXX. Interpp.* Propugnacula Hebraicè Thalphiot [quam vocem Septuaginta Interpretes retinuerunt] ædificia sunt ad pugnandum comparata, qualia passim muris urbium eminere cernimus, ex quibus, qui urbem tuentur, tela ejaculari, hostesque muris conscendere satagentes arcere, ac sauciare solent. Quamobrem sub propugnaculorum imagine arma necem inferentia hosti universim intelligimus. Clypei verò ad excipiendos sine vulnere ictus, non ad lædendum comparantur. Quapropter sub eorum symbolo arma defensioni dumtaxat opportuna universim accipimus. Arcanam nunc ex his eruere significationem oportebit. Domus igitur excelsa, Davidis nostri opere constructa, ad spiritales Jebusæos expugnados, Orationis est virtus, collo notata, turrique (ut patet ex dictis) propriè collata. Hæc est propugnaculis septa, iis nempe virtutibus, quæ dum mentis erectionem tuentur, & alunt, dæmonem insidiantem velut excelso è loco repellunt, & sauciant: quod est proprium earum virtutum, quæ audaciam, & impetum præ se ferunt, qualis est fortitudo, constantia, & ejus generis aliæ, quæ animam orationi vacantem & ab hoste tuentur, & vulnera inferre faciunt. Sunt autem virtutes aliæ, quæ impetum non faciunt, sed ad infligenda hosti vulnera natæ videntur, qualis est humilitas, & patientia, & his elegantissimè quadrat clypeorum similitudo. His igitur perpensis, sponsus sic effatur; Sicut turris David bellatoris ad hostes expugnandos extructa, ità & orationis virtus, qua præcellis (ô sponsa) colli erecti, longique symbolo notata, per quam è capite tuo, ex me [inquam] sponso tuo, & spiritum, & influxum, & motum, velut per arteriam quandam, collumve attrahis. Hæc quippè oratio sic affecta perssimilis est turri David bellicosi, ego enim militiæ princeps eam excelsam, ad pugnandum opportunam extruxi. Virtutibus, quæ dum eam tuentur, dæmoni vulnus infligunt, illam velut propugnaculis sepsi, aliisque præterea virtutibus, non tam ad lædendum, quàm ad tolerandum, & quasi contegendum idoneis, tanquam clypeis exornavi. Et quia singula percensere nimis esset operosum, omni armatura fortium, hoc est, quæ animos reddit fortes, communivi.

E Orationis virtus.

F

G

Altera textus explicatio.

Etsi verò hæc expositio idonea sit, altera non minus concinna subit animum, quæ collum hoc loco, charitatem potiùs, quàm virtutem aliam quampiam intelligit. Qui profectò intellectus quàm sit aptus, ex ipsa colli descriptione, turrisque similitudine clarè perspicitur. Sanè collum excelsum est, caput sustinet, ejusque cum corpore vinculum quoddam est, habet arteriam, qua spiritus admittitur, & influit, habet fauces, quibus epulæ traiiciunt, innititur humeris. Hæc est pulchra quædam charitatis effigies. Si colli celsitudinem, erectionemque contemplemur, charitas omnium virtutum celsissima, & in Deum erectissima est. Si collum, quà gestat caput, corporique connectit, inspiciamus, exploratum est in divina Theologia, charitatis munus esse; caput animæ Christum sustinere, animæque vincire, adeò ut cæterarum virtutum nexibus, nisi unius vinculo charitatis, animæ non alligetur. Si colli arteriam, qua spiritus perlabitur, expendamus, charitas, cùm totis flagret visceribus, ad ca-

Charitatis effigies.

H

lo-

Scripta An. 1598.

lorem internum [quamdiù differtur ſponſi conſpectus temperandum, ſpiritum haurit, & attrahit, quemadmodum, cùm febri quis æſtuat, ventum, ad internum calorem moderandum, exſorbet. Si fauces conſideremus charitas ſemper eſurit, oblatoſque à ſponſo cibos, ſeu molles, ſeu ſolidiores avidè abligurit, nullum enim laboris genus detrectat, ſed velut ignis vehemens injecta ligna conſumit. Si colli poſitum humeris innitentem
A contueamur, facilè liquebit, quàm appoſitè quadret charitati. Enimverò humeris ad onera portanda utimur, quod in ſacra pagina paſſim offendimus. Hoc autem fundamento fortem charitatem niti oportuit, quæ onerum geſtatione, laborumque perpeſſione non voluptatis perceptione fundatur. Hæc eſt hujus arcani colli ſtructura, qua ſe ſapientiorem oſtendit ſponſus, quam in aſpectabilis colli compactione. Nunc verò ad ſimilitudinem turris pertendamus. Eſt nimi-

Charitas turris quædam.

rum divina charitas turris, ſive arx, tum ob celſitudinem, tum ob firmitatem, ac robur. Nam qui hanc incolunt arcem, vim quandam planè divinam adipiſcuntur, qua fiunt
B invictiſſimi, ut de ſe Paulus ingenuè fate-
ad Rom. 8. 39. tur, dum ait, nec morte, nec vita, nec id genus aliis acerrimis hoſtibus ſe à charitate Dei poſſe divelli. Etſi verò arx hæc videatur inexpugnabilis, utpote, quam ſponſus, David arcanè nuncupatus, ſapiens architectus extruxit; oportuit tamen ob pugnatorum, qui in arce habitant, imbecillitatem, & hoſtium creberrimos impetus, propugnacula juxta illam ædificari ad hoſtilem temeritatem arcendam, ne fortè diruueretur arx. Hæc autem propugnacula [ut ſapientum concors ſententia fert] ſunt evangelica conſilia,

Propugnacula quid?

quæ ab iis vigilantiſſimè obſervantur, qui charitatis arcem tutam eſſe cupiunt. Quippè obedientiæ, caſtitatis, paupertatiſque, & aliorum conſiliorum cultores turrim Davidicam Apoſtolicis veſtigiis inſiſtentes optimè cuſtodiunt, & ex his velut propugnaculis
C hoſtem ſæpiſſimè ſauciant, ſeque reddunt formidabiles. Quamvis autem robur potiſſimum in charitatis arce conſiſtat, at profectò propugnacula iſta tempori obſidionis opportuniſſima ſunt, ſine quibus arx everſioni, direptionique patet. Quin verò charitas ipſa ex hiſce propugnaculis pugnat, hoſtemque enervat; charitas quippè ipſa, & obediens, & caſta, & pauper eſt, & patitur, & vigilat, & univerſas functiones militares obit; quas niſi ſtrenuè exerceat, ejus vis confeſtim extinguitur. Clypei verò mille, qui ex ea pendent, cœtus, numeruſque perfectus earum virtutum, quæ non tam ad lædendum, quàm ad defendendum comparatæ ſunt, debent intelligi, quales ſunt humilitas, benignitas, & patientia, ut in prima interpretatione aſſertum eſt. Dicuntur autem multò propriùs
D hi clypei ſymbolici charitati, quàm orationi congruere, cùm quia charitas jure ſuo, ut virtutum princeps, ac domina eis utitur ad certandum, tum quia clypei ejuſmodi non quoquo pacto in turri eſſe, ſed ex ea pendere dicuntur. Omninò autem exploratum eſt, virtutes univerſim cæteras à charitate pendere; ità ut ad æternitatem, pro qua certatur, prodeſſe nequeant, niſi ex eo pendeant armamentario. Deniquè in charitatis arce dicitur eſſe omnis armatura fortium, non quaſi prius fortes ſint, & poſtmodum ar- E mentur, ſed quia tunc fortes fiunt, cùm ſe charitatis accingunt armatura. Hoc eſt elegans ſponſæ collum, cui præſidet caput, qui ſponſus eſt, qui cœptam nunc perſequitur laudem dicens:

Clypeorum ſymboli charitati congruunt.

℣. 5. Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis; ℣. 6. Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.

PARAPHRASIS.

F

Duo amoris tui actus perſimiles ſunt capreæ gemellis; quippè tam celeriter properant ad propinandum lac dulcoris Deo, proximoque dilectis, quam velociter hinnuli ad matris ubera exſugenda feſtinant. Et hanc pernicitatem fœlicius exercent in animabus puritate candidis, in quibus, ceù in paſcuis liliorum hi duo amores paſcuntur, & creſcunt, donec appareat dies æternitatis, & umbræ mortis, ac peccati inclinentur, ſeù deſcendant in tartarum.

HOrum verborum interpretatio ex verbis primis, capitis primi, ubi quid ubera ſymbolicè ſignificarent, & ex ultimis ſecundi capitis, ubi quid ſit inter lilia paſci, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ, G declaratum eſt, peti debet. Et ut compendio dicamus, ubera duo, duos amoris actus in Deum, proximumque propenſos miſericordiæ lac evergentes notant, qui inter lilia verſari, ac paſci aſſeruntur, quia in animabus candore non interno tantùm, verùm & externo, caſtitate videlicet corporis nitentes, mirificè proficiunt, & ut ſalutari pabulo pingueſcunt. Cùm enim in caſtis mentibus illecebris & corruptela carnis amor non retardetur, ipſeque ſuo genio ad creſcendum ſit expeditiſſimus, efficitur apertè debere ibi fœlicius creſcere, ac velut paſtu ſaluberrimo paſci, ac dilatari, donec æternitatis dies aſpiret, & illuceſcat, & umbræ mortis, ac peccati, in quibus homines non modò ſedent, verùm etiam jacent, inclinentur, ſeu deſcendant in tartarum, paratum ſcilicet locum, ubi umbra mortis & horror habitabit ſempiternus. Hæc ſub compendio contracta ſunt. Reliquum fit, ut in quo gemellorum capreæ cum uberibus ſimilitudo conſtituta ſit, aperiamus. Sanè ſi verborum expendatur cortex, inconcinna videtur hinnulorum cum uberibus collatio. Cùm enim capreæ, ac hinnulorum mentio facta fuerit, & hîc ſponſa pingatur uberibus prædita, multò propriùs capreæ ampla ubera habenti, quæ ſuguntur

Ubera duo duo amoris actus in Deum, & proximum.

H

ab

Scripta An. 1598.

ab hinnulis, quàm fœtibus ipsis videtur debuisse comparari. At sanè mysterium latet in cortice. Duo nimirum sponsæ ubera, duo sunt charitatis, seu divini amoris actus; sunt gemelli ab eadem charitate, eademque voluntate, velut ab eodem utero editi. Sunt autem fœtus hi cursu perniciissimi, sicut & universum caprearum genus. Tunc autem velocissimè currunt, cùm esuriunt, & longè à matre distant, & cùm meminere lactis, ad quod exsugendum celerrimè properant, donec papillas arripiunt. Ut ergo Salomon exprimeret charitatis ingenium, ad amplexum sponsi, proximique per actus geminos expeditissimum, duos illos actus, non capreæ prægnanti, quæ tunc & ægritudine, & uberum distentorum pondere vix currere valet, sed hinnulis velocissimis comparavit. Est nimirum charitas ad suum opus promptior, quàm sit, qui eget charitatis lacte, ad illud hauriendum velociùs accurrit, quàm invocetur, ignis æmulata naturam, cujus in agendo (ut philosophi loquuntur) inter elementa omnia summa celeritas est. Sic ergo sponsum debemus concipere ajentem: Duo amores tui (ô sponsa) non indigent petitione, aut obsecratione, ut seipsos exerceant, & rivos lactis effundant, quos exsugere dicor ego, dum amore tuo recreor, ejusque dulcore perfundor: & proximus tuus, qui tuo amore fovetur, & alitur. Non (inquam) obsecratione indigent, sed velociores ipsi ad opus, quàm qui eis reficiuntur, ad flagitandum tempus antevertunt, & ad meum, proximique amplexum tam perniciter currunt, quàm caprearum hinnuli, cùm ad matris ubera exsugenda festinant. Constat ergo similitudo ex hinnulorum celeritate, & amoris ad opus expeditione, tametsi non caret emphasi cursus hinnulorum, si ad amoris cursum conferatur. Porrò, quemadmodum hinnuli currunt ad ubera dulcore lactis allecti, ita & gemini amoris actus ad sponsi, proximique properant amplexus, in quibus eximius dulcor, voluptasque percipitur. Adhuc enim in proximi ærumnis elevandis (de quo uno poterat suboriri dubitatio) qui verè amant, dulcorem mirum experiuntur, quod ex rebus gestis sanctorum, & vulgari etiam patet experimento. Hæc dum sponsus eloquitur vehementi quodam amoris turbine correptus, secum loquens ait, sponsam se velle inhabitare, quod ut enuntiet laudem, quam texebat, velut intercidit; quemadmodum sæpe solet evenire, dum quis fœminam pulcherrimam laudat, & pulchritudinis miræ partes recenset, in ipso sermonis excursu encomium incidere, ac vehementi quodam amoris æstu se illam adire velle enunciare. Propterea igitur sponsus ait:

A

Charitatis promptitudo.

B

Sponsi adlocutio.

C

Comparatio.

D

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

PARAPHRASIS.

Cerno sponsam meam effectam esse quendam montem myrrhæ. Dum conscensu difficilem mortificationem magna vi seipsum edomans, & crescens, velut excelsum montem superavit. Eademque collis thuris ferax evasit: licèt enim non ita difficulter orare didicerit, ac carnem premere, nonnihil tamen extolli, & conari ceu ad collem, seu minorem montem conscendendum, opus fuit. Hunc ergo montem, hunc collem adiba lætus, ac hinnulus cervorum, sicut scriptum est, Montes excelsi cervis, & eum locum ipse humanè colam.

E

SPonsæ montis quadrare symbolum satis liquet, si justitiæ celsitudinem, ad quam pervenit, meminerimus. Est autem cervorum mos alta petere, montesque conscendere, sicut scriptum est, Montes excelsi cervis. Superius verò inter alia nomina translata, hinnulus cervorum sponsus appellatus est. Quod ergo ait, Vadam ad montem, hoc est, excelsam sponsæ mentem instar montis, charitate grandem visitabo, ingenio suo maximè consentaneum est. At modò, cur mons myrrhæ, cur collis thuris nuncupetur, investigare oportebit; non enim vacat mysterio, myrrhæ, non collem, sed montem, thuri verò non montem, sed collem attribui; cùm tamen in arcano sermone, ubi thure oratio, seu mentis elevatio; myrrha verò ea, quæ à sanctis Patribus mortificatio appellatur, significetur. Ex quo mons thuri suo jure deberi videbatur, potiùs quam myrrhæ. At si rem introspiciamus, cernemus profectò, magna cum energia factum esse montis, collisque discrimen. Monte quippe magna difficultas, arduaque opera notantur, propter difficilem montis ascensum, ità ut rectè dicatur quis montem conscendisse, seu superasse, cùm arduum quippiam peregit. Colle verò, qui minor est mons, non ita magna difficultas exprimitur. Nunc igitur, si carnis rebellionem, quæ viros etiam charitate provectos acerrimè divexat & cruciat, perpendamus, & mentis in hæc terrena dejectionem carnis luctæ comparemus, perspiciemus proculdubiò longè difficiliùs esse corpus edomare, quàm mentem in superna erigere. Enimvero constitutissimum est, viros charitate insignes jugi quadam contentione mentem in Deum erigere adhuc inter ipsas corporis indomiti luctas, quin verò & ex ipsis ansam orandi Deum creberrimè, arripere, qui tamen conqueruntur de corporis violentia penè insuperabili. Sic Paulus ajebat, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? & alia simillima effabatur, quibus mortificationis difficultatem exaggerabat; quæ de orationis opere minimè protulit, ut ex hoc illustri exemplo satis liqueat, cur potius myrrhæ, quàm thuri mons fuerit attributus. Mons ergo myrrhæ mortificatio carnis multo nisu, ac vi à sponsa parta dicitur; collis verò thuris orationis virtus, ac mentis in Deum elatio, quæ non tam difficul-

Psal. 103. 18.

Excelsa sponsæ mens instat montis.

F

Montis, & collis discrimen.

G

Ad Rom. 7. 25.

H

Mons myrrhæ mortificatio carnis.

Scripta An. 1598.

ficulter parata est. Sic sancti Patres observarunt hoc montis, collisque discrimen, licèt allam hæc verba interpretandi rationem inierint, sponsum loquentem introducentes, quem asserunt ad montem myrrhæ perrexisse, cùm semetipsum exinanivit, & usque ad crucis mortem dejecit: ad collem verò

A thuris ivisse, cùm resurgens ad eam claritatem, gloriamque rediret, quam habuit, antequam mundus fieret. Et tamen liquidò constat, Illam exinanitionem descensui ad illam vallem centro finitimam, aptiùs quàm conscensui in montem respondere: contrà verò reditum ad gloriam conscensui montis excelsi potiùs, quàm collis consentire. Reddunt autem arcanam discriminis rationem, quia exinanitio illa tam fuit excelsa, ut cogitatione comprehendi nequiret. Redire verò ad claritatem suæ gloriæ, nec magnum, nec laborioſum ei fuit. Conscendit igitur montem arduum, cùm nostrorum laborum toleratu difficillimorum, particeps fuit. Collem verò mitem sine labore ullo suavissimè ascendit, cùm ad naturalem, ac familiarem

B sibi surrexit immortalitatem. Non ergo ex corporata, & aspectabili tantùm montis, collisque figura, sed ex rerum, de quibus agitur, natura interpretatio potissimum petenda est.

Thuris arbusculæ delineatio.

Hic verò notandum est, Thuris arbusculam (nam de myrrha suprà egimus) humilem esse, foliaque habere lentisco similia, in regioneque Sabæorum, quæ fœlicis Arabiæ pars est, potissimum provenire; quæ inciditur circa canis ortum, æstu flagrantissimo, in ea parte, qua maximè videtur esse præ

C gnans & tenuissimus tendi cortex. Ex ipsa verò incisione, seu plaga laxata prosilit spuma, quæ postmodum concrescit, & in sacrificium exuritur. Ex quibus satis patere potest, orationis virtutem, ab anima divini seminis conceptu prægnante, & charitate sauciata, dum amoris æstus flagrantissimus est, erumpere, & hunc esse illum syncerum thuris suffitum, qui sponsi delectat odoratum. Nunc verò postquam sponsus tantillum laudis texturam intersecuit, ajens, se sponsam crebrò velle invisere, hinnulique more ad excelsam ejus mentem se librare, ad sermonis textum revertitur, ac dicit;

℣. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

PARAPHRASIS.

Licèt nonnullas leviores culpas admittas, eas tamen nolo cernere, nec enim id meus in

D *te patitur amor, ac proinde tota mihi pulchra videris, quidquid enim in te contemplor (cætera oblivioni tradens,) honestum est. Ideò verò tu tota pulchra es, quia es amica mea. Et quia es amica mea, macula non est in te, quam quidem ego contempler, aut videam.*

TOtam pulchram sponsam appellat, non quia omninò careat culpa quapiam levissima; sed quia amoris magnitudo non sinit eum culpam expendere, & totum ad pulchritudinem contemplandam convertit. Quam quia solam speculatur (culpa prorsus oblivioni tradita,) nihilque proindè cernit, quod pulchrum non sit, ex more ardentissimè amantium totam pulchram appellat. Hæc est illa sponsi philanthropia, quæ ità erga nos illum afficit, ac si oculis captus esset, quantum ad culpas pœnitentium, vel exprobrandas, vel in memoriam revocandas attinet, & ad ea solùm contuenda, & amplificanda, quæ in nobis honesta sunt, permovet. Quamobrem iure ab antiquis cæcus pin- Amor cæcus depingitur.
gebatur amor, qui, cùm flagrare cœpit, deformitatem à pulchritudine non internoscit. Verba modò trutinare opus erit, quæ & energia, & suavitate plena sunt. Porrò postquàm enunciavit illa verba, Tota pulchra es, non constitit, non quievit, sed originem exactæ illius pulchritudinis referavit, ajens. Amica mea, quasi planiùs eloquutus esset; Ideò tota pulchra evasisti, quia effecta es amica mea. Enimverò, ut egregius pictor perfectum exemplar sibi oblatum penicillo

E expressurus, tunc imaginem perfeciſſe dicitur, cùm lineamentorum & singularum partium, tametsi minimarum exemplaris similitudinem effinxit, sic sponsus in sponsæ anima sui ipsius partium singularum reddit effigiem, quam in dies accuratè perpolit, donec sui exprimat exactam similitudinem universarum virtutum concinnitate conflatam. Unde fit, ut, cùm ipse sit pulchritudinis fons, imaginem ipsius sponsa reddens, nequeat non esse pulchra. Priùs tamen divina gratia, charitasque gratis infusa præcurrit, ut sponsa grata fiat & amica. Deinde charitas universis virtutibus decorem, formamque elegantem virtutis impertit, ex quo illarum concinnitas & proportio divina exiſtit, quæ est ipsa interna pulchritudo. Denique quod attexuit sponsus ajens, & macula non est in te, sic accipiendum est, & macula, quam quidem ego vel horream, vel contempler, non est in te. Quod quidem quàm sit divinæ bonitati germanum, quæ parcit, nec improperat, per se planissimum est, valetque plurimum ad amorem acuendum. Recensuit sponsus plures egregias sponsæ laudes. Mox verò utitur exhortatione quadam ad sponsam acuendam, & in strenuitate provehendam opportunissima, proposito sine laborum fœliciſſimo. Quemadmodum cùm quis athleta strenuus fortiter agit in palæstra, sic solent spectatores hortari, Age, certa strenuè, & ad coronam, victoriamque festina. Propterea sequitur;

℣. 8. Veni de Libano, Sponsa mea. Veni de Libano. Veni.

PARAPHRASIS.

Veni sponsa, ter monita, hoc est, perfectè vocata, non quòd citò è vita migratura sis, sed

Scripta An. 1598.

sed ut præ oculis habeas coronam, cui propinquas, & locum, undè vocaris, quæ est altitudo justitiæ, eximiaque vitæ puritas, Libani celsitudine, perpetuoque nivis candore notata.

De cubilibus leonum: De montibus pardorum.

PARAPHRASIS.

Coronam de persecutione recipies; dum in Libano vivens. montium, ubi feræ habitant, adversos patieris incursus. Monti quippè amoris persecutionum montes opponi decuit, ut tanta sit laboris, probationisque mensura, quanta est tui erga me amoris magnitudo.

A Libanus a nive sic dictus.

LIbanus mons est in Syria editissimus, à vertice perpetua nive candente nomen assecutus, ab occasu in ortum procurrens, Israelisque regionem à Syria Damasci disterminans. Hic præterquàm quòd cedrorum, aromaticarumque arborum laude clarissimus est, ipsa tamen una altitudine, perpetuoque nivis candore, unde nomen accepit, justitiæ notat celsitudinem, eximiamque vitæ puritatem, inqua quotidie sponsa magis, magisque perficitur. Ex hac verò justitiæ altitudine, vitæque candore suis numeris absoluto, postquam cursum spiritalis vitæ confecerit, in cœlum migratura est, gloriæ corona donanda, sponsique aspectu fruitura. Proponitur ergò illi sub Libani metaphora vitæ norma, quæ ab ea, donec vixerit, servanda est, proponitur & fœlicitas, in quam ex ea vitæ perfectione sit convolatura, non ita citò, sed cùm viam percurrerit. Quæ profectò interpretatio quàm sit idonea, ex Septuaginta interpretum versione sensui referante convincitur. Sic enim transtulere: Veni de Libano sponsa. Veni à Libano. Venies, & transibis à principio fidei. Nimirum, ut à fide transeat ad visionem, commonetur; nec confestim transitura notatur, sed agone peracto, ideò quippè traduxerunt futuro tempore, Venies & transibis. Quod autem Libani translatione non gloriæ celsitudo, sed vitæ quæ sub fide, & ænigmate ducitur, perfectio significetur, ideò effectum est, quia Libanus fuit fons baptismatis, quod est sacramentum fidei. Ex ejus quippè montis radicibus effluit Jordanis, cujus aqua in baptismum dedicata primùm fuit, cùm ei sponsus tactu suæ mundissimæ carnis vim contulit regenerandi. Quæ sanè omnia Septuaginta illi senes intellexisse videntur, cùm traduxêre sensum, & reddidêre illa verba; A principio fidei. Quod autem ad ternarium vocationis numerum (ter enim repetitur, Veni), spectat, satis arcanum est. Novimus enim, numerus hîc quam fuerit non orthodoxis modò, verùm & ethnicis sacer, & augustus, præterquam quòd versum est in proverbium, Tria sunt omnia: Est ergò ea repetitio exacta vocationis significatio. Quam quidem sponsa prosecutura est trium virtutum Theologicarum gressibus; donec ad statam solius charitatis (fide, ac spe cessantibus) ævo sempiterno mensura perveniat. Quia verò vocatur ad coronam, & omninò necesse est, præ oculis habeat id, undè coronanda est, concinnè sponsus adjunxit:

B

LXX. Interpp.

Ex radice Libani effluit Jordanis.

C

Ternarius numerus sacer.

Proverbium, Tria sunt omnia.

D

Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon:

E

AMana mons est Ciliciam à Syris dividens, qui & Amanus dicitur. Hermon mons ad Orientem terræ sanctæ, quam Sidonii Sarion, Amorrhæi Sanir vocabant, cujus pars Sion est, undè interdum Sion appellatur. Quamobrem non esset abs re; Sanir & Hermon eundem in hoc textu montem interpretari. Alii verò duos ajunt esse montes Hermonis nomine insignes, unum non procul à Gelboa, juxta Jordanem, alterum autem multò altiorem, supra Trachonitidem regionem. Alii denique sentiunt Sanir & Hermon duo esse unius montis juga, vel cacumina. Sed parum retulerit unum, duos, vel duos montis unius esse vertices. Quod enim ad enarrationem spectat, in his montibus esse leonum, pardorumque lustra communis fert interpretatio, Leones crudeles, immanesque significant; Pardi verò maculosa variegatàque pelle versutos homines, hoc nunc, illo postea colore, ac simulatione fucatos. Est autem scelestorum hominum ingenium, ad eos, quos cernunt ob justitiæ magnitudinem, quam illi oderunt, magni fieri, insequendos, & extinguendos anxiè conari. Crudeles justorum mansuetudinem, callidi synceritatem execrantur. Cùm ergò impii homines desæviunt in Sanctos, ex eorum persecutionibus Sancti coronari propriè dicuntur. Ex horum igitur insectationibus, tolerantiæ merito singulari sponsa vocatur ad coronam. Quasi sponsus diceret: Exi sponsa, propera egredi ex commercio peccatorum, qui te tanquam leones & pardi immaniter laniant quamdiù vitam inter eos degis. At inquirendum est, cur de capite, ac vertice istorum montium, qui sunt ferarum lustra, vocetur, & non de montium declivio. Videtur autem in hoc mira divinæ sapientiæ harmonia latere. Metitur quippè sponsus anxietates, & insectationes sponsæ juxta divinæ gratiæ, charitatisque mensuram. Quapropter, quia ad Libani altitudinem, qua ingens ejus charitas exprimitur, eam evexit, altitudinem adversorum montium, qui leonibus, pardisque scatent, ei opposuit, ut quàm excelsus est amor, tam dira sit persecutio. Et hæc est divina mensura, quam subire debent universi, qui consortes cupiunt fieri sponsi, qui cùm in Libani arcano vertice versaretur, hoc est, in summa justitia, è qua vocatus est ad coronam, patrisque consessum, infestos habuit montes adversos leonum, ac pardorum, qui

Amana, & Hermon.

Sanir, & Hermon fortè idem mons dictus.

F

Leones crudeles homines, Pardi versuros significant.

G

H

Scripta An. 1598.

qui eum immaniſſimè peremerunt, Nihil eſt profectò (quod quidem ab homine in terris fiat) acceptiùs Deo, quam laborum ex ſyncero amore perlatio, Quapropter ingenuè fatetur ſponſus, ſe à ſponſa mirificè vinciri, & ſauciari, dum ait:

A

℣. 9. Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa,

PARAPHRASIS,

Sponſa mea cor meum ſauciaſti, quia ſoror mea es effecta, poſtquam ego carnem aſſumpſi, ex quo tuum opus jure germanitatis novo gratius mihi eſt & quia in intimum cor penetrat ut ſagitta, ideò dicitur vulnerare me.

Mos amantium.

MOs eſt amantium mira cum ſenſus energia, modò Monarchas, confeſtim fratres, nunc Reges, mox conjuges, ex amoris imperio ſe mutuò nuncupare. Sic cernimus ſponſam hîc ſororem vocari, cùm prius amica, poſtque Regina, & principis filia appellanda ſit. Hoc autem diverſorum nominum diſcrimen ab amore excogitatum, valet plurimum ad effectus amoris varios exprimendos, modò teneros, modò fortes, ut patet ex variâ nomenclatura illis accommodata. At præter hanc rationem, quæ ſatis apta eſt, nova ſubeſt ratio, cur ſponſus ſponſam ſororem nuncuparit, ut nempè aſſumptæ humanæ naturæ notet ſacramentum, propter quod non confunditur hos fratres, ſororeſque vocare. Ex hoc autem capite videtur ſponſa vulneraſſe cor ſponſi, quia ſoror ejus eſt. Enimverò priuſquam ſemen Abrahæ apprehenderet, non adeò propinquus nobis erat, ac proindè noſtra opera non intuebatur, ut frater. Poſtquam autem carne obſeptus eſt, jure germanitatis
C novo, noſtrum opus acceptat, quod quia uſque ad intima ejus viſcera, ſagittæ inſtar penetrat, eleganter dicitur illum ſauciare, ſeù vulnerare. Sed ſponſus nova reſeraturus arcana, quàm facilè ſponſæ amore ſaucietur, proditur, cùm ait:

Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.

PARAPHRASIS.

Fide tua per dilectionem operante, velut ſagitta quadam ſauciaſti me.

D

SI externa horum verborum expendatur ſignificatio, mirificè conducit ad ſponſi amorem, & ſponſæ venuſtatem commendandam. Gerit enim ſe hîc ſponſus morè hominum quampiam egregiæ formæ fœminam ardentiſſimè amantium, qui vel altero dumtaxat oculo, ſive manu altera fœminæ illius ſe captos exclamant, hac ratione commonſtrantes, quanta ſit totius corporis elegantia, ſi vel una ejus pars cor amantis vincire, ac permulcere poteſt. At nunc verba introſpicientes, quiſnam ſit unus hic oculus, indagemus. Exploratum eſt, oculum, cum ad interiora refertur propria tranſlatione notitiam præ ſe ferre; quapropter perquam idoneè ſignificat virtutes, quas Philoſophi intellectuales appellant, Verùm quia hæ plures ſunt, Scientia, Prudentia, Fides, unam inter cæteras ad ſociandum acutiſſimam, & efficaciſſimam ſponſus innuit eſſe, quæ illum vulnerârit. Hæc eſt fides, quæ per dilectionem operatur, quæ ſponſo placet eximiè, cujus præclaras laudes ex rebus geſtis priſcorum Patrum, Paulus ad Hebræos ſcribens, elegantiſſimè recenſet; ita ut huic virtuti, ſive oculo arcano Abel hoſtiam, Abrahæ ſacrificium, & cæterorum heroum actus egregios jure tribuat, adeò ut mirandum non ſit, oculi hujus pulchritudine captum eſſe Deum. Etenim, ut cætera prætermittamus illuſtria exempla, oculi hujus intuitu ſe captum ſatis apertè monſtravit Deus, cùm per Angelum, Abrahamum, qui fide gladium arripuerat, & vibraverat ad Iſaac cædendum, interpellans, ſic affatus eſt: Per memetipſum juravi, dicit Dominus, qui feciſti hanc rem, & non perperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli. Et alia promiſſa, quæ ibi contexuntur, Quid enim ſibi vult ille tanta cum emphaſi erumpens affectus in hæc verba: Quia feciſti hanc rem, niſi apertè prodere hujus oculi venuſtatem? Porrò in eundem ſenſum ſic enunciare potuiſſet: Per memetipſum juravi, quia pulcherrimo fidei per dilectionem operantis oculo, in re hac filii immolandi difficillima, me intuitus es, nec caligaſti, benedicam tibi, & amabo te, tanta unius oculi tui captus venuſtate, Notandum verò fuerit accuratè, non fidem ſolam, ſed à charitate illuſtratam eſſe hunc lynceum oculum; nec enim aliàs tam eximiè ſponſo placuiſſet hic intuitus, utpotè nec tam ſyncerus, nec tam purus: quod ex ratione Philoſophica, & Theologica liquet. Nimirum, quemadmodum voluntas amore terreno affecta urget, ac permovet intellectum, ut practicè judicet, terrena cœleſtibus eſſe anteponenda; ſic è contrario, voluntas affecta charitate ſubvehit, & permovet intellectum, ut divina præferat humanis, & velut humore noxio repurgatus, fidei oculo cæleſtia ſuſpiciat, & imperet amplectenda. Hæc prima eſt loci hujus idonea interpretatio. Succurrit verò altera non minùs opportuna,

Oculus notitiam præ ſe fert.

E

Fides per dilectionem operatrix.

Ebr. 11.

F

Exemplum Abrahæ. *Gen.* 22. 16. *& ſeqq.*

Profectò inter dona Spiritus Sancti, quædam ſunt ad intellectum rectà ſpectantia, quibus oculi ſimilitudo graphicè convenit, cum quia ad intellectum pertinent, cujus tot ſunt intuitus, quot ab eo exiſtunt actus, tum quia Spiritus Sancti, qui ſcrutatur etiam profunda Dei, dona ſunt, quibus univerſim quadrat oculi arcana tranſlatio, ſicut ſcriptum eſt: Vidi agnum ſtantem, tanquam occiſum, ha-

Altera textus explicatio.

H

Apoc. 5. 6.

Scripta An. 1598.

habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Ex his ergo septem oculis, divina vi conditis, ac illustratis, unus est elegantissimè fabrefactus, & pulcher adeò, ut jure suo intuitu, tanquam jaculo quodam, vel sagitta cor sponsi sauciarit. Hæc est sapientia, unum ex septem donis Spiritus Sancti, quæ ita illustrat intellectum, ut inflammet etiam affectum, & secundùm hanc (quod est Theologorum oraculum) fit missio filii ad universos divinæ gratiæ consortes. Et sicut filius ipse est verbum, non qualecumque, sed spirans amorem; ita sapientia, qua filius ipse percipitur non quæcumque notitia est, sed ea, quæ vi divina impellit, ac incendit affectum. Hæc sapientia est, quæ de universis per altissimam causam, quam contemplatur, judicium fert, & in splendidissimum solem luminis immensi intentos semper oculos habet. De hac igitur sic sponsus effatur: Sauciasti cor meum (ô sponsa) in uno oculorum tuorum, ac si planiùs sic effaretur: Cùm plures habeas oculos venustissimos (ô sponsa,) & inter cæteros septem, quos Spiritus Sanctus mirificè architectatus est, unius ex eo numero pulchritudine præsertim captus sum, qui cor meum velut sagitta trajecit. Hæc est sapientia, qua divinitus perfusa es, cujus intuitus est perspicacior aquilino visu, secumque fert voluntatis rectitudinem, qua nihil gratius cordi meo poterat offerre, quapropter totum me amore sauciat, & suave dilectionis vulnus infligit. Sed in ulteriora tendamus, sequitur enim sponsus ajens:

A

B

Et in uno crine colli tui.

PARAPHRASIS.

C

Obedientia tua, quæ est crinis, seu torques collum tuum ligans ad obtemperandum sauciasti me, qui non egeo catenis, seu vinculis ferreis ad te trahendam, uno enim ex crine suavissimè, quò placet, duco te.

HAC loquendi phrasi, non secus ac proxima, prodit sponsus se adeò impotenter amare, ut (quod in re minore majus videtur) unius crinis vinculo teneatur. Enimverò uno mulceri oculo, non ita magnum censeri posset, in oculo enim lucet magna pulchritudinis pars; at uno crine teneri, atque vinciri, mirum est, cum in eo nihil videatur splendere, & extra corpus sit à natura pulsus, tanquam ad pulchritudinem minimè necessarius. Inest autem magna in verbis energia; qua sponsus ea translatione declarat, se non egere catenis, aut funibus, ut ad sponsæ pertrahatur amplexus, sed unius capilli, vel crinis laqueo se non trahi, sed duci. Porrò cùm quis rem quampiam ardentissimè optat, vulgò dicitur violentia non egere, sed filo tenuissimo ad eam rem posse perduci. Quod emphasim habet maximam, cùm is aliàs vir

D

Proverbium

fortis, ac magnanimus est. Ex hac ergò externa loquendi formula mirificè augetur divini amoris laus. Fortissimus quippè Deus, cujus terror priscorum olim Patrum animos pervaserat, quique è tribu Juda inter homines nasci, ac leonis ex ea tribu insignia seligere voluit, in agni mansuetissimi morem crine uno ligari, propter nimiam erga nos charitatem dignatus est. Quis autem sit iste crinis, nunc cogitandum est. Sanè si crinis spectetur natura, inter capillos censeri debet; at quia non crinis capitis, sed colli dicitur, ejus propterea interpretatio à loco, unde oritur, est eruenda. Porrò crinis in collo idem est, ac lorum, seù laqueus, seù etiam habenæ, unde quis trahitur. Idemque præstat crinis sponsæ, quæ à Deo trahitur, quod vincula, seù funes, seù etiam catenæ animalibus, quæ ab hominibus trahuntur. At quia homines minimè norunt affectum implere, seù excitare, sed vim extrinsecus inferre, ferrea iniiciunt vincula iis, quorum opera, vel ministerio uti volunt. Deus autem, qui voluntatem condidit, & in eam illabitur, non infert vim, nec ejusmodi vinculis utitur, sed vel tenuissimo filo, & hic mos Deo familiaris est. Sic angelico ministerio ex uno crine Abacuc ex Judæa vexit in Babiloniam; sic ex uno crine sponsam modò se, quò vult ducere hac loquendi ratione eleganter innuit. Crines autem plures sponsam habere clarè perspicimus, nec enim inter omnes unus seligi potuisset, ni plures essent. Universæ quippè virtutes eæ, quæ animam premunt, & astringunt, ut in officio permaneat, metaphoricè crines collum (quæ jugi sedes est) vincientes appellantur, quales sunt humilitas timor Dei, obedientia. Et hæc ultima est iste laudatissimus crinis, quo ligatur collum sponsæ adamussim sponso obtemperantis, legisque jugum libentissimè ferentis. Hanc virtutem velut crinem quendam sponsus capit, & sponsam, quò libet, facillimè ducit. Hoc est arcanum colli vinculum, quòd non ad inferendam vim, sed ad ornatum à sponso comparatum est. Quòd apertè liquet ex Hebraico textu in quo, pro crine, habetur torques, quod est colli ornamentum. Habent autem hoc proprium ejusmodi ornamenta colli, ut simul etiam vinciant, dum exornant, sint ornamenta, & vincula. A capite auspicatus sponsus, per collum descendit in ubera, de quibus attexit.

E

Crinis hoc loco obedientiam significat.

F

G

Textus Hæbraicus.

v. 10. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ Soror mea Sponsa? Pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

H

PAulò antè vbera laudàrat, quid ergò repetitio hæc sibi vult? Certè minimè mirandum est, cùm enim uberibus notetur amor

Ubera denotant amorem.

Scripta An. 1598.

amor, in quo potiſſima pulchritudinis internæ ratio ineſt, æquum profectò eſt, ubi de venuſtate agitur, amoris ſæpius meminiſſe. Verba autem hæc omnia in ſuperioribus exactè explanata ſunt. Sub initium quippè primi capitis, quid ubera arcanè ſignificarent, quid ſibi vellet ea uberum cum vino comparatio, quid innuerent unguenta, fusè interpretati ſumus. Perſonarum dumtaxat diſcriminanda ratio eſt, ibi enim de ſponſo, hìc verò de ſponſa ſermo fit. Notandum verò fuerit, hanc uberum ſponſæ laudem repetitam, inſigne divini amoris incrementum exprimere, quod adumbratur tumore illo majore, quo ubera turgent, cùm lacte pleniora ſunt, & ad partum alendum dilatantur. Nunc autem ad labia ſponſus redit, nec enim Rhetorum obſervat ordinem, ſed amoris declarat impetum, quo dum humanus invertitur ordo, divina ſe concinnitas luculentiùs prodit. Et hoc præ oculis habendum eſt in hoc dramate, ne id repetere identidem opus ſit.

A

Amoris impetus declaratur.

℣. 11. Favus diſtillans labia tua, Sponſa.

B

PARAPHRASIS

Sermo tuus labiis figuratè notatus favum ſtillantem imitatur: ipſe enim quædam eſt inſtillatio mellis, quod tu, ô ſponſa ut cella favi cerea conſervas, dum me, qui mel arcanè ob dulcorem appellor, mentis receptaculo condis: indeque dum eloqueris effundis.

SI favi contemplemur artificium, nihil eſſe aliud, quàm mel in cera comperiemus. Illæ quippe cellæ (ut in ludi latrunculorum tabula perſpicimus) quadam ſtructura miranda diſcretæ melle imbuuntur, & tunc perfectè abſolvitur favi compoſitio.

C

Sponſus autem, propter eximium dulcorem, & quaſi mellis, quo nos afficit ſaporem, melle ipſo, ceù aperto ſigno exprimitur. Ipſe quippè ſponſus eſt æterni Patris ſapientia, quæ de ſemetipſa ſic effatur, Spiritus meus ſuper mel dulcis: efflat enim ſponſus halitum verè mellinum, ac omninò iis, qui eum hauriunt, dulcem. Sponſæ verò ceræ quadrat ſimilitudo huic loco graphicè appicta cùm ob teneram ceræ conſtitutionem, cui ſigilli character facilè imprimitur, ſicut & ſponſæ ipſius animæ ſponſi imprimitur figura, non illata vi, ſed eximia ſuavitate, ac facilitate; tum ob cellarum favi ex cera compoſitarum ſimilitudinem, ſponſus nimirum eam conſtruxit ad effigiem cellæ, qua ipſe conderetur, ac ſervaretur. Cernimus igitur favum eſſe ſtructuram quandam ſponſo, ſponſaque conſtantem: ſponſus mel eſt, ſponſa ceræ cella. Quamdiu autem ſponſa ſilet, ſponſique ſeorſum dulcore fruitur; cella mel continet, ac ſervat; at cùm ex mellis abundantia loquitur: tunc mel diſtillare elegantiſſimè dicitur. Oportet verò cellam prius expleri, ut eructet, & evergat mellis rivum, quemadmodum prædicatores ſancti facilè declarârunt, qui ſtudio incredibili divinæ ſapientiæ melle prius oppleri curarunt, quàm è labiis mel diſtillarent, hoc eſt, quam ſponſum corde ſuo, tanquam ceræ tenerrimæ cella conceptum, aliis prædicarent. Ex hoc profectò capite commendari debet ſapiens, qui priùs ſapientiam congregavit, quam vomeret, cum quo rectè dicitur habitaſſe Deus, ſicut ſcriptum eſt Prov. 30. Verba congregantis filii vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait, &c. Priùs nimirum congregavit mel, ſecumque morantem Deum ſervavit, ut cella favi continet, ac ſervat mel; poſtmodumque cœpit eloqui, ac rivum mellis effundere. Sic ergo ſponſus effatur: Sermo tuus labiis figuratè ſignatus, favum ſtillantem imitatur, ipſe quippè ſermo, quædam eſt mellis ſapientiæ corde conceptæ inſtillatio.

Sponſus mel Sponſa ceræ cella.

D

Quis ſit ſponſus.

Altera textus explicatio.

Hæc prima eſt interpretatio ſatis arcana, quæ graphicè prodit, quonam pacto favus unus ex ſponſo, ſponſaque confletur. Altera verò ſubit interpretatio, quæ externa labia, totumque oris clauſtrum, tanquam favi cellam contemplatur, quod quamdiù ſpiritus non impellit ad loquendum, continet mel eloquiorum ſponſi, quæ faucibus divini vatis erant dulciora melle, ac favo; at cùm ſpiritus urget, & exundat ſponſi doctrina, tunc verè labia ſponſæ mel inſtillare dicuntur; ex quibus conceptæ ſapientiæ melle dulcior fluit oratio. Nunc verò mellis & lactis ſacramentum, veſtimentorumque fragantiam percipiamus. Dicit enim ſponſus:

E

F

Mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.

PARAPHRASIS.

G

Mel & lac, hoc eſt, dulcis, ſuaviſque conſolationis divinitus tibi collatæ arcanum non temerè prodis, nec te iactas, ſed celas & quaſi lingua, contegis.

HIc ſe inſinuat externa verborum concertatio. Proximè quippè aſſertum eſt, ſponſam inſtillare ex ore mel, quod tunc præſertim contingere videtur, cùm os vix concludere valet mellis ad palatum uſque pertinentis copiam. Si ergò mel os implet, qui fieri poteſt, ut lateat ſub lingua? Verùm hæc mira eſt ſapientiæ divinæ harmonia, ut quantacumque ſit in ore ſponſæ mellis ubertas, lateat nihilominùs ſub lingua. Quod eſt egregium linguæ ſponſæ encomium. Quapropter quid ſibi velit hæc linguæ contectio, aperiendum eſt, mox lactis, ac mellis diſcrimen trutinandum. Porrò ideò ſponſus lac & mel ſub lingua ſponſæ latere ait, ut notet ſermonis parcitatem, tunc præſertim, cum divinis ſolatiis anima prefunditur, &

Linguæ ſponſæ encomium. Silentii laus.

H

ve-

Scripta An. 1598.

velut alternis poculis mellis, ac lactis recreatur. Cernere quippè licet nonnullos vitam spiritalem mentientes, adeò leves, & parum divini solatii capaces, ut si tantillum mellis à Deo hauserint, id semper in lingua ferant, & passim effutiant. Quod quidem ingenium leviſſimum, & modicum illud mel imprudenter effundit, & ad ulteriora bona fit prorsus ineptum. Prudens autem sponsa silet, nec temerè se jactat, vixque, cùm loquendum est, divinam dignationem evulgat. Ubi discrimen quoddam inter sponsam, & leves animos licet dispicere, minimè obruendum silentio. Illi nimirum oris custodia, linguæque præsertim claustro egent, ut sermonem coerceant; sponsa verò adeò prudens, & in sermone parca est, ut lingua ipsius divinorum arcanorum effecta sit custos. Hæc prima loci est interpretatio.

Altera Textus explicatio.

Secunda explanatio huic satis affinis est: Ideò mel & lac sub lingua sponsæ recondi, ne simul effundat utrumque, si linguæ innatet, nec claustro sepiatur, sed prævia meditatione cunctetur, & ab eo quasi cellario vel mel promat, vel lac, prout tulerit opportunitas, lac quidem tenellis & adhuc in virtutis infantia versantibus, mel verò grandioribus. Quòd enim lac lenis doctrinæ, & indulgentioris eruditionis, quæ parvulorum ingenio consentanea est, expressio quædam sit, ex ipsa lactis natura, & eorum, qui lac exugunt, patere potest. Quòd verò mel cibus grandiorum sit, solidioremque doctrinam, & eruditionem adumbret, ex mellis patet vi, quæ non facilè excoquitur, quam modicè libare oportet, ne noceat ob caloris excessum Quod apertum perfecti alimenti signum est, utpotè, quod exigua quantitate gustatum, & excalefacit, & alit. Sic Sapientia monuit, cum ita effata est; Prov. 25. sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria. Ubi non improbat mel doctrinæ; ac contemplationis, sed excessum. Quo sanè discrimine disertè monstrat, doctrinam, divinorumque notitiam modicè conceptam mentem rectè instituere, ac fulcire posse, ob divinam nutriendæ animæ vim, qua pollet, ac proindè intellectum hominis imbecillem debere sibi temperare, & ad sobrietatem sapere, ne dum plura nosse satagit, quàm expediat, ipso cibo, quo, si sobriè uteretur, esset alendus, intereat. Hanc ergò sapientiam melle notatam, cum ea eruditione, quæ exilior est, ac ætati teneriori consentanea, non in summitate linguæ, vel super linguam sponsa fert, ne facilè promatur, velut trivialis, & pervia, omnibusque sine discrimine credenda: verùm celat illam, & observato tempore promit. Seorsumque eam grandioribus, sicut & seorsum lac recentioribus fœtibus propinat. Hæc secunda est loci explanatio. Tertiam apponimus his minimè posthabendam. Profectò anima charitate flagrans, qualem sponsam esse omninò credendum est, incredibili voluptate, ac suavitate optat omnes afficere; peccatoresque ad legis

Tertia interpretatio.

divinæ observationem non austeris increpationibus ex anfractu reducere, sed dulciſſimis persuasionibus ad militarem viam cupit revocare. Ac propterea, si votis amoris responsura esset, omnibus blandiretur, suaviſſimoque hortatu permulceret universos. At cùm homines nefarii dorsum legi obvertunt, & obdurescunt, necesse est omninò, eos acriter carpere, & nativam charitatis dulcedinem tantillum celare: Propterea mel & lac suavioris, ac blandioris sermonis non supra linguam, sed sub illa reponitur, ut austeriora verba lingua sponsæ, depositò tunc dulcore, possit expromere, acriterque (ut oportet) scelere infectos ad salutem corripere. At expendendum est, mel & lac non deglutiri, non in ventriculum traiici, unde non nisi violenta corporis contorsione, possit evomi, sed lingua contegi, ut austeræ correptioni proxima sit dulcedo; quin & ipsi increpationi dulcor linguæ motu permisceatur. Et quidem experimento quotidiano compertum est, hujusmodi correptiones non prorsus austeras (minùs enim charitas, quàm ficus nativam dulcedinem deserere potest) hominum etiam rebellium feritatem lenire, & ad virtutis pulchritudinem amandam permovere. Sic Paulus hortabatur: Ut, si quis errasset, corriperetur, sicut scriptum est; Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, ac si planiùs diceret: ne, obsecro, mel & lac deglutiatis, cùm errantem correpturi estis; satis est, si sub lingua condatur dulcis charitatis sermo, ut dum ad correptionem lingua cietur, ipso motu nonnihil dulcoris sermoni admisceat austero, & spiritus ad carpendum armatus, fiat spiritùs lenitatis. Sed iam odorem vestimentorum percipiamus.

Gal. 6. 1.

Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

PARAPHRASIS.

Actus virtutum externi, quibus ceù vestimentis indueris, exhalant odorem quendam Divinitatis, cui thus immolatur.

GErit se sponsus humaniſſimus amantium more erga sponsam, ut (quod crebrò nos experimur) non internam sponsæ venustatem dumtaxat impotenter amet, verùm etiam & quidquid ad sponsam quoquo pacto attinere norit, eo ipso amet ardentiſſimè: Quemadmodum quotidiè cernimus amantes tanti facere vel pallium, vel chirothecam ejus, quam impensè amant, ut frequentiſſimè dictitare soleant, ea sibi pignora & jucundiſſima esse, & eorum visu, vel olfactu se mirificè recreari. Vestimenta verò arcano sermone sunt virtutis opera, sicut scriptum est: Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido

Mos amantium.

Vestimentum sunt virtutis opera.

Scripta An. 1598.

dido Byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum. Et Job ait: Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento. Et quidem virtutis opera id præſtant animo, quod veſtimentum corpori, dum illum à culpæ hyemali frigore tuentur, & nuditatem, quam ob culpam incurrit homo; de qua meritò Adam erubuit, protegunt. At meminiſſe opus eſt, antè ſponſum, odorem unguentorum ſponſæ laudaſſe, quæ quidem laus ſpectabat ad interna unguenta; quippe non veſtibus, ſed corpori illinimus, quæ poros permeant, & interiora reficiunt. Nunc verò veſtimentorum laudem attexit, quibus propria tranſlatione externa virtutis opera notantur. Hujuſmodi autem opera odorem thuris exhalare dicuntur, hoc eſt, odorem Divinitatis. Compertum

Matth. 2. eſt ſcilicet, thus, quod in atteſtationem Divinitatis in aris exuritur, quodque Magi ad ipſius Divinitatis in carne latentis magnitudinem propalandam ſponſo recens nato obtulerunt, divinum quiddam ſignificare, cum ſermone uſurpatur arcano. Juſtorum ergò actus virtutum externi thuris, hoc eſt, divinitatis odorem ſpirare aſſeruntur, quia divinum quiddam præ ſe ferunt, majeſtatis, & magnitudinis plenum. Enimverò videre licet nonnullos homines genere clariſſimos, inceſſu, aſpectu, ſermone ita eſſe natura affectos, ut ſemper etiam inopini majeſtatem quamdam præferant, nec illam ſtudio etiam adhibito occulere poſſint. Si profectò ii, qui novo gratiæ divinæ jure genus à Deo ducunt, excelſam eam Majeſtatem, quam ſecum ferunt, celare minimè poſſunt. Hinc exiſtit, ut inceſſu ſint graves, ſermone parci, ac ſedato corporis motu quieti, aſpectuque modeſti, univerſa quæ cernunt terrena contemnentes, & velut excelſo quodam ex loco deſpicientes. Ex hac autem externa, & ad divinum ingenium expenſa actuum, motuumque compoſitione odor verè divinus effunditur, quem qui percipit, Deum ibi eſſe certò ſibi perſuadet. Rectè igitur ſponſus ait: odor externorum virtutis actuum tuorum, ô ſponſa, eſt perſimilis odori thuris. Poſt hæc ſponſus oſtenſurus, quàm ſit ſponſa virtutibus culta, & ad ipſius voluptatem comparata, declarans ſimul, quibus eam ipſe cuſtodiis tueatur, pulchra quadam utitur tranſlatione, dicens:

A

B

C

℣. 12. Hortus concluſus, Soror mea ſponſa, hortus concluſus.

PARAPHRASIS.

D *Hortus es (ô ſponſa) diſtinctarum virtutum plantis, & areis diſcretus, & à me ipſo cultus. Bis autem obſeptus, ſeu concluſus es. Montes angelorum & Doctorum te ambiunt, & ego tutelaris, ac horti Dominus, ut murus ſum in circuitu tuo.*

Hortorum delineatio.

SOlent Principes è regione domorum hortos habere contiguos, ad recreandum animum comparatos, & multa navitate cultos, areis artificiosè diſcretis, non firis plantariis, ſed mitibus, & ad voluptatem accommodatis, unde flores ipſi præcerpunt. Nec majeſtate regia indignum cenſet, cum hortum egregiè coli curare, de illo crebrò cogitare, ac loqui. Nullo præterea pretio, vel prece flores inde legi, exteriuſque abduci patiuntur, nec verò ſinunt attrectari, ne langueant, eorumque pulchritudo marceſcat. Propterea ſeptum, tutoque clauſum eſſe curant, ne quis in eum audacter irrumpat. Hæc eſt tabula quædam, ubi ſponſæ lucet imago. Poſtquam ſponſam nova juſtitiæ palingeneſia ſponſus ſibi reconciliavit, tanquam hortum amœnitatis ergo comparatum in proſpectu eam ſemper habuit, cujus & ipſe fuit cultor, & cuſtos. Areas in ea diſcrevit, hanc liliis caſtitatis, illam purpureis paſſionum roſis, alias aliis miſticis floribus deſtinavit. Non eſt paſſus feras ibi plantas ſeri, immites quippè, & agreſtes mores inde arcuit; nec enim hortis, ſed ſaltubus ii mores opportuni erant. Per hujus horti ſemitas deambulare ad percipiendum odorem florum, floreſque interdum carpendos, hoc eſt, virtutum actus ex habitibus, velut ex plantis erumpentes acceptandos, ſolitus eſt. De horti hujus cultura crebrò & cogitat, & cultores adminiſtros alloquitur. Non flectitur ulla prece, vel pretio, ut flores eos quis extraneus vel auferat, vel attrectet; hoſtis quippè Tartarei, qui florum plantaria ſuccidere, vel ſaltem floribus actuum languorem, ac remiſſionem, velut quadam manus attrectatione conatur inferre, vires enervat, ne horti intereat pulchritudo. Propter hoc hortum ſepſit, & undique concluſit angelorum, Doctorumque cuſtodiis: ſicut ſcriptum eſt, Montes, hoc eſt, angeli, excelſique viri populorum, ceù vallium præſides in circuitu ejus, hoc eſt, ſponſæ. At enim, non propter hanc cuſtodiam dicitur potiſſimum hortus concluſus, ſed propter clauſtrum ſponſi vallantis, & ambientis ſponſam, ſicut ſcriptum eſt, & Dominus in circuitu populi ſui. (Hic murus aheneus eſto) Non ſatisfaceret amori, quo in ſponſam flagrat, ſi tutelam aliis commiſiſſet, & ipſe non eſſet tutelæ princeps. Porrò morem antiquorum fuiſſe, in hortis Deorum ſtatuas, puta Priapi, vel aliorum obſcœna ſimulacra collocare, ut eſſent eorum locorum tutelares. At hoc turpitudine plenum erat; fuiſſet autem honeſtum, ſi verum Deum agnoviſſent, & imaginem ſponſi ibi locaſſent, per hoc ipſum profitentes, hortorum decorem ipſi acceptum eſſe ferendum, ſicut ſcriptum eſt, Pulchritudo agri mecum eſt. Sublata igitur turpitudine, id quod in eo genere honeſtum eſt, probaturus ſponſus, non ſtatuam, vel ſimulacrum ſuum horto præponit; ſed ipſemet, qui horti pulchritudinem condidit, horto præſentiſſimus adeſt verus tutelaris, & in ſponſæ circuitu murus, propter quem arcanus hic hortus potiſſimum appellatur con-

E

F

G

Deorum ſimulacra in hortis Gentilium.

H

Scripta An. 1598.

concluſus: unde patet, cur bis appelletur hortus concluſus; propter duas nimirum explicatas ſponſæ cuſtodias. Verùm etſi hortus eſſet fœliciſſimus, muroque excelſo concluſus niſi fons erumperet, cujus aqua plantæ alerentur, & creſcerent, omnis ea horti pulchritudo brevi periret. Paſſim profectò cernimus in Regum viridariis opere topiario mirificè elaboratis, fontes conſtrui marmoreos, vel ex jaſpide politos, ex quorum medio ſiphone aqua erumpit in altum, quod & ad utilitatem conducit, & ornamentum. Ptoptereà in horto ſponſi fons deeſſe non potuit; unde ſequitur:

A

Fons ſignatus.

PARAPHRASIS.

Bibiſti aquam divinæ gratiæ, ac vitæ, quam ego tibi dedi & effecta es fons aquæ ſalientis in vitam æternam, in quam gratia vi ſua conſcendit. Et ne aqua iſta ſurriperetur, aut inficeretur, obſignavi te meipſo, velut ſigillo regio.

B

Fons ſalubris quomodo coli debeat.

CUm fons aliquis puram & ſalubrem evergit aquam, mos eſt principibus, eum ſepiri facere, ne animalibus pateat, ne alluvionibus obturbetur, cœnove obruatur. Quin & interdum cellam quampiam circumſtruunt & obſerant, ne ſalutaris aqua libidini tranſeuntium ſit expoſita, ſed uni Regi ſervata, ut cùm haurienda ſit, pura, cryſtalloque ſimilis inveniatur, Regique ſine rubore propinari poſſit. Talem omninò fontem eſſe ſponſam ipſam, minimè dubitandum eſt. Porrò ſponſam eſſe fontem non qualemcumque, ſed aquæ puræ, dulcis, ac ſalutaris ſalientis in vitam æternam, liquet prorſus, quia toto pectore hauſit aquam, de qua ſic ſponſus Samaritanam alloquutus eſt: Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam; liquet prorſus, quia aqua hæc divina gratia, & nova in ſponſo vita eſt, quæ ſicut ab æterno Deo ad animam delabitur, tantùm aſcenſura, quantùm deſcenderat, ita reſilit in altum, & ad æternum ipſum Deum quaſi circulum peragens revertitur. Divinæ naturæ participatio eſt, ad divinam opus eſt eam redire naturam, ut illi hæreat ævo ſempiterno. Si verò in altum erumpit, ſatis aptè ſignificatur iis fontibus, quos diximus in Principum hortis ſolere conſtrui, è quorum medio ſiphone aqua prorumpit in ſublime. Et ex iis conſtare poteſt, ſponſam jure fontem nuncupari. Obſignavit autem hunc fontem horti plantas alentem ſponſus ſemetipſo, ceù ſigillo regio, quòd qui conſpexerit, aquam vel primoribus labiis deguſtare non audebit. Nimirum ne obſcœni, & animales motus, vel hoſtes fontem obſidentes, divinæ gratiæ aquam, vel ſurriperent, vel culparum cœno obruerent, ſemetipſum cordi ſponſæ tanquam ſignaculum impreſſit, de quo poſtmodum ſponſam moniturus eſt, poſcens, ut in brachio, & corde impreſſori Deo miniſtrans, id ſignaculum ponat. Hoc clauſtrum, hoc ſigillum adeò ad divinæ gratiæ tutelam opportunum eſt, ut ne voto quidem aliud opportunius ſponſa potuiſſet optare. Quod verò aqua fontis hujus longè ſaluberrima ſoli ſponſo, ejuſque proindè plantariis in horto arcano ſatis ſuo jure ſervetur, patet ex ſubjuncta horti fertilitate.

Joann. 4. C

D

E

V. 13. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.

PARAPHRASIS.

Productiones actuum charitatis tuæ, ſimiles ſunt malis punicis paradiſi, quæ dehiſcunt, ubi maturuerunt, & grana rubentia oſtendunt. Sic actus illi flagrantia, & ignita tua in me viſcera oſtendunt. Hi ſunt primi fructus, quibus ego jure culturæ veſcor.

F

MIra eſt in ſermone concinnitas. Cùm enim ſponſus hortum concluſiſſet, ac horti fontem obſignaſſet, tutelamque ſponſæ ſuſcepiſſet, ut notaret, eam (etſi cernat ſe à ſponſo propugnari) nihilo ſegniorem ex hoc fieri, ſed armari ad divinæ gratiæ hoſtes, & fures arcendos, & ſimul cum ſponſo ſeipſam cuſtodiendam, de malis punicis horti primùm loquitur, de aliis mox plantis locuturus. Porrò malum punicam arborem, ejuſque fructum ita natura armavit, ut arbor ramis ſpinoſis rigeat, vixque attingi ſine læſione queat, fructus autem amaro cortice obſeptus eſt, qui eſt guſtui ingratiſſimus; mox ipſa grana mali amara quadam ſepiuntur intercurrente membrana; granorum verò ſapor, cùm maturuerunt, dulcis, ac jucundus eſt, tot arcibus cuſtoditus. Hac ergo nota hieroglyphica ſponſus prodidit furem dæmonem ſponſæ virtutem invadentem, mira dexteritate ab ea repelli ſub imagine furis, qui cùm porrigit manum ad mala punica ſurripienda, pungitur, & cùm dentibus apprehendit, ſaporis auſteritate afficitur. Quòd verò attinet ad verborum interpretationem, ſic habendum eſt, depingi hoc in loco ab ſponſo paradiſum quemdam ſimillimum ei, quem in oriente condidit, ut ex iis, quæ dicta ſunt, partim patere poteſt, & ex ſtatim dicendis partim liquebit. Dictum eſt de horti, ſeù paradiſi cultu, de fonte, de cuſtodia, nunc plantas ſponſus incipit recenſere: Meminiſſe autem oportet fructus paradiſi ex arboribus pendentes, ac maturos fuiſſe creatos, quæ opinio communior Rab. Hebræorum eſt. Decuit enim arbores in ſtatu perfecto condi, ſicut homo ea ætate conditus eſt, qua generare poſſet, ac proindè folia, & fructus maturi ex arboribus pendentes creari debuerunt menſe Septembri; præterquam quòd verbis ſacri textus opinio hæc congruentior eſt,

Mali punici deſcriptio.

Fructus paradiſi maturos creavit Deus.

G

H

Scripta est. Quomodo enim tunc esset illud pomum, An. 1593. quod carpsit Eva, visu pulchrum, & ad vescendum suave, si tempus maturi fructus non esset? Vel enim dici deberet, a creatione Adæ, totiusque mundi, qui juxta sententiam alteram Martio mense conditus est, interfluxisse sex circiter menses, ut pomum illud ex flore ad maturitatem usque pertingeret; A vel supra ordinem naturæ maturum conditum fuisse ante tempus opportunum. Hoc autem secundum, cùm sit prodigiosum, absque necessitate admittendum non est; primum verò planè incredibile videtur, nec enim tanto tempore ante lapsum Adam, & Eva in paradiso manserunt, ut ex Doctorum patet opinionibus. Aliqui 40. dies, quot Christus jejunavit, coniiciunt; Tostatus postero die, quam creati sunt, ejectos fuisse putat; Alii 8. dies; Alii unum conjectantur, ac ita brevi tempore in paradiso versati sunt, cùm vix paucos ut plurimum dies, ex communi sententia, eam vitam fœlicem, quæ loco illi debebatur, duxerint. Jam verò, si fructus maturi erant, mala punica dirupto cortice, seù corio, diducta patebant, & rubentia grana velut viscera quædam ignita ostendebant. B Ex his ergo malis punicis, maturis scilicet, ac patentibus, qualia in paradiso condita sunt, auspicari debuit sponsus arcanas fructuum ad virtutes allatas similitudines, ajens: Emissiones fructuum, hoc est, productiones actuum virtutis, uniùs præsertim charitatis erga me tuæ (ô sponsa) sunt velut hortus, seù paradisus malorum punicorum: sicut enim mala punica matura dehiscunt, & grana rubentia exhibent, sic actus adultæ, ac maturæ tuæ in me charitatis dirumpuntur ultrò, ac tua viscera rubentia, divinoque amore flagrantia produnt. Nihil sanè pro septo horti, fontisque sigillo, & pro cultura sponso cultori potuit sponsa C gratius rependere, quam isthæc mala punica, quibus ille vesceretur. Quapropter, cùm in duas velut classes paradisi fructus distribuisset sponsus, non sine arcano sensu, in altera classe mala tantùm punica reposuit; in altera verò non adeò mystica universim loquens, cæterarum arborum fructus constituit, quibus virtutum reliquarum actus, qui ex uno stipite charitatis, & distinctis virtutum ramis erumpunt, exprimuntur. Nunc verò plura arbuscularum aromaticarum genera commemorat ad sensus arcanos accomodata.

Quamdiu Adam, & Eva manserint in paradiso.

Cypri cum nardo.

PARAPHRASIS.

D *In hoc horto sponsus capbura notatus, cum sponsæ charitate, quam nardus exprimit, inter cæteras plantas numeratur.*

Quisnam sit verus sensus, quem hæc verba cum sequentibus aromatum nominibus significant, ejus solius fuerit apertè scire (ut ait Gregorius Nyssenus,) qui juxta divum Paulam, spiritu scit loqui divina mysteria. Multiplex certè harum plantarum proprietas plurimos suggerit arcanos sensus, quamobrem innumeras hæc verba interpretandi rationes autores inierunt, in quo nullo possunt jure reprehendi, propter inexhaustam sensuum fœcunditatem. Porrò in his periodis paradisi nomen semper repetendum est, E ut constet ordo verborum. Est igitur sponsa paradisus, in quo sunt Cypri cum nardo. Cypri hoc loco numeri pluralis est nomen. Cypri, quæ est Caphura, & nardi significationem suprà fusè exposuimus. Expedit autem meminisse Cypri, seù Caphuræ similitudine sponsum; nardi verò translatione charitatem eleganter exprimi, ob caphuræ flagrantis in aqua, & nardi miram calefaciendi vim habentis proprietatem, à nobis suprà fuisse animadversum. Nunc autem reliquum est, quid innuat illa Cypri cum nardo conjunctio, patefacere. Sanè mala punica cum pomorum fructibus proximè Spiritus Sanctus conjunxit, nunc verò Cyprum nardo conciliat. Et quidem cæteri pomorum fructus, præter punicum, hoc est, cæterarum virtutum actus, præter charitatem, sive absque consortio charitatis, ad paradisum sponsi minimè pertinent, nec in via quidem, nec in patria. Exploratum est quippè cæterarum virtutum actus, quantumvis egregios ad cœlestem paradisum non admitti, sine charitatis consortio. Quæ pulcherrimè à Theologis luci, sicut & cæteræ virtutes coloribus, comparatur. Quemadmodum enim colores in tenebris latent, nec oculos suo decore, vel delectare, vel movere possunt, ac proindè putantur, quasi non essent, quamdiù luce non illustrantur, ita profectò cæterarum virtutum actus, quamdiù nox est, ob charitatis absentiam, quasi non essent, putantur, quantum ad æternitatem, ac sponsi attinet paradisum. Exorta verò ea luce, nova pulchritudo actibus illis inducitur: undè meritò charitas universarum virtutum forma in scholis appellatur, cujus decore actus reliqui ad paradisum sponsi prodesse incipiunt. Sicut ergò propter hanc rationem cæteri pomorum fructus malis punicis adjunguntur, ita nardus apponitur Cypro; hoc est, eadem charitas nardo, sicut & punico notata sponso, qui arcanè Cyprus nuncupatur, adhæret. Etsi enim strictior sit inter sponsum & charitatem, quàm inter hanc reliquasque virtutes connexio; similitudo tamen non parva est; nam quemadmodum cæteræ virtutes à charitate, sic & charitas à sponso recipit decorem, & eam, quæ à Theologis forma nuncupatur, immò & recipit formam internam, cùm ab ea cæteræ virtutes externam dumtaxat accipiant, ut ex hoc liqueat, quanto potiore jure Cyprus cum nardo, quàm mala punica cum pomorum fructibus conjugi debuerint. Hactenus venati sumus causam conjunctionis horum aromatum. Modò verò, quod ad interpretationem attinet, tunc Cyprus, seù Caphura cum nardo conjungitur, quando nardus liquefit, ac velut resolvitur in sponsi com-

Cypri similitudine sponsus, nardi translatione charitas exprimitur.

Charitas universarum virtutum forma appellatur.

Scripta An. 1598.

complexu. Cujus certè rei ſignificationem prætulit unguentum ex hac herba confectum, quod Magdalena ſuper ſponſi caput effudit. Expreſſit enim actu illo, quod intus agebatur, nec potuiſſet ſignum ad propalandum affectum accomodatiùs excogitare. Profectò dum nardo caput corporatum ſponſi obliniebat, charitate ardentiſſima nardo notata, ſponſum ipſum, qui caput Magdalenæ, ut cæterarum ſponſarum erat, amplectebatur, & myſtica unctione permulcebat. Per ſimilem actum excedere hoc in loco ſponſa exiſtimanda eſt, ut verè Caphuræ, ſeù Cypri cum nardo paradiſus eſſe dicatur. At de nardo nondum abſolutus eſt ſermo. Sequitur enim:

Nardus Magdalenæ.

A

V. 14. Nardus, & crocus, & fiſtula, & cinnamomum, cum univerſis lignis Libani.

PARAPHRASIS.

Eſt in hoc paradiſo nardi charitas, croci humilitas, fiſtulæ oratio, ſeù mentis in Deum elevatio, cinnamomi amor, & deniquè univerſæ virtutis in Chriſto fixæ, univerſis lignis Libani notatæ.

B

ECce quo pacto nardus charitatem indicans repetitur, ut virtutibus, quæ per aromata ſequentia monſtrantur, præeſſe notetur.

Croci vires.

Croci verò vires exploremus, quæ arcanis ſenſibus opportuniſſimè ſunt. Sanè, ut cæteras croci vires prætereamus, duo ſunt notanda maximè, quæ ſunt ex probatis authoribus excerpta. Primùm quidem herba hæc dum calcatur, lætior fit, ac fœliciùs provenit. Deindè crocus contra ebrietatem remedium eſt. Qui enim crocum priùs biberint, crapulam non ſentiunt. Ebrietati quippè reſiſtit, quin etiam (ut nonnulli tradunt) coronæ ex eo factæ ſedant ebrietatem. Hæc eſt expreſſa quædam humilitatis imago, quæ dum deſpicitur, & calcatur, medullitùs gaudet, ipſoque deſpectu fœliciùs creſcit. Qui priuſquam vocentur ad honores, potum humilitatis hauſerint, non ſentiunt elationem animi, quæ more vini caput infeſtat, & inebriat, quod ſuo damno expertus eſt Lucifer, cujus caput hujus vini perturbavit fumus, & amore ſui, deſpecto Deo, temulentum reddidit. Michael verò, qui potum croci biberat, ebrietatem minimè ſenſit, non enim elatus animo eſt, ſed Dei profeſſus eſt principatum, ajens: Quis ſicut Deus? Jam verò ſi quis (quæ humana conditio eſt) ſuperbia temulentus ſit, texat croci coronam, capitique erectum redimat, & experietur, ebrietatem veſtigiò mulceri, atque ſedari.

Crocus ebrietati reſiſtit.

C

Imago humilitatis.

D

Variæ fiſtulæ interpretationes.

Fiſtulam, aliqui caſſiam, alii cannam, ex qua ſaccharum conficitur, alii calamum odoratum interpretantur. Hæ verò duæ ultimæ interpretationes videntur congruentiores, juxta quarum primam duo, quæ in fiſtula dignoſcuntur expenſa, orationis virtuti apprimè quadrant. Profectò arundines, vel cannæ, ex quibus mel illud gummium modò candidum, dentibuſque fragile colligitur, quæ ſuaptè natura levis materiæ ſunt, ſicut univerſim omne arundinum genus, ac proindè mentis elevationis, ſeu orationis reddunt effigiem. Ipſa quippe oratio, cujus eſt motus ſurſum, igneam imitatur levitatem, in altum ſemper evectam; in ipſa verò erectione cordis, & directo in ſuperna motu, ſaccharum ibi generatur, & guſtatur, qui eſt cœleſtis ille ros, ac mellitus dulcor, qui concreſcit in anima, & incredibili voluptate percipitur, quemadmodum qui eo bono fruuntur, nobis tradiderunt. Quod verò ad fiſtulæ ſpectat levitatem, minimè ſileri debet. Conſtat nimirum experimento, animas orationi inſiſtentes (ut ecſtaſes prætereamas, in quibus cum ſpiritu corpus plerumque in altum tollitur) experiri propria corpora expeditiora, & promptiora ad ſuas functiones obeundas, velut quamdam dotem agilitatis adepta. Magis arcanè fiſtula hæc videtur ſponſæ ipſius animam ſignificare. Sacchari quippè arundines ſuccum habent, qui ab eis per fractionem & contritionem exprimitur, qui poſtmodum coctus ſaccharum fit. Ita ſponſæ anima ad ſurgendum velox, & levis ut arundo illa, intra ſpiritales poros conceptum retinet ſponſum, qui eſt ille dulcis ſuccus, qui ab antiquis mel appellatur. Hic verò ſuccus preſſura & fractione à Sanctis exprimitur; ut patet ex Martyrum hiſtoriis. Qui ubi torquebantur, & laniabantur, ſponſum Jeſum Chriſtum, quem conceptum geſtabant, in ipſa eructabant tortura, nec Tyranni aliud ab eis extorquere poterant, nec enim aliud, præter eum ſuccum, animo conceperant. Succus verò hic myſticus fiebat, ſaccharum coctum, coquebatur, quippè ardentiſſimo amoris æſtu, quo Sancti flagrabant. Ex quo prodibant tot ſacchari panes, ſeù metæ, quot verba promebant. Erant nimirum dulcia, quorum ſenſus erat ſponſus, exprimebantur torturis, igne amoris coquebantur, ſic ſaccharum profectò conficitur.

Virtus orationis.

E

Martyrum conſtantia.

F

Cinnamomi vis divini amoris imago

De cinnamomo plura ſupra fidem dicuntur, quæ tanquam apocrypha præterimus. Legimus autem in ſcriptoribus, qui hujus aromatis vires explorarunt, vim habere excalefaciendi, emolliendi, concoquendi, & contra venena juvandi; quæ vera divini amoris imago eſt, qui glaciem animi ex culpa concretam ſolvit, & excalefacit, duritiem cordis emollit; ut cor, quod ante ad ſponſi monita obduruerat, modò, velut cera, ſola ſponſi voce percepta, liqueſcat, deniquè contra venena, quæ aureo vaſe incluſa mundus propinat, mirificè prodeſt, dum, præter ſponſum, cunctæ illi mundi voluptates amaræ videntur. Huic egregio aromati univerſa ligna Libani apponere conſonum fuit. Ligna quippè hæc in Libano, qui ob altitudinem & candorem, ſponſi

G

H

Scripta An. 1598.

gerit imaginem, ſata ſunt, ſicut & ipſum cinnamomum. Plantæ caput, ex quo vita permanat ad cæteras partes, radix eſt, qua terræ humorem exſugit. Sic myſticum cinnamomum, hoc eſt amor; non tàm fixus in corde, unde exit, quàm in re, ad quam hiat, pulchrè dicitur in ſponſo per Libanum notato figi, & indè, quaſi per radicem, ſponſi
A vitam attrahere. Cum amore igitur univerſæ virtutes in ſponſo ad vitam hauriendam defiguntur, atque plantantur.

Univerſa igitur ligna Libani ſic concipi debent, ut ſemper in ipſo monte feraciſſimo conſita, fixaque permaneant, cùm enim ligna terræ humore concepto alantur, & vivant, ſi è nativo ſolo avellantur, aut cædantur, interire illa neceſſe eſt. Sic igitur verba interpretamur. In hoc amœniſſimo paradiſo, cum cinnamomo, qui divinus eſt amor erga ſponſum, creſcunt univerſæ virtutes ei ſociatæ. Creſcunt autem ut ligna Libani nunquam de monte cæſa, ſemper enim in ſponſo, velut in pingui & coagulato monte, fixæ manent, indeque vitam eliciunt, alias confeſtim interituræ. At
B hucuſque in recenſendis hujus paradiſi plantis nihil amarum commemoravit ſponſus. Et quidem, ſi ſponſa innocens fuiſſet, & ante reatum in hunc vecta paradiſum, ſicut Adam, non egeret plantis auſteris, & amaris. Verùm è culpa in juſtitiam traducta fuit, ac proindè non dulcibus tantum, & ad voluptatem comparatis, ſed amarulentis etiam lignis eget, ad humorem noxium expurgandum. Propterea ſponſus addidit:

Myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.

PARAPHRASIS.

Naſcitur in horto iſto mortificationis myrrha, aloes pœnitentiæ. Et ſuggerunt horti plantaria materiam ad omnes eas virtutes,
C *quæ velut unguenta ſelectiſſima ulceribus peccatorum medentur; quæ ſuaptè natura ſecernuntur ab aliis virtutibus, non tam ad ſanitatem per medelam efficiendam, quàm ad eam perficiendam deſtinatis.*

Myrrhæ natura.

MYrrha, cujus naturam ſuprà expreſſimus, condiendis, & à corruptione defendendis corporibus uſurpata, eam virtutem, quam ſancti mortificationem appellarunt, apertè monſtrat, quam qui ſtudiosè colit, non ſentit peccati corruptelam. Hac quippè virtute, velut falce quadam, culpæ illecebras, & occaſiones amputat. Et hæc ſuoptè ingenio videtur inſtituta ad effrænes
D motus reprimendos, quos licet quis proprio actu minimè peccarit, ſed origine traductam culpam duntaxat contraxerit, patitur, ab originali peccato erumpentes. Hos ergo motus coercet mortificatio, myrrhæ proprietate adumbrata. Verùm quò quis propriorum actuum noxas plectat, alia indiget virtute,

Pœnitentiæ actus.

quæ pœnitentia nuncupatur, quæ aloes proprietatibus aptiſſimè ſignificatur. De hac igitur herba pauca hæc excerpſimus.

Aloe deſcriptio.

Aloe, Cebar Arabibus, Perſis, & Turcis dicta ſcillæ ſimilitudinem fertur habere, radice una, ut palo in terram demiſſo, foliis pandis, laciniatis, ob ſpinulas hinc inde eminentes, quæ laudatiſſima eſt in Socotora Inſula, quæ diſſita eſt a freto maris Erythræi E
per trecenta nonaginta milliaria. Ejus gutta eſt amariſſima, livores, & ſuggillata delens, ac propterea pœnitentiæ ſignat virtutem, quæ amarore ſuo ſponte ſuſcepto, livores, & ſuggillationes, quales in anima ſuis ictibus peccata reliquerunt, prorſus expungit. Livore quidem ſponſi Sponſa ſanata eſt; ſic tamen, ut aloen iſtam in horto ſatam & cultam ſponſa guſtaret, ſine qua ſaluti inſtaurandæ aditus minimè pateret. Omnia prima, hoc eſt, electiſſima unguenta eas virtutes vocat ſponſus, quæ tanquam unguenta pretioſiſſima, ex aromaticis horti hujus plantis confecta, ad curanda peccatorum ulcera deſtinantur, quæ ſecernuntur ab illis, quæ non tam ad medendum, quàm ad ſanitatem perficiendam proficiunt. Quod virtutum in duas acies diſcrimen ex morali F
philoſophia compertum eſt. Verùm quod ſequitur, excitat admirationem.

V. 5. Fons hortorum.

PARAPHRASIS.

Et ſi ſponſa fons obſignatus ſit, eſt etiam fons aliis hortis, hoc eſt, proximis, aquæ ſuæ proficiens.

PAulò antè inter præclaras ſponſæ laudes fontem ſignatum ſponſus recenſuerat. G
Ideò verò ſponſam velut fontem obſignarat, ne quis aquam ſurriperet, ac illum ſuo potu fraudaret. Quomodo ergo fontem hortorum nunc ſponſam appellat? Profectò enim fons hortorum ideò dici videtur, quia tanquam communis fons expoſitus ſit, unde propinqui horti aquam haurire poſſint, quod ſine ſigilli, clauſtrique ruptura videtur fieri non poſſe. At ſanè myſterium hic latet, quod ex ipſa fontis aſpectabilis effigie eruendum eſt. Porrò, cùm ob allatas rationes fons clauſtro munitur, quædam nihilominùs feneſtella, ſeù exigua porta patens cancello ferreo prætexta dimittitur, per quam ex cratere lapideo, in quem primum à ſcaturigine confluit aqua, tenuis aliquis rivus elabitur. Poſtquam enim crater ille lapideus plenus eſt, exundat aqua, & neceſſe eſt patere illi exitum, per quem effluat. Sic ſponſa concipienda eſt. Obſeravit illam ſponſus, ne quis fur ſca- H
tebram aquæ vivæ obſtrueret, vel craterem animæ impleri prohiberet; at non temerè: ſed ex ipſius ſponſi conſilio actum eſt, ut exitus quidam pateret, per quem ſaluberrima hæc gratiæ divinæ aqua in alios hortos permanaret. Implevit minimum Deus ſponſam

Fontis effigies.

di-

Scripta An. 1598.

divina gratia, & sapientia, quam omninò celare sponsa nequit, unde efficitur, ut elabatur illa ad proximos exemplo, ac doctrina alendos: quod modò parcè fit, quasi per fenestellam cancello ferreo prætextam. Nec enim sponsus fontem resignavit, & aperuit, sicut aperturus est, cùm sponsam miserit ad alios edocendos. Non ergò ad prædicandum modò destinatur, immò sibi potiùs quàm aliis prodesse studet, donec perfectissima sit; quod ex subjecta patet similitudine.

A

Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

PARAPHRASIS.

Non est sponsa fons ex terra erumpens citòque effluens, sed fons puteum efficiens. Gratia quippè, ac virtutes in ipsa, velut aquæ vivæ scaturientes, in sponsæ mente, more putei, capacissima continentur, quando in eam ex sponso, per Libanum notato, copiosè influunt.

B

PUteos effodere mos amicorum sponsi est, ut constat de Abraham & Isaac; qui typum sponsi prætulere. Propterea non mirum est, si sponsus puteum habeat. Profectò puteorum cavitas, & profunditas maximè conducit ad ea, quæ proximè diximus explananda. Quod ut rectiùs fiat, duo concilianda sunt, fons nempe, ac puteus, ita ut in imo putei scaturiat fons, & aqua viva queat appellari ob scatebræ motum. Posset enim puteus in exciso saxo fodi, qui postmodum pluviis aquis, vel aliundè illuc infusis impleretur; in quo tunc aqua consisteret, & tanquam mortua motu careret, nec unquam vel unguem latum ascenderet, immò decresceret, saxi siccitate partim hausta. Puteus ergò hic arcanus ex fonte semper aquam fundente fit, & per putei cavitatem aqua vivens motu prædita crescit, & extollitur. Hæc est divina gratia, fons inquam ille aquæ salientis in vitam æternam, qui manans in sponsæ animam, quæ instar putei capacissima est, semper crescit, & attollitur; vivit enim, ac sursum ad æternitatem movetur. Non facilè effluit ob putei altitudinem. Non ergò sponsa est ex eo genere fontium, qui ad superficiem terræ passim erumpunt, moxque aqua diffluit, nulla cavitate recepta. Sed puteus altissimus est, ut aquam vivam contineat; nec licenter effundat, nisi fortè quando effundere jussa fuerit in aquarum viventium diluvio, hoc est, quando semel impleta, aliis prædicatura superimpleatur. Quòd autem plurali numero, aquarum viventium sponsus meminerit, virtutum gratiam comitantium, simul cum ipsa viventium, atque crescentium aperta significatio est. Quòd verò è Libano impetu fluere dicantur, allusio est ad Jordanem è Libani radicibus duobus è fontibus exorientem. Arcanè verò, aquæ vivæ, divinæ gratiæ, ac virtutum ex Christo, qui, ut suprà tradidimus, Libano significatur, emanantes notantur. Cujus emanationis fluxus, aquæ è latere ipsius cæso decurrentis, expressio quædam fuit. Quod autem aquæ impetu, & non leniter fluere dicantur, ubertatis nota est: tunc enim amnes impetu fluunt, cùm è montium verticibus ingens aquarum decurrit affluxus.

C Comparatio

E

Non est ullo modo prætermittendum mysterium, quod aquæ cum impetu ex Libano fluentes innuunt, in viris charitate provectis egregiè confirmatum. Nimirum aquæ Jordanis è Libano fluentes carnis Jesu Christi sponsi tactu vim gratiam significandi, & quod majus est, conferendi receperunt, in alteram primi (servata serie) sacramenti, hoc est, baptismi, parem electæ. Unde non qualemcunque gratiam, sed eam, quæ vi sacramenti efficitur, planè significant. Sponsa igitur appellatur puteus aquarum viventium, hoc est, divinæ gratiæ, sociatarumque illi virtutum, quibus, altissimi putei more, ex receptione, ac frequentatione sacramentorum impletur. Etsi enim viri charitate provectiores (qualem hîc sponsam introducit Salomon) virtutum actibus mirificè proficiant: at cùm seipsos excutiunt, & insignis mentis puritate sacramenta frequentant, novis tunc, & miris gratiæ, ac virtutum accessibus quàm felicissimè crescunt. Quod cùm illi experiuntur, siti quadam sacramentorum inexplebili ardent, quò enim frequentiùs bibunt, eò amplius sitiunt: unde opus omninò est, ut illæ aquæ viventes, ad eam sitim sedandam, & excitandam, cum impetu fluant è monte Libani editissimo. Jam verò paradiso à se vigilantissimè culto benè precatur, ajens:

Mysterium Baptismi.

F

V. 16. Surge aquilo.

PARAPHRASIS.

Recede dæmon è lateribus aquilonis flans, & hyemali culpæ frigore, velut gelido quodam aquilone, virtutum germina perurens.

G

NOrunt agriculturæ studiosi, quantum alendis plantis conferat aeris salubritas, quantum noceat inclementia. Crebrò solet evenire, cultorum spem evanescere post longam in colendis plantis navitatem, cùm ventus frigidus, & vehemens flat, & erumpentes vitis gemmas, arborumque flores decoquit, & absumit. Quamobrem, si navitate, & peritia res agenda esset, non minùs essent seduli agricolæ ad placandos ventos immites & procul arcendos, quàm ad terram fodiendam, & repurgandam. Inter universos verò agri cultores unus est sponsus, qui ventis imperare potest, sicut olim fecit. Cùm autem possit, & velit, statim imperat aquiloni, seù boreæ, ut Septuaginta vertunt, qui est ventus immitis, & frigidus à septentrione flans, in reprobum sensum à scriptura usurpatus, qui rigore suo terram congelare facit, teneros flores, & germina enecat. Si-

Quid aer plantis?

H

Aquilo ventus immitis.

LXX. Interpp.

Scripta An. 1598.

Dæmonis potentia.

Significat nimirum, & adversam dæmonis potentiam, qui è lateribus aquilonis, ubi superbia sua consedit, aquilonari; seù boreali quodam impetu irruit in justos, & immisso frigore culpæ, corda, quæ vitalem Dei calorem conceperant, glaciare, & obdurare contendit, virtutum germina percoquere, & necare pertentat. Cupiens igitur hortum non incassum excoluisse, imperat

A

Dæmoni, ajens, surge, cede loco, seù recede hostis paradisi, ne uras tuo flatu arbusculas aromaticas, & herbas odoratas, in quas (ut olim in paradisum terrestre) te insinuas, serpertino halitu illas adusturus. Hoc ita generatim assertum sit, ut aquilo Dæmonem infestum, virtutum sponsæ plantaria perimere satagentem sine discrimine significet.

Altera Textus explicatio.

Germanior videtur alter sensus, ut videlicet aquilo non dæmonem, nec alia peccatorum monstra, sed unam in hoc loco superbiam notet. Quod duabus ex causis astruimus. Primùm quidem, expensa ipsa rei natura superbiam vulgò ventum appellamus, & superbos, vento distentos, seù inflatos

Proverbium

B

dictitare solemus. Deindè quod ad aquilonis, seù boreæ nomen attinet, compertum est ex Isaiæ vaticinio, excelsum eum locum Divinitati soli debitum, in quo Lucifer considere cupiebat, aquilonis nomine notari, petita metaphora à monte Sion, qui ad aquilonem Jerusalem situs est, ubi templum Deo fuit constructum, sicut scriptum est:

Psalm. 47.3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis. Ex his ergò duobus, ex venti nempè, & laterum aquilonis à Lucifero concupiti, contemplatione inducimur, ut credamus sponsum hic imperare superbiæ, ut quantocyus abeat. Quod ipsa descriptæ pulchritudinis præstantia satis monstrat opportunum. Cùm enim sponsæ virtutes, sub paradisi translatione, oratorio encomio sponsus laudarit, ne fortè efferatur animo: &

C

semetipsam adeò pulchram nimis (ut olim Lucifer) indulgenter, ac impotenter amet, tempestivè admonetur, & vento superbiæ, ne hortum perflet, imperatur. Dicat igitur sponsus: Surge Aquilo, hoc est, procul recede superbia, divinitatem affectans, quæ de interna pulchritudine concipi soles, ne horti mei plantas interimas. Postquam igitur noxio vento recedere imperatum est, salubris aura nunc est excitanda. Propterea subdit sponsus:

Veni auster, perfla hortum meum,
& fluent aromata illius.

PARAPHRASIS.

D

Veni Spiritus Sancte, perfla, & permove sponsam, sicut anima corpus afflare, & ciere solet; sic enim calore solvente poros animæ, odor virtutum effundetur.

AUster ventus à meridie flat, aquiloni è regione oppositus. Est calidus, & in scriptura sacra in bonum sensum acceptus, sicut scriptum est, Deus ab austro veniet. *Abac. 3.* Notat Spiritum Sanctum, spiritum illum vehementem, qui hortum Apostolicum perflavit, & vitæ calorem invexit. Vocat ergo sponsus hunc ventum saluberrimum; ut pervadat arcanas descripti paradisi plantas, ut ingerat vitam illis; est enim hic spiritus

E

vitalis, de quo eæ plantæ, sponsaque vivunt. Sicut enim corpus de spiritu vivit humano, ita sponsa, qui est hic amœnus hortus, vivit de spiritu divino. Quamobrem nec per momentum temporis sine afflatu spiritus hujus australis Deo vivet, sicut ne momento quidem corpus, sine suo spiritu, supervivere potest. Quod ergò ait sponsus: Veni auster, & perfla; non perfunctoriè, non certis, ac definitis horis, sed perenniter poscere putandus est, ac si planiùs effaretur: Veni divine auster, & ita hortum meum affla, sicut anima corpus afflare, ac ciere solet. Tunc fiet, ut fluant aromata illius. Aromatum nomine duo intelligi pereleganter possunt, aut odores aromatici, qui ex arbusculis odoratis calore austi funduntur; res enim odoratæ sicut frigore densantur, &

Comparatio.

odorem contrahunt, sic calore solutæ exhalant; quod arcanè fit, cùm anima justa, spiritus austro calido velut resoluta, poris patentibus, odorem virtutis effundit. Aut aromatis nomine notatur illud gummi, quod ex illis arbusculis exsudare solet, ut stacte, thus, & id genus alia, quæ symbolicè arcana virtutum unguenta, hoc est, actus flante spiritu productos innuunt, quibus anima Christi, hoc est, uncti particeps effecta perlinitur, quemadmodum arbusculæ, cùm emittunt resinas, illismet obliniuntur trunco, & ramis inhærentibus. Nunc verò, postquàm sponsus arcani horti fælicitatem descripsit, sponsa gratitudinis ergò illum tanquam cultorem, cui horti primitiæ iure suo debentur, invitat; ut tanquam sui paradisi

F

fructu vescatur.

G

CAPUT V.

SPONSA.

℣. 1. Veniat dilectus meus in hortum suum.

PARAPHRASIS.

Insinuet se magis, ac magis sponsus in me hortum suum, peculiari iure culturæ ab ipso comparatum.

H

AMoris, & pro cultura gratitudins stimulo incitata sponsa, cernens plantas horti universas, & à sponso satas, & cultas esse, primitias illi offert ajens: Veniat Dilectus meus in hortum suum; ac si diceret

Scripta An. 1598.

ret: Si quidem adeò àmœnum, fertilemque (ô ſponſe) hortum coluiſti, quid tibi pro ſedulitate referam? Veni, obſecro, & fruere paradiſi amœnitate, quæ jure agriculturæ tua eſt, & tibi uni dicetur hæc tota fœlicitas. Porrò emphaſis ineſt in verbo, veniat. Cùm ſponſus præſentiſſimus horto adſit, ac præſit, ut ex præcedente capite liquet, inepta videretur hæc invitatio, ſi emphaſi careret. Precatur ergò ſponſa, ut penitiſſimè adſit, & arctiùs ſibi copuletur, & velut ad intimum ſponſæ cordis receſſum penetret, quemadmodum, cùm quis principis alicujus aulam ingreſſus, intra eandem aulam, è cubiculo in cubiculum interiùs, ac ſecretiùs venire, ac ſe inſinuare dicitur. Quod verò ait, in hortum ſuum, ſecretum quiddam innuit, quod præteriri non debet. Anima quippè virtutibus culta, paradiſo florenti quàm ſimillima, ſingulari quidem jure appellatur hortus Jeſu Chriſti ſponſi. Quod ſanè jus ſpeciale ex actionibus, quas ille carne indutus, ut propria illius aſſumptæ naturæ perſona obivit, enaſcitur. Non enim Pater, aut Spiritus Sanctus, tanquam hypoſtaſis propria elicuit eos actus, quos ſponſus eliciebat, cùm non ſine ſudore, fame, ac ſiti animæ hortum excolebat, & proprio ſanguine, velut aqua perfundebat. Propter hanc ergò culturam ſpeciali jure ſponſa hortus, ſeù paradiſus ſponſi nuncupatur; ut pateat, cur illa ſic effata fuerit; veniat Dilectus meus in hortum ſuum. Subdit verò:

A

Comparatio

Animadverſio.

B

Et comedat fructum pomorum ſuorum.

PARAPHRASIS.

Actus virtutum comedat, illos acceptans, ac in ſuum intimum cor tanquam in ſpiritalem ventriculum traiiciens, ut ibi amore cocti, in ipſius naturam quaſi convertantur.

C

AD poma carpenda ſponſus invitatur jure ſuo. Quis enim agricola, qui primis quibuſque agri fructibus non veſcatur? Bifariam verò hunc textum interpretari poſſumus, juxta duas fructus ſignificationes. Primum quidem, fructus univerſim acceptus, expenſa ipſa rei natura, præmii quoddam genus eſt, quod agricolarum laboribus reſpondet. Ad fructum nimirum, tanquam ad finem, ac præmium omnis culturæ labor deſtinatur. Sponſus autem (ut proximè dictum eſt) animarum hortos multo labore, ac navitate coluit: undè illi præmii loco promittitur hortorum fertilitas, multiplexque fructus pro cultura, ſicut ſcriptum eſt: Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur, hoc eſt, fœlicem agri proventum videbit, veſcetur, & famem ſedabit. Hic fructus univerſim acceptus quemlibet virtutis notat actum, qui ex anima tanquam ex feraci terra, & ex virtutis habitu in ea defixo, tanquam ex arbore à ſponſo culta, ſolet enaſci. Hujuſmodi verò fructum, ſeù virtutis actum comedere ſponſus aſſeritur antropopathos. Si enim Deus cibo aliquo eſſet alendus, is proculdubiò eſſet virtutis actus charitate conditus. Deindè cùm comedere nihil aliud ſit, quàm cibum in ventriculum traiicere, calore ibi coquendum, pulchrè dicitur Deus comedere virtutum actus, quos in intimo cordis receſſu condit, & excoquit, ac in ſuam naturam quaſi convertit. Quod adeò verum eſt, ut ſemel ibi conditus actus virtutis (tametſi ejus author labatur in culpam) Deo ſemper perſeveret acceptus; eſt enim quaſi converſus in Dei illum comedentis ſubſtantiam, undè & ævo ſempiterno gratus erit. Liquet igitur, actum virtutis cibum eſſe ſponſi, quo ille avidiſſimè veſcitur.

Præmium debet reſpondere labori.

H

Iſai. 53. 11.

D

E

Altera textus explicatio.

Secunda loci hujus interpretatio huic ſatis affinis, ſed arcana magis, eſt eruenda ex ſignificatione fructus juxta ſenſum Theologicum. Ajunt quippè Theologi, fructum eſſe virtutis actum nobiliorem, cùm ſuavitate productum. Ex quo patet, non univerſos virtutum actus fructus nomine cenſeri, ſed egregios tantùm, qui ob præſtantiam voluptatis ſunt ſenſibus imbuti. Poſſunt ſanè actus omnes poma nuncupari eleganti tranſlatione, at fructus pomorum minimè, ſi ſenſum expendamus allatum. Hunc ergò fructum pomorum, hoc eſt, ex pomorum genere, comedere dicitur ſponſus appoſitiſſima metaphora. Cùm enim fructus hic, qualis à Theologis pingitur, ſaporem arcanum ſuaviſſimum contineat, ad nullum ſponſi ſenſum proprius, quàm ad guſtum pertinere potuit, ut mira cum ſignificatione non audire, ſeù cernere, ſed guſtare, vel comedere illum aſſeratur. Sponſus verò votis ſponſæ reſpondens ait.

Fructus ſunt actus virtutum.

F

SPONSVS.

Veni in hortum meum Soror mea ſponſa.

G

PARAPHRASIS.

Ingreſſus ſum jam pridem in te hortum meum, niſi enim præſens fuiſſem, paradiſus hic plantari non potuiſſet, & ſi receſſiſſem, confeſtim proculdubiò interiiſſet.

FEci, quod precabaris, jam enim veni, in teque hortum meum illapſus ſum. Quantò quippè paradiſus hic altior eſt eo, quem in Eden condidi, tantò ſum ei præſentior. Porrò antequam Adam in paradiſum ex eo loco, in quo creatus eſt, transferretur, erat paradiſus ipſe mea manu plantatus, poſtquam ob culpam ex eo pulſus eſt Adam, paradiſus ipſe perſtitit, aditu intercluſo mortalibus. Undè facilè perſpicitur, Adæ præſentiam horto illi non fuiſſe neceſſariam; ſiquidem ante Adamum illuc invectum, & poſt eum indè eliminatum, in ſuo decore per-

H

Primi, ac ſecundi Adæ diſcrimen.

Scripta An. 1598.

perstitit. At hortus hic meus (qui sum secundus Adam) ita quidem à mea & præsentia pendet, & cultura, ut sine me præsente plantari nequeat, & me abeunte confestim intereat. Propterea præterita utitur voce sponsus, ajens: Veni: & juxta versionem Septuaginta, & Chaldaicam paraphrasim, ingressus sum, ac si luculenter effaretur: non venio modò (quomodo enim absente me hortus consitus fuisset, & fœliciter germinasset?) Sed jam veni, & in illius plantas vitam eis inserens penetravi. Agit hîc sponsus tanquam horti dominus, ut se disertè secernat ab alienis. Profectò si quis extraneus in hortum admittendus esset, à sponsa illi esset aditus pandendus, & ad ingressum esset ille vocandus. Adeò quidem, ut infestus dæmon in hunc hortum obrepere nequeat, nisi sponsa illi fores aperiat, quæ modò sunt oppilatæ. At sponsus, qui horti claves habet, ipse sibi fores referat, quando animam novis desideriis patere, & velut hiare facit, quod quia efficit, cùm licèt, consultò dicit: Veni, hoc est, ingressus sum: penetravi, illapsuque intimo te totam, ô sponsa, pervasi, tua vota antevertens. Porrò alienus, quicumque ille sit, in hortum sic nequit illabi. Suadere sanè potest Dæmon, & ad assensum commonere, vi extrinsecus illata, neque enim in animam illabi, & voluntatem efficaciter permovere valet. At Deus se in animam insinuat, & quando placet, eam intrinsecus impellit, & ad nova charitatis incrementa perurget. Rectè igitur sponsus inquit: Antequam vocares, veni in te hortum meum; meum sanè ratione creationis, ratione culturæ, ratione desiderii, quod tanquam novum germen ego ipse intus existens efficio, atque produco. Nihil autem inconcinnum hic suspicari fas est. Etsi enim sponsus animæ sponsæ intimè adsit, non propterea ineptè venire rogatur. Ipsa enim sponsi præsentia tantum abest, ut sitim extinguat, ut potiùs ex hoc sui majus excitet desiderium, sicut scriptum est: qui bibunt me, adhuc sitient. Verùm opus est, admoveamus auditum iis, quæ sponsus, cùm venit, se fecisse commemorat.

LXX. Interpp. Paraphrasis Chaldaica.

A

B

Ratiocinatio

C

Eccl. 24. 29.

Messui myrrham meam cum aromatibus meis.

PARAPHRASIS.

In horto agens ex omnibus virtutum aromatibus surculos decerpsi, prius tamen, ad amorem, amaritudine probatum, manum porrexi.

D

Quid sit metere.

METere nihil est aliud, quàm admota falce culmos exsecare, ut patet experimento. Ubi cernimus, radicem & culmi partem in terra fixam remanere, unde, cùm adhuc viret, iterum germinare solet. Septuaginta verò Interpretes verterunt: Vindemiavi myrrham meam, quod ad eundem sensum maximè conducit. In vindemia quippè falce racemos amputamus, relicta vite, quæ quotannis promit uvas. Sive autem messui, sive vindemiavi dicat sponsus, elegantissima utitur translatione, ad significandum, se in animam illapsum, ad promendos subinde egregios virtutis actus eam permovere. Sunt enim habitus virtutum in terra pingui animæ sati, tanquam triticei culmi spicas proferentes, vel vites promentes racemos, cùm actus suos eliciunt. At quia quantumvis nobiles, & (ut in schola loquimur) intensi habitus virtutum in anima sint, nisi urgeantur, & impellantur vi alia, præter eam, quæ ipsismet nativa est, non edunt actus, oportet omninò sponsum, qui eos habitus infuderat intus existentem urgere, & excitare sponsam ad actus per illos habitus proferendos. Tunc verò actus ex habitibus, velut à culmo spicæ, vel à vite racemi enascuntur; & sponsus ipse, qui eos actus peculiari efficit impulsu, & velut ab habitibus separat, seipso, qui gladius est anceps, utpote verbum, seù sermo Dei, graphicè dicitur eos metere, seù vindemiare. Investigare autem opus est, cur in tam amœno, ac vario paradiso ad myrrham metendam potiùs, quàm ad plantas alias visu & gustu gratiores, ac suaviores manum porrexerit? Porrò amantes, violis, liliis, aliisque odoratis floscul is impendio delectantur, myrrhæ verò amaritudinis, & horroris eos tædere solet. At hæc divini amoris arcana philosophia est; ut amor non voluptate, ac dulcore delinitus, sed conditus amaritudine Deo sit acceptissimus. Sanè quemadmodum in patria nihil amore glorioso, ita in exilio nihil amore anxio, & amaritudine perfuso Deo est acceptiùs. Quamobrem etsi in sponsæ horto ex omnibus virtutum plantis aromaticis surculos sponsus legit, myrrham tamen omnibus aliis præfert aromatibus, propterea enim illius sigillatim meminit, cætera generatim aromata commemorans, dum ait, Messui myrrham meam cum aromatibus meis, ubi expendendus est loquendi modus mysterio prægnans. Sponsa petierat, ut sponsus ederet fructum pomorum suorum, ipsius videlicet sponsi, agnoscens virtutes ab illo ducere genus. Quod apertè confirmat sponsus ipse, dum ait: ego veni, & myrrham meam cum aromatibus meis messui. Sed mirum est, quod adjunxit,

E

F

Comparatio.

G

Comedi favum cum melle meo.

PARAPHRASIS.

H

Mihi univi, & velut in me convertendam sponsam, quæ favus est, meipso (qui sum mel) imbutus, comedi, hoc est, intimè cordi meo insculpsi, & velut in stomachum traject.

SOlent in viridariis, hortisque, ubi flores ubertim proveniunt, alvearia esse, quæ

Alvearia solent esse in hortis.

Scripta An. 1598.

quæ ſine ullo cultorum agri labore, apum opera flores carpentium, mellis non exigua fœnora reddunt. Subnotat ergò ſponſus ajens, ſe ingreſſum in hortum comediſſe favum, alvearia horto ſuo minimè deeſſe. Quæ quidem tranſlatio ad ſponſam pertinet ſignificandam, quæ variis formis, mira, & multiplici metamorphoſi inducitur, ut
A ejus perfectio exactiùs exprimatur. Quod autem ad arcanam comedendi rationem ſpectat, paulò antè diſſeruimus. Nunc verò, quo pacto ſponſa ſit favus ſponſi melle imbutus, quem ipſe comedere fertur, exponendum eſt. Porrò ſi animæ internam contemplemur ſtructuram, multis potentiis velut favi cellulis diſcretam, corporis operculo contectam, cernemus liquidò, favi mirificè conſtructi, rudi alveari contecti, ſimilitudinem apprimè illi congruere. At hucuſque ceræ dumtaxat opus alveari concluſum animadvertimus; nondum autem mel confectum videmus. Opus eſt nimirum, ut apis florem præcerpat, & eo paſcatur, ex quo dulciſſimum eum liquorem conficiat, quo cellulæ favi oppleantur. Sic igitur ſponſa,
B quaſi apis ſedula & argumentoſa florem de radice Jeſſe ſuum ſponſum ſuaviſſimum quaſi è radice, cauleque præcerpit, & toto pectore haurit, eoque avidiſſimè paſcitur. Quem, ubi comedit tanquam cœleſte mel, intra potentiarum cellas condit, ut nullo alio, præterquam ſponſi liquore impleantur. Hunc igitur favum cum melle ſuo ſponſus comedit, totam enim ſponſam ipſo imbutam, ac plenam intimè ſuo cordi inſculpſit, & in ſuam velut ſubſtantiam allato ſuperiùs ſenſu convertit. Hæc prima eſt interpretatio.

Per pulchra comparatio.

Succurrit verò altera ſatis arcana ex Septuaginta Interpretum elicita verſione: Qui ſic traduxerunt: Εφαγον ἄρτος μῦ μετὰ μελιτός μου, hoc eſt, Comedi panem meum cum melle meo. Quibus ſanè verbis alludere videtur ſponſus ad manna, qui fuit panis
C illo angelicus, quo pavit Iſraelem in deſerto. De quo memoriæ proditum eſt, ſaporem ejus fuiſſe, velut ſimilæ melle permiſtæ. Notat autem ſponſus, hac ſymbolica loquendi ratione, in hortum ſuum virore virtutum opertum ſe deſcendere, ac illum candore ſuo conſpergere, quemadmodum campos, ubi caſtrametabatur olim ſuus populus, manna cœlo lapſum, velut ros matutinus ſuper herbam jacens operiebat, & candore ſuo honeſtabat. Manna verò typum ſponſi præ-

Altera explicatio ex LXX. Interpp.

Exod. 16.

Manna typus ſponſæ.

tuliſſe, omninò planum eſt. Profectò ſponſus manna panis melle commiſti ſapore præditum graphicè refert. Panem ſapit, dum cor ſponſæ confirmat; mel ſapit, dum ſuavitate, ac dulcore permulcet. Ipſe enim eſt ſapientia attingens à fine uſque ad finem
Sap. 8. 1. D fortiter, quaſi panis firmitate, & diſponens omnia ſuaviter, quaſi dulcore mellis. Quos certè duos effectus harmonicè temperatos in
O ſponſa mirificè ſponſus præſtat, in eam velut in hortum, ſeù campum viridem more mannæ deſcendens; ibique ſeipſum mannæ

Tertia interpretatio.

velut forma concretum comedere dicitur. Hic enim eſt cibus, quem ſponſa illi offert, ipſius informata ſimilitudine, quem dum ille & acceptat, & arcanè guſtat, ſibique intimè unit, eleganter comedere aſſeritur. Nec mirum eſt, ut ſeipſum ſub arcana mannæ forma, in anima ſponſæ concretum edat, qui ſub forma panis manna notati, ſeipſum co- E
medit in cœna. Guſtat autem ſeipſum, ac panem ſtabilientem & confirmantem, cùm ſponſa fortiter amat. Libat verò ſeipſum, ac mel dulcore plenum, dum ejus illapſu ſponſa amore teneriore liqueſcit. Binos quippè affectus hos frequenter ille in ſponſa experitur. Hunc profectò panem melle conditum ſponſa in primis curare, ac conſervare debet, ut ſponſum regio queat excipere convivio, & ut ſit in voce exultationis ſponſi ſonus epulantis. Cùm autem hîc de convivio agatur, potus neutiquam deſiderari debet. Propterea ſequitur:

Bibi vinum meum cum lacte meo.

PARAPHRASIS. F

Acceptavi, & hauſi amorem fortem vino, & tenerum lacte notatum.

SOlent in hortis nonnullæ vites ſeri, quæ ſedulò excultæ, & propaginibus prorrectis fuſæ in pergulas producuntur, & ad varietatem valde conducunt. Et hoc innuere videtur ſponſus, qui de horto ſuo agens, vinum ſe ibi tradit haurire. Lactis verò ideò videtur meminiſſe, ut notet ſponſam terræ Canaan olim feraciſſimæ, lacteque manantis eſſe ſimillimam, & magis arcanè, ut illam ovis ſimilitudine commendet, ex cujus gemini amoris uberibus lac exſugit Agnus Dei, Comparatio.
qui ex ſua dignatione, & charitate nimia, ſicut ſpiritali conceptu in anima formatur, ita ſpiritali lacte alitur & creſcit, appellatque lac ſuum, ſicut & ſuum vinum, quod G
illi à ſponſa propinatur, ſicut lactens filiolus lac matris ſuum appellat, utpotè quod ſibi jure debeatur. Ait ergo: Bibi vinum meum cum lacte meo. Amoris duplex actus, alter fortis, tener alter eſt. Ille vino, quo membra languentia ſtabiliuntur, & roborantur, iſte lacte, quo tenera membra aluntur, eleganter ſolet exprimi. Eſt autem proprium amoris, ſeù fortis, ſeù teneris ſit, (cum ſit voluntatis actus) effundere ſe in rem dilectam, ut patet ex vulgatiſſimo diſcrimine, quod Philoſophi inter actus intellectus, & voluntatis expendunt. Intelle- Intellectus, & voluntatis diſcrimen.
ctus, quippè res velut exſorbet, ac ſugit, cùm earum ad intelligendum ſimilitudines attrahit; at voluntas exſorbetur, & velut exſugitur à re dilecta, à qua ſemper attra- H
hitur. Quamobrem cùm amoris actus promit ſponſa, concipienda eſt ſub imagine fontis cujuſdam vinum, & lac evergentis, ac potum ſponſo propinantis, quem ille avidiſſimè haurit, ac ebibit. Bibit ſanè vinum gene-

Scripta An. 1598.

neroſum, cùm voluntatem ſponſæ per fortem amoris actum attrahit, & velut apprehenſa papilla exſugens: Bibit lac, cùm per tenerum amoris actum attrahit illam. Quo certè potu licèt ſitis ſponſi ſedatur, non tamen extinguitur. Nunc verò, quia nullum eſt lætum ſocietate convivium, convocat ſponſus amicos ad horti delicias percipiendas, ſic ajens:

A

Comedite amici & bibite: Et inebriamini chariſſimi.

PARAPHRASIS.

Spiritalis hujus convivii, quod mihi ſponſa paravit, participes per charitatem effecti, quaſi eſca, & potu menſæ lautæ fruimini, qui mihi eſtis amici. Qui verò eſtis inter amicos chariſſimi, largiùs bibite uſque ad ſobriam ebrietatem mentis, ejuſque participatione implemini.

B SAnè quemadmodum ejuſdem corporis membra mutuò ſeſe fovent, & unum ex altero vitales motus recipit, & quaſi vim ab altero ſuggeſtam membro & comedit, & bibit. Sic ſponſi membra, quæ ab Eccleſia membra viva dicuntur, precum, ac meritorum communione ſe mutuò fovent, vitæ metus excitant, & vim illam totum corpus myſticum permeantem, & quaſi per arterias excurrentem unum ab altero mutuis receptat auxiliis. Sola ſponſi vis potuit mortua membra ſuſcitare; at ſuſcitata ſemel non ſibi dumtaxat, ſed & aliis proſunt, & aliis arcanum cibum, potumque miniſtrant charitatis participatione, per amorem actus ſeipſam promentis. Nunc ergo ſponſus ſic eloqui putandus eſt. Menſam mihi lautam in amœno viridario ſponſa paravit. Porrexit mihi favum vini, ac lactis pocula propinavit. Societate mihi opus eſt. Accurrite, qui charitate mihi eſtis amici. Fruimini melle, & vino, & lacte. Mei intra ſponſæ favum latentis, qui ſum mel, & geminorum amoris actuum in vos propter me ſeſe fundentium participatione gaudete. Mellis hujus eſcam comedite; vini, ac lactis hujus potum haurite. Porrò, etiam cùm ſponſam intra ſe ſponſum continentem, & in proximos amoris actum tum fortem, tum tenerum, juxta temporum diſcrimina producentem, ii qui charitate vivunt; imitatione attrahunt, & in ſeipſis ejus mores effingunt, ſatis aptè mel edere, vinum & lac haurire aſſeruntur. Ita quidem, ut ex duobus capitibus, ex participatione videlicet, & ex imitatione, melle veſci, & potum illum ebibere cenſendi ſint. At quod appoſuit, ajens, Et inebriamini chariſſimi, emphaſim habet, qua proculdubiò innuit, eos, qui inter amicos gratiſſimi ſunt, & præ aliis coniunctiſſimi, hac participatione meritorum charitate ſubnixa fœliciùs gaudere, ut dum alii modicè fruuntur, ipſi ob eximiam charitatem potiſſimum frui, ac eum arcanum potum quaſi uſque ad ebrietatem haurire dicantur. Hæc prima eſt interpretatio.

Sponſi adlocutio.

C

Emphaſis.

D

Secunda loci hujus interpretatio ſatis opportuna eſt, ut vox illa, Chariſſimi, non ſeorſum accipiatur, ſed ſit nominis illius, Amici, adiunctum. Et in hunc modum amicos chariſſimos, ſponſi ipſius bona vigilantiſſimè curantes, appellat Eccleſiæ Doctores, qui ſponſam erudierant, & ad perfectionis gradum, in quo ea nunc adulta verſatur, promoverant. Qui dum illuſtratis mentis oculis ad hortum, quem tanquam ſponſi cultoris miniſtri curaverant, ſpectandum introducuntur, cernentes ſponſæ fælicitatem, heroicarumque virtutum paradiſum, ad ejus, quam percipiunt eximiæ voluptatis ſignificationem, mel comedere, vinum & lac bibere, ac ebrietate vinci perhibentur. Protrita ſanè metaphora eſt, cùm quis prandii, cœnævè tempore rei alicui voluptatem comparatæ dat operam, dictitare tunc, nullam eſcam lautiorem, potum nullum ſuaviorem, ea quæ tunc fruitur voluptate, illi poſſe accidere. Quod tunc potiſſimum verum habet, cum quis operæ, quam in re quapiam poſuit, fructum cernit votis quadrantem. Sic architectus avidè, ac frequenter ſua inſpectat ædificia. Sic (quod ad rem hanc propius accedit) qui conſevit arbores, quas conſpicit fructibus onuſtas, ob incredibilem, quam experitur voluptatem, vix poteſt ab earum inſpectatione divelli, ibique pulchra tranſlatione dicitur paſci, ac potari. In hunc morem Doctores, qui ſponſæ animam, ceù voluptatis paradiſum excoluerunt, & ſponſo miniſtrantes, tam egregium in ejus provectione fructum intuentur, divinæ cujuſdam lætitiæ mel libant, lac & vinum hauriunt, & ebrietate vincuntur, ita ut arcano ſenſu ſatis idoneè dicantur inebriari ab ubertate ſponſæ, quæ ſponſi domus & hortus eſt, & voluptatis torrente potari. Rectè igitur ſponſus ait; Amici chariſſimi & Doctores, quibus ego ſponſam meam educandam crediderat, comedite mel, lac & vinum bibite, & inebriamini, hoc eſt, contuentes ſponſæ ubertatem ſpiritalem voluptatis pelago obſorbemini. Sed nunc ſponſa in ſcenam ingreditur.

Altera textus explicatio.

E

Amici chariſſimi ſunt Doctores Eccleſiæ t

F

Comparatio

G

SPONSA.

℣. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat.

PARAPHRASIS.

Ego vix ſenſibus ad vitam fungor externam, voluntas verò mea in ſponſum bians vigilat.

H

CHariſſimos amicos ad ebrietatem ſponſus invitavit. Quapropter ſponſa inter chariſſimos habita, hujus ebrietatis, qui eſt torrens voluptatis internæ, conſors effecta eſt. Cui ſanè ebrietati fidem aſtruit ſomnus hic arctiſſimus, qui illam complexus eſt. Porrò

ebrie-

Scripta An. 1598.

ebrietatem externorum sensuum functiones intercipientem evestigiò somnus consequitur. Sic sponsa cernens (quod votis omnibus expetiverat) sponsum intra suæ animæ paradisum commorantem, & culturæ incumbentem; lætitiæ, ac voluptatis amne perfusa, corporea universa tradit oblivioni, & sopitur, ad sponsi amplexus toto mentis conatu conversa tantò ad illum effecta vigilantior, quantò à sensibus redditur alienior. Somnus hic, quo sponsa correpta est, nihil est aliud, quàm perfectorum virorum multa sedulitate parta proprietas, quam ubi pepererunt, vix hæc externa norunt. Tanta quippè contentione ad Deum hiant, ut rerum fluxarum non meminerint, vixque sensibus uti possint ad eas pertractandas. Ejusmodi verò viros aliquot orbe toto conspicuos nostra tulit ætas, qui ob mundi neglectum, & oblivionem se dormire facilè comnionstrabant. Cordis verò vigiliam, & perennem quandam velut palpitationem ob præsentis sponsi contactum perspicuè declarabant. Quod ergò ait sponsa, Ego dormio, ad partem sentientem, quam vix anima ciet, ac movet, ad functiones externas referri debet. Quod verò inquit; & cor meum vigilat; ad voluntatis corde significatæ conatum, quo præsentem sponsum apprehendit, referendum est.

A

B

Altera textus explicatio.

Altera verò mentem subit explanatio, quæ affectum amoris, ac gratitudinis huic loco opportunissimum luculentiùs prodit. Inducitur autem juxta interpretationem hanc sponsa de se tota inquiens; Ego dormio. Et de sponso (quam suum cor aptissimè nuncupat) ait; Et sponsus, qui est cor meum vigilat. Quod ut exactè percipiatur, opus est meminisse, sponsum perquam sedulò hortum sponsæ, plantasse, & coluisse, & vigilantissimè custodire, nec temporis quidem momento ab eo recedere. Quod cùm sponsa penitissimè explorasset, & sponsum præsentissimum sibi animadvertisset, incredibili quodam amoris, & gratitudinis affectu sic effatur: Ego sanè nihil laboro, ego ferior ab opere; & in hujus horti amœnitate suavissimè consopior. Cor autem meum, hoc est, sponsus meus vigilat; illiusque navitate hæc paradisi fœlicitas exorta est. Ille consevit, ille coluit, ille ad incrementa promovit. Pulchrè quidem sponsa, tantillum eum laborem, quem subiit in horto in operibus justitiæ se ipsam exercens (nec enim omninò nihil egit, quod hæretici nostræ tempestatis mallent) somnum appellavit, ut per hanc hyperbolen, qua levem laborem, somnum, seù finctionem laboris esse innuit, facilè declararet, verum esse illud divini psaltis oraculum, qui fingis laborem in præcepto. Ex utraque verò explanatione omninò efficitur & sponsum vigilare, & sponsam corde excubare, tametsi dormire perhibeatur. Quod ex adjunctis verbis perspicuè patebit.

Cor Sponsum nuncupat.

C

Psal. 93. D

Vox dilecti mei pulsantis.

PARAPHRASIS.

Insonuit vox sponsi mei pulsantis. Pulsat sanè, ut præsens, & ut absens ab ulterioribus animæ meæ recessibus, ad quos cupit ingredi, vocem edit,

E

SOmnum sponsæ medullas minimè pervasisse, immò principem animæ partem mansisse pervigilem hoc uno illa convincit experimento, quia videlicèt vocem sponsi pulsantis audivit. Quæ quidem ratio efficacissima est; si enim princeps animæ pars somno sepulta jaceret, insonantem, velut tenui auræ sibilo, sponsi vocem minimè perciperet. At hîc oratio parum concinna, sibique cohærens videtur. Profectò voce utimur, cum distantes eminùs vocamus; si enim cominùs res agenda sit, voce non est opus. Jam verò, si ad eos, qui sunt à nobis dissiti, vocem prominus, eos attingere manu tunc minimè valemus. Qui ergò fieri potest, ut sponsus edat vocem ad sponsam, illamque tangat, aut pulset? Quòd si translatio ab externis petatur, ubi cernimus plerumque illos, qui amicorum domos adeunt simul vocem efferre, portamque pulsare, quò citiùs referetur, non est ad rem, cùm sponsus intra sponsæ hortum agere, moarique asseratur. Verùm hîc nodus solvitur, si perpendamus, quonam pacto sponsus adsit, & absit. Sanè, si animæ sinus contemplemur, ad quos per novos charitatis accessus se sponsus ingerit, facilè perspiciemus illum adesse quidem, & se in plures secretos animæ recessus per amoris augmenta præterita insinuasse. Atque ita præsens ille sponsam ciere, ac pulsare valet: sed quia modus amori suo præscribi nequit, & ex hoc in sinus alios ulteriores illabi, & penetrare cupit, à quibus abest, vocem propterea promit, ut in eos assensu novo pandatur aditus. Qualis verò sit hæc vox, mox aperit, ac sponsum loquentem inducit,

Ratiocinatio

F

Amoris modus præscribi nequit.

G

SPONSUS.

Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.

PARAPHRASIS.

Adhuc secretiores sinus animæ tuæ mihi reclude, ut in te penetrem, quia soror es mea & ob adoptionem patris mei, & ob carnem assumptam. Quia etiam es amica mea, & ex amicitiæ jure totius domus tuæ anguli mihi patere debent. Quia prætereà es columba mea, cui ego meorum viscerum aperui nidum, & ita in te nidum mutuò posco. Quia deniquè es immaculata mea; dum enim in te illabor, maculas mea puritate detergo.

H

Scripta An. 1598.

HÆC vox ſponſi eſt, qua facilè ſecernitur & internoſcitur ſponſus ipſe. Amare nativa illius eſt proprietas, odiſſe violentum quiddam illi eſt, ſicut punire, ac terrere. Quamobrem in ſuo monarchico principatu amore potiùs, quàm terrore gubernare maluit, quo uno (ut cætera prætereamus) apertè à Tyrannis dignoſcitur. Enimverò Tyrannus in occupati regni adminiſtratione ſubditos concutere, ac metu coercere tentat; opprimere, non inducere ſatagit, ac proindè vox tyranni terribilis eſt, ad vim inferendam exprompta, At Rex noſter, etſi jure ſuo poſſet impellere, ac imperare (eſt enim Dominus :) ita tamen leniter moderatur animos, ut monere, non imperare, mulcere, non terrere maluerit. Ex quo ipſius vox, tamquam proprietate nativa, prædita eſt lenitate, Hoc igitur innuit ſponſa, cùm ait, Vox dilecti mei, ac ſi planiùs diceret; Vox, quæ nativa, non violenta eſt dilecto meo, plena dignationis, ac humanitatis eſt, non eſt ad incutiendum terrorem, ſed ad emollienda corda comparata, non eſt vox in commotione, ſed in ſuavis auræ tenui ſibilo, At hoc parum eſt, non enim ſolùm vim more tyranni non infert, ſed nec ſalutem quidem affert, ſine noſtræ voluntatis aſſenſu, quod eſt urbanitatis genus, divinam in nos dignationem egregiè commendans; agit enim ut amicus, non tam ſuam majeſtatem, quàm amorem expendens, Tantundem ergò eſt, vocem ſponſi inſonare, ac vocem lenem, & urbanam audiri. Quod facilè perſpicitur ex iis verbis, quibus ſponſam leniter monet, ajens: Aperi mihi, ad intimos tuæ animæ ſinus penetrare ſatagenti, quot enim aſſenſus præbes, tot mihi receſſus aperis, in quos feſtinus illabor.

A Tyranni, ac Regis diſcrimen.

B

Ad recludenda verò oſtia moneo te, quia es amica mea, unde ex amicitiæ lege anguli, ſinuſque domus tuæ univerſi mihi tecum debent eſſe communes, quia ſoror mea es à patre meo in filiam adoptata, & aſſumptæ naturæ germanitate conjuncta, quamobrem quos in natura, & gratia Deus conjunxit, ſeparari, & occluſa janua nefas eſt arceri. Aperi ergò, quia ſoror bifariam es. Aperi mox, Aperi, quia columba mea, cùm enim tibi nidum in meis viſceribus conſtruxerim, in quem convolares & conquieſceres, & tu profectò lege gratitudinis debes mihi nidum apparare. Aperi deniquè : quia es immaculata mea, Si enim ego te candidam, & labe, maculaque immunem reddidi, experimento diſcere potuiſti, ex meo ad te illapſu, te fore puriorem. Ex quatuor capitibus efficaciſſimam contexuit ſponſus orationem, qua ſponſam permulceret, & ad unionem arctiorem permoveret : addit tamen prætereà rationem aliam ad cor emolliendum opportuniſſimam.

Sponſi adlocutio,

C

D

Quia caput meum plenum eſt rore; & cincinni mei guttis noctium.

PARAPHRASIS.

Deus, ac exortæ ab eo cogitationes à ſceleſtis hominibus repulſæ; & velut abnoctare coactæ ſunt. Et probris iactatis, velut pruina, & gelidis guttis noctis hyemalis conſperſæ,

E

QUadruplex allata ratio, te, ô ſponſa, debet emollire, ut ocyſſimè mihi ſinus tuos intimos recludas; at quidem ſceleſtorum hominum inhumanitas, & crudelitas, qua me à ſuis ædibus arcent, & quaſi ſub dio, noctis hyemalis frigori, ac pruinis expoſitum abnoctare cogunt, te debent præſertim urgere, ut tantò me interiùs admittas, quantò à ſe illi me longiùs repellunt. Hic animadvertendum eſt, ſponſum, quamdiù ſæculi hujus ordo vertitur, ex nimiâ charitate ſua cordium noſtrorum frequenti impulſu portas quatere, quod ipſe palàm effatus eſt, & per animarum vias ſollicitum incedere, Quidam autem hoc iter explorantes, januam illi pandunt (hi verò perpauci ſunt,) ad quos libenter ingreditur cænaturus, & cubiturus. Cæteri verò, quorum, utpotè ſtultorum, infinitus eſt numerus, pulſantem eliminant, & in eum probra, & convicia jactant. De his igitur conqueritur ſponſus, ajens; Quia (ob pravorum hominum repulſam) caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Sponſi profectò caput Deus eſt: ſicut ſcriptum eſt, caput verò Chriſti Deus. Cincinni, ſeù capilli ab hoc capite enaſcentes, cogitationes ſanctæ ſunt, a Deo in animam exortæ, ac immiſſæ. Sceleſti verò homines, quorum mens humi defixa eſt, quando Deum pulſantem, ac vocantem repellunt, & cogitationes à Deo ſpiritu afflante ſuggeſtas procul arcent, pulchra quidem translatione dicuntur ſponſi caput, & capillos exponere pruinæ, guttis noctium, ac hyemis inclementiæ. Quid enim ea repulſa eſt aliud, quàm ros gelidus, ac pruina perurens? Et profectò quemadmodum immiſſos à Deo impulſus cùm quis admittit, & in medio corde reponit pulchrè dicitur eos fovere, & quaſi calefacere, ita è contrario, qui eos abigit, noctis inclementiæ, ac pruinis illos exponere, immò & imminitti rore illos conſpergere eleganter aſſeritur. Jam verò quàm ſit efficax hæc ratio, ex ſponſæ reſponſione perſpicitur.

Animadverſio.

F

Sponſi caput Deus eſt.

Cincinnorum ſignificatio.

G

SPONSA.

℣. 3. Expoliavi me tunica mea; quomodo induar illa?

PARAPHRASIS.

H

Exui veterem hominem, qui me retardabat, ne tibi aperirem. Et indui novum, qui gratia, ut avis pennis veſtita, ad te convolat, nova veſte, ceù pennis fultus. Quomodo ergò novum hominem exuere, & ve-

Scripta An. 1598.

veterem induere potero, cùm optem aperire tibi?

Col. 3.

PORRÒ Paulus monet, ut qui togam ſponſi ſunt induendi, veterem hominem cum actibus ſuis expolient, & novum qui ſecundùm Deum creatus eſt, induantur. Propter vitiatam verò naturam, quæ ex protoparentis noſtri ſanguine propagatur, & nativam labem, veſtis ſeu tunica noſtra nuncupatur peccati corruptela; ſicut & univerſim, quod unicuique natura dedit, ſuum propriè appellatur. E contrario verò non ſuum, ſed alienum dicitur, quod aliunde advenit, nec ex ipſa oritur natura. Si verò alius largitione, vel induſtria noſtra id paramus, noſtrum ſanè utcumque dici, at non tam propriè, ac id, quod à natura ſuſcepimus, valebit. Quamobrem divinæ gratiæ veſtis ſupra naturam, ex ſponſi largitione conceſſa, tunica inducta non exactè ſua in allato ſenſu à ſponſa poterit appellari, tametſi illius tunicæ verum dominium fuerit adepta. Verè quippè anima Deo grata dominium gratiæ, virtutumque nacta eſt, quemadmodum, & cæterarum rerum, puta gemmæ, vel auri dominium quis dicitur habere, ac proindè non contra juſtitiam, ſed contra liberalitatem peccat, cùm gratiam abiicit, ac negligit. At quia dominium hoc à ſponſo cælitus collatum eſt ultra meritum, ſponſa ne ſibi arroget alienam laudem, ſuum appellat dumtaxat, quod ex ſe habet, non verò, quod aliundè conquiſivit. Poſtquam autem tunicam veterem exuit, cernens, ſe mundo muliebri, candidaque nuptiarum veſte ornatam nefas eſſe putat, ea depoſita, ſordidam illam quam nativitate ſuſceperat, veſtem, reſumere, & ſponſo ipſam comenti injuriam irrogare. Propterea inquit, Tu me pulſas (ô ſponſe ſuaviſſime,) ut ibi arctiùs adſtringar, me penetrare, & cumulatiore gratia in ipſo illapſu, ſeù penetratione, velut nova chlamyde ornare cupiens, ad hoc enim flagitas, ut aperiam. Quomodo ergò reluctari potero, aut cunctari? unum erat, quod ne tibi aperirem, remorari me poterat, tunica videlicet Adæ, quæ non contegebat, ſed gravabat, ne poſſet animus ea indutus ad te quantocyus feſtinare. Erat enim terrena veſtis, & tanquam terreſtri pondere me olim deprimebat. Verùm ego tibi ſociata expoliavi me ejuſmodi tunica, & pro illa cœleſtem aliam ſortita ſum; erone igitur adeò inſipiens & ingrata, ut ad meum interitum iterum induar illa? Minimè quidem. Sed tua veſte induta, quæ ad gradiendum expeditionem confert, immò & ad volatum prodeſt ſicut pennæ, quibus volucres induuntur, & nituntur ad volandum, hac inquam veſte tua, velut pennis utar, Accurram, immò, & advolabo ad aperiendum. Hæc ſponſæ promptitudo adhuc clarius ex pedum lotione perſpicitur. Ait enim:

Tunicæ ſignificatio.

Ratiocinatio

A

B

C

D

Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

PARAPHRASIS.

Elui affectus terræ inſtar pedum hærentes. Quomodo elutos a terræ cœno iterum luto infigam, & non potius in te lapide vivo, ô ſponſe, reponam, ut ad aperiendum mundo greſſu feſtinem?

PEdes, quibus incedimus, affectus, quibus vel ſurſum ex charitate, vel deorſum ex amore terreno gradimur, exprimuntur. Anima quippè affectibus, ceù pedibus iter agit. Pedum verò terram tangentium imagine, vitæ hujus mortalis, & terræ velut adhærentis affectus ſignificantur. Eſt autem vita hæc velut argillacea terra, & glutinoſa, per quam qui graditur, pedes velut in cœno figit, unde vix eos ad incedendum extrahere valet. Et ſi demum indè illos eximit, cœno hærente, à progreſſione ii retardantur, atque torpeſcunt. Sic qui è cœnoſis locis emerſerunt, fluvium quantocyus petunt, ſeſeque ibi abluunt. Cùm verò pedes fluvio deterſere, non eos in ripæ cœno reponunt, ſed in lapide; ubi ab illuvie, ac ſordibus ſunt immunes. Sic profectò ſponſa, quæ olim peccarat, & cœnoſa per loca inceſſerat, affectuum pedes, cœno hujus vitæ ſordidæ inquinatos, divinæ gratiæ aqua ex ſponſi velut latere effluente proluit. Poſtquam verò ſic abluit pedes, in angulari lapide Jeſu Chriſto ſtatuit illos, ac per viam eo lapide conſtratam ſorde terſis affectibus incedit. Quod Pſaltes regius divinitus ſibi collatum beneficium canebat, ajens Pſalm. 39. Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos; & direxit greſſus meos. Propterea ſponſa inquit: Ablui affectus meos, olim mundi cœno ſordidos, quomodo iterum eos cœno illo inquinabo, & non potiùs iis elutis per lapideam viam, quam tu, ô ſponſe, qui & lapis, & via es, ſtraviſti, gradiar, & feſtinabo ab aperiendum? Nunc verò quid ſponſus agat, convenit explorare:

E

Pedum ſignificatio duplex.

Similitudo.

F

G

V. 4. Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen.

PARAPHRASIS.

Sponſus meus per arcanum hiantis voluntatis foramen ex aſſenſu factum, intulit auxilii ſui manum.

ANima ſponſæ ambitu divinæ cuſtodiæ ſepta eſt. Propterea non patet furibus ad illam aditus. Obſerata eſt à ſponſo, ne quis alienus ſe inſinuare poſſit. Etſi verò illam ſic obſignarit, ſibi tamen quaſi feneſtellam reliquit, per quam more amantium poſſit illabi. Sic enim amantes condicere ſolent, ut ſtatis, ac definitis temporibus, portis clauſis, per poſticum domus, vel feneſtram averſam, vel etiam foramen, aut rimam aliquam, cæteris ignotam, ipſi ſolis amantibus

H

Furtiva amantium colloquutio.

Scripta An. 1598.

tibus exploratam, conveniant, seque mutuò alloquantur, & fruantur. Hoc ergo foramen elegantissimè significat sponsæ consensum vocationi præbitum. Sicut enim renutus, ac inspirationis repulsa, quædam est voluntatis obturatio & contractio; sic è contrario assensus, quædam est affectus apertio, ac patefactio, foraminis translatione pulchrè notata. Cùm igitur voluntas per assensum patet, ac dehiscit, sponsus confestim per arcanum illud foramen manum immittit. Manu verò auxilium, opusque notatur, quod ex ipsa rei natura, quæ manum ad exercenda opera, velut instrumentum effinxit, planè conspicitur. Sponsus vocarat, ajens, Aperi mihi: sponsa libenter assensit, ajens, se veterem tunicam, qua olim onusta, aperire nequibat, exuisse, nolleque illam resumere, sed ad vocantem celerrimè festinare. Nunc (qui est divinæ vocationis, & auxiliorum ordo) per foramen voluntatis hiantis immittit manum bonorum motuum, & in charitate progressuum effectricem. Ubi cum manu, hoc est, auxilio ipsamet sponsi persona arctiùs sponsæ sociatur, & quasi per apertum foramen assensus ingreditur, gratiam cumulans, & charitatem. Ut autem liquidò eluceseat, hanc manus immissionem, esse collationem efficacis auxilii, appositissimè inquit:

A

Manus significatio.

B

Et venter meus intremuit ad tactum ejus.

PARAPHRASIS.

Et voluntatis sponsum continentis uterus, ipso per auxilium efficax tangente, commotus est, & ea motione ad charitatem provectus. Sed & ob majestatis illius præsentiam timore concussus est.

C VOluntas, quæ tanquam venter spiritalis sponsum charitate concipit (neque enim aliarum potentiarum conceptus sponsum habet, cùm sine divina gratia non possit fieri) corporati ventris similitudine aptè satis exprimitur. Ad hunc autem ventrem patuit foramen ascensus, per quem sponsus illata manu, efficacissimi auxilii tactu voluntatem commovit, quæ rectè dicitur intremuisse, hoc est; commota effecisse. Quæ fuisse commotio ex Hebraico textu declaratur, ex quo hæc verba habentur: Et viscera mea tumultuaverunt super eo. Alii vertunt: Et venter meus commotus est in ipsum. Hic autem tremor, seù tumultus motionem voluntatis efficacem adumbrat: qua illa ad charitatis incrementa permovetur. Metaphora verò petitur ex corporeo ventre qui, cùm mollis sit, ossibusque à natura non sit armatus, & fixus, quando tangitur: facilè tremit, & concutitur. Videtur etiam tremor hic innuere motum quendam summissionis, ac filialis timoris, quem excitat ob suam magnitudinem, ac majestatem sponsus, cùm in anima suæ præsentiæ motum efficit.

Interpretatio textus Hebraici.

Metaphora.

D

V. 5. Surrexi, ut aperirem Dilecto meo.

PARAPHRASIS.

E

Tactu sponsi excitata erexi me ad illius altitudinem, cupiens, non foramine tantùm, illius manum admittere, verùm & totum illum porta voluntatis prorsus aperta, intimè recipere. Non enim de quocunque modico illius admissu, sed de maximo, & penitissimo cogito.

ENimverò mira est hujus, quem Deus in progressu justitiæ observat, ordinis harmonia. Postquam enim sponsum immissa auxilii manu, voluntatem excitasse, & commovisse asseruit sponsa: Surrexi, ait, ut aperirem, quasi diceret; sponso pulsanti, & magis se insinuare cupienti liberè obtemperavi. Surgere quippè, habitus est liberè agentis. Surrexi, inquit, non certè quia jacens, sedensve quasi deses reperta fuerit; sed quia more surgentis seipsam evexit; ac si dicat, surrexi, hoc est, ad sponsi celsitudinem me altiùs, quam antea erexi. Ostium petiverat, pessulumque amovere jam tentabat; nec enim textui valde quadrat, eam adhuc tanquam in lecto decumbentem pigritari. Quomodo enim (ut metaphora ex corporatis rebus constet) sponsi extrinsecus januam pulsantis manus ad sponsæ ventrem pertigisset, nisi ea jam accurrisset ad ostium, & manum porrigeret ad fores reserandas. In hoc igitur actu aperiendi, se ait surrexisse, sponsi jam manu tactam, Sed oboritur hic quæstio. Si enim sponsus jam manum immiserat per foramen, quomodo adhuc præstolatur januæ reclusionem? Patere autem mysterium poterit si translationem perpendamus. Profectò in carceribus, aliisque interdum ædibus, in ipsis portis, quæ non passim reserari solent, fenestellæ quædam fabrili opere constructæ, cancelliisque prætextæ patent, per quas & amici colloqui; & manus nonnunquam contrectare consueverunt. Ubi certè facilè dispicimus, quo pacto alter colloquentium per cancelli foramina & manum immittere, & alterius intus existentis, seù manum, seù corpus attrectare posset. At nihilo secius, si familiariùs res agenda esset, præter hoc etiam tota illi janua deberet aperiri, ut ingressus amicus & amicum obsculari, & amplecti valeret. Ex hac ergo metaphora sensus eruendus est arcanus. Sponsus sanè cùm novum impellit ad assensum, quasi ostium voluntatis pulsat, bifariamque adimittitur. Aut altera manu quasi per portæ fenestellam, vel foramen, quæ quidem manus efficacissimè voluntatem permovet. Est enim manus Dei, sive cùm fert tactu auxilium, sive cùm percutit, potentissima, sicut novit Job, quem manus Domini tetigerat. At hoc benè habet.

Surgere habitus est agentis.

F

Quæstio.

G

Job. 19.

H

Non

Scripta An. 1593.

Non tamen usquequaquè sponso satisfacit. Licèt enim, cùm pœnam infert, se contineat, & tactu infensæ manus, ex commiseratione, contentus sit; verùm cùm beneficia confert, non manum duntaxat benignam porrigere, sed & totum semetipsum, ex bonitate, vellet sponsæ tradere, & in illius cor penetrare. Propterea hic graphicè
A pingitur ad januam, manus immissione minimè contentus, sponsam liquefacere cupiens, ut omnibus quasi animæ poris calore solutis, & apertis, per ulteriorem assensum, non qualemcunque, sed patentissimum, sponsæ copuletur, & quasi toto corpore, porta recluſa, ingrediatur. Verùm enimverò, ut porta sic sponso patefiat, manuum dexteritate, ac solertia opus est. Propterea sponsa subdit:

Manus meæ distillaverunt myrrham

PARAPHRASIS.

B *Opera mortificationis, quæ sunt manus ad veri amoris in corde latentis domum sponsa aperiendam opportunissimæ, instillaverunt quasi myrrhæ guttas, per hoc ad aperiendum aptiores effectæ, quod sunt amaritudine examinatæ. Non effuderunt myrrham, nec verò prorsus ea caruerunt, sed instillarunt, ne quid nimis.*

Manus opera significant.

VUlgatissimum est, manibus figuratè opera significari. Myrrha verò, quam sancti Patres mortificationem appellant, exprimi, ex superioribus liquet. Qui autem cupit sponso amore sincero, ac forti arctissimè sociari, & perinde voluntatis portam omnino pandere, ut tota domus illi pateat, & ne unus quidem angulus proprio reservetur amori; hoc in primis curare debet, ut
C opera quibus sponso placere studet, sint myrrhæ amaritudine delibuta, & quasi stactes guttas instillent. Nec enim is amor probari debet, qui mortificationem odit, qua, velut lydio lapide charitas examinatur. Esset enim hoc tempus antevertere, & agonis tempore luctam detrectare. Porrò, qui delicatus est miles, & amat tantum, dum à sponso voluptate mulcetur, manus cordis ostio admovere non satagit, immò formidat. Est quippè ostium illud vi illata pandendum, quia æreum est, vectibus ferreis ob peccata obseratum; manus verò molles eam vim ostio non valent inferre, quæ ad ferrea claustra perrumpenda debet imprimi. Oportet ergo eas manus exercere labore,
D & arcana myrrha delibuere, ut posita mollitie obdurescant, & voluntatis æreo muro vallatæ claustra perfringant. Enimverò peccatores cor lapideum, seu ferreum habere vulgò dicuntur, ob duritiem, manus verò molles, hoc est, mortificationi non assuetas. Justi verò è contrario cor carneum (quod Deus pro lapideo reposuit,) manus verò ferreas, hoc est, duras, laborique assuetas habere censentur. Opera nimirum illorum manibus adumbrata nihil sunt aliud, quàm perennis quædam sensus domitura, ex quo patet, quàm facilè hisce manibus cordis porta recludatur. Si enim duris manibus ferrea peccatorum corda sponso pandi possunt; quantò pandentur faciliùs corda justorum carnea? Quantam ergo empasin hæc sponsæ cor carneum habentis verba habent? Manus meæ distillaverunt myrrham. Profectò (qui mos justorum est) nihilo segniùs semetipsam exercet ad sponsum hospitio excipiendum, quàm si sceleribus esset onusta, & cor ferreum gestaret, cujus repagula essent violenter effringenda. Ait ergo: Cùm nossem ego, opera sensui adversa ad januam voluntatis aperiendam esse opportunissima (qua enim re clariùs voluntatis sponso aperitur affectus?) curavi, ut opera mea myrrhæ mortificatione condirem, & hisce tanquam duratis manibus tibi (ô sponse) cordis mei secreta patefacerem. Per hoc autem, quod
F manus non unctas modò, verùm & myrrham liquidam stillantes sponsa porrigit, mortificationis prodit modum temperatum, viris charitate provectis familiarissimum: Ne quid nimis. Nec enim commendari debet nimia corporis afflictio, qua fit ineptum ad contemplationem, & divinæ charitatis functiones. Nec verò à mortificatione desistendum prorsus est. Quod eleganter distillandi verbo innuitur. Nam cùm nubes instillant vel rorem, vel cessantis pluviæ guttas; Similitudo; nec omnino deest aqua, nec tamen est pluvia, sed instillatio medium, modumque sortita. Satis profectò videri posset manus myrrhæ unctione durasse, ne ulteriùs de unctione digitorum esset agendum; quis enim manus obungit, vel eluit, qui simul digitos non ungat, & abluat? Verùm consultò Spiritus Sanctus digitorum meminit ad mysticum sensum propalandum.
G

Et digiti mei pleni myrrha probatissima.

PARAPHRASIS.

Et discretionis virtus digitis distinctis ostensa mortificatione quasi maduit, non qualicunque, sed studio Deo placendi exercita; ac ab eo proindè probata.

PRofectò si manus opificium expendamus, comperiemus volam rude quiddam & indiscretum videri, si cum digitorum discretione conferatur, in quibus & motuum distinctio, & applicatio est valdè mira. Ex quo fit, ut ea manus deformis sit, quæ
H vel omnes, vel aliquot digitos habet compactos, vel stupentes, aut exanimes. Innuit ergo Spiritus Sanctus his quæ proximè commemoravimus, mortificationis operibus laudem minimè impendendam, quæ discretione carent. Quod sanè mysterium Septuaginta Interpretes nosse videntur, qui sic ver-

Peccatorum, Justorumque figurata differentia.

LXX. Interpp.

Scripta An. 1598.

terunt : Digiti mei myrrha pleni ſuper manus: quaſi notantes, digitos ipſos ſuper manus poni debere, ut volam, quæ tanquam rudis maſſa carnis eſt, ſua diſcreptione diſtinguant, & arcanæ myrrhæ uſum in operibus doceant.

Altera Textus explicatio.

Non manus vola indiſcreta utendum, ſed tempora diſcriminanda, & ingenia, atque negotia; & quaſi quadam digitorum diſtinctione ad remedium, non ad interitum myrrha iſta veſci debemus. Et expenſis perſonarum, ac culparum gradibus, potus hic amarulentus hauriendus eſt. Debet etiam myrrha hæc, qua digiti pleni ſunt, eſſe non adulterata, ſed probata, immò, & probatiſſima. Enimverò caſtitas fatuarum virginum non ſine anxietate, ac myrrhæ amaritudine ſervari potuit, ſenſu perpetim reluctante, ac reſiliente, at & digitorum diſcreptione caruit, & probata non fuit. Debuit enim ſincero Deo placendi ſtudio ab hypocritarum, ea opera ob humanam laudem exercentium, ſimulatione, & ficta ſanctitatis ſpecie ſecerni, & quia ſecreta non eſt, ideò nec probata. Humanam quidam laudem aucupatæ ſunt, & ſemetipſas eo myrrhæ genere imbutas apud ſeipſas commendarunt. At ut Scriptura tradit, non ille probatus eſt; qui ſeipſum commendat, ſed quem Deus commendat. Non ergo tantum fatuarum virginum myrrha probata non fuit, ſed nec proba, Quin verò fuit reproba, quemadmodum & ipſæ virgines, quæ à ſponſo repulſæ ſunt. Hinc planè efficitur, hanc mundi ſollicitudinem, qua elati, & avari, cæterique id genus homines ſua opera imbuunt, quando ſatagentes & anxii, & honores, & divitias incredibili labore conquirunt, eſſe quidem myrrham, qua vola manus delibuta eſt; at non perlabitur ad digitos, & quod funeſtiùs accidit, eſt myrrha reproba, ſicut & ipſi reprobi ſunt, & à ſponſi nuptiis tandem arcendi. Manus igitur & digitor myrrh. probatiſſima delibutos portæ admovit ſponſa; ut tota ſponſo voluntas pateret. Quod ſic enunciat:

A

B

2. Cor. 10. 18.

Matt. 10.

C

℣. 6. Peſſulum oſtii mei aperui Dilecto meo.

PARAPHRASIS.

Carnem voluntatis meæ portam (ne tota pandatur) retardantem, manibus myrrhæ mortificatione peruncti, tanquam repagulum, ſeu peſſulum amovi, & ſic aperui ſponſo meo.

D

Peſſuli ſignificatio, & Oſtii:

PEſſulus, qui oſtium claudit, carnem, qua voluntas naturæ compatiens afficitur, & ne prorſus ſponſo tota pateat, retardatur, in iis etiam, qui charitate provecti ſunt, ſignificat. Oſtii verò nomen voluntas hîc ſuo jure ſibi vendicat antonomaſticè, cum enim plura ſint oſtia animæ, unum hoc ſponſus affectat, & pulſat, cæterorum velut oblitus. Hoc quippè unum ſi oppiletur, neceſſe eſt, ille recedat. Si autem officium peſſuli ſpectemus, id agit, dum portas, ne quis ingrediatur, obſirmat, quod carnis efficit amor, ſeù affectus, qui intra voluntatem obrepſit, dum divinis opponitur impulſibus. A peſſulo verò hoc etiam egregii certatores quamdiù carnis pondus geſtant, omnino eſſe nequeunt immunes; ſemper enim in agone, ac palæſtra luctantur. Et hæc eximia illorum laus eſt, ut cùm, quantumvis proficiant, de peſſulo carnis amovendo ſemper cogitandum ſit, ut voluntas magis indies, ac magis ſponſo pateſiat, non propterea ſuccumbant oneri, ſed ſine interniſſione reſiſtant. Hîc verò, ſeù vectis ſeù peſſulus, non aliis manibus, aut aliis digitis, quam myrrha perfuſus, hoc eſt non aliis, quàm mortificationis operibus eſt avertendus, ut cæſa, & edomita carne, quæ voluntatem ad ſua vota pellicit, voluntas purgatæ mentis ſecuta ducatum, ſponſo tota dehiſcat. Quod ſe præſtitiſſe ſponſa fatetur, cùm ait ſe peſſulum amoviſſe, ac aperuiſſe Dilecto. Verùm admiratione dignum eſt, quod ſequitur.

E

F

At ille declinaverat, atque tranſierat.

PARAPHRASIS.

At ille ſuæ præſentiæ ſenſum mihi ſubtraxit, aut negavit, & ſe digredi, ac tranſire, licèt adeſſet, ſimulavit. Declinavit autem, utpotè confeſtim rediturus.

SOllicitè pulſarat, & ingreſſum expetiverat, & nunc, quando illi patet aditus, præter ſpem ſe proripit, nunc inquam, cùm ne ſuſpicio quidem fugæ poterat oboriri. Sponſa quippè ſeipſam exercuit, & ut illum digno exciperet hoſpitio, ſenſui proprio non indulſit; & tamen deluſa videtur. At verò, qui divini callet artem amoris minimè mirabitur. Evenire quippè ſolet viris provectis hæc derelictio, quæ ad excelſi animi perſeverantiam, & coſtantiam experiendam ſit a ſponsò conſultò. Cernere paſſim licet viros charitate inſignes, qui quò ſollicitiùs Deum quærunt, & ſe oratione magis, ac inedia torquent, per plures non dies tantum, verum & menſes, & annos, eò longiùs videntur à Deo repulſi. Cujus profectò dogmatis non fuit ignarus regius Pſaltes, qui plerumque ſponſum anxiè orans, ſe derelictum animadvertens, amanter conquerebatur, ut videre licet, ſi Pſalmi duodecimi querimonias expendamus, & alias id genus tum in eo, tum in aliis vatibus, quæ quò longiores ſunt, eò majore poſtmodum Dei voluptate compenſantur. Qua in re duo præ oculis habenda ſunt, quæ interdum juſtis venire ſolent, acceſſio nempè, quam properentur, charitatis, & internus præſentiæ ſponſi ſenſus Charitatis autem acceſſio ſanc-

G

Ariditas in creatione.

H

Animadverſio.

ti-

Scripta An. 1598.

A

B

C

D

E

F

G

H

ctitatem perficit, non ita ſenſus ille, tametſi charitatem comitari ſoleat. Quotieſcumquè igitur anima ſeipſam exercet, & affectibus tota ſponſo patere curat, actus (ut ſchola loquitur) eliciens meritorios, charitatis, cæterarumque virtutum nova lucra comparat, ac proindè ſanctior fit; verùm non ſemper ſponſi, arctiùs ſibi in iis incrementis ſociati, præſentiam ſentit, ac voluptatem. Quod divina efficit ſapientia, ut non animo efferatur ſponſa, ſed humilia de ſe cogitet, & tutiùs ignotam ſervet ſanctitatem. Hæc ergò præſentiæ ſponſi abſconſio, digreſſio, ſeù declinatio, tranſituſque appellatur, cujus ergò ſponſa nunc areſcit, miro modo complexa illum, quem putat abeſſe. Expendenda eſt loquendi ratio. Non enim ſponſa inquit: At ille exceſſerat, vel abierat: Sed, declinaverat, (vel, ut ex Hebræo verti poteſt, Circuierat) atque tranſierat. Profectò qui à via declinat, vel digreditur, non omninò recedit, ſed, tantillum ſe ſubtrahit, mox regreſſurus. Qua ſanè metaphora elucet, quanam ratione ſuam viris Sanctis Deus præſentiam ſubducat; non enim eam ſubtrahit, ut prorſus abſit, ſed ut citò rediturus, & jucundiora gaudia, poſt digreſſum, allaturus. Brevis nimirum (etſi per annos aliquot producatur) abſentiæ mora eſt, quando nec ſeriò recedit, nec verè abeſt, & quando expedit, à diverticulo reverſus miris incrementis auget voluptatem. Verbum verò, circuierat, quod ex Hebraico redditur; clariùs monſtrat quonam pacto ſponſus ægrè digrediatur, & quaſi recedere neſciens ſponſam ipſam ambiat, & circumeat, quaſi qui in loco quopiam opus habet ineptum, & perficere illud cupit, vix indè divelli poteſt, donec abſolvat, & ſi fortè interdum indè tantillum abeſſe oporteat, ac illacque excurrit, & circuit, quaſi non prorſus abire decernens. Rectè igitur, nec ſine emphaſi ſponſa inquit: At ille ſui mihi ſenſum, guſtumve negans, ſe recedere ſimulavit. Verùm non abiit ille, ſed declinavit, ac digreſſus eſt: citò enim illum è diverticulo reducet amor. Sed ſponſam ulteriùs gementem audiamus:

Textus Hebraicus.

Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus locutus eſt.

PARAPHRASIS.

Quando ſponſus pulſans me alloquutus eſt, ipſius igne concepto liquata ſum. Anima quippè, velut ſpiritalibus poris ſolutis illi tota patuit.

EX his verbis effici videtur, ſponſam ſtrenuè ſe geſſiſſe, cùm à ſponſo vocabatur, & tunicam ſe exuiſſe, ac laviſſe pedes ajebat: non enim torpor obrepſit, aut illam deſidia retardavit, ut pluribus placet Patribus, & cernere licet in Gregorio Nyſſeno, Pſello, Ricardo. Hæc igitur verba illuc referenda ſunt, ut eorum ſenſum venari queamus. Sane cùm ſponſa animadvertat, ſe jejunam eſſe derelictam, & Dei ſenſu carentem areſcere, excutit ſemetipſam, ne fortè ſponſum laceſſiverit injuria, etſi verè non deliquerit. Hîc autem mos timorati animi eſt, ut cùm, vitam ducens innoxiam experitur, ſe velut à Deo projectum, & aridum, mores & actus ſuos mente repetat, identidemque verſet; ne fortè quid peccarit, quod ſit expiandum, tametſi plerumquè nihil deprehendat in ſe turpe, ſed omnia honeſta, & Deo undecunquè grata. Aſpicatur ergo ſponſa ſui examen, & in hunc modum eloqui putanda eſt: Sponſus impulit me & ad grandiora vocavit. Ego tunc nihil cauſata ſum, quò nimiùs fores recluderem. Et ut eam functionem expeditiùs obirem, manus, ac digitos myrrha perunxi, peſſulumque retraxi. Quid ergo ultrà facere debui? An cunctata ſum, & torpui, cùm vocarer? Minimè quidem. Immò verò, cùm primùm ſponſus me pulſans ad ulteriora vocavit, & amanter locutus eſt, anima mea ea voce trajecta incaluit, ac divino calore concepto liquefacta eſt, ut illum poris ſpiritalibus patentibus haurirem. Porrò frigore corpus conſtringitur & conſtipatur, calore reſolvitur, porique patefiunt. Sic anima hyemali culpæ rigore premitur, ac contrahitur, divino verò charitatis calore rareſcit, totaque velut poris apertis illa dehiſcit, ut ſponſum tanquam quædam ſpongia concipiat. Hoc ergò myſterium ſponſa innuit, cùm ad ſponſi vocem ſe commemorat fuiſſe liquefactam. Si verò utamur verſione Septuaginta Interpretum ajentium, (Anima mea exivit in ſermone ejus) perſpiciemus affectum ſponſæ ardentiſſimum, ſiquidem rarefacto velut corpore notat animam exiiſſe, quaſi voce ſponſi attractam. Talem quippè ineſſe vim verbis ſponſi æquum eſt putare, qualem verbis Amphionis poeta tribuit ajens:

Senſus Patrum.

Sponſæ adlocutio.

LXX. Interpp.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda,
Ducere quò vellet.

Horat. de Ar. Poet. v. 394.

Qua in re nihil apparet turpe, quod ſponſo recedenti diſplicere potuerit. Sed incredibili ſedulitate ſponſum inveſtigavit ſponſa, ut officio minimè deeſſet. Sic enim ait:

Quæſivi, & non inveni illum. Vocavi, & non reſpondit mihi.

PARAPHRASIS.

Mortificationis actibus inveſtigavi illum. Precibus vocavi, & gemitibus inflectere ſtudui. Sed non affuit.

CUM ſponſus pulſabat, ille quærebat me. Et ut amori vicem rependerem, ego con-

Scripta An. 1598.

constitui pulsare, ac inquirere illum, quando celavit, & subduxit se. Operum exercitatione sine voluptatis sensu, & myrrhæ amaritudine condita, quæsivi illum, ut manus, ac digiti stacten instillantes docent, at non inveni. Vocavi, precibus, ac gemitibus eum flectere, ac exorare studens, at ille tacuit. Opera vitæ actuosæ multa cum navitate sponsa exercuit, & contemplationis orbata suavitate, ut columba, gemitum pro cantu edens, meditata est, & vocavit. Quæ quidem omnia ex bono, ac honesto ducta videntur. Verùm enim sponsus, qui eam, quam videtur repudiasse, nobilissimis sui matrimonii vult amplificare prærogativis; ut fiat illustrior probata fide, non ipse tantùm illam, & repulsa, & ariditate cædit, sed & ab aliis cædi, ac divexari permittit. Sicut enim quidam cecinit:

A Opera vitæ activæ.

Ovid. Trist. l. 1. Eleg. 4.

Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est aspicienda fides.

Propterea Doctorum, apud quos malè audit, illam tradit examini, quod illa sic fatetur:

B

℣. 7. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem.
Percusserunt me: & vulneraverunt me.
Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

PARAPHRASIS.

C *Qui Pastorum, ac Doctorum similitudine, non proprietate se jactant, cernentes me à sponso repulsam, ut olim amici Job, me peccasse censuerunt, ac proindè gladio linguæ percusserunt, & conviciis sauciarunt me. Protectionis pallium verè meum, hoc est, mihi debitum, dum non impenderunt, certè abstulêre mihi.*

Munus præsulum & doctorum,

PRæsulum, atque Doctorum munus est non id solùm, ut tanquam in specula stent excubias agentes, externorum hostium insidias exploraturi: ac proindè non tantùm pinguntur, ut murorum custodes: verùm etiam illis injunctum est, ut interdum obeant urbem, in ejusque vicos, & angulos se insinuent; quò animos eorum, qui intrà privatos parietes delitescunt, nec in publicum prodire audent, egestate, vel pudore compulsi, expergefaciant ad virtutem sectandam & in divinæ charitatis officia toto pectore incumbendum. Verumtamen accidit nonnunquam, ut qui præsulum nomine censentur, officii similitudine, non veritate constent, ac propterea, si externas spectemus functiones, similitudinem quandam, inanem tamen pastorum agnoscemus. Circumeunt urbem, cui Deus illos præfecit, domos scrutatur singulas, privatorum hominum vitæ periculum faciunt; non tamen, ut imbecilles stabiliant, & fortes ad magis ardua exhortentur, sed ut omne veræ sanctitatis vestigium expungant, & ædificia Christo architecto constructa funditùs evertant. Et (quod nefarium est) si quam animam divinæ charitatis dotibus opulentam, divinis interdum consolationibus recreatam offendunt, immensam Dei erga homines dignationem ignorantes, illam quasi phrenitide correptam execrantur, ac delusam asseverat. Figmenta vocant mira Dei consilia, & quod ipsi sua culpa non experiuntur, ægrè inducuntur ut credant. Cùm igitur expertes consilii animam perfectiorem, qualem hîc Spiritus Sanctus depinxit, delusam esse sibi persuadeant, obsequium se præstare Deo putantes, illam acriter carpunt, linguaque percutiunt, & vulnerant, & protectionis pallii hieroglyphico notatæ operimentum negant, quod impendere debuissent. Ait ergò sponsa: Custodes, quos sponsus præfecit Ecclesiæ, quæ ædificatur, ut civitas, sui officii immemores, & ignari, demirati, quæ mihi ex divino consilio contigerunt, non callentes amoris mæandros, me delusam censuerunt. Et me à sponso cæsam cernentes, ut olim amici Job peccatum mihi imputarunt, ac si Deus non inferret pœnam nisi sceleratis. Sic tanquam Dei causam propugnantes, me conviciis prosciderunt, telisque linguarum sauciarunt me. Et qui me solatio nudam, & velut implumem operire debuissent, solatii mei, hoc est, mihi ab illis debiti pallium pernegarunt. Hic non est obruendum silentio, quàm dirè sponsa (cui similes nonnullas nostra novit ætas) torqueatur. Hic est lapis Lydius, quo Deus charitatis aurum experitur. Sponsa quidem Doctoribus sibi à Deo prælatis credere cupit, at verò adeò perspicua lux interna est, quæ illam non malè agere persuadet, ut ambigendum illi non sit, an tutò sua res agatur. Quid ergo consilii in hoc sententiarum pugnantium duello capiet? Spernet ne Deum intus illam erudientem? non valet. Contemnet præsules eam deceptam arbitrantes? nefas esse videtur, quia Dei munere funguntur. Cónqueretur se maledictis hominum velut à Deo repudiatam diverberari, & tanquam præceptis prælatorum rebellem censeri? Scandalum generabit, præterquam quòd iis querimoniis patientiæ virtus nunc ad charitatis examen apprimè necessaria labefactari videtur. Nimirum sponsa anxio sudat in agone, & à Doctoribus exposa, aliud si fortè inveniat, quærit asylum. Propterea ad animas contemplationi vacantes, qui amandi artem probè norunt, conversa dicit:

D E F G H

Sponsæ adlocutio.

℣. 8. Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum, ut nuncietis ei, quia amore languco.

PARA-

Scripta An. 1593.

PARAPHRASIS.

Obtestor vos per Deum, ô animæ contemplationis gnaræ, si quando sponsum in contemplatione præsentem senseritis, ut suggeratis ei, me ob illius absentiam deficere. Nihil aliud dicatis, quia ille amat me.

A

FAmiliare est iis, qui proximè descripta anxietate torquentur, precari omnes, & eos maximè, quos sciunt virtute præstantes, ut Deum exorare contendant, & ad sua vota convertere. Acris enim nimiùm pœna est, quam patiuntur & à Deo, & ab hominibus cæsi. Sic sponsa introducitur, deprecans Hierusalem filias, hoc est, animas, quæ sponsi visionis ænigmaticæ juxtà exilii legem pace interdum fruuntur, ut quando eis redierit hæc sponsi consuetudo, & in contemplatione familiaritas, suggerant illi, ut jam cesset aversio, & in suavissimum sponsæ revertatur amplexum. Ubi notanda est impensè concisa loquendi ratio. Non enim dicit, Obtestor vos filiæ Hierusalem, si Dilectum alloquutæ fueritis, nuncietis ei, ut ad me solandam ocyus revertatur, langueo enim propter illum. Sed ait dumtaxat, ut nuncietis ei, quia amore langueo; sicut olim, dum inter nos sponsus versabatur, cùm ægrotaret Lazarus, nunciatum illi est ab sororibus, quæ amoris norant ingenium, Lazarum infirmari, sicut scriptum est: Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Nec enim opus erat monere illum, quid facto opus esset, cùm amaret. Sic ergo sponsa loqui existimanda est: Obtestor vos animæ sponsi familiares, ut, cùm eum præsentem senseritis, dicatis ei, me illius amore languere, ac deficere, nec ultrà quicquam dicatis: hoc quippè amanti satis est. Hujus autem nuncii energia clariùs elucet ex verbis, quæ ex Hebræo vertuntur. Sic enim sponsa inquit, Si inveneritis Dilectum meum, quid indicabitis ei? quod sub interrogatione legendum est. Postmodum adiungit, Quia ægra amore ego. Ac si diceret: Filiæ Hierusalem si sponsum conveneritis, quid putatis me velle à vobis illi indicari? Hoc tantùm: Quia ægra amore ego. Hîc quæ ad languorem, & adjurationem spectant, ex superioribus petantur. Intereà verò animadvertendum est hoc ardentissimum desiderium, sponsum præsentem eximia cum voluptate sentiendi, non esse à provecta charitate alienum. Quamvis enim consolationis ergò Dei præsentiam expetere, videatur animi parum perfecti index; illam tamen ideò exoptare, quia luculentiorem Dei parit notitiam, & voluntatem novis charitatis augmentis inflammato tunc affectu cumulat, & voluptatem denique illam ob charitatis finem affectare, perfectionis argumentum est, præterquam quòd ipsa philosophica ratio id desiderium honestum, immò & quasi necessarium esse persuadet. Est enim nativum amori, & unionem, & præsentiam rei amatæ cupere, quod passim experimur. Nunc verò, ut sequentis periodi connexio percipiatur,

Filiæ Hierusalem animæ sponsi familiares.

B

Joann. 11. 3.

Hebraicus Textus.

C

Animadversio.

D

Amantium, & amoris indoles.

meminisse oportet (quod frequenter accidit) eos, qui verè amant, de illa, quam affectant, rei dilectæ pulcritudine adeò crebrò & cogitare & loqui, ut de nulla re alia, nisi ægrè verba faciant. Et cùm ex eventu quopiam repulsam patiuntur, non propterea tepescere, sed cùm frui non sinantur, loqui saltem, ac cogitare non cessant. Quamobrem qui eos languentes recreare cupit, nihil præstare potest opportuniùs, quàm cum iis de illis, quos amant, miscere sermonem. Quam ob causam cùm sponsa animas contemplationis gnaras consolationis gratia adiisset, illæ vexatam, & anxiam eam conspicatæ, de sponso verba facere incipiunt; & ut sermo sit jucundior, quadam insinuatione utuntur non ipsæ auspicantes, sed ut sponsa auspicetur interrogantes.

E

FILIÆ HIERUSALEM.

℣. 6. Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto quia sic adjurasti nos?

F

PARAPHRASIS.

Qualis (hoc est) quàm magnus, bonus, facilis est sponsus dilectus ex dilecto suo æterno patre natus, quia tam graviter ejus freta magnitudine, adjuratione per illum obligare voluisti nos.

ROgant de sponso, non quòd ignorent, sed quòd hac insinuatione se ignaras simulantes, sponsam ad miras Dei laudes incendunt, ob quas illa ad sponsum pervestigandum fit aptior, & Deus ipse illius flexus affectibus sit sua bonitate vicinior. Interrogant igitur, O mulierum pulcherrima, hoc est, ô inter animas, quæ Deum concepere, speciosissima, qualis est sponsus tuus dilectus ex dilecto suo æterno Patre natus? Qualis est, hoc est, quàm magnus, quàm pulcher, quàm humanus, quàm facilis? Oportet sanè illum esse suis numeris absolutum, & omninò perfectum, & magna veneratione colendum, siquidem ejus magnitudine freta sic adjurasti nos, tanquam volens per illum nos obstringere, & nos illi obtemperare debere ipsa adjuratione demonstrasti. Alii significantiùs vertunt: Quid insigne habet tuus dilectus præ aliis dilectis, quòd tanta gravitate nos obtestaris? Juxta quam versionem non innuitur æterna verbi generatio, sed cum aliis generatim confertur, qua interrogationis forma filiæ Hierusalem minus se callere sponsum indicant: Et energiam auget, quod ajunt, Quòd tanta gravitate nos obtestaris, quo innuunt se credere sponsam jactare se de sponsi magnitudine. Cupimus ex ore tuo ejus dotes audire, jucundum enim est, & ad dolores leniendos opportunum eas commemorare. Nunc sponsa velut in tabula

Filiarum Jerusalem adlocutio.

G

Alia textus explicatio.

H

Scripta An. 1598.

umbris & coloribus varias ſponſi dotes depingit, & inter enconia æſtuat, ſponſumque more magnetis attrahit.

SPONSA.

℣. 10. Dilectus meus candidus,
A & rubicundus.

PARAPHRASIS.

Sponſus meus candor eſt lucis æternæ, & æterno rubet, ac flagrat amore, quà Deus. Quà homo candet ob puritatem, rubet ob noſtram conſanguinitatem. Denique eſt Deus incarnatus.

SImularunt filiæ Hieruſalem ſe neſcire. At ſivè ſeriò, ſivè joco id fiat, motum admirationis in ſponſæ animo excitat. Mirum enim illi videtur, quempiam de ſponſi pulchritudine quippiam ſciſcitari, cùm ſole aſpectabili, quem univerſi norunt, ſit ille
B clarior, & nullus ſit, qui ſe abſcondat à calore ejus. Reſpondet igitur, laudes illius libenter evulgans: Dilectus meus Deus & homo eſt, bifariam candidus & rubicundus.

Dilectus Deus, & homo eſt. *Sap. 7. 26.*

Candidus eſt, quà Deus; eſt enim candor lucis æternæ, ſplendorque paternæ gloriæ. Rubicundus eſt ob æternum ſui amoris, quo flagravit, incendium, quamobrem jure toties Patribus antiquis ignea apparuit ſub imagine. Eſt etiam candidus, quà homo propter puriſſimam, omnique culpæ nigredine prorſus immunem naturam, quam aſſumpſit. Eſt autem rubicundus ob ſanguinis concretionem, ex qua ejus caro compacta eſt, ita ut in aſſumpta natura rubor (ut more philoſophico ſermo fiat) materiam, candor verò formam idonea diſcretione declaret. Forma verò puritatis nive candidioris, quæ naturam illam nobis conſanguineam, noſtroque conſortio
C rubentem obtexit, ea fuit, cui æqualis nulla unquam ſub Deo vel nituit, vel nitebit. Poteſt etiam eſſe in ſermone diſcretio, ut candidus, quà Deus tantùm, rubicundus verò, quà homo aſſeratur, ita ut innuatur hominis cum Deo conjunctio, & quæ à ſanctis Patribus appellatur Incarnatio. Porrò

Conjunctio hominis cum Deo, incarnatio appellatur.

color incarnatus Hiſpanis dicitur color ex candido, & rubro permiſtus; quapropter juxta Hiſpani idiomatis dialectum, ſeù proprietatem arcanè, & eleganter ſponſa reſpondet ex colore myſterium indicans. Tantundem quippè agit, cùm ait, dilectus meus candidus & rubicundus, ac ſi diceret, Dilectus meus, Deus incarnatus. Sequitur autem.

D Electus ex millibus.

PARAPHRASIS.

Natura, non munere, univerſis creaturis melior eſt.

ELectum quempiam bifariam poſſumus intelligere, gratia videlicet, aut natura. Gratia ſeù munere quoſdam ſelegit Deus, & in ſuum quaſi peculium cooptavit. Alios verò electos vulgò nuncupare ſolemus, quos natura nobilitate, pulchritudine, viribuſve præ aliis inſignivit; Et hoc planè modo ſponſus eſt electus ex millibus. Cùm enim ſit filius Dei non adoptivus, ſed naturalis, naturaque ipſa ſine rapina, aut munere ſit æqualis Deo, nobilitate, pulchritudine, cæteriſque bonis, efficitur omninò, ipſum natura ſua univerſis creaturarum millibus eſſe præſtantiorem, & in eo ſenſu ex millibus electum. Ex Hebraico aliqui ſic vertunt (Vexillatus à decem millibus); alii verò ſic (ſub ſignis habens exercitum decem millium;) qua ſermonis forma functio, quam habet, exercetque in Eccleſia, ſignatur. Eſt enim Dux, ac Princeps militiæ Chriſtianæ quem vexillum crucis tenentem decem myriades hoc eſt, univerſi juſti denario, ac millenario numero propter perfectionem ſignificati invicta fortitudine ſequuntur. Poſſumus etiam in prima electi ſignificatione ſponſum, qua homo eſt electum appellare ex millibus. Cum enim carnem noſtram, quæ ex naturali conſtitutione albet, ac rubet, aſſumpſerit, ratione carnis candidus, ac rubicundus appellatur. At quia, ea caro ſupra univerſorum hominum naturalem originem non Adæ ſeminis propagatione, ſed ex puriſſimo Virginis Mariæ ſanguine concreta, & de Spiritu Sancto concepta eſt, jure optimo in aſſumpta carne dicitur electus ex millibus. Hoc de ſponſi præſtantia generatim aſſertum eſt, nunc verò per partes expendenda eſt ejus perfectio, & a capite auſpicandum.

Electio gratia aut natura.

E

Filius Dei electus naturalis.

Textus Hebraicus.

F

℣. 11. Caput ejus aurum optimum.

PARAPHRASIS.

Divina hypoſtaſis aſſumptæ à ſponſo naturæ, ut caput corpori præſidens, motumque divinum impertiens, eſt aurum, quia regiam habet majeſtatem auro notatam. Eſt aurum optimum, ſeù obrizum, hoc eſt, omni miſtura carens, licet enim hypoſtaſis verbi naturæ humanæ intimè unita ſit, non tamen ullo modo permiſta.

G

CAput Chriſti Deus. Sanè ſi myſterii incarnationis ſtructuram perpendamus, perſpiciemus apertè divinam Verbi hypoſtaſim naturæ illius aſſumptæ, partibus velut membris caput præſidere. Quod quidem caput divinum quendam motum, & vim meriti, ac ſatisfactionis partibus illis impertit & auguſtiſſimæ dignitatis cœlo altioris in eas evergit influxum. Hoc verò caput ob regiam majeſtatem auri ſymbolo planiſſimè ſignificatur. Quod luculentius fiet, ſi auri proprietatem per adjunctum optimum indi-

Divina hypoſtaſis.

H

Auri proprietas.

ca-

Scripta An. 1593.

catam exploremus. Porrò pro auro optimo Septuaginta ſenes (aurum Cephaz) habent quod nomen Hebraicum conſultò reliquiſſe Gregorius Nyſſenus putat, quod non reperirent in lingua Græca vocabulum, quo emphaſis Hebraici nominis exprimi poſſet. Nonnulli tamen ex Hebraico vertunt, aurum obrizum. Eſt autem obrizum puriſſimum aurum omni miſtura carens. Qua profectò ſignificatione magis claret allata interpretatio. Enimverò hypoſtaſis ſponſi; etſi intimè ſociata & unita eſt humanæ naturæ, non tamen eſt illi permiſta, nec enim ullo pacto creaturæ permiſceri poteſt. Miſtio nimirum juxta ſinceram philoſophiam, ea, quæ miſcentur, confundit, quæ deinceps indiſcreta manent, vel certè alterum ab altero potentiore vincitur; & in ipſius naturam convertitur, ut videre licet, ſi aliquot aquæ guttæ vini generoſi calici miſceantur. Neutrum autem horum de Incarnationis myſterio ſuſpicari fas eſt, nec enim hypoſtaſis divina cum aſſumpta natura confuſa eſt, nec aſſumptam naturam in ſe convertit ipſam, ſed exactiſſimè perſeveravit in unione diſtinctio. Rectè igitur ſponſa inquit, caput ejus aurum optimum obrizum, hoc eſt, omni prorſus miſtura immune. Modò verò de capillis laudem apponit.

LXX. Interpp.

Obrizum aurum purum.

A

B

Comæ ejus ſicut elatæ palmarum.

PARAPHRASIS.

Scientiæ à capite hypoſtaſis divinæ in intellectum ſponſi infuſæ, & actus ſuos ad noſtram ſalutem producentes, ſunt perſimiles folliculis, ſeu loculis ex radice per caudicem palmæ naſcentibus, & cùm dehiſcunt, flores ſuos emittentibus.

C

COmas ſeù capillos à capite ortos, ſcientias ex vi unionis hypoſtaticæ emanantes, & ex eis cogitatus erga ſalutem generis humani à divina hypoſtaſi enaſcentes, & per naturam aſſumptam, velut per corpus illius capitis effuſos, intelligere idoneum eſt. Elate verò ſicut Pentecoſte inflectitur, à qua plurali numero Elatæ in editione noſtra leguntur. Elaten verò alii abietem, alii palmam, alii ſpathen appellant, alii palmarum ramos elatiores credunt, alii fructus palmarum maſcularum, ita ut ſit in hujus nominis interpretatione mira varietas. Poſito nunc, nomen hoc licèt Latinè inflexum, eſſe tamen ipſum origine Græcum, quod ſingulari numero elate dicitur, attexenda modò ſunt, quæ ex probatis authoribus de plantarum hiſtoria ſcribentibus huc ſpectantia excerpſimus. Naſcitur inter primos ferè palmæ ramos ex ipſo caudice procero, recto, terete corticoſus loculus duarum ſpithamarum, hoc eſt, viginti quatuor digitorum longitudine ad latioris cujuſdam gladii formam, quem palmam totius arboris nomine & elaten, & ſpathen appellari ſenſit Dioſcorides. Ex elate verò ipſa dehiſcente, ac in longum ſeſe pandente flores erumpunt numeroſi, tenuibus villis appenſi, inſtar magni racemi coacervati. Ex his floribus enaſcuntur dactyli, fructus videlicet illi teretes oblongi, nucleo intus duriſſimo oblongo & canaliculato. Sic elaten palmarum juxta noſtram editionem propriè, quæ ex ipſa palmarum natura ſit, non verò arborem aliam exoticam & peregrinam metaphoricè elaten palmarum appellatam; ut aliqui putarunt, interpretari congruentiùs eſt. Nunc verò ſimilitudo comarum, ſeù cogitationum ſponſi ad elaten expendi debet. Porrò quod homini eſt caput, id eſt arbori radix & ſicut à capite hominis deorſum tenditur collum & corpus, ad quæ perlabitur capitis influxus, ita ordine inverſo (eſt enim homo inverſa arbor) à capite, ſeù radice arboris vitalis ille humor per caudicem & ramorum ambitum ſurſum quaſi per collum, corpuſque proſerpit. Non ergò ſitus ordo, ſed proprietas partium mutuò collatarum, quando homo arbori confertur, debet explorari. Sic igitur ſponſus, cui palmæ egregiè quadrat ſimilitudo, hypoſtaſin divinam velut palmæ caput, ſeù radicem habet. Ex hoc verò capite porrigitur humana natura caudice procero, recto, teretique plamæ ſignata. Ex hoc caudice longo, ac recto unionis hypoſtaticæ vi, velut enaſcuntur plurium ſcientiarum, putà beatæ, ac infuſæ habitus à capite orti, quorum ſinguli cum elate miram gerunt ſimilitudinem. Sicut enim ex elate, qui eſt ille corticoſus loculus ſeſe pandens, tanquam partu quodam numeroſi flores erumpunt, ſic ex habitu ſcientiæ multiplicis, in intellectu ſponſi conceptæ, ac velut ad partum dehiſcentis, erumpunt numeroſi actuum, & cogitatuum flores, quos omnes ad noſtram videre licet ſalutem intentos, qui in fructus concreſcere dicuntur, quando patrata illis cogitatibus ſalus, ac à nobis ſpontè recepta, in animo noſtro coaleſcit. Sunt ergo ſcientiæ in intellectum ſponſi ab hypoſtaſi divina, ceù capite, capillorum more fluentes, & cogitationes, vel actus ſuos ob noſtram ſalutem edentes, perſimiles loculis è palmæ caudice naſcentibus, & flores emittentibus. Habemus ex his comarum, & elates ſimilitudinem. Palmæ verò cum ſponſo ſimilitudo conſtat, ſi illius libremus ingenium. Nunquam enim palma cedit oneri, ſed ſemper in altum nititur, ac pondus attollit impoſitum. Sic verè ſponſus graviſſimum peccatorum pondus illi impoſitum non excutiens, nec verò oneri ſuccumbens, totum genus geſtavit humanum, & vi ſuorum meritorum in altum evexit. Ex quo patet, ſponſum eſſe tranſlatè palmam, habere ſcientiæ elaten, emittere indè flores cogitationum ad noſtram ſalutem directarum, ex quibus in nobis fructus palmæ ipſius arcanæ generatur. In Hebraico textu, nec qui nunc habetur, nec in Septuaginta Interpretum verſione habentur ea verba, ſicut elate palmarum. Sed in Hebræo ſic legitur: Cincinni ejus criſpi. Quia ſanè

Dioſcorides.

E

Quod homini eſt caput, arbori radix.

F

Similitudo.

G

Similitudo altera.

H

LXX. Interpp. Textus Hebraicus

D

Palmæ deſcriptio.

Scripta An. 1598. sanè voce innuitur divina consilia, vel cogitationes erga salutem nostram esse mirabilia, nec curiosiùs investiganda. Quis enim cognovit sensum Domini? Hoc autem mysterium indicatur per capillorum crispitudinem. Hoc enim discrimine capilli crispi à propexis, & sine tortura fusis secernuntur, quòd hi se totos spectandos exhibent, at crispi
A partem aspectui exponunt, partem suo flexu, & contorsione contegunt, visuique negant. Mirum est autem, quod sequitur.

Nigræ quasi corvus,

PARAPHRASIS.

Scientiæ sponsi, & ab his prognatæ cogitationes imperveſtigabiles sunt, & captui nostro obscurissimæ. Nec diuturnitate senescunt.

SCientiarum, quibus sponsi intellectus ex verbi influxu nobilitatus est, hæc verba clarissimum continent encomium, ex duplici verborum interpretamento constatum. Corvicolor,
B Porrò cùm de corvo fit mentio, non probatur avis inauspicata oculos configens & eruens, sed solus color perfectè niger accitur. Hac verò perfecta nigredine proditur, quàm sint humano captu incomprehensibiles scientiæ illæ. Etsi enim in seipsis illustrissimæ sint, oculis tamen nostris nec capi, nec attingi possunt, obscurissimæque perindè sunt, & propterea nigræ pulchra translatione nuncupantur. Vulgata quippè metaphora, quod obscurum nobis est, nigrum appellatur, quod est ex sincera philosophia depromptum. Sicut enim albus color lucis habet plurimum, ita è contrario niger tenebris finitimus est. Tenebræ autem nigræ dicuntur eleganti similitudine. In tenebris autem sponsus posuit latibulum suum, ita ut ea etiam, quæ ex se
C sunt splendidissima, dum à nobis considerantur, appareant ob eximiam altitudinem visu nostro potentiorem, tenebris & nube densa contecta; qualem olim aspectum sui in ænigmate exhibuit in solitudine, cùm densa nubes montem, ubi coruscabat gloria Dei, operuisset. Sunt ergò scientiæ sponsi in se quidem candidissimæ, ac clarissimæ, nobis verò illum contemplantibus nigerrimæ, hoc est, obscurissimæ, ut non immeritò de his etiam cum Paulo sic effari possimus: O al- Rom. 11. titudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus (quæ scilicet per eas scientias concipit) & investigabiles viæ ejus? [quas videlicet per eas scientias disponit.]

Altera textus explicatio.
D Secunda horum verborum interpretatio singulare quiddam innuit, quo scientiæ sponsi à nostris quantumvis perfectis facilè secernuntur. Nostræ nimirum, postquam multo labore paratæ sunt, post dies paucos incipiunt senescere, ac deficere, partim ex oblivione, partim ex naturali imbecillitate. Cùm enim ætas vergit ad senium, sicut corpus sensim deficit, ita mens corpori alligata in eo genere senescit, & velut ad infantilem recurrit simplicitatem. Ut ergo scientiæ sponsi nec oblivione, nec ætate, nec æternitate senescere, ac deficere notentur, sine canitie, & cum juventutis nigrore, viribusque pinguntur, undè patet, quam laudem contineant ea verba; Nigræ quasi corvus, quæ turpe quippiam, cùm audiuntur, continere videntur. Hæc de comis asserta sint, de oculis E mox sponsa laudem annectit.

℣. 12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.

PARAPHRASIS.

Oculi interni sponsi sunt sicut columbarum candidarum in aquis accipitris insidias observantium oculi, quibus omnia nuda sunt & aperta. Intuitus quippè animæ justæ, vitæ jam candore purgatus, & in Scripturarum aquis viventibus arcanos sensus, & æstus dæmonis penetrans, simillimus est intellectui & divino & humano gloriæ lumine perfuso, quibus tanquam duobus oculis sponsus insignitur. F

OCulis & apud Philosophos, & apud Theologos notitia pulchrè significatur. Unde & intellectus suis actibus, velut quibusdam obtutibus cernens, aptè nuncupatur oculus. Sponsus etiam singulari ratione oculi nomen in divinis sibi vendicat, eò quòd ab æterno Patre notitia concepta est: quamobrem Theologi ea nomina, quæ ad notitiam, spiritalemve oculum spectant, sapienter sponso attribuunt, sponsus autem antequam nostra indueretur natura, oculo notabatur uno, cui universa nuda & aperta erant. Postquam verò ad nos delapsus est, alterum suscepit oculum humanum, vi- G delicet intellectum gloriæ lumine splendidissimo perfusum, & post divinum, inter creatos omnes longè illustrissimum. Binos igitur oculos sponsi cupiens sponsa commendare, & nonnullam eorum similitudinem ex his quæ novimus, afferre, quò eorum pulchritudine incendamur, ait. Sanè difficillimum est oculorum sponsi vestigium reperire, at si quid est in terris, cujus aspectus nos in illorum cognitionem inducere queat, oculorum columbæ ingenium id erit. Profectò non de corporatis & mentis inopibus, sed de symbolicis columbis habetur sermo. At sensus ex iis avibus educendus Columbæ
est. Solent eæ volucres ad amnes consi- natura.
re, & aquas attentiùs introspicere, ut inimici accipitris rapinæ tempus captantis vo- H
latum ex imagine ab aquis reddita deprehendant. Dicuntur verò lacte lotæ ad eximium earum avium candorem innuendum, ac si lacte corpori, seù pennis hærente niterent. Enimverò cùm quis aqua abluitur,

Oculorum significatus.

ni-

Scripta An. 1598.

nihil illi hæret ob aquæ naturam minimè resinosam, aut pinguem, omninoque fluxam; at cum liquoribus aliis pinguibus eluitur, ex quorum genere lac est, quod facilè contrahitur & concrescit grumi quidam, seù coagula cuti adhærescunt, & liquoris calore cutis obducitur. Ex ipsa verò lactis natura, non ex historia translatio petenda est, ut columbæ lacte lotæ, hoc est, candidissimæ nuncupentur. Sic enim dicuntur lacte lotæ, ac si appellarentur nive dealbatæ, ut in Psalmo sexagesimo septimo: Nive dealbabuntur in Selmon, Ubi ablativus, nive, similitudinis est, ac si diceretur: Dum discernit cœlestis, reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon, hoc est, erunt fideles albi, ut nix in monte Selmon, dum cœlestis Deus discernit, hoc est, judicat & prosternit reges tyramos, qui sæviunt super eam, scilicet Ecclesiam. Duo igitur ex iis volucribus ad spiritales animas columbarum translatione signatas traducenda sunt, & accipitris in aquis inspectio, & eximius candor. Illæ videlicet animæ columbis hisce exprimuntur, quæ purgatissimo intuitu, ac simplicissimo sine ulla deceptione in aquis pu-
B rissimis Scripturarum ex Paradisi fonte, hoc est, ex sponso authore manantium cernunt, & velut ex umbra deprehendunt dæmonis, more accipitris rapinam affectantis insidias; ut eas vitent, ac immunem omni labe vitam hoste deluso agant. Quæ quidem animæ cum emphasi lacte lotæ dicuntur ob eximium, quo nitent, vitæ candorem. Qui sanè candor, ac vitæ insignis puritas mirificè conducit ad internum intuitum acuendum, & ad accipitrem illum in Scripturarum intellectu deludendum, sicut de Theodoro Monacho Cassianus tradidit, quem ait notitia Scripturarum præclarè nituisse, non tam ex lectione, aut studio, quàm ex insigni & sola cordis puritate. Hæc itaque vitæ puritas contulit illi perspicacitatem visus interni, quo
C aquas Scripturarum inspectabat, & ibi accipitris insidias percallebat. Scripturæ verò & rivuli, & fluenta pleniſſima pulchrè nuncupantur, pro captu enim suscipientium, vel parciùs, vel copiosiùs fluunt. Discrimen autem hoc ipse textus innuit, dum oculos sponsi tales ait esse, quales columbæ sunt super rivos, ubi notantur columbæ parcè agentes, quæ tamen postquam candidiores effectæ sunt, tanquam lacte lotæ, cum energia asseruntur residere juxta fluenta pleniſſima, utpotè cùm jam puriſſimum intuitum vitæ candore assecutæ sacræ Scripturæ sensum, non jam ut rivulum, sed ut amnem exundantem contemplantur. Quòd verò rivuli, & fluenta hæc, non velut aquæ quiescentes, sed ut excurrentes pingantur, mysterium est, quo a-
D quæ viventes, ac in vitam æternam salientes significantur, quæ multò clariùs, quàm aquæ nostræ mortuæ spectantium, ac è regione consistentium reddunt effigies, fluunt enim sine fluctuatione, ac cœno. Animæ igitur sinceræ columbis assimiles, quæ proximè descripto vitæ candore, & visus interni perspicacitate nitent, sunt, quibus similes habere oculos sponsus asseritur. Quemadmodum enim naturæ divinæ sponsi nihil inter creaturas similiùs divina gratia, qua justi ornantur, & divinitatis consortes fiunt, reperitur, ita oculis ejus, quibus universa patent, nihil in terris vicinius ostendi potuit, quàm sint interni justorum oculi, candore vitæ purgatissimi, ad sensus arcanos Scripturarum, E & in eis dæmonis astus penitissimè inspiciendos acutissimi. Per illam verò non brevem, sed diuturnam columbarum juxta aquas permansionem, & assessionem notatur juge sponsi studium ad explorandas hostis nostri versutias, ac si diceretur, oculi ejus, dum perenniter hostem explorant à nobis arcendum, id agunt, quod ad accipitrem vitandum oculi columbarum residentium prope amnes copiosos. Similitudo est inter oculos justorum, & oculos sponsi, non qua isti referantur ad illos, sed qua illi ad istos reducantur juxta veram Theologiam.

Similitudo.

Succurrit altera horum verborum interpretatio minimè trivialis, quæ ad duos illos pulcherrimos oculos exprimendos plurimum conducit. Sunt [inquit sponsa] sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ. Ex his quippè dumtaxat verbis explanatio ista promenda est. Fit F autem præ oculis habenda imago quædam columbæ, cujus oculi lacte abluuntur. Solent oculi ægri collyriis inungi, & elui, ut cernere possint: sic in hoc loco lac pingitur, ut arcanum quoddam collyrium, oculorum intuitum eximiè perficiens, quo possit oculorum sponsi perfectio declarari. Quòd ut eluceſcat, animadvertendum est, lactis hoc esse inter humida, liquidaque proprium, ut in eo nullius rei conspiciatur imago, quæ laus eximia oculorum est. Enimverò cætera liquida spectantium effigies reddunt, modò breviores æquo, modò longiores, nunc obuncas, nunc refractas, interdum confusas & obnubilatas, & deniquè si quis liquor est, G qui nonnunquam justam reddat spectantis imaginem, inconstans est, & ad fallendum aptissimus. At verò lac, cùm spectatur, nullum umbratile simulacrum obiicit aspectui, quo falli possit, sed ipsam suæ naturæ sinceram, & constantem veritatem, in cujus aspectu oculus minimè decipitur. Sic oculi sponsi [quos justorum oculi æmulantur] nihil, quod in rerum natura non constet, nihil erroneum, nihil vanum, nullum umbratile simulacrum fraudulenter repræsentans recipiunt, quo falli possint, sed ipsammet sinceram veritatem inspectant, deceptione prorsus immunes, quod etsi universim oculis sponsi, quacumque scientia utantur, graphicè quadret, eximiè tamen competit, & intellectui divino, & humano gloriæ lumine u-
H tenti: utroque enim hoc modo suum intuitum ab ipsa sinceriſſima, & nativa veritate, apud quam non est obumbratio ulla, numquam ille divertit. Idonea nunc serie genas sponsa commendat.

Animadversio.

Theodorus Monachus.

Alia textus explicatio.

℣. 13. Genæ illius sicut areolæ aro-

Scripta An. 1598.

aromatum consitæ à pigmentariis.

PARAPHRASIS.

A *Sermo sponsi aromatibus, ex quibus unguenta contra morbos conficiuntur, est similis, morbis enim medetur universis, & est velut areolis distinctus, suis temporibus sine confusione, ac perturbatione enunciatus.*

VUlgaris est phrasis, qua metonymicè guttur dulce, & alia id genus plura appellamus, lepidum sermonem causæ, vel instrumenti notatione significantes. Quapropter cùm genæ, vel, ut ex Hebræo redditur, maxillæ ad vocem conformandam naturæ sint instrumenta os claudentia (non enim guttur & palatum dumtaxat voces ederent distinctas, nisi genis sepirentur,) fit inde, ut sermonem figuratè notent, quem sponsa ea velut Ægyptia nota cupit laudare. Quapropter areolis aromatum sapienter discretis, ac consitis eum sermonem sponsi arB cano sensu comparavit. Quas areolas ideò dicit à pigmentariis, vel unguentariis consitas, ut notet eorum studium, ac culturam, qua egent, ut materiam habeant conficiendis ungentis expetitam: Jam verò duo præsertim sunt in ejusmodi aromatibus consitis, quæ ad sponsi sermonis laudem conducunt. Est nimirum materia unguentorum morbos pellentium, quæ est laudatissima sermonis sponsi vis, more panaceæ cujusdam, universas animæ pellens ægritudines. Est præterea culturæ divinæ arte quasi areolarum mira discretio. Non enim verba sponsi sunt secum permista, & perturbata, quemadmodum cùm sine discrimine leguminum, florum, fruticumque semina tumultuariè in eadem seruntur area, sed suis tanquam in stationibus disposita suo tempore, ac ordine opportunè C prolata, & per hoc internis oculis speciem perpulchram exhibentia, qualem oculis externis obiiciunt areæ à peritis cultoribus mensura discretæ, ac distinctis seminibus excipiendis subactæ. Hæc quippè areola violis, illa caryophyllis, alia denique aliis est plantulis destinata, quo sanè aspectu nihil in hortis gratiùs invenitur. At ut perfectè omninò vox conformetur labiis, præter guttur, palatum, & genas opus est; propter quod commemoratum sponsi sermonem sub alia translatione sponsa collaudat.

Hebraicus Textus.

Genarum usus, & significatio.

Similitudo.

Labia ejus lilia distillantia myrrham optimam.

D

PARAPHRASIS.

Eloquia sponsi casta & ad puritatem inflammantia, & crucis mortificationem prædicantia.

Labiorum significatio. LAbia metonymicè, ut genæ, clariùs tamen quàm illæ sermonem sponsi significant. Quæ lilia nuncupantur eò, quòd eloquia sponsi sunt eloquia casta, & argentum septies purgatum cœlesti candore splendidum. Quæ quidem similitudo etsi toti prorsus doctrinæ sponsi exactissima puritate nitenti quadret, illi tamen sermoni potissimùm convenit, quo ille olim virginitatem, tanquam legis novæ lilium suadebat & consulebat. Labia etiam hæc optimam myrrham stillare feruntur, frequentissimè enim sponsus crucis mortificationem commendabat, & quot edebat verba, tot stactes emittebat guttas, ut quod exemplo docebat, verbo solidaret. Dicuntur autem hæc labia distillare myrrham, non qualemcumque, sed optimam, ut discriminetur à sæculi hujus myrrha pessima, quam ex ore fundunt, qui aliis labores, ac vigilias, & ejus generis plura ad honores vanè aucupandos, & divitias injustè conquirendas persuadent. Quam sanè myrrham pessimam sitienter hauriunt filii hujus sæculi, sicut quidam dixit:

Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.
Impiger extremos currit mercator ad Indos *Horat. lib. 1. epist. 1.*

Sic depicta labiorum venustate, manuum sponsa cùm meminisset, illarum amore vehementer oborto, eas commendare festinat.

V. 14. Manus illius tornatiles aureæ.

PARAPHRASIS.

Opera sponsi sphærica, & quasi peracto circulo absolutè bona, & quasi aureum regiæ, ac divinæ Majestatis fulgorem emittentia.

MAnuum translatione, vulgata phrasi, opera sponsi intelliguntur. Quæ torno fabrefactæ dicuntur, ut non arentes, venis extuberantibus, articulis eminentibus, internodiis compressis deformes appareant. Eximia namque in manibus elegantia est, cùm à vola, quæ succosior, & habitior esse debet, digiti modicè crassi, ac rotundi, sensim graciliores usque ad extrema procurrunt, & in aciem obtusam desinunt, ac si torno ducti essent. Accepta igitur hinc metaphora: Manus sponsi (inquit sponsa) torno ductæ videntur rotundæ, circulique figura omnium perfectissima insignes. Opera quippè sponsi exacta & perfecta, quasi torno ducta sunt, unde cùm condidisset mundum, & suas manus, hoc est, opera sua contemplaretur, omnia vidit esse valde bona, quasi orbiculari figura suæ perfectionis insignita. Et quidem manus tornatiles in divina sponsi natura ex mundi creatione facilè perspicimus. Humanæ verò naturæ ab eo assumptæ manus divinitate motas attentiùs speculantes, comperiemus eas torno circumducto elegantissimè fabrefactas. Enimverò qui ad opera fabrilia torno utitur, multò citiùs, ac faciliùs, ac perfectiùs operatur iis, qui aliis utuntur instru-

Manuum significatio.

Gen. 1.

Comparatio

Scripta An. 1598.

A

B

C

D

E

F

G

H

mentis, puta dolabra, scalpro. Sic sanè inter universos vel Angelos, vel homines divinitùs afflatos nullus mira patravit unquam vel tanta facilitate, vel tam eximia perfectione, quàm sponsus. Profectò vel cùm pelleret morbos, vel mortuos ad vitam revocaret, nec jejuniis se vexabat ipsum; nec actuosè nimium se prosternebat, vel simile quippiam præstabat, sed vel solo actu interno volens, vel etiam externo imperium manifestans, prodigia perpetrabat. Ac exindè, si quando vel flebat, vel orabat, non tanquam indigens; sed velut gratias agens & nos erudiens, eos actus obibat. Hæc est manuum sponsi, etiam humanarum pulchritudo, tornatili opere signata, qua universis creaturis manus etiam torno ductas habentibus facilè antecellit; ita quidem, ut, licèt nonnulli sancti miracula sponsi operibus æqualia, si operum velut materiam spectemus, patrasse videantur; si tamen tornum, seù modum operandi expendamus, immenso ab sponso intervallo vincuntur. Propter hoc sponsi manus insigni discrimine aureæ nuncupantur, quasi cæterorum manus ex ligno, reliquisque præter aurum metallis effici potuerint, solius verò sponsi manus esse debuerint aureæ. Habent nimirum hoc peculiare sponsi opera, ut regiam, immò divinam majestatem præsentissimam præ se ferant, & quasi aureo diademate coronentur: propterea aureæ appellantur; aurum enim regiæ majestatis est insigne, quo divina opera spiritalibus oculis deprehensa, à cæteris operibus facilè secernuntur. Perfectio hæc absolutissima sponsi operum, clarissimè patefit per aliam ex Hebræo ductam translationem, qua nonnulli utuntur, ajentes: Manus illius sphærulæ aureæ, vel orbes aurei, quorum verborum sensus præter paulò majorem vocum energiam nihil præter ea, quæ sunt explanata, novum suggerit. Mirum est autem, quod insonat, dum sponsi manus asseruntr esse.

Hebraicus Textus

ficit. Concipiendæ nunc à nobis sunt corporeæ quædam manus, plures hujusmodi lapillos inclusos habentes, velut insertos, ita ut videantur, manus tessellatæ, sicut in aulis regiis passim cernuntur marmorea pavimenta, velut oculata, lapillos, tessellasve coloris varii insitas habentia. Propterea ergò opera sponsi velut candentes manus, lapillis istis coloris cœlestis plena dicuntur, quia in divinis operibus sponsi prodit se, & velut intermicat cœlestis quidam color, quem si mente percipimus, divinum opus facilè secernimus ab humano, & in suum, qui cœlo præsidet, referimus auctorem. Verùm quia limpidissimam illam divinæ naturæ claritatem, & serenitatem nequeunt opera divina exactè, ac perspicuè repræsentare, proindè sub metaphora hyacinthi, vel tharsis marinum colorem habentis, à sereno cœlo deficere, & livescere asseruntur. Secunda loci hujus interpretatio. Tradit Gregorius Nyssenus ex sententia illorum, qui vocum Hebraicarum vim perspectam habent, hac voce (Tharsis) significari quiddam, quod colorum, & corporis sit expers, ac mentis tantùm intelligentia percipiatur, quod est præstantissimum encomium manuum sponsi tornatilium. Enimverò detritis omnibus, quæcumque corporea, & crassa sunt, ad sortem divinam, & mente tantùm comprehensibilem, sponsi manus, hoc est, opera transeunt, quale quiddam lapidum sculptores in massa smaragdina dicuntur efficere. Cote quippè illisa totum id, quod lucidum non est, sed sordidum, ac terrestre deterunt; solumque illud relinquunt, in quo splendor quidam viridis micare conspicitur, quæ præclara est methodus ad opera divina internoscenda, quam operis tornatilis similitudo commonstrat. Porrò qui torno rude lignum poliunt, ut figuram quampiam effingant, omnia rudia, & supervacanea deradunt, ut elegans figura compareat. Sic qui rude marmor ad alicujus animantis effigiem informant, ea omnia scalpro incidunt marmori, quæ scabra & impolita sunt, quibus excisis, effigies quasi spirans, & viva manet, ut dixit quidam:

Alia textus explicatio ex Gregorio Nysseno.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.

Virg. Æn. 6. v. 847.

Plenæ hyacinthis.

PARAPHRASIS.

Opera sponsi plena sunt notis, signisve divinitatis.

Hyacinthus lapilli nomen est.

LXX. Interpp.

HYacinthus hìc non floris illius purpurei, quem Romani vaccinium appellant, sed lapilli nomen est, ut patet ex Hebraico nomine Tharsis, quo etiam Septuaginta senes utuntur, pro quo nos Hyacinthum dicimus. Porrò Tharsis gemma erat in logio, seù rationali inclusa, linea quarta; quatuor enim gemmarum ordines logio hærebant. Videtur autem lapillus hic pretiosus ex loco, ubi reperiebatur, nomen sortitus, nimirum ex Africæ parte illa, quæ postea Carthago appellata est, vel ex maris colore, quem imitatur, mare quippè mediterraneum Tharsis in scriptura nuncupatur. Color verò marinus cœlestia corpora imitatur, ab illorum tamen serenitate, ac perspicuitate longè de-

In hunc ergo modum divinæ sapientiæ dexteritate ab operibus sponsi omnis ea crassities, & scabra materiæ concretio, quæ operibus nostris ex peccati hæsit contagione, quasi torno currente detrita & excisa est, solaque in iis manet viva, & quasi spirans forma virtutis, & arcana mente tantùm comprehensibilis pulchritudo. Postquam vero operum sponsi facta mentio est, causæ operum eorundem sponsa debuit meminisse, propterea inquit:

Venter ejus eburneus distinctus sapphiris.

PARA-

Scripta An. 1598.

PARAPHRASIS.

Verbum æternum rerum universarum rationes more cujusdam uteri conceptas habens, est velut venter candidus, lævis & prægnans, & in eo quasi plures sapphiri distinctæ, rerum rationes lucent,

A

Similitudo.

QUemadmodum venter fœtum continet, suoque postmodum edit tempore, sic sponsus (qua Verbum eterni Patris est) universarum rerum rationes sua amplitudine expressè continet, distinctè ibi lucentes, utpote ex illarum omnium distincta notitia genitus, ac proindè illas perspicuè repræsentans, quas in lucem, quodam velut partu, promit tempore præstituto, quod est Theologorum effatum. Appellatur autem ille divinus venter eburneus, hoc est, velut ex elephantino dente dolatus, expolitus, ac lævis, & candidus. Quo in verbo arcana inest notatio pulchritudinis, ex fœminarum petita ventre, qui tunc longè pulcherrimus est, cùm quasi ex ebore affabrè dolatus, nitens, ac lævis extumescit. Sic quippè ver-

B bum æternum splendore paternæ gloriæ candens, & rerum universarum in ipso expressarum conceptu quasi prægnans, eleganter dicitur more ventris intumescere. Quia verò in animalibus fragilissima corporis pars

Venter pars corporis fragilis.

venter est, idcircò ne similem sponsi ventrem putaremus, sed alium solidum, diuturnum, incorruptum, eburneus venter appellatur, ebur enim solidum est, ac densum, diutissimè perseverat incorruptum, quasi detrimenti nihil à tempore patiens. At verò venter distinctus sapphiris asseritur insigni

Sapphirus lapis cœlum refert.

cum energia. Lapillus nimirum sapphirus cœlum refert serenum, magna cum perspicuitate, qua facilè hyacintho, qui non ita perperspicuus est, antecellit. Hæc igitur perspicuitas, serenique significatio æterni verbi, quod est tertium cœlum, perspicuè, ac expressè omnia repræsentans, notatio est. Sap-

C phiri verò plures esse dicuntur in hoc arcano utero pròpter rerum rationes in æterno verbo, velut in purissimo speculo insigni cum distinct one nitentes, constante nihilominùs infinita personæ illius simplicitate.

Animadversio.

Animadvertendum autem est, sapphiris respondere hyacinthos persimili quidem colore, tametsi dispari perspicuitate. Opera enim sponsi hyacinthis (ut explicatum est) notata immensam verbi claritatem, quam sapphirus exprimit, adumbrare possunt, non tamen exactè repræsentare, ideò suo comparata principio vergunt in obscuritatem, ac si color nubium, vel maris liveſcens sereno cœlo conferatur. At hoc sic fieri oportuit, ut aliquam mortales investigandi Dei rationem inirent per eas res, quas sibi esse

D cernunt propinquiores immensa Dei luce quadam tenus in iis rebus obnubilata, & opacata, ut ab oculo percipi queat imbecilli, qui nimia claritate perstringeretur. Dicitur etiam in sensu altero satis idoneo venter proximè descriptus, distinctus sapphiris, quasi dicas, declaratus, seù distinctè significatus cœlis, qui ob finitimam similitudinem metaphora elegantissima sapphiri appellantur. Hi ergò sapphiri distinguunt, hoc est, distinctè enunciant, & declarant ventris illius conceptas rationes in cœlorum ipsorum structura, & ordine lucentes, quæ est insignis quædam divinæ gloriæ manifestatio, sicut scriptum est, Cœli enarrant gloriam Dei. Hæc est prima interpretatio.

E

Psalm. 18.

Alia textus explicatio.

Secunda explanatio ventris proprietati finitis affinis est, ventrem suaptè natura tenerum, ac fragilem naturam humanam à sponso assumptam significare. Quæ quidem eburnea, hoc est, ex castissimi animalis elephantis candido dente polita, & lævigata translatè nuncupatur. Candida ob puritatem, & candorem, cùm animæ, tum carnis illius, quam nulla prorsus peccati nebula, vel umbra contexit, polita, & tersa operum eburneorum similitudine, quia non solùm ab anima, verùm & à carne illa purissima longè pulsum, & velut excisum est, quidquid rude, scabrum, & impolitum cæterorum hominum carni ex culpæ situ, atque squallore succrevit. Dicitur autem præterea ven- F ter hic distinctus sapphiris, hoc est, notis cœlestibus, ac Divinitatis indicibus, in nulla enim vel angelica, vel cœlesti creatura vel tot, vel tam illustria Divinitatis signa, quam in assumpta illa sponsi natura ullo modo claruerunt. Septuaginta Interpretes pro *LXX. Interp.* eo, quod habet nostra vulgata editio: Venter ejus eburneus distinctus sapphiris, sic habent: Venter ejus pyxidicula eburnea in lapide sapphiro, quasi dicerent apertiùs, scyphum eburneum insertum lapidi sapphiro, ut solent vasa argentea capulis, vel manubriis, quos vulgò pedes appellant, distincti cujuspiam metalli elegantioris vasis ipsis inseri. Qua sanè similitudine incarnationis mysterium apertè innuitur, quo effectum est, ut eburneum hoc vas humanæ naturæ, quam candidam, tersam, & quasi dolatam sponsus assumpsit, divino verbo sapphiri perspicuitate, ac serenitate notato, ut manubrio pretiosiori, ac elegantiori per unionem hypostaticam insereretur. Post ventrem observata serie de cruribus, sponsa sic eloquitur:

G

℣. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas.

PARAPHRASIS.

Duo sponsi crura genus humanum, velut corpus impositum sustinentia, & columnas marmoreas rectitudine, ac elegantia imitantia, meritum & satisfactio sunt. Harum columnarum bases duæ aureæ justitia sunt, & misericordia, ex quibus, tanquam ex basi columnæ, opera meriti, ac satisfactionis assurgunt,

H

CRura ex naturæ opificio ad gradiendum, corpusque gestandum destinata sunt, quæ

Scripta An. 1593.

quæ multiplices, dum de sponsi pulchritudine agitur, suggerere possunt arcanos sensus. Enimverò si architecturæ partes ad corporis nostri compactionem conferamus, patebit, pedes, à quibus crura se attollunt, & in quibus velut defixa sunt, basibus columnarum graphicè respondere. Jam autem crura sponsi, quæ totum genus humanum portant, & in sublime ferunt (ipse enim his non eguit cruribus, qui portat omnia imperio virtutis suæ,) duo sunt, meritum scilicet, & satisfactio, quibus tanquam duobus cruribus gradiebatur, immò more gigantis per viam mortalis vitæ currebat, & his corpus suum mysticum, quod præ culparum pondere ferebatur, in tartarum, tanquam duabus firmissimis columnis, ac rectissimis ex marmore, quod ad operis elegantiam commendandam affertur, elaboratis sustinebat, & gestabat, quod divinis oraculis satis omnibus Orthodoxis compertum est. Pedes verò aurei, seù bases, quibus columnæ, seù crura nituntur, duo sunt firmissima omnium sponsi operum, & disertè meriti, ac satisfactionis fundamenta, quæ sibi mutuò obviarunt, & osculum arctissimum impresserunt, nempe justitia & misericordia, sicut scriptum est: misericordia, & veritas, hoc est, justitia obvlaverunt sibi, eademque justitia & pax, hoc est, misericordia osculatæ sunt. Etenim clarissimorum Theologorum assertum est, universa Dei opera, quibus tanquam tibiis gestat orbem, ac fulcit ex justitia, & misericordia, velut ex basibus, quibus nituntur assurgere, at in operibus redemptionis, quibus Deus multò fortiùs, quàm olim operibus creationis stabilivit mundum, clariùs Dei misericordia, & justitia lucent. Immò verò se mutuò exosculantur, hoc est, intimè conjunguntur, siquidem in singulis quæ inter nos agens exercuit sponsus, operibus, & justitia, qua Patri suo rigidè satisfecit, & misericordia, qua nos indignos liberatione redemit, mirificè splenduerunt. Ex his basibus columnarum instar opera rectissima, justitiæ arte, velut architectonica directa prodibant, quibus nihil unquam Deus directiùs, fortiùsve patravit, & propter hanc inter cætera Dei opera præstantiam, bases aureæ dicuntur, quasi cæteris operibus collata redemptionis opera, similia prorsus sunt auro purissimo cæteris metallis comparato, sic enim ex Hebræo aurum obrizum, hoc est, purissimum vertitur. Et quidem sic ea opera appendit Deus, quibus velut aureo numismate illi generis humani debitum, quod infinitum est, cumulatissimè solvitur. Ecce crura descripta. Unum tamen, quod sub columnarum typo innuitur, & crurium spectat perfectionem, minimè silendum est. Profectò columnas marmoreas, quas sponsa commemorat, cùm ad Dei aulam amplissimam, velut regiæ illius structuræ partes spectent, ingentes esse oportet, quales in regiis peristyliis, compluviisque perspicimus. Hoc igitur signo proceritas crurium sponsi commendatur. Compertum verò est, longiora crura longioribus itineribus apta esse, brevique spatia longiora, si nervosè cientur, emetiri. Hæc est eximia crurium arcanorum sponsi laus. Porrò cùm iis cruribus generis humani corpus sponsus imposuisset gestandum, adeò fortiter non modò ingressus est, vel cucurrit, sed etiam exilivit, ut infinitum spatium (quod est apud Philosophos impossibile) ipse supra philosophiam pertransierit. Hinc est, ut peccator homo propter culpam Deo invisus, & æterno cruciatui addictus, qui illud immensum, quod à culpa usque ad justitiam spatium interjacet, pertransire nequibat, etiamsi per multas annorum myriades cucurrisset, gestatus tamen sponsi cruribus, momento dumtaxat uno totum id spatium brevissima cordis compunctione pertransit. Hic verò transitus, vel potiùs saltus non corpori peccatoris, qui gestatur, sed tibiis Jesu Christi pondus nostrum sustinentibus acceptus, ferendus est, ita ut licèt homo volens, & currens gestetur, non tamen continuò cursus hic sit illius volentis, aut currentis, sed sponsi miserentis. Sanè homo non traiiceret saltu quodam vastissimam peccati voraginem, nisi vellet, ac curreret, at ut vellet & curreret, crura sponsi eum impulerunt. Sed quia operosum nimis esset, singulas sponsi percensere laudes, agit sponsa more amantium, qui postquam nonnulla eorum, quos ardentissimè amant, encomia congessere, quid (inquiunt) opus est, ut eximiam pulchritudinem quasi pictoris arte in tabula conemur exprimere, satis profectò erit, dum id fieri minimè posse fatemur, asserere pulchritudinem eam esse suis numeris absolutam. Propter hoc sponsa, cùm aliquot sponsi laudes enunciarit, cernens parum se posse proficere, quasi se victam ingenuè fatetur, à persequendis pulchritudinis partibus velut desistens, & ad quoddam totius venustatis indigestum encomium sese transferens. Ideò ait:

Crura sponsi meritum, & satisfactio.

Psal. 84.

Misericordia & justitia mundi bases sunt.

Species ejus ut Libani.

PARAPHRASIS.

Qui sponsum aspicit, quasi Libanum aspicit. est enim in Libano vertex nive candidus, mons est plantarum odoratarum ferax, & ex ejus radicibus duplex fons emanat. Sic vertex, seù caput sponsi, hoc est, divina hypostasis, est ipse candor lucis æternæ. Ex hoc humana illius natura, quæ velut descensus montis est, fert plantas odoratas, tot sanè, quot genuit justos, odorem Christi exhalantes. Ex radice verò, (seù quod vulgò ajunt) ex pede hujus montis, hoc est, ex corpore cæso, sponsi duplex fons, sanguinis videlicet manavit, & aquæ,

QUorsum partes pulchritudinis sponsi singulas, vel expendere, vel percensere coner, cùm eæ sint captu nostro majores? Verbo dumtaxat uno totam rem indigesta lau-

Scripta An. 1598.

laude complectar, si sponsum asseruero Libano monti editissimo esse quàm simillimum, ut meritò, quisquis ejus aspectum, speciemve contemplatur, Libanum ipsum cernere sibi videri possit. Ut laudem hanc eximiam pro captu nostro percipiamus, Libani species mente concipienda est, quæ postmodum arcano sensu ad sponsum traducatur. Porrò (ut partim suprà expositum fuit) Libanus mons est in Syria editissimus, cujus vertex perpetuis nivibus candet, unde nomen sortitus

A

Libanus quid & ubi?

est; Libanus enim candidus interpretatur. Fert plantas odore commendatissimas, & propter amœnitatem fuit olim à Regibus Hierusalem ad secessus expetitus, quamobrem Salomon ædificavit domum saltus Libani. Demum è montis hujus radicibus duo fontes erumpunt in unum Jordanem confluentes. Hæc est species Libani multis nominibus laudatissima, cui similem sponsi speciem sponsa profitetur. Et quidem à capite exordientes, facilè perspicimus, vertex ille nive semper candidissimus divinæ Verbi hypostasi, quæ caput assumptæ naturæ est, quam aptè conveniat. Profectò candor Divinitatis symbolum est luculentissimum, unde & ii, qui sunt immortalem vitam consecuti, & divinitatis candore velut perfusi, candido amictu solent apparere contecti, ut in resurrectione sponsi patuit; quasi hoc insigni discrimine à nobis, qui in media mortis caligine jacemus, facilè secernantur. Ex hujus capitis influxu natura humana sponsi effecta est fœcundissima, & tot plantas odoratissimas tulit, quot justos sibi charitate insitos regeneravit. Hæc ergo fœcunditas ex hypostasi divina velut è capite defluxit, quemadmodum ex Libani vertice nive contecto feracitatis effector decurrit humor, ita ut ordinis ratio habenda sit; anima namque sponsi (qua media caro assumpta est) conferri debet cum montis Libani descensu, caro verò cum radice, seù pede. Deniquè ex declivio, seù radicibus, vel ut vulgò dicitur, ex pede hujus symbolici montis coagulati, & pinguis, qui sponsus est, duplex erumpit fons, quo mundus eluitur. Porrò humana caro sponsi ad divinæ hypostasis collata celsitudinem, rectè montis declivium, seù pes appellatur, ut contemplanti divinæ incarnationis mysterium fiet planissimum. Jam verò ex hoc pede montis duplex in cruce fons effluxit, sanguinis nempè & aquæ, quibus fontibus in unum velut alveum confluentibus, Jordanis arcanus signatus est, siquidem Jordanis, quemadmodum & cæterorum aqua fluminum ad eluenda peccata ex passione Christi vim adeptus est. Disertè autem fluxus aquæ illius veræ è cæso latere fluentis aquam baptismatis; fluxus verò sanguinis illius veri, & aquæ non misti Sacramentum Eucharistiæ, calicis videlicet novi Testamenti notavit, ita ut alter fons aquæ, alter verò sanguinis videatur. Non tamen hùc fas est ignorationem obrepere, ut quis sibi persuadeat illorum tunc fontium effluxum actum fuisse meritorium, ut ob id meritum Sacramenta vim sanctitatem efficiendi contraherent.

E radicibus Libani duo fontes erumpunt.

B

Candoris significatio.

C

Fons duplex sanguinis, & aquæ.

Aquæ baptismatis fluxus.

D

Hoc quippè apertè falsum est, nec enim corpus exanime tunc esse poterat meriti capax, nec verò anima separata, licèt ultrò vulneris illius è quo sanguis & aqua fluxerunt, irrogatam iniuriam acceptaret, cùm tempus meriti fuisset morte concluſum. Verùm est autem, sponsum ipsum adhuc viventem prævidere potuisse vulneris inflictionem, & offerre in pretium redemptionis, & ad sacramentorum efficaçitatem sanguinem ex vulnere decurrentem. Et hac ratione posset virtus Sacramentorum, qui sunt arcani fontes, è Libani symbolici radice orientes, in illius sanguinis & aquæ fluxu fundari, quod erit opportunissimum ad plura sanctorum Patrum effata theologicè interpretanda. Sed sponsam audiamus novas sponsi laudes enunciantem, nec enim sibi temperare potest à laudis prosecutione. Innuerat se velle huic encomio coronidem, uno velut universali pronunciato apponere, at quia impellit ad nova pertexenda dilectio, canonum rhetoricorum ignara, paret amoris impulsui. Sæpè nimirum accidit amantem quempiam, dum amasiam commendat, profiteri se laudem acclamatione quapiam velut obsignare velle, moxque sui immemorem laudes ulteriores excogitare. Propterea cùm sponsa encomium Libani similitudine obsignasset, ad singulares laudes revertitur, quo luculenter prodit amoris impetum desistere non valentem. Ait ergo:

E

Similitudo.

F

Electus ut cedri.

PARAPHRASIS.

Si spectetur sponsus proceritate, incorruptione, odore suavi, cedro simillimus apparebit.

RECTÈ cedrorum meminit sponsa post Libani mentionem. In eo quippè monte cedri proceriſſimæ crescunt, quæ corruptelam minimè sentiunt, & odorem suavem effundunt, ac proindè vivam quandam sponsi præferunt imaginem. Ipse nimirùm inter creata universa tantum caput effert, quantum inter vimina cedrus. Quapropter aliqui sic vertunt: statura eminet, ut cedri. Corruptionis fuit omninò expers, etiam cùm mortem subiisset, Odorem universo mundo vagantem latè profudit, quo innumeras imbuit animas, Christi odorem postmodum exhalantes. Et hæc prima vulgata satis est explanatio.

Cedri proprietates, & significatio.

G

Secunda verò subest expositio, cedrorum electionem arcanam penitiùs inspiciens. Porrò Salomon templum illud orbe toto augustissimum Hierosolymis ædificaturus, ex Libani montis cedris materiam sacrosancto loco dignissimam cædi fecit, & prudentissimo consilio elegit, qua magna illius ædificii pars constitit. Sic sanè pater æternus ex monte Libano (qui suus filius est, ut proximè exposuimus) cedros ibi nascentes, baptismatis generatione caput inter infide-

Alia textus explicatio.

H

Similitudo.

lium

Scripta An. 1593.

lium ſylvam attollentes, incorruptionis vim, quam efficit divina gratia, adeptas, & odorem Chriſti, ex quo, velut è ſolo pingui, enaſcuntur, ſpirantes elegit, & ex hac materia ſelecta ampliſſimum Eccleſiæ templum exædificavit. Eſt autem hoc expendendum eas cedros in ſponſo creſcentes & electas non eſſe materiam à ſponſo diverſam, ſed eſſe ipſummet novum Adamum, ex quo eſt Eccleſia conſtructa. Ex quo enim Catholici per baptiſma fiunt una velut caro, immò unus cum illo ſpiritus, tanquam res una putari debent, quæ ipſe ſponſus eſt, cujus ſpiritus, ac vita in conſepultos extenditur, ita, ut qui eos contemplatur, Jeſum Chriſtum ipſum, quo aluntur, ac vivunt, in imagine non qualicumque, non mortua, ſed animata, & ſpirante, apertiſſimè cernat. Ex hoc efficitur, ut baptiſmate ablutorum laus ſit ſponſo propria, & nativa, multò potiùs, quam Evæ laus, ob coſtam, quam Deus de Adæ dormientis latere tulit ipſius Adæ propria eſt. Hi nimirum ſunt ſpiritus Chriſti, Eva verò Adæ caro fuit. Propter hoc ergo myſterium, ubi potuiſſet ſponſa ſic enunciare, ſponſi ſpecies ut Libani; Orthodoxi verò, qui ex eo velut montem inſtar ſelectarum arborum proveniunt, ut cedri, ſignificantiùs laudem contexuit, & uni ſponſo eam tribuit, ajens, electus ut cedri. Ipſe enim à patre ſuo electus, ex quo velut ex cedro Libani, Eccleſiam architectaretur Deus; qui verò ad ſtructuram hanc ſeliguntur, in ipſo ſeliguntur, facta in ipſum transformatione, quæ id efficit, ut ſint ipſemet ſponſus humaniſſimus. Quòd verò plures ad ſtructuram hanc evocati, in eaque perſiſtentes fide dumtaxat ſubnixi, à charitate verò alieni ſint, non enervat hanc ſponſi laudem. Sunt enim degeneres, ſunt mortua membra, & in eo ſanè, quod habent ad hoc ſpectans ædificium, ſunt etiam ſponſo conjuncti, in fide nimirum, ac ſpe, & eatenus ſponſi ſpiritu aluntur.

A Chriſti, & Eccleſiæ figura.

Eva Adæ caro fuit.

B

C

Tertia Textus explicatio.

Tertia eſt loci hujus minimè prætereunda interpretatio, proximè explanatæ Libani ſimilitudini ſocianda, expenſa aliorum verſione qui pro Libano thus vertunt, eadem quippe Græcis vox λίβανος, & montem, & thuris arborem ſignificat. Compertum eſt autem, Thus divinitatis eſſe ſignum, Cedri verò electio & incorruptio, humanæ in ſponſo naturæ notat incorruptionem. Cùm ergo ſponſa ſic effatur, ſponſi ſpecies ut Libani, hoc eſt, thuris, tantundem agit, ac ſi diceret, forma ejus pulcherrima, & princeps, eſt forma Dei. Cùm verò ſubjungit, Electus ut cedri, tantundem agit, ac ſi ita enunciaret, ſponſus ipſe, quà homo eſt, non novit corruptelam, ſeù ſpiritalem, ſeù corporalem, fuit enim ob electionem, qua digniſſimus fuit, verè inter mortuos à corruptione liber. Poſt hæc ſponſa quaſi feſſa, & rerum magnitudine victa, quaſi perorare cupit, & quandam egregiam huic loco laudem affigit ex totius deſcriptæ pulchritudinis concinnitate conflatam. Sanè halitus odoratus ex bono totius corporis habitu, ac temperie prodit, ac propterea, poſtquam corporatis imaginibus velut integram totius ſponſi conſtitutionem, ſtructuramque depinxit, non debuit, ullo pacto halitus laudem præterire. Propterea inquit:

Tom. I.

V. 16. Guttur illius ſuaviſſimum.

PARAPHRASIS.

Spiritus ſponſi ſuaviſſimus eſt.

VUlgata eſt metonymia, qua os pro ſermone, guttur pro halitu, & univerſim effectus cauſarum, vel inſtrumentorum nominibus appellantur. Sic hoc in loco guttur ſuaviſſimum, halitus odoratiſſimus, ac ſuaviſſimus eſt. Et profectò, ſi de ipſo gutture, vel collo ſermo fieret, guttur elegans, erectum, vel quippiam ſimile dicendum erat, non verò ſuaviſſimum. At ideò ſuaviſſimum appellatum eſt, quod eſt epitheton rerum odoratarum, ut flatus, vel halitus gutture redditus notaretur, qui in ſponſo longè ſuaviſſimus eſt. Enimverò halitus, flatus, ſeù ſpiritus, qui à ſponſo procedit, incredibili ſuavitate affluit, ſicut ſcriptum eſt, cùm introducitur ſponſus, qui patris eſt ſapientia loquens, ſpiritus meus ſuper mel dulcis. Et Eccleſia, quæ ut rem experta proloquitur, ſic ait: O quàm ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus, quod non abſque magna emphaſi credi debet. Ratio verò, ob quam ſpiritus ab ſponſo æquè, ac ab æterno patre procedens, ſuaviſſimus appellatur, à propria illius notione, ſic à Theologis nuncupata, deducenda eſt. Porrò is divinus halitus, vel Spiritus procedit, ut mutuus amor, amori verò nativa eſt inhæſio, atque fruitio, quæ eſt ſuavitatis perceptio. Cùm ergò arcana miſſione ſponſus halitum ſuum nobis infundit, oſculo velut impreſſo, tunc nos ad promendos amoris actus flatu ſuo impellit; iis verò actibus deeſſe nequit germana quædam ſuavitas, velut in reddendo illo flatu percepta, ſicut & in eo flatu ex gutture ſponſi hauriendo percipitur. Rectè igitur ſponſa effatur, ajens, guttur illius ſuaviſſimum, hoc eſt, ſpiritus divinus, quem ſponſus efflat, & mihi amanter immittit, cæleſtem ingerit ſuavitatem, præ qua univerſæ mihi vileſcunt mundi voluptates. Magnam verò quod ſequitur, præfert, energiam:

Oris, ac Gutturis ſignificatio.

E

F

G

Et totus deſiderabilis.

PARAPHRASIS.

Non ſolùm amabilis, verùm & amoris, procurſu ad ipſum properantis ſponſus deſiderabilis eſt.

H

POſtquàm ſponſi pulchritudinem ſponſa aptis pinxit imaginibus, quandam velut

Scripta An. 1598.

argumentationem conficit, ac si planiùs diceret: Ipse est absolutissimè pulcher, ergò est totus desiderabilis. Quæ sanè argumentatio quàm sit efficax, nemo potest ignorare, cùm omnes pulchritudine, non aliter quàm ferrum magnete, trahamur. At videtur sponsa debuisse dicere, sponsum amabilem, potiùs quam desiderabilem esse. Cùm
A enim pulchrum & bonum idem sint, & in universum, animi ut boni, ita & pulchri amore capiantur, rectiùs videtur asserere, sponsum esse amabilem, quàm desiderabilem. Verùm enim tametsi fatendum sit, amorem esse primum affectum, qui perspecta pulchritudine in animo excitatur, significantiùs tamen dictum est, sponsum esse desiderabilem, quam amabilem. Profectò desiderium erumpit ab amore, & est quædam pulchritudinis, quam cupit amor, sedula insecutio. Concipiendus est homo exactam pulchritudinem quampiam contemplans, qua perspecta, primùm quidem ad eam afficitur, & hic est amor; postmodum verò ad eam amplectendam exilit, & hic est motus desiderii, & quædam amoris progressio, quam efficit pulchritudo, cujus est non solum voluntatem sui amore afficere, verùm &
B impellere, ac ad se motibus desiderii rapere. Unde & καλλος Græcè appellatur, quod ad se vocet omnia, ut Dionysius prodidit. Cùm igitur efficacior sit ea pulchritudo, quæ trahit, quàm quæ dumtaxat afficit, significantiùs quidem ejus vim quis propalabit, si eam desiderabilem, quàm si amabilem tantummodo nuncuparit. Sic ergo sponsa eloqui censenda est: Sponsus cujus exactam pulchritudinem exprimere studui, non solum amabilis est, sui dumtaxat amorem excitans, verùm & desiderabilis, longis itineribus & conatibus animas ad se trahens. Porrò sponsus, quà Deus, est summè desiderabilis; ac enim ratione & angeli, & homines in illum desiderant prospicere, ut ibi ejus pulchritudinis amplexu desiderium omninò conquiescat, cùm nihil
C ultrà queat optare. Qua verò sponsus carne nostra obseptus est, Abraham optavit ejus videre diem, & Jacob mira cum energia sponsum ipsum appellavit desiderium collium æternorum, hoc est, sanctorum, qui vitæ sanctitate eminent, & eadem sanctitate in æternum stabiliuntur. Deniquè ipse est sponsus, in quem mundi totius vota avidissimè ferebantur, sic enim de illo canit Ecclesia, Cujus vultum desiderat universa terra. Expleto jam encomio ad filias Hierusalem, quæ de sponsi pulchritudine scisciatæ fuerant, sponsa convertitur, & inquit:

Desiderium erumpit ab amore.

Sponsæ adlocutio.

Talis est Dilectus meus, & ipse
D est amicus meus, filiæ Hjerusalem.

PARAPHRASIS.

Talis, tam pulcher est sponsus à me dilectus, quàm illum pinxi. At esse illum à me dilectum, nec magnum, nec mirum est; quis enim tantam non amet pulchritudinem? Verum certè mirandum est, ipsum Deum immortalem, ac Dominum rerum, esse meum amicum.

ECce, quoad potui, sponsi mei pulchritudinem, venustatemque depinxi, filiæ Ecclesiæ, quæ in pacis interdum visione Deum
E contemplamini. Qualem descripsi, talis profectò Dilectus meus est. Quod verò attexit, & ipse est amicus meus, mysterio minimè vacat. Sic enim verborum sensus concipi debet: Quòd ipse longè pulcherrimus, ac venustatis effector sit à me dilectus, nec magnum sanè, nec mirum est, quis enim à tantæ venustatis amore sibi temperare queat? At verò, quod planè mirandum accidit, est, ipsum esse amicum meum. Quis enim unquam nedum sperare, sed nec animo concipere ausus fuisset tàm incredibilem Dei erga creaturam dignationem? Liquidò horum verborum vis se prodet ipsam, si mulierem humili loco natam à pulcherrimo, nobilissimo,
F sapientissimoque rege adamatam ponamus, quæ stimulo amoris incitata regis commendet dotes egregias, postmodumque subjungat hujus verba contextus: Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, quasi diceret epiphonemate, seù acclamatione summa: tanta est ejus quem diligo, venustas. Verùm, quod me rapit in admirationem, & amoris tædis inflammat, est, regem tam egregiis dotibus insignem humillimæ fœminæ amore conflagrasse, & non tanquàm regem, ac Dominum, sed velut parem, & amicum se gerere voluisse. Hic trutinanda est hæc excelsa sponsæ dignitas, quam ipsa rei non ignara effert, Deum videlicet ipsius esse amicum. Quod quia inter natura dissimiles esse nequit, & alias natura Deo inferior destrui non debuit, miro artificio effectum est, ut homo per gratiam divinæ naturæ particeps fieret, & in eam sublimitatem eveheretur, in qua verè Dei constitueretur amicus; Hic sponsa silet tantillùm, & animæ contemplationis gnaræ in scenam uno velut agmine, chorove prodeunt,

Mirabilis Dei ergà creaturam dignatio.

Similitudo

G

FILIÆ HIERUSALEM.

℣. 17. Quò abiit Dilectus tuus (ô pulcherrima mulierum?) Quò declinavit Dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

PARAPHRASIS.

Sponsa inter animas, quæ Deum concepere, speciosissima, quò se proripuit sponsus, quem investigas, seù potiùs quò declinavit, scù digressus est ille, quem amor seriò non sinit abire? Videris in hac laude sponsæ illustriorem illius peperisse notitiam. Dic ergò, si nosti quò se subduxerit, & nos omnes tecum gradiemur æmulantes charismata meliora.

H

Quot

Scripta An. 1593.

QUot laudes divinas ſponſa extulit, tot motibus, & acceſſibus amoris provecta eſt, ac exinde illuſtriore Dei cognitione perfuſa, unde & ſedata perturbatione, quæ, cùm ſponſus exceſſit, animum obnubilârat, jam illum præſentit propinquantem. Quod & filiæ Hieruſalem animadvertentes, rogant, ut de ſuæ illuſtrationis profectu eas reddat
A certiores, ut ſic mutuò ſociatæ ſponſum perveſtigent, æmulantes chariſmata meliora. Etſi enim illæ contemplationis interdum luce fruantur, at hoc nec diù, nec crebrò indulgentur, ac propterea non illis ſegniùs, quàm ſponſæ ipſi adnitendum eſt, ut ſponſum queant reperire. Divino verò conſilio fit, ut anima provectior repulſam paſſa, conſulta alias ipſa fortè poſteriores, ut communicato conſilio iis proſit, à quibus auxilium expetebat. Sic igitur filiæ Hieruſalem loqui putandæ ſunt: Percenſentem eximias ſponſi laudes te libenter, ô ſponſa, audivimus, cui enim jucunda non ſit tantæ ſuavitatis oratio? Nunc autem ſponſi nos ſtudio incenſæ opportunitatem hanc nactæ, tecum excurrere, illumque perquirere decernimus. Jam igitur, ſiquidem conjectura
B deprehendimus, tibi illius affulſiſſe lucem, præfer facem, unàque gradiamur, cùm enim par nobis ſtudium ſit, lucra parabimus ex æmulatione majora. Dic ergo, tu, inter animas, quæ Deum concepêre ſexu proindè fœmineo notatas, interna venuſtate pulcherrima, quò abiit Dilectus tuus, cùm à te quaſi furtim, ne teneretur, abſceſſit? Dic
Emphaſis. age, quò declinavit? Emphaſis plena eſt hæc interrogatio biformis; primùm enim ajunt, quò abiit, mox interrogationem emollientes, ac temperantes inquiunt, quò declinavit? primamque ſecunda declarant, ac ſi idem ſit, ſponſum abire, & à ſponſa declinare.
Quid ſit declinare. Declinat certè, qui reverti conſtituit, nec omnino abeſſe decrevit. Sic profectò ſponſus ſuaviſſimus, cum interdum ſe ſubtrahit, non
C excedit ſeriò, ſed declinat, ſeù digreditur citò rediturus; nec enim amor diù illum abeſſe permittit. Sic locuto filiarum choro, ſponſa reſpondet.

CAPUT VI.

SPONSA.

℣. 1. Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.
D

PARAPHRASIS.

Non receſſit à me ſponſus, immò intimè deſcendit hoc eſt, illapſus eſt in me, ut in me horto ſuo fæliciter germinante olfaciat aromata virtutum, & virtutes in quibus candor magis elucet, velut in unum colligat faſciculum, ſuoque admoveat odoratui.

PAtet apertè, ſponſam divinis nuper laudibus operam ſedulò navantem, filiarum Hieruſalem interrogatione pulſatam, clariorem ſponſi peperiſſe notitiam. Ipſa quippè modò rei probè gnara, filiabus Hieruſalem, quas ſuper eadem cauſa conſuluerat, facilè reſpondet, ac ſi in hunc modum loqueretur: Mœror, qui ob ſponſi diſceſſum animum inceſſerat, velut extra mentem pepulit me, & tanquam ſponſi prorſus ignaram me dereliquit languentem, animoque cadentem, ac tenebris offuſis tunc dubitavi, an ſeriò ſponſus receſſiſſet. Nunc verò ad me reverſa, quod ſciebam, expendens, ac mente repetens, ipſius ſapientiam & miror, & bonitatem amo. Hîc ſanè mirus divinæ ſapientiæ retegitur ordo. Solet nimirum Deus animam longè provectam ita interdum obnubilari permittere, ut divinus ſplendor, qui eam inſigniter nobilitabat, ut quaſi recto ſolis compleretur aſpectu, prorſus videatur extinctus. Ex quo mens, velut in tenebricoſum obtruſa carcerem, viſus perſpicacitate, qua pollet, uti nequit; nec enim tunc res, quas didicerat, ob animi perturbationem conſiderare valet. Inquit ergo ſponſa: Affulſit mihi divina lux, & pulſis tenebris animadvertere potui, quonam pacto Dilectus meus ſe mihi ſubtraxerit, & in hortum ſuum indè deſcenderit. Bifariam hæc verba interpretari poſſumus.
E

Sponſæ adlocutio.

Primùm ſic habendum eſt (quod ſatis ex ſuperioribus liquet) ſponſam eſſe hortum amœniſſimum, ſponſi ipſius manu peritiſſimè cultum. Mox meminiſſe opus eſt, ſponſum ab anima, niſi ob lethalem culpam, minimè recedere, ſolere tamen interdum adeſſe, ſuæ verò præſentiæ negare ſenſum, & tunc elegantiſſimè dicitur abire. Sponſa igitur diſcuſſâ caligine, lumine perfuſa novo, rem animadvertens ait: Profectò ego deluſa ſum, & cùm ad januam reſerandam properavi, tantum abfuit, ut ſponſus (quod ego lugens dixi) recederet, ut potiùs humaniùs, quam antè, in me hortum ſuum deſcenderit, ſicut imber ſuper herbam, & ſicut ſtillæ ſuper gramina. Quomodo enim me ſic exercere, & ad illum complectendum exilire valuiſſem, niſi præſentiſſimus ipſe impuliſſet me? Rectè dixit quidam:
F

Sponſa eſt hortus amœniſſimus Sponſi manu cultus.

Eſt Deus in nobis, agitante calescimus illo. Ovid. 6. Faſt.
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Juxta interpretationem igitur hanc ſponſa de ſemetipſa effatur, ſub horti ſimilitudine; & ait ſe fuiſſe deceptam, putantem, aut ſaltem ambigentem, an ſponſus abiiſſet. At modò inquit, ſe animadvertere, quo pacto ſponſus deſcenderit, hoc eſt, altiùs illapſus fuerit in ipſam, quæ eſt hortus arcanus, & eſt velut arca plantarum aromaticarum, odorem Chriſti fundentium. Quòd verò attexit
H

Scripta An. 1598.

texit, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat, emphaſi plenum eſt. Hortos per ſynecdochen plures areas ipſius ſponſæ horti appellat, diſtinctis virtutibus ſatas, atque diſcretas, lilia verò, quæ ibi ſponſus carpit, ut factum quaſi faſciculum olfaciat, virtutes ſunt candore, ac puritate inſignes, puta munditia cordis à terrenis cogitatibus, & laudatiſſima corporis caſtitas, quæ Deo dignum odorem præ cæteris exhalare feruntur. In his ergò paſcuis ſponſus aſſeritur paſci, hoc eſt, refici, ac recreari. Ubi mira elucet Dei ſapientia. Dum enim ſponſa velut repulſa, luctuque confecta, hac & illac excurrens, tanquam in palæſtra ſudat, tunc hoc ſpectaculo ſponſus mirificè delectatus dicitur in ſponſam illabi, ibique velut in horto amœniſſimo refici; quemadmodum de Antonio memoriæ proditum eſt, qui cùm in agone cum hoſte ſæviſſimo confligeret, & ſponſum abiiſſe putaret, didicit ex ipſius ſponſi ore, præſentiſſimum illum tunc fuiſſe, ac velut in paradiſo quodam agentem, ejus lucta, victoria fuiſſe delectatum. Sic ergò juxta interpretationem hanc ſponſa eloquitur: Dilectus meus (ô filiæ Hieruſalem) non abiit, ſed verè deſcendit in me hortum ſuum, licèt ego minimè perceperim, modò quippè id facilè verum eſſe perſpicio.

Lilia ſunt virtutes candores inſignes.

A

Conflictus B. Antonii

B

Altera textus explicatio.

Secunda explanatio voluptatis deſcriptæ ſubtractionem ſponſi receſſum intelligit, ac perindè, quoad hunc ſenſum, cum prima interpretatione conſentit. At verò deſcenſum in hortum diverſum concipit, quem modò perpendere operæ pretium fuerit. Porrò, tametſi ſponſus ob ſuam immenſitatem ubiquè ſit præſens, ac exindè queat univerſas juſtorum animas ſimul alloqui, & cœleſti ſuavitate perfundere; id tamen, quia ex ſuæ conſilio ſapientiæ, nec ſemper efficit, nec verò expedit fieri, nunc affatur hanc, nunc verò illam, & hinc illuc quibuſdam quaſi ſaltibus ſe librat, moreque nobiſcum verſatur humano. Nunc charitate provectos interna voluptate permulcet, nunc iis velut oblivioni ad experimentum traditis, recentes fœtus

C

delinit, ut fiant ad curſum alacriores, & ſpiritalem mundum alterna jucunditate, ac auſteritate contemperat. Eſt tamen habenda elegans diſcriminis ratio. Cùm enim à tyronibus ad grandiores tranſilit, aſcendere, cùm verò è contrario à provectioribus ad recentiores abit, rectè deſcendere perhibetur. Hoc ergò harmonicis menſuris temperatum diſcrimen ſponſa innuit, cùm ait: Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum. Eleganter ſanè Spiritus Sanctus utitur eo verbo (deſcendit,) cùm enim ſponſus tetigiſſet, & tactu commoviſſet, nolens excelſam tunc ſolari charitatem, & ad teneras animas recèns evocatas deliniendas accurriſſet, rectè deſcendere dictus eſt. Deſcendere verò aſſeritur ad hortum ſuum cultura,

D

& ſedulitate indigentem: ad hortum ſuum, quem acquiſivit ſanguine ſuo. Deſcendit ad areolam aromatum; puſilli enim ſunt recentes fœtus juſtitiæ, ideò areola, ſed odorem ſponſi recenter imbuti ſpirant, ideò aromata. Septuaginta pro areola aromatum (phialas aromatis) habent, qua ſanè forma loquendi notantur animæ juſtorum, quæ tanquàm phialæ totidem ſponſum ipſum aromatis odoratiſſimi, & ad medicam materiam opportuniſſimi nomine ſignificatum illabentem concipiunt. In harum animarum hortis amœnis paſcitur ſponſus, hoc eſt, mirificè recreatur: oves enim, quæ perierant, dum afflatu novo redeunt ad Paſtoris mapalia, nova præ aliis, quæ non aberrarunt, gaudia cumulant. Inter eas verò animas, quæ recenter evocantur, ſi quæ ſunt, quæ caſtitatem ſaltem corporis ſervare ſtuduerunt, illas præſertim ſponſus amplectitur, quas ſpecialis prærogativa caſtitatis ampliore dilectione reddidit dignas, quæ ob candorem, ac puritatem lilia pulchrè nuncupantur, ex quibus unum quaſi faſciculum ſponſus colligit, cum eas humaniùs fovet, & amantiùs fovendas à cæterarum turba ſecernit. Dum hæc ſponſa enunciat, concipiendus eſt ſponſus amantiſſimus illi ſui ſenſum ingerens, quo quidem ſenſu non tam converſa, quàm correpta, intercepto cum filiabus Hieruſalem ſermone, ad ſponſum ſic ſponſa proloquitur:

LXX. Interpr.

E

F

℣. 2. Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi qui paſcitur inter lilia.

PARAPHRASIS.

Soli ego hæream, & vacem dilecto meo, & adſit mihi ille, qui caſtos ſingulari amore proſequitur.

PHraſis hæc præſentes per tertiam perſonam alloquendi non Hebræis modò verùm & cæteris linguis familiariſſima eſt. Sic igitur debemus ſponſam enunciantem contemplari: Cerno te (ô ſponſe humaniſſime) præſentem, & meis ſuſpiriis deniquè flexum, quid ergò tibi pro humanitate rependam? Dicam (quod poſſum:) Ego Dilecto meo ævo hærebo ſempiterno, & Dilectus meus mihi pariter ſociabitur, cui mos eſt inter candidas puritate animas libenter commorari: quaſi planiùs loqueretur: Ego theca quædam ſum opere fabrili efficta, & ad ſponſi ſolius conformata figuram, quemadmodum theca, ubi conditur ſacer calix, uni duntaxat calici eſt habilis, cæteris verò vaſis diversè formatis nec prodeſt, nec idonea eſt, ſolus calix illam explet, ejuſdem cum illa figuræ, ac elegantiæ. Soli ego ſponſo ſum habilis. Ille in me conditus ſolus me valet explere. Sic ego thecam repurgabo, ut candeat, nec enim niſi in caſtis mentibus ille moratur.

Sponſi adlocutio.

G

Thecæ facti calicis.

H

Poſſunt non ineptè verba hæc per modum optandi enunciari, ut ſponſa cernens ſponſum præſentem, amanter conqueratur de abſentia, & quaſi dicat: Quid ſibi vult

Areolæ ſignificatio.

hæc

Scripta An. 1598.

hæc acris repulsa, & tam diuturna præsentiæ prorogatio, ô sponse? Nonne satiùs est, ut juxta leges amoris, ego vacem Dilecto meo, & Dilectus meus adsit mihi? Quousque me repulsam cruciabis, ac experiri perges? Ubi est conjugii, quod percussimus,
A fœdus? Nisi me tua lux illustrasset, dicerem quod quidam amore saucius extulit:

Virg. Bucol. Ecl. 3. v. 74.

Quid prodest, quòd me ipse animo spernis Amynta,
Si dum tu sectaris apros, ego retia servo?

Modus harum querimoniarum ex amoris natura proficiscitur, qui præsentiam avidissimè cupit, quæ dum negatur, impetu facto, contra propensionem amoris pugnandum est. Oportet autem auctioris meriti ergò amorem torqueri, dum illius spes in futura protenditur. Nunc verò verba hæc sponsæ in contemplationis arcano elata fuisse, videtur esse rationi consentaneum, ut
B in eodem, quæ sequuntur, jucundissimè audiat:

℣. 3. Pulchra es Dilecta mea. Suavis & decora sicut Hierusalem.

PARAPRHASIS.

Ob virtutum proportionem pulchra, ob actionum externarum moderationem decora, ob lenitatem, ac mansuetudinem suavis es, Hierusalem supernæ quàm simillima, Dilecta mea.

C FAmiliare est inter se amantibus, laudibus ultrò, citròque certare. Sponsa catenam quandam verè auream, affabrèque consertam ex sponsi contexuit encomiis. Nunc verò ille hujuscemodi certaminibus assuetus, suæ magnitudinis velut oblitus, & amori exactissimè obsequens, alteram pergit catenam sponsæ laudum pertexere, & in contemplationis thalamo satis jam vexatæ blandiri. Auspicatur autem à quodam universali pronunciato, ad singulares postmodùm laudes descensurus. Ait igitur: Pulchra es Dilecta, suavis, & decora, sicut Hierusalem. Porrò pulchritudo, ut sæpè dictum est, ex debita partium proportione consurgit. Cùm verò de interna pulchritudine fit sermo, perindè est, ac si de structura, & concinnitate virtutum ordine miro distributarum, sibique mutuò consentientium haberetur sermo. Ex hac verò interna partium animæ, quam ex virtutibus contrahunt,
D concordia, naturali quodam excursu, prodit se in externas actiones venustas quædam, in loco, tempore, cæterisque similibus, in agendo, loquendoque servata; quæ appellatur decor, & erga alios, ob lenitatem, ac mansuetudinem eximia suavitas. Radix

Pulchritudo ex debita partium proportione consurgit.

ergò, ex qua decor, & suavitas oriuntur, interna, quam pinximus, est pulchritudo, à qua nunc sponsa commendatur. Nè quis verò suspicaretur hanc esse vulgarem quampiam laudem, apposita sponsus utitur Hierusalem similitudine, qua nullam certè congruentiorem possimus excogitare. Profectò, etsi mira sit interna, qua justi insigniuntur, pulchritudo, etiam dum in exilio agunt, nemini tamen dubium accidit, quin ea & exactior, & divinior in patria futura sit, ubi perfectissima erit ea in actione, sermoneque venustas, quæ appellatur decor; & eximia beati cujusque erga cæteros in illo convictu suavitas. Quæ quidem tria dum talia in sponsa esse asseruntur, qualia in cœlesti sunt Hierusalem, nihil ad laudem opportunius, vel significantius afferri potuit. At enim impensè consideran- Animadversio.
dum est, justos non eam dumtaxat mentem tranquillam, suavemque gerere debere, quæ futuræ gloriæ videtur æmula, nec enim inter justos in hoc versantur exilio, ut suavitas semper austeritati præferenda sit. Oportet nimirum interdum exardescere, & contra scelestos depugnare. Propterea sponsus ait:

E

F

Terribilis ut castrorum acies ordinata.

PARAPHRASIS.

Sicut erga justos es suavis, ac mitis, ità in scelestos terribilis es, virtutibus consertis, in modum agminis ad prælium accincti, armata.

QUemadmodum justi coactione non egent, sceleti verò maximè, ita tu justis, ô sponsa, decora & suavis es, iniquis verò acris, ac terribilis. Illos suavitate permulces, hos terrore coerces. Sicut enim acies, seù phalanx militum præliantium prudentissimi ductoris arte disposita, districtis ensibus, telisque infestis terret hostem, ita tu virtutibus, ad sceleratos reprimendos, & interimenda peccata, accincta & armata es, ut animis flagitiosis terrorem incutias, incussoque terrore, ad conversionem impellas. Expendendum hìc est, justorum vitam virtutum concinnitate contextam, aciei castrorum arte militari consertæ quàm simillimam, sceleratis hominibus esse valdè formidabilem, adeò sanè, ut illius conspectum ferre nequeant. Experimento nimirum quotidiano didicimus, sceletorum hominum cœtus in ipsum Deum conjuratos adeò vel unius studiosi hominis congressum, alloquiumve expavescere, ut coram illo consistere minimè audeant, sed
H instar nubium aquilone flante dissipentur. Et hoc quidem indè accidit, quia peccatum eos reliquit inermes: justorum verò vita, Deo ductore gradiens, tot telis, ac ensibus procedit armata, quæ est suffulta virtutibus.

Justi coactione non egent

G

Similitudo.

Scripta An. 1598.

Si verò justi in publicum prodeant: & acribus increpationibus nefarios homines carpant, tunc ii terrore concussi facilè declarant, quàm justi sint formidabiles, atque terribiles. Ratio verò, ob quam sponsus militari utitur similitudine, ex re ipsa petenda est. Profectò, sicut acies castrorum

A tunc maximè hosti terribilis apparet, cum est ordinata, hòc est, adeò prudenter disposita, conferta, & stipata ut singulis militibus in statione consistentibus, sibique velut connexis, nihil in acie diruptum, nihil sit hiulcum, nec verò locus pateat aliquis per quem, impetu facto, queat hostis irrumpere; ita prorsus, cùm sponsæ virtutes, quas sponsus velut ad prælium armavit accinctas ita sunt sibi hærentes, ita sibi consentiunt, ut sine ulla spiritualium stationum perturbatione sint mutuò velut connexæ, nec aditus patet aliquis, per quem se hostis insinuet, tunc sanè arcana hæc virtutum acies reddit sponsam terribilem, ut & hostem sine jactura lædere, & etiam fugare possit. Ex his patere potest, cur sponsus, cùm asseruit sponsam suavem, ac decoram, contulit illam

B Hierusalem supernæ, non verò, cum dixit esse terribilem; sed tunc eam militiæ, quæ sors est hujus vitæ, comparavit. Nimirum in urbe illa superna terror, qui tanquam pœna pro culpa infligitur, & ab ultrice justitia prognatus est, reperiri nequit, cùm nequeat ibi culpa patrari. Tota verò urbs illa incredibili suavitate, quæ ab exactissima pulchritudine, ac decore posicisitur. Verùm vita hæc mortalis militia quædam est. Cùm autem ad militiam delectus habetur, ad disciplinam militarem, Doctorisque prudentiam spectat, eos milites seligere, qui ad prælium instructi, ipso sanè aspectu hostem valeant deterrere. Ex horum igitur numero selecto sponsam esse credendum est, cùm quasi castrorum acies terribilis nuncupetur. Cujus

Textus Hebraicus. terrorem super hostes ferri, satis Hebræa notant, ex quibus pro acie castrorum ordinata,

C alii vertunt, terribilis, ut castra cum vexillis. Profectò enim terribilis, ac formidabilis, cum nefariis hominibus, tum malignis spiritibus sponsa videtur, cùm regis, ac sponsi sui vexilla, hoc est, crucem fert. His enim vexillis, & impetus scelestorum hominum frangitur, & fugatur infernus.

℣. 4. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.

PARAPHRASIS.

D *Contenta esto nova mentis perspicacitate nuper infusa, satis enim crevit. Ego à te altiùs cognitus, & in tua notitia exaltatus sum. Moderare igitur mentis oculos, ne ultrà definitas metas me speculari conentur.*

Medicorum mos.

PRudentissimis medicis mos est, tempus morborum antevertere, illorumque causas solerti providentia præcidere. Sic antidota parant, & naturam imbecillem in morbos ingruentes obfirmant. In hunc planè modum, cùm sponsam commendare encomio quodam velut elucubrato sponsus adornet, prudentissimè tempus prævertit, illamque propriæ conditionis admonet, ne nimium efferatur, ne se nimis effundat, ac inter splendidissimos præsentis jam sponsi radios existimet, impunè se posse in quantumvis abdita divinitatis arcana mentis oculos intendere, avidam mentem frænare oportere, ut sobriè sapiat, docet ipse Deus. Nec mirum est, sponsam vitæ perfectione jam insignem commoneri; etsi enim sit charitate sublimis, est tamen imbecillis naturæ, cujus ingenium semper plura, majoraque scire gestit. Propterea, ut naturam reprimat juxta sponsi mensuram, monenda est, quamvis enim charitas, sicut & gratia naturam erudiat, minimè tamen delet, nec appetitum in hoc exilio omninò coercet. Sæpè quidem qui sunt ærumnis assueti, & interatò quadam insigni fœlicitate potiuntur, efferuntur animo, omnia sibi licere arbitrati, nec ullum faciunt audiendi modum, quorum animus, propriæ recordatione conditionis, aliisque consiliis opportunis in officio continendus est. Quod ergò sponsus ait, Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt, tantundem est, ac si diceret, coerce oculos tuæ mentis à nimia speculatione mei, quia nova nunc luce perfusi me in alta volare fecerunt; ubi moderatione opus est. Ut autem hujus interpretationis sensus percipiatur, ponendum est ex Theologia, Deum nisi sub creaturarum imaginibus in hoc exilio cognosci non posse, quamobrem ejusmodi notitia humi defixa plurimùm à divina magnitudine deficit, ac proindè Deus ipse prout in ea est humili notitia, quasi depressus, alis privatus, abiectusque tenetur. Quando verò infuso lumine quopiam, quale purgatis mentibus interdum in media vitæ hujus caligine solet immittere Deus, sponsa modo quodam excelso, ac divino divinam contemplatur celsitudinem, tunc eleganter dicitur Deum extollere, illique alas ad volandum reddere, quod innuit alia translatio ajens, Nam illi mihi alas reddiderunt. Est enim Deus in notitia velut in quodam ferculo, ac proindè, si ferculum deprimitur, humi quasi repens, Deus ipse in eo genere deprimatur necesse est, si verò attollitur, Deus etiam eò vectus in altum feratur oportet. Quantò verò sublimiùs notitia effertur, tantò cernit apertiùs, Deum esse incomprehensibilem, tantoque (ut ita dicamus) Deus sit illi major. Et hanc verba illa (Ipsi me avolare fecerunt) habent energiam. Quapropter sic sponsus effari credendus est: Comprime speculationis aviditatem, spiritales oculos moderare, ipsi enim nova luce cœlesti illustrati, qui me antè quasi sine alis depressum in humiliore notitia tenebant, nunc extulerunt me, & me altiùs cognitum avolare, hoc est, alis additis in altiorem cognitionis gradum elevari fecerunt, ubi ego major, quàm olim, & minùs comprehensibilis agnoscor

Similitudo

E

F

Deus quomodo in hoc exilio cognosci possit.

G

Sponsi adlocutio.

H

Scripta An. 1593.

scor: In hac autem illustri notitia moderatione opus est: nam si quis immoderatiùs oculos in me intendat, læditur, sicut quàndo temperanter agit, illustratur. Hæc enim vis lucis est, ut quemadmodum oculum illustrat, sic etiam lædat, si nimia sit. Bimembris igitur est explanatio hæc; duo enim verbo, avolare, exprimuntur. Primùm quidem, Avolare, idem est, ac in altum notitia sublimiore volare. Deindè, Avolare, idem est, ac incomprehensibilem, & captum nostrum fugientem apparere. Ex quo fit, ut duabus efficacissimis rationibus sponsa debeat oculos avertere, ne opprimatur à gloria, nimirum & quia satis illustrem cognitionem adepta est, quod ad primum explanationis membrum spectat (ac si homo ex paupere dives satis effectus, moneatur, ut ea sorte contentus sit,) & quia incassum conatur, quicunque Deum congnoscere gestit, nisi juxta metas ab eo definitas, cum eò major appareat ille, ac nostro captu superior, quò luculentiùs agnoscitur.

Quid sit avolare.

A

Alia textus explicatio

Alii pro verbo, Avolare, vertunt, superbire, quo quidem verbo notissimus quidam exprimitur amoris affectus. Solet enim amans quampiam fœminam egregiæ formæ, cujus pulchritudo in oculis præsertim eluceat,

B

illam sic monere, averte, vel certè claude oculos, quia incredibili venustate nitent, cùm nihil minùs interea optet, quam oculos eos averti. Solet etiam ejusmodi amans se de amasiæ jactare tanquam de propria pulchritudine, ac eum effectum notat verbum superbire, quasi dicat ille, obstrue oculos, quorum ego pulchritudine efferor, atque superbio, utpote dictitans mihi esse amasiam, cujus oculi sint insignes venustate. In hunc modum Deus clementissimus suam in sponsam commendat charitatem, utens ea phrasi significantissima proximè declarata, quasi dicat ironicè, cohibe spiritales oculos tuos (ô sponsa venustissima,) averte illos, quia dum eos intueor, quasi superbio, & justa quadam elatione me jacto, dictitans mihi esse sponsam,

C

cujus oculi eximia venustate me capiunt. Hæc interpretandi ratio ad ardentissimi amoris affectum exprimendum opportunissima est. Sed quid de capillis sponsæ sponsus dicat, est impensè animadvertendum.

Similitudo.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

PARAPHRASIS.

Sicut capræ Jacob è Mesopotamia in Canaan per montem Galaad tendentes celerrimè clivosa loca transiliebant, sic ego (ô sponsa,) qui sum coma tua, quam gestas in capite, capræ, hoc est, peccati tectus imagine; viam passionum asperam, & scabram nullo peccati pondere pressus transilivi, & ad terram viventium properavi.

D

LXX. Interpretes.

PRo capillis, alii comam, septuaginta verò Interpretes; in eundem sensum, cæsariem verterunt. Cæsaries igitur asseritur esse similis gregi caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Priusquam hujus similitudinis vim expendamus, animadvertere oportet, verbum Apparuerunt, hic positum idem significare, ac verbum Ascenderunt, quod habetur cap. 4. ubi hæc ipsa similitudo exposita fuit. Utroquè autem verbo tangitur historia Jacob ex Mesopotamia in terram promissionis revertentis, secumque greges multiplices, ac inter eos capras ducentis. Ideò verò caprarum grex de monte Galaad ascendisse, apparuisseve dicitur, quia per eum montem Jacob suos greges ducens transiit, ibique illum Laban consecutus est, antequam terram promissam esset ingressus. Nunc verò similitudinis vim perpendamus, cur nempè Cæsaries sponsi caprarum gregi comparetur. Porrò ex oraculo Pauli, gloria mulieris est coma, quod ingenuè fatentur fœminæ forma præstantes, quæ incredibili sedulitate cæsariem curant, tanquam suæ gloriæ, hoc est, pulchritudinis partem non vulgarem. Sicut autem gloria, ornatus, seù pulchritudo mulieris coma est, ita sponsæ ornatus, & gloria est sponsus. Non est infirma, nec verò mediocris ornatus pars, sed est ornatus potissimus, qualem uxor gestat in capite, illi videlicet supposita, &

E

Apparuerunt, id est ascenderunt Gen. 31.

1. Cor. 11. 15.

Similitudo.

F

conjugali jure subjecta. Non est autem coma hæc ex earum genere, quæ à capite fœminarum exoriuntur, sed earum potiùs, quas ascititias nuncupamus, quibus utuntur eæ mulieres, quibus ob alopeciam excidit capillus, vel ex natura horret, & ad ornatum ineptus est. Tunc enim eæ cupientes suam turpitudinem obvelare, & insignem, quam natura non attigit, præferre venustatem, cæsariem curatam, lucentem, promissamque conquirunt, quam capiti naturæ æmulo inserunt artificio toti mundo muliebri præsidentem. Sic profectò sponsa, cui ob peccatum sua gloria, suusque ornatus, qui sponsus est, turpi quodam velut alopeciæ morbo defluxerat, incredibili studio, laboreque diuturno

G

cæsariem lucentem, productamque quæsivit, quæ caput obtegeret, defluensque indè totius corporis nuditatem operiret. Cæsaries hæc capiti imposita, ut imperet, ut præsideat toti mentis ornatui, sponsus est, mira sedulitate à sponsa pervestigatus. Hæc est gloria sponsæ, hæc arcana cæsaries, quæ si defluat, uxor turpissima apparebit. Hæc igitur coma caprarum gregi ex Galaad in terram promissam ascendenti asseritur esse persimilis, cum ob pernicitatem, & saliendi expeditionem, tum ob imaginem peccatoris, quam capra præfert. Enimverò sponsus, quando peccatoris imagine, velut mystica pelle capræ contectus, ex hoc exilio, velut ex Mesopotamia quadam, in terram viventium perclivosa passionum loca, tanquam per quemdam

H

Galaad montem gradiebatur, non fuit à cursu peccati cujuspiam pondere retardatus, sed more capreæ saliens, & expeditè currens, viæ asperitatem superavit. Hanc comam studiose curare debet, quicumque veram optat pulchritudinem; cui meritò eæ laudes tribui de-

Scripta An. 1598. debent, quas apud antiquos capillitium adeptum est. Fuit quippè libertatis argumentum, & à Lyciis capillorum studiosissimis tanti coma fiebat, ut multam subire mallent, quàm comam præcidere, unde emersit, ut Lycia coma dicatur, hoc est, compta & promissa. Proverbium A Verùm pergamus ad dentes, quorum candor, & concinnitas faciem mirificè honestat.

℣. 5. Dentes tui grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

PARAPHRASIS.

Cogitationes, meditationesque tuæ ergà scripturæ sacræ intellectum (ô sponsa) similes sunt dentibus corticem fructuum concerpentibus, ac nucleum eruentibus, sic enim eæ meditationes historici sensus corticem concerpunt, indeque sensus multiplices eruunt. Et sunt tanquam oves ablutæ, at B *fœcundæ, quando ex orationis balneo mens abluta, & pura ascendit ad sacri textus interpretationem.*

ALluditur in hac similitudine (sicut de proxima dictum est) ad greges ovium Jacob, tempore, quo tondebantur, & ascendebant de torrente Jacob, quæ, ut ait Chaldaicus Paraphrastes, omnes similes mutuò erant, pariebant gemellos omni tempore, & sterilis, & orbata non erat in eis. *Paraphrasis Chaldaica.* Quod verò attinet ad sensum arcanum, ex *Gen. 30. 39.* 4. cap. ubi fusè verba sunt exposita, petatur. Modò verò nonnihil addere consentaneum est, ut oratio sua serie contexatur. Porrò fructus corticem habentes, priusquam nucleum eruamus, medullaque vescamur, dentibus concerpere solemus; quos ideò natura exacutos, & ad sectionem idoneos videtur effinxisse. C Verba verò sacri textus (ut apud spiritalis anatomiæ peritos constitutum est) & corticem, & nucleum habent. Sensus enim historicus, quem vulgò literalem appellamus, corticis instar continet sensus arcanos. Qui verò studet medullam, nucleumque istum eximere, sensum historicum quasi dentibus atterat, & dirumpat, necesse est. Hi verò dentes cogitationes, seù meditationes sunt Spiritus Sancti munere exacutæ, & ad scindendum historiæ corticem aptatæ. *Dentium significatio.* Quæ rectè dicuntur similes gregi ovium fœcundarum; quales erant oves Jacob gemellos edentes. Ejusmodi quippè meditationes Spiritus Sancti afflatu fœcundatæ multiplices fœtus interpretationum enituntur, populo Christiano mirificè congruentes. D At impendiò animadvertendum est, eos arcanos dentes non cuicunque gregi, sed de lavacro ascendenti similes nuncupari. *Animadversio.* Lavacrum autem ea virtus est, quam sancti Patres, orationem mentalem appellarunt, quæ (ut quotidiano patet experimento) est balneum quoddam spiritale, quo animus eluitur, ac sordibus peccatorum vi lachrymarum profusa repurgatur, ac si parat mentis puritatem, quæ ad sacri textus intellectum plurimum confert. Quamobrem sancti Patres, qui arcanos scripturæ sensus uberiùs tradidere, hoc spiritali balneo se priùs abluebant, indeque tanquam oves de lavacro ascendentes, mentis puritate velut alba lana candentes, non gemellos tantum, verum & innumeros sensus planè divinos evulgabant, quemadmodum de D. Thoma Aquinate clarissimo hujus libri interprete scriptum est, solitum fuisse in sacræ scripturæ difficultatibus orationis se lavacro eluere, & jejunii (quod ad id lavacrum maximè conducit) meritum adhibere. Jam autem superiùs enunciatam, modoque ad energiam repetitam genarum laudem contemplemur. *Lavacri significatio, & virtus.* E *D. Thomas Aquinas in sacræ scripturæ difficultatibus orationis se lavacro eluebat,*

℣. 6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. F

PARAPHRASIS.

Genæ tuæ (ô sponsa) crescentibus, quæ meditata es, dogmatibus sublevantur, & oris claustrum ad sermonem abrumpitur, quemadmodum cortex punici maturi acinis majoribus dirumpi solet.

PRofectò cùm sponsa tam insigniter creverit, & quasi maturuerit, æquum est credere illam non cortici mali punici adhuc acerbi, sed æstate percocti, ac maturi comparari. Punici verò maturi cortex vi acinorum crescentium, jam corticis angustiis capi nequeunt, abrumpitur. Hac sub imagine mysterium latet minimè prætermittendum. Sanè cùm mens diù meditata est sacri textus dogmata, jamque referta est, & afflante Deo, sermonem conceptum retinere non valet, tunc ad erudiendum cæteros divinitus impellitur. Sic, cum cœlestium scripturæ dogmatum, ac sensuum meditatio in sponsa sit, proximè dentium similitudine à sponso laudata, concinnè satis genarum decor commendatur. Qualis autem sit hæc genarum laus ex iis quæ de punico maturo notavimus, cogitandum est. Quemadmodum enim granis, quæ ad justam magnitudinem creverunt, cortex dirumpitur, ita genæ sponsæ, quæ silentio copulatæ, atque commissæ erant, adeò, ut unus tantùm cortex videretur, sensibus arcanis, divinisque dogmatibus, multa meditatione crescentibus, sublevantur, ac diffuuntur, & oris claustrum, ad ea dogmata evulganda, Deo sic agente, perrumpitur. Quapropter, qui spiritalem, internamque sponsæ faciem introspicit, malum punicum, dirupto cortice, granis se prodentibus, & indè velut exilire gestientibus, cernere sibi videbitur. Ex quo patet *Cortex mali vi acinorum crescentium abrumpitur.* G *Similitudo.* H

tet

Scripta An. 1598.

tet, quàm cordatè, ac parcè se sponsa gesserit, quæ tamdiù siluit, nec quamvis provecta, magisterium affectavit. Verùm ejus provectio, spiritalisque proceritas, & dignitas ex mox exponenda laude clariùs elucebit.

A ℣. 7. Sexaginta sunt reginæ. Octoginta concubinæ. Et adolescentularum non est numerus.

PARAPHRASIS.

Pauci perfecti, Plures proficientes, Plurimi incipientes.

Mos antiquorum Patrum in ducendis uxoribus.

AGit Salomon juxta Patrum antiquorum morem. Constat nimirum priscis Patribus concessum olim fuisse uxores plures ducere, ex quibus quædam arctissimo illis fœdere copulabantur, nam præterquam quòd liberis operam dabant, toti etiam domui præerant; alteræ verò à scriptura concubinæ

B nuncupatæ ad torum dumtaxat admittebantur, utpotè, quæ verè uxores erant, domui tamen minimè præficiebantur, ac exindè priinæ erant existimatione, at dignitate posteriores. Præter has duas quasi classes, tertiam adolescentularum classem in aulis regum antiquorum fuisse literis sacris consignatum est. Sic enim ex unius Assueri liquet historia, Virgunculas plurimas fuisse accersitas, & ad regiam perductas, ut in delitiis habitæ, indulgentiùsque educatæ, & ex aulæ regiæ more comitatem, & urbanitatem edoctæ, ad regis se torum compararent, & maturo tempore demum accederent. Cernimus itaquè fœminas illas, regum voluntati omnes addictas, meritis tamen, ac dignitate fuisse discretas. Primæ quippè illæ, quæ

C præter conjugalem dignitatem domui præerant, si regi cuipiam nupsissent, reginæ nuncupabantur; concubinæ non ita, sed ad torum tantùm pertinebant; puellæ tandem neutram dignitatem assecutæ, ad utramque se nihilominùs comparabant. Hisce tribus classibus tres animarum ad amplissimam regis, ac sponsi nostri domum spectantium gradus graphicè significantur. Profectò, ut à capite exordiamur, sunt quædam animæ regio planè diademate dignissimæ, quæ per multa prælia, palmamque multiplicem, velut ad regiam pertinuere dignitatem, inter quas sua sunt etiam discrimina, ut quamdam perpulchram syderum, stellarumque varietatem in firmamento tibi cernere videaris. Porrò his, tanquam Ecclesiæ luminibus, sponsi luce completis, domus cura credita est, ut eæ animæ satis jam divites alias studeant locupletare. Minimus autem, sed tamen perfectus numerus est illis assignatus, sexagenarius nempè, senario decies recurrente conflatus, divinorum operum sex diebus perfectorum notat sacramentum, ità ut senario opera, denario operum perfectio commendetur. Quo sanè numero innuitur, perfectorum regias velut coronas gestantium numerum, licet (si aliis gradibus conferatur) minimus, si tamen seorsum expendatur, esse nequaquam exiguum. Concubinæ, quæ ad domus œconomiam parùm adhuc idoneæ, & voluptati (cui ferè soli destinatæ videbantur) nimis erant addictæ, tametsi verè uxores essent, E secundam proficientium classem adumbrant. Hæ scilicèt animæ etsi matrimonii spiritale fœdus cum sponso inierint, nondum tamen ingenuo prorsus affectu ducuntur, sed voluptate allici, ac permulceri gestiunt, qui est nondum purgati animi apertus index. Propterea, nec corona regia insigniri, nec domui sponsi præesse, sed in seipsis expurgandis, & regia dignitate promerenda operam ponere debent. Quia igitur imperfectionis notis proficientes asperguntur, quadrato numero rectè censentur, hoc est, octogesimo, qui bis quater ducto denario perficitur. Quaternarius autem minimè caret imperfectionis nota, cum ob quatuor anni tempora fluxa, & varia, sibique vix consentientia, quibus hujus vitæ varietatem metimur, tum ob elementa quatuor, quæ licèt corpora mista conflent, ac ex eo capite nonnihil perfectionis impertiri videantur, at sanè in ea ipsa corporum mistorum compactione imperfectionis, hoc est, corruptionis ex discordia interna profectæ semina condunt. Puellæ demum illæ, seù adolescentulæ in aulam regiam accitæ, quæ nec reginarum, nec verò concubinarum erant sortem adeptæ, incipientes signant animas, quæ paulò antè patrati sceleris motibus infestantur, nec se pugna domuerunt, nec verò radices peccatorum altè fixas revellere studuerunt, sed gratias evocatæ, nunc mundo muliebri gratis sibi dato, se comere, ac honestare incipiunt, ut nonnullis postmodum venustatis accessibus ad regis, ac sponsi thalamum queant propinquare. Etsi enim, ex quo divinam gratiam adeptæ sunt, spiritale conjugii fœdus, cum sponso percusserint; at ille (tametsi eis lac non neget interdum) non se gerit erga ipsas, tanquam concubinas, nedum reginas, quas alio præstantiore internæ voluptatis genere, non jam lacte solet delinire. Hunc autem mirum ordinem divina excogitavit sapientia non patiens è culpæ cœno non perfectè elutas, animas ad suum thalamum convolare, sed expurgari priùs, ac erudiri, ut temporis fluxu, & exercitatione perdiscant, quanti fieri debeat ad excelsam sponsi majestatem uxorio affectu propinquare. Harum verò animarum in tyrocinio agentium numerum aritmeticos canones docet Spiritus Sanctus superare, hyperbole pereleganti, quæ, ad significationis augmentum, sermoni sacro sæpè solet intexi. Relinquitur ergò planum, ac manifestum, initia virtutis capessentium numerum maximum, proficientium minorem, perfectorum verò esse minimum. Nimirum auspicari non ità est arduum, ac proficere, nedum perficere. Hæc autem longa excursio eò tendit, ut recensitis pluribus animabus, quæ laudem merentur, tantò sponsa appareat laude dignior,

Reginarum, Concubinarum, & Adolescentularum discrimen, & significatio.

Sexagenarii numeri significatio.

G

H

Scripta An. 1598. quantò cæteris probatur esse major. Propterea sponsus ait:

V. 8. Una est columba mea, perfecta mea.

PARAPHRASIS.

Sponsa mea una, hoc est, sola est suis absoluta numeris, quæ cæteras anteit, quasi constantissimo columbæ volatu, & quamvis plures etiam perfectæ sint sponsæ, hæc tamen antonomasticè perfecta, filiaque mea vocatur.

DIximus, cùm proximè reginarum dignitatem edissereremus, sua etiam in perfectorum statu reperiri discrimina. Et quidem si in patria cœlesti, ubi nihil nisi perfectum nitet, inter purissimos illos cœlites, discrimina plura cernuntur, ut alii aliis antecellant, omninò certum erit, in hac valle, inter ipsos etiam perfectos à sanctis Patribus in tertio gradu repositos sua pariter intemicare discrimina. Ut igitur inter hos egregios animos non qualemcumque perfectionem, sed singularem, ac propè divinam sponsa monstretur adepta; ideò sponsus eam velut in quarta classe constituit, non sanè, quòd regina non sit, est enim regina, sed inter eas animas, quæ his meritis, & nomine censentur, est tanquàm principatum consecuta, propter quod una, hoc est, sola, quasi phœnix asseritur esse. Etsi enim plures fuerint animæ, ac fortasse modò nonnullæ sint, quæ hac insigni dignitate, velut cœli lumina, alicui vel provinciæ, vel monastico cœtui prælucent, eæ tamen adeò rarò proveniunt, eò quòd terra fructifera versa est in salsuginem à malitia inhabitantium in ea, ut meritò singulari numero, immò sine numero, ipsa unitate, vel monade debeant significari. Ut autem sponsus hanc inter reginas præstantiam declararet, columbam suam & perfectam suam nuncupavit. Columbam sanè, propter constantissimum volatum, quo ea volucris pollet, ut ultra fines aliarum animarum convolasse sponsa credatur. Perfectam verò antonomasticè dixit, ut præ cæteris eam doceat suis esse numeris absolutam. Quod verò non columbam & perfectam, sed columbam meam, & perfectam meam appellavit, emphasi minimè vacat. Innuit enim hac appellatione sponsus singulare quiddam & excellens, propter quod sponsa dicenda sit sua, quemadmodum pater plures habens filios, ad commendandam ejus, qui cæteris prudentia, gratiavè præcellit, præstantiam, suumque in eum amorem singularem, suum filium dictitare solet. Maximè autem sponsæ perfectio claret per ea verba, quæ sequuntur.

Sponsa cur columba vocetur.

Emphasis.

Una est matri suæ, electa genitrici suæ.

PARAPHRASIS.

Sola est sine dubio matri suæ cælesti Hierusalem quam simillima, ea enim perfectione nitet, quæ cælitibus est proxima.

VErba hæc bifariè interpretari possumus, juxta duplicem matris, genitricisve significationem sacro textui familiarem. Porrò illa, quæ sursum est Hierusalem, mater est nostra, ex qua ducit originem justitia nostra, illucque recurrit. Sic enim Joannes vidit militantem Ecclesiam, cujus nos membra sumus, è cœlo descendentem, velut ab ea genitam Ecclesiam, quæ triumphet. Huic ergò Ecclesiæ triumphum in cœlo agenti sponsa dicitur esse una, tanquam matri unigenita filia, vel certè primogentia, si enim unigenita dicatur, erit unica matri suæ; si vero primogenita, erit inter cæteras filias electa genitrici suæ. Hæc autem excellentia, ob quam unica, electaque nuncupatur, nihil est aliud, quàm exactissima similitudo cum matre, & tam eximia vitæ puritas, ut beatorum statui sit sponsa finitima. Ejusmodi verò puritatem perquàm rarò quæpiam anima adipiscitur, ac proindè, singulari cum energia, una, electaque vocatur. Hæc prima est Interpretatio.

E Hierusalem quæ sursum mater nostra

Apoc. 21. 2.

Secunda eruitur ex altera matris significatione arcana magis. Profectò in scriptura sponsus humanissimus matris proprietates sibi tribuere solet; nec enim ipse qui alios parere facit, vel non pariet, vel infœcundus erit, ut enunciavit Esaias. Et quidem, tametsi ut matrem se ipse gesserit in mundi creatione, ibi enim spiritus ejus, ac proindè ipse etiam ferebatur, seù incubabat super aquas, more gallinæ pullos calfacientis, ac foventis, in redemptione tamen generis humani (quæ est altera cosmopæja) multò luculentiùs matris propalavit ingenium; subiit enim acerbissimos dolores partus, & sic plures filios regeneravit, ac peperit in salutem. Est ergò sponsus ipse mater, nec verò qualiscumque mater, sed tenerrimè, ac fortissimè amans. Quin verò etsi mater oblita fuerit filioli, quem genuerat, ipse tamen sponsæ minimè obliviscetur, ut olim pollicitus est. Huic ergò matri, ac genitrici suæ, ex cujus uberibus lac sugit, & sanguinem, sponsa dicitur esse una & electa, una ob singularem perfectionem phœnice rariorem, electa ob præstantiam, qua cæteris animabus facilè antecellit. Explanatio hæc, præterquam quòd ex media amoris natura promitur, est ad permovendum affectum efficacissima. Quid enim ad cor permulcendum efficaciùs, quam sponsum de seipso, tanquam de matre ergà nos agentem audire? Verùm enim quod sequitur, ad hunc amoris affectum ardentissimum exprimendum est valdè accommodatum. Cupiens enim sponsus insignem nobis sponsæ persuadere pulchritudinem, testes inducit locupletes, omniquè exceptione majores, quam parum ei fidendum sit, dum de sponsa loquitur, ob nimiam suam qua flagrat,

Alia textus explicatio.

Esai. 66. 9.

cha-

Scripta An. 1598.

charitatem. Agit humano more: Apud homines nimirum, nec matri, nec ſponſo, nec verò amanti fides habetur, cùm de filia ſponſa, amaſiave periculum ſit. Tametſi ergò illum à recto judicio amor nequeat ullo pacto flectere, leges tamen hominum ad majorem ſponſæ laudem ſubire maluit. Quapropter ſubdit;

A

Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicaverunt reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.

PARAPHRASIS.

Suſpexerunt eam cœlo propinquam animæ incipientes, & dixerunt eſſe beatam. Proficientes etiam & perfectæ animæ id ipſum dixerunt, & omnes certatim laudaverunt eam.

IN tres ſponſus diſtribuit claſſes teſtes accitos, juxta tres paulò antè deſcriptos, incipientium, proficientium, perfectorumque ſtatus. Porrò reginæ & concubinæ in arcano ſermone quænam ſint, explanatum eſt. Filiæ verò ſunt, quas nuper Salomon adoleſcentulas appellavit. Tres hi chori animarum ad ſponſi aulam ampliſſimam ſpectant, ac proindè à vulgo peccatorum illuſtri charitatis diſcrimine ſecernuntur. Jam verò quempiam à vulgo laudari virtutis argumentum non eſt; at à ſapientibus, etſi paucioribus commendari egregiæ virtutis eſt perſuaſio. Cùm enim ſapientum oculus veræ philoſophiæ puritate clareſcat, nec patiatur, vulgi more, ſe quopiam humore noxio ſuffundi, quo intuitus obturbetur, fit, ut ſua perſpicacitate ſynceram rerum naturam, qualis ea eſt, cernat, & internoſcat, & exindè ita judicet, quemadmodum ipſa veritas non fucata depoſcit. Propter hoc ſponſus induxit, non adoleſcentulas tantùm, eæ quippè, licèt nonnulli ad laudem proſint, convincere tamen non omninò valerent, cùm in juſtitiæ tyrocinio verſentur è vulgo paulò antè ſelectæ, Concubinæ etiam, quæ affectum voluptatis in profectu, ac progreſſione ſua non prorſus repurgarunt, conducere ſanè poſſunt, verùm nec omninò videntur eſſe teſtes omni exceptione majores, poſſet enim excipi contra illas voluptatis affectatio, quæ judicii puritatem obturbat, rectitudinemque detorquet. Oportuit ergò eas, ſicut & adoleſcentulas, a teſtimonio ferendo, ob altiorem vulgo ſtatum, non repelli, neceſſe autem prorſus fuit, reginas in teſtimonium probatiſſimum adduci, quæ cùm ob eximiam mentis puritatem ad perfectionis faſtigium pertinuerint, nihil eis obiici poteſt, quod laudis vim queat enervare. Sic ergò ſponſus eloqui cenſendus eſt; Nolo protinus mihi ſoli fides habeatur, ne quis dicat, me impotenter amare, cùm ſponſam effero. Ecce alios teſtes adduco incorruptos. Animæ quippè incipientes, ac proficientes, & quod eſt laudis faſtigium perfectæ, illam non utcumque perfectam, ſed inter perfectas, ut beatiſſimam prædicaverunt, & eo genere laudis, quo nullum eſt ſublimius, laudaverunt eam. Profectò viderunt eam cœlo jam proximam, & inter beatos eam collocarunt. Hujus methodi, quam ſponſus graphicè hîc depingit, priùs ſponſam commendans, poſtmodumque animarum perfectarum laudem adjungens, hujus inquam methodi, ſeù viæ rationem, & confirmationem illuſtribus exemplis, noſtra etiam ætate notiſſimis afferre poſſumus. Conſtat nimirum, animas egregias, quarum ſanctitas & miraculis, & corporis incorruptione obſignata eſt, dum adhuc nobiſcum agerent, cœleſti lumine ſæpè perfuſas, à Deo in contemplationis arcano fuiſſe identidém probatas, quas nihilominùs ad perfectos viros diſcretionis ſpirituum donum adeptos mittebat, ut illorum purgatiſſimo judicio, ac teſtimonio laudarentur, & quaſi beatæ prædicarentur. Hic animadvertendum eſt, ſermonem haberi de beatitudine, qualem in hoc exilio perfectæ animæ comparare ſolent, cùm jam interna virtutum ſtructura, velut ad umbilicum perducitur. Ejuſmodi verò beatitudo multiplex eſt, ut ex textu conſtat Evangelico. Ejus verò natura non eſt à virtutum natura diverſa, ſed potiùs eadem, ſolaque à communi virtutum gradu, perfectione actuum dirimenda. Enimverò ipſemet virtutis actus egregius, quemadmodum ſi, ut delectat, expendatur, fructus ſibi nomen vendicat, ita ſi, ut perficit, ſpectetur, appellatur beatitudo. Et quia juxta rationem hanc is virtutis actus beatorum heroicos æmulatur affectus, meritò beatitudinis nomenclatura inſignitur, jureque ii beati nuncupantur, qui ejuſmodi actum expromunt. Dixit ſponſus ab illis tribus velut claſſibus animarum ſponſam ad probitatis perſuaſionem efferri. Nunc appoſitè triplex ille chorus in ſcenam introducitur, & ſic effatur;

Animadverſio.

Qui beati nuncupentur

G

ADOLESCENTULÆ, CONCUBINÆ, AC REGINÆ.

V. 9. Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens.

PARAPHRASIS.

Quam ſublimis eſt iſta, quæ nec jacet, nec verò ſedet in tenebris, ut reliquum genus humanum, ſed erecta graditur, & procedit, ut aurora, nova capiens divinæ lucis incrementa, ac proindè ſemper in altiora conſurgens.

H

RECtè admirari incipiunt, ſponſam, quam peccati caligo pervaſerat, adeò illuſtrem conſpicatæ. Propterea non quòd ignorent, ſed ſignificationis ergò interrogant: Quænam eſt iſta, quæ progreditur? quaſi dicant, tota ferè Adæ poſteritas, vel ſedet, vel certè jacet in tenebris, & umbra mortis

B

C

D

Teſtes debent eſſe incorrupti.

Scripta An. 1598.

tis, hæc autem, cùm ex eodem parente ducat genus, quomodò non ſedet, aut jacet, ſed incedit erecta, rectoque itinere progreditur? Contemplantur hi tres animarum chori ſponſæ à recente juſtitia uſque in præſentem gradum progreſſionem, ut totius vitæ curſum exactè commendent. Propterea ſic ajunt: Quæ nam eſt iſta, cujus initia nobis contemplantibus videtur aurora quædam pulchra oboriri, & ſolis ortum præcurrere? Aurora nihil eſt aliud, quàm prima diei lux, qua ſub ſolis adventum aer illuſtratur, & accipi ſolet etiam pro ea diei parte prima, quando lux adhuc dubia eſt. Hac verò ſub imagine juſtitia recens adumbratur, quæ in eo primordio, cùm adhuc perfectè non claruerit, tenebrarum ex paulò antè admiſſa culpa relictarum, nondum veſtigia prorſus abjecit. Eſt autem eximia illius laus, eſſe auroram ſurgentem, hoc eſt, lucis incrementa capientem, ac in illas tenebras prævalentem. Sunt enim nonnulli, qui auroræ quandam præferunt ſimilitudinem ad gratiam evocati divinam; at verò quia torpent, & pravis conſuetudinibus retardati ab incepti itineris progreſſione tepeſcunt, non imitantur auroram conſurgentem, ſed crepuſculum noctis, adeò ut ſimul eis lux oriri, occidereque videatur. Verùm tres chori laudare pergunt.

Tres animarum chori.

A

Auroræ deſignatio.

B

Pulchra, ut Luna.

PARAPHRASIS.

Sicut Luna tunc eſt pulcherrima, cùm in plenilunio eam recto Sol complet aſpectu, ita hæc, divini ſolis, ac ſponſi ſui, eam per lineam rectam aſpicientis luce plena, longè pulcherrima apparet.

C

TOta ſanè Lunæ pulchritudo lux Solis eſt. Quamobrem quò rectiùs ſoli opponitur, & quaſi per lineam rectam ſolis ad eam radii perferuntur, eò pulchrior apparet, undè & in plenilunio pulcherrima videtur. Contrà verò, quò magis obliquè ſolis lucem excipit, deformior conſpicitur; quapropter, ſi omninò caret ſolis aſpectu, ut in eclipſi perfecta, turpiſſima videtur eſſe. Hæc eſt pulchritudinis ſponſæ nativa effigies. Porrò, ſi ſponſi luce, velut rectò ſolis aſpectu ſponſa compleatur, egregia forma, perfectaque venuſtate nitebit. Si verò obliquè illam divinus hic ſol intueatur, parte ſaltem pulchritudinis quapiam ea carebit. Si deniquè acciderit eclipſis, terra, hoc eſt, affectu terreno inter ſolem illum, ſponſamque interpoſito, interna tunc deformitas, mentiſque caligo ſponſam obducet, ac obtenebrabit. Nunc autem ſponſa pulcherrima eſt, quia recta linea ſponſi lux illam complet, ut nocti præluceat, & illuſtrare valeat eos, qui in tenebris, & umbra mortis ſedent. Qua quidem imagine ſatis patet, quàm fœliciter ſponſa ab auroræ luce dubia progreſſa fuerit. Ibi enim necdum ipſa plenè lucebat, hîc verò in plenilunio exiſtens, noctem vertit in diem, ut errantibus quaſi viam lacteam commonſtrare queat. At hîc minimè conquieſcunt illi chori, ſed quod eſt laudum faſtigium, & quaſi ſtructuræ coronis apponunt ajentes;

Luna cùm eſt plena, pulcherrima eſt.

D

Electa ut Sol.

E

PARAPHRASIS.

Elegit eam Deus ut ſolem, nam propter eximiam perfectionem nativa jam illi lux, non aliundè hauſta videtur. Et ejus ſanctitate, ac doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna.

HAC pulchra ſimilitudine propalat Spiritus Sanctus excelſum illum perfectionis gradum, in quem ſponſa conſcendit. Uſque eò enim progreſſa eſt, ut ſit viva quædam ſponſi, ac ſpirans imago, ut quicumque illam aſpexerit, (ſi tamen aquilinos oculos adeptus fuerit) Solem ipſum divinum ſibi cernere videatur. Propterea jam non ultrà comparatur iis luminibus, quæ luce lucent aliena, ut aurora, & Luna, ſed Soli, qui propria luce, nativaque lucet, ac fons luminis eſt. Enimverò, etſi rarò, nonnumquam tamen aliquot animæ adeò illuſtres Eccleſiæ militanti præluxere, (quod in rebus geſtis Apoſtolorum, aliorumque Patrum, qui ſunt eorum æmulati claritatem, licet animavertere) ut nativo lumine ſplendere, aliosque illuminare viderentur, ac proindè huc ſpectat, quod de iis canitur: Quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna. Iſti ſunt viri ſancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, ecce, quo pacto ſunt electi, quandò verò apponitur, Quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sole Luna, facilè declaratur, eos eſſe electos, inſtar Solis. Hoc verò ſic accipiendum eſt, ut Eccleſia, cujus diſtincta ſunt membra, in duo tanquam lumina diſcriminetur, quorum alterum iis viris clariſſimis, qui ſolis funguntur officio, tribuatur, alterum verò, quod non eſt adeò illuſtre, eis adſcribatur, qui ſunt in Eccleſia merito, ac ſanctitate poſteriores, qui ab illis primis, tanquam à Sole Luna, lumen mutuantur. Illorum ergò clariſſimorum luminum dignitatem ſponſa oſtenditur aſſecuta, cùm tanquam Sol nuncupatur electa, quæ tametſi à ſponſo lucem receperit, tot tamen illa crevit acceſſibus, ut jam lux non aliundè hauſta, ſed nativa videatur, ex hoc ſponſa electa videtur, ut præſit diei, quæ antè, cùm nondum ſolis eſſet claritatem adepta, nocti dumtaxat præerat. Minùs nimirum erat peccatoribus nocte ſignatis illuſtrandis eſſe illam præpoſitam, quàm juſtis, quorum dies gerit imaginem, eſſe prælatam. Hanc nunc inſignem dignitatem nacta eſt, ut juſtos rudes adhuc ad perfectionem perducat, & multiplici actu hierarchico, tanquam ſuperior angelus inferiorem, purget, illuminet, ac perficiat. Allatæ

F

G

Eccleſiæ membra in duo lumina diſtincta.

H

Scripta An. 1598.

latæ ſimilitudines auroræ, Lunæ, ac Solis, ſuavitate refertæ ſunt, qua perfectarum animarum affluit ingenium, ex quo qui ſanctitati ſtudent, eximiam voluptatem eliciunt. At interdum expedit, hac ſuavitate poſita, ſponſam ſceleratis animis terribilem apparere, ut eorum coerceat petulantiam, ut in harum laudum primordio ſponſus innuit ſub iſtorum verborum tunc inducta mataphora. Nunc verò repetitur, quia cum ad præfecturam ſponſus cupiat ſponſam erudire, & velut ad prælium armare, nihil impenſius illi commendari debuit, quàm alterna terror cum ſuavitate permiſtus. Propterea iterum inducitur a tribus illis animarum choris aciei ordinatæ tranſlatio.

A

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

PARAPHRASIS.

B *Terribilis ſponſa, ut Sol, radios in tenebras peccatorum emitteus, apparet, ſicut acies haſtas præferras, ac lucentes in adverſum agmen intendens.*

ADeò ſapienter ſponſus connexuit ſponſæ dotes egregias, ut tametſi videantur longè diſſimiles, alias tamen ille miro artificio deducat ex aliis. Enimverò lux auroræ Lunæ, ac Solis, quæ fovet animantes, oculiſque grata eſt, eadem tenebras pellit, nebulas & caliginem diſcutit, & fugat. Quamobrem ſi tenebræ, nebulæque ſenſu eſſent præditæ, nihil magis vel execrarentur, vel formidarent, quàm lucem. Sic oculi nebula, caligineve obducti lucem fugiunt & oderunt, ſicut dictitari ſolet, oculis ægris odioſa eſt lux. Peccatores autem in tenebris jacent, & illorum animi, quemadmodum & angeli tenebrarum, caligine obruti ſunt, unde nihil eſt illis luce odioſius, & qui cum iis certaturus eſt, non eſt aliis armis, quàm luce induendus. Quapropter Scriptura nos hortatur, ut induamur arma lucis. Sponſa igitur ſplendidiſſima circumſepta luce, velut aureo clypeo, à quo juſtorum eam imitantium montes reſplendent, prodit armata, & tenebrarum principibus, eorumque miniſtris fit ſanè terribilis, quod quàm ſit propriè dictum, ex caſtrorum acie repræſentata liquebit. Profectò, ut conſtat ex militari prudentia, cùm exercitus ad prælium diſponitur, acies una contra hoſtium obſirmatur impetum, quæ acies haſtariorum eſt, qui tanquam murus ferreus tela intendunt infeſta. Tela verò præferrata cuſpidibus exacutis, ac lucentibus, oculoſque hoſtium impetentibus imitantur radios ſolis, qui à ſole ipſo erumpentes, ſicut infeſtæ haſtæ lucentes, & cuſpidatæ adverſam impetunt, pelluntque caliginem. Patet ergò, quàm ſit elegans, rerumque ingenio conſentanea tranſlatio, cùm ſponſa nuncupatur terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Sic ergò

Oculis ægris odioſa eſt lux.

C

Rom. 13. 12.

Elegans translatio.

D

tres illi chori rogare exiſtimandi ſunt. Quænam eſt iſta, quæ Dæmonum, peccatorumque tenebris terribilis & infenſa eſt? Solis more radios in caliginem intendit adverſos, quemadmodum acies haſtariorum tela in hoſtem intendit præferrata, radiiſque lucisè lucente ferro emiſſis, adverſi agminis oculos armata præſtringit. Tribus his choris in ſcenam accerſitis, ac interlocutis, ſponſus, qui tantiſper, dum illi ſponſam commendabant, ſiluit; ſermonem repetit, ſponſamque mulcere feſtinat. Perpendere autem operæ pretium fuerit, morem mutuò amantibus familiariſſimum eſſe, ſi qua ratione alter poſſit de altero conqueri, nihil non agere, ut excuſationem ſaltem umbratilem prætexant, & ſeipſos à læſi amoris noxa compurgent. Hanc amantium philoſophiam non aſpernatus ſponſus, cùm viſus eſſet ſponſam diù derelictam nimium torſiſſe, ſuumque nimis reditum prorogaſſe; repentè apparens, quaſi pulchritudine ſponſæ captus, ab illius laude ſibi temperare nequiret, laudavit illam. Poſtquam verò laudi velut coronidem adjecit, tanquam ſedato amoris motu, quem ſponſæ intuitus excitarat, ſic excuſationem affert.

Mens amantium.

E

F

SPONSUS.

℣. 10. Deſcendi in hortum nucum,

PARAPHRASIS.

Cum à te receſſi (ô ſponſa,) deſcendi ad permulcendam & voluptate capiendam congregationem nuper converſorum, qui hortum nucum imitantur, habent enim cor multis callis obtectum, ex pravis conſuetudinibus anteactæ vitæ, ſicut nucleus multis operculis ſeptus eſt. Et ideò illos crebrò inviſere, & delinire debeo, ut mihi præbeant cor, & ſinant me illos callos excindere.

G

IN primordio hujus capitis ſponſa dixit, Dilectum deſcendiſſe in hortum ſuum, cùm ſe ſubduxit, & ad recentes juſtitiæ fœtus leniendos properavit. Hoc ipſum ſponſus cauſatur, & velut excuſationem affert, cur abfuerit. Exceſſus ergò à ſponſa, quæ jam eſt charitate ſublimis, & acceſſus ad tyrones recèns Deo genitos, ipſo quidem juſtitiæ primordio humiles, eleganter deſcenſus appellatur. Ipſe verò tyronum cœtus, hortus nucum arcana ſignificatione rectè nuncupatus eſt, quod ex naturali nucis ſtructura facilè patebit. Porrò fructu, nucleove juglandium veſci perdifficile eſt. Nucleus enim ille multis eſt tectus operculis, calyce nempe pulvinato, ac putamine, ubi obduruit, firmiſſimo. Eſt præterea ille lignea intercurſante membrana velut implexus, quamobrem vix ullus eſt fructus, qui ut edi poſſit, tantum negotii, quàm nux una faceſſat. Conterenda quidem eſt, & ab

Tyronum cœtus hortus nucum nuncupatus.

H

ea

Scripta An. 1598.

ea nucleus non tam eximendus, quàm illata vi extorquendus videtur. Hæc est imago Christo parere auspicantium expressa. Profectò hi peccatis assueti, longo anteactæ vitæ procursu multiplices callos obduxere cordi, qui est arcanus ille nucleus, quo vesci sponsus impensè cupit. Quapropter cùm sponsus eos animos contuetur, hortum certè nucum sibi videtur cernere. Laborandumque illi est, sedulòque incumbendum in

A

eos callos excidendos qui cor ambiunt, ut optato cibo frui queat. Sanè cùm sponsus Samaritanam alloqueretur, & ejus cerneret cor, instar nuclei, multis callis obtectum, ab ejus colloquio nullo suasu divelli poterat, utpotè ad excidendos callos magnoperè intentus, ut iis amputatis suo cibo vesci valeret. Ii verò calli, cùm arctè nimium inhæreant cordi, non ita facilè excindi possunt, sed adacto scalpro opus est, multiplici videlicet virtutum actu; qui à peccatore ad gratiam suscitato exercendus est. Non enim, si quis peccator ad justitiam uno excitetur impulsu ut plurimùm, continuò cordis calli resecantur. Experitur quippè legem membrorum, menti improbè relu-

B

ctatium, & cordis ad terrenam proclivitatem ex iis callis nondum exsectis exortam, quæ multa navitate, ac exercitatione justitiæ elevanda, & si fieri potest, procul omninò arcenda est. Quoadusque enim cor illis callorum septis sit exemptum, sponsus cordis nucleo symbolico vesci nequibit. Quia verò fames illum urget, in hanc enucleationem totus incumbit. Sic ergo censendum est sponsum effari; Quòd à te recesserim sponsa, cùm mihi tota patebas, rationi consonum fuit. Habeo enim hortum nucum, cœtum videlicèt nuper conversorum, quorum corda vix suis queo claustris extrahere, ac proindè ad illa eximenda, quorum fame premor nervos intendere, hortumque ipsum frequentare debeo. Tuum cor jam possideo,

C

& ejus fidem expertus consultò abeo, meritumque cumulo; at si teneros tyronum animos ita vellem experiri, & non creberrimè adessem, ac solarer, illorum fructu minimè potirer. Sed sponsus pergit:

Ut viderem poma convallium.

PARAPHRASIS.

Descendi ad hortum nuper conversorum, ut inspicerem, & solarer illos. Solatio enim, ac voluptate nunc alendi sunt, ideò enim dicuntur poma convallium, in quas confluit voluptatis aqua, vel genimina torrentis. Torrente quippè voluptatis nunc potantur, ut fructum referant.

D

Recenter conversi nuncupantur poma convallium.

MUltifariam recenter Christo sociati nuncupari solent. Nuces nimirum arcano sermone (ut proximè dictum est) appellantur. Nunc poma dicuntur convallium. Pulsat autem mentem dubitatio, quomodo sermo cohæreat. Nam si sponsus descendit in hortum nucum, ideò proculdubiò descendit, ut videret nuces, cur ergo quasi nucum oblitus, ait se descendisse, ut videret poma convallium. Verùm hæc vocum, non rerum est diversitas, constat enim apud classicos autores, nuces pomorum genere contineri, sic quippè de nuce Plin. ait l. 15, c. 22. Solum hoc pomum naturâ compactili operimento clausit. Et ita dum sponsus ait, se descendisse in hortum nucum, ut videret poma, tantundem agit, ac si diceret, descendi in hortum nucum, ut nuces, quæ sunt pomæ, viderem. Vel certè si poma hic non nuces, sed mala sint, quibus est mollis cutis; sponsus ait, Descendi in hortum nucum, ut viderem poma, ac si diceret, ut poma mollia ex duris nucibus adventu meo facta viderem. Ad hanc enim transfigurationem efficiendam sponsus corda visitat, ut novas cordibus formas inducat, & lætus inductas videat. Nam & ad hanc metamorphosim mundum visitavit oriens ex alto. Dicuntur autem poma convallium, hoc est, locorum humilium. Exigua enim est illorum mensura, & propterea in humilibus locis figurato sermone pinguntur. Sic quippè ait Septuaginta Interpretum versio, Ut viderem in genimine torrentis, qua sermonis forma quædam loci cavitas notatur, in quam pluvia confluit, efficitque torrentem. Est autem mira divinæ sapientiæ harmonia, dum recenter conversos in humili loco, & velut convalle quadam statuit, ubi tantò uberiorem percipiant voluptatem, quantò recentiores sunt, ut & ipsa voluptatis copia fiant fructuosi. Enimverò, quemadmodum è montium culminibus, inter quos convallis jacet, aqua in convallem ipsam uberrimè confluit, ita in animas in justitiæ primordio, tanquam in convalle, agentes, copiosissimè fluit divina voluptas. Et hac agriculturæ peritia plantæ illæ tenerrimæ fæliciùs crescunt, amoris fortitudinem nondum adeptæ. Propterea Septuaginta sic inducunt sponsum loquentem: Ut viderem in genimine torrentis, hoc est, descendi in hortum nucum, qui meæ præsentiæ voluptate colendus est, ut viderem, an sit fructus quispiam in genimine torrentis, id est, in germine, quod torrente voluptatis alitur, & crescit, quæ nota est apertissima novorum justitiæ fœtuum, qui torrente voluptatis à sponso leniuntur; sic enim inducantur sensim, ut aspera subire possint experimenta, quibus, tanquam ferro exacuto, vetustas illis excidi possit, & cordis nucleus erui. Hæc igitur sunt poma convallium, seù genimina torrentis. Porrò, qui perfecti evaserunt in terra deserta, invia & inaquosa, hoc est, ubi voluptatis torrente non potatur animus; apparent Deo firmissima fide subnixi, ac si essent in Sancto, ubi Deus suâ præsentia suavissimè solatur animam, ut regius Psaltes de seipso canebat; verum qui exercitatos ad boni & mali discretionem non habent sensus, in terra inaquosa

Vocum non rerum diversitas.

E

Quomodo Sponsus corda visitat.

LXX. Interp.

F

Similitudo

G

H

fru-

Scripta An. 1598.

fructus minimè reddunt, sed in convalle, in quam undiquè confluit aqua, vel (in eumdem sensum) in torrente, cujus genimina satis appositè dicuntur esse. Ulteriùs verò sponsus ait:

A

Et inspicerem, si floruisset vinea.

PARAPHRASIS.

Recessi à te (ô sponsa) tanquam à forti, & adii imbecillem amare incipientium cœtum, quem flos vineæ notat. Est enim is flos velut initium vini, quo significatur perfectus amor.

PRofectò si de perfecta, seù perfectioni proxima justitia haberetur sermo, non de flore vineæ, sed de maturis uvis sponsus cogitaret. Cùm ergò ait, se descendisse in hortum, ut inspiceret, an floruisset vinea, de tyronibus se agere perspicuè prodit. Sunt nimirum certæ charitatis periodi, quæ tempus humanæ vitæ imitantur. Est sua charitati infantia, est sua pueritia, adolescentia iuventus, virilitas, & pro senectute maturitas, non enim deficit ut senectus, sed matureścit. Hæc autem elegans temporum discretio, gemma flore omphacio maturitati proxima, maturaque uva, & maturitatis perfectione notatur. Nunc igitur, cùm animæ nuper de vite sponsi propagatæ, & in eadem satæ vinea pinguntur, floris mentio significanter facta est, ad innuendam charitatis pueritiam: Inquit ergò sponsus: Recessi à te (ô sponsa,) quæ solido cibo vesceris, ad inspiciendam, & mea presentia alendam eorum, qui nuper me amare cœperunt, quos flos vineæ, ex quo uva concrescit, & vinum deniquè exprimitur, eleganter notat pueritiam. Tu velut uva matura me reficis lassum, hos ego, ut uvas ferant, sollicitè colo. Huic tyronum descriptioni manum sponsus ultimam admoturus ait:

Temporum discretio.

Flos charitatis pueritiam designat.

C

Et germinassent mala punica.

PARAPHRASIS.

Abii ad inspectanda prima punicorum germina, qui est tenellus incipientium amor.

NOn ait, Ut inspicerem, an maturuissent mala punica: sed germinassent, vel pullulassent. Porrò, malum punicum esse expressam charitatis imaginem, ex rubore cùm corticis, tum acinorum; tum verò maximè ex illa ultronea ruptura, qua cùm maturuit, velut viscera prodens inflammata dehiscit, & ex corona, quam gestat, satis ex se liquet. Rubet charitas divino igne genita, viscera incensa celare nequit, ut regina virtutum coronata incedit. Habet autem suas malum punicum periodos, & velut humanæ vitæ signata discrimina, ut de vinea proximè dictum est. Partus quippè mali punici primus, cytinus appellatur, in modum scyphi rubei à natura conformatus. Ex hoc ipso cytino flosculi quidam erumpunt, quibus balaustium nomen est. Postmodum flosculi concrescit in acinos, punicumque augescit. Grana deindè intra corticem gliscunt, ac rubent. Exindè punicum justam crescit ad magnitudinem. Demum maturum, ac percoctum punicum integra perfecti amoris significatione dehiscit. Cytino infantia, balaustio pueritia, acinorum concretione adolescentia, granorum incremento, ruboreque juventus, justa magnitudine virilitas, sciissura punici dehiscentis non senectus: (nec enim senescit) sed charitatis maturitas mirificè signatur. Cùm igitur de germine, & quasi partu punici primò sponsus loquatur, de nova illum charitate agere necesse est, & in hunc morem effari: Recessi à te, ô sponsa, nec enim tu mea præsentia tantoperè indigebas, ac illi, qui sunt in amoris incunabulis. Hi cytinos punici, tu punicum patens, ac acinorum flagrantium quasi viscera retegens imitaris, propterea veni, ut inspicerem, an hi germinassent, te verò jam sciebam maturuisse, tota enim, cùm mihi pulsanti aperire festinabas, ut punicum maturum patuisti. Hæc postquam sponsus effatus est, sic sponsa respondet.

Gradus ætatis.

E

B

SPONSA.

℣. 11. Nescivi.

PARAPHRASIS.

Non animadverti (ô sponse) quamnam ob causam recessisses. Nescivi an ex culpa mea fugisses, ideò dirè torquebar.

NEscivi, tantundem hoc in loco pollet, ac non animadverti. Rectè sponsa calebat artem amandi. Probè norat, Deum solere voluptate negata, proceram charitatem experiri. Sciebat incredibilem Dei ergà recenter justos indulgentiam, qua illos creberrimè solatur; experta enim est sponsi dignationem, cùm esset infans, ut patuit in hujus Cantici exordio, tunc quippè sine meritis ubera sponsi mira voluptate sugebat. Noverat hæc sanè, ac proindè videtur potuisse animadvertere hanc sponsi absentiam tyronibus, quàm sibi magis necessariam; nec indè torqueri, cùm sine culpa subtractio voluptatis illi contingere potuisset, sicut verè contigisse videtur. At sæpè solet evenire, ut præ doloris magnitudine, quis ea scientia, qua pollet, uti nequeat, quod sponsæ in descripta contigit repulsa. Maximè autem hoc verum habet, ubi culpæ suspicio, vel timor obrepsit, sicut in sponsæ animam se insinuavit. Etsi enim ipsa non peccarit, extemporanea tamen, contra spem, sponsi fuga in cordis eam conjecit anxietatem, ne fortè sponso quampiam vel ignara irrogasset injuriam. Anxietas igitur, intellec-

G

Mali punici significatio.

D

H

Scripta An. 1598.

Altera textus explicatio.

A

ctus vim obtundebat, & sic non consideravit, non animadvertit quod sciebat. Potest etiam propriè intelligi, quod ait, Nescivi. Verè enim etsi culpa fuisset immunis, nescivit tamen id ita esse, ac proindè sola illam suspicio acerrimè vexavit. Sic nimirum persæpe conspicimus, viros charitate præstantes à Deo interdum derelictos in luctu jacere, non sanè, quod ipsa derelictio peccati persuasio sit; nec verò, quod ipsi norint, se peccasse, sed quia id nesciunt, & propterea vel sola suspicione torquentur, & Deum,, ac si peccassent, placare, & exorare contendunt. In utroque igitur allato sensu rectè sponsa dixit, Nescivi. Et ut exprimat, ex hoc ipso, quod nescierit, totam sui animi perturbationem, anxietatemque manasse, quandam inducit ex historia sacra similitudinem ad eam perturbationem declarandam peropportunam.

Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

B

PARAPHRASIS.

Et dum te absentem quærebam, fluctibus ingruentium malorum videbar obruenda, ut olim Aminadab, qui currus suos ducebat per alveum rubri maris, ubi pertubatus est prodigii magnitudine, licèt fortitudo prævaleret:

EXplicatura sponsa, in quam ex sponsi recessu anxietatem inciderit, quàm fuerit animo perturbata, cùm se exercens à Doctoribus, quos mœrore confecta adierat, explosa, & vexata fuit, tangit historiam Aminadab, qui fuit abnepos Judæ. Porrò postquam Moyses rubrum mare Deo imperante divisit, & aquæ instar montium elatæ fuerunt, via per maris alveum patefacta per quam sicco vestigio filii Israelis graderentur, omnes tunc tribus timore concussæ, viam maris aperti ingredi formidabant. Aminadab verò, tribus Judæ tunc princeps, ac ductor, audacter Moysen gradientem secutus est, cæteris constantiæ, & magnanimitatis exemplum tribuens, quo in præclaro facinore dignitatem regiam tribus Judæ promeruit. Hujus invictissimi viri animum sponsa contemplata est, & illius expendit affectus, quos in se figuratè traduxit. Sanè in eo egregio facinore Aminadab animus quandam agoniam, motuumque conflictum passus est, tametsi animi magnitudo prævaluit. Pars quidem inferior, quam inferiorem rationem appellamus, prodigio illo divisi maris conturbata est; erat enim id spectaculum, quod fortissimis etiam pectoribus terrorem incuteret. Quis enim per maris alveum incedens, & hinc indè aquarum montes elatarum cernens, non concuteretur, cum facillimè gens illa videretur aquis obruenda, si naturali fluxu aquæ sinerentur excurrere? Verùm princeps mentis pars, quam rationem superiorem nuncupamus, in illo viro fortissimo nunquam è sua magnitudine, & constantia deturbata est. Hac velut imagine graphicè picta labor, quem sponsa repulsa pertulit, apertè monstratur. Enimverò ejus anima, si principem illius partem spectemus, in repulsa ferenda, & probris, quibus vexabatur, audiendis constantissima fuit; at verò eadem anima, si ejus inferiorem partem perpendamus, maximo tunc mœrore, ac luctu, maximaque perturbatione commota est, ut in eo loco liquidò perspeximus. Et in hac animæ divisione agonia, & affectuum conflictus positus est, quem viri etiam perfecti crebrò patiuntur. Inquit ergò sponsa: Cùm aberas, ô sponse, ac te per vicos & plateas excurrens investigabam, videbar mihi ipsi similis quadrigis Aminadab per rubri maris alveum gradientis. Sicut enim illius anima turbata est cernens elatas, & ruinam minantes maris aquas, quibus operienda videbatur, ità ego calamitatum, & conviciorum fluctus, à Doctoribus excitatos, & tumentes, quibus tumulanda videbar, intuens, efficere non potui, quin anima mea conturbaret me, tametsi princeps animæ ipsius pars, ut contigit Aminadab, prævaleret, & me, ut constanter per medios fluctus incederem, permoveret. Quod verò attinet ad loquendi formam, dum ait: Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab, idem est, ac si diceret: Anima mea conturbavit me propter imaginem quadrigarum Aminadab, quam ipsa mea anima conceperat, & tunc anxia repræsentabat. Vocat ergò illum conflictum internum nomine quadrigarum Aminadab propter similitudinem, quæ certè loquendi ratio vulgatissima, & notissima est, nihil enim frequentiùs, quam rerum nominibus imagines in animo existentes insignire. Quadrigæ verò, vel ut in Hebræo, Chaldaica paraphrasi, & Septuaginta Interpretum versione habetur, currus, pro universo apparatu tribus illius accipiuntur. Credendum enim est, ad exportanda onera Hebræos ex Ægypto, ubi erat innumera curruum multitudo, proficiscentes, curribus vel propriis, vel conductis usos fuisse.

E

F

G

Aminadab Judæ abnepos. *Num.* 1. 2. 1. *Paral.* 2.

C

Textus Hebraicus. Paraphrasis Chaldaica. LXX. Interpp.

Non est silendum hoc in loco, plurimos Hebræos nomen Aminadab, non hominis illius ex stirpe Judæ proprium, sed appellativum in duas sectum voces arbitrari, ita ut currus Aminadab, seù, quod aliis placet, nadib; sit idem, ac quadrigæ vel currus populi mei munifici, vel spontanei. Sed editio nostra vulgata præferenda est, quæ unum dumtaxat nomen legit Aminadab, & fortasse in textu Hebraico ita olim habebatur sine interpunctione, aut divisione: nam & Septuaginta Interpretes unum tantum nomen habent ἀμιναδάϛ.

Aminadab, quale nomen?

Textus Hebraicus LXX. Interpp.

Animadversio.

H

Animadvertere oportet, ex quo sponsus ad sponsam rediit, suavissimum ultrò, citroquè dialogum fuisse contextum, sponsamque fuisse ecstasi correptam, ubi Deus illi blandiebatur, & quasi fessam de via recreabat. Soluta verò ea videtur ecstasis fuisse per ac-

ci-

Scripta An. 1598.

citos tres illos animarum ſponſam laudantium choros. At ſanè rectiùs, & accomodatiùs videtur, ſponſam eas ſponſi ſuperiùs deſcriptas laudes quaſi pro concione audiſſe, ut alii eas non ignorarent; quod interna illuſtratione fieri potuit, Deo aliis animabus lumen infundente, ut perſpicerent, quibus ille modis ſponſam vexatam ſolaretur. Sic enim cohæret ſequens ille actus comicus, quo tres illos choros, quaſi coram concione, ut teſtes inducit, ad ſponſam commendandam. Si enim in ecſtaſi mera, & velut conſorti experte, cujus videlicèt nemo conſcius eſſet, ſponſus ſponſam laudaſſet, non videretur ad rem agere, cùm teſtes perfectionis ſponſæ inducit, excludens quodammodo à laude ſemetipſum, velut nimis amantem; cujus audita laus fidem facere non poſſet. A quo enim audita fuiſſet, ſi ſeorſum (nemine conſcio) cum ſponſa verba feciſſet? Hæc itaque ſic ſe habere videntur. Verùm ubi ad afferendam abſentiæ cauſam ventum eſt, cùm ſponſus eam quaſi ſeorſum affatur, ajens, Deſcendi in hortum nucum, ipſaque reſpondet, ſe id neſciſſe, & perturbatam fuiſſe, ſecretius quiddam eſſe videtur, & altiùs. Et in hoc loco æquum eſt, ſponſam cernentem Dei excuſationem afferentis dignationem, & indulgentiam erga ſe incredibilem, voluptatis amne maduiſſe, & raptu ad divina fuiſſe ſublatam. Hîc verò Spiritus Sanctus animas tribus illis choris diſtributas, uno velut agmine in ſcenam novo introducit actu, precantes, non verò interpellantes ſponſam, ut ſcilicet eo ſomno ſoluta, vitam cum ipſis ducat, quam poſſint æmulari. Talis autem eſt deprecatio.

A

B

ADOLESC. CONCUB. REGINÆ.

℣. 12. Revertere, revertere Sulamitis.

C Revertere, revertere, ut intueamur te.

PARAPHRASIS.

Sponſa perfecta, quæ quatuor rerum mundi gradus ecſtaſi abſorpta exceſſiſti, excitare, & ad noſtrum convictum revertere, ut te perfectè vitam agentem ad imitationem intueamur.

PRecantur obnixè, ut ad ſenſuum redeat functiones, quò eam fœliciter procedentem, actuſque univerſos ad rationis divinæ amuſſim emetientem intueri, hoc eſt, ad imitationem ſpectare poſſint. Et tametſi eam, quamdiù abſtracta eſt, vim precum percipere non poſſe norint, eſt tamen illis exploratum, ad ſponſi aures illas perlatum iri, & ex hoc fore, ut ſponſæ innoteſcant, quam iis votis ſperavere flectendam. Nunc verò vocum proprietatem perlibremus. Sanè cùm quis incipit ſopiri, experitur ſenſum, qui rebus vacabat externis, ab rebus eiſdem ſenſim pedem retrahere, & aliò quaſi pedetentim abire; ſic enim, quò magis ſe ſopor inſinuat, ſenſus à rebus externis longiùs recedere, & quæ geruntur eminùs, quaſi per nebulam audire videtur. Contrà verò, quando incipit expergefieri, velut à remoto quopiam loco, ſenſus qui abierat, in hominum convictum, externaque officia videtur reverti. Sic nimirun, quò magis, ac magis ſomnum excutit, eò videtur magis rebus externis propinquare, & quaſi conjungi. Conſtitutum eſt autem ecſtaſim pereleganti metaphora ſomnum appellari; quemadmodum enim ſomnus animum à rebus avocat externis, & contrahit ad ſeipſum; ita profectò ecſtaſis ab externis tumultibus mentem ſoli Deo vacaturam avertit. Sicut autem, expenſa ſimilitudine allata, mens arcano ecſtaſis ſomno ab hominum convictu recedit; ita è contrario, cùm ecſtaſi ſolvitur, ad humanam ſocietatem dicitur pulchrè reverti. Cùm ergò tres illi animarum chori ſponſam rverti precantur, ecſtaſis depoſcunt ad ſua lucra ſolutionem. At, cur quater reverti precentur, ediſſerendum eſt. Profectò, quatuor in mundo rerum gradus eſſe, corpora, animantia, hominem, angelum omnino liquet. Fieri autem poteſt, animam in unoquoque illorum graduum contemplando abſorberi, & quandam ecſtaſim pati. Memoriæ quippè proditum eſt, philoſophos aliquot eregios, naturæ ſecreta ſpeculantes, à ſenſuum functionibus alienatos fuiſſe, toto animo ad veritatis naturalis, è qua eximia voluptas emanabat, ſpeculationem intento, interiorum dumtaxat ſenſuum admiſſo miniſterio. Ut ergò Spiritus Sanctus innuat, ſponſam quatuor illos rerum gradus, in quorum contemplatione poteſt ecſtaſis fieri, exceſſiſſe, & ecſtaſi una nobiliſſima, qua ad ſponſum perlata eſt, quatuor ecſtaſes velut amplecti, ideò animas illas quater precantes ſignificanter inducit, ac ſi in hunc morem loquerentur. Excitare, & ad nos revertere, ô ſponſa, quæ aſpectabilem corporum pulchritudinem, animantium miras proprietates, hominum naturam corporati mundi principem, angelorum, qui ſunt tanquam in veſtibulo divinitatis, nobilitatem, uno quaſi volatu tranſcendiſti. Volatus hic ſponſæ animam, velut in perfectionis apice, paceque potentiarum collocat, cum eam ſponſo ſociat quàm arctiſſimè; quapropter rectè Sulamitis, hoc eſt, perfecta, integrave, ſeu pacifica nuncupatur. Sulamitis verò, pro quo Sunamitis legebatur, legendum eſt, ut patet ex nova editionis vulgatæ correctione, auctoritate Pontificia recens in publicum data. Denique, quod animæ illæ poſcunt, dum ajunt, Ut intueamur te, ad imitationem, æmulationemque pertinere videtur. Quòd enim in iis tribus choris reginæ, quæ perfectæ ſunt animæ, recenſeantur, non eſt abs re. Nam & inter perfectos viros ſua etiam internoſcuntur diſcrimina, & frequens imitationis occaſio. Sanè Antonius vir planè perfectus, qui confectis etiam ſtipendiis co-

D

E

Ecſtaſis ſomnus appellatur.

F

Quatuor rerum gradus.

G

Sulamitis ſiſeu gnificatio.

H

Similitudo;

S. Antonius vir perfectus

Scripta An. 1598. ronam promeruerat, cùm Pauli Eremitarum principis cælestem vitæ rationem contemplatus esset, acerrimè ad illius æmulationem incensus est, ut mirandum minimè sit, sponsam charitate insignem in aliis etiam sponsis perfectione vitæ conspicuis imitationis studium excitare. Nunc sponsus probaturus, hoc à
A tribus illis choris conceptum sibi placere desiderium, pro sponsa consopita respondet, & quàm sit rationi consentaneum illam imitari, ipsa loquendi ratione patefacit. Accersit autem quandam è re militari satis pulchram & arcanam similitudinem, qua velut effigie quadam nativa sponsæ, quem fecit in charitate progressum, exprimere possit. Similitudo verò hæc ab Hebræis sexto in capite legitur; nostræ tamen editionis sectionem secuti, septimum caput ab illa exordiemur.

B

CAPUT VII.

SPONSUS.

℣. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?

PARAPHRASIS.

Rectè studetis sponsam æmulari, studiosæ animæ. Imitatione quippè digna est, cùm in ea nihil, nisi pacem bello partam, & victoriæ de hoste sæpè relatæ signa cernere possitis. Castra nimirum vertit in choros, tripudians & exultans pro victoria.

C

Hebraicus Textus

ALloquitur sponsus tres illos animarum choros in unum cœtum sociatos, ajens: Quid videbis, vel, ut ex Hebræo vertitur: Quid videbitis in sponsa, cui ex perfectione, ac pace Sulamitis nomen est, nisi choros castrorum? ac si planiùs hoc modo effaretur: Iure contenditis sponsæ perfectionem imitari, nihil enim in ea perspicere potestis, quod non sit affabrè structum, & certis velut in stationibus militari prudentia dispositum. At verò statim pulsat animum insolens loquendi ratio. Si enim ex re militari similitudo petita est, cur sponsus choros, vel, ut alii transtulêre ex Hebræo, choreas commemoravit? Profectò castra suis agminibus, cohortibusve distribuuntur tanquam partibus, quibus conflatur exercitus; quibus sanè in partibus, velut in ejusdem corporis membris distinctas cernimus functiones: omnes tamen eas ad prælium comparatas; verùm in choris
D nulla belli species, sed sodalitii, tripudiique percipitur. Chori sanè vulnera non infligunt, sed saltandi peritia risum excitant, quamobrem à castris tantum chori, quantum à vulnere sanitas, à morte vita secerni videntur. Hæc quidem, si extimam vocum superficiem spectemus, parum cohærere quispiam arbitrabitur; verum si in sensum arcanum, spiritu ductore, nos insinuemus, mira nostris mentibus insonabit harmonia. Porrò non modò cùm parta victoria exultat exercitus, ut olim merso Pharaone, cùm Moyses & filii Israel *Exodi 15.* carmen cecinerunt, & Maria soror Aaron choros mulierum duxit, verùm & cùm spes E victoriæ firma concipitur, castra, positis armis, vertuntur in choros præ lætitiæ magnitudine. Sic enim olim, bello inter Judæos, ac Philistæos flagrante, cùm arca fœderis in castra importata fuisset, non quòd Israel victurus esset, sed quòd Deus in castra veniisset, & spem dumtaxat victoriæ excitasset, populus bellici discriminis oblitus, agmina choris quasi permutavit, & ob spem gaudio imbutus vociferatus est, adeò ut Philistæi, *1. Reg. 4.* qui gentis fortitudinem non adeò formidabant, choreæ, seù sodalitii exultationem horrerent, metuque concuterentur. Si autem populus ille velut in choros castra convertit, spe sola concepta, quæ postmodum evanuit; quantò poterit æquius, spe victoriæ altè defixa, cœlitùsque roborata sponsa gaudere, & F interna virtutum ad prælium accinctarum castra in choros lætissimos fausto quodam præsagio convertere? Enimverò superiùs assertum est, eam esse terribilem, ut castrorum aciem ordinatam. Formidabilis enim est hostibus anima, cujus virtutes secum mutuò consertæ, & ad certamen armatæ, aciei rectè dispositæ imaginem referunt. Nunc verò sponsa terrore hostibus incusso, triumphoque sæpè revecto, multis victoriis eam spem ultimi concepit triumphi, ut quandam divinitùs immissa salutis securitate, quam vera virtus generat, castra convertat in choros, hoc est, non jam tam sit sollicita de certamine, quam de victoria læta. Hic status beatorum fœlicitati propinquus, plerisque viris perfectis concedi solet, cùm jam sensum edomuere, & crebro conflictu de hoste revexere triumphum. Concedi etiam solet G velut quædam prælibatio fœlicitatis æternæ, cùm stipendiis confectis ad patriam redeunt, tunc enim Deus morte paulò pòst dissolvendis, vel revelatione futuri præmii, vel pacatissima cordis tranquillitate, talem ingerit animi lætitiam, ut aspectum aciei castrorum, qui in animæ partibus ad prælium armatis cernebatur, in choros quasi tripudiantes, mira cordis suavitate & alacritate convertat. Tunc enim partes sensuum principibus animæ partibus minimè renituntur, sed procul acto conflictu, cor & caro in Deum exultant, & choros simul lætantes imitantur. Hoc autem spectaculum jucundissimum est, Deique oculis planè dignum; duo nempè olim inimica carnis, ac spiritus castra, quibus erat cruentum quotidianis ictibus bellum, in choros simul lætantes, & H consentientes esse conversa. Hoc est paradoxon, ad quod intuendum animas sponsus inducit, ut eum statum contuentes, sponsam studeant æmulari. Nunc verò quasi pro concione sponsam laudare iterato pergit encomio,

Chori non ad conflictum, sed ad risum excitant.

Scripta An. 1598.

mio, & eam ad prædicationis opus, cui jam est idonea, perurgere.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?

PARAPHRASIS.

A

Sponsa, ac filia mea quàm speciosè graderis? Pedes affectuum, animalium mortuorum corio, hoc est, mortificatione calceasti, & sic à cœno mundi affectus non inquinantur. Sed tanquam pedes ad iter expediti gradiuntur, dum quæ retrò sunt, tradunt oblivioni & ad ulteriora se extendunt. Ideò pulchri sunt gressus tui in calceamentis.

INter alia nomina, quibus sacri vates sponsum præsignavere venturum, Princeps pacis, repositum nomen est. Hujus ergò Principis filia sponsa nuncupatur, quod planè verum est, ac sententiæ mirificè concinnum. Unus quippe Dei filius carne obtectus, sponsæ pater, mater, filius, frater, sponsus, ac
B Princeps est. Qua in re nihil vel novum, vel mirum debet accidere. Si enim juxta
Matt. 12. 50. sponsi ipsius effatum, qui æterni Patris voluntatem facit, sponsi frater, soror & mater est, & in eo plures propinquitatis arcanæ gradus, quos natura conciliare nequit, gratia sociavit, quantò facilius in sponso Principis, ac patris nomen cum sponsi nomenclatura consentiet, cujus gratia nullis est metis definita? Sponsa ergo sponsi filia commendatur à pulchritudine gressuum in calceamentis. Concipienda est imago fœminæ pulcherrimæ, ac nobilissimæ, quæ mundo muliebri ornata incedens, pedes habens sandalibus contectos gradiatur, suam pulchritudinem, ac nobilitatem ipsa incessus venustate commendans. Est autem sedulò animadvertendum, non hîc pedes nudos, sed calceatos, neque verò
C immotos, sed gradientes, & in ulteriora projectos laudari. Quæ quidem omnia sensus arcanos suggerunt. Profectò affectibus, quibus anima graditur, pedes notantur, ut ex superioribus patet. Hi verò, quamdiù in terra hac cœnosa pedes inquinante versamur, calceati, hoc est, contecti debent esse, ne si velut nudi inter mundi ferantur illecebras, fluxarum cœno voluptatum inficiantur. Integumenta verò istorum pedum ex corio debent esse consuta. Corium enim, quod ex animalium mortuorum pellibus aptatur in calceos, arcano sensu mortificationem innuit, qua sunt affectus contegendi, hoc est, reprimendi, & velut injecto stragulo operiendi, ne ab hujus vitæ cœnosa terra, quam calcant, inquinentur. Hi tum affectus mortificationis corio contecti, non ab itinere torpescere, sed in ulteriora debent impelli; ideò enim non pedes, sed gressus significantissimè sponsus commendavit, ac si luculentiùs diceret: Quàm speciosi sunt pedes affectuum mortificatione calceatorum, qui
D gradiuntur, qui gressibus, hoc est, novis in perfectione progressionibus, quæ quidem retrò sunt obliviscentes, in ulteriora se extendunt, fœliciterque procurrunt. Appositè satis hæc verba sponsus enunciavit, postquàm eximiam sponsæ perfectionem allata chororum in castris similitudine extulit. Cùm enim eam ibi significarit cœlitibus proximam, nequis suspicaretur, ab itineris progressu in hac vita cessandum, vel ad eum posse sponsam E
perfectionis conscendere fastigium, ultra quod tendendum non sit, mox gressuum mentionem attexuit, qua omnem prorsus dubitationem expunxit. Et quidem in hoc encomio à pedibus exorditur laudem, cùm in superioribus à capite orsus fuerit, cujus ordinis inversi ratio est non parum arcana. Enimverò superiùs cap. quarto, ac sexto, bis Deus egregiam sponsæ sanctitatem à sua ducturus origine, & unde processisset ostensurus, ab iis, quæ sunt capiti proxima, & velut adnata, auspicatus est. Ex ipso quippe sponso qui caput est sponsæ, omnis ea sanctitas emanavit. Nunc verò, quia sponsam ad ipsum peracto virtutis quasi curriculo revertentem F
depicturus est, à pedibus incipit, & in cæteras pulchritudinis partes inde procedit, ut sit egressus à capite, ac regressus ad caput idem. Hic est mirus divinæ ordo sapientiæ, ea, quæ partu quodam emisit, ad seipsam reducentis. Postquàm igitur pedes sponsus laudavit, ad femora conscendit, in quibus significationis arcanæ plurimum inest.

Junctura femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.

PARAPHRASIS.

Societas in charitate filiorum spiritalium, qui à tuo velut femore propagantur, & mutuo amoris nexu vinciuntur, similis est monilibus, seu catenulis, quarum orbiculi mutuo conserti sunt. G

PRÆ oculis habendum est, sponsam, ut pro Christo legatione fungatur, ad aliorum jam salutem curandam à Spiritu Sancto impelli, non enim alio, quàm divino impulsu hæc legatio est obeunda. Jam ergo femina, seu femora generationis in sacro textu sunt vulgatissima signa, unde illa loquendi formula orta videtur (Hæ sunt animæ de femore hujus vel illius egressæ.) Sic Abraham suum famulum, quem ad diligendam Isaac uxorem destinabat, adjuravit in femore, ac si adjurasset in Christo, qui, quà homo est, ex eo femore genus duxit. Est enim figuratus hic per metonymiam sermo, quo per causas designamus effectum, sacræ paginæ familiaris, præterquam quòd est etiam vulgo frequentissimus. Hoc ergò sermone figurato per femina hîc proles ab ipsis feminibus propagata notatur. Hujus autem prolis junctura monilibus asseruntur similes: si-
H
cut

Imago fœminæ pulcherrimæ.

Animadversio.

Pedum significatio.

Corii significatio.

Femorum significatio.

Gen. 24. 2.

Per femina proles notatur.

Similitu do

Scripta An. 1598.

cut enim monilium ansulæ, vel orbiculi mutuò sunt sibi connexi,& ea connexione monile,quo collum solet ornari, perficitur, ita proles sponsæ jam perfectæ, generatione spiritali, exemplo, verboque facta, salutaribus monitis propagata, mutuæ charitatis nexu secum ipsa conseritur, & ex multis filiis in justitia procreatis, ac sociatis, unum quasi monile conficitur, quo sponsæ collum jugo assuetum, hoc est, labor coronatur. Sic quippe Paulus filios à suo symbolico femore spiritus fœcunditate genitos, ac si essent catenarum junctura, vel orbiculorum connexiones sibi mutua charitate sociatos, coronam suam appellabat, sicut torquem, vel monile appellare potuisset; nam & in corona plures laminæ aureæ, vel argenteæ committuntur, & conjunguntur. Verùm quia spiritalis hæc liberorum procreatio non sponsæ prædicantis merito, sed sponso tribuenda est, ideò junctura liberorum asseruntur similes monilibus, quæ fabricata sunt manu artificis, qui est Hebraismus tantundem valens, ac si diceretur, opus manuum egregii artificis. Hanc quippe miram omni aurificum opere elegantiorem filiorum genitorum in charitate junctura non alius, quam sponsus, qui antonomasticè artifex nuncupatur, efficere potest. Quod ut significantiùs propalaretur, adjectum est (manu artificis.) Solent enim aurifices artis suæ peritis uti ministris, quos docuere, ad aurea monilia effingenda, & conserenda, & satis se præstare arbitrantur, si discipulos opus elaborantes spectent, ne quis error obrepat, licèt vix operi expoliendo manum admoveant. Sponsus verò non ità se gerit, sed omnia opera nostra in nobis operatur, nec manum ab opere dimovet, donec absolvat. Ipse est, qui concionatur, qui liberos generat, qui velut catenulas charitate conserit. Et tametsi sponsa operetur, eam tamen sponsus ciet, ac permovet, idem opus præstans, quemadmodum scribentis pueri manum magister propria tenens manu lineas ducit in papiro, ut scribere ipse potiùs, quam puer asserendus sit.

Hebraicus Textus.

In hunc sensum expositum recurrit, quod ex Hebræo verti potest: Vertebræ femorum tuorum sicut monilia. Sunt autem femorum vertebræ, quæ coxæ, seu coxendices appellantur, duo videlicet ossa cava, quibus ossium femoris capita inseruntur. Enimverò sicut ossa illa sua cavitate femoris ossa excipiunt, ac proinde ad corporis constructionem os ossi naturæ sociatur opificio; ita spiritu geniti sponsæ filii femoribus significati non naturæ, sed gratiæ miro copulantur artificio, dum ex charitate alter alterum excipit, & amplectitur, ut sic membrum membro conjunctum totius mystici corporis conflet structuram. Ex hoc textu patet, sponsum polliceri sponsæ prolem numerosam femorum typo signatam, ac si in hunc modum eloqueretur: Jam satis tibi studuisti sponsa, egredere tandem, dirigam enim tuos gressus speciosos in calceamentis. Et tuus labor infœcundus non erit, nam multitudo filiorum maxima à te generabitur, manu mea eam generationem patrante, ac perficiente, ut filii tui sint mutuò connexi, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Pergit autem sponsus liberalitatem suam propalans, & quæ ad generationem hanc necessaria sunt sponsæ se largitum esse manifestans.

Simile.

Sponsi adlocutio.

E

V. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

PARAPHRASIS.

Intellectus tuus (ô sponsa) sapientiam ut fœtum continens, quia potum propinat sitientibus, crater rotundus est, ad potum evertendum aptissimus, & quia escam porrigit, esurientibus, similis est acervo tritici. Quia verò mentis puritate & castitate corporis à contagione custoditur, est liliis vallatus.

F

Umbilici significatio.

TAM umbilicus, qui per synecdochen ex parte totum notat, quàm venter ipse ad generationem significandam pertinet, quod & ex se patet, & in sacris passim occurrit. Et ex Psalmo centesimo nono constat, ubi Pater æternus sponsum alloquitur, ajens, ex utero ante Luciferum genui te. Quo ex loco textus istius arcanus sensus eruendus est. Porrò in divina Theologia constitutissimum est, uterum, ex quo Pater ait se filium genuisse, esse ipsius Patris intellectum universarum rerum cognitione fœcundum. Intellectus nimirum rerum speciem ut semen concipit, ac exinde elegantissimè dicitur esse prægnans, quoadusque parit notitiam. Juxta hunc igitur sensum sponsæ uterus commendatur, duabus appositis similitudinibus, altera crateris, altera verò acervi tritici. Primæ nunc vim trutinemus. Sanè cùm sponsa ad alios destinatur erudiendos, non tempus antevertit, nec verò id optavit, quoadusque implevit eam Deus spiritu sapientiæ & intellectus, ut de suo thesauro dogmata divina proferens, salutari ignaros imbueret disciplina. Intellectus ergo sponsæ divina sapientia perfusus, pulchra metaphora crater tornatilis nuncupatur, nunquam indigens poculis. Crater quidem est, seu vas potu cœlesti plenum, quia videlicet sapientia, qua imbutus fuit sponsæ intellectus, est potus, ac proinde intellectus vas, seu crater debuit nominari. Sapientiam verò esse potum, patet ab effectu, quia sitim sciendi à natura insitam extinguit, & animum ab æstu rerum fluxarum refrigerat. Patet etiam ex oraculo, sicut scriptum est, aqua sapientiæ salutaris potavit illum, scilicet, justum. Hæc autem sapientia, quia & pro se, & pro aliis hoc nectare potandis, sponsæ tributa est quàm largissimè, dicitur crater ejus poculis nunquam indigere, etsi enim

Uterus intellectum notat.

Similitudines.

G

Quid crater tornatilis?

Sapientiæ potus nuncupatur.

H

Eccli. 15 3.

sem-

Scripta An. 1598.

semper propinet pocula, non propterea sapientia illius exhaurietur, quod est divinæ bonitatis encomium. Ex hoc jam liquet, cur crater tornatilis, vel, ut alii transtulêre, rotundus appelletur. Quod enim ad externa pertinet, ventris pulchritudo à figura sphærica commendatur; tunc enim uterus pulcher est, cùm extumescit moderatè, instar rotundi vasis tornatili opere confecti, vel ex argento ducti, lævoreque nitentis. Ex hoc verò ad interna migrandum est. Notatur nimirum figura circuli, intellectus sponsæ perfectio, quæ illi contigit ex sapientia. Notatur etiam quædam ad motum, potumque propinandum opportuna facilitas, qua qui Doctor aliorum instituitur, pollere debet. Frustra enim sapientiam videretur accepisse, si ægrè illam cum aliis communicaret. Debet igitur sphæras cœlestes imitari, quæ ad motum facillimè, dum cientur, perennem influxum evergunt. Et hanc habet emphasim crater tornatilis, seu rotundus, ut à crateribus aliis triangulis, vel quadrangulis, vel aliis id genus discriminetur.

Ventris pulchritudo unde commendetur.

A

Circuli significatio.

Sponsæ perfectio notatur.

Si verò umbilicus non figuratè per synecdochen, sed propriè pro illo velut ventris centro accipiatur, satis erit ad rem sensus accommodatus. Umbilicus quippè ad hoc naturæ providentia factus videtur, ut per eum fœtus, dum est in utero, nutriatur. Animadvertendum verò est maximè, sponsam ad generationem, ac exindè nutritionem spiritalium filiorum directam, sua conceptui, sua partui, sua educationi habere præstituta tempora. Porrò Paulus ajebat, quasi gestans in utero quosdam liberos, iterum se illos parturire, donec in eis Christus formaretur. Ex quo liquet, prius eum fœtus illos concepisse. Quomodo enim pareret, quos non concepisset? Quando verò hic fiat conceptus, investigandum est. Profectò cùm peccator ad cor revertitur, & conatur ad justitiam, nec dum tamen justus est, tunc intra viscera sponsæ illum excitantis, & intimo cordis affectu amplectentis quasi absconditur, nec tamen per partum emittitur, donec in eo Christus charitate formetur. Eo verò tempore, cùm potu cœlesti careat, nec enim gratiam adeptus est, in sponsæ corde velut infixus, & utero matris conditus, eleganter dicitur per matris umbilicum nutriri, quia sponsa, quæ victitat esca, potuque gratiæ, charitate sua illum alit, & sustinet, donec tandem per gratiam illum enitatur. Hoc sanè tempore umbilicus sponsæ fit crater tornatilis, nunquam indigens poculis, quia humore cœlesti, quo affluit ipsa, potat peccatorem. Enimverò sic Deus peccatoribus ignoscit, & eis vitam impertit, quia cernit eos à viris sanctissimis intra affectum, velut uterum quendam charitate latissimum gestari. Dum enim justos pascit, potat & amplectitur, cùm in eorum uteris lateant peccatores, pars illius potus, & escæ ad eos etiam permeat, quasi per arcanum quendam umbilicum. Sic sanè, si inter Sodomitas, & Gomorrhæos vel pauciissimi justi vixissent, qui immensa spiritalis uteri capacitate peccatores celassent, cernens eos Deus justorum utero conditos, iram continuisset, & quasi per umbilicum matris esca, & potu fœtus aluisset illos, quos extra uterum in scelere deprehensos horribili consumpsit incendio. Hæc de umbilico, & cratere dicta sint.

Umbilicus ventris centrum.

B

Gal. 4. 19.

C

D

E

Ventris verò cùm acervo tritici similitudo expendenda modò est. Sanè si extimam rerum speciem contueamur, acervus tritici tumens, & in latius à minus lato se fundens, ventris, qui, jacente homine supino, ab umbilico, usque ad costarum cratem se dilatat, repræsentat effigiem. Interna verò si contemplemur, cùm venter ut paulò antè explicatum est, notet intellectum, appositè satis sponsæ sapientia fœcundissimæ intellectus acervo tritici comparatus est. Quemadmodum enim, ut patuit sub crateris pleni symbolo, intellectus sponsæ sitientibus potum propinat, dum eos erudit, ita panem porrigit cor imbecillium confirmantem, qui non minùs, quèm potus, ejusdem sapientiæ nota velut hieroglyphica est. Animus videlicet sponsæ jam ætate provectus, & experimentis prudentiam nactus, est ille fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Quippè, cum tyrones sponsi erudit, sapientiæ sibi ad salutem proximorum collatæ, ceù panis verè cœlestis naturæ imbecillitatem stabilientis, quasi partes incidit, & pro captu audientium eas erogat, ex quo patet, cur intellectus acervo tritici, hoc est per metalepsim pani conferatur. Sic ergo sponsus loqui credendus est: intellectus tuus ventris symbolo expressus (ô sponsa) rerum sapientia fecundus, ac velut prægnans imitatur tritici acervum, ipsa quidem figura extantem, ac elatum. Et sicut ex acervo Dominus familiæ mensuram impendit, ita tu ex uberrima tua sapientia, pro discipulorum captu, modios tribuis, ac metiris, parvulisque petentibus, ne ut olim clade hierosolymitana deficiant, panem humanissimè frangis. Cur autem acervus hic liliis vallatus asseratur, modò dispiciendum est. Certè acervo tritici sapientiam innui, more panis cor hominis, qui ceciderat, confirmantem, proximè patuit. Liliis verò virtutes candore insignes, puta corporis castitatem, mentisque puritatem significari, ex superioribus constat, & ex se omnino planum est, nunc ergò tametsi sapientia Christiana, qua sponsa imbuta est, quæ divinorum est maximè conscia mysteriorum, suo quidem ingenio, & candida sit, & illustris, ex contagione tamen, & quasi cœno corporis, cui anima est advincta, solet nigrescere, ac obtenebrari, nisi virtutes eæ adsint, quæ corpus à luto voluptatum coerceant, & animam à corporis illuvie servent immunem, quales sunt castitas, & cordis puritas liliis significatæ. His ergò liliis symbolicis sapientiam continens sponsæ venter, qui est intel-

Ventris cum acervo tritici figura explicata.

Mystica explicatio.

F

Luc. 12. 42.

Intellectus cur acervo tritici conferatur.

G

Psalm. 103.

H

le-

Scripta An. 1598.

lectus, vallatus, & custodia septus est. Propter hoc, qui divinæ sapientiæ compotes esse cupiunt, & sacræ scripturæ arcana callere, castitatis, ac cordis puritatis vallum intellectus arci, in qua est sapientia, circumdare debent, quemadmodum sponsam feciſſe sponsus ejus encomiastes refert. Post ventris

A laudem uberum pulchritudinem sic effert:

℣. 3. Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

PARAPHRASIS.

Ex te, quæ scripturæ arcana toto pectore à me fonte hausisti, duo testamenta, ad prædicationis functionem, quasi duo ubera, ad animas lactandas, erumpunt. Et quia ex uno intellectu tuo, velut ex utero exeunt, gemellos imitantur. Himulos verò capreæ, quæ est animal mundum, visu acerrimum, & ungulam findens, imitantur, quia ipsa testamentorum doctrina munda est, ut argentum examinatum visum animæ acuit, & discernendi vino quasi ungulæ fissura

B *impertit.*

PRofectò si encomium, quod nuper sponsus cœpit texere, mente repetamus, & ad quem scopum ab illo dirigatur animadvertamus horum verborum interpretatio facilè patebit. Excitata fuit sponsa. Gressus ejus, quibus venustè incedens, veræ virtutis aliis præberet exemplum, commendati sunt. Prolem illi numerosam, & charitate concordem illi Deus pollicitus est, allata femorum laude. Venter ejus arcanus, qui est intellectus, divina est locupletatus, & gravidatus sapientia, ut rudes erudire, ac expurgare valeret. Effecta est quædam arca testamenti, non veteris tantùm, sed & novi, quod fœliciùs est, ut

C hinc indè divina oracula promens, prædicationis legatione possit rectè perfungi. Duo igitur testamenta, quæ in seipsis spectata duo ubera sunt, ab unius Dei utero, instar gemellorum, egressa, ex quibus lac semper haurit Ecclesia, effecta sunt ubera sponsæ, postquam intellectu suo divinitus illustrato illa concepit, probeque intellexit. Intellectus igitur sponsæ ad prædicationem destinatæ est uterus, ex quo iam pridem concepta prodeunt duorum testamentorum uterinos fratres imitantium ubera, quæ tyrones avidissimè sugunt. Hæc autem arcana ubera hinnulis capreæ sunt quàm simillima. Caprea quippè mundum est animal, visus perspicacitate, cursuque plurimum valens, ungulamque findens, quod ad boni & mali discretionem spectat. Nunc autem rectè spectato verborum contextu, effici videtur, ut quandoquidem ubera dicuntur esse sponsæ,

D sicut hinnuli asseruntur esse capreæ, ità quemadmodum hinnuli notant ubera, caprea quoque sponsam repræsentet. Quapropter capreæ proprietates sponsæ concinere necesse est. Ipsa nimirum, quæ olim sorduerat, nunc purgatissima, mundum animal sacrificio evasit aptissimum. Quæ olim caligaverat, insignem visus perspicacitatem divina luce perfusa nacta est. Quæ olim peccati pondere pressa vix valebat incedere, nunc incredibili pernicitate currit, & salit. Quæ bonum à malo secernere nesciebat, ungulam findit, comparata spirituum discretione, ad suam legationem opportunissima. Easdem proprietates habent hinnuli, utpotè capreæ filii, quæ uberibus, hoc est, duobus testamentis mirificè quadrant. Scriptura nimirum sacra hiscè testamentis constans, munda est, ac argentum igne examinatum, visum acuit, ad cursum ab exilio ad patriam impellit, ungulam dirimit; diserte enim verum à falso, bonum à malo discriminat. Sunt igitur testamenta duo illa symbolica sponsæ ubera, sunt hinnulis similia, hinnulis inquam capreæ, quæ est sponsa ejus animantis ingenio luculenter expressa. Expleta uberum laude, colli elegantiam contemplemur,

E

Hinnuli eadem proprietates habent.

℣. 4. Collum tuum sicut turris eburnea.

PARAPHRASIS.

F

Fides tua, quæ per dilectionem operatur, quæ te membrum mihi capiti Ecclesiæ copulat, ut collum, non est jeiuna, & inermis quasi à charitate aliena, sed ob charitatis societatem est fortis & erecta, ut turris, vel arx. Est eburnea ob castitatem, nescit enim adulterium fides, quæ per dilectionem operatur, similis denti elephanti animalis casti. Et albet luce, candoreque charitatis, quasi ebur dolatum, & candidum, sine charitate quippè nigresceret.

COllum est vinculum quoddam à natura effictum ad corpus capiti conciliandum, quæ viva quædam est imago fidei, qua membra corporis mystici capiti suo Christo junguntur, tametsi charitate excidant. Verùm hæc exigua laus est. Constat enim plurimos collo istо capiti Christo sociatos passim perire, non enim fides sola iis salutem afferre potest. Quamobrem, cùm sponsus de arcano sponsæ agit collo, non fidem jeiunam, & à charitate semotam, sed eam, quæ per dilectionem operatur, proculdubiò innuit: ac proindè ea similitudine usus est, quæ ad charitatem fidei copulatam propalandam est maximè idonea, Ait nimirum, Collum tuum, sicut turris eburnea. Duo autem hîc asseruntur, quæ sunt charitati nativa, esse videlicèt turrim, & esse eburneam. Turre verò seù arce, quæ ad præsidium, & munimentum constituitur, non fides sola, quæ sine charitate inermis est, & facilè ab hoste prosternitur, sed fides charitate fulta, & roborata notatur. Enimverò Paulus ad Hebreos scribens, H fidei laudes auspicatus, cùm plurima illustria heroum gesta, quæ fide patrarant, recensuisset, attexuit illa vulgata verba hominum cordibus ad memoriam insculpta sempiternam:

G

Collum imago fidei.

Turris est fides charitate fulta.

San-

Duo ubera duo sunt testamenta.

Caprea animal mundum.

Scripta An. 1598.

Sancti per fidem vicerunt regna, & quæ sequuntur iis similima invictissimam fidei fortitudinem innuentia, quæ de fide (ut schola loquitur) charitate formata palam enunciata sunt. Hac igitur vi stabilita fides, est collum membra capiti annectens, non collum infractum, & languens, sed erectum & excelsum instar turris, inexpugnabile instar areæ arcis. Hoc autem ipsum planius fiet, si non qualemcumque turrim, sed ex ebore constructam expendamus. Ebur os est elephanti animalis castissimi, candoreque nitet eximio. Fides verò animæ, quæ charitatem abjecit, velut in crimine adulterii deprehenditur, cum charitate, quæ torum sponsi violare nescit, orbatur. Etsi enim fides etiam mortua elicere nequeat actum, qui spiritalis conjugii sacramentum teneret, in adultera tamen manet anima, ac propterea ea sola sine charitate labem adulterii minimè purgat, sed cum eo crimine, tanquam sub eodem tecto diversatur. Cùm non possit crimen arcere, ac vincere, non erit arx, seu præsidii turris, cùm adulterium non expungat, nec ipsa seorsum matrimonii jura servet, non erit eburnea, hoc est, casta. Quam sanè doctrinam satis adstruit dentis elephantini candor. Fides videlicet sine charitate obnubilata est, & caligine obducta, non inquam ea caligine, quæ illi nativa est, eò quòd sit lucerna lucens in caliginoso loco; hæc enim etiam cum charitate perseverat, quamdiu exulamus, sed caligine alia, quæ fidei accidit ex charitatis absentia. Cùm enim charitas, juxta Theologorum pronunciatum, sit forma virtutum, quemadmodum lux colorum, fit inde, ut sicut color extincta luce jacet in caligine, ita fides, quæ in hoc reliquarum virtutum eclipsim patientium subit legem, recedente charitate caliginosa nigraque sit, sociata verò charitati candida, ut dens elephanti. Charitas nimirum sicut lux virtutum, ita & earum candor, ob affinitatem inter lucem candoremque vocatur; constat enim candidum colorem plurimum lucis habere. Sic igitur sponsus effatur. Fides tua (ô sponsa) quæ per dilectionem operatur, excelsa, & inexpugnabilis est, ut turris, seu arx præsidii, casta, & candida est, ut dens elephanti, ac perindè velut ex ebore constructa. Hæc etiam virtus, sicut reliquæ recensitæ, ad prædicationis munus, quod sponsa obitura est, valdè accomodatur, cum sit passim cum mundo confligendum, hæc est autem victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, ea nempe, quæ per dilectionem operatur. Post collum oculorum subiicit mentionem, functioni sponsæ apprimè consentaneum.

Hebr. 11. 33.

A

Eboris natura, & significatio.

B

Charitas forma virtutum

C

Sponsæ adlocutio.

1. Joann. 5. 4.

D

Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

PARAPHRASIS.

Tuus intellectus (ô sponsa) multiplici tua scientia ad cernendum oculorum more collata, similis est aquæ piscinarum urbis Esebon, sicut enim illa aqua quiescens, & pura reddit veras spectatorum effigies, ita tuus intellectus per eas scientias illustratus veras rerum concipit imagines, ac dum intelligit, eas sine deceptione reddit.

E

LAudaturus sponsus oculos sponsæ pulcherrimos, ab omni nebula purgatissimos, quales decet esse internos præfectorum aliis oculos, qui corda sinuosa peccatorum perspicuè cernant, attingit quandam priscam historiam Esebon urbis ultra Jordanem sitæ, quæ fuit Seon regis Amorrhæorum; prope cujus quandam portam ab hominum concursu, filiam multitudinis nuncupatam, erant piscinæ urbem insigniter ornantes. Hebræi tamen volunt, Esebon esse hic non urbis illius ultra Jordanem nomen proprium, sed appellativum, quod computationem æstimationemve significat, & juxta hunc sensum, hunc locum de piscinis, quæ erant in Hierusalem, interpretantur, quæ filia multitudinis dicitur, ob innumeram illuc confluentium nationum multitudinem. Verum utraque explanatio nominis Esebon rationi consona est, & in eumdem sensum recurrit, non enim ab Esebon nomine, sed à piscinarum aqua, quæ utriusque eandem laudem mereretur, oculorum sponsæ laus arcana depromitur.

Esebon utos ultra Jordanem sita.

F

Est igitur animadvertendum, in piscinis aquam quiescere, externisque sordibus non inficì, quemadmodum amnes cœno sordibusque aliis aquæ decursu advectis inquinantur. Ex hoc efficitur, ut piscinarum aqua sordibus, motuque immunis, speculi more, spectatorum concipiat, & reddat imagines integras, rectas, & id quàm clarissimè. Amnes verò, quàntumvis pura sit aqua, ob luctuum, undarumve procursum & inconstantiam effigies non reddunt, nisi fractas, obliquas, & obscuras. Ex hoc igitur discrimine aquarum eruitur oculorum sponsæ laus. Eximia nimirum in oculis, qui non nictant non properè cientur, sed tranquillè, ac sedatè, ac sine trepidatione rerum spectra concipiunt, venustas elucet. His videlicet oculis non accidit crebra illa deceptio, quàm patiuntur trepidantes oculi, qui vix conceptas rerum imagines concitato motu intercidunt, atque permiscent, unde & recta iis videntur obliqua, magna ceu parva, rectè constituta corpora, ut monstra cernuntur. Sub hac pulchra similitudine intellectus sponsæ, ejusque multiplex scientia multorum oculorum symbolo notata commendatur. Cùm enim mentis puritatem adepta fuerit, quam non inconstantiæ motus, non sordidæ fluxarum rerum perturbant effigies, non cœnosi mundi affectus inficiunt, pacatissimo quodam statu fruitur, & rerum sinceram veritatem integram, non obliquam, non infractam, sed qualis ea est, contuetur. Non

Aquæ Piscinarum natura.

Piscinæ, & Amnis discrimen.

G

Venustas oculorum describitur.

H

Scripta An. 1598.

illi fucata virtus pro vera, non vitium pro virtute præsentatur, non trepidant oculi, non caligine suffunduntur, sed sunt, ob infusam cœlitus perspicacitatem, ab omni prorsus deceptione immunes. His certè oculis sponsa, quæ aliorum curam gestura est, bona malaque prospiciet, & in omni eventu, quid facto sit opus, ut oportet, aquilæ more speculabitur. Expleta nunc oculorum laude, nasi elegantiam sensus arcanos ubertim suggerentem contemplari jucundum erit.

A

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

PARAPHRASIS.

Discretio spirituum tibi collata, nasoque odorem à fœtore discernente notata, est similis turri, quæ in Libano in extremo terræ promissionis est constructa, ex qua Syrorum insidiæ explorabantur. Tu quippè discretione hac dæmonum exploras incursus, & eludis, dum Spiritum Sanctum à maligno secernis.

B

Damascus metropolis Syriæ.

SYros quorum metropolis Damascus erat, vastitatem in Judæos persæpè machinatos esse, ex sacra liquet historia. Judæi ergò in monte Libano ad terræ promissionis extrema construxere præsidii turrim, ad Syrorum machinamenta exploranda, & eludenda. Turris verò ea rectà Damascum spectabat, adeò, ut ex ea, quemadmodum nonnulli Hebræi tradiderunt, urbis ipsius Damasci domus cerni possent. Turris celsitudine, ac statu recto nasi notatur elegantia, quæ moderata longitudine, & quasi perpendiculari rectitudine constat. Arcanè verò ea Libani turri Damascenis oppositæ vim discernendi, naso apud authores etiam profanos significatam, exprimimus. Sicut enim naso fœtorem ab odore secernimus, ipsiusque nasi constructio exacuta, & in aciem desinens, ad sectionem quandam videtur à natura destinata; ita ea vi, quam Patres Spirituum discretionem appellarunt, fœtorem peccati à virtutis odore, Spiritum Sanctum à Sathanæ angelo sponsa secernit, & velut quadam acie ad sectionem opportuna discriminat. Hac autem discernendi vi sponsa pollens, velut in excelsa quadam turri ad explorandos hostes erecta consistit. Ex qua proculdubio turri in terra nostræ promissionis edificata domus Syrorum, hoc est, latebræ, ubi ad insidiandum Dæmones latitant, à viris perfectis explorantur, & tempore observato frustrantur. Sic igitur sponsus ait. Nasus tuus, ô sponsa, hoc est, spirituum discretio, qua meo munere polles, est tibi opportuna ad hostium insidias eludendas, technasque discernendas, & spirituum discrimina expendenda, sicut olim Israeli, ad Syrorum strategemata explorandæ, & subservanda turris in Libano constructa è regione Damasci sita proficiebat. Hæc prima est interpretatio.

Per nasum vis discernendi exprimitur.

C

Discretio spirituum.

Latebræ Dæmonum.

D

Secunda, nec minùs idonea, nec minùs arcana est ea, quæ nasi tranflatione iram, in ea corporis parte maximè se prodentem intelligit. Enimverò cùm irascimur, evestigiò nasus tumet, ac flatum spirat calidiorem, æstuat, & quasi fumat. Est autem in hac a Philosophis appellata passione, quod laude, quodque vituperatione sit dignum. Solet nimirum ira adeò interdum effervescere, vel rationem antevertens, vel rationi perturbatæ contingens, ut intellectum velut quædam brevis ebrietas occæcet, quæ propterea modum servare nequit nec culpa vacare proindè potest. Solet verò aliàs ira quasi consultò excitari, simulque, ne modum excedat, coerceri, & cùm juxta moderationem hanc suscipitur, virtutis actus egregius esse solet, puta, cùm zelus Dei animum impellit. Tunc quippè necesse est, ut animus excandescat, & in Dei hostes acriter invehatur, & hoc modo divino est oraculo parendum, ajenti: Irascimini, *Psal. 4.5* & nolite peccare. Et quidem sponsus ipse, in quo nihil nisi rationis ad lineam gestum est, hujusmodi ira per zelum excanduit, cùm plexo verbere templi violatores ejecit. *Ioan. 19.* Huic igitur iræ, nec rationem prævertenti, nec perturbanti, sed ad legis normam susceptæ, sponsa interdum indulgere debet. Nec enim hostis malignitatem persequi, & abigere ex mystico templo, cui præerit, ullo modo poterit, si lenitatem tunc præferat, sed acriter incensa, & velut armata hostem cæsura est verbi gladio sicut sponsus homines scelestos funium verbere cecidit. Hoc planè modo nasus respiciet contra Damascum, urbem Hierosolymis inimicam, hoc est, sponsæ zelus iram suscipiens tartarum infestabit, Hierusalem supernæ sævissimum perduellem. Aliqui pro naso, vertunt, frontem. Et quia, cùm quis coram hoste non cadit animo, sed audacter constat, fronte non contracta, sed extenta solet audaciæ specimen exhibere, ideò satis aptè per frontem audaciam intelligimus. Quæ cum hoste spiritali pugnaturis per quam necessaria est, Sic igitur fons eleganter comparatur turri, quæ respicit contra Damascum. Audacia enim rectà opponitur impendenti malo, quod pellit, ac profligat. Hanc frontem sponsa contra Dæmones obfirmat, eosque lacessit ad prælium. Notandum est accuratè, quàm providè sponsus sponsam muniat, & ad prælium pro salute proximorum gerendum accingat. Omnia quippè, quæ nunc exprimit sponsæ dona, ad legationem eam obeundam sunt consultò collata. Sed caput cum sponso intueamur.

Alia textus explicatio.

Nasus iræ index.

E

Iræ vis.

F

Animadversio.

G

℣. 5. Caput tuum ut Carmelus.

H

PARAPHRASIS.

Ego sponsus tuus tibi, ut caput corpori junctus, Carmelo monti excelso fertili, spinis carenti similis sum. Efferor super omnia altitudine,

Scripta An. 1598.

dine, omnibus eſcam do fertilitate, accedentes ad me non pugno, ſed quaſi molli herba reficio, ob ſpinarum immunitatem.

Caput mulieris vir eſt.

SPonſæ caput ſponſus eſt, caput enim mulieris vir. Gloria autem & ornamentum inſigne uxoris eſt, viro pulchro nobilique ſociari, quemadmodum corporis eſt ornamentum egregium, caput benè conſtitutum, ac firmum habere, quod toti præeſt corpori, idque totum ſua honeſtat dignitate. Sic ergò oſtenſurus Spiritus Sanctus ornamentum ſponſæ potiſſimum caput illi appingit pulchritudine, ac nobilitate inſigne. Porrò Carmeli montis laus ex multis capitibus peti poteſt, nempe à magnitudine, à fertilitate, ab aculeatarum plantarum immunitate. Altitudine conſpicuus eſt, protoparentis noſtri Heliæ habitatione clariſſimus. Fertiliſſimus eſt, paſcuis abundans. Spinetis carere dicitur. Altitudine ſponſum, qui erectus eſt ſuper omnem creaturam, fertilitate illum quà oves ſuas ſemetipſo paſcit, ſpinetorum immunitate illum ſuavem, manſuetum, non pungentem, ſed ſuavi paſtu pecudes admittentem notat: licèt enim ejus caput ſpinis rigeat in paſſione, eas tamen ſpinas nec ipſe genuit, nec verò eas aliundè ſibi infixas uſurpat, ut lædat, immò verò puncturas ipſe tulit, ut eas nobis adimeret. Hic eſt mons herba perenni opertus, à ſcriptura ſacra ob decorem commendatus. Hic datus ſponſæ, ut caput corpori, & ſicut paulò antè collata eſt ei gloria Libani ſub turris Libani ſymbolo, ita nunc ei datur decor Carmeli. Arcanè autem, cùm ſponſæ caput Carmelo ſimile aſſeritur, notandum eſt, per hoc innui, non modò decorem ſponſi ad ſponſam ceù capitis influxu perlabi, ſed fertilitatem, paſcuorum ubertatem & cætera univerſa, a quibus Carmelus commendatur. Inquit ergò ſponſus: Ego qui ſum caput tuum, ô ſponſa, ero tibi ſicut Carmelus, decorus, ferax plantarum, paſcuis abundans, ac proindè ii, quos mihi ut capiti, tibique tanquam hujus capitis membro ſociare curaris, ex me, ut tu recepiſti, decoris, fertilitatis, paſcuorumque ubertatis influxum recipient. Hîc annotare oportet Carmeli nomine inſignes montes eſſe duos. Unus eſt Tyriorum Ptolemaidi imminens, excurrens in mare mediterraneum, unde Carmelus maris appellatur, de quo hunc locum interpretati ſumus. Alter eſt mons in Judæa, qua itur in Ægyptum ad meridionalem plagam, in quo civitas ejuſdem nominis exſtructa fuit, hîc verò ſcribitur cum aſpiratione Charmel. Poſt caput comæ à capite ſuſæ ſponſus meminiſſe debuit. Ideò ait:

A

Ornamentum ſponſæ.

Laus Carmeli montis.

Sponſi divini erga nos amor.

B

Senſus myſticus.

C

Duo montes Carmeli nomine.

Diſcrimen inter duos montes Carmeli.

D

Comæ capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus.

PARAPHRASIS.

Ego caput tuum habeo comas, hoc eſt, cogitationes purpuratas amore rubentes, ſuper te, velut ſuper meum corpus effuſas. Cogito enim ſemper de te ornanda, & operienda. Unde cogitationes meæ purpura tua ſunt, qua tu ornaris; nec verò qualiſcumque purpura, ſed colorem ſuum apertè monſtrans, ut fila ad purpureas telas contexendas infecta, & in canales aquæ, ut eluantur, & coloris vivacitatem prodant, conjecta:

E

COmarum à capite originem ducentium indeque fluentium in humeros, corpuſque regentium ſimilitudine cogitationes ſponſi ipſius (quas videlicet ipſe ſponſus, qui eſt ſponſæ caput, concipit, & ſuper ſponſam effundit, eam iis circumvallans, cuſtodiens, & quaſi contegens, dum de illa ornanda, perficiendaque cogitat) eleganter exprimuntur. Eſt ergò ſponſus concipiendus ſub quadam corporei capitis effigie ſponſaque ſub corporis illi capiti ſubjecti imagine. Illud igitur caput comas pulchrè dicitur ſuper corpus effundere, cum cogitationes ſuas iis comis delineatas ad corporis cuſtodiam, ornatumque producit, quod ſponſus, à cujus animo ſponſæ memoria non recedit, egregiè præſtat. Et quia ob has, quas ſponſus concipit, promitque de ſponſa cogitationes, illa verè, ut principis filia incedit ornata, comæ aſſeruntur eſſe ſimiles purpuræ regis, hoc eſt purpuræ regali, quæ videlicèt regiæ majeſtatis eſt nota, ut ex communi totius antiquitatis conſenſione patet. Hæc verò purpura dicitur vincta, vel, quod alii legunt, juncta canalibus, quia videlicet poſtquam vellera, vel fila, ex quibus telæ contexendæ ſunt, ſaniem, ſuccumve, quo tinguntur, hauſerunt, eluuntur, vaſis aquæ ad id comparatis, ut color ipſe ſordibus elutis, ſe prodat & clareat. Canales autem hoc loco ſunt illa vaſa, crateresve lapidei, qui prope puteos ſtatui ſolent, ut, hauſta puteorum aqua, crateres ii pleni potum animantibus præbeant, ut patet ex hiſtoria Geneſis, ubi legitur Jacob virgas poſuiſſe in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut greges eam biberent. Idem autem nomen Hebraicum habetur ibi, ac in hoc loco, pro canalibus רהטים. Dum ergo ſponſus ait, ſuos cogitatus ſuper ſponſam effuſos, eſſe purpuram regalem, non obſcuram & ſordidam, ſed canalibus junctam, idem agit, ac ſi diceret, purpuram lucentem, elutam, vivumque ablutione colorem prodentem, ad ſignificandos cogitatus velut ex amoris fornace depromptos, & ignitos, quos ille ad ſponſæ bonum ſedulò convertit, quibus etiam vivum purpuræ colorem æmulantibus eam exornat. Hæc eximia ſponſæ gloria eſt, ut ſponſus cogitatus ſuos effecerit ſponſæ capillos, quibus illa ut regina purpurata incedit. Hæc prima eſt explanatio.

Per comas cogitationes depinguntur.

Purpura Regum inſigne.

Canales vaſa lapidea, quæ prope puteos ſtatui ſolent.

G

Gen. 30. 38.

H

Secunda petitur ex Hebræo, & Septuaginta Interpretum verſione, qui ſic habent: Cæſaries, vel coma capitis tui, ſicut purpura. Poſtmodumque diſcretè additur: Rex liga-

Alia explicatio ex Hebr. & LXX. Interpp.

Scripta An. 1598.

ligatus in transcursibus. Commendantur sponsæ cogitationes à mente, velut à capite comæ, exortæ, & dicuntur esse similes purpuræ, hoc est, rubentes, amorisque incendio flagrantes, quia licet color hic purpureus actibus voluntatis potius quam intellectus quadret, illi enim sunt amoris, isti notitiæ actus, nihilominus cum ex impulsu & quadam velut exundatione amoris intellectus tingitur, & quò amor impellit, suos omnes dirigit cogitatus, ardentior significatur amor qui ob æstum intra voluntatem se nequiverit continere, sed ad intellectum permeans, cogitationes etiam suo colore, seu ardore afficerit. Sic igitur comæ capitis sunt sicut purpura. Quod verò additur, Rex ligatus in transcursibus, energia plenum est. Vocantur enim ipsi capilli, transcursus, petita metaphora canalium, seù tubulorum, per quos aqua derivatur, atque transcurrit. Sunt enim illi oblongi, & aqua, dum per eos labitur, undat, & crispatur, ut capilli à capite per humeros defluentes, & artificiosa quadam contortione undas imitantes. Transcursus ergo idem quod comæ significant, & dum Rex in transcursibus ligatus asseritur, perindè est, ac si comis vinctus diceretur. Quo quidem sensu indicatur, sponsum cogitationibus sponsæ purpuratis, & ab amore impulsis ligari, & ad sponsæ vota iis vinculis inflecti. Hic verò loquendi modus inter amantes frequentissimus est; nihil enim ii crebrius dictitant, quàm pulchris se fœminarum vinciri capillis. Hæc de secunda interpretatione ad Hebraicum & Græcum textum expensa.

A

B

Altera Textus expositio

Verùm ad nostram vulgatam editionem, quæ pluris facienda est, revertentes, tertiam interpretationem allaturi, de purpura nonnulla præmittamus, quæ in priscis authoribus purpuræ infecturam describentibus observata sunt. Oportuit sanè veræ ac nativæ purpuræ tincturam ex antiquis haurire Scriptoribus, nam illius usus jam pridem in Europa cessasse, & pro ea quorundam florum purpureorum, qui passim leguntur infectura, substituta esse videtur. Sic quippè conspicimus, novum purpuræ genus serico tingendo accommodum, novis excogitatum moribus, ex vermiculo, quem Pœnorum lingua Carmen appellat, unde in officinis Carmesini nomenclatura usurpatur. Hac ergo tinctura substituta præterminsa, Tyrii olim veræ purpuræ laude claruerunt, qui vivas purpuras (sunt quippè pisces) capere contendebant, eò quòd cum vita succum illum evomerent ad tingendas lanas expetitum, uno quippè ictu vivens purpura conterebatur, & sic in mortis agone pretiosiorem saniem evomebat. Quæ sanè omnia in sponsum Jesum Christum mirificè quadrant. Immanes quippè illi purpurarii Judæi, à quibus Tyrii non longè aberant, sponsum, quasi purpuram viventem è mari traxere captura horti, velut hamo quodam. Tunc viventem adhuc contrivere, verberibus, clavis, spinis. Illo autem attritu arcana ea purpura in agone mortis constituta emisit sui sanguinis copiam, ad tingendas, quin & abluendas animas à mundo universo expetitam. Pretiosiorque nobis fuit illa mystica sanies, quàm vivus emisit, ea, quam mortuus cæso latere fudit. Licet enim sanguis, quem è latere effudit, in se quidem pretiosissimus esset erat enim unitus verbo; at quod ad tingendas lanas spectat, hoc est, ad animas merito, ac satisfactione per illum sanguinem redimendas, & ita eluendas, sanguis à sponso vivente fusus nobis pretiosior fuit, illius enim profusione meruit, ac satisfecit, non verò istius; morte enim meriti, ac satisfactionis tempus concluśum est. Hæc verò symbolica purpura, cujus sanie nos, ut genus Dei electum, regaleque sacerdotium purpurati incedimus, verè purpura regis immortalis est, ea enim natura humana, quæ attrita emisit sanguinem, purpura regis, hoc est, sponsi est quæ rectè dicitur vincta, junctave canalibus. Illa enim crucis foramina, vel cerebro, vel clavis effecta eleganter appellantur canales, seù transcursus, à sulcis, per quos aqua derivatur, petita metaphora. Passim quippè fiunt canales, vel sulci lignei, qui nihil sunt aliud, quàm ligna excavata ad aquam ex puteis derivandam, quod Italis usitatissimum est, Cùm igitur foraminibus crucis juncta, & clavis per ea foramina immissis vincta fuit humana Christi natura, tunc verè fuit purpura regis vincta canalibus. Hoc verò mysterium clariùs liquet, si alia satis consentanea versione utamur quæ ait (Rex ligatus in tignis:) duobus enim crucis tignis altero recto, alteroque transverso ferreis vinculis seù clavis Rex noster ac sponsus alligatus est. Hucusque descripta est purpura regis vincta canalibus. Nunc verò est elucidandum, quanam ratione comæ seu cogitationes sponsæ similes huic purpuræ sint. Profectò mira est in oratione concinnitas. Sponsa enim adeò jam sponso crucifixo similis evasit, ejusque mortis similitudinem adeò affectat, ut nihil aliud cogitet, quàm quo pacto Christo configatur cruci. Ex quo patet, ejus cogitationes comis notatas, esse similes, immò & juxta veram philosophiam naturales imagines sponsi eis repræsentati, qui est illa mystica purpura vincta canalibus, ut proximè explanavimus. Hujus ergo interpretationis proprietas ex naturali petitur imagine rei, quæ in cogitationibus lucet, dum concipitur. Et universim verum est conceptiones rerum esse illarum nativas imagines. Itaquè dum quis de leone cogitat, sine ulla metaphora dicimus, ejus cogitationem similem esse leoni, & sic, quia sponsa de sponso crucifixo, quem purpura vincta canalibus exprimit, sine intermissione cogitat, sine metaphora dicimus ejus cogitationes esse similes purpuræ vinctæ canalibus. Enimverò quòd sponsus appelletur purpura, metaphora est; quòd verò huic purpuræ sponsæ cogitationes similes nuncupentur, non est metaphora, sed proprietas. Excursu longo per partes sponsæ pulchritudi-

C

Vetustæ a nostra purpura discrimen.

Nomenclatura Carmesini.

Purpuræ sunt pisces in Syria.

D

Judæi purpurarii.

†Accomodatio ad sponsi passionem.

E

F

Alia versio.

G

Sponsa sponso crucifixo similis evasit.

H

nem

Scripta An. 1598.

nem ſponſus depinxit, & à pedibus ad caput uſque procurrit, quamobrem cùm totius pulchritudinis partes congeſſerit, & contexuerit, rectè infert, eam eſſe venuſtiſſimam. Propterea inquit:

℣. 6. Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis?

A

PARAPHRASIS.

Quàm perfecta præſtas pulchritudine, quæ interna eſt, virtutum concinnitas, & quàm exacto excellis decore, quæ eſt externarum actionum moderatio? Mira eſt ſanè hæc pulchritudo, & decor ſuo quidem ingenio; mirabilior autem fit, quia conſervatur in deliciis internis, in quibus multi neſciunt tenere modum.

HÆC loquendi ratio ad affectum propalandum peropportuna amantibus eſt familiariſſima. Ii enim cum fœminas, quibus addicti ſunt, contemplantur, in medio ſolent B exclamare ſermone, pulchritudinem efferentes, & verbis hujus textus alia ſimilia enunciantes. Sponſus ergo ait, quàm exacta es pulchritudine, ô ſponſa, quod ad interna pertinet, & quàm es abſoluta decore, quod ad externas ſpectat functiones? Profectò pulchritudo, cujus ſuperius meminimus, in arcano ſermone virtutum notat conſenſionem; ac concinnitatem, ſicut corporalis pulchritudo partium debita conſtat proportione. Decor verò externarum actionum moderationem ſignificat, quæ etiam, cùm ex interna prodit harmonia, eſt laude digniſſima. A pulchritudine igitur, ac decore ſponſa commendatur, ut per hoc ſponſus innuat, ſponſæ non modò animam, in qua lucet interna pulchritudo; verùm & corpus, in cujus moderatione cernitur decor, jam ſervire juſtitiæ. Et quidem bimembris hæc laus erat per ſe magna, illam tamen auxit magnoperè, quod appoſitum eſt in deliciis. Porrò cùm Deus animam deliciis mulcet, non multum elucere ſolet pulchritudo, non decor. Plerumque enim, qui ſponſæ non attigere perfectionem, dum internis deliciis permulcentur, ultra rationis metas exiliunt, animoque efferuntur, plus æquo ſibi placentes, ac tribuentes; perfectè quippè ſe neſciunt moderari atque, metiri, & ipſas delicias perfectionis argumentum eſſe credunt, longè in hoc à vero aberrantes. At qui veræ virtutis congnitione pollent, non ob delicias internas modum à ratione præſcriptum excedunt, non ſibi nimium placent, aut tribuunt, ac proindè nihil turpe, nihil à moderatione alienum admittunt quo pulchritudo, ac decor fortè decreſcant. D Hanc ergò emphaſim habent hæc verba, quibus ſic ſponſus loqui credendus eſt: Quàm pulchra internè, quàm decora externè perſeveras, ô ſponſa chariſſima, in ipſis, quibus tibi blandior, deliciis? Non eas tuo merito tribuis, non tumes, nihil à virtute interna, vel externa moderatione geris alienum, quemadmodum ii, qui parum mei capaces, ſi quid cœleſte guſtarint, temerè evulgant, ſibi tribuunt, & externis actibus immoderatis oſtentant.

Pulchritudinis, & Decoris diverſa ſignificatio.

C

Sponſi adlocutio.

Poteſt etiam deliciarum nomine intelligi contemplatio, quæ miram ingerit animæ voluptatem, in qua mirificè charitas exardeſcit, ac proindè creſcit pulchritudo, & decor. Et juxta hunc ſenſum ſic ſponſus loquitur, Quàm fœliciter, ô ſponſa chariſſima, tua creſcit pulchritudo virtutum ſocietate conflata, tuarumque actionum moderatio ex interna prodiens perfectione in contemplationis ſuavitate, qui eſt deliciarum paradiſus? Hæc eſt eximia ſponſæ laus, quæ non effertur proſperitate, Deum ſibi indulgentiſſimum experiens, quemadmodum nec adverſitate dejecta fuit, cùm illum velut averſum experiebatur. Hanc ergò animi adepta magnitudinem, ſequentem palmæ ſimilitudinem meritò audit.

Alia explicatio. Deliciæ Animæ, divina contemplatio.

E

℣. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ.

F

PARAPHRASIS.

Palmæ caudex ſcaber & aſper eſt, ſuper quem coma in coronæ figuram ſe fundit, victoriæque ſymbolum exhibet, ramiſque reflexis terram deſpicit. Huic imagini ſimilis eſt ſtatura tua, ô ſponſa. Vitæ quippè auſteritate, ut caudice ſcabro, conſcendiſti ad coronam, cujus imaginem præferunt palmæ rami. Et ne tibi nata ſolùm videaris, peccatores humi repentes, quorum curam geris, ex tua reſpicis altitudine, te ipſam, ut palmæ comam ad proximorum lucra curvans.

VIdetur ſponſus motibus humanis omninò cieri, cùm amoris legi obtemperandum eſt. Concipi quippè debet in hoc loco ſub imagine cujuſdam hominis fœminam exactè pulchram contemplantis, & ex ea contemplatione in hæc verba prorumpentis: Statura tua, vel quod Hebræi cum energia dicunt, Iſta ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ. Profectò Septuaginta Interpretes hunc ſponſi affectum ſignificanter expreſſerunt quodam epiphonemate. Cùm enim ſponſus ſponſæ laudes percenſuiſſet, ſumma eſt uſus acclamatione, ajens: Hæc magnitudo tua. Hic clauditur periodus. Poſtmodumque nova laus ex palmæ ſimilitudine affertur, in hæc verba, ſimilis facta es palmæ, quorum ſenſus eſt idem, quia noſtræ editionis verbis redditur: Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Sanè, ut hæc ſimilitudo percipiatur, palma nunc cogitatione concipienda eſt, ut ejus imago ſponſæ nobis referat ſtaturam. Eſt igitur palma multiplex; quod autem ad rem attinet, genus hic earum palmarum, quæ ſunt proceriores, intelligi debet, ut ſponſæ magnitudini celſitudinique conſentiat. Hæc eſt au-

G

LXX. Interpp.

H

Palma eſt multiplex.

Scripta An. 1598.

autem palmæ ſtructura, ut ſtipes ſit ſcaber, quaſi gradato, compactoque cortice, ſeque ſquammatim ſubeunte, ſupernè autem effundat ſe in coronæ circulum coma, palmitibus inter ramos enaſcentibus. Rami ſunt in terram reflexi, nec ob id oneri ſuccumbunt; ſed nativa quadam ingenuitate contra pondus nituntur impoſitum. Hæc eſt ſtatura ſponſæ, nota velut hieroglyphica expreſſa. Porrò priuſquam in coronæ faſtigium palmæ coma recurva ſignificatum, victoriæque ſymbolo aſcriptum ſponſa conſcenderet, & inter reginas una, coronæ inſigni redimita, & victoria de hoſte potita fuiſſet, ſtipitem palmæ ſcabrum, aſperumque ſubiit, & per eam ſcabritiem quaſi repens, ad coronæ altitudinem, quaſi ad palmæ comam erexit, Corporis nimirum domitu, ſenſuumque receſſu, quaſi ſtipite ſcabro, mira pernicitate, in perfectionis apicem aſcendit, & ea manibus contrectata vitæ aſperitas ad fructum & coronam palmæ ſponſam provexit, quæ fuit omnibus egregiis certatoribus, ut patet ex ſanctorum rebus geſtis, protrita philoſophia. In hac autem vitæ auſteritate ſponſa non ſuccubuit oneri, non eſt animo dejecta, ſed invicto, & pœnis obfirmato pectore contra pondus niſa eſt. Jam verò poſtquam ad comam palmæ, ob inſignem vitæ perfectionem conſcendit, non ſibi ſe ſolum natam exiſtimavit, ſed palmæ comam recurvam imitata, ex illa ſua celſitudine quaſi ramis reflexis, & ad proximorum ſalutem curandam repandis, terram, in qua jacent peccatores, reſpicere videtur. Ad hoc ſcilicet palmæ ſtatum adepta eſt, ut aliis prodeſſe ſtudeat, quæ ſatis crevit. Et propter hoc, poſtquam ſponſus dixit, ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, attexuit, &

Palmæ ſtructura.

Statura ſponſæ.

A

Ubera tua botris.

PARAPHRASIS.

C *Duplex amor tuus palmæ racemis ſimilis eſt, ex quibus vinum confici ſolet. Hunc amorem velut expreſſis uberibus vinum reddentibus ſugunt diſcipuli, qui amore tuo ad amorem incenduntur, & velut eſcæ igni junctæ ignem ab igne concipiunt.*

Sponſa vitæ auſteritati non ſuccubuit.

B

Ubera amoris ſunt ſymbola.

UBera in arcano ſermone (ut ſæpè dictum eſt) amoris ſunt ſymbola. Sic ſponſæ ubera geminus eſt illius amor, ab uno velut pectore erumpens, amor inquam Dei, ac proximi, quo eam nunc aliorum ſaluti ſtudentem flagrare oportet. Duplex verò hic amor non botris acerbis, quos ſi quis edat, ejus dentes obſtupeſcunt, ſed maturis, ſoleque percoctis quàm ſimillimus eſt. Duo quippè amoris actus, qui ab una voluntate, unoque charitatis habitu, tanquam ab uno pectore extumeſcunt, jam in ſponſa maturos botros imitantur, quos tyronibus porrigit edendos, fœcunda quædam arbor effecta. Ex hoc loco aliqui ſuſpicati ſunt, vites in Palæſtina palmis maritari vincirique ſolitas, ut in Italia ulmis ſalicibus, aliiſve id genus arboribus alligari ſolent. Ac proindè vites, poſtquàm creverunt, & caudicem palmæ ſuperarunt, racemos inter palmæ comam ramoſvè credunt ſpargere, qui per mediam comam ſe prodentes ubera ex procera quadam fœmina, cùjus palma refert imaginem, extumentia pulchrè notant. Pulchra ſanè imago; at res incerta eſt, quæ niſi ex alio Scripturæ loco, vel alia probata conſtet hiſtoria, ex hoc dumtaxat libro, qui totus eſt ſymbolicus, firmum argumentum ad id aſſerendum duci non poteſt. Verius multò videtur, botros, de quibus hîc mentio ſit, non eſſe vitium racemos, ſed palmarum. Ipſe enim palmæ fructus racemum imitatur, ajente Plinio, Coma omnis in cacumine & pomum eſt, non inter folia, ut in cæteris, ſed ſuis inter ramos palmitibus racemoſum, utraque natura uvæ, atque; pomi, Sic ergò palma ſuaptè natura fert dactylos racematim confertos, ex uno palmite, inſtar botri, enaſcentes. Cùm palmam botroſque ſimul, tamquàm unam integram ex arbore, fructuque conflatam ſimilitudinem ſponſa commemorarit æquius profectò erit, botrorum nomine non vitis, ſed palmæ racemos intelligere. Nec obeſt, arcanam botri ſignificationem vino, quod ex vitis botris exprimitur, aptius congruere, vino enim amor apertè ſignatur. Non (inquam) obeſt, quia ex eiſdem palmæ botris Orientis populos conficere ſolitos vina, prodit idem Plinius in eodem capite. Hæc de botris aſſerta ſint. Quoad ſenſum verò arcanum ubera botris ſimilia, hoc eſt, geminos amoris actus extumentes, & jam charitate gravidam ſponſam indicantes, recentes juſtitiæ fœtus, quos ſponſa curat, exſugunt, cùm ſe ab illa amantiſſimè recipi, foverique cernunt, & ex hoc amplexu, & fomento illi incenſi, divinum amorem, ſicut eſca ignem attingens, igne ſponſæ ardere incipientes, quaſi ex botris expreſſum vinum bibunt, & concipiunt. Poſſunt hæc ubera ſecunda huic ſponſæ ſtatui, opportuna interpretatione intelligi ſcientia, & prudentia, quæ rivos quoſdam fundunt, quos pro captu ſuo ſponſæ magiſterium adeptæ diſcipulæ hauriunt. Scientiæ lac velut ex altero ubere ſugunt, ut norint, quid eis ſit agendum; Prudentiæ lac ex altero trahunt ubere, ut quomodo ſit agendum, intelligant. Nec enim ſcientia ſine prudentia prodeſſet. Hæc autem ubera palmæ racemis ſimilia ſunt, ex quibus vinum exprimitur, farinaque confici ſolet, ut apud Æthiopes, quia videlicet doctrina ſponſæ ſcientia prudentiaque conſtans parvulis eſt potus, & eſca. Nunc ut ſermonis ſe prodat energia, animo informare debemus quandam ſponſæ elegantiſſimam effigiem, qualem palma procera dactylorum racemos fundens exhibet. Sponſus verò, concipiendus eſt, tanquam fame incitatus, palmæ proceritatem contemplans & captans, quanam ratione illam conſcendat, & invento demum aſcenſu eam ſubire decernens. Sic enim ait:

Amor Dei, & proximi.

D

Vites quomodo vitiantur.

Palmæ fructus deſcribitur.

E

Alius textus explicatio.

F

Uberum ſignificatio.

G

H

Scripta An. 1598.

V. 8. Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.

PARAPHRASIS.

Dixi, sponsam meam visitabo, quæ palma procera est, & apprehendam, seù amplectar cor ejus totum molle, ac carneum, quasi dactylum sine ligno.

A

TE sponsam palmæ statura proceram contemplatus sum. Et fructu dulcissimo vesci cupiens in te conscendere decrevi, Porrò tametsi sponsus, quando cum hominibus agit, semper descendat; à sua enim celsitudine ad nostram se deijcit humilitatem; nihilominus, si viam, quam terit, dum per hominum terrenis hærentia corda graditur, contueamur, quædam discrimina satis nota cernemus. Cùm enim alia corda sint aliis humiliora, terræve propinquiora, dum per ea sponsus transit, & alia excelsa charitate corda visitat, pulchrè dicitur ascendere. Sic

Quædam corda humilia, quædam excelsa.

B

ergò accipiendum est, quod ait: Dixit, ascendam in palmam, ac si hoc modo loqueretur: Viam humilem cæterorum hominum protrivi, & postquam longa sum mensus spatia, dixi, sponsam adibo, quæ cùm instar regiæ palmæ procera sit, ascendendum mihi est. Cui loquendi phrasi satis favet alia versio Græcorum Patrum, non pro eo, quod nostra editio habet (Apprehendam fructus ejus,) ajunt illi (Apprehendam altitudines ejus;) sed nostram versionem exploremus. Profectò, inquit sponsus, cùm palmæ fructu vesci cupiam, de consensu est mihi cogitandum. Videtur sponsus alludere ad palmas quasdam in Oriente proceras, & teretes quæ densis, gradatisque corticum pollicibus, ut orbibus, faciles se ad scandendum homini præbent, miraque pernicitate per caudicem, quasi per scalam à natura constructam homo arborem subit. Explicatum ergò cùm sit, quanam ratione sponsus palmam conscendat, quorsum con-

Versio Græcorum Patrum.

Palmæ in oriente proceræ.

C

scendat expendendum est. Et quidem ipse luculenter ait, se velle palmam subire, ut apprehendat fructus ejus. Porrò autem fructus palmæ, qui est dactylus, meretur laudem, si ejus caro spectetur, ex ea enim vinum confici, farinaque friari solet, unde fructus duntaxat unus potum præbet, ac escam. Verùm ex uno capite laudari non debere videtur is fructus, quod lignum carne illa tectum, prædurumque habeat, à quo, postquam quis edit carnem, dentium læsionem, vel certè effractionem pati posset. Minùs autem laude dignus est, si fructus expendatur structura. Lignum quippè illud carne obtectum cordis corpore septi refert imaginem. Ligneum verò cor, & adeò durum habere, vituperatione dignum est, cùm tantummodò cor carneum, hoc est, molle, ac causæ primæ impressioni recipiendæ aptum in Scriptura probetur. Præstaret sanè, carnem, ut in nuce, latere, ac esse in ligni medio cordis figura concreatam, ut effracto ligneo operculo, corde sponsus

Laus fructus palmæ.

D

carneo vesceretur. Hæc profectò rationi consentanea sunt, & nisi dactyli essent nonnulli osse lignove carentes, fructus palmæ non essent adeò pretiosi, non adeò suaves, ut pro illis scabrum sponsus caudicem conscendere tentaret. At in Cypro, Syria, & Ægypto palmæ nonnullæ esse feruntur, quæ per aliquot annos nullum habent in pomo lignum; quas respexisse sponsus videtur, cùm sponsam palmæ similitudine laudavit. Enimverò quando sponsus corda recenter conversorum tractat, carnem quasi externam sibi contrectare videtur, efficaci enim conversionis motu tantillum emollita sunt, verùm si cordis centrum spectemus, quod longo malè actæ vitæ obduruit abusu, quasi lignum quoddam dactyli carne contectum inveniemus. Etsi enim propter justitiam nonnihil laborent illi, & à se nonnulla, quæ placebant, quæ non adeò intimè cordi erant insculpta, relinquant, at ea, quæ in cordis sunt centro defixa, vix longo annorum excursu, longaque exercitatione relinquunt. Si tamen eò suavitate pervenerint, ut totum omninò cor carneum efficiant, nihilque in eo durum, quod vescentis dentes lædat, supersit, quod sponsa est assecuta, tunc similes erunt palmis fructum sine ligno ferentibus, & in eos sponsus fructus amore conscendet, quemadmodum erga sponsam se facturum pollicetur. Hic perfectionis gradus est excelsus valde, & quædam beatitudinis imago, quando videlicet sponsa cor tam perfectum assecuta est, ut nihil in eo nisi tenerum, ac molle & carneum Deus inveniat, ut dicere possit, inveni hominem juxta cor meum. Et tametsi hæc cordis perfectio ad alias etiam functiones expetenda sit, ad prædicationem & aliorum curam capessendam est omninò necessaria. Cùm enim sponsa divinis assueta colloquiis ac solatiis, ut aliorum saluti prospiciat, ab ea requie optatissima avocatur, eget profectò corde omninò molli, nullamque duritiem patienti, ne in ea provincia Deo renitatur, ne Deus durum quippiam, cùm cor experitur, offendat.

Palmæ quales in Cypro Syria, & Ægypto.

E

F

Perfectionis gradus, & beatitudinis imago.

G

Secunda hujus loci interpretatio ex cantici processu deducitur. Cùm enim sponsa sit jam aliis perfecta, quos ut parvulos, humique repentes fructu suo ut palma debeat alere, sicut illi debent se erigere ad sponsæ doctrinam concipiendam, ipse etiam sponsus dicitur eleganter seipsum attollere in illis, & in illis palmam conscendere, fructusque colligere. Est enim ipse infans, dum spiritali conceptu formatur in anima, posteaque novis charitatis crescit augmentis, ac perindè quibusdam quasi gradibus palmam conscendit, dum in discipularum cordibus latitans, eas ad sponsæ imitationem incendit. Constructa enim iam sponsa est in scalæ figuram, ideoque pingitur ut palma, cujus caudex asper est, & gradatus, ita ut conscendi in aliquibus regionibus possit. Per hanc autem scalam discipulæ sponsæ imitatione conscendunt, & fructus, unde pascuntur, colligunt, ipseque sponsus ascendere, pascique in illis asseritur, quia

Alia textus explicatio.

Sponsa instar scalæ.

H

eas

Scripta An. 1598.

eas ascendere pascique facit, quemadmodum Spiritus Sanctus pro nobis postulare gemitibus inenarrabilibus dicitur, quia iis gemitibus nos facit postulare. Perpendendum est maximè, sponsum animas sponsæ discipulas impellere, ut illi coniungantur, & per eam subeuntes, illam fortiter apprehendant, ut ejus contactu spiritali palmarum more concipiant, nam & ipsæ discipulæ ob justitiæ altitudinem, & robur invictum evasere palmæ, minùs tamen in eo genere perfectæ. Sanè justis omnibus, palmæ quadrat similitudo, justus enim ut palma floret; at verò plura sunt palmarum genera, in quibus justitiæ discrimina innuuntur, & hæc quonam pacto sibi consentiant, ex Aquilæ versione nunc explanandum est. Porrò Aquila pro eo, quod nos habemus (apprehendam fructus ejus) vertit (Apprehendam elatas ejus.) Sunt autem elatæ marium palmarum fructus, qui fœminis palmis impositi, & firmos, & maturos earum fructus efficiunt. Sponsus igitur optans prolem numerosam per sponsam jam provectam suscipere, cernens eam ut palmam verè masculam virili sanè mente præditam, impellit animas parum provectas, palmis quidem, sed fœminis palmis similes, ut palmam marem conscendant, & quasi caudice conscenso fructus amplectantur, qui spiritali velut utero impositi, fructus illarum vi sua perficiant. Juxta versionem hanc satis arcanam sponsus prodit, se spiritalem generationem expetere, quodam quasi castissimo sponsæ masculum animum adeptæ, discipularumque congressu, palmarum, in quibus est uterque sexus, conjunctione signato. Quod satis declarat verbis proximè adjunctis, ajens:

A

Similitudo palmæ justis convenit. *Psal.* 91. 13.

Versio Aquilæ.

Mystica explanatio.

B

Et erunt ubera tua sicut botri vineæ.

C

PARAPHRASIS.

Erit geminus amor tuus, vel etiam scientia, & prudentia tua erga filios spiritales, quos iis velut uberibus lactas, sicut duplex amor meus, scientiaque & prudentia mea, quibus ego filios meos, ut uberibus nutrio.

MAnifestè hic sponsus de spiritali generatione agit, & nutritione. Sæpè nimirum pollicitus est sub corporatis rerum imaginibus fœtum multiplicem; huic verò fœtui figuratè nunc pollicetur alimoniam. In hunc autem modum eum agere concipiendum est. Postquam tibi, ô sponsa, liberos me daturum promisi, dixi, me susceptos ex te liberos impulsurum ad palmæ conscensum, ut quos per te genero, per te pariter alam. Et sic fies mihi quam simillima. Sicut enim ego me gero erga meos, ita tu erga tuos liberos te geres. Hanc similitudinem sub horum verborum cortice sponsus sponsæ promittit, ut nempe illi futura sit similis in filiorum educatione. Quod ut percipiatur, statuendum est, vineam hoc loco pro vite ponitur.

D

Vinea pro vite ponitur.

E

F

Quid botri vitis?

Sponsus scientiæ, & prudentia ignaros ad eum accedentes imbuit.

G

H

Halitus bene, vel malè olens quid signet.

ponitur, ut patet ex Hebraico; ubi botri vitis pro vineæ botris leguntur, nec sanè in sensu ulla est differentia, quoniam botri non ob aliam rationem sunt botri vineæ, nisi quia sunt vitis botri. Nunc verò vulgatum est illud, quod de se sponsus enunciavit, Ego sum vitis. Cùm autem sponsus se vitem esse testatur, non vitem infœcundam, arentemve intelligit, sed fructuosam, & botris maturis onustam. Hi verò botri vitis sunt illa ubera, quibus sponsus hujus epitalamii initio præditus apparuit, quæ sunt amor sponsi geminus, vel in alio sensu, scientia, prudentiaque illius, quibus lactentes tyrones imbuere solet. Tantundem ergò significant botri vineæ, seu vitis, ac ubera Jesu Christi. Ex quo via panditur ad similitudinis hujus vim percipiendam. Cùm enim sponsus ait: Erunt ubera tua, ô sponsa, sicut botri vineæ, idem agit, ac si diceret. Erunt ubera tua ad liberos spiritales alendos, sicut, ubera mea, quibus ego illos indulgentissimè alo. Quemadmodum enim ego amore gemino quasi gemino ubere foveo, delecto, & voluptate instillata permulceo recentes in charitate fœtus, ita tu gemino amoris unius actu, quasi duplici unius pectoris ubere, dum me in illis, & eos propter me amas, filios spiritales fovebis, delectabis, & lacte instillato enutries. Et sicut ego veræ sapientiæ ignaros ad me accedentes scientia rerum mearum, & prudentia imbuo; ita tu scientiæ, ac prudentiæ istius accessibus provecta, & prægnans, duplici velut ex ubere lac teneris filios instillabis, & illi, dum hæc tua ubera sugent, ubera profectò mea, ob similitudinem disciplinæ, sibi exsugere videbuntur. Experientur nimirum in semetipsis affectus eosdem ab eodem lacte, quod vino melius est, promanantes. Hujus similitudinis vis in Paulo, cui sponsa satis similis jam evasit, & in cæteris Apostolis perfecta fuit. Illorum enim arcana ubera tam erant Jesu Christi uberibus similia, ut meritò quisquis ea sugebat, ubera se sponsi exsugere, arbitrari posset. Et ad eamdem similitudinem spectant hæc verba subtexta.

Et odor oris tui sicut malorum.

PARAPHRASIS.

Erit odor oris tui, cùm sapientiam loqueris, sicut odor meus. Similis enim sapientia effecta es mihi, qui sum malus inter ligna sylvarum, & sum pomum pulchrum visu, & ad vescendum suave.

PRofectò halitus odoratus totius corporis pulchritudinem maximè commendat, sicut è contrario oris fœtor etiam pulchra corpora nos facit horrere. Halitus verò benè olens ex bona partium corporis constitutione, humorumque debita permistione procedit. Sic odor spiritalis ex interna partium animæ consensione, virtutumque debita con-

ne-

Scripta An. 1598.

nexione promanat, & internam pulchritudinem magnopere commendat. Odor autem oris non percipitur inspiratione; sed expiratione, & halitus emissione, & ita odor spiritalis, quo anima Christum olet, minimè hauritur ab aliis, cùm intra privatos quasi parietes charitas, & scientia justorum

A contegitur; quando sibi dumtaxat vivunt, charismata sibi cœlitus collata velut inspirantes, & intra cellarium condentes; sed cùm halitum effundunt, & hiant, oreque ad prædicationem aperto sponsi, dogmata invulgant, tunc eis congruit ista eximia laus ut oris eorum odor sit sicut odor malorum. Constat enim ex superioribus, sponsum appellatum fuisse malum inter ligna

Sponsus malus inter ligna.

sylvarum, & mali cum illo similitudo expensa tunc fuit. Malorum igitur nomine, plurali pro singulari accepto, ob rationem sæpè allatam, sponsus exprimitur. Ex quo planè conficitur; ut sponsæ doctrina ex eo potissimum commendetur, quòd sponso similis sit, & illum exindè oleat. Sic ergò sponsus ait: Doctrina tua odorata ex ore tuo, ô sponsa, est, sicut doctrina mea pro-

B cedens à me, qui sum malus inter ligna sylvarum, & sum pomum visu pulchrum, & ad vescendum suave. Hîc annotare oportet, parum interesse, malorum nomine arbores poma ferentes, vel poma ipsa signari, tam enim arbore, quàm ejus fructu sponsus apertissimè significatur. Et hæc prima est hujus loci explanatio.

Sponsus idem pomum visu pulchrum.

Alia explicatio ex Hebr. & LXX.

Secunda promitur ex Hebræo, & septuaginta Interpretum versione, ubi sic legitur. Et odor naris tuæ sicut mala. Enimverò parum apta videtur hæc translatio, si ejus spectetur cortex. Nares enim natura finxisse videtur non ad fundendum, sed ad trahendum odorem. Non solùm autem odorem, sed & fœtorem trahunt, in quo laus nulla valet inesse. Verùm in arcano sermone internæ nares etiam odorem exhalant,

Narium usus duplex.

C & suaveolentia commendabiles sunt, quod ex corporeis naribus levi saltem possumus conjectari vestigio. Profectò, cùm verba non facimus, vel alia ex causa habemus commissa labia, naribus flatum inspiramus, ac fundimus, & in hoc præter alias functiones satis naturæ serviunt, quod ex se notissimum est. Jam autem, si halitus, qui ore fundendus esset, naribus interdum effunditur, odorem nares reddant, si flatus benè olet, necesse est. Quapropter nec abs re loquitur sponsus de naris odore, etiam si ex corporeis naribus translatio ad internas fiat. Sensus autem ex allata naris bene olentis similitudine in hunc modum educitur:

Mystica explicatio.

Contingit sæpè, animam sapientia divitem, qualem hic sponsam pinxit Spiritus Sanctus, à prædicatione, cui destinata est, prudenter

D interquiescere, & quasi labia committere; tunc verò, conjunctis labiis, non feriatur ab opere, non cessat odorem suavem spirare, nam quasi per nares flatum odoratum emittit, cùm à concione desistens, spiritum discretionis exercet, quem nares apertè significat, ut suprà explanatum est, cùm nasi elegantiam describeremus. Est enim non minùs propria sponsæ aliis præditæ functio spiritu discretionis subditorum mores affectusque discernere, quàm eos concionibus erudire. Hoc autem ore velut aperto dicitur anima præstare, odoremque tunc sponsi odori persimilem fundere: illud verò tanquam labiis consutis, naribus patentibus asseritur efficere, similemque pariter odorem Christi spirare, ut meritò laudanda sit non minùs à naris, quàm ab oris odore. His sponsa donis ac promissis gratissima, quam referre nequit, gratiam se habere commonstrat, his verbis.

E

F

SPONSA.

℣. 9. Guttur tuum sicut vinum optimum dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.

PARAPHRASIS.

Spiritus tuus, ô sponse, efflat doctrinam in me existens odoratam, sicut vinum optimum. Quæ quidem doctrina vino notata est, digna te Dilecto meo, ut eam bibas, labiis tuis, ut eam custodias, dentibus tuis, ut eam rumines, has in me functiones exercens.

COmmendavit sponsus oris sponsæ suaveolentiam. Quam cùm sponsa non ex se, verùm ab illo norit emanasse, acceptam illi eam fert, ac si dicat in hunc modum: Quid mirum est, si meus halitus benè olet, cùm guttur, quo funditur, tuum sit? Nemo est, quem lateat, gutture tuo reddi halitum more vini generosissimi fragrantem. Sanè vulgatà metonymia guttur pro halitu accipitur, & inde guttur suave ut vinum appellatur, qui halitus vinum fragrans olet. Alitus autem sponsi Spiritus Sanctus est, quia ab eo more halitus spiratur. Ex quo efficitur, ut sub gutturis figura spiritus sponsi intelligendus sit, qui sanè ut vinum optimum animas afficit, exhilarat, inebriat, ut patuit die Pentecostes, cùm Chorum Apostolicum afflavit. Cupiens igitur sponsa suæ doctrinæ laudem sponso tribuere, ait: Ideò odor oris mei, doctrinaque mea ob odorem bonum laude digna est, quia guttur tuum, hoc est, spiritus tuus, qui eam spirat, benè in me olet, ut vinum optimum, quod ego ex te, sponse, hausi. Rectè philosophatur sponsa, dum gutturi, hoc est, spiritui sponsi suam tribuit sapientiam, non enim est illa, quæ loquitur, sed spiritus sponsi, ac Patris æterni sui. Quod satis Scriptura declaravit, cùm dixit; eos, qui olim cum Stephano disputabant, non potuisse resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur, quasi disertè dixisset. Stephano sanè resistere valuissent, si loquutus fuisset ille, at quia non ille, sed

Guttur pro halitu accipitur.

G

Act. 2.

H

Act. 6. 10.

Scripta An. 1598.

Spiritus Sanctus, qui erat ejus guttur in illo loquebatur, ideò ei obsistere nequiverunt.

Guttur, id est, spiritus sponsi.

Juxta hunc ergo sensum guttur, hoc est, spiritus sponsi, qui in sponsa loquitur, spirat bene olentem doctrinam, ut vinum optimum & profectò, ut sponsa dicit, dignum Dilecto meo ad potandum. Tam enim sermo ex

A

charitate, ac obedientia promptus, quàm cætera quævis bona opera Deo digna sunt, quia ab Spiritu Sancto ducunt originem: quamobrem dicitur sponsus ea libenter acceptare, edere, ac bibere, seu potare. Sed ut labia prætereamus, quibus dignum vinum appellatur, quæ pro ore ponuntur, & ad doctrinam custodiendam, & conjunctione, dum meditamur, claudendam afferuntur (quod mirum dictu est, vinum hoc sponsi dentibus dignum asseritur ad ruminandum, tanquam mutuo dentium allisu conterendum sit, quod sanè à natura vini alienissimum est. Hoc quippè si ex natura vini mutuari velimus, est omninò ineptum. Ubi enim terrarum provenit vinum adeò natura crassum,

B

& solidum, quod sit dentibus atterendum? Quapropter ad rem vino significatam, sponsi nempè sermonem seu doctrinam transeundum est. Etenim sicut ruminare pabulum dicuntur animalia, cùm postquam illud trajecerunt in rumen, qui est quidam ventriculus, revocant ad os, ibique illud exterunt. Sic doctrinam sponsi ruminare, dentibusque atterere nihil est aliud, quàm semel conceptam sponsi sapientiam, quam populus nequit integro sensu capere, ex ventriculo quasi ad os revocare, & illam concerpere, & quasi dentibus comminuere, quod est eam tanquam in portiunculas partiri dentibus meditationis. Enimverò meditatio, cujus est laboriosè discurrere, ac ratiocinari, dentibus allisu mutuo escas comminuentibus aptè notatur. Hanc igitur doctrinam ruminare, dentibus-

Ruminare pabulum est animalium.

C

que atterere debet sponsa, ut quod illa grandis effecta, excelsa jam mente concepit, proterat, & velut in buccellas divisum pro captu parvulorum expendat. Labia verò sponsi, ac dentes eodem sensu, quo guttur intelligere oportet, ut omnia formandæ vocis instrumenta sponso hujus doctrinæ vino notatæ authori tribuantur. & odor doctrinæ sponsæ illi, cujus est spiritale guttur labia & dentes, referatur acceptus, licèt enim hæc spiritalia labia, dentesque sponsæ sint, sponsi illa esse ait, quia illius ea munere accepit. Sic igitur sponsa loqui credenda est: Spiritus tuus in me existens (ô sponse) efflat doctrinam odoratam exhilarantem, roborantem ut vinum optimum. Et hæc doctrina vino notata est digna te dilecto meo, ut eam bibas labiis meis internis, quæ scientiam custodiunt, & tua dicuntur, quia à te

D

cientur, dentibus meis, qui tui appellantur, eò quòd meditationem illis notatam tu excitas, & foves. Hæc est prima interpretatio.

Altera textus explicatio.

Secunda non intruducit sponsam loquentem, sed sponsum guttur sponsæ arcanè laudantem, & sponsam ex illius ore verba quasi sapientem, hoc modo sponsus ait (Guttur tuum sponsa, sicut vinum optimum) & sponsa intra eandem periodum addit (Dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum,) ac si diceret, sermo meus ad aliorum eruditionem promptus gutture, undè prodit, notatus, vinoque fragranti ob bonum odorem similis, E
quia ex te ducit originem, est dignus Dilecto meo, labiis, ac dentibus ejus, ut ruminet illum, hoc est, ut tanquam sapore illius captus in ore gerat illum, nec deglutiat, sicut qui ecligmata, bellariaque ore volutant, nec ea glutiuntur, ut diutius per os volutata liquescant, & saporem diutius ingerant. Alloquitur autem sponsum, tametsi tertia utatur persona, qui certè loquendi modus etiam vulgo notissimus est. Inest autem mira in iis verbis energia, qua per periphrasim sponsa innuit, sponsum adeò illius sermone delectari, ut fiat similis iis, qui saccharum, aliumve cibum quàm suavissimum ori inditum ore totò circumagunt, ne si evestigio deglutiant, eximius ille dulcor gustum cesset afficere; hoc enim sibi volunt illa verba (Labiisque, & dentibus illius ad rumi- F
nandum.)

Alia explicatio, ex Hebr.

Tertia verò interpretatio ex alia juxta Hebraicum textum translatione deducitur. Sanè ex Hebræo pro iis nostræ editionis verbis, quæ proximè expositimus, sic legunt aliqui (Et palatum tuum sicut vinum optimum, vadens ad Dilectum meum, ad rectitudines, faciens loqui labia dormientium.) Porrò palatum sicut reliquæ oris partes ad vocem formandam comparatæ doctrinæ iis vocibus constantis signum est. Hæc igitur doctrina dicitur esse sicut vinum optimum, quia exhilarat, roborat, fragrat odore Christi. Hæc pulchrè dicitur vadere ad Dilectum, ad rectitudines, vel ut Septuaginta Interpre- *LXX. Interpp.*
tes ajunt in singulari ad rectitudinem, quia adamussim divinæ legi respondet. Est quippè metaphora ab architectura deducta, in qua ædificium optimè construitur, & laude dignum docet architectum, cùm vadit ad rectitudinem, hoc est, cùm ad lineam amussimve dirigitur. Et in hunc modum more sapientis architecti sponsa doctrinam suam ad rectitudinem seu lineam, qui est sponsus legislator, emetitur. Tantum abest, ut obliquum quid pravi dogmatis, quod non sit ad lineam expensum, ædificet. Quod verò adjungitur (Faciens loqui labia dormientium,) mirum dictu videtur, & ab ædificii rectitudine, cui vigilanter incumbere opus est, satis alienum. Verùm hoc ad doctrinæ pertinet efficacitatem, quæ quia vino optimo persimilis est, ebriorum linguas facit esse disertas. Sed quia dictum est, labia dormientium loqui, ea ut labia explicata cernamus, ebrietatem corporis ab ea, quæ menti ex doctrina solet evenire, disparemus oportet. Cùm quis ebrius est, somno statim arctatur, sensuum functionibus interceptis, & tunc somno sepultus rationis usu privatus jacet. Ne quis ergò suspicaretur, vinum hoc spiritale somnum inducere, quo mentis acies he-

Architecturæ metaphora.

G

Natura Ebrii.

H

Scripta An. 1598.

hebetetur, & linguæ usura deliquium patiatur, dictum est. Faciens loqui labia dormientium. Dormiunt sanè discipulæ sponsæ, cùm doctrinæ illius vino potantur, nam rebus fluxis, & perituris moriuntur somno quodam qui est mortis imago, quem efficit nova, quam degustavere doctrina. At somnus hic tantùm abest, ut os obstruat, linguamve liget, ut potiùs linguæ vincula ad divinas laudes extemplò relaxet, ac propterea facit loqui labia dormientium. Habet ergò vini similitudinem, quà naturæ servit, quà verò nocet, minimè. Sicut in verbis paulò antè enarratis ostenditur (Vinum optimum vadens ad Dilectum ad rectitudinem, seù lineam.) Etsi enim doctrina vini bonitate notetur, cum spiritalem ebrietatem inducit, in eo tamen, quod vinum efficit, dum temulentos rectà incedere non sinit, vino significari nequit; immò dirigit justorum gressus ad Deum, ac propterea dicitur (Vadens ad Dilectum ad rectitudinem.) Nunc autem, quod ad personæ loquentis distinctionem spectat, in hac tertia enarratione sponsus cœpit loqui, ajens (Palatum tuum sicut vinum optimum, & sponsa periodum absolvit, sic ajens (Vadens ad Dilectum meum ad rectitudines, faciens loqui labia dormientium.) Hîc nimirum verborum raptus lepidissimus est, & hîc maximè concinnus, ut postquam sponsus doctrinam sponsæ sub palati figura, & vini similitudine laudavit; illa totum id sponso tribuens, & ad illius gloriam dirigens attexat verba relata, quibus fatetur totum illud, quod laudatum est, ad ipsum sponsum vadere, hoc est, sua directione redire.

Somnus mortis imago.

A

Cernens jam sponsa se undique armis septam, & ad prædicationis legationem obeundam benè munitam, jam operi manum admovere adornat, seque ipsam labori subeundo libenter vovet, ajens.

C ℣. 10. Ego Dilecto meo, & ad me conversio ejus.

PARAPHRASIS.

Ego obaudiam sponso meo, precor, ut cor suum semper ad me conversum habeat, ne, dum aliis prædico, ipsa reproba efficiar.

MUltifariam hæc verba possunt exponi. Primò quidem, ut sit quædam suiipsius ad laborem oblatio, dum sponsa inquit, (Ego Dilecto meo.) quasi dicat. Ego sponso meo in aliis juvandis obtemperabo. Et id, quod mox attexuit (& ad me conversio ejus,) sit optantis oratio, quasi dicat. Et precor, ut oculos suos, & cor semper, dum ego aliis vaco, ad me convertat, ne mihi contingat, quod aliis infœliciter solet evenire, qui dum aliis prædicant, ipsi reprobi fiunt. Multis enim prælatio ansa ruinæ fuit.

D

Prælatura multis ansa ruinæ est.

Secundò verba illa intelligi possunt in formam consequutionis annexa, ita ut scholastico more sponsa præfigat assumptum, seù antecedens, dum ait, Ego Dilecto meo, & confestim inferat, &, id est, ergo ad me conversio ejus. Est enim infallibilis inter illa duo connexio, ut si anima se totam Deo ex singulari prævenientis gratiæ dono devoveat, ajens, Ego Dilecto meo, Deus ipse ad illam convertatur, sicut scriptum est, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, quod non sine emphasi & infallibili nexu intelligendum est, sicut à contrario; cùm anima ab illo avertitur, ipse eam deserit, ut mira sit in aversione & conversione proportio. Huic interpretationi favet paraphrasis Chaldaica, quæ Hierusalem sic introducit in hoc versu loquentem: In omni tempore, quo ego ambulo in via Dominatoris sæculi, habitare facit Majestatem suam in medio mei, & ad me est desiderium ejus, & in tempore, quo ego declino à viis ejus, aufert Majestatem suam à me, & transfert me inter populos. Et sensus hic quandam continet tacitam Dei pollicitationem, qua se non defuturum sponsæ notat, quamdiù illa Dilecto suo obtemperarit; & fidelis in legatione permanserit.

E

Zach. 1.

Paraphrasis Chaldaica.

Sponsus non deest sponsæ obtemperanti.

Tertiò verba illa interpretari possumus juxta aliam ex Hebræo versionem, quæ sic ait: (Ego dilecti mei, & super me desiderium ejus) qua sanè forma sermonis sponsus pingitur, sicut aquila, provocans ad volandum pullos, & super eos volitans, vel, ut ex Hebræo vertitur, motitans se, quod est apertum desiderii signum. Porrò sponsa anteacto tempore contemplationis requie, & divina suavitate fruens, tanquam in nido cubabat, ubi illam sponsus fovebat & alebat, verùm ubi volare opus est, pennasque seù alas, quæ jam creverunt, exercere, è nido ducitur, & sponsus aquilæ ingenio significatus super illam volitat, & quasi alas in ejus protectionem expandit, hoc enim sibi volunt illa verba; Et super me desiderium ejus. Sic igitur sponsa loqui credenda est: Ego Dilecti mei, quasi addat, filia sum, & ille afflabit se, & super me volabit seù movebit me acuens & erudiens me, ut tutò prædicationis legatione perfungar. Profectò sermo hic plenus est energia & amoris in sponsam ostensione. Solet nimirum mater plures enixa filias aliquam ex iis, utpote prudentiorem, ac pulchriorem singulari amore prosequi, & ex amoris, ac desiderii magnitudine nunquam ab illa oculos avertere, sed creberrimè & avidissimè illam spectare, cujus tunc desiderium super filiam significanter satis dicitur esse, & simili in sponsam affectus amore sponsus concipiendus est, ut verborum sensus penitus hauriatur. His jam sponsa & armorum, & custodiæ fulta præsidiis clavo manum admovet, & sponsum secum ire precatur, in hunc modum:

Alia ex Hebr.

F

G

Similitudo, & mos matris in filias.

H

℣. 11. Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum.

PARAPHRASIS.

I præ, sponse, & eamus ad gentem incultam,

Scripta An. 1598.

& agreſtem tuæ urbis expertem, ut doceamus urbanitatem, & eam in civitatem tuam traducamus, ut libertatis filiorum Dei gaudeat prærogativa.

IAm ſponſa ad prælationis fuit evecta faſtigium, quemadmodum ex ſuperioribus patuit, ubi cùm tres illi animarum chori in
A ſexti capitis calce à Salomone in ſcenam introducti, illam, ut ad ſe reverteretur gregis facta forma, precarentur, ſponſus eam laudavit, apertè declarans, nihil illi deeſſe, quod ad præfecturam optari debeat, quod ex toto iſtius capitis claret excurſu. Sponſa verò hucuſque parcè egit, non enim facilè tantum opus audebat adoriri. Nunc autem præſentiſſimi ſponſi ope roborata, & proximorum commiſeratione permota, quia votum hoc ſponſo eximiè placere putat, non hæſitat, ſed audacter ſponſum urget, ajens: Veni Dilecte mi. Enimverò ſicut temeritas eſt ingens, præfecturam ſine meritis affectare, & illam ex Dei manibus velut extorquere, ita eſt magna puſillanimitas & infidelitas, illam
B Deo afflante, ac urgente detrectare. Rectè autem à Deo auſpicatur, quod inter Ethnicorum etiam oracula habebatur. Unde quidam ex illis cecinit:

Præfecturam ſine meritis affectare, ingens eſt temeritas.

A Jove principium.

Virg. Buccol. Egl. 3. v. 60.

Vocat autem ſponſum ad agrum, quaſi rei ruſticæ peritiſſimum. Agri verò nomen ſenſu non caret arcano. Quem ut exploremus, ſic habendum eſt, animas ad aliorum curam capeſſendam divinitus incitatas illud prius cogitare, quomodo videlicet alios divinæ gratiæ & charitatis exortes lucrari queant, quam quo pacto juſtos incipientes poſſint ad ulteriora promovere, magis enim illorum urget commiſeratio. Ex hoc effectum eſt, ut ſponſa ad agrum, de quo primum cogitare cœpit, ſponſum invitarit. Sanè inter agrum
C & urbem verſatur inſigne diſcrimen. In urbe enim eſt civium convictus, eſt morum expolitio, & urbanitas, ac proindè urbis nomine arcanè notantur illi, qui charitatis convictu ſociantur, quorum mores ſpiritali ſunt urbanitate leniti omni agreſti, ac ferino ritu depoſito, ex quibus fit civitas Hieruſalem, quæ nunc verè Deo militat, poſtmodum regnatura, inſigni nunc comitatis, & urbanitatis gymnaſio celeberrima. Agri verò nomine incultæ & velut ſpinis horrentes peccatorum animæ ſignificantur, quæ juſtorum comitatem & urbanitatem minimè didicerunt. Quibus totum id, quod agreſte & incultum eſt, peccati contagione contractum debet excidi, ut ad juſtitiam perfectam traducantur. Hoc autem facinus egregium eſt, Deique brachio dignum; ac propterea non ſola illud
D aggredi audet; nec qualemcumque ſponſi præſentiam, ſed ſingularem optat: qualem poſcebat Moyſes ajens: Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto. Dicit igitur ſponſa. Veni ſponſe, præi me, & prodeamus ad animas agreſtes & incultas excolendas, & urbanitate donandas, efficiamus illas tui conſortes, ac tuæ urbis cives, ut gaudeant prærogativa libertatis. Profectò ſi quis hominem in agro ſpinetis horrido verſantem rituque ferino viventem ad urbis opulentiſſimæ, ac nobiliſſimæ puta Romæ politiam, quam olim tanti fecere antiqui, ut magna vi pecuniarum eam emerent, (ut E
Tribunus Paulo dixit) ex amore transferret, *Act. 22. 28.* ut civitatis illius exemptionibus frueretur, inſigniter illum nobilitaret. Ad hoc ergo opus ſponſa ſponſum hortatur, ut nempè agreſtes homines civitatis extorres ad urbem non Romanam, ſed Hieroſolymitanam, in qua eſt libertas filiorum Dei, ſua charitate traducant, ut ſanguinis ipſius Chriſti nobilitate fruantur. At ſanè opus hoc non perfunctoriè exercendum, ſed ſedulò, ac diù curandum eſt. Non enim hortatu uno, aut altero, non vulgari navitate, ſed repetitis concionibus, & ſedulitate diuturna homines rerum divinarum ignari erudiendi ſunt, & ex ſua feritate cicures efficiendi. Propterea ſponſa ſubdit:

Similitudo.

F

Commoremur in villis.

PARAPHRASIS.

Moremur inter peccatores, ut diuturno commercio illorum benevolentiam captemus, & ſic eos ad juſtitiæ habitationem transferamus.

VIllæ proximam agro ſignificationem habent, ſunt enim domus ruſticæ, quas inhabitant coloni, qui etiam urbis convictu carent. Et quidem villarum ſignificatio arcanè ſpectata peius quiddam præ ſe ferre videtur. Nam qui errat in agro, nec ibi domum extruxit, ipſa neceſſitate compulſus urbis habitationem repetit. At verò, cui adeò agreſtis conditio placuit, ut in ea decreverit habitare domo ad id comparata, nihil de civitate, & urbanitate cogitare videtur, ac proindè minùs hujus, quàm illius correctio ſperari debet. Qui autem G
hujuſmodi animas ad juſtitiæ curat urbanitatem transferre, commercium debet cum iis inire, & inter eas commorari, ut in eo commercio, & habitatione illarum capiat voluntates, & ſtudio diuturniore eas ad benefaciendum permulceat. Hunc modum feras animas venandi, ac circurandi ſervarunt viri multi Apoſtolorum imitatores, qui poſtquam ſatis charitate creverunt, ad proximorum ſalutem legati in Ethnicorum regna penetrarunt, ubi mira dexteritate illorum gratiam inierunt ad illorum ſtudia, & mores honeſtos ſe ſuamque vitam effingentes, ut poſtquam inter eos commorati fuiſſent, & eos ſua dexteritate ad amorem flexiſſent, veram religionem perſuaderent, quod illis feliciter ceſſit. Hi profectò quamdiù inter homines veræ religionis expertes agebant, verè in villis commorabantur, & eadem proportione ſervata de viris Apo-

Villæ ſignificatio.

Modus animas venandi.

H

ſto-

Scripta An. 1598.

stolicis, qui inter peccatores versantur, illorum feritatem tolerantes, donec illos opportunè convertant, intelligendum est. Ad hoc igitur studium salutis constans sponsa se comparat, ajens: Commoremur in villis, ac si planius diceret: Ne fiam inconstans, & ab incepto resiliam, dum aliorum incumbo saluti, inter eos commorari tecum (ô sponse) constituo. Nunc autem quasi quæ in agro habitationem villæ ad captandam prædicationis opportunitatem selegerit, ait:

A

℣. 12. Mane surgamus ad vineas.

PARAPHRASIS.

Cùm prima lux gratiæ animabus tibi ut viti insitis obloritur, festinemus ad illas excolendas.

HIC, ut sermonis concinnitatem perspiciamus, advertendum est, sponsam animas agrestes in sponsi civitatem transferre satagentem, appositè satis vinearum mentionem annexuisse. Nam ubi princeps civitatis est vitis, necesse videtur, ut civitas ipsa vinea sit, ex ea quasi vite propagata. Distincti verò animarum cœtus vineæ plures appellantur. Prima autem in civitatem sponsi introductio insitione fit, ut qui exulabant ab urbe, in principem urbis, hoc est, sponsum vitem inserantur, ut fructum possint legis afferre, quemadmodum de oleastro in bonam olivam inserto scriptum est. Ad has ergo vineas ex insitione in illam vitem porrectas, sponsa mane surgere optat, colonorum more, qui summo mane ad rei rusticæ operam excitantur. Manè verò in arcano sermone primum justitiæ notat exortum, primam novæ gratiæ lucem animæ, quæ jacebat in umbra mortis, obortam. Hæc autem prima spiritalis diei pars ad vineas pertinere putanda est, ad vineas inquam nuper satas. Quamobrem sic cogitandum est sponsam loqui; Geramus curam (ô sponse) novorum justitiæ fœtuum, quos è villis ad urbem vitis insitione traducimus. Agamus, ut agricolæ culturæ sedulí, qui primo, ac summo mane præ cordis sollicitudine jam meridiem arbitrati expergefiunt, & lecto ad instrumenta rustica exiliunt, ne vel levem temporis jacturam patiantur. Sic ergo nos dùm lætissimum illud divinæ gratiæ mane animabus incipit apparere, quæ tibi ut viti sunt insitæ, & in vineas propagatæ, surgamus solliciti ad illas colendas, & ne momenti quidem temporis jacturam faciamus. Si verò quæramus, cur tum sedulò sponsum ad festinandum hortetur, causam nunc retegit ajens:

B

Cœtus animarum vineæ appellantur.

Mane primum justitiæ notat exortum.

Sponsi adlocutio.

C

Videamus, si floruit vinea.

D

PARAPHRASIS.

Consideremus, an vinea nova de te propagata [ô sponse] flores quasi primos charitatis, ac justitiæ prompserit. Hos enim, ne pruinæ decoquantur tentationis, curare præsertim opus est.

SAtis apertè de nova sermonem justitia contexit. Porro in superioribus justitiæ ac charitatis processum appensa vineæ similitudine trutinavimus. Conspicimus quippe in vinearum fructu suas velut ætatis periodos, quales in hominis constat esse vita. Tam autem vineæ, quam humanæ vitæ procursus divinæ charitatis ac justitiæ processum signat, in quo aliquos infantes, pueros alios, ætate demum alios provectiore, maturioreque cernimus juxta spiritalia lucra, quæ illi conquirunt. Nunc verò cùm in vite ordo sit gemmas emittendi, quæ promunt flores, omphacium, uvas, de floribus, tanquam de primo charitatis processu sermo fit. Quod clarius liquet, si versione alia ex Hebræo, quæ ait: Videamus, an gemmuerit vitis, utamur. Enimverò nova charitas in prima ætatis suæ periodo versatur, cùm gemmas emittit, quibus primi actus ab illa ceu vite erumpentes notantur. Crescit autem ulteriores actus eliciens, donec ex gemmis ad uvas maturas provecta jam velut ætate perveniat. Invitat ergo sponsa sponsum, ut recenter conversorum primos fructus justitiæ observet; in eorum quippè custodiam vigilantius, quàm in adultorum tutelam incumbendum est, ne quæ illos tentatio ad vitam revocet anteactam; sic quippè diligentius vitium gemmæ à frigore pruinaque servandæ sunt cùm citissimè adverso tempore decoquantur, quam si in uvas concrevissent. Et hæc prima sit interpretatio.

E

Ordo in vite crescente.

Textus Hebraicus.

F

Secunda ex versione juxta Hebraicum textum allata eruitur. Videamus, an gemmuerit, seu gemmas emiserit vitis. Profectò sponsus de semetipso sic effatus est: Ego sum vitis. Sicut autem vitis gemmas, uvæ initia, flores, omphacium, uvasque maturas promit, sic sponsus eas animas, quas sibi insevit, ut palmites illius vitis fiant, ita afficit, ut justitiæ gradibus distinctis per eas germinet, non enim duo sunt germina diversa, quæ à vite ac palmite prodeunt: Sed unum dumtaxat à vite per insitum palmitem enascens, ac ita unus est justitiæ fructus à Christo, & anima Christi ceu vitis virtute prognatus. At quia plura sunt justitiæ discrimina, fit, ut arcana hæc vitis per quosdam animarum palmites edat gemmas, per alios flores, per alios uvas, juxta uniuscujusque mensuram. Modò verò quia de tyronibus agitur, sponsa sic ait: Videamus, an vitis gemmuerit, hoc est, an tu (ô sponse) per animas tibi ut viti nuper insitas primos justitiæ partus emiseris? Explanatio hæc secunda primæ finitima est, & ad eam penitus intelligendam conducit. Nunc verò quia sponsa cupit ardentissimè plures justitiæ partus habere, nec enim primi, si mox deficerent, illi omninò placerent, sic loquitur.

Alia explicatio ex Hebr.

Joan. 15. 1.

Vitis comparatio.

G

Si flores fructus parturiunt.

H

PA-

Scripta An. 1598.

PARAPHRASIS.

Videamus, si animæ post primos actus suaves, floribus notatos, edunt alios cum pressura, & labore, qui sint fructus, seu partus cum sensu doloris editi Deo quàm gratissimi.

A

LOquitur sponsa de charitatis ac justitiæ processu, nam post flores fructus illis succedentes attexuit, & hoc clarius constat, si aliam ex Hebræo versionem expendamus, quæ de gemmis, floribus & fructibus, hoc est, uvis ordine ac serie observata in vitibus agit. Cùm enim præmisisset sponsa, (Videamus, an gemmuerit vitis) addidit, aperuerit se uva parva. Obsevatum quippè in vitibus est in nodis seu geniculis gemmas erumpere. Ex his verò gemmis parvum quoddam germen in summi asparagi effigiem informatum enascitur, quod postmodum aperitur, & in uvam concrescit multiplici floris, omphacii, uvæque transformatione. Illud ergo germen, uvam parvam hæc versio nuncupavit. Sive ergo juxta versionem hanc uva parva dicatur se aperire, in quo est quædam partus imago, sive juxta editionem nostram flores dicantur fructus parturire, mirum est, cur sponsa ejusmodi phrasi utatur. Profectò in ipso conatu pariendi seu parturitione fœminæ aperiuntur, & ita illa ex Hebræo translatio ajens, An uva parva aperuerit se, satis est consentanea editioni vulgatæ sic habenti, si flores fructus parturiunt. Utriusque autem arcanum sensum (qui esse videtur idem) perveștigemus. Enimverò cùm anima efficacissimo impulsu, ad justitiam traducta primos actus justitiæ quasi flores promit, facilè tunc eos exercet, non propter vim, quam consuetudo genuerit, sed propter præsentissimi Dei motum & indulgentiam. Tunc enim Deus recentes fœtus lacte alit, nihil asperum obiicit, interna eos suavitate permulcet, donec experimento discant, quàm sit ille suavis; ut postmodum voluptate negata suavitatis divinæ memores ardua pollint aggredi, & propter justitiam adversa quæque perferre. Hi ergo primi actus, in quibus nihil est, nisi lætum; odoratum, tenerum, florum imagine notantur. Cùm verò jam animus gustavit sponsi suavitatem, & credidit omni prorsus mundi illecebra esse dulciorem, sinitur in arenam quasi descendere, & adversis motibus concuti. Hoc autem in conflictu fructus pulchrè dicuntur parturire, quia non jam suavitate definiti, sed hostibus septi multo conatu & pressura se nituntur edomare, & virtutis fructum cum dolore parere conari, quod est propriè parturire. Quod ergo ait sponsa, si flores fructus parturiunt, sic est intelligendum, si animæ florentes fructus post flores parere conantur. Gratum sanè sponso accidit, cùm vinea floret, gratius verò, cùm flores fructus parturiunt. Placet illi primus virtutis partus plurimo dulcore conditus. Placet autem magis ille, qui multo conatu ac lucta à provectiore anima editur. Nunc autem, ne quid intactum videatur omisisse, malorum punicorum mentionem adjunxit.

Textus Hebraicus.

B

Conatus parturiendi.

C

Primi actus justitiæ.

Si floruerunt mala punica. E

PARAPHRASIS.

Exploremus, an charitas ab infantia in pueritiam novo augmento procurrat, & flores velut punici mali proferat.

PAtet ex superioribus, malo punico à natura inter alios fructus coronato, acinos suos velut intra viscera servante, &, ut illi gliscant, dehiscente charitatem inter virtutes ceu reginam coronatam, eos, quos diligit, imis visceribus condentem & amplectentem, & ob illorum bonum seipsam dirumpentem seu torquentem significari. In hoc autem pomo ætatum quædam series humanæ vitæ æmula conspicitur, dum cytinos, flores, acinos profert, crescit ac dehiscit. Et quidem observata serie flores pueritiæ respondent, quamobrem dum sponsa flores malorum punicorum spectare cupit, apertè prodit, optare se novorum in charitate fœtuum spectare progressum. Propterea sic ait, Videamus, si charitas malis punicis notata sensim deserat infantiam, pueritiæque periodum percurrat, ulteriorem excitatura spem. Hucusque sponsum hortata sponsa est, verùm quia more humano agit, & inter homines adhortationes ad laborem proposito fiunt præmio efficaciores, sponso illa præmium pollicetur quod ille ardentissimè cupit. Sic enim ait:

Charitas regina virtutum.

Mali punici significatio.

F

Ibi dabo tibi ubera mea. G

PARAPHRASIS.

Veni mecum, ô sponse, & in recenter ad justitiam natis meam scientiam, & prudentiam per illorum ora fuges.

QUemadmodum aliàs explanatum est, Christus in recenter ad gratiam vocatis formari, suisque deindè quasi definitis augmentis per charitatis incrementa crescere arcano sermone dicitur. Ex quo planè fit, ut qui in nostris animis has velut ætates conceptionis, partus, infantiæ, cæterarumque vitæ spiritalis partium subire dignatur, eas pariter subeat proprietates quæ iis partibus naturales sunt. In recèns ad justitiam genitis fit ille infans, infantia verò lacte alitur, unde & ille in eo spiritalis vitæ primordio lacte proculdubiò ali dicendus est. Fit autem hoc, quoties anima paulò antè ad gratiam traducta, justitiæ sermonis expers ab eo, cujus est conversa ministerio, lac doctrinæ cœlestis exsugit, in qua tunc Chri-

Gradus & discrimina justitiæ.

H

Scripta An. 1598.

Christus infans latens, idem dicitur lac exfugere, eoque pingueſcere. Sponſa igitur, cujus miniſterio per duo quaſi ubera ſcientiæ, juſtorumque prudentiæ ad parvulorum nutritionem Deus utitur, dum parvulis in Chriſto renatis lac illud arcanum propinat, eleganter dicitur ſponſo in renatis partubus latenti ubera porrigere, ut pateat, quàm illa ſapienter ſic loquuta fuerit, Ibi dabo tibi ubera mea. Quæ quidem verba ſenſum alterum primo ſatis affinem videntur habere, ut videlicet ſponſa dicatur ubera ſponſo dare cùm illa parvulis ſponſi fœtibus porrigit, alludens ac id quod ſponſus enunciavit: Quod uni ex minimis feciſtis, mihi feciſtis. Nunc verò altero ſponſum pùlſat argumento ex mandragora petito.

Lac ſcientiæ & prudentiæ.

A

Ỳ. 13. Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.

PARAPHRASIS.

B *Recentes juſtitiæ partus è belluina ad humanam figuram mandragorarum terra effoſſarum inſtar redeuntes, Chriſti imagini conformes fieri incipientes, dederunt odorem Chriſti, quem induerunt in portis noſtris, hoc eſt, in ingreſſu juſtitiæ, ac proindè ad illos perficiendos non feſtinare opus eſt.*

AB eo loco ubi ſponſa cœpit ſponſum hortari ajens: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, variis ſimilitudinibus arcanis teneram juſtitiam depinxit, ut ſponſus, qui rudium operum expolitor, & perfector eſt, ſuos partus rudes adhuc aſpiciens, eos perficere feſtinet. Nunc verò figurato, eoque ſatis lepido ſermone efficacius, quàm antè ſponſum pro tenellis partubus exorat. Quod ut à nobis percipiatur, alludit illa ad morem vulgo notiſſimum, quo pauperes ſolent filiolos lactentes præ foribus nobilium exponere, ut illi vagitu infantum ad commiſerationem permoti, eos curent, & alant. Sic quippè ſponſa dicit, teneros in charitate partus, ex ipſa à ſponſo ſuſceptos, mandragoris ſignificatos, in portis expoſitos fuiſſe, ex quo fit, ut nobilis, ac dives uterque conjux ad commiſerationem flecti, & eos curare, nutrireque debeat. Verùm quanam ratione mandragoræ ſint juſtitiæ recentis ſymbola, & quibus ſint in portis expoſita, exactè nunc perpendendum eſt. Profectò poſt multam in authoribus plantarum peritis de mandragora obſervationem, duo potiſſimum animadvertimus huic loco ſatis opportuna. Primum ad plantæ figuram ſpectat, quàm Pythagoras anthropomorphon, quòd hominem referat, appellavit. Quod ſanè non ita eſt accipiendum, ut vulgus exiſtimat, quaſi planta ea humi defixa, in ea, qua extat parte, totius hominis reddat effigiem. Hoc nimirum falſum eſt, quemadmodum ſcriptores peritiſſimi tradunt. Sed ut humanam repræheſentat effigiem, radicitus evellenda eſt, & tunc, cùm eruitur ex terra, nonnullam habet cum hominis figura ſimilitudinem. Omnes quippè mandragoræ radices à medio ad imum bifurcæ ſunt, ut cruribus hominis ſimiles videantur, reliqua verò ejus pars, quæ terra non occulitur, quæ foliis glabris, maliſque conſtat, corpus truncum, cui brachia deſunt, refert, unde, cùm radicitus evellitur, hominis corpus rudi quadam, imperfectaque repræheſentat effigie. Per hanc autem rudem, & imperfectam hominis figuram homines juſtitiam recenter adepti pulchrè notantur. Homo nimirum, dum peccat, quaſi humanam figuram abiicit, à rationis, in qua eſt Dei imago ſe faſtigio deturbans, & ad belluarum mores quadam transformatione delabens; cùm verò reſipiſcit, & Dei imaginem, hoc eſt, rationis vim incipit inſtaurare, quaſi mandragora è terra effoditur, & quandam hominis effigiem imperfectam, cui brachia, hoc eſt opera deſunt, oſtendit. Non enim confeſtim ea figura, ſed temporis excurſu, multaque navitate perficitur ceù lapis ſculptoris manu recenter attactus, qui ut illum exactè ad hominis figuram informet, diuturno labore ſcalprique ſectione deſudat. Ex hoc igitur ſponſa rationem contexit, quam dirigit ad ſponſum artis hujus ſculptoriæ peritiſſimum, ac ſi hoc modo loqueretur: Quemadmodum infantuli ad nobilium portas expoſiti expectant commiſerationem, ut alantur, & ad perfectam hominis figuram, magnitudinemque perducantur; ita recenter juſti, quaſi ad tuæ charitatis, meæque ſedulitatis portas jacentes, imperfectam hominis figuram rudes adhuc; & imperfecti præferentes, utpotè qui more mandragoræ avulſæ, truncum hominem referentis, è culpæ terra, in qua erant defixi, eruti ſint, præſtolantur nos, & quaſi ad noſtræ charitatis portas, ut infantuli vagiunt, & noſtram culturam, operamque depoſcunt. Hic ergò vagitus ſpiritalis, hæc, licèt imperfecta, hominis tamen interna figura odorem fundere, more mandragoræ cùm terra eruitur, aſſeritur, quia proculdubiò tunc primùm homo Chriſti odorem exhalat ſuavem, mandragoræ fructui aſſimilem, cùm ad internam Dei imaginem ſenſim reſtituitur. Qui certè odor, quia ad ſponſum exorandum valet plurimum, ſponſa dixit, tempus jam eſſe parvulos curandi, quia illum odorem arcanum effudere.

C

Similitudo ex paupe-rum more.

Mandragoræ juſtitiæ ſymbola.

Figura Mandragoræ.

D

E

Juſtitiæ in homine reformatio.

Similitudo.

F

G

Vagitus ſpiritalis.

Alterum, quod inter ſcriptores conſtitutum eſt de mandragoræ proprietatibus, ad noſtrum ſenſum idoneum illud eſt, eam plantam vim habere ſopiendi, & ante ſectiones bibi, ne ſentiantur. Porrò homines recenter in juſtitia geniti, & imperfectam interni hominis effigiem prætendentes, tanquam lapides rudes ſcalpendi ſunt, & ſecandi, ut fiant omninò conformes imagini filii Dei. Quia verò, dum teneri ſunt ſcalpri aciem ferre nequeunt, ſectioneſque formi-

Mandragoræ proprietas, & qualitas.

H

Scripta An. 1598.

midant, divinæ fuit ſapientiæ conſilium, immiſſis internis voluptatibus, quas altero ſenſu mandragoræ notant, eos conſopire, & quaſi ſenſum doloris auferre, ut cædi, ſcalpi, ſecarique poſſint, & ad perfectam interni hominis effigiem provehantur. In hoc ergo ſecundo ſenſu mandragoræ dicuntur

A dediſſe odorem ſuum in portis. Quia internæ voluptates, quaſi liquor ex mandragoricis malis expreſſus partubus novis inſtillatæ, eosque in Deo conſopientes, ne ſectiones pœnæ poſtmodum illatæ à Deo formident, exhalarunt odorem Chriſti, cujus ſpiritus ſuaviſſimus voluptate deprehenditur, &

Voluptates & ſomnum inducentes.

velut internis naribus trahitur. Hæ verò voluptates ſomnum inducentes dicuntur dediſſe odorem hunc ſuavem, qualem mandragorica mala fundunt, non extra portas, nec verò in cubiculis, ſed in portis, hoc eſt, in ingreſſu juſtitiæ, de quo ſub mandragorarum imagine hîc habetur ſermo. Quadam igitur anacephaleoſi ex dictis collecta ſit, ut mandragoræ, & propter imperfectam hominis, quam habent effigiem, partus juſtitiæ novos, qui ad prototypum Chriſti rudi quadam de-

B lineatione pòſt expolienda referuntur. Eædem verò mandragoræ, quia & ſucco, & odore ſomnum inducunt, voluptates ſpirituales, quibus Deus tyrones ſopit, & ſecum dormire, hoc eſt, requieſcere facit, apertè notent. Hîc verò ſecundus mandragorarum ſenſus, quia maximè arcanus eſt, amplificari eleganter poteſt, ſi ea, quæ authores de iis plantis, & pomis prodiderunt, mente repetamus. Tradit quippè Plinius, potu ſucci pomorum mandragoræ adeò gravi hominem

Homines molles internas Dei puncturas non ſentiunt

ſomno mergi, ut nec ſectiones, nec punctu-

C ras ſentiat, quod ſi in ſenſum ſpiritalem traducatur, quotidiano cernitur experimento. Enimverò paſſim videmus homines nimium ſenſui proprio indulgentes, ac molles interna, quam Deus illis ſub converſionis initium immittit, voluptate captos, velut alto quodam ſomno ſepultos, ſectiones, ac punctu-

C ras minimè ſentire. Paucorum quippè dierum interfluxu, ex culpa in juſtitiam tranſlati, ſemetipſos ſecant, & pungunt, hoc eſt, acerrimis auſterioris vitæ experimentis vexant, nec id planè formidant, cum vix dolorem præ interna ſuavitate percipiant. Et hoc efficiunt in ipſo juſtitiæ aditu, ac perindè odorem Chriſti in portis ſponſi, ac ſponſæ exhalare dicuntur. Verum quemadmodum caput hoc ſponſa concludat, audiamus:

Omnia poma nova, & vetera dilecte mi, ſervavi tibi.

PARAPHRASIS.

D

Ut illos partus novos alerem, in quibus tu ſponſe lates, utriuſque teſtamenti dogmatu, quæ ſcriba doctus in meo cellario condidi, opportunè promenda, tibique in tua plebe porrigenda ſervavi tibi.

PErſiſtit in eadem mente, & orationem in eundem ſcopum dirigit. Sicut enim paulò antè dixit ſe ubera ſponſo daturam, quia videlicèt Chriſtus in novis partubus recèns formatus lac doctrinæ ſponſæ dicitur exſugere; ſic modò ait, omnia poma nova, & vetera ſe ſponſo danda videlicet aſſervaſſe. Enimverò, ſi externam verborum faciem ſpectemus, ſatis eſt concinna oratio, agit enim ſponſa cum ſponſo quaſi biformi, vocat enim illum, ut grandem, ac fortem, & ſic ſecum ad opus in agrum monet exire, & hæc altera illius forma eſt. Contemplatur verò præterea illum, ac parvulum in tyrunculorum cordibus recenter concretum, vel novo etiam partu editum, & ſic modò illi tanquam infantulo ubera porrigit, modò illi, ut puero poma promittit. Arcanè autem poma hæc viſu pulchra, & ad veſcendum ſuavia, utpote ex arbore ſcientiæ Chriſto prognata, ſunt utriuſque teſtamenti dogmata, & propterea dicuntur nova, & vetera, quæ dum conciliantur à ſponſa inter medios cleros ſedente, & ad eruditendam plebem expromuntur, quaſi poma nova, & vetera ſponſo in plebe offeruntur. Propterea ſponſa ſic loqui credenda eſt; Longo temporis excurſu tuo in gymnaſio, ô ſponſe, docuiſti me, & utriuſque teſtamenti dogmata, aperiens mihi ſenſum, ut ſcripturas intelligerem, explanaſti, & ſic quaſi arboris ſcientiæ poma plura decerpere conceſſiſti. Hæc verò poma non ego præmaturè antè quàm tu mihi conniveres, expendi, ſed ea opportuno maturoque tempore tibi in plebe tua latenti impendenda, dilecte mi, ſervavi. Quamobrem æquum eſt, *Matt. 13.* ut maturemus, & operi quantocyus incumbamus, ut ego ſim tanquam ſcriba doctus proferens de theſauro ſcripturarum nova & vetera. Hæc ſunt poma, quibus ſi quis veſcatur annuente Deo, fit verè ſicut Deus ſciens bonum & malum, hoc ut caveat, illud, ut amplectatur, per quod in divinam ſimilitudinem aſſurgit. Hæc ſunt poma verè pulchra viſu aureum colorem rubore permiſtum præferentia, dum mentis oculis in utriuſque fœderis pagina Deum auro ſignatum, homini rubore quaſi ob ſanguineam concretionem notato ſociatum oſtendunt. Hæc deniquè ſunt poma ad veſcendum ſuavia, quæ ſi quis edat, omnem prorſus humanarum voluptatum ſaporem altæ cum negleƈtu tradit oblivioni. Eſt autem inſignis ſponſæ laus, hæc poma quaſi venalia intempeſtivè non expoſuiſſe, ſed ſponſo, cujus erant, aſſervaſſe. Sanè poma generoſiſſima diù condi, & ſervari ſolent, & reliquis fruƈtibus abſumptis maturiora, & fragrantiora in forum promi, avidiusque tunc, auƈtiore etiam pretio emi. Enimverò nonnulli ſunt ſacrarum ſcripturarum ſtudioſiſſimi, qui tamquam poma nova, & vetera ex utroque teſtamento dogmata præcerpunt, qui parum tanti boni capaces ea condere, ac ſervare neſciunt; ajunt enim ſe conceptum ſermonem tenere non poſſe; ac ita præmaturè in lu-

E

Poma nova & vetera ſunt utriuſque teſtamenti dogmata.

F

Sponſæ adlocutio.

Laus ſponſæ

H

Pomorum ſignificatio.

Scripta An. 1598.

lucem prodeunt, & sic se incassum desudasse cernunt, quia inauguratò prædicationem aggressi sunt. Sunt verò alii, qui æquè præcipites poma illa, hoc est, utriusque fœderis dogmata ad tempus condunt, & servant, eò tamen, ut occasionem nacti, popularem auram ostentatione aucupentur, qui certè
A servantur poma, sed non Deo. Quapropter hos scopulos vitatura sponsa sic ait, Omnia poma nova, & vetera ex arbore scientiæ carpta, omnia inquam novi, veterisque testamenti dogmata, quæ à te, ô sponse, arbore scientiæ notata, accepi, servavi, non illa præmaturè distraxi, sed cunctando celavi, non ut ob inanem gloriam illa venditarem, hoc enim est ea poma mundo servare, sed consultiùs egi, illa enim, dilecte mi, servavi tibi. Ex quo fit, ut mecum in agrum egredi festinus debeas, ubi tibi dabo ubera mea, & poma tribuam, quæ tibi servavi. Hæc postquam sponsa effata est, jam opus salutis proximorum aggreditur, jam auspicari certat. Verùm enim admiratione digna sunt ubera, quæ proximè in octavo enun-
B ciat capite; & verbis modò explanatis minimè cohærere videntur; quamobrem ea penitissimè inspicere oportebit.

CAPUT VIII.

℣. 1. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris?

PARAPHRASIS.

Quis mihi restituat te, sponse, meæ naturæ consors, quem nunc velut amitto à contemplatione separata, ut curem aliorum salutem,
C *facta velut anathema à te pro fratribus meis? Quis, inquam, det, ut extra hujus corporis angustias inveniam te trahentem pulchritudine tua voluntates Ecclesiæ reguantis, Hierusalem supernæ, quæ est mater mea.*

Amantes amoris vim percipiunt, cùm alteruter abest.

SOlent mutuò amantes, qui simul diutissimè vixere, cùm illorum alteruter fortè aliò profecturus est, amoris se tunc prodentis vim præsertim sensuumque percipere: Enimverò cùm simul morabantur, amor præsentia mutua pascebatur, & silebat; sed cùm animadvertit, sibi escam subtrahi, silere nescit, & velut exulem futurum se mœstè cogitat, erumpentesque mœroris continere nequit affectus. Hinc est, ut priusquam recedat, de reditu cogitet,
D ut alterum revisat amicum; & pro reditu preces fundat, votaque concipiat. In hunc planè modum sponsa, cujus anima præsente in crebræ contemplationis thalamo sponso pascebatur se ad sollicitam curandæ proximorum salutis vitam, in qua contemplationi vacare nequibit, proficisci animadvertens, in hoc recessu vim amoris apertiùs quàm ante sensumque percipiens nondum profecta de reditu cogitat, vixque ab sponso valet avelli. Propterea inquit, Quis det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris? Sanè illa sponsum, ut secum pro-
E ficiscatur, & in agrum egrediatur, obnixè precata est, verùm tametsi à sponso se credat exauditam, novit tamen sponsum sibi quidem opem laturum, ut legatione fungatur, & in eo genere secum exiturum: at ea societas longè alia est ab ea, quàm cupit amor, qui se modò prodit. Proficiscetur profectò cum ipsa sponsus, afflabit. & impellet illam ad opus, at ea functio labore plena erit, & sollicitudine, & à contemplationis requie longè remota. Quæ cùm propter ipsum sponsum, & propter proximorum salutem necessariò obeunda sit, cernens sponsa in hoc exilio requiem sibi jam non superesse, ad æternam hiat requiem, ubi sponsum revisere ardentissimè cupit. Ex hoc igitur affectu
F voces eruperunt istæ, Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris? Porrò hisce verbis tria sponsa innuit minimè silenda. Primùm quippè sic ait, Quis mihi det te fratrem meum, quasi dicat, modò à te separor, ac proindè te velut orbor, Quis ergò restituat te mihi? Quis reddat te mihi, ut te fruar? Appellat autem illum fratrem tum ex phrasi amantium, quæ hujusmodi nomenclaturas usurpat, tum ob assumptæ carnis sacramentum, propter quod ipse non confunditur nos fratres appellare, sicut scriptum est, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Ex hoc autem sponsa jus habet optandi, ac sperandi sibi sponsum reddendum, ex ipso quippè naturæ jure fratres simul habitare debent, quamdiù non emancipantur; at sponsa emancipari non vult. Sed impendio animadvertendum est, sponsam cupere, ut sibi sponsus, ac frater suus detur,
G non in quocumque statu, putà ærumnoso, & infœlici, sed ubi sugit ubera matris suæ, hoc est, in supernam Hierusalem, quæ est mater sponsæ, ac nostra. Ubera nimirum illius Ecclesiæ sunt beatorum voluntates tumentes, & amore gravidæ, quas per amoris actus sponso porrigunt exsugendas. Pulchrè autem sponsus dicitur voluntates exsugere, quod expenso illarum, & cùm intellectu collato patebit ingenio. Notum est, voluntatem, ut philosophi loquuntur ab objecto, bono videlicet, aut pulchro trahi, & hic est proprius illius motus, ut ad objectum hiet, & instar uberis lacte pleni, quasi ex amantis pectore prodeat, & in amatum pendeat bonum. Objectum verò bonum seu pulchrum voluntatem trahit, & velut exsugit, quæ nativa est pulchritudinis erga voluntatem vis. Intellectus verò è contrario rem, quam intelligit, concipiens, illam ad se trahit, & quasi ubera exsugit, non enim ad rem ducitur, sed universa intra se condit, quod metaphoricè sugere dicitur. Ex quo insigni voluntatis, ac intellectus discrimine efficitur,

Sponsa tria innuit.

Psal. 21. 23.

Altera uberum significatio.

Scripta An. 1598.

ut intellectus seu mentes beatorum quasi sugant Deum ipso visionis actu, Deus verò illorum voluntates sua pulchritudine sugat. Sponæ adlocutio.

Sic igitur sponsa loqui existimanda est: Cerno, sponse, me à te divelli in hac prædicationis functione, etiam te mecum gradiente, non enim te fruar, sed pro te luctabor. Quis ergò me solabitur, & exhausto labore dabit, A ut te videam fratrem meum vi quadam efficacissima, & suavissima trahentem voluntates Hierusalem supernæ, in qua ego recensear; tanquam in aula materna?

Ex hoc patere potest, quid sibi velint illa verba: Ut inveniam te foris, Certè quamdiù Corporis carcer. hisce corporis custodiis obsepti sumus, tanquam in Gyaris, vel Seripho, ut olim damnati arctamur, & angustiis quasi carceris premimur, foras vero velut in campum longè latèque patentem prodire dicimur, cùm à corporis pressura in cœlestis patriæ latitudinem migramus. Rectè autem ad hujus interpretationis absolutionem sponsa, quæ sequuntur, attexuit:

Et deosculer.

B

PARAPHRASIS.

Quis det, ut in urbe illa superna ardentissimo amoris actu tibi hæream, ut contactus sit inter duos spiritus tuum, ac meum, sicut inter se mutuò osculantia corpora mutuus contactus est?

MUltifariam sponsa sponsum osculari consuevit, cùm autem jam provecta tam ardenter hîc osculum pòscat, non vulgare quippiam expetere putanda est. Profectò sponsa, quamdiù exulat, pedes tantum sponsi osculari finitur, sicut olim Magdalena fecit. *Luc. 7.* Humana natura velut pes divinitatis est. Solet quippè sponsus assumptæ naturæ, quæ velut pes divinitatis est, oscula iis, quos charos habet in hac vita permittere, quod frequenti revelatione, & veteris, & novi testamenti sanctis creditur præstitisse. At verò C divinitatis osculum nemo vivens assequutus est, nec enim id humana ferre potest imbecillitas, nisi gloria perfundatur. Cùm primùm autem quis gloriæ lumine illustratus ingreditur in patriam, strictissimo tunc sponsum complexu apprehendit, & perfectissimo divinæ charitatis actu in æternum perseveraturo illum velut osculatur. Intellectus Deum contemplans osculum appellari potest. Licèt autem illa conjunctio, quæ fit per actum intellectus perspicuè tunc Deum contemplantis, satis aptè osculum appellari queat, cùm jam non ullo medio interjecto, & quasi per transennam, sed proximè, ac intimè Deum attingat, cujus natura intimè ipsi intellectui ad eundem actum promendum tanquam species intelligibilis, ut schola loquitur, unitur, verùm quia D osculari, actionem quandam ardentissimam, & affectus impressionem, quæ voluntatis actui germanior est, innuit, potius videtur osculari in hoc arcano sermone idem esse, ac voluntatis actu sponso adhærescere. Quamobrem sic sponsa effari credenda est: Quis mihi tribuat, ut quæ tuum pedem, hoc est, humanam quam assumpsisti naturam, & in hoc exilio interdum ex indulgentia contemplationis arcano, per divinas illustrationes & inde excitatos affectus velut osculari permissa sum, te, hoc est, tuam personam divinam clarè in patria cernens, strictissimo complectar amoris actu, illique ardentissimum affectum velut osculum infigam, ut sit mihi tecum spiritalis undecumque, perfectus contactus, qualis est inter eos, qui se mutuò exosculantur. Diximus autem hoc arcanum osculum ad voluntatem potiùs, quàm ad intellectum pertinere; etsi enim arctior sit illa conjunctio, qua divina essentia tanquam species intellectui beato unitur, quæ ad intellectum pertinet, conjunctione illa, qua voluntas Deum præsentem apprehendit, quemadmodum si res theologicè exploretur, semper nobis visum est; verùm quia expensa osculi proprietate, non tam conjunctio, Osculi proprietas. quàm conjunctionis modus, qui est, cum impressione & affectu, huc spectare videtur, asseruimus sponsam voluntate potius, quàm intellectu Deum osculari dicendam esse. Et quidem in illapsu illo, quo divina essentia unitur intellectui, Deus animam osculari dicendus est, animaque proindè osculum excipere, verùm cùm recepto osculo velut æstuans illa Deo hæret, osculum imprimere potius dicenda videtur. Quòd verò actus intellectus divinæ essentiæ illapsu fœcundi, ipsiusque essentiæ unionem consequens, osculum appellari debeat, verum est proculdubio, sed enim actus intelligendi, qui summa quiete & tranquillitate perficitur, præ se non fert illam energiam, & affectus commotionem, quæ osculi significatione notatur, quæque voluntatis actui est omninò nativa. Sed jam quæ sponsa subdit, quo pacto cohæreant, trutinemus. Inquit enim:

E

F

Et jam nemo me despiciat.

G

PARAPHRASIS.

Quis det ut corona fruar, ubi jam nemo me despiciat, sicut in hoc exilio, ubi ut purgamentum mundi negligor.

UT horum verborum concinnitatem percipiamus, constituendum est, quod sub hujus capitis monuimus initium, sponsam, quæ legatione pro Christo fungitur, & ad labores perferendos à contemplationis suavitate depellitur, eas ærumnas, & insectationes, quas in legatione perlatura est, cogitatione perpendere. Inter alia verò, quæ passura est, illi præ oculis observantur opprobria, & sceleftorum hominum neglectus, H quibus passim vexari solent, quicumque pro salute proximorum Apostolicis vestigiis in- *1. Cor. 4. 13.* sistunt, fiunt enim tanquam purgamenta, & peripsemata mundi, eam vitæ rationem exsibilantis, & contemnentis. Prospiciens ergò

Scripta An. 1598.

go sponsa quot sit spernenda ludibriis, & viam, quam peractura est, prius mente percurrens, illa extulit verba. Et jam nemo me despiciat, quasi dixisset: Quis det, ut tandem ad eam, quam opto, cœlestis patriæ dignitatem assurgam, ubi gloria coronata incedam, & jam nemo me despiciat, ut scelesti homines justos passim in hoc exilio despicere, ac irridere, solent. Enimverò hæc interpretatio ideo quadrat, quia sponsæ affectum propriè depingit. Sicut enim animus requiem cælestis patriæ ardentissimè cupit, ita è contrario agones & ludibria horret, quod etiam in vitis perfectis experimento didicimus. Est autem excelsi animi, nec propter propriam gloriam, & bonum quasi privatum, nec propter impendentia mala de suo statu deiici, vel à sua rectitudine flecti, unde & sponsa, nec quia contemplationis requie caritura, nec quia hominum nefariorum pravitate vexanda & negligenda est, ex animi magnitudine deturbatur. Fuit autem operæ pretium suos illam affectus ad nostram eruditionem exprimere. Hæc prima est ab initio capitis præcedentium verborum interpretatio.

A

Animus requiem cœlestis patriæ cupit.

B

Secunda verò se prodit: Sponsum non in gloriæ majestate, ut prima, sed velut in hoc exilio cum sponsa morantem, illiusque votis in calce capitis proximi expressis respondentem contemplans. Sponsa nimirum à sua requie ad aliorum curandam salutem recessura, ne per inexploratam regionem sola graderetur, sic sponsum præcabatur: Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum. Nunc verò in hoc capite id se ardentissimè cupere propalat, ajens: Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ? hoc est, quis mihi in hac mea legatione te tanquam fratrem sociumve tribuat, non sub quacunque forma, plures enim formas induere soles, sed tanquam lactentem, ac sugentem in tua plebe doctrinam prædicatorum, quibus ego annumeror, qui dum Ecclesiæ lac tyronibus propinant, ubera sanè sunt matris meæ, quæ est militans Ecclesia? Pergit autem ulterius, ajens: Ut inveniam te foris? ac si diceret: Quis mihi det, ut in agro illo, ad quem, ut mecum exires flagitabam, hoc est, in plebe agresti, & urbanitatis tuæ ignara, quasi extra charitatis tuæ politiam vagante, inveniam te, ut in plebis illius animos te insinuans, ad urbanitatem, & charitatis eos habitationem impellas, & ibi ego deosculer te in illis, dum os meum oribus illorum tuam inspiratura scientiam admoveo? Denique adjungit: Et jam nemo me despiciat? quasi dicat: Quis mihi det ut ex mea requie exiliens, aliorum eam mihi exprobrantium improperia non patiar, nec mihi jam solùm nata videar, sed de aliorum profectu gloriam propter te, sponse, parem? Enimverò nonnullos cernere licet charitate provectos viros, qui quotidianis aliorum convitiis proscinduntur, quasi putent, se sibi dumtaxat natos. Cùm enim ii, qui licentius agunt, & ad aliorum gubernationem se præmaturè obtrudunt, obsequium se existiment præstare Deo, si fortè quem videant sibi studentem, & donec à Deo vocetur seipsum abdentem, in eum non cessant torquere convicia; philautiam illi & ignaviam obiiciunt, & quasi Deo non obaudientem contemnunt. Ab his ergò sponsa se non despici optat, non quia eum formidet contemptum, sed quia id sponso glorioſum fore putavit. Potest etiam satis idoneè dici sponsam non optare in eo etiam genere non despici, sed prævidere, ac dicere, quod sibi novit eventurum, se nempè non esse despiciendam; & huic explanationi quadrat septuaginta Interpretum versio, quæ ultima hæc verba non transtulit sub optantis, sed sub prænunciantis modo. Sic enim habet: Quis det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ? & hic clausit interrogationem. Mox autem, quod fore credidit, sine desiderii modo enunciavit, ajens: Inveniens te extrà, osculabor te, & non despicient me.

C

Malos injustos convicia.

D

Mala injustos convicia.

E

LXX. Interpp.

Hìc autem visum est, non esse obruendam silentio translationem, qua Theodoretus utitur, quæ sic habet: Quis det te, nepos mi, sugentem ubera matris meæ? & mox sub parenthesi, (ista sua benignitate concitata) clausaque parenthesi ait inveniens te foris osculabor te; & non despicient me. Ubi verba illa, ista tua benignitate concitata, intertexuntur, quæ nec in Hebraica, nec in Septuaginta Interpretum versione, quæ nunc habentur, leguntur. Fieri potuit, ut in antiquis exemplaribus legerentur, nisi quis fortè suspicetur, quod Latinis translationibus evenisse in nonnullis vocibus nobiles authores tradiderunt. Græcis pariter contigisse, ut scilicet ex aliquo commentario illa verba in textum ipsum typographorum oscitantia intruderentur. Quoquo pacto autem se res habeat, verba illa ad sensus arcanos sunt opportunissima, sive enim juxta primam interpretationem sponsus consideretur, sugens ubera supernæ Hierusalem; quæ est mater nostra, sive juxta secundam concipiatur in Ecclesia militante, quæ mater etiam nostra est, in plebe tyrunculorum, prædicatorum arcana ubera sugens, sive utrobique osculum recipiens, id sanè pro sua benignitate concitata, hoc est, ad nos celerrimè mota, efficit, nec enim extrinseco impulsu ea nobis bona præstat, sed motu certè proprio benignitate sua non aliundè sed à natura sua concitata. Nunc verò sponsa statuens sponsum à se foris offensum iri, quemadmodum optavit, quidnam ipsa tunc præstitura sit, ad nostram eruditionem eloquitur:

F

Explicatio Theodoreti.

Hebr. & LXX. Interpp.

G

V. 2. Apprehendam te.

H

PARAPHRASIS.

Cùm primùm videro te (ô sponse) in animum conversi hominis sic intrasse, apprehendam te,

Scripta An. 1598.

te, ne labaris, quasi qui anguem capere, ac stringere certat,

SPonsa concionatura cum sit, & permulcendæ ad justitiam gentis curam gestura, consultissimè decernit, se occasiones sponsi tenendi captaturam, nec ullo modo eas
A præterire passuram. Hoc quippè sibi volunt ea verba: Apprehendam te, Lubricus nimirum sponsus est, serpentis imagine rectè in deserto signatus. Serpentem videlicet apprehendere difficile est, sæpeque qui eum tenere gestit, deluditur, etsi enim illum manu pressérit, ipsa tamen pressura facilius anguis elabitur; unde ficus folio, vel alio ad id comparato artificio capiendus est, sedula certè observatione, ac dexteritate. Sic sponsus hac illacque per hominum corda lubrica quadam specie labitur, qui verò illum in eo loco apprehendere satagit, tempus captare, & magna uti dexteritate debet, si eum tenere cupit. Hoc autem fit, cùm à peccatoris animo sacrorum dogmatum jaculis sauciato repentinum quoddam æternitatis, ipsiusque sponsi concipitur desiderium: Tunc
B quippè sacer concionator ocyssimè debet accurrere, & satum in eo corde semen alere, hortatu multo, ac navitate fovere, ut radices agat, frugemque reddat optatam. Tunc eleganter dicitur sponsum corde illo conceptum apprehendere, ne fortè indè labatur. Quòd verò ejusmodi apprehensio ad ulteriores fiat profectus, per adjuncta verba mox sponsa declarat, ajens:

Serpens quomodo capiendus.

Et ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

PARAPHRASIS.

Cùm tenuero te ibi, homines ad justitiam grandiorem impellam, ut denique migrent in
C *cœlestem Hierusalem matrem meam, & in eis ad illam ducam te,*

POrrò domus matris sponsæ habitatio illa fœlix cælestis est Hierusalem, quam scriptura matrem nostram appellat. Enimverò matris illi nomen, sicut & manus quadrat. Ab illa quippè velut a matre militans hæc, in qua nos sumus, Ecclesia quasi lactatur, & alitur. Sanè Joannes vidit Hierusalem
Apoc. 21. 2. hanc nostram ab illa, quæ in cœlis est, descendentem, sicut à matre filiam nuptui traditam, suoque ornatam viro. Hæc autem origo, quam ducit à matre, sic est accipienda. Princeps videlicet illius urbis, quæ mater nostra est, ab illa descendens, hanc nostram genuit, & fundavit Ecclesiam, vir-
D tutum cœlestium infusione, quæ à cœlo traxit originem, & sacramentorum institutione divinitus facta. Cives autem illi summo Principi Deo ministrantes, illoque fruentes, materno quodam affectu ad nostram sunt destinati custodiam. Ex quo fit, ut beata illa Ecclesia omnis, & capite, & membris suis hanc nostram generarit, perpetimque lactet Ecclesiam, ut pateat sponsam, velut hujus Ecclesiæ membrum jure potuisse cœlestem Ecclesiam matrem suam appellare. In hujus ergò matris habitationem, postquam illum apprehenderit, sponsum se ducturam asseruit quod quemadmodum fiat, elucidandum est. Profectò, postquam quis Ecclesiastes aliorum E
cœtui præfectus, in peccatoris cujuspiam animo sponsum, sensu exposito, apprehendit, & ne indè labatur, retinere multa nativitate studet, ac ad profectus novos cor ejus, qui resipuit, peccatoris impellit, qui meritis demum cumulatus migrat in patriam, sponsum ipsum in eo corde latentem, & mirís crescentem accessibus, in patriam, quò tendit homo ille, ducere pulcherrimè dicitur. Quapropter sic sponsa loqui putanda est. Apprehendam te, ô sponse, cùm primùm peccatores ad justitiam adhortans, te in illorum animos subintrasse comperero. Postquam verò tenuero te, & ne indè labaris, velut adstrinxero; corda illa, in quibus tu cœperis habitare, ad cœlestem patriam, matris videlicèt meæ aulam, novis justitiæ progressibus ducens, te ibi latentem, quasi ferculo vectum, ad eandem ducam aulam, quomodo enim ea corda illuc duci possunt, nisi tu ibi fixus eò pariter ducaris? Cætera autem verba, nempe (& in cubiculum genitricis meæ) suprà satis exposita sunt. Exponi aliter potest hic locus juxta versionem ad Hebraicum textum expensam, quæ sic habet: Venire faciam ad te domum matris meæ. Profectò cùm sponsa concionans, & ad justitiam exhortans corda hominum quatit, & ut sponso arctius hæreant, impellit, domum, hoc est, familiam Ecclesiæ matris suæ ad sponsum facere venire elegantissimè dicitur. Juxta editionem verò nostram, in cœlestem aulam sponsum ducere adornat, ubi quid sibi sit eventurum, in hunc modum explanat:

Sponsi adlocutio.

Alia expositio ex Textu Hebraico.

G

Ibi me docebis.

PARAPHRASIS.

In ea matris meæ aula sine caligine ulla lumine gloriæ illustrabis me,

SAnè in cœlesti patria veram Deus sine ullo ænigmate docet sapientiam, nec enim eam in hujus mundi caligine parare contingit, cùm vix eam prælibare sinamur. Cujus certè veritatis est efficax persuasio, purissimas etiam magnorum virorum mentes divinorum fuisse ignaras arcanorum, sicut scriptum est; Existimabam, ut cognoscerem H
hoc, cupiebat enim vates nosse, cur justi à *Psal. 72. 16.*
Deo in hac vita cædantur, & quasi neglectui habeantur, sed quia id in hoc exilio penitus se callere non posse animadvertit subjunxit. Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, ac si dixisset, in sanctuario, hoc est,

In cœlesti domicilio cessabit hujus vitæ ignoratio.

Scripta An. 1708.

est, cœlesti domicilio docebit me Deus, & sic hujus vitæ cessabit ignoratio. Porrò introeuntes in illud sanctuarium divinæ gloriæ lumen evestigiò perfundit, & per id Deus mentes beatorum illustrat, avaramque, illam sciendi exsatiat cupiditatem; qua humanus vexabatur intellectus. Tunc Deus per semetipsum præceptoris functionem obibit, ac sine

A creaturæ ullius quantumvis excelsæ ministerio mentes illas illustrissimo eo lumine imbuet. Hanc ergò sapientiam doceri sponsa cupit, & sibi eam de sponsi munificentia pollicetur, ajens, Ibi me docebis, ac si planiùs ita loqueretur, Ego in hoc exilio tua fungens legatione, illumino eos, qui jacent in umbra mortis, abs te missa illos doceo, & tu meam sedulitatem, ac laborem muneraturus in patria docebis me. Verùm quod sponsa subdit, omnino mirum videtur. Ait enim:

Et dabo tibi poculum ex vino condito.

PARAPHRASIS.

B *Ibi dabo tibi quasi vini conditi, & aromatici poculum, cùm amorem, quem in terrâ myrrhæ aromate condio, nozio sapore, ac odore imbutum ex labore tolerato porrigam.*

VInum aromatibus conditur, & eorum vim contrahit. Ejusmodi verò vinum fuit antiquitati gratissimum, ajente Plinio: Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita, moxque nonnulla in eam sententiam ex antiquis authoribus profert, ubi de vino aromatite mentionem facit. Hoc igitur vini apud priscos lautissimi genus sponsa respexisse videtur, cùm ad sponsum permulcendum se in patria illi poculum vini conditi propinaturam dicit. Quod quemadmodum futurum sit, nunc aperiendum est. Enimverò ut ex primis hujus capitis verbis patere potest, expenso intellectus, ac voluntatis ibi spectato discrimine, cùm Deus in

C patria lumen immittit intellectui, eleganter ipse dicitur sapientiæ propinare potum, quem intellectus divinam illustrationem concipiens & attrahens, quasi bibit. Voluntas verò in eodem momento amoris actum proferens, è contrario potum Deo propinare perhibetur, quem ille, dum voluntatem trahit, pulchrè dicitur haurire. Ex quo fit, ut Deus & anima beata, mutuis quasi poculis certent. Anima ergò vini Poculum voluntate propinat, vini autem, non cujuscumque, sed aromatici, myrrhaque conditi, ac proindè lautissimi, quod sic arcano sermone liquet. Amor sanè vino apertè significatur, ab utroque enim provenit ebrietas, ut cætera sileanius. Vinum autem hoc aromatibus si condiatur, fit sponso lautissimum. Inter aromata verò myrrha ad hanc condituram eximiè confert, & vino huic saporem, ac odorem suavissimum tribuit. Quia videlicet amor Dei amaritudine, laboribusque vexatus, & quasi aculeatæ myrrhæ arbusculæ puncturis lacessitus magnam parit nobilitatem, & verus amor esse adversitate convincitur. Ex hoc autem quendam saporem, odoremque contrahit ævo sempiterno permansurum, quo non solùm animæ, sed etiam sponsi inde gaudentis gustus afficitur. Etsi enim vinum in patria jam non myrrha condiatur, E est quippè amor glorioſus, verum ibi saporem, odoremque retinet suavissimum, quem ex hac vita, ob myrrhæ condimentum, contraxit. Quod verò attulimus ex Plinio, vina myrrhæ odore condita laudante, non ita intelligendum est, ut vulgus putat, vina videlicet illa myrrhæ vulgaris amaritudinem concepisse, & ex eo lautissima fuisse habita, quomodo enim, si amarorem ingererent, lauta esse potuissent? Sed ita habendum est, Murrham vel myrrham lapidis pretiosi genus odore commendabile, colorumque varietate distinctum nascens in Oriente apud Parthos, vino odorem suavem conciliare. Creditur autem ea myrrha esse humor solis calore sub terra condensatus, ex quo antiqui fingebant calices myrrhinos in pretio habitos, in quibus vinum optimum variis aromatibus condiebatur, & ad roborandum, sapore, ac odore plurimum valebat. In sermone autem arcano amaritudo myrrhæ, quæ carni est insuavis, vero amori, quasi generoso vino probatissimam condituram inducit. Qua conditus amor fit poculum sponso dignum & in hac, & in futura vita, myrrha ergò amara, non murrha est, quæ amorem condit ut vinum. Præstat autem amori myrrha, quod vino uvarum murrha præstat. Sed jam sponsam, quæ ait, se in patria, amoris actu, quasi poculum vini aromatici sponso daturam, pergentem contueamur. Affert enim satis arcanum quiddam, quod opus sit contemplari. Sic nimirum ait:

Murrha seu myrrha lapidis pretiosi genus.

F

Amaritudo myrrhæ amori quasi vino condituram inducit.

Et mustum malorum granatorum meorum.

PARAPHRASIS. G

Ibi amorem torturis & laboribus ut torcularibus expressum propinabo tibi, ac si conjux viro succum ex punicis malis elicitum ejus amoris indicem propinet.

EX malis granatis seu punicis vinum, quod rhoitem vocabant, confici solitum Plinius tradidit. Malo verò granato charitatem, vel quod est idem, Dei significari amorem satis est in superioribus explicatum. Sicut autem mala hæc punica, ut vinum seu mustum inde fiat, premuntur, ac velut torquentur, ita, cum Dei amor diuturnitate maturuit, premitur, & per metaphoram, inde mustum, vinumve fluere dicitur. Hoc H autem bifariam fieri solet. Altero quidem modo, cùm perfectus Dei amor multis pressuris laboribusque tortus, actum in pressura, velut in torculari, multiplicem promit, qui mu-

Malo granato Charitas Dei significatur.

Vinum significat amorem.

D

Scripta An. 1598.

musti symbolo ferventis, & velut ebullientis notatur. Secundo verò modo fit, cum quis amore provectus pro sponsi gloria subit martyrium, ubi sanguis tanquam succus à malo granato fluit expressus, quo nullum potest poculum pretiosius, suaviusve sponso dicari. Mustum autem hoc utroque sensu acceptum ex malis granatis sponsæ, hoc est, ex gemino ampre, Dei videlicèt, ac proximi, conficitur. Ex utroque enim, sive cùm laboribus angitur, sive etiam cùm prædicationis ergò mortem oppetit; fluit seu multiplex actus æstuans, seu sanguis ebulliens: ubi est aperta cùm musto similitudo. Hoc verò mustum malorum granatorum, sicut & vinum aromaticum, fluit more fontis salientis in vitam æternam, ac proindè in patria sponso propinatur, perpetua quadam oppressi olim amoris, & profusi sanguinis oblatione, quam dum Deus acceptat, eleganter dicitur id mustum haurire. Bibit autem id mustum in hoc etiam, dum exprimitur, exilio, quemadmodum & vinum aromatiten, de quo paulo antè dictum est: Sic igitur sponsam loquentem concipere debemus: Cùm te, ô sponse, duxero in aulam matris meæ, & tecum in tua egero claritate, perpetua quadam oblatione tibi offeram amoris repetitum actum, in laborum hujus vitæ torcularibus expressum, vel etiam sanguinem pro te ipso effusum. Etsi enim pressura cessabit, æterna tamen recordatione, quasi juge tibi potrigam libamentum, quod tu libentissimè hauries. Animadvertendum est in hoc loco, eas pressuras, quas nunc propter justitiam quis patitur, exhausto semel labore, in quo hostia quasi cæsa fuit, in æternum permansuras, tanquam laudis, & gratiarum actionis hostias, & ita satis eleganter mustum arcanum, quod hic exprimitur ex punicis malis, in æternitatis poculum asservari dicitur. Nunc verò, quasi secum expendens, quibus auxiliis sit prædicationis legatione functura, se velut adhortans, & ad opus incendens, sic effatur:

Musti allegoria.

A

Sponsæ adlocutio.

B

Animadversio.

℣. 3. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me:

PARAPHRASIS.

Tuto jam possum aliorum studere saluti; nam cordi sponsi cor meum hæret, & fortitudo ejus tuetur me.

D

Mira vis amoris hic retegitur.

PRæter illa, quæ ad horum verborum interpretamentum capite secundo sunt allata, nonnihil modò apponendum est. Profectò in his verbis mira retegitur vis amoris, dum sponsi læva sub sponsæ capite porrigitur, & exindè cordium latera copulantur. Enimverò si duo conjuges ità se complectantur, ut sinistris brachiis colla sibi mutuò cingere velint, tunc sanè læva sub capite est, & sinistra se tangunt latera, cordibus sibi mutuò hærentibus. Et hic urbanus amplexus amantibus est aptior, quàm dexteræ, & in se ipso spectatus videtur esse potior. Sanè antiquitati læva, quàm dextera fuit honorificentior, ac proindè, cum quis alteri honorem deferre cupiebat, ad sinistrum illum admittebat latus, ut cordis propinquitate sibi eum amicum esse cordi ostenderet, quo nihil acceptius, aut dignius præstare poterat. Is autem, qui à dextris quempiam comitabatur, comes appellabatur exterior, qui verò gradiebatur ad lævam, interior nuncupabatur, ut patet ex Ovidio, qui senem pingit juvenum comitatu septum. Cùm verò unus tantùm comes esset, senem ad lævam illius comitis locat, ajens in Fastis:

Læva antiquitati honorificentior quam dextera.

E

Et medius juvenum, non indignantibus illis,
Ibat, & interior, si comes unus erat. Ovid. Fast. 6. v. 67.

Meritò autem interiorem appellat eum, qui ad lævam incedit, quasi qui intra cor admissus sit. Dum ergò sponsa inquit, lævam sponsi capiti suo suppositam, necesse est, ut principem apud eum locum, cor nempe illius adepta sit. Ubi apprimè animadvertendum est sponsam ipsam sinistrum latus suum, quasi suam etiam lævam sponso præbere, ut verè ipsi sit interior, nam si sponsus lævam illi admovet, ut caput, hoc est, principem animæ partem suffulceat, necesse omninò est, sinistrum sponsæ latus sinistro lateri suo respondere, ubi cernimus novum amplectendi modum, novum etiam comitatum. Sanè in vulgari amplexu latus dextrum sinistro respondet. In vulgari etiam comitatu, si morem antiquitatis observemus, qui ad lævam alterius gradiebatur, dextrum illi præbebat latus; læva verò lævæ, nec in vulgato amplexu, nec in antiquo aptabatur, & hærebat comitatu. Sponsus autem, & sponsa, quia cor sibi mutuò præbent, sinistra proindè latera committunt. Ut ergò verba sponsæ penitus percipiamus, sic eam loquentem concipere debemus: Tutò gradi possum, & quocumque me spiritus impellit, ire, nam læva sponsi sub capite meo, hoc est, sinistrum mihi latus præbet sponsus, tanquam ejus cordi insculptæ; & caput, hoc est, principem animæ partem cæteris eminentem, ne cadat, sustinet. Dextera verò illius, quæ symbolum fortitudinis est, amplexabitur me, hoc est, custodiet & undiquè vallabit me, ne quis me lædere audeat. Est igitur hic loquendi modus periphrasis quædam, ut tantundem sit dicere, Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, ac si diceretur brevius, præbet mihi sponsus cor suum, & ideò defendet me. Et hæc prima est expositio.

F

Animadversio.

Sponsæ adlocutio.

G

Dextera symbolum fortitudinis.

H

Subit autem mentem secunda, ex natantium consuetudine prompta. Porrò, dum quis natandi peritus ignarum quempiam natare docet, altera manu mento suppositâ, caput, ne mergatur, fulcit, altera cingit, & quasi amplexatur natantem, ex quo ar-

Altera textus explicatio.

ca-

Scripta An. 1598.

Similitudo

canus verborum eruitur sensus, ac si sponsa sic loqueretur: Curatura sum aliorum salutem, & per medios fluctus, natatura, multis enim sum agitanda curis, ac procellis laborum verberanda, sum autem natandi parum perita, & propterea sponsus ejus artis consultissimus, quasi supponet lævam capiti,
A hoc est, menti meæ, ne obruatur aquis, ac præfocetur, & illius dextera, hoc est, invictum robur amplexabitur, seù sepiet me, ne maris fluctus, quos ille avertet, me audeant operire. Nunc verò sponsus, ut sponsæ discipulas erudiat, monet, ne putent omnia sibi impunè licere. Ne intempestivè audeant sponsam inter ipsas etiam pascendi curas interdum contemplationis requie recreatam avocare, donec annuente ipso pastorales repetat functiones. Enimverò clarissima Ecclesiæ lumina, Doctores inquam sacri, quorum curæ Christiana Respublica credita à sponso fuit, inter medios curarum vortices à Deo interdum visitabantur, &
Doctores Ecclesiæ interdum visitati. velut in tranquilla portus statione collocabantur, undè fiebant ad repetendas curas promptiores, &
B ad consulendum bono communi doctiores. Quapropter ab ejusmodi cum Deo consuetudine eos interpellare, & temerarium fuisset & noxium. Quod ut discipulæ discant, introducit hîc Salomon sponsam ecstasi raptam, & sponsum, ne excitetur, imperantem.

SPONSUS.

℣. 4. Adjuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.

PARAPHRASIS.

C *Obtestor vos animæ sponsæ discipulæ, Ecclesiæque filiæ, ne amorem illius mihi interdum hærentem, ecstasimque facientem interpelletis.*

VErba hæc in superioribus satis explanata sunt, nunc enim quartò repetuntur. Confert autem hæc repetitio ad energiam, & ut altius memoriæ imprimantur. Expedit sanè nosse, studii cœlestis interceptionem non sine injuria, & magno salutis discrimine fieri. In Hebraico autem
Hebraicus Textus textu pro, dilecta, ponitur, Amor, ac exindè jubet Deus, ne quis amorem suscitet à somno illo saluberrimo. Etsi enim ecstasis ad intellectum pertineat, qui aliqua inspiraD tione relevationis sursum vehitur, amor tamen interdum ejus causa existit, sicut de Paulo Dionysius prodit, 4. de Divinis nominibus ajens, illa Pauli verba, Vivo ego, jam non
Gal. 2. 20. ego, vivit verò in me Christus, ex virtute divini amoris ecstasim facientis erupisse. Cujus asserti ratio est, quia amor voluntatem afficiens ad divinam pulchritudinem totum hominem vehementer impellit, & propter hunc affectum vehementem ab omnibus aliis rebus animus alienatur, & in id, quod voluntas affectat, evehitur, ex quo sit mentis excessus. Propter hoc ergò sponsus imperat, ne suscitet quis amorem ecstasim facientem, & secum ad sponsum ipsum totam sponsæ animam ferentem, ut ibi tanquam in centro E
sui desiderii conquiescat, & velut salutari somno sopiatur. Cætera verò quæ ad horum verborum interpretationem desiderantur, petantur ex superioribus. Quod autem ad connexionem spectat, prætereundum non erit. Post hæc nimirum verba proximè in scenam introducitur filiarum Hierusalem sponsæ scholam frequentare cupientium chorus ecstasi elatam sponsam demirans, quod non mediocriter conducit ad eius studium promovendum.

FILIÆ HIERUSALEM.

℣. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? F

PARAPHRASIS.

Quam excelsa est sponsa hæc, quæ velut carnis pondere immunis, de culpa, in qua velut in eremo erraverat, in charitatis altitudinem ascendit, & ob conscientiæ tranquillitatem, & salutis securitatem delicias paradisi prælibat?

VErba hæc in superioribus partim exposuimus, dum sponsæ ascensum sub fumi expendebamus imagine. Ibi quippè res mira fuit sponsam carneum pondus gestantem non cadere, sed erectam gradi, & quod mirabilius est, ascendere per loca iniqua, & rupibus in deserto rigentia, & hoc planè modo filiæ Hierusalem, hoc est, animæ Ecclesiæ filiæ sponsam ecstasi raptam, sublimemque suspicientes mirantur, & rogant, quænam ea sit, quæ pondere deposito, se in altum attollit. Sed quod, præter illa, quæ suprà protulimus, novum hîc & inauditum videtur, est id, quod apponitur, deliciis affluens. Enimverò deserta loca solis ardore perusta, vel imbrium inclementia decocta, nec humana sedulitate culta, vel spineta, vel id genus frutices inutiles, noxiosve proferunt, fructus autem mites, aut flores odore commendabiles nesciunt. Tantum abest, ut delicioſa, & amœna loca vocari possint, ex quibus quis tanquam ex paradiso deliciarum, quasi deliciis affluens queat ascendere? Hoc ergò planè mirum accidit, sponsam non ex paradiso, sed ab exilio, horrente loco ascendere, & deliciis affluere. Profectò si in spiritalem nos mundum insinuemus, & ea, quæ in deserto nostro à viris perfectis sunt gesta, libremus, fiet nobis perspicuum, quonam pacto quis in eremo agens deliciis possit affluere. Etenim cùm è paradiso deliciarum H

G Filiæ Hierusalem, hoc est, animæ Ecclesiæ filiæ.

De-

Scripta An. 1598.

Deus hominem arcuit, & in terram spinis ac tribulis horrentem illum proscripsit; nullus homini superfuit hortus amœnus, è quo & fructus suaves carpere, & flores odoratos legere, ac deliciis proindè abundare valeret. Sed clementissimus Deus genus nostrum miseratus, licèt nollet ejectum semel hominem in paradisum revocare terrestrem, illi benignius prospexit, secundum condens in hujus vitæ deserto paradisum tantò fœliciorem, quantò pretiosiorem. Hæc est Ecclesia, quam Deus ipse plantavit, & pœnam scelerum nostrorum subiens in sudore vultus sui, non qualicumque, sed sanguineo illam coluit, ut terra, quæ cùm fructuosa condita fuisset, versa est in salsuginem à malitia inhabitantium in ea, novo isto subacta cultu fieret denuò fructuosa, & deserti facies in delicioſum paradisum verteretur. Ex hoc horto amœnissimo & poma, & flores odoratissimi virtutum leguntur ab iis, qui ascendunt ex deserto, hoc est, ex terra maledicta, quæ non est Ecclesiæ conciliata, in Ecclesiam tanquam in locum excelsum conscendunt, vel ex eremo peccatorum, ubi non est charitatis habitatio, sed spinarum & tribulorum horror, in charitatis altitudinem se attollunt, ubi tunc deliciis affluere dicuntut, cùm & sacramentorum frequentatione, & exercitatione virtutum, purgata conscientia, & spe gloriæ altè concepta, futuræ fœlicitatis prælibant suavitatem præsentiuntque delicias. Porrò harum deliciarum partem non modicam gustavere non antiqui modò heroes, verùm & nostra ætate plures animæ sanctitate insignes, quas Deus ex deserto velut ascendentes futuræ salutis præsagiis, cœlesti sæpè voluptate perfudit, ut meritò dici possent deliciis affluere. Sic ergo filiæ Hierusalem loqui credendæ sunt: Quæ est ista sublimis adeò, quæ ex eremo culpæ, per quam erraverat in charitatis altitudinem, quasi carnis pondere non premeretur, ascendit, & ob puritatem conscientiæ, tanquam secura de præmio, gaudia æternitatis concipit, & paradisi deliciis affluit? Pergunt autem (nec enim interrogationem absolvere) in ipsa interrogatione admirationis plena, progressionis, & ascensus sponsæ causam explicantes. Sic enim ajunt:

A

Ecclesia est paradisus, seù hortus amœnissimus omnium florum, & virtutum abundantissimus.

B

Filiarum Jerusalem adlocutio.

C

Innixa super dilectum suum,

PARAPHRASIS.

Quàm magna est ista, cui Deus homo suppositus se? ut innitens sponso in ardua conscenderet, quò ascendere nequiret, si tantùm sua vi niterctur.

D

FRustrà niteretur, nisi dilecto inniteretur. Non enim vires sponsæ suo genere imbecilles, nisi à sponso sultæ per loca deserti fœliciter graderentur. Hæc igitur est ascensus causa, sponsam scilicet innixam esse super dilectum suum. Filiæ verò Hierusalem sponsum admirantur onustum; terga videlicet Dei vile gestare onus, carneum, suaque generatione corruptum, planè mirum est. Verùm ex hoc ipso liquet, quonam pacto gravis hæc sponsæ in peccato conceptæ moles in altum se attollat, & surgat: quia nimirum gestat illam sponsus, qui symbolicè palma nuncupatur, oneri non cedens, sed in altum sublevans. Danda ergo est opera, ut natura hæc nostra gravis innitatur sponso, ut supra naturam feramur, nec nitamur incassum. Porrò Philosophi illi, qui mira de moribus tradiderunt, & quod pluris est, servare studuerunt, perdiderunt operam, nec de deserto ascenderunt, nec verò ullis affluxere deliciis, quia licèt naturæ viribus nixi sunt, super sponsum tamen (ob suam culpam) non sunt innixi. Quantum autem referat sponso inniti nostros conatus explicari nequit. Uno tamen exemplo id tantillum aperiamus. Sanè cum quis de turpissimis anteactæ vitæ sceleribus dolorem concipit, tametsi culpam ob suam turpitudinem rationi adversam execretur, & postea cavere decernat, intra doloris imperfecti, cui nomen est attritio, metas, non ascendit ex deserto culpæ, ubi non habitat Deus, si doloris seorsum spectetur, quantumvis à divino spiritu non inhabitante, sed impellente is ducat originem. At verò, si ut innititur super sponsum, hoc est, super sacramentum ab ipso institutum expendatur, mirum dictu est, quantum ascendat. Ascendit sanè ad divinæ naturæ consortium, quod per gratiam fit, quam certè altitudinem oculis consequi non valemus. Jam autem postquam quis eo modo divinam est gratiam adeptus, quàm fœliciter altiora in dies conscendat, explicatu est difficillimum. Enimverò plures actus, qui naturæ metas minimè transcenderent, dum tamen à justo quopiam exercentur, qui se suaque universa direxit in Deum sponsi numine afflatus, adeò se attollunt, ut nova pariant charitatis lucra novosque in corde ascensus efficiant. Demum hominum actus singulare quiddam, & excelsum maximè nacti sunt, eò quòd sponsus eos actus in nobis operatur, & meritò, ac satisfactione sua, ut Deus homo afficit, ex quo apud æternum Patrem nobiliores ac pretiosiores apparent, quàm si ex mera ipsius gratia, & non etiam ex incarnati verbi, redemptorisque justitia ad nos permanante prodirent. Ascendunt igitur hoc pacto justorum conatus Christi sanguine quasi perfusi, & à sponso ipso se in eos insinuante animati, ex quo planè perspicimus rectè sponsam hæc omnia callentem ascendere didicisse, rectèque filias Hierusalem id exploraſſe, dum ajunt (Innixa super dilectum suum.) Et has quidem laudes admiratione cumulatas filiæ Ecclesiæ extulerunt, sponsam ecstasi raptam velut sponso innixam contuentes. Quas licèt illa non perceperit, percepit tamen sponsus, & quia novit illam prædicationis legatione functuram, ubi animos

E

Quomodo ascensus sponsæ.

F

Exemplum.

Dolor imperfectus vocatur attritio

G

Conatus justorum sanguine Christi perfusi ascendere dicuntur

H

Scripta An. 1598.

mos etiam candidos cenodoxia vexat, ne aliis similibus, efferatur laudibus, quas auditura est, medici more prudentissimi antidoto illam communit, & à gloriæ vanæ corruptione præservat ajens;

SPONSUS.

A

Sub arbore malo suscitavi te.

PARAPHRASIS.

Crevisti valdè, cave ne efferaris animo, ô sponsa. Recordare, quidquid habes, habere te ideò, quia sub cruce te mortuam suscitavi, unde cœpisti vivere, ac augescere.

MEmineris, ô sponsa, te non natura, sed dono fuisse à me à culpæ morte suscitatam sub ligno crucis, ac proindè temetipsam agnoscens, mihi gratiam habe, te verò ipsam deprime, & cùm laudata fueris, obrepentem gloriam excute, mihique illam jure meo redde. Sic ergo verba hæc explananda sunt, ut malus arbor crucis intelligatur significare lignum. Quod ut pateat, verba sunt expendenda. Editio sanè nostra mali nomine sine discrimine utitur. Hoc verò nomen quàm latissimè patet, ut vulgò compertum est, ac proindè quodcumque lignum arborum mala gignentium sub eo posset intelligi. In Hebræo autem (ut ejus sermonis periti tradunt) pro his duabus vocibus arbore malo, habetur punica, malus videlicet punica, ita ut sine contradictione ulla, quin verò sine ulla sensus diversitate, quod editio nostra generatim enunciat, mali nomine, id distinctè in quodam mali genere, arbore nempè punica, in Hebræo legatur. Cur autem crux malus punica vocetur, non ex corporeo ligno, sed ex arcano ejus sensu eliciendum est. Enimverò fructus punicæ mali, ut acini pingueſcant, proprio dirumpitur ingenio, & sibi non parcit, ut illi crescant, & proficiant, quamobrem à natura singulari nobilitate coronatus videtur, quasi boni regis reddat imaginem, qui, ut subditis consulat & prosit, quos tanquam filios in medio habere debet corde conceptos, sibi non parcit, sed præ sollicitudine dehiscit, & velut abrumpitur. Sic sanè sponsus cum pendebat è cruce, punici mali ex arbore pendentis, coronati, dirupti significabatur effigie. Tunc enim ut optimus Rex spinea corona redimitus, toto corpore laceratus, ruptusque patebat, ut nos, qui tanquam punici mali grana in ejus visceribus claudebamur, crescceremus, ac ita sibi non pepercit, ut nobis parceret. Se igitur dirumpens suscitavit nos sub arbore crucis. Dum verò ait non in arbore, sed sub arbore, alludere videtur ad ossa Adæ in monte Calvariæ sepulti, ut ibi totius posteritatis gerens personam, & sub crucis ligno jacens, excurrentem sponsi sanguinem hauriret, & sic sub arbore suscitaretur. Quod autem sequitur, plures suggerit arcanos sensus, quos brevi sponsus innuit.

B

Malus arbor crucis lignificat.

Hebraicus Textus.

C

Mali punici significatio.

Christus rex spinea corona redimitus.

D

Ibi corrupta est mater tua.

Ibi violata est genitrix tua.

E

PARAPHRASIS.

Sub eadem arbore, ubi suscitavi te, Synagoga, cujus tu filia fuisti, dum me rursum crucifigendo peccasti, turpi corrupta est adulterio. Recessit enim à toro Dei, qui duxerat eam.

SUbindicat his verbis sponsus statum culpæ, in quo sponsa jacuit, semperque jacuisset, nisi divino munere sub arbore punica fuisset suscitata. Quod ideò sponsus efficit, ut sponsæ omnem gloriæ inanis motum amputet proprii generis recordatione. Quantamcumque enim divinæ gratiæ vim adepta fuerit, si suam mente repetat progeniem, non efferetur animo, cùm gratis damnationi erepta fuerit. Ut verò hic loquendi modus arcanus teneatur, ponendum est, in ipsis peccatis quandam cerni generationis seriem, qua scelerati majores filios sibi generant exempli pravitate similes. Inter universos autem peccatores synagoga Judæorum, quæ sponso necem acerbissimam est machinata, principatum obtinuit, adeò, ut malignitate sua, & importuna flagitatione sponsum morti devovens potiùs ipsa, quàm milites, illum crucifixisse dicatur. Ex quo effectum est, ut in ea crucifixione princeps, & mater extiterit; undè quicumque sponsum spiritaliter crucifigunt, ab ea genus infame ducunt. Certum est autem eos, qui semel illuminati sunt, postmodumque prolapsi, rursum sponsum crucifigere, & ostentui habere, ut Paulus ad Hebræos testis locupletissimus est. Quapropter ad eam synagogam crucifigentium principem, ac matrem, ut venenata posteritas, ad virulentam stirpem pertineant prorsus oportet. Et cùm sponsa, quæ peccavit, in eo fuerit infausto numero, jure synagogam, quam imitata est, matrem habuisse perhibetur. Hæc verò scelesta mater ibi corrupta, violataque sensu repetito asseritur, ibi inquam, hoc est, in arbore illa mystica; undè enim vitam legere debuisset in ligno pendentem, indè corruptelam traxit, & mortem, dum sponsum Messiam negavit, & execrata est. Pulchrè autem dicitur ibi synagoga violata, quia conjugalem tunc fidem temeravit, & quasi à conjugis sui Dei toro alienos & adulteros amatores quæsitura recessit. Ideò quippè violata ibi fuit, quia adultera. Sic ergò sponsus loqui credendus est. Memento tui generis (ô sponsa) quæ ad prælationem vocaris, ubi propter honorem moderatione tibi opus erit. Etsi enim grandis evaseris, humillima tamen fuisti, rursumque me affixisti cruci, & perindè violata es in arbore, sub qua te suscitavi, matris tuæ sy-

F

Synagoga Judæorum corrupta mater sponsum crucifixit.

Synagoga violata, quia adultera fuit

Sponsæ adlocutio.

G

H

Scripta An. 1598.

ſynagogæ imitatione filia. Sicut enim illa ibi corrupta, ita & tu ibi violata fuiſti, undè caput efferre numquam valuiſſes, niſi te commiſeratus eſſem. Diſce igitur, quauam ratione irrumpentes vanæ gloriæ motus reprimere debeas, quo nihil tibi in legatione tua poterit eſſe fructuoſius. Hæc prima eſt interpretatio.

A

Alia textus explicatio ex *LXX. Interpp.*

Secunda non minùs arcana eruitur ex ſeptuaginta Interpretum verſione, quæ ſic habet, Illic cum dolore parturiviț te mater tua, Illic cum dolore parturivit te, quæ peperit te. Cujus verſionis, ut ſenſum percipiamus, meminiſſe opus eſt, quod ſupra oſtendimus,

Sponſus cœleſtis quomodo mater.

ſponſo & nomen, & ingenium matris potiſſimum congruere. Sic enim uberibus præditus pingitur, ut matris erga infantulum affectum ſe habere doceat, ita ut ſponſæ non minùs mater, quàm ſponſus, & frater ille appellandus ſit. Poterat autem matris aſſumens imaginem filios ſine dolore parere, ſicut illum peperit mater ſua. Verùm, præ amoris magnitudine, dolores partus acerbiſſimos exantlare maluit, ut nihil intentatum relinqueret, quod pro nobis tolerare poſſet; & demum partus doloribus circumſeptus obiit, ut nos in lucem viventes ederet, Rachel partum imitatus. Filios ergo doloris ſui nos poteſt appellare, ſiquidem, ut nos pareret, parturivit, & doluit. Qua in re divitias ſuæ charitatis luculenter oſtendit; cùm enim ipſe maledictionis eſſe incapax (ut cætera ſileamus,) in hoc etiam factus eſt pro nobis maledictum, quia tulit eam maledictionis ſententiam, quæ cecidit ſuper Evam, In dolore paries filios tuos. Subiit nempe eam ſententiam parturiens in cruce, ut nos pareret. Quod cum energia illa verba repetita commonſtrant: Illic cum dolore parturivit te: mater tua. Illic cum dolore parturivit te, quæ peperit te. Hanc ergò parturientis imaginem ſponſæ memoriæ ille cupit inſculpere, quæ ad eundem ſcopum, cum primæ interpretationis ſenſu dirigitur.

B

C

Confert enim plurimum, ne ſponſa propriis meritis tumeat, ſuæ matris partum, doloreſque recordati; Sudore quippè, & agone ſponſi illa in eam dignitatem promota eſt, non ex ſuæ operibus juſtitiæ. Etſi enim operata fuerit; at ut ea opera prodeſſent ad juſtitiam, ſuæ matris cum dolore partus effecit. Hæc interpretatio, præterquam quòd ad deprimendum animum idonea eſt, plurimam habet ad acuendum amorem energiam. Si enim quis dolores Chriſti acerrimos, quos noſtræ ſalutis gratia pertulit, rectè perpendat, vix ab eo arduum quippiam repoſcetur, quod is negare poſſit, propterea ſponſus ex ea ſententia velut opportunitatem nactus, ſic ſponſam monet:

D

℣. 6. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.

PARAPHRASIS.

In nobiliſſimo tui loco, corde nempe, quod ſemper contueris, ſimilitudinem mei gere, ut, illa ſemper oculis tuis obſervetur.

PRofectò mos eſt tam latè quàm naturâ patens, ut rerum magni ponderis ex animis noſtris memoriam diſcedere non paſſuri, naturæ imbecillitati ad oblivionem proclivis arte ſuccurramus, mnimoſyno aliquo, vel id genus opere alio ad memoriam augendam opportuno. Sic majorum effigies in aulis ſtatui ſolent, ut oculis obiectæ præclara illorum facinora quaſi ſuggerant. Sicut autem ſceleſti animi toti extra ſe feruntur, & ad aliorum facta exploranda, & criminanda aciem mentis intendunt, ſui cordis immemores, ita è contrario juſti, ne videant vanitatem, oculos avertentes, cor ſuum perpetim contemplantur, ut nihil ibi præter honeſtum admittant, motuſque omnes degeneres areceant. Propter hoc igitur ſponſus monet, ut non alibi, non in obſcuro, vel ignoto, ſed in nobiliſſimo omnium loco ſponſa illum ſtatuat, ut in eum mentis aciem ſemper intendat.

E

Similitudo.

Pſalm. 118.

F

Alia textus explicatio ex ſimilitudine.

Secundo modo exponi poſſunt hæc verba obſervata litteras obſignandi conſuetudine huic loco maximè conſentanea. Porrò ſigillum epiſtolæ impreſſum, & ſecreta cuſtodit, & ne is, niſi is, ad quem mittitur; reſignet, effici. Cor autem ſponſæ epiſtola quædam eſt, multis deſideriorum exarata lineis, ad ſponſum, quandiu non clarè cernitur, miſſa; nam in patria deſideria fruitione ſuccedente ceſſabunt. Ut autem ea deſideria in exilio alantur, & tutò in ea carnea perferantur epiſtola, quam nemo regis conſpecto ſigillo, vel reſignare, vel remorari audeat; jubet ſponſus, ſe tanquam ſignaculum, ſeu ſigillum illi imprimi, quo nihil optabilius eſſe poteſt. Profectò, donec cum ſponſa ſine caligine cernat, ſigillo uti debet, in quo illius quaſi ſculpta conſpiciatur imago. Tunc nec indigebit epiſtola, nec hujuſcemodi ſigillo. Sed priùs hæc via carpenda eſt.

G

Tertia explicatio.

Tertiò verba ſic explanari poſſunt, ut ex vulgato cudendi numiſmatis more metaphora petatur. Enimverò argenti, aurive maſſulæ, etiam in orbes conformatæ, donec eis regia imprimantur inſignia, nec tanti fiunt, nec ad vulgares permutationes, emptioneſque admittuntur. Inſignia verò regis eas pretioſiores efficiunt, adeò ut quaſi numina colantur, quod nequitia ſua orbis ſatis callet univerſus. Hanc ergò cudendi artem ſponſus reſpexiſſe videtur, cùm ait: Pone me, ut ſignaculum ſuper cor tuum, ac ſi planius diceret: Fac, ſponſa, ut cordis tui, hoc eſt, tuæ voluntatis, me amantis actus meo inſigni non careant. Etſi enim argentea, aureave eſſet eorum actuum natura, quaſi virtutibus cognata moralibus, at metallum eſt non cuſum, unde niſi cudatur, meique ſignaculi impreſſione notetur, parvi fiet, & ad æternitatis emptionem nihil omninò proderit. Sanè ſponſa ſignaculum hoc cordi ſuo inſculpat, cùm voluntatis actus,

H

un-

Scripta An. 1598.

unde meriti vis emanat, amoris ſponſi impreſſione conſignat, dum eos ad amoris ejuſdem ſcopum dirigit. Quos ubi cernit æternus Pater filii ſui charactere notatos, ut pretium gloriæ capit ſempiternæ. Hîc verò annotandum eſt, ſponſum profecturæ ad

Animadverſio.

A prædicationem ſponſæ leges ferre Zelotypiæ, ut obſignata regio velut annulo incedat, ne quis abſentis ſponſi torum audeat violare, quod poſt pauca clariùs perſpicietur,

Non eſt autem ſilentio tumulandum, quod ad orationis ſpectat connexionem. Certè

Motus a corde incipit.

ſicut à corde motus incipit, cæteraſque corporis partes ciet, ita à voluntate, quæ arcano ſermone cor appellatur, vis erumpit cæterarum animæ partium motrix. Quapropter cùm ſponſus voluntatem ſuo ſigillo præcepiſſet obſignari, æquum erat, quin & neceſſarium, ut in cæteris partibus, & operibus per brachia ſignificatis ſui etiam ſigilli poſceret impreſſionem. Ideò ait:

Ut ſignaculum ſuper brachium

B tuum.

PARAPHRASIS.

Charactere meo tua opera ſigna, ut mei præferant imaginem.

SAnè ex candenti ferro ſcintillæ diſſultant, nec enim ab ea materia, quæ calore igni proximo imbuta eſt, aliud quippiam exultare poſſet. Cor ſponſæ igne divino concepto canduit, & ſponſi ſignaculum altè concepit, quid ergo ab eo, niſi igneum, niſi obſignatum prodire poterit? Profectò æris ſignandi, ſeu cudendi officina eſt voluntas, in qua regius eſt character amoris, quo ſignantur opera, quæ ab ſponſa fiunt univerſa brachio vulgò notata. Nemini dubium accidit, quin brachio, quod ad pluximas vitæ functiones cùm utiles, tum neceſſarias, ut potiſſimum organum natura condidit, opera ſignificentur figurato ſermone. Sponſum ergo, quaſi characterem infigit brachio, cùm in ſuis operibus ſponſa illius gerit imaginem. Trifariam verò brachium ſignari poteſt, quemadmodum & cor, ac proinde tres, quas de cordis obſignatione produximus interpretationes, brachio ſervata proportione accommodari poſſunt.

Brachii ſignificatio triplex.

C

Succurrit autem quarta, quæ his, ſicut & proximè enarratis verbis valet aptari, quæ ex ſimilitudine ſtigmatis, quod mancipiis ſolet inuri, eſt eruenda. Nimirum cùm ſponſus ſic ſponſam hortatur: Pone me, ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, idem agit, ac ſi apertè diceret: Eſto mihi tanquam mancipium, ſtigmatiſve ſervus, qui, quocumque divertat, ſervum ſe negare nequit, quem prodit aduſtio. Quamvis ſileat, nec ſervile quippiam faciat, in facie ipſa digniſſima totius corporis parte ſervitutis geſtat inſcriptum, ſeu ſignaculum.

Alia ex ſimilitudine.

D

Sic tu quocumque digreſſa fueris, mei præte fer ſimilitudinem, meique amoris aduſtionem, quæ licèt à prædicatione interquieſcas, nec externè mihi tunc inſervire videaris, ipſa tamen ad ſervitutem expeditione te prodat ipſam. Hoc planè modo Chriſti velut ſtigmate uſti viri Apoſtolici, ut

E averſos reducant ad prudentiam juſtorum, ad prædicandum legati, externo habitu, inceſſu, ſermone ſponſi præferunt ſervitutem, quæ licèt ipſi interdum ſileant opportunitatem captantes, ſe publicat ipſam. Eſt enim quaſi ſtigma, quod celare, nec poſſunt, nec volunt, quaſi eo nobiliſſimo ſervitutis genere glorientur. Subditurus verò rationem hujus notæ, quam ſponſæ cordi, brachioque ſponſus cupit hærere, modò dilectionis vim adornat aperire. Sic enim ait;

Quia fortis, ut mors dilectio.

PARAPHRASIS.

Præcipio, ut tanquam ſerva characterem geras meum, ut mea ſis tota, nam amor, qui ut mors nemini parcit, me adigit, ut præ zelotypia te, ut à nullo alio avertaris, obſignem.

F

ROgare ſponſa potuiſſet, quænam ſponſum cauſa impelleret ad hujus ſignaculi injungendam impreſſionem, cui ille ſapienter occurrit, ajens: Quia fortis ut mors dilectio. Sanè dilectio morte fortior eſt, ſiquidem mors vix ſponſum inter mortales agentem, & paſſionis acerbitate exhauſtum impetere auſa fuit. Et cum tandem illum adorta eſt, & deglutivit, ſentiens ſe illum ferre, ac retinere non poſſe, illum evomuit, vitæque reſtituit; at dilectio Deum non tectum mortalitate, non laboribus in extranea regione feſſum, ſed in throno gloriæ, ac immortalitatis ſedentem invaſit, adeoque cum illo animosè conflixit, ut ibi eum ſauciarit, &

Dilectio morte fortior eſt.

G de divinitate triumphum revexerit. Firma autem victoria fuit, nullo unquam tempore, ſed nec æternitate labefactanda; ac propterea amor, ut glorioſus victor, ſuperato Deo leges dixit, quas ille mortalis ex amoris effectus imperio ad unguem ſubiturus eſſet. Qua quidem victoria ipſe amor exultans, ad ævum trophæa erexit ſempiternum, ut qui de Deo, ac homine ſit perpetuò triumphaturus. Hæc ergo ita ſe habent: Dilectio quippe morte fortior eſt. Verùm nihil occurrebat, quo cum dilectio conferretur, quod invictiſſimum amoris robur tam poſſet ſignificanter exprimere. Reddit igitur ſponſus rationem, quæ illum adegit ad ſignaculi impreſſionem ſponſæ perſuadendam, ajens: Quia fortis ut mors dilectio, ac ſi planiùs dixiſſet:

H Nequaquam tibi (ô ſponſa) mirum accidat quod te tanquam ſervam meo charactere ſignatam habere velim: quia mihi dilectio erga te mea hoc jubet, cui obſiſtere non valeo, cùm ſit fortis ut mors. Spiritus Zelo-

Scripta An. 1598.

lotypiæ ab amore genitus torquet me, qui mortem æquat fortitudine. Rationem igitur expetiti signaculi ab ea causa reddere sponsus credendus est. Post autem, quanam ratio-

A ne in eo Zelotypia esse credatur erga animam sibi gratam, explicabitur. Nunc autem, quænam sit ea dilectionis cum morte similitudo, sedulò investigare oportebit. Et primùm quidem juxta vulgatam mortis ferociam illa verba sic possunt enarrari: Fortis ut mors dilectio, id est, Quemadmodum mortis vim nemo, tametsi dives, robustus, nobilis, sapiens vel vitare, vel retardare potest, nec enim prece, pretio, vel arte ulla lenitur, sicut quidam cecinit:

Martial. Epigram. l. 4.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, observant, quem statuere diem.

Ita dilectionis Zelotypia æstuantis vim, vel avertere, vel diminuere, quò minùs ejus imperio parendum sit, nemo valet. Non est exorabilis. Nequit ullo pacto enervari, sed omnia corda mulcet, omnia colla subiugat, ut quidquid libet & quo pacto, ac tempore libet, exequatur. Quamobrem, cùm spiritus ille Zelotypiæ, qui est amor consortis impatiens, quempiam incessit, eo tanquam mancipio utitur, nec illi parcit. Jubet temporis observare momenta, & occasiones, suspiciones concipere, & de forma, quam amat, sine requie cogitare, nec in his omnibus animo magis, quàm mors corpori ignoscit. Ut ergò sponsus se quasi Zelotypiæ stimulis punctum describeret, & ullum in sponsæ consuetudine rivalem se pati nolle declararet, illam curavit obsignare, ut cæteris clausa esset, ipsique pateret soli, quod ut ex Zelotypia profectum innueret, in eadem subtexuit periodo, quia fortis ut mors dilectio. Talis ergò est erga sponsum dilectio cum Zelotypia, qualis erga mortales mors, Et hæc prima est interpretatio ex vulgato mortis intellectu deprompta.

B

C

Secunda interpretatio. Mortis proprietas.

Secundò verba hæc enarrari possunt, expensa mortis proprietate, amori quàm simillima. Porrò mors sua vi animam à corpore, quod afflabat, & ciebat, sejungit, & alio transfert, nec aliam propriorem mortis definitionem nobis philosophi tradidere. Hoc autem modo dilectio, cùm invaluit, & ad justam magnitudinem pertinuit, animam à corpore, cui præest, divertit, & separat, & in amatam pulchritudinem multis motibus transfert, unde illud emanavit apophthegma. Anima præsentior est, ubi amat, quàm ubi animat. Quod non tanquam sine basi assertum accipiendum est: Nam sine ulla hyperbole, quotidiano constat experimento, animam (cùm amor efferbuit) se totam in rem amatam effundere, & corporis functiones vix illam explere. Ex quo proprium corpus velut anima destitutum, pallidum, & exangue languet, ac friget. Tunc certè dilectio præ cordis effusione, ac anxietate Zelotypiæ corpus conficit, & extenuat,

Animæ in rem amatam translatio.

D

& diu sæpeque moriturum necat, in quo genuina est cum morte similitudo. Mors igitur & dilectio animam à corpore separant, corpusque exangue, pallidumque relinquunt. Sponsus ergò humano more loquens hæc in seipso delineavit, qui quamvis modò non patiatur eam corporis extenuationem, satis enim inter mortales tulit, habet tamen eam in sponsam suæ animæ propensionem, ut meritò extra se ferri dicatur, & quandam animæ à corpore suo metaphoricam separationem immortali suæ gloriæ consonam pati putetur. Nam & ipse ut Deus, qui est omnium causa, assertore Dionysio, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra seipsum fit. Verba autem Dionysii juxta versionem Joachimi Perionii hæc sunt; Audendum est etiam hoc pro veritate dicere, ipsum quoque rerum omnium authorem, honesto, bonoque omnium amore ductum pro singulari bonitate amatoria extra se fieri, rerum omnium procuratione, & quasi bonitate, charitateque, & amore deliniri, atque ex statu, quo superat omnia, & ab omnibus secretus est, ad eum, quo in omnibus est, demittitur ea vi, quæ essentiam superat, & omnia extra se rapit, nec interim ab eo discedit. Hæc ille. Quod autem in utraque textus enarratione ad dilectionis cum morte similitudinem edisserendam assertum est, per verba subjuncta confirmatur.

E

Versio Joachimi Perionii.

F

Dura sicut infernus æmulatio.

PARAPHRASIS.

Zelus seu amor consortis impatiens, à quo Deus Zelotes, vel æmulus appellatur, durus & implacabilis est, acerbè animam vexans, sicut vermis in inferno conscientias damnatorum excruciat.

G

Æmulatio, id est, Zelus sponso congruit.

ÆMulatio hoc in loco idem est, ac Zelus, seu Zelotypia, quæ sponso congruit, ac proinde idem erit cum dilectione, quam Zelus afficit, de qua proximè verba fecimus, ejus cum morte similitudinem explicantes. Deo autem Zelotypiam hanc erga animam, seu sponsam competere, facilè patet, si Dionysii consulamus oraculum. Porrò is post ea verba, quæ ex ipso paulò antè retulimus, sic ait: Itaque ζηλωτὴν, id est, æmulum ipsum (Deum scilicet) ii, qui multum in divinis exercitati sunt, appellant, ut magno, ac benigno in ea quæ sunt, amore præditum, excitantemque ad studium amatorii ipsius desiderii, atque ut singulari amore captum seipsum præstantem. Hæc ille. Zelotes igitur, hoc est, æmulus est ipse Deus, ex Dionysii sententia, ac proindè ipsius æmulatio erit Zelotypia. Verùm, quod huc distulimus, an hæc æmulatio sponso competere queat, enucleandum est. Quod ut distinctiùs fiat, statuendum hîc fuerit ex philosophia vim unamquamque, quò intensiùs in aliquid tendit, omne illud, quod est contra-

H

rium

Scripta An. 1598.

riùm ei, quod assequi cupit, fortiùs repellere. Quamobrem, cùm amor sit quidam motus in rem amatam, si fuerit ardens, & intensus, omne id, quod à consecutione, ac fruitione boni quod optat, eum remoratur, acriter avertit. Ex hoc autem efficitur, ut si nequeat impedimentum amoliri, spe sua frustratus langueat, & mœreat. Juxta hæc igitur dogmata, æmulatio, seu dilectio intensa, seu etiam Zelotypia, quæ tria eundem hîc sensum reddunt, si eo modo intelligatur, quo languorem, mœstitiamque illam præ se fert, qua vexatur amantis animus, eò quòd quis amata re potiatur, quem à consortio nequit arcere, sponso nequit congruere, quà Deus est, congruit autem æmulatio, ut amorem ferventissimum consortia aliorum amatorum sponsæ, sine animi ægritudine, aut mœrore, sed vi divina repellentem notat, & juxta hunc sensum proprio epitheto in scriptura Deus insignitur, cùm æmulus, seu Zelotes nuncupatur. Si verò sponsus, quà homo est, inspiciatur, in statu gloriæ, qua modo perfruitur, proportione servata, juxta id, quod de illo, ut est Deus, assertum est, Zelotes, aut æmulus appellari debet, cum ferventissimè amet, & rivales à sponsæ amore, sine animi anxietate, sua potestate reiiciat. Verùm si in eum, cùm mortalis esset, oculos defigamus, cernemus eum cum anxietate, ac mœrore ultrò assumpto, Zelotypiam patientem. Conficiebat enim illum, & velut exedebat amoris æmulatio, sicut scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me. Nunc verò, postquàm, quo pacto sponsi Zelum, vel æmulationem concipere debemus, explanatum est, ad similitudinem cum inferno exprimendam veniamus. Dura, inquit sponsus, sicut infernus æmulatio. Enimverò, quicumque inferni cruciatus cogitando percurrit, nihil non durum offendit. Sicut enim durum est, quod ita natura constat, ut tactui non cedat, nec mulceatur, ut lapis, ferrum, & id genus alia, ita, sive ignis, sive horror, sive dolor cogitetur inferni, nec cedent, nec minuentur, nec ævo sempiterno placabuntur. Et hæc quidem si æmulationi conferantur, egregiè illi consentient, non enim magis æmulatio, quàm ea omnis inferni duritia emollitur, postquàm amor efferbuit. Sed profectò in inferno aliud quiddam est, quo damnati durissimè sine ullis torquentur induciis, quod cum æmulatione nativam habet similitudinem. Hic est ille vermis conscientiam rodens, & lacerans, & velut inflicto verbere cædens, admissa piacula morsu sempiterno puniturus. Cum hoc planè æmulatio similitudinem gerit nativam. Quemadmodum enim is vermis durus, & implacabilis animam rodit, laceratque damnatam, & tametsi externa non expendamus supplicia, is vermis, velut ex eodem, quod rodit, ligno natus, eidem, à qua oritur, conscientiæ æternum morsum infigit, ita Zelotypia eandem dilectionem, a qua enascitur, dirè vexat, & sine ulla requie sollicitam laniat, quod qui eam patiuntur, ingenuè fatentur.

Amor est motus in rem amatam.

A

B

Psal. 68. 10.

Duri designatio.

C

Vermis conscientiæ.

Similitudo.

D

Unde satis opportunè Deus huic maximo dolori remedium in veteri testamento providisse videtur, cum tam acri experimento virum spiritu Zelotypiæ vexatum in uxorem uti concesserit, ut aquam maledictam haurienti uxori femur inflato ventre computresceret, quasi esset viro intolerabile, aliter pati Zelotypiam, nisi præsentissimo illam Deus miraculo sedaret. Declaraturus igitur sponsus, quonam pacto sponsam amet, ne quis vulgarem eum putaret amorem, qui citò vel parvo negotio posset extingui, hac utitur inferni similitudine, qua notet se ab æmulatione semel correptum quasi verme quodam, hoc est, importuna sollicitudine pro sponsa torqueri, nec ullas se inducias impetrare posse, ut mirum non sit, velle illum sponsam signaculo communire, ut spiritus Zelotypiæ tantillum quiescat, dum credit obsignatam semel sponsam à nemine violatum iri. Quæ universa sic accipienda sunt, ut æmulatio sponsi modò non vexet illum, nec enim gloriæ illius consentire posset, sed ut eum tam potenter incesserit, ac sine ulla intermissione de sponsa, quam ardentissimè amat, cogitare jusserit, ut non magis illum hæc cogitatio, quàm damnatos ille vermis deserat, quo ad amoris magnitudinem propalandam, nihil aptius poterat excogitari. Hucusque sponsus amorem suum erga sponsam maximum duabus expressit metaphoris, nunc ejus actus, & quasi consecutiones ab eo emicantes pergit explicare.

Num. 5.

E

Sponsi amor non est vulgaris.

F

Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.

PARAPHRASIS.

Actus dilectionis sunt quasi faces igneæ in aerem elatæ, publicè splendentes, nec enim se celare valet amor.

G

LAmpas facem significat, licèt vulgò pro lychno pensili accipiatur. Hoc verò in loco lampades faces sunt, quales interdum in aere visuntur, quæ inter meteoricas impressiones recensentur, lampades & ipsæ nuncupatæ. Quod subindicasse videntur Septuaginta Interpretes, quorum versio sic habet: Volatilia ejus, volatilia ignis flammæ ejus. Illæ quippè igneæ faces, seu lampades, quæ in aere cernuntur, quædam videntur igneæ volucres, flammeave volatilia, Est autem aperta actuum amoris significatio. Hi enim facis seu lampadis similitudinem præferunt, cùm quasi flammæ ex charitatis habitu exultant, & quasi ignea volatilia sese attollunt, & velut in aeream, immò cœlestem regionem elati mortalium obtutibus apparent. Verè hi actus in arcano sermone sunt volatilia pennata, quæ alis velut igneis in sublime feruntur, quibus nulla est cum terræ humilitate, ac gravitate cognatio. Sanè amoris divini actibus illud apprimè quadrat:

Lampas facem significat.

LXX. Interpp.

Aeri ignis figuræ.

H

Igneus

Scripta An. 1598.

Igneus eſt illis vigor, & cœleſtis origo.

Virg. Æn. 6. v. 730.

Quod adeò verum eſt, ut præterquàm quòd ipſi ſuo in altum, hoc eſt, Deum feruntur ingenio, ſi quippiam ſuis flammis corripuerint, etſi id terrenum ſit, ſecum in ſublime vehant, ſuo nimirum vigore, ac ignea natura, dum cæteros hominis aliàs humiles actus afficiunt, quaſi flamma divina correptos in altum efferunt. Quòd autem amoris actus ceu lampades ſint ignis divini, divinarumque flammarum, & ex ſe notum eſt, & ex verſione ad Hebraicum textum elaborata patet, ubi flammæ Domini dicuntur, Enimverò non ex alio igne, quàm ex divino amoris actus erumpunt, ex quo illorum vis divina eſt, & terrena faſtidiens. Sic ergo ſponſus loqui putandus eſt: Fortis eſt dilectio ut mors, & ejus zelotypia, ut infernus dura. Ejus autem dilectionis actus ſunt quaſi faces igneæ, atque flammeæ in aerem elatæ, quæ ſe nec volunt, nec poſſunt ullo modo celare. Amoris erga te mei, ô ſponſa, exultantes faces meteoricas lampades publicè ardentes imitantur; quas proindè occulere nequeo, ſed palàm emitto, ut conſtet, tuo me amore flagrare. Et ſicut ego publicè ago, & æmulum me profiteor, ita jubeo, ut & ipſa publicè ſignaculum geras, quo mea conquieſcat zelotypia.

Textus Hebraicus.

Hucuſque verba illa, Fortis ut mors dilectio, cæteraque hactenus allata de ſponſi dilectione, zelotypia; & amoris actibus interpretati ſumus. Poſſunt autem, & ſponſæ non ineptè accommodari, ut poſtquàm ſponſus dixit, pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, cætera in eandem ſponſam, quam hortatur, congerat, ac ſi in hunc modum eloqueretur: Impero, ut meo ſigneris, ô ſponſa, charactere, quod non debet alicui nimium difficile videri, nec fas eſt, me propterea à nimis rigidum amatorem, durumque putari; quia id, quod præcipio, tuæ charitati nec durum eſt, nec inſolens, immò verò adeò illi eſt jucundum, ut nullis incitata calcaribus, id ſua ſponte, ac propenſione præſtet. Tua videlicet in me dilectio fortis eſt ut mors, quia tibi in iis, quæ ad amoris ſignificationem pertinent, minimè parcit, & animam tuam velut à tuo corpore divulſam in me transfert, in quo nativa deſpicitur cum morte ſimilitudo. Æmulatio, ſeu zelotypia pro me tua dura eſt ſicut infernus, tum quia nulla eſt ab ea redemptio, non enim pretio ullo redimi à ſua ſervitute patitur animam tuam, quam ſemel cœpit; tum, quia ſicut in inferno vermis ille æternus malè conſcios animos torquet, ita æmulatio te jugiter rodit, nec ullam à ſollicitudine pro me requiem permittit. Lampades præterea tuæ in me dilectionis æmulatione ſollicitæ, ſunt ex genere ignis divini divinarumque flammarum, ſunt enim tuæ charitatis actus ex origine divini, ignei, in altum elati, qui non magis ſe poſſunt occulere, quàm meteoricæ lampades in aeris regione micantes. Si ergò dilectio animam tuam à te ſeparat, in meque traducit, ſi æmulatio te jugi pro me ſollicitudine angit; ſi charitatis actus ſe in publicum produnt, & emicant, neceſſe omninò ſit, ut ſponte tua meam ſemper imaginem præferas. Quamobrem ſuaviſſimè, ac humaniſſimè tecum ago, dum tibi mei characteris impreſſionem, quam præ te feras, injungo, quemadmodum vir cum uxore indulgentiſſimè agit, cùm ei, quod impotenter cupit, imponit. Hæc, ut verba illa ſponſæ accommodarentur, compendio diximus, quæ facilè dilatari valent, obſervata eorum verborum paulò antè allata interpretatione.

Cur Inferno comparata æmulatio.

Hîc autem annotare oportet zelotypiam ſeu æmulationem, qua propter ſponſum ſponſa torquetur, eſſe longè aliam ab ea, quæ ſponſum inceſſit. Sponſus nimirum æmulus ſeu zelotes appellatur, quia & ardentiſſimè amat, & in ſponſæ corde eſt conſortis impatiens. Solus enim ipſe integro eo corde potiri vult. E contrario verò ſponſa æmula, ſeu zelotypa nuncupatur, cùm animos univerſos in ſponſo cupit habere conſortes. Propter hanc quippè æmulationem languet animus, cùm à conſortio iſto cernit corda deficere, ſicut ſcriptum eſt, Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, & alibi in eundem ſenſum, Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Hujus autem diſcriminis ea ratio eſt, quia zelotypus, vel æmulus toto rei amatæ cupiens corde potiri, cernens, ſe id aſſequi non valere, ſi partem illius cordis aliquis ſibi conſors vendicet, dirè cruciatur, & contabeſcit. Hic autem languor, & mœror creaturas vexare poteſt, quarum corda variis diſtracta ſtudiis tantò remiſſiùs quempiam diligunt, quantò acriùs alium affectant. At divinum cor tam ardenter ſingulos amans, ac ſi in unumquemque illorum dumtaxat, cæterorum oblitum, vim amoris effunderet, non poteſt amatores ſuos ita afficere, ut conſortes in eo genere habere nolint. Quin verò ita illos incendit, ut quò vehementiùs amant, eò plures cupiant habere conſortes, quod ſtrenuè curant, & ſi res infœliciter cedat, animo deficiunt, ac extabeſcunt.

Sponſus zelotes appellatur.

Nunc autem ſeu dilectio, & æmulatio ad ſponſum, ſeu etiam ad ſponſam pertineant, verba, quæ mox ſubduntur, ſunt maxime idonea. Sic enim ſponſus ait:

Ibidem. verſ. 139.

℣. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

PARAPHRASIS.

Voluptates non vincent meam in tè charitatem, quapropter tua quieſcat pro me (ô ſponſe) æmulatio

Aquarum proprietas, & ſignificatio.

AQuarum nota ſenſuum voluptates exprimuntur, quæ & ipſæ aquæ ſunt; & ad

Scripta An. 1598.

ad arcanos sensus suggerendos accommodatæ. Sanè voluptates, quæ carnem magis afficiunt, ac demulcent, ad tactum, & gustum attinentes aquæ finitima natura constant, & hæ tanquam vehementiores, cùm sensuum agitur voluptatibus, principatum sibi vendicant, & nomen. In his verò arcendis illecebris diu, & sedulò enitendum est. Experimento quippè, & sanctorum Patrum traditione constitutum est, viros etiam vitæ perfectione insignes post longum cum hoste conflictum, & corporis emacerationem, vehementissimos earum, quibus tactus afficitur, illecebrarum impetus esse perpessos: Undè & post relatos de aliis passionibus triumphos inter ipsas etiam victorias voluptatum illarum ictibus pungebantur, cujus certè rei Paulus testis est lucupletissimus, cui in ipso mundi trophæo, quod erigebat, stimulus carnis erat infestissimus. Charitatis ardentissimæ experimentum carnis impetum perferens subibat. Enimverò perfecta sui victoria potiri necesse est eum, qui hisce aquis non humectatur, sin minùs mergitur. Sic igitur sponsa loqui credenda est: Hortaris, sponse, ut tuum perferam signaculum, ut obsignata incedens communis tori jura non violem, totumque cor tibi uni tradam. Conquiescat obsecro tua pro me æmulatio, si enim ob rem quampiam essem à te alienanda, maximè profectò ob eas voluptates, quæ vehementiores, & naturæ propriores sunt, quas vix animus carne obseptus expuere, & odisse valet; at enim ego fortissimè certabo, & invicto eas corde recutiam. Charitas pro me luctabitur. Et profectò earum voluptatum aquæ non poterunt extinguere charitatem; nec, tametsi magno impetu instar fluminum, quæ feruntur in præceps, me adoriuntur, charitatem grandiorem poterunt obruere. Æquum autem omninò est, hanc meam sedulitatem, & fortitudinem æmulationi tuæ respondere. Juxta interpretationem igitur hanc aquæ multæ, multæ sunt sensuum voluptates, aquarum flumina earum voluptatum est inundatio. In aquis frigiditas inest, quæ arcanè notat inductam spiritui frigiditatem charitatis colori inimicam. In fluminibus est præterea præceps ille undarum decursus, secum plerumque arbores, lapidesque corripiens, qua voluptatum illarum impetus à dæmone interdum concitatus, exprimitur, quo, qui arboris more radices egerant, & more lapidis stabiles, ac firmi fuerant, quandoque rapiuntur, & in tartari voraginem præcipiti voluptatum cursu impelluntur, quales fuisse non paucos, & antiquæ historiæ, & ætatis nostræ portenta non sine luctu commonstrant. Sponsa verò, & aquas placidè fluentes, clamque subintrantes, & flumina citata prævidens, fore ait, ut filios Israelis imitata medium mare sicco vestigio pertranseat. Hæc prima est interpretatio.

A

2. Cor. 12.

Sponsæ adlocutio.

B

Voluptatum aquæ non possunt extinguere charitatem.

C

D

Secunda interpretatio. Altera aquarum significatio.

Secunda verò aquarum nomine labores, ac infectationes intelligit. Aquæ sanè orbi olim toti diluvio necem invexerunt, unde, quasi proverbiali modo, in calamitatis, ac interitus transiere significationem. Flumina verò, præter eam, quam habent communem cum aqua significationem, rapido suo cursu, quo arbores radicitus exstirpant, aggeres oppositos perrumpunt, pontesque firmissimos concutiunt, & interdum evertunt, malorum rabiem, quæ adversus charitatem debacchatur, significant, à qua licèt quatiatur, everti tamen nequit stabilissima charitatis arx, qualem jam in sponsa, Deo architecto, constructam perspicimus. Hac porrò in arce tutus se Paulus jactabat, & de victoria ante conflictum exultans, illas voces efferebat: Quis nos separabit à charitate Christi? Ubi mox varia, eaque ingentia mala percensет, famem, angustiam, gladium, & alia id genus plura, à quibus se victum iri negat. Profectò sicut dixit: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, (& alia similia) poterunt nos separare à charitate Dei, ita dicere potuisset: Aquæ calamitatum multæ non poterunt, vel, ut alii legunt, non potuerunt futuram victoriam ob certitudinem præterito significantes extinguere meam charitatem, nec aquarum flumina, hoc est, malorum impetus, facto velut agmine in me incursantium, charitatem obruent, sive mergent. Videtur in hoc sermonis genere sponsa alludere ad vulgatam lampadum significationem, in qua se prodit mira orationis concinnitas. Porrò sponsus charitatis ignem commendans, ejus lampades, verè lampades ignis esse asseruit. Cui certè sententiæ, ut sponsa concineret, loqui festinavit, ajens: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Sanè oleo lampadis absumpto, cùm jam elychnium, à quo alatur, oleum non habet, mox ut aquam attingit, crepitare incipit, statimque lampas extinguitur. Ut ergò sponsa doceret, charitatis lampadem adeò esse sua matura igneam, & lucentem, ut tametsi oleo blandimentorum, voluptatisque careat, non propterea extinguenda sit, significantissimè sic enunciavit, Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, ac si luculentius diceret: Tantum abest, ut charitatis lampas angustiæ, & calamitatum, ac infectationum aquis extinguatur, ut potius inde nutriatur, & luceat, quod enim lampadi pensili præstat oleum, hoc charitati vexatio. Hæ sunt aquæ, hæc flumina, à quibus extingui, vel obrui charitas nequit, quibus nutritur, & lucet. Sic igitur sponsa loquitur, Conquiescat, ô sponse, tua æmula dilectio; ego enim inter medios aquarum calamitatumve fluctus amabo te, & mea in te charitas in ipsis aquis, fluminibusque ardebit. Non extinguetur, aut obruetur; sed caput semper efferens, igne suo lucebit, & aquis laborum tanquam oleo pinguissimo nutrietur. Sed quia heroicæ virtutis hic actus est, ne fortè sibi sponsa oborto quopiam vanitatis motu blandiatur, & placeat, præsentissimo sponsus remedio adest, ratione quadam ad cor deprimendum, & in officio continendum efficacissima utens. Ait enim,

E

Flumina malorum rabiem significant.

Rom. 8. 35.

F

Lampadum significatio.

G

Sponsæ adlocutio.

H

SPON-

Scripta An. 1598.

SPONSUS

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

A

PARAPHRASIS.

Debes, ô sponsa, pro dilectione magna polliceri, nec inde tibi placere, hoc enim omni amanti est ingenium, ut si vitam pro dilectione tradat, nihil se tradidisse putet.

NE putes, ô sponsa, magnum quippiam à te præstari, quòd signaculum meum feras, quòd aquis multis charitatem ergà me tuam non extinguendam pollicearis. Id enim nec mirum, nec novum est. Immò verò hoc est universim cuilibet amanti ingenium, ut quantumvis magna præstet, nihil se præstare putet, ob amoris magnitudinem, quæ largitione non vincitur. Juxta hunc ergò sensum sic sponsus loqui credendus est: Profectò, sponsa, tanta est vis amoris, ut amans quicumque si dederit omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil eam despiciat, hoc est, si domus suæ divitias amoris causa erogarit, nihil se magnum præstitisse credat. Est ergò hîc accuratè expendenda amoris ingenuitas, & liberalitas. Amor quippè muneribus modum præscribere nescit. Omnia sine exprobratione largitur, factus donando munificentior. Licèt autem substantiæ nomine rectè hîc divitiæ vulgato sensu intelligantur, rectiùs tamen videtur, ut vitam substantia notet. Cætera quippè bona, honor, divitiæ, voluptates, vita ceu substantia, hoc est, basi fundamentove nituntur. Omnibus his illa charior, & pretiosior est, & ad amoris ostensionem opportunior. Substantia ergo, seu basis domus hominis vita est, quam & animam sermo sacer appellat. Porrò Septuaginta Interpretes sic vertunt, si dederit vir omnem vitam suam in dilectione. Cùm igitur homo hanc pro dilectione tradit, ardentissimè se ostendit amare, majorem enim dilectionem nemo habet, quàm ut animam, seu vitam suam det pro amico. Hanc plurimi pro sponso tradidere, in quorum gestis non tam ipsa traditio, quàm ingenuus quidam excelsi animi affectus, quasi nihiluni vitam despiciens, animum in admirationem rapit. Hoc ergò sensu sponsus sponsam monet, ut animadvertat, & exploret amoris naturam, quæ & vitam discrimini obiicit, & in eo heroico actu sibi minimè satisfacit, aut blanditur; cùm vitam quasi nihil contemnat. Certè qui rem nullius pretii cuipiam tradit, minimè se de largitione jactat; sic etiam, qui præ amoris magnitudine pretiosum quippiam largitur, à se tamen despectum, nullum jactantiæ motum in eo genere patitur. Et hæc de prima horum verborum interpretatione.

Ingenium amantium.

B

Substantiæ significatio.

Basis domus hominis est vita.

LXX. Interpp.

C

Joann. 15. 13.

D

Secunda interpretatio.

Altera magis arcana ex textu ipso eruitur in hunc modum: Enimverò vox illa (homo) cùm Salomon introducit in hoc loco sponsum loquentem, certum quendam hominem indicat, de quo Psaltes rogavit: Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea? *Psal. 86. 5.* Hic certè homo est sponsus ipse, quod ex verbis mox in eo Psalmo subjectis patet: Et ipse fundavit eam altissimus. Sponsus ergo est homo ille altissimus, qui fundavit Sion domum suam, quæ est Ecclesia. Hujus verò domus amplissimæ substantia, seu opulentia, sacratissima est Eucharistia, in qua Deus suæ charitatis divitias velut effudit. Non pars, sed tota substantia est, nec enim cætera domus istius suppellectilia illi conjuncta majus, aut opulentius quippiam illa substantia reddunt. Sed omnia in illa velut absorbentur, & latent. Certè illa est amplissima hæreditas novi testamenti, quam sponsus nobis tanquam suæ substantiæ reliquit hæredibus, & in ea totius domus suæ opes inclusit, ut cùm filius quispiam Eucharistiam suscipit, non partem, sed totum se credat accipere patrimonium, quo Deus nihil majus habet. Hoc ergò constituto, sic sponsus loqui censendus est, semetipsum sub tertia innuens persona: Ne censeas, ô sponsa, te singulare quippiam molituram, si meo charactere tanquam serva noteris: majora nimirum, sine jactantia, præstat amor. Est sanè quidam homo altissimus, qui fundavit Ecclesiam, qui præ amoris magnitudine, ac munificentia, si dederit substantiam ipsius Ecclesiæ, quam fundavit, pro dilectione, hoc est, si semetipsum Eucharistia celatum tibi tradiderit, ob eum, quo te prosequitur amorem, quasi nihil despiciet id donum, hoc est, adeò liberaliter id largietur, ac si rem despectam donaret, quod cùm sit omni tua servitute longè majus, debes tu sine ulla parcitate te mihi totam, velut mancipium tradere, nec in ea re de te ipsa magnum quippiam suspicari. Juxta interpretationem hanc sponsus ratione quadam ad cor sponsæ permovendum efficacissima utitur. Profectò donum hoc panis Eucharistici tam eximium est, ut quamvis Deus pro illo æternam à nobis servitutem reposceret, nec magnum, nec durum videri debet. Quod verò tanti hujus doni rationem mirificè auget, largientis est liberalitas, & sublimis quidam ejus doni modus, sponsum videlicet semetipsum Eucharistia celatum adeò liberaliter tradere, ac si rem despectam largiretur. Hoc est verè summum amoris, ac munificentiæ fastigium, ut Deus donum inter res universas longè pretiosissimum, se nempè tradat, & præ sui amoris incredibili magnitudine donum id despiciat, hoc est, quasi nihilum ducat. Despicere enim in hoc loco nihil est aliud, quàm facillimè, ac liberalissimè largiri, sine exprobratione donare, more illorum, qui res vilissimas dono dare solent.

E

Sion est Ecclesia.

Eucharistia est tota substantia sponsi.

F

Homo altissimus est sponsus.

G

H

Tertia horum verborum explanatio ex Septuaginta Interpretum versione Hebraico textui consentiente promi potest. Sic enim habet, Si dederit vir omnem vitam suam in

Alia explicatio ex LXX. Interpp. & Hebr.

Scripta An. 1598.

in dilectione, despectione despiciens eum, ubi, quod perfectis Dei amatoribus, dum pro dilectione, fortissimè certant, evenire solet, apertè monstratur. Nimirùm, dum quis egregius Christi miles, postquàm cætera, quibus utebatur, bona contempsit, mortem pro charitate oppetit, ut qui cætera tradidit, vitam quoque ipsam pro dilectione profundat, à cæcis hujus sæculi filiis, tanquàm insipiens, & bonis frui nesciens irridetur. Mundus enim sibi persuadere nequit, glorioſum esse pro charitate occumbere, ac proinde se veris sapientibus credit sapientiorem, & hoc fastu imitatores Christi deridet, quod Sapiens rectè novit, qui mundi dilectores introducit nimiùm serò resipiscere tentantes, & sic ajentes. Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii; loquuntur autem de justis, qui substantiam domus suæ pro dilectione dederunt, quos illi tanquàm insipienter agentes in mortali vita despexêre. Opportunè autem juxta interpretationem hanc sponsus agit, dum sponsam prædicationi incubituram, & plurimas in ea functione pro Dei, ac proximi dilectione calamitates perlaturam hortatur. Præmiserat sponsa, suam charitatem malorum aquis non extinguendam, sed prævaluturam fluctibus; ut autem omnia sibi eventura mala prospiceret, ac se ad pugnam providè compararet, sic eam monet: Fortiter agè, sponsa, prævide, quid tibi eventurum sit. Tu decrevisti omnem domus tuæ substantiam pro dilectione tradere, nec enim aliàs prædicationis officio idoneè fungereris. Moneo te, ne indè tibi apud homines gloriam polliceāris, homines enim præsentia, & fluxa mundi bona solùm admirantes, non credunt eos, qui pro charitate certant, esse gloria dignos, sed si quis egregius imitator mei dederit pro dilectione vitam, illi quasi fatuum despicient eum. Mentis ergo aciem in meam gloriam intende, & cœlestorum hominum improperia perfer. Hæc ubi sponsa didicit, non resilit, non formidat, sed tantò ad gentem sibi creditam ocyùs, & animosiùs tendit, quantò acrioribus se ibi malis novit esse vexandam. Jam ergo susceptum munus certat implere, jam rogat, quonam pacto imbecilliores curare debeat. Sic quippè ait.

Miles Christi mortem pro charitate oppetit.

Sap. 5. 3.

Homines fluxa mundi bona solum admirantur.

A

B

C

SPONSA.

℣. 8. Soror nostra parvula est, & ubera non habet.

PARAPHRASIS.

D

Cerno, sponse, gratum tibi esse, ut operi manum admoveam, & substantiam domus meæ pro dilectione profundam. Eja igitur, jam aggredior. Video autem plebem hominum peccatorum meæ curæ commissam parvulam esse, quia procerum staturam justitiæ amisit. Crescere autem lacte debet, sed prædicatores non habet, à quibus lac doctrinæ sugat.

CErno, sponse divine, gentis ad te convocandæ mihi commissam esse provinciam, & proindè illius saluti jam prospicere gestib. Intueor illam tibi ac mihi carnis cognatione germanam, humi repentem, & illius ad justam proceritatem promovendæ me incessit sollicitudo. Hæc ergo sponsa loquitur. Verborum autem sensum varium distinctiùs percepturi, statuere debemus sponsam satis locupletem, ad eorum, qui in culpæ jacent humilitate, & eorum etiam, qui sunt inde excitati, parum tamen crevere, salutem legari, quod omnium est præpositorum munus. Hoc itaquè observato discrimine sororem parvulam bifariam interpretari valemus, plebem videlicet peccatorum, quibus parva sanè statura mentis est, & congregationem eorum qui à culpa in justitiæ statum traducti torpent, crescereque detrectant, quorum & statura satis proculdubiò brevis est. Primum tamen sensum modò persequamur, secundum pòst expressuri.

Soror parvula plebs peccatorum.

E

F

Appellat igitur sponsa communem sibi cum sponso sororem peccatorum hominum plebem ob commune naturæ consortium. Hanc verò ait esse parvulam, statura nempè humillimam. Porrò Deus condidit hominem rectum, quasi statura procerum, ac erectum. Cùm autem is peccavit, ob ea mentis statura, & rectitudine cecidit, quapropter statura pusillus mansit, aut certè quasi statu prorsus carens in culpæ humilitatè jacuit. Quod quàm sit verum, & constans, satis profectò credimus, & miserè nimium experimur. Certè si mentis Adæ rectitudinem, spiritalem staturam, & justitiæ proceritatem mente repetamus, &, in quam inde abyssum ille fuerit deturbatus, contemplemur, non parvam modò, verùm & planè minimam post culpam hominis staturam esse deprehendemus. Tota autem Adæ posteritas pusilla proindè effecta est, & ei arcano sensu apprimè quadrat, quod quidam dixit insipiens:

Deus hominem rectum condidit, is peccans rectitudine cecidit.

G

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos. Juven. Sat. 15. v. 70.

Et sanè, quamdiu ea posteritas sui protoparentis casum imitatur, in culpæ humilitate contabescens, parvula est. Nec inde se valet attollere, nisi ope, ac miseratione divina, ut in secundo Adam crescat, & proceta fiat, sicut in primo decrevit, & parvula effecta est. Secundus vero Adam, hoc est, sponsus, in quo vivimus, alimur, & crescimus, licèt sine creaturarum ministerio parvulam eam sororem suam posset ad suam reducere magnitudinem, decrevit tamen ob spiritalis mundi pulchritudinem creaturarum obsequiis uti, ut per quasdam nobiliores aliarum provideret inopiæ, & nitro

H

Scripta An. 1598.

quodam nexu res universas conciliaret. Hinc fit, ut, prædicatoribus, quos ipse ad id munus satis armavit, utatur ad ignaros erudiendos, & sibi per justitiam inserendos. Vulgatissimum est autem, prædicatores uberibus Ecclesiæ insigniter notari; tument enim velut in Ecclesia prægnantis fœminæ forma indutæ pectore, & parvulis suæ doctrinæ lac dulce propinant, quod Paulus, dum parvulis se lac potum dedisse ait, & Petrus, dum quasi modò genitos infantes lac monet concupiscere, utpotè prædicatorum principes ac magistri satis apertè monstrarunt. His profectò uberibus indiget congregatio ea parvulorum, si ad justitiam evocanda est. Sunt quippè regiones non paucæ prædicatorum expertes, in quibus belluarum more ipsi etiam Christiani pereunt, cùm vix sit inter eos, qui Ecclesiasticæ illis doctrinæ tradat rudimenta. Parvuli sunt, nec habent ubera, quo nihil funestius eis evenire potest. Hanc certè gentem inculcam, & Apostolico lacte destitutam, dum viri charitate perfecti contemplantur commiseratione liquescunt, & ad eam curandam Dei æmulatione incenduntur, quod sponsa nunc facilè declarat, dum sic ait, plebs peccatorum statura mentis pusilla; naturæ communione soror nostra, ô sponse, parvula quidem est, & quod est commiseratione dignum, ubera, hoc est, prædicatores, seu magistros non habet, quamobrem ego ardentissimè cupio illi opitulari, & lacte meo illam alere, & ad staturam proceram erigere. Propterea, sponse, ut sciam, quid facto opus sit, rogo:

Prædicatores uberibus Ecclesiæ notantur.

A

1. Cor. 3. & 9.

1. Pet. 2.

B

Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?

PARAPHRASIS.

Quid faciemus plebi huic, quando ejus poscemus ad justitiam consensum?

C

PIngit in hoc loco Spiritus Sanctus plebem eorum, qui convertendi sunt, quorum curam sponsa gerit, tanquam puellam quandam, de qua nuptui tradenda nunc agitur. Constat nimirum eas animas, quæ ad justitiam evocantur, spiritale cùm sponso matrimonium inire, cujus conciliatores, & internuntii sunt prædicatores, qui hortantur, & alliciunt animas, quas, quoties monent, alloqui ad expetendum nuptiarum consensum elegantissimè dicuntur. Nunc ergò sponsa hujus conjugii electa conciliatrix interrogat sic, Quid, obsecrò, sponse; faciemus? qualem affectum imprimemus plebi illi sorori nostræ in die, hoc est, eo tempore, quo ego ad consensum poscendum illam alloquutura sum? ac si dicat, quanam dexteritate utemur, quando ejus voluntatem, ut tibi acquiescat, & copuletur, pulsaturi sumus? Faciemus, inquit, sponsum secum euntem, ac operantem ostendens. Pro eo, quod editio nostra legit, in die, quando

D

alloquenda est, LXX. Interp. sic verterunt: In die, qua utique verbum factum fuerit in ea. Verbum fieri in re quapiam est idem, ac impleri, & in hoc sensu sponsa rogat, quid faciendum sit sorori suæ, cùm sermo suus in illa effectum sortitus fuerit. Vel certè rogat magis arcanè, quid faciendum sorori sit, cum in ea fuerit factum Dei verbum, hoc est, sponsus, qui conceptus in utero virginis dicitur verbum caro factum; & in hunc modum cùm anima convertitur, & ipsum concipit, spiritali modo dicitur in illa verbum fieri. Idem ergò agit, dum ait, In die, qua utique verbum factum fuerit in ea, ac si diceret, in die, qua soror nostra in ipsa ad Deum conversione verbum Dei conceperit. Huic verò interrogationi sic sponsus respondet,

LXX. Interpp.

E

Joan. 1. 14.

SPONSUS.

V. 9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea,

F

PARAPHRASIS.

Si se gerit fortiter, & murum firmitate imitatur, tradamus ei sacra eloquia, ex quibus se tueri possit.

UT concinnitas hujus responsionis fiat manifesta, constituendum est, spiritales cum sponso nuptias, de quibus hic habetur sermo, ad quandam pertinere conjunctionem, quam sub architectonica similitudine scriptura commendat. Paulus quippè, cùm asseruisset Christum esse angularem lapidem, sic addidit, In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Ædificatio nimirum in eo constructa, soror sponsæ proculdubiò est, sponso nuptiis sociata. Quam cùm constet parvulam esse, sicut paulò antè perspeximus, optimo sponsus remedio adest, dum ait, se velle sororem construere, ut tanquam ædificatio in ipso constructa crescat in templum sanctum, nec sit ultrà pusilla. Hoc verò quanam ratione fiat, modò indagandum est. Si murus est, (sponsus inquit) ædificemus super eum propugnacula argentea. Inter universa ædificiorum genera neminem latet, muros, quibus urbes ambiuntur, firmissimos esse solere, selecta ad id opus, lapidum, calcis, & id genus cæterarum rerum opportuna materia, quæ architectorum peritiâ benè conpacta, tametsi bellicis machinis quatiatur, inconcussa permaneat. Muris autem urbium superexstrui solent ædificia quædam, è quibus glandes emittuntur, & tela, quibus hostes arcentur, quæ proindè appellantur propugnacula, quasi quæ urbem propugnent. Ex hac ergò aspectabili rerum corporearum effigie in arcanum sensum introeundum est. Rogaverat sponsa, quid plebi convertendorum parvulæ faciendum

Ephes. 2. Act. 4. Christus lapis angularis

G

Murorum firmitas.

H

Propugnacula urbem propugnant.

ei-

Scripta An. 1593.

esset, ut crescceret, & haberet justam magnitudinem. Cui sponsus ita respondet: Si in die, quando cum ea loquendum est, quando videlicet à te nuptiarum conciliatrice de suo est interroganda consensu, murus est, hoc est, forti animo, & firmo instar muri consistit, ut pro fide nuptiarum adversus arietes,
A & machinas belli universas secura permaneat, exstruamus super eam sororem nostram, munitiones ad eam fortituidinem tuendam, & ad crescendum opportuna, non ex lapidibus, aut lignis, sed ex argento purissimo. Sanè argentea hæc munimenta, seu propugnacula, quæ plebi conversa, ac instar muri ærei stabilitæ superædificantur, sunt
Psal. 11. 7. eloquia Domini casta, & ex argento igne examinato conflata, quæ dum plebi in sponso fundatæ, & velut ex angulari lapide surgenti imponuntur, fit illa urbi muro inexpugnabili septæ, turribusque argenteis splendenti persimilis. Porrò in opulentis urbibus

Turres in urbibus.

turres interdum constrúi solent, quarum tecta non imbricibus, aut laterculis, sed æreis laminis conteguntur, quæ dum solis radiis percussa micant, præterquam quòd firmiora
B tectis aliis sunt, urbi etiam speciem addunt, & hostibus terrorem incutiunt. Qua in re quoddam licet cernere vestigium ejus arcanæ structuræ, quam sponsus in iis, qui sponsæ opera resipiscunt, architectari vult. Enimverò dogmata sponsi sacris contenta scripturis, propter puritatem, splendorem, ac tinnitum argento quàm simillima sunt. Hæc dum plebi in Christo constructæ, tamquam muro lapide angulari subnixo, traduntur, & ut illis utatur ad se propugnandam, commendantur, argentea propugnacula super murum ædificari pulchrè asseruntur. Quando nimirum, gens illa murus fit, tunc in sponso fundatur. Quando verò benè fundata recipit, ut custodiat, & pugnare pro sponso norit sacræ scripturæ eloquia, tunc super eam turres argenteæ, seu propugnacula, Deo
C ædificante, consurgunt. Rectè autem eloquia sponsi appellantur propugnacula, hoc est, ædificia ad tuendam urbem condita, quia videlicet animæ sacrorum eloquiorum consultæ seipsis altiores effectæ sacrorum verborum tela in hostes ejaculantur, & hostis urbem invadentis conatus avertunt, insidias explorant, & eludunt, undè simul dum hostem arcent, semetipsas tuentur, atque propugnant. Tanta est sacræ scripturæ vis. Verùm sponsum audiamus adhuc sponsæ respondentem.

Si ostium est, compingamus illud talibus cedrinis.

D PARAPHRASIS.

Si aperit se mihi vocanti per te (ô sponsa,) conjungamus plures virtutes ceù tabulas cedri, & eas illi ut portam inseramus, ut clausa domus mea sit.

QUemadmodum illa verba, Si murus est, ita intelliguntur; id est, si fit murus, ita & hæc, si ostium est, intelligi debent, ut idem significent, ac si diceretur, si ostium fit. Gens autem, quæ jacet in culpa, adeò tota est quasi brumæ frigore constipata, secumque compressa, ut aditum Deo non reliquerit. Domus quædam sine ostio est. E
Cùm verò prædicatorum hortatu pulsata, Deo, patefacto corde, dehiscit, tunc fit ostium, per quod Deus libenter ingreditur. Ostium autem hoc in loco appellatur spatium illud inter parastades, seu lateris utriusque lapidis, quo arcanè notatur ille pator, quo anima velut hiat, ut illabatur sponsus. Debet autem ostium illud nulli nisi sponso patere, ac propterea sponsus ait, Compingamus illud tabulis cedrinis, hoc est, festinemus, & componamus portam ex cedri ligno imputribili, quam spatio illi inter parastades patenti inseramus, ne quis, præter me, per illud introeat. Fit quippè nonnumquam, ut peccatores concionatorum voce commoniti, Deo illabenti pateant, sed parum cauti ostium aliis patere sinunt, undè F
& per idem ingrediuntur impunè propter quandam fucatam cum sponso similitudinem, quam nesciunt illi internoscere. Sed & in ipso ingressu sponsi solerti cura opus est, ne quæpiam cum illo vanitas irrepat. Simul quippè cum bonis operibus inde genita gloria inanis solet se insinuare. Propter hæc, & alia similia sponsus compingere, hoc est, ex tabulis commissis concinnare, habilemque intercapedini vult januam fabrefacere, ut justam ipsius exæquet quantitatem, nec ullum præterea spiraculum supersit, quod portæ structura non obturetur. Ostium hoc adeò quadrans, & ad mensuram exactum ex tabulis cedri commissis sibique mutuò consertis sponsus compingit, atque coarctat, cum virtutes secum mutuò consertas, & coherentes animæ sibi patenti infundit, quibus illius quasi cavitas impletur, & obseratur, ut G
velut oppilato ostio hostes pedem inferre tentantes eliminet, atque recutiat. Anima videlicet virtutibus vacua, quasi domus est derelicta furibusque pervia, cùm verò virtutum ostio clauditur, & velut obsignatur, ingresso semel Deo, furibus intercludit ingressum. Quod ut aptiùs notaretur, ostium non quibuscumque, sed cedrinis tabulis solidis imputribilibusque compingitur, quæ mutuò junctura fabrili arctatæ, nec aquam, nec ventum, nec verò qualitates noxias sinant permeare, quarum comparatione tabularum virtutum consertio proditur, atque conjunctio. Et quamvis universis virtutibus cedri soliditas, & incorruptio quadret, illæ tamen hujus ostii structura potiùs significari videntur, quæ vim quandam ad domus custodiam & claustrum, & ad fures arcendos habent H
opportuniorem, ut magnanimitas, constantia, fortitudo, & aliæ similes. Sic ergò sponsus loqui credendus est: quæris (ô sponsa quid facto opus sit, cùm plebs tibi commissa, & soror nostra de nuptiarum est interroganda

Anima virtutibus vacua, quasi domus derelicta, furibus pervia.

Sponsi adlocutio.

Scripta An. 1598.

consensu. Tu verò sic habeto: Si soror nostra ostium est, hoc est, si mihi ingressuro ostii more patet, consensumque præbet, tunc, dum illa velut aperta patet, conjungamus plures quasi cedri tabulas, virtutes, inquam, plures, solidas, incorruptas, sibi mutuò coarctatas, & illam spiritalem interçapedinem sponsæ

A claudamus, ut ego intus cum ipsa morer, virtutesque compactæ, velut ostium oppilatum, fures insidiosos arceant. Huic expositioni annecti potest altera, quæ sit ut appendix. Sponsus nimirum murus est, ut cecinit Propheta de Ecclesia loquens, Ponetur in ea murus, est etiam ostium, ut apertè ipse dixit sponsus, Ego, inquit, sum ostium. Dum autem quis ad Deum convertitur, in imaginem sponsi, qui est murus, & ostium, transformatur, murus enim fit firmitate, ostium recluſione cordis Deo patefacti. Dum ergo sponsus de sorore ait, si murus est, si ostium est, tantundem agit, ac si diceret, si in meam imaginem traducitur. Cui rectè quadrat argenteum ædificium dogmatum scripturæ, quibus se in Christum

B transformatam ab hoste eam imaginem delere tentante propugnet. Et tabularum cedri compactio, hoc est, virtutum connexio, quibus clausa, & septa velut ostio oppilato dæmones incursantes eliminet. Hactenus juxta primum è duobus propositis sensum sponsæ interrogationem, sponsique responsionem interpretati sumus. Nunc alterum persequamur.

Altera textus explicatio.

Esai. 26. 1.

Tertia textus explicatio.

Soror parvula secundo sensu nuncupatur, earum animarum congregatio, quæ ad justitiam evocata torpet, & sibi de salutis statu blandiens, satis se putat præstitisse, quia gravia scelera depulit, nec de progressu est anxia, nec de ulteriore puritate sollicita. Cui parvulæ nomenclatura egregiè competit, cùm ad mensuram Christi multiplicem vocata, sponte sit in eo genere parvula. Sponsa igitur ad hanc enutriendam, & promovendam

C destinata, sic ait, soror nostra nobis (ô sponse) & naturæ, & gratiæ germanitate conjuncta parvula est. Non enim fecit, quos potuisset in charitate progressus. Ubera proindè non habet, nec enim utrumque Testamentum, quod est uber geminum, ab uno Dei pectore pendens, & ejusdem lactis, hoc est, doctrinæ dulcorem continens, affectuosa notitia percipit, undè non evasit prægnans, ac fœcunda, non indicat fœtum, quemadmodum fœminæ, quibus ubera lacte plena tument. Potuisset feliciter crescere, & jam multorum operum prole gaudere, sed sterilis videtur. Rogo ergo, Quid faciemus ei eo die, quo illam pro te alloquar, ut deserat eam parvitatem? Quo pacto me geram, afflante te, ut illam horter, & ad ulteriora promoveam? Notandum hic maximopere singulari quadam ratione sponsam

D pro iis, qui in charitate torpescunt, esse sollicitam, ac optare, quid erga eos agendum sit, probè nosse. Est nimirum status quidam periculosus valde in animam, etsi justam, torpor illapsus, obducitur enim quidam desidiæ callus, quædam menti offundi-

Ubera duo testamenta notant.

Animadversio.

tur caligo, ex qua evigilare difficillimum est. Quippè residès equi, qui verbere cæsi, & calcaribus incitati, carceribus non exiliunt, nullam de se movent expectationem. Et quidem scelestissimi peccatores suorum scelerum consci expeditiores videntur ad sponsæ doctrinam capessendam, pœnæ saltem formidine perculsi, quàm illi mediocriter justi, qui cùm de se non adeò humilia cogitent, nec

E inferni cruciatum, quo se putant immunes, vitare gestiunt, nec periculum impingendi, in quod illos torpor adigit, evadere constituunt. Ex anfractu autem redeuntes sponsum respondentem audiamus. Si murus, inquit, est, ædificemus super eum propugnacula argentea, quod servata proportione, iuxta primam interpretationem, huic sorori alteri accommodandum est. Idem quippè agit sponsus, ac si diceret, si fortis est ad pellendum torporem, & animum acuendum, si desidia non superatur, exstruamus super eam argentea propugnacula Scripturæ clara, & purgata dogmata, ut in altum crescat, sicut murus tunc crescere videtur, cùm turres illi superædificantur. Porrò in Hebræo sic

F legitur: Ædificemus super eam palatium argenti, quod à sensu editionis nostræ satis videtur alienum. Propugnacula quippè ad pugnam construuntur, & qui ex eis tela jaculantur, anxii sunt, & hostium urbem obsidentium telis obnoxii, at verò palatium nullum habet cum bello commercium, sed totum est festivum, & à vulnere immune. Verùm hoc mysterio non vacat, ipsa enim argenti structura, hoc est, divinæ Scripturæ notitia, quam Deus justorum mentibus immittit, quasi super illorum verticem mente notatum, eam ædificans, & propugnaculum est, ex quo tota urbs defenditur; & palatium est ad requiem, & regis sponsi habitationem mirificè ædificatum. Hæc ergo structura togæ militiæque comparata est, quam sponsus super animas justorum, qui torpent, erigere cupit sponsæ ministerio. Vix enim dici

G potest, quantùm ad justitiæ progressum Scripturæ peritia conferat. Cùm nimirum ea verba sint à Spiritu Sancto dictata, divinaque vi, & energia ultra alia dogmata insigniter polleant, ad animos acuendos, & impellendos sunt efficacissima. Quod verò demùm sponsus attexit, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis, tantundem valet, ac si diceret, si dum à torpore suo ad ulteriorem justitiam excitatur & pulsatur, ostii more panditur, & quasi præ desiderio dehiscit, compingamus, hoc est, fulciamus, & componamus eam virtutibus sibi mutuò consertis, & velut fabri opere commissis, tabulas cedri solidas, incorruptas, mutuoque coarctatas imitantibus, & sic erit domus clausa, atque munita. Sed quid his sponsa subdat, audire delectat,

Propugnacula, Scripturæ clara dogmata.

Hebraicus Textus

Similitudo togæ, & militiæ.

H

SPONSA.

℣. 10. Ego murus, & ubera mea sicut turris.

PA-

Scripta An. 1598.

PARAPHRASIS.

Capio sorori nostræ mei similitudinem imprimere, ut & murus sit, & ubera habeat. Ego enim murus æreus sum ob firmitatem, quam hostis labefactare nequit. Vbera etiam mea, hoc est, duo quæ didici Testamenta, ab unius Dei pectore quasi ubera duo prodeuntia, sunt quasi turres ad pugnandum & arcendum hostem, qui sacræ Scripturæ peritia sauciatur.

A SPonsus de sororis parvulæ promotione agens, & sponsam ad eam functionem erudiens, non de se dumtaxat uno, sed & de sponsa divinorum operum administra effatus est, consultò enim dixit, ædificemus, compinganus. Huic ergo sponsi voluntati obtemperans sponsa inquit, Ecce adsum (ô sponse,) ut tecum ædificem, & compingam, ad hoc enim munus effecta ego sum murus, & ubera mea ad turris altitudinem crevere. Ut autem horum verborum, & sensum, & cum præcedentibus concinnitatem percipiamus, B meminisse oportet sororem, de qua sermo factus est, parvulam imbecillemque describi, & sponsum optare, ut murus sit. Mox etiam memoria repetendum, sponsam dixisse sororem suam uberibus carere. Nunc igitur sponsa animadvertens se satis jam creviisse, & sibi divinitus collata, esse bona illa, quibus soror caret, ipso charitatis incitata ingenio cupit ei suam similitudinem imprimere.

Comparatio. Enimverò quemadmodum inter naturæ opera similium generatio animantibus est maximè naturalis, ac proindè avidissimè concupita, ita inter opera gratiæ similium procreatio fœtuum valde nativa est iis, qui vitæ divinæ consortes sunt, ac propterea votis omnibus

Sponsæ adlocutio. expetita. Hauserunt hujus propagationis desiderium ab ipso Deo, in eo genere fœcundissimo ii, qui naturæ divinæ per gratiam sunt effecti participes. Nec enim poterant fieri naturæ consortes, quin & ejus proprietatis communionem assequerentur. Hac C igitur similes generandi liberos propensione sponsa ducta inquit, soror mea nec murus est ob imbecillitatem, nec uberibus tumet ob sterilitatem, ego verò & murus sum ob fortitudinem, & uberibus insigniter prædita ob fœcunditatem, & prægnantis habitum. Dabo igitur operam, ut sedulitate multa illam mei similem efficiam, ut & murus sit, & ubera habeat. Sed ut rectius eam sui similitudinem, quam sorori suæ sponsa cupit inserere, calleamus, explorandum nobis est, quomodo sponsa, & murus sit, & tam pulchris insignis uberibus; Profectò sponsæ perfectio tam eximia, & clarissimorum Ecclesiæ luminum æmula, tam firmam, & invictam eam reddidit, ut cùm eam contemplamur, D alterum Hieremiam cernere nobis videri debeamus. Etenim inter Hieremiæ laudes illæ

Hier. 1. 18. in primis recensentur, quas Deus, cujus commendatione corda probata ostenduntur, illi tribuit, dum ait: Ego quippè dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, & bellabunt adversum te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum. Hæc est graphicè picta quædam sponsæ imago. Concipere quippè illam debemus, tanquam murum quendam æreum, quo ambitur Ecclesia, tales enim sunt, qui eam vim planè divinam ad tuendam, & quasi ambiendam Ecclesiam pepererunt, quos, E qui contra illam præliantur, labefactare, aut loco movere nequeunt. Jam verò sponsa ærei muri firmitate notata, ubera sicut turres habere monstratur. Duo enim Testamenta, Uberum significatio. ab uno unius Dei pectore prodeuntia, & unius doctrinæ, ac fidei lac evergentia, adeò in sponsa creverunt, ut turrium muro superestructarum fungantur officio. Quemadmodum enim turres illæ bellicis machinis instructæ hostes obsidentes interimunt, ita utriusque Testamenti peritia, quam Deus in sponsæ mente, quasi in muri summitate architectatus est, quot sententiis utitur, tot sanè telis acerrimum salutis nostræ perduellem sauciat. Talem ergo muri fortitudinem, talem uberum præstantiam in sorore sua cupit sponsa conferere. Sed quia ipsa seipsam F commendare visa est, ne quis vanum quippiam suspicetur, tacitam diluit objectionem. Posset videlicet quispiam dicere; Tu temetipsam commendas, dum ais, Ego sicut murus, & ubera mea sicut turris, ut autem hanc suspicionem averteret, intra eandem periodum sic ait:

Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.

PARAPHRASIS.

Hæc animi firmitas scripturæ peritia non instans, sed ædificans non mihi à naturæ contigit, sed à gratia, per quam sponso reconciliata sum, & pacis cum eo fœdus percussi. G

ILla muri firmitas non mihi à natura jure velut hæreditario provenit. Illa uberum magnitudo, & ingens copia lactis non mihi à terreno Adam collata est. Sed utrumque bonum habere cœpi, ex quo post culpæ inimicitiam sponso reconciliata sum, & quæ antè pace vera carueram, facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Fatetur hîc sponsa, quod catholicè asseverandum est, H se non ex natura creviisse, sed gratia. In hac enim sola vis est vera, & inconcussa fortitudo.

Hic murus aheneus esto. *Horat. Ep. 1. l. 1. ep. 1.*

Hanc verò vim divinam non ex debito ullo, sed ex sola bonitate, ac munificentia Deus confert, dum mortuas animas ex culpa suscitat, ac quasi denuò creat. Quod quidem arcanum ubera sponsæ non obscurè innuunt; idem enim valent ea verba, Ex quo facta sum, ac si diceretur, creata sum. Ipsa quip-

Scripta An. 1598.

quippè justificatio, creatio quædam est, seu effectio ex nihilo. Anima enim charitate orbata nihil est, ac proindè, cùm ad charitatem vocatur, fieri, seu creari elegantissimè asseritur. Quod licèt ex se inter sapientes planissimum sit, per verba tamen mox appositа dilucidius cernitur. Non enim je-

A junè sponsa dixit, Ex quo facta sum, sed consultò addidit, coram eo quasi pacem reperiens. Quibus sanè verbis creatio spiritalis gratia constans ab ea, quæ naturalis est, apertè discernitur. Universi quippè Adæ posteri ex ipso jure, vel injuria vitiatæ naturæ non fiunt, seu nascuntur coram Deo. Est enim Deus aversus ab illis, sicut è contrario illi etiam enascuntur aversi, ex quo efficitur, ut cùm in materno ventre compinguntur, vel etiam eduntur partu, pacem non reperiant. Est enim Deus illis infensus, ac inimicus, & exindè totus orbis in conditoris sui militiam ascriptus pugnat pro eo contra insensatos peccatores Adæ posteros. Non igitur ii fiunt coram Deo, nec pacem reperiunt. Contrà verò illi, qui fausto quodam natali, & arcana creatione à sponso fiunt, qui justorum est architectus

B & conditor, convertuntur ad Deum, Deusque mutuo ad ipsos, ut quidam Propheta cecinit, convertitur, ac ob id fiunt, coram illo faciem quasi ostendente placatam, ex qua pacis ducitur origo sempiternæ. Huic ergo creationi acceptum sponsa fert, quidquid boni est consecuta. Et propterea cum cœpisset loqui cum sponso, ajens, Ego murus & ubera mea sicut turris; quasi quis nostrum parum rei conscius interloqueretur, intra periodum eandem verba intexuit illa, Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens, quæ non ad sponsum rei conscium, sed ad obloquutores, quos novit sponsa futuros, ac si adessent illi arcano colloquio, diriguntur. Notandum autem hic magnoperè fuerit, sponsam tunc pacem

C reperisse, cùm per prima hujus epithalamii verba pacem osculo notatam poposcit. Ibi nimirum sub osculi symbolo reconciliationem, ac pacem cum sponso anxiè postulabat, cujus ille votis affuit, non tamen tunc omninò murus adeò fortis fuit, nec tam pulchris uberibus insignita, at tunc cœpit & perenni quadam sedulitate profecit, ut ad eam, qua modò præstat, magnitudinem pertingeret.

Verùm cur, inquit, se non pacem, sed quasi pacem reperisse? An Deus, cùm quis medullitus ad eum revertitur, non omninò placatur, aut sibi partem veniæ reservat? Minimè verò. Sed quia non assequuta est eam tranquillitatem, pacisque integritatem in qua homo primus, ad quem alludit, con-

D ditus est. Porrò post Adæ ruinam, quicumque originis culpa vitiatus nova in Deum creatione convertitur, tametsi cum Deo, quod ad principem attinet animæ partem, pacis fœdus percutiat, integritatem tamen pacis non adipiscitur, donec occurrat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, hoc est, donec gloria coronetur. Relinquitur enim in iis, qui fiunt justi, peccati fomes, qui bellum in animæ gerit principatum, nec ullas admittit inducias, nec verò extingui quantavis navitate potest. Quapropter etsi extranei hostes in homines justos non irrumpant, intestino ta-

E men contrariorum appetituum bello quatiuntur, ut meritò quasi pacem, non vero prorsus pacem reperisse dicantur, & ex hoc ad perfectam gloriæ pacem ardentiùs expetendam, velut acerrimis calcaribus incitentur. Postquam sponsa sic locuta est, introducitur à Salomone sponsus in scenam de se, quasi de alio quodam agens, & methodum, quam in Ecclesia more vineæ colenda servat, ostendens. Primùm ait se habuisse vineam. Mox se illam custodibus tradidisse. Demum pro ejus proventu cumulatissimum præmium reddere solitum esse. Quæ omnia eò tendere videntur, ut sponsa vineæ sibi creditæ Dominum esse Deum, seque illius cultricem, auctissimamque sibi pro cultura gloriam fore meminerit, & ex hoc fiat illa sollicitior. Cùm enim quis non à plebejo quopiam, sed à patritio, vel etiam Rege aliquo commissum opus meminit, multò F sollicitiùs curat illud, ac limat. Si autem præter hoc mercedis spes magnæ subsit, exactissimè contendit opus expolire. Nec mirum videri debet, sponsum hac uti velut insinuatione, & præmii promissione ad sponsam acuendam, non enim dedecet perfectam charitatem pro præmio decernere, sponsus enim ipse (assertore Paulo (proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Aspiciebat etiam in remunerationem Moyses, cum grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, quemadmodum Paulus idem ad Hebræos scripsit, Sed jam ad sponsi verba enarranda veniamus.

G

SPONSUS.

V. 11. Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos.

PARAPHRASIS.

Ecclesiam habuit sponsus, in congregatione habente multos populos una fide congregatos.

Vineæ nomine figuratè intelligitur Ecclesia multò proprius, quam Synagoga. Ecclesia quippè à vite Christo propagata, ejusque carne induti cultura fœcundata est. Etsi autem ad Synagogam ex ipso etiam Christo, in quem oculos illa intendebat, quidquid boni habuit, permanarit, at necdum ille erat vitis, cùm nondum naturæ humanæ susceptisset veritatem; mox verò ut illam suscepit, de nova serenda vinea, quam proprio labore coleret, proprio sanguine perfunderet, cogitavit, ut singulari quadam ratione vinea illius appelletur Ecclesia. Vinea ergo fuit illi jampridem, est, ac futura est.

Vinea significat Ecclesiam.

H

Animadversio.

Ephes. 4. 13.

Creatio spiritalis gratia constans ab ea, quæ naturalis est,

Scripta An. 1698.

est. Ut, quod dicitur, fuit, non sit temporis mensura præteriti, sed significatio veritatis, quæ nunc etiam constat, & quæ permansura est, ut ex divinis didicimus oraculis. Sæpè etiam præteritum pro futuro in sacris ob certitudinem eventuum usurpatur.

Textus Hebraicus, & LXX. Interpp.

Dicitur autem esse vinea pacifico. In Hebræo autem, & Septuaginta Interpretum versione, pro pacifico, Salomon habetur.

A

Interpres autem noster non Salomonem, ut in aliis Scripturæ locis, sed pacificum transtulit, ut eodem sensu constante apertissimè ostenderet non hîc de Rege illo Hierusalem genito ex ea, quæ fuit Uriæ, sed de sponso Jesu Christo, cujus ille imaginem prætulit, sermonem fieri. Sponsum autem jure suo pacificum appellari, notissimum est. Ipsius enim sanguine Deo reconciliati sumus, & in ea reconciliatione percussum est pacis fœdus sempiternæ. Quapropter quod dicitur, vinea fuit pacifico, ita est accipiendum, ut pacifici nomen vineæ causam indicet, ac si planiùs diceretur, Quia sponsus pacificus est, ideò vinea est illi. Nisi enim pacem ille, deleto inimicitiæ veteris chirographo stabiliisset, vineam non haberet, sed natura humana vinea fuisset Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ, ex qua uva fellis, & botrus decerperetur amarissimus. In peccato nimirum jacuisset, undè sponsus fructum non legisset ullum, legit autem fructum uberrimum, quia pacificus est. Qua ex re satis liquet, quam habeat energiam, quod dicitur, Vinea fuit pacifico. Quod verò adjungitur, in ea, quæ habet populos, pro eo, quod in Hebræo legitur, in Bahal Hamon, sive ut Septuaginta Interpretes retenta lectione Hebraica dixerunt, in Behelamom, quod Symmachus, in retentione populi, Aquila verò, in habente multitudine transtulit, Ecclesiæ multos populos habentis expressa significatio est. Qua profectò, quod paulò ante asseruimus, vineæ videlicet nomine Ecclesiam propriùs quàm Synagogam indicari efficaciter convincitur. Synagoga quippè uno dumtaxat constitit populo, unaque tantùm stirpe Abrahæ; at verò de Ecclesia sic scriptum est: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Nunc ergo per anacephaleosin quandam dicta repetentes, clarè perspicimus verba illa, vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, idem pollere, ac si diceretur, Ecclesia est sponso in congregatione, quæ multos habet populos. Et hæc prima est interpretatio.

Salomon imaginem prætulit Christi.

B

Deut. 32. 32.

Textus Hebraicus, & LXX. Interpp.

Symmachus.

Aquila.

C

Ecclesiæ ab synagoga discrimen.

Psalm. 86. 4.

Ecclesia multos habet populos.

II. Interpretatio.

Secunda verò satis arcana verba illa editionis nostræ (In ea) refert ad crucem, ita ut sit sensus, vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, hoc est, Ecclesiam habuit sponsus in cruce, quæ quidem crux habet, seu retinet populos. Porrò non aliundè, quàm ex cruce, ubi nostram patravit salutem, vineam Ecclesiæ sponsus propagavit. Propagavit autem, cùm exaltatus à terra, & cruce pendens, omnia ad seipsum traxit. Omnia, inquam, hoc est, populorum omnium

D

corda. Si ergo in cruce pendens, ad crucem ex qua pendebat, populos attraxit, verum omninò erit eam, crucem videlicet habere populos sibi insitos, atque connexos, & sponso proindè esse vineam, non alibi, sed in ea, quæ populos habet. Et profectò si quis est in hoc exilio, quem sibi affixum crux non habeat, tametsi ut palmes aridus ad vineam utcumque pertineat, vera tamen vita carere convincitur. Hoc autem omninò constitutum est, sponsum in cruce pendentem vineam conseviſſe, ac habuisse, in ea ipsa cruce, quæ vi divina populos sibi adstrictos, ac alligatos habebat. Potuisset profectò sponsus, quam plantaverat vineam, sine custodum excolere, & alere ministerio, verùm, quò mira mundum spiritualem varietate honestaret, non quidem necessitate, sed dignatione vinitores optavit, quibus ipse nihilominus præsens Ecclesiæ vineam traderet excolendam. Propterea de se, quasi de alio quopiam loquens, sic ait;

E

Tradidit eam custodibus.

F

PARAPHRASIS.

Commendavit sponsus Ecclesiam Doctoribus non quasi authoribus, sed quasi custodibus.

SApientissimè Doctores & prædicatores Ecclesiæ custodes nuncupavit. Non enim ipsi vineas condunt, non illi feras plantas in vites vertere, sua navitate possunt, ut vineæ vocentur authores. Sponsus ipse condidit Ecclesiam, & feras arbores fecit esse mites. Prædicatores verò vineam à sponso ex Ægypto translatam, & in suæ promissionis regione satam, custodiendam susceperunt. Etsi enim novæ creaturæ illi sint initium aliquod, dum in Ecclesiam novas plantas Deus non sine prædicatorum introducit ministerio: verùm hoc, quale illud est, non sua sedulitate, sed sponsi ope illi præstare creduntur. Quapropter prædicatores nullam sibi de fructibus vineæ laudem arrogare debent, ipsi quippè custodes sunt, & quasi depositi receptores. Depositi autem pretium non à custode manat, sed vel ab eo, qui deposuit, vel certè in ipsius rei natura inest. At licèt hæc ita se habeant, ipse nihilominus vineæ sator, & Dominus præmium custodibus pro fructu, quem ipse fecit, cumulatissimè pendit. Propterea inquit:

Doctores Ecclesiæ custodes.

G

Deus novas plantas non sine. Doctorum introducit ministerio.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

H

PARAPHRASIS.

Ipse sponsus pro fructu, quem ipse producit in Ecclesia, reddit cumulatissimum præmium.

POrrò vinearum Domini mercenariis, quos conducunt, non pro fructu, sed pro la-

Scripta An. 1598.

labore mercedem rependunt. Fieri autem sæpè solet, ut unius dumtaxat fossoris navitate unius labore diei vinea fructum reddat duplo auctiorem, quàm esset aliàs resultura, & tamen Dominus vineæ præstitutam illi, ac aliis inertibus mercedem, de qua inter eos

A convenerat, reddit, cùm tamen, si spectaretur fructus ex cultoris illius opera proventurus decuplo, aut fortè centuplo major illi merces reddenda foret. Sponsus autem vineæ, hoc est. Ecclesiæ vir non sic agit; sed fructus in Ecclesia uniuscujusque prædicatoris navitate prolatos velut in statera appendit, & pro illorum pondere reddit mercedem cumulatam. Ubi etiam attentè discrimen inter Deum, ac homines librare oportet. Homines nimirum suarum vinearum cultoribus non pendunt mercedem pro fructu, quia fructus non cultorum, seu operariorum; sed Domini vineæ est. At Deus, tametsi fructus Ecclesiæ jure strictissimo ejus sit fructus, reddit tamen præ-

B dicatoribus pro illo præmium, qua in re suam liberalitatem maximè commendat. Certè

LXX. Interpp. Septuaginta Interpretes hoc mysterium velut innuentes, sic habent, Vir feret in fructu suo mille argenteos, in fructu inquiunt suo, ἐν καρπῷ αὐτοῦ, hoc est, in fructu viri ipsius. Cernimus igitur apertè, Deum Doctores Ecclesiæ numerantem fructus potiùs laborum, quàm labores ipsorum externam quantitatem expendere. Quod Theologis compertissimum est, dum ajunt, præmium (quod à schola vocatur accidentale) pro fructus crescere mensura. Enimverò monasticæ vitæ institutores, ac Doctores sancti, quorum exemplo, ac doctrina plurimi post eorum obitum convertuntur, novos illius prænii accessus pro numero filiorum, quos exemplo doctrinaque procrearunt, accipiunt, sive paulò acriùs, sive non adeò acriter in eo genere laborarint; esto etiam, labor ipse major auctiore præmio muneretur. Nunc verò mille argentei quid innuant, exploranduni est. Profectò millenarii numeri laus, nota præmii cumulatissimi est. Sic enim vulgò dictitare solemus, mille nos beneficiis à quopiam amico affici, mille nos mala perpeti, mille pericula nobis impendere; ut in iis rebus singulis absolutum, & perfectum quiddam significemus. Et in hunc modum sponsus afferre dicitur pro fructu ejus, id est, ipsius sponsi, qui sua in Ecclesia dona sua munerat, mille argenteos, hoc est, cumulatum, & in eo genere perfectum præmium. Potest etiam non ineptè mille argenteorum numero, ut paulò pòst dicemus, id præmium, quod à Theologis essentiale nuncupatur, ob millenarii numeri cæterorum vim complectentis perfectionem intelligi, & hæc prima est interpretatio.

Præmium pro fructus mensura crescit.

Millenarii numeri laus.

C

II. Interpretatio.

D Secunda, viri nomine non eundem, qui pacificus appellatur, intelligit; sed quemvis è custodibus prudentem, ac sedulum, cui Deus vineam tanquam viro tradidit uxorem. Vulgatum enim est, eum, qui ad Ecclesiæ gubernationem accersitur, conjugium cum ea inire; ac proindè virum ejus constitui. Hic ergò vir bona Ecclesiæ vxoris suæ sedulò curat, ac velut in vinæ cultura laborans, dicitur afferre pro fructu ejus mille argenteos, quod sic accipiendum est: Fructus in unaquaque planta est id, quod ultimò provenit, quod perfectissimum est, & cujus gratia agricola omnem laborem exhaurit. Sic in Ecclesia id, quod ultimò provenit, E quod summè perfectum est, & cujus gratia Ecclesiæ cultores strenuè laborant, est gloria, cui fructus & nomen, & sensus elegantissimè quadrat. Enimverò Ecclesia vinea quædam est, quæ modò falce pœnitentiæ, laborisque sauciatur, & ut fructum gloriæ reddat, culturam acrem subit; ejus verò fructus erit in gloria; nam licèt hic patiatur, fructum tamen non promit in terra, sed in cœlis, sicut scriptum est; Momentaneum 2. Cor. 4. 17. hoc & leve tribulationis nostræ (dum vinea colitur) æternum gloriæ pondus (hoc est, fructum) operatur in cœlis. Illic ergò est fructus Ecclesiæ, cujus gratia labor culturæ omnis hauritur. Pro fructu igitur isto vir, F qui verè virilem gerit animum, prædicator nempe, ac Doctor sedulus, qui Ecclesiam velut uxorem duxit, affert mille argenteos, hoc est, universa dogmata, sive eloquia Domini, quæ imitantur argentum, purgatum, & examinatum. Millenario quippè perfecta multitudo signatur, argenteis verò eloquia scripturæ divina luce, & candore mote argenti lucentia, & sonum clarum velut argenteum edentia. Non dixit argentum, quasi massam argenteam emptioni non accommodatam, sed argenteos, scilicet nummos, quasi ad emptionem opportunos, quasi iis gloria ematur ipsa. Cùm igitur sponsus ait, de sua vinea, hoc est, Ecclesia loquens: Vir affert pro fructu ejus mille argenteos, idem agit, ac si diceret, prædicator, aut Doctor enunciat omnia scripturæ eloquia, quibus Ecclesia in fide, ac spe alitur, in prædicatione laborans pro gloria, qui est laborum, & prædicationis, sicut & universarum virtutum fructus uberrimus, ac suavissimus. Nunc G verò quia sponsus asseruit, se vineam suam custodibus tradidisse, ne quis suspicaretur illius cum ablegasse curam, ac si, ut quidam mentitus est, circa cœli cardines ambulet, nec nostra consideret, monet se non eo esse corde, ut vineam, quam condidit, oblivioni unquam tradat. Ideò ait:

Prædicatores, & Doctores Ecclesiæ designati.

℣. 12. Vinea mea coram me est.

PARAPHRASIS.

Nihilo segnior fio, quòd vineam excolendam tradiderim custodibus, ego enim præsentissimus sum usque ad consummationem seculi, ac si nemini eam commendassem. H

NON abjeci curam vineæ meæ, nec custodum sedulitas me ab ejus intuitu recedere facit. Sed præsens ipse sum, & omnes illius eventus intueor, ac si nulli eam vinitori commendassem. Docet ergò sponsus,

so

Scripta An. 1598.

se suæ vineæ, quæ est Ecclesia, semper inspectare progressum, hoc enim innuunt illa verba coram me. Rectè enim, quam ipse tulit, implet legem. De jure quippè divino est, ut nobiles Theologi tradunt, præsentia, seu quæ vulgò appellatur assistentia præsulum in

A iis Ecclesiis, seu vineis, quas colere debent, cum quibus spiritualis matrimonii fœdus pepigere. Si enim pastores sunt, & ex institutione divina pascere debent, cùm nemo nisi præsens propriè pascat, erit omninò constans, præsentiam non alio, quàm divino esse

Præsules, qui suas Ecclesias coram non habent, in magno salutis discrimine versantur.

jure necessariam. Quapropter præsules qui suas Ecclesias coram se non habent, in magno salutis discrimine versantur. Ut ergò hanc philosophiam, & œconomiam pastores Ecclesiæ discant, ipsaque inprimis sponsa, quam sponsus curat præceptis ad excolendam Ecclesiam opportunis imbuere, dicit: Vinea mea coram me est, ac si diceret: Animadverte sponsa, quam de vinea mea curam geram, nunquam enim ab ea oculos averto; ut discas, te nunquàm à commis-

B sa vinea sine crimine abesse posse. Enimverò ex Hebræo sic aliqui legunt: Vinea mea quæ mihi, ad facies meas, ubi verbis istis, ad facies meas, magna cum energia notatur sponsum, quasi una facie duos oculos habente, ut vineæ suæ prospiciat, non esse contentum, sed plures habere facies propter plures oculos in iis lucentes, ut quasi Argus quidam oculatus sit, universosque eos oculos ad sponsam intendat contuendam. Postquam autem sponsus dixit vineam, quam custodibus tradidit, esse coram se, diserteque asseruit, se virum ejus vineæ, custodibus ejus mille argenteos pro cultura rependere, sponsa se rem probè intellexisse declarans, concinit sponso, & ejus verba more discipulorum lectiones resumentium repetit, ajens.

Hebraicus Textus.

C

SPONSA.

Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

PARAPHRASIS.

Tu plus omnibus laborasti sponse, & sic tui ipsius pacifici nostri sunt ex jure tuo mille illi argentei præmium cumulatissimum significantes. Ducenti verò argentei sufficiunt Doctoribus pro præmio, eò quòd custodiant fructus Ecclesiæ. Ducenti inquam binario centeno nuptias cum Ecclesia notantes, quibus ex nuptiis Doctores præmium promerentur.

D Rectè intellexi (ô sponse,) quod ad me acuendam enunciasti, te videlicet Ecclesiæ virum, seu sponsum custodibus ejus millenos argenteos reddere. Hoc fatetur sponsa, quam decet sponsi verba callere. Nunc verò ad percipiendam verborum seriem, sic habendum est, ea verba. Mille tui pacifici non esse pluralis numeri, sed genitivi singularis, ut patet ex collatione facta ad Hebraicum textum, & Septuaginta Interpretum versionem, in quibus Salomonis nomen, pro quo pacifici nos habemus singulari numero legitur. Sic ergo intelli-

Hebr. & LXX. Interpp.

Salomon, id est, pacificus

genda sunt hæc verba: Mille tui pacifici, hoc est, mille argentei sunt tui ipsius Salomonis, vel pacifici. Porrò in Latinis Bibliis interdum legitur sic: Mille tui, pacifice, ita ut pacificè sic in vocandi casu, quæ lectio satis est apta fontibus, & ad sensum arcanum idonea, sed in Bibliis authoritate Pontificia nuper editis, & vulgatæ editionis titulo insignitis, ac emendatis, pacifici, legitur. Hæc de verborum concinnitate dicta sint, modò autem ad sensum enucleandum accedamus.

E

Mille (inquit sponsa) tui pacifici, & ducenti his; qui custodiunt fructus ejus. Animadvertendum hoc loco, mutari loquendi formam. Dixerat enim sponsus, de se ipso agens, virum afferre mille argenteos, quos videlicèt tradit custodibus. Sponsa verò urbanè & arcanè admodum sic ait, Immò mille argentei sunt tui ipsius pacifici nostri. Tibi enim debentur hi argentei mille, qui vineam plantasti, & aluisti, ducenti autem abundè sufficiunt his, qui custodiunt fructus ejus; quem sanè sensum satis indicat, quod ex Hebræo vertitur, Mille tibi Selomoh, & in eandem sententiam Septuaginta Interpretes sic legunt, Mille Salomoni, ac si dilucidè hunc numerum millenarium adscribant Salomoni nostro Jesu Christo, argenteos verò ducentos prædicatoribus, seu Doctoribus, qui custodiunt fructus, quos ille in Ecclesia protulit. Quæ quidem interpretatio divinæ Theologiæ oraculis satis consentanea est. Constat enim sponsum labore, ac morte sua sibi præmium, quod accidentale vocatur, cumulatissimum promeruisse, dum vineam Ecclesiæ propria quasi manu pangebat. Iisdem nimirum actibus quibus Ecclesiam condidit, & fructus prompsit uberes sibi accidentariam, & eam, quam vocamus essentialem, gloriam promeruit. Ejus verò gloria, quam promeruit, quia inter universas ejus generis auctissima est, millenario numero rectè notatur. Hi ergò sunt mille argentei Salomonis, seu pacifici. Ducenti verò argentei, qui redduntur prædicatoribus, & Doctoribus, qui aliis benè præsunt, videntur figuratè innuere id, quod Paulus ad Timotheum scripsit, Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Videtur nimirum præmiorum ordo serie numerorum expressus. Simplicibus enim justis centuplum, benè prælatione fungentibus bis centuplum, sponso verò millenarius numerus aptatur. Ratio verò, ob quam bis centeno numero præmium præpositorum innuitur, ex binarii proprietate eruenda est. Binarius quippè nuptias, seu conjugum conjunctionem, sicut unitas consortis ignaram virginitatem notat. Quia verò Prælati, ac Doctores spiritualibus nuptiis Ecclesiæ copulantur, quasi de castissimo complexu præmium

Animadversio.

F

Hebr. & LXX. Interpp.

Christi & ministrorum ejus pro Ecclesiæ labores explicati

G

1. Tim. 5.

H

Binarii numeri significatio.

sibi

Scripta An. 1598.

sibi comparant, ad hanc enim castitatem indicandam centenus ille binarius ex argento conflatus adducitur. Argentum autem insignem castimoniæ significationem candore, tinnitu, luce manifestat. Et hæc prima est interpretatio,

II. Interpretatio.

A Secunda verò interpretatio millenarii & centenarii duplicis numerum connectit, ac si dicat: Mille ac ducenti argentei sunt quidem tui ipsius nostri Salomonis, seu pacifici ac illorum Domini; sed tradis illos his, qui custodiunt fructus ejus, Sensus ergo iste Dominum præmii utroque numero signati dictat esse sponsum; at eo dominio constante, ait utrumque præmium fructuum vineæ custodibus respondere. Millenarium, cui præmium essentiale, ejus numeri perfectione exacta notatum respondet. Duplicem verò centenarium, seu centenum binarium, cui aureola Doctorum ex conjugio cum Ecclesia facto parta consentit. Hæc postquam sponsa effata est, quasi jam de mercede conventio sit facta, sponsus operi manum admovere jubet, & vineæ culturam auspicari, propterea sic ait:

B

SPONSUS.

℣. 13. Quæ habitas in hortis, Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.

PARAPHRASIS.

Sponsa, quæ in sacræ Scripturæ libris habitas velut in hortis amœnissimis, egredere ad prædicationem, nam velut in theatro quodam Angeli audiunt concionantem te. Ergo adsum, cupiens audire vocem tuam, vide à quibus audiaris, ut sapienter dicas.

C

VErba hæc sunt arcanorum sensuum fœcundissima juxta varias hortorum, & amicorum sensus. Si autem sponsæ progressio, & cantici hujus processus expendatur, accommodatissimus ille videtur sensus, qui hortorum nomine sacræ Scripturæ libros innuit. Enimverò Scripturam sacram ita Deus illius author condidit ac distinxit, ut in ea ejus paradisi, quem in origine mundi plantavit, imaginem expresserit. Si enim plantas, vel quæ fructum esui ferrent, vel quæ colorum, ac odorum varietate voluptatem conciliarent, contemplemur, nullam in eo genere in Scriptura sacra desiderari comperiemus. Omnes quippè sensus mirificè pascit suorum dogmatum mira varietate, ut facilè sibi persuadent, qui toto pectore illius sensibus navant operam, qui nullo alio externo solatio se fatentur indigere libros sanctos pervolventes. In his autem libris, tanquam in hortis amœnissimis versantur, quicumque animo semper sacra dogmata pertractant, ibi enim quis habitare dicitur, ubi

Hortorum nomine sacræ Scripturæ libri notantur.

D

ejus commoratur cor, multò sanè potiùs, quàm ubi corpus moratur. Cùm ergo sponsa sacræ Scripturæ intentissima hoc loco pingatur, jure dicitur in ejusdem Scripturæ hortis habitare, quasi eam habitationem paradiso simillimam elegerit, à qua non sit recessura. Nunc verò animadvertendum est, tam eximiam Scripturæ sacræ peritiam non tradi sponsæ, ut sibi dumtaxat meditando prosit, sed ut partem aliis justa distributione impendat. Propter quod cùm dixisset sponsus, Quæ habitas in hortis, adjunxit, Amici auscultant, ac si planiùs diceret, Animadvertere, te non tibi solùm natam, ac proinde quantumvis tibi hortorum Scripturæ commoratio placeat, ne ibi sola cuncteris, sed in publicum prodeas, ubi amici audituri præstolantur te. Ut autem horum verborum vim percipiamus, mundum istum, tanquam theatrum quoddam, ubi spectacula celebrantur cogitare debemus. Hic autem personarum varietas exploranda est, qualem in comœdiis non sine voluptate conspicimus. Quidam ibi audituri sedent, alii in scena silent, alii loquuntur, omniaque prudenti dispositione, harmoniaque consentiunt, sic profectò in spirituali theatro post Deum Angeli, qui hæc loco appellantur amici, natura quidem nobiliores, sed gratia pares, mutuaque charitatis amicitia nobis conjuncti, quasi sedentes pinguntur comœdiæ processum audituri; sic à Septuaginta Interpretibus amici attendentes, quasi comœdiæ spectatores appellantur, inter ipsas autem personas in scena agentes quædam silent, ac discunt, ut prædicatorum, Doctorumque discipuli, quædam loquuntur, ac docent, ut sponsa, ejusque similes Doctores, quos Deus præposuit familiæ suæ, qui assertore Paulo facti sunt spectaculum mundo, & amicis, hoc est, Angelis, & aliis hominibus. Sic ergo amici, seu Angeli auscultare intelligendi sunt, quod eò tendit, ut sponsa strenuè se gerat, sapienterque loquatur. Norunt enim concionatores universi, quàm sit efficax remedium, ut rectè loquantur, à sapientibus audiri. Est proculdubiò præsentissimum antidotum, sapientum consessus ad erigendum concionatoris animum, ad linguam expediendam, cæteraque functiones similes decenter obeundas. Verùm hîc sponsa dicere potuisset, se quidem ad rectè concionandum corona sapientum valdè commoveri; at in ea sapientum amicorum corona non esse sponsum, cujus præsentia potissimùm incenderetur. At hoc opus minimè fuit declarari. Constat enim sponsum inter amicos recensèri, unde & eo ipso, quòd amici auscultent, & ipse inter eos auscultare censendus est. Sed ne vel umbratilis absentiæ posset ratio prætexi, disertè addidit: Fac me audire vocem tuam, ac si apertè diceret, non absum ego, memento te coram me loqui; loquere sapienter, prædicationem auspicare, & sic fac me audire vocem tuam. Et hæc prima est interpretatio.

Animadversio.

E

Mundus iste, ut theatrum est, ubi spectacula celebrantur.

F

LXX. Interpp.

G

H

Secunda deducitur ex altero amicorum sen-

II. Interpretatio.

Scripta An. 1598.

sensu, in hunc modum: Porrò eorum, qui ad sponsum convertuntur, animæ quasi totidem plantæ in ipso seruntur, & multos efficiunt hortos pro variis, quæ unicuique indulgentur, donis. Alios cernimus tanquam violas, rosasve fragrantes, quos Deus voluptatibus permulcet; alios ultronea carnis

A afflictatione more arbusculæ myrrha rigentes; alios mentis elevatione thure notata suspensos; alios liliorum modo castitate candentes, & demum alios aliis plantis similimos, quos si spirituali acie contemplemur, varios pulchrè discretos hortos nobis cernere videbimur. In his sponsa habitare asseritur, ut custodiat eorum fructus, versatur enim inter eos cœtus animarum, quarum promotioni operam datura est, quibus hæc pulchra hortorum discretio pro donorum varietate mirificè quadrat. Hi autem horti non terrestres & vulgares, sed mentis compotes, & justitia germinantes, ex quo in sponso sati sunt, amici Dei ob divinæ charitatis communionem appellantur, qui auscultant, & audire gestiunt sponsæ conciones. Quia verò in iis ipsis sponsus latet, & quos actus illi obeunt, & ipse in illis

B obire dicitur, omnia enim opera nostra in nobis operatur, cùm potuisset dicere, Amici auscultant, fac illos audire vocem tuam, maluit significantiùs dicere, fac me audire vocem tuam, ut eo pacto ad munus injunctum sponsam efficaciùs permoveret. His sponsi votis sic sponsa respondet.

Horti rationales, & mentis compotes.

SPONSA.

℣. 14. Fuge dilecte mi.

PARAPHRASIS.

C *Recede sponse ab hoc genere consuetudinis, quo tibi soli vaco, ut, sicut jubes, aliis prodesse etiam possim.*

MIrum sanè responsum, & ab humana philosophia longè remotum. Amoris effectus, quem avidissimè affectat, unio est, & tamen sponsa, cùm ardentissimè amat, sponsum recedere monet. Auget autem non parum admirationem temporis observatio, nunc enim aliorum incubitura saluti, magis sponso eget, quàm si seorsum conquiesceret, & tamen sponsum impellit ad fugam. Verùm hic nodus est spirituali gladio scindendus. Meminisse nimirum oportet, in hoc capite dialogum quendam inter sponsos seorsum, velut in thalamo agentes, fuisse contextum, ubi necesse fuit, sponsam voluptate interna demulceri, quæ his cum Deo colloquiis est familiarissima. Animadvertens autem illa, se

D *Luc. 7.* non posse in ea voluptate, quasi Magdalenam ad sponsi pedes sedentem permanere, cùm ad prædicationem, Deo præcipiente, proditura sit, optat sibi evenire, quod sponsum velle cognovit. Enimverò sponsus, postquam eam ad legationem apostolicam destinavit, non vult illam cunctari, & solos Dei affectare complexus; satiùs enim est, ut in hoc genere anathema, hoc est, separata fiat à Deo pro fratribus suis, suavioribus post eam separationem amplexibus fruitura. Hæc sponsi voluntas est, quam cùm illa interna illustratione didicisset, in hæc verba prorumpit: Fuge dilecte mi, hoc est, Fac, quod decrevisti, & ab ista mea consuetudine, quæ mihi soli prodest, recede. Inest autem in verbo, Fuge, non parum energiæ. Non enim dixit stylo simpliciore, recede, aut dic mihi, vale, ut innueret mores amantium. Profectò qui vulgò inter se amant, nec in eo amore singulare quid patiuntur, sicut non admodum mutua colloquia, & complexus affectant, ita nec recessus, absentiamque formidant, aut ægrè ferunt. At qui inter se ardentissimè amant, sicut, si absint, mutuò se invisere & complecti vehementissimè cupiunt, ita si recedendum sit, ægerrimè ferunt. Quamobrem cùm alteruter amantium necessitate compulsus de recessu cogitat, ne alteri dolorem excitet, ac mœstitiam, non palàm proficiscitur, non more vulgari vale dicit, sed quasi fraudulenter se subducit ab alterius oculis, & eo fuco fugam arripit, ut cùm alter animadverterit, jam quasi rem transactam, seu præteritam, quæ minorem inferre sensum solet, fugam illam contempletur. Sic igitur sponsa loqui credenda est: Fuge dilecte mi, hoc est, ne mihi apertè vale dicas, ne à me vulgi more recedas, nec enim ferre potero, mira enim, te præsente, suavitate perfundor. Sed clam te subtrahe, furtim elabere, ut hac arte tuum discessum tolerare queam. Hæc sponsa. Nec tamen existimandum est, illam optare, ut sponsus omninò recedat; novit enim id nec expedire, nec licere, sed fugam suadet nostræ imbecillitati attemperatam, ut scilicet sponsus ita fugiat, ut oculos minimè averitat, & cùm periculum impendet, ad opem ferendam confestim accurrat. Propterea cùm sponsa dixisset: Fuge dilecte mi, non ibi quievit. sed apposuit, Et

Amantes mutuò se invisere cupiunt.

E

F

Sponsæ adlocutio.

G

Assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

PARAPHRASIS.

Dum fugis, & me non curare, sed dormire videris, esto ut caprea, quæ altero dormit oculo aperto, ut dum abes, illò respicias me, nec omninò à me, intuitum avertas. Cùm autem videris me anxiam, te fugiente, retorque caput tuum, quasi retrorsum aspiciens ad me, quam relinquis, sicut solet hinnulus fugiens retrorsum spectare, quos fugit per excelsos montes aromatibus consitos.

H

NOn omninò abscedere, sed te tuum recessum conditioni meæ cupio arte at-

Scripta An. 1598.

attemperare. Et quandoquidem tua consuetudine sum caritura propter te, fratresque meos, quorum causa anathemati devoveo, fac, obsecro, dum te mihi subtrahis, capreas cervosque æmuleris, & in te erga me illorum exprimas propietates. Ut autem hoc sponsæ desiderium calleamus, notandum est his verbis, Assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum, quasi periphrasi quadam idem sponsam petiisse, ac si precaretur in hunc modum, Ne quæso omninò recedas. Quod ut patefiat, sic habendum est, capream, quæ altero dormit oculo aperto, ut Chaldæus ait paraphrastes, & hinnulum, qui dum fugit, retrorsum aspicit sponsi mores, quos nunc sponsa cupit ostendere. Enimverò cùm sponsus fugere, & de sponsa minùs cogitare videtur, tunc si spirituali cernatur mentis acie, altero quasi oculo, ut caprea tantùm dormire comperietur. Cùm enim sponsam tradit vexationi, nec eam frequenter visitat, & ejus oblitus, quasi dormiens videri possit, tunc velut alterum tantum oculum obstruit: altero verò ad eam intuendam utitur, quod est idem, ac si plahiùs diceretur, nunquam adeò derelinquit suos in agone athletas, quin super eos vigilet. Jam autem, si ejus amorem expendamus, tametsi plerumque fugiat, hoc est, suam consuetudinem, quia sic expedit, neget, nunquam tamen se omninò nobis negare potest, sed imitatur hinnulum, qui cùm fugit, retrorsum aspicit, cùm montes arbusculis aromaticis consitos pervolat, caput retrorsum flectit, sic nimirum sponsus, dum quasi in cœlos, ac cœlites, qui montes aromaticos ob fragrantiam imitantur, se attollit, velut cum illis tantùm versaturus, nequit nostri oblivisci, sed in ea spirituali, & ad nostram experiendam fidem necessaria fuga caput retrorsum torquet, & nos, à quibus recesserat, incredibili dignatione, ac amore respectat. Sic ergo sponsa loqui credenda est: Dum te mihi subtrahis, ô sponse, ne obliviscaris mei, sed more capreæ, etiam dum dormire videris, vigil esto, & more hinnuli excelsos montes aromaticis plantis fragrantes pervolantis, & dum fugit, retrorsum aspicientis, dum te ab humano consortio in cœlitum consuetudinem, velut in aromaticorum montium vertices attollis, caput retorque in me, quam retrò relinquis, ne inteream prorsus destituta. Opportunè satis hanc huius carminis calci sponsa petitionem affixit, ut sponso hæc verba, quia ultima sunt, altiùs imprimantur. Hæc prima est interpretatio.

Animadversio.

Capreæ natura.

Paraphrasis Chaldaica.

Amor sponsi quo nos prosequitur.

Sponsæ adlocutio.

II. Interpretatio.

Secundam verò allaturi animadvertamus oportet, sponsam ad prædicationis functionem profecturam id inprimis conari debere, ut sponsi divinitas orbe toto resplendeat. Mittitur quippè non modò ad peccatores, qui à sponsi charitate degenerarunt, fide sine operibus retenta; verùm & ad fidei expertes, ut lucretur universos. Hi autem ex historiis, & traditionibus ad eos usque protensis, Jesu Christi nomen, & plura gesta didicerunt. Incredibile autem prorsus eis videtur hominem, cujus audiere mores, verum esse Deum, mundi Dominum, ac conditorem, ac proindè prædicatoribus multò vigilantissimè enitendum est, ut ethnicorum animos ad id credendum inducant. Et hoc est, quod sponsa petit, dum ait, Fuge dilecte mi. Fugere quippè captum nostrum dicimus, quod intelligendo consequi non valemus, ac proindè divinitatis mysterium fugere nos elegantissimè dicitur, cùm planissimum sit, omni captu nostro esse longè altiùs. Fide quidem id credimus; at ea ipsa fide, altiùs esse captu nostro, ac proindè nos fugere fatemur. Ait igitur sponsa, pro te, ô sponse, legatione salutis functura sum, ac te Deum verum esse prædicatura; precor ergo te, ut de te meo ministerio ethnici credant hoc, in quo illorum captum fugis, quod est, te Deum esse. Hoc igitur modo fuge dilecte mi. Quod autem sponsa subdit: Et assimilare capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum ad eandem sententiam perficiendam magnoperè conducit. Sicut enim hæc animalcula cursu perniciissima, & excelsorum montium cupidissima, quasi alis fulta in montium aromaticas arbores gignentium in oriente sitorum vertices saliunt, & ibi se in eas sylvas aromaticas addunt, ita sponsus, si ejus divinitatem contemplemur, nostris se subducit aspectibus, & cursu celerrimo, seu potius ocyssimo volatu super angelicas mentes, montibus aromatum, ob celsitudinem & puritatis fragrantiam notatas fertur, ibique se in earum quasi sylvam condit, hoc est, dum nobis se celat, illis se manifestat. Profectò super angelicas mentes ascendit immenso illis intervallo excelsior. Verùm & inter eas versari, & iis quasi ministris more regis stipari perhibetur. Sic ergo juxta hunc sensum sponsa effari putanda est: Fuge, attolle teipsum, dilecte mi, & iis, qui ignorant & errant, te Deum esse captum nostrum fugientem ostende, & in ea ostensione similis esto capreæ, & hinnulo cursu velocissimis, qui dum montes aromatum feraces pervadunt, in cacumina saliunt, & inter aromatum sylvas sese condunt. Sic tu, dum divinitate tua credentium captum fugis, cursu, seu potiùs volatu ocyssimo te illorum obtutibus velut eripe, & super angelicas mentes rapere, quæ dum tibi adsunt, tuamque divinitatem speculantur, eximia celsitudine, & puritatis, consortiique tui fragrantia excelsos montes aromata ferentes imitantur. Hanc tuiipsius cognitionem, per quam justitia in animas introducitur, iis, quibus ego consultura sum, infunde, ut tuis auspiciis freta, magnum hoc opus aggrediar, ac te mihi præsentissimo mihi benè sperare jubeam, & non sine fructu, quem cupis, hac mea legatione perfungar.

Multum extendum est Doctoribus ut Ethnicos convertant

Sponsi divinitas nostris se subducit aspectibus.

Hinnulus cursu velocissimus.

PERORATIO.

HÆc habui, clementissime Domine Iesu Christe, quæ ex sanctorum Patrum lectioine, ac observatione corrasa in ærarium

Ec-

Scripta An. 1598.

Ecclesiæ conferrem, ut pro mea tenuitate amoris erga nos tui divitias evulgarem, sperans fore, (quæ mihi satis ampla merces erit) ut lector quispiam ad te ardentiùs amandum acriùs incitetur. Vix enim putavi
A à me quippiam ad commune bonum fieri posse opportuniùs, quàm si amoris tui velut in tabula picta magnitudine & meam, & lectoris fortè cuiuspiam duritiem emollire conarer. Precor autem te Domine, ut me, licèt labiis pollutum, de amore tuo loqui ausum humanè recipias, & in sancta penetrare patiaris. Fac Domine humanissime, ne à thalamo arcear, dum alios introducere conor, sed divino amoris tui me incendio absume; ut nihil, nisi propter te amem, & hoc æstu flagrans, stadium vitæ hujus inoffenso pede percurram. B

Jesu Christo sponso, purissimæque Virgini Mariæ ejus matri sit laus sempiterna.

LAMENTATIONUM
JEREMIÆ
INTERPRETATIO
IN TRES PARAPHRASES DISTINCTA.

IN AURE FAMAEHONORES DISTINCTA.

INTEMPHYMENAEO

LEKEMIVE

FAMILIA TIONUM

IN INSEQUENS OPUS PRÆMONITIO.

Pauca hîc nobis præfanda. Vulgò enim apud Noſtrates conſtat, hanc in Jeremiæ Threnos lucubrationem commentatum fuiſſe Ven. Scriptorem anno 1607. *quùm alterius Definitoris Generalis, ut ajunt, munere, ex primis Generalibus Comitiis anno* 1605. *Romæ habitis, fungebatur, licet fractis propemodum corporis viribus, ac multiplicis ægritudinis implacabili concurſione proſtratum, ceu ad animum a moleſtia recreandum, reficiendumque; quæ candidi, ac feraciſſimi ejus ingenii non modica laus eſt. Nam etſi non niſi ad initium ſequentis anni* 1608. *Opus primò parierit, typis Neapolitanis Tarquinii Longi, volumine ſingulari in* 8.° *nihilominus cùm fide Noſtrorum, præſertim Iſidori a S. Joſeph in ejus* Vita, *cap.* 16. *& Martialis a S. Jo. Baptiſta in* Bibliotheca, *tùm verò inprimis ex Regeſto Facultatis Ordinis eidem editioni præfixæ conſtat, illud jam ab Idibus Novembris prælaudati anni* 1607. *abſolutum, probatumque a domeſticis Theologis fuiſſe. Quæ quidem facultas, ne quid præteritarum editionum huic noſtræ deſideretur, hîc ſubiiciemus, unà cum externi Theologi Cenſura. Triennio poſt iterum hæc Opera Coloniæ recuſa eſt, ſub eadem voluminis forma, qua prior editio, ſcilicet anno* 1611 *neſcio, an deinceps etiam alibi. Annus igitur conſuetæ ſcriptionis Chronologiæ præfigendus is erit, quem diximus* 1607.

FACULTAS ORDINIS PRIMÆ OPERIS EDITIONI PRÆMISSÆ.

„ FR. Ferdinandus a S. Maria Præpoſitus Generalis Congregationis S. Eliæ Carmelitarum Diſcalceatorum
„ hanc Interpretationem Lamentationum Jeremiæ, a R. P. F. Joanne a Jeſu Maria compoſitam, & a
„ nonnullis Theologis noſtris, & externis perluſtratam, & approbatam, probo, ut de conſenſu Superiorum
„ typis mandari poſſit. Dat. Neapoli Idibus Novembris 1607.

Fr. Ferd. a Sancta Maria
Præpoſitus Generalis.

Loco † Sigilli

CENSURA THEOLOGI DEPUTATI.

„ INterpretatio hæc Lamentationum Jeremiæ, in tres paraphraſes diſcreta doctiſſimi Theologi Fr. Joannis a
„ Jeſu Maria, non ſolum concionatoribus, & ſacrarum Litterarum Studioſis, ſed æquè veræ pie-
„ tatis cultoribus, magno uſui eſt futura. In ea enim nihil omnino deſideratur ad earumdem Lamen-
„ tationum verum, germanumque intellectum mira tum brevitate, tum perſpicua facilitate, quod paucorum
„ eſt hæc laus, ab eloquentiſſimo auctore conſcripta, qui verbis ſelectis, & oratione ad mores emendandos,
„ & ad pietatem in animis hominum excitandam maximè aculeata utitur ubique. Itaque expedire judico
„ eam primo quoque tempore typis mandari, & in publicum prodire, ut per manus omnium magna cum
„ utilitate circumferatur. Neapoli die 22. Novembris 1607.

Rutilius Gallacinus Canonicus Dep. vidit.
Regiſt. fol. 19.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINICO

EPISCOPO OSTIENSI

CARDINALI PINELLO.

FR. JOANNES A JESU MARIA CARMELITA DISCALCEATUS SAL.

EX quo cœpi scripta nonnulla prælo subdere, Cardinalis Illustrissime, te semper eum existimavi, cui multis nominibus partus primogenitus deberetur. Dignitas enim facilè augusta, qua inter purpuratos insigniter splendes, & Congregationis nostræ laudatissima protectio, aliaque permulta, quæ neque in Epistolæ angustia percensere valeo, neque si valerem, modestissimi Principis animus boni consuleret, id à me officium in primis exigebant. Verùm amplitudo sanè tua me remorata est, si fortè cunctando graviora molirer, quæ non prorsus indignè Protectori tanto nuncuparem. At (quod mortalibus grandia tentantibus passim evenire solet) Imago rei fæliciter gerendæ mihi benè speranti imposuit; subierunt enim multiplices morbi, qui me nondum senem tanquam festinata senectute fregerunt, ne possem, quod meditabar, explere. Quocirca opus hoc votis impar, scriptione maturata, observantiæ, & gratitudinis officio, tibi Cardinalis Illustrissime offerre cogor; ut antequam ex hac vita migrem, affectum erga te meum minimè vulgarem hoc indice prodam. Threnos, lachrymasque pondus verborum habentes, quas Jeremiæ non modò urbis sanctæ clades, verùm Ecclesiæ quoque, & animæ DEO invisæ mala ubertim expressérunt, Interpretor: atque ita non historiam solummodò Babylonicæ feritatis, & Judaicæ servitutis, sed plurima etiam orbis Christiani monstra paraphrasi ternâ perstringo: ut imago excidii Jerosolymitani, quo Chaldæi urbem celeberrimam olim à DEO in delitiis habitam spolio, eversione, incendio, cæde vastarunt, ad ætatem nostram vastitatis illius temp stati non absimilem arcano sensu traducatur. Modò quippè templa à sectariis expilari, exaugurari, incendi, modò Ecclesiæ mœnia partim dirui, magnamque populi Christiani partem, enormium scelerum furore correptam, in tartaream captivitatem Chaldaica pejorem abduci, aliaque prodigia fletu perenni digna non absque mœrore conspicimus: quæ mente repetita, alteque pertractata pios animos ad evergendos lachrymarum rivos, Deumque prece, ac sacrificio propitiandum, spectaculo doloris pleno, perurgent. Virtus neglecta jacet: vitæ licentia vires acquirit: contagia peccatorum serpunt: ætas planè calamitosa est: quæ ab scriptoribus eos potissimum labores videtur expetere, qui audaciam reprimant, viamque flagitiis intercludant: atque ideò fortasse proderit labor hic meus, ut scelesti aliquot homines, quos Dei amor haudquaquam flectit, timor conceptus è severissima Dei ultione, quàm Jeremias velut egregius pictor vivis coloribus exprimit, à vitæ turpitudine coerceat. Et hic sanè scopus est scripti, quod sub auspiciis tuis, Illustrissime Cardinalis, evulgare decrevi. Munus profectò exiguum est: at Principi non publica Ecclesiæ tantùm, sed & privata quorumvis hominum damna, eximiæ charitatis sensu, exemploque lugere assueto apprimè congruere videtur. Brevi nimirum explanatione, quæ mentem à gravissimis negotiis minimè divertat; tragœdias multas tibi ob oculos statuet: quarum vel modica expensio animo per se ad pietatem satis incitato, acerrimum calcar adstringat. Humanitatem ergo tuam, Illustrissime Cardinalis, exerce: opusque tibi dicatum non tam scriptoris merito, quàm immensa voluntate metire. Et (quod summis votis expetendum est) ad Ecclesiæ bonum, quod prudentia, & integritate tua, summis Pontificibus, Orbique universo acceptissima mirificè promovetur, diutissimè vale.

AU-

AUCTORIS PRÆFATIO.

NEminem profectò latere potest, inter eas scripturæ sacræ partes, quæ frequentiùs ab Ecclesia recoluntur, Lamentationes Jeremiæ recensèri: quæ sermone tragico grande peccati malum plurimis translationibus ab ultione divina petitis adumbrant. Etsi enim sensu historico cladem Jerosolymitanam à Chaldæis illatam Prophera lugeat; origo tamen vastitatis, & luctus ab enormibus flagitiis, quibus Hebræi Clementissimum Deum irritarunt, repetenda est: quod & de sensu allegorico ad Ecclesiam, & de tropologico ad animam spectante, discrimine temporum, ac rerum observato, æquè censemus. Sublata enim culpa, nihil in Orbe universo lachrymis dignum extat: uni culpæ luctus omnis jure debetur. Lector ergo, quidquid in hoc opere legat, si rerum sensum assequi cupit, à crimine, quo Deus provocatur, oculos minimè divertat. Sensum certè Sanctissimi Vatis non æquabit; at non incassum aget, si ad ultionis Divinæ magnitudinem, peccatique gravitatem, ac turpitudinem dignoscendam labore hoc nostro uti voluerit, opusque totum perlustraverit. Horror quippè culpæ, ac divinæ indignationis timor immensum emolumentum pariunt; animumque, ne mundi prata licenter oberret, in casto pietatis officio continent. Verùm quia non omnibus, viris præsertim gravibus, negotiorum mole propemodum oppressis vacat, vel exigua volumina percurrere; Interpretationem nostram in tres paraphrases brevissimas discrevimus: ut unam saltem è tribus, habito sensus, quem malint, delectu, absque ulla fastidii suspicione perpendant. Res nimirum universis ferè Christianis, officii divini, quod hebdomada sancta passim lectitant, sensum percipere cupientibus in votis est, ut fructum ex annua lectione, ac meditatione reportent. Si cui verò tantillum immorari, & sensum moralem, qui est omnium saluberrimus, altiùs pensitare placuerit; habet Tropologiæ expensionem minimè prolixam, quæ tertiæ paraphrasis amplificatio est. Quicquid autem moliti sumus, Deo primùm glorioſum, mox proximis, utile vehementer optamus: Et omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio subiicimus.

CANONES
AD LAMENTATIONUM INTELLECTUM.

HEbraici alphabeti litteræ versibus præfixæ nihil aliud innuunt, quàm ab earum singulis prima singulorum versuum verba Hebraica cœpisse: quapropter licet Latinæ editionis versibus præponantur, nihil proindè novi mysterii exquirendum est; quamvis non desint auctores, qui sub litterarum significato piè arcanum quippiam excogitent.

2. Præfatiuncula illa, quæ lamentationibus prætexitur in hæc verba (& factum est, postquàm in captivitatem redactus est Israel, & Jerusalem deserta est, sedit Jeremias Propheta flens, &c. (Apocrypha videtur: nam neque est in Hebræis codicibus, nec ab expositoribus attingitur. Incertum est etiam, an Jeremias post excidium Jerosolymitanum, an verò priùs cladem propheticè conspicatus, hoc carmen lugubre condiderit.

3. Nomen funesti carminis Hebraicè קינות *Cinoth* Græcè θρῆνοι, Latinè *Lamentationes*: hoc est non quilibet luctus, sed luctus vehementes clamoribus, ac signis externis exaggerati. Nomine verò Lamentationis totius libri sensum complectimur, totus enim ferè liber nihil aliud, quàm lamentatio multiplex, ac multifariam repetita est. Non sic libri alii, qui à parte nomina sortiuntur; ut Genesis, Exodus, in quibus non semper de rerum creatione, & exitu Israëlis agitur: verùm à principio tractationis denominantur.

4. Lamentatio Rhetorum serie minimè procurrit: impetum quippè potiùs, quàm artis methodum exposcit, quod cuivis affectui, sive amoris, sive gaudii, sive mœroris commune est. Non enim affectus impotens dicendi ordinem observat, sed prout motus dissultant, nunc hoc, nunc illud usurpat. Modò quæ conjuncta sunt, separat, modò separata conjungit: quod magnitudni affectuum exprimendæ congruit.

5. Crebrò sensum eundem sententiis repetitis, vel parùm immutatis Propheta producit; quod omnibus graviter afflictis familiarissimum est, quasi nequeant ab eo, quod cruciat, cogitationem avertere.

6. Personas interdum varias introducit, nunc ipse Propheta loquitur, nunc hostes, aut gentem captam loquentem inducit: quæ certè varietas omnis tragica est, & rerum tristium pondus exaggerat.

7. Verba nonnulla intertexit, quæ gentis afflictæ vexatione resipiscentis pœnitentiam indicant: posteaque anteactum cladis luctum, velut ex integro resumit. Quod ad penitissimum dolorem per intervalla recrudescentem eleganter significandum pertinet.

8. Nonnulli versus planè morales sunt, quales ii, quibus ad quærendum, placandumque Deum hortatur: ubi necesse non erat tres paraphrases distinguere. At cùm ex accommodatione quadam non prorsus inepta aliquid discretè dici posset, maluimus loca explere, ne lectori inanitas illa injucunda contingeret.

9. Repræsentat nonnunquam Propheta motus varios timoris, desperationis, aut ejusmodi alios, quos Civibus Jerusalem subiisse credendum est. Cùm tamen plus, minusve pietatis in iis motibus inesse possit, animadvertendum est, non omnes Cives æquè affectos fuisse, ut æquè patienter, aut impatienter Chaldaicam sævitiam ferrent; ac proindè non omnes Vatis Sancti sententias singulis hominibus congruere.

10. Hebraica lectione sæpè, sed frequentiùs Septuaginta Interpretum versione, in expensione sensus Tropologici usi sumus, ad Prophetæ sensum pensitandum, & lectoris animum ad pietatem breviter instruendum. Et quamvis sensum tantummodo Tropologicum expendere decreverimus; nonnihil interdum ad litteralem verborum connexionem, quam in quovis sensu percipere opus est, annotavimus.

11. E tribus paraphrasibus textui subjectis prima, sensu historico, sive litterali, ea quæ in Jerosolymæ vastitate acta sunt, complectitur. Secunda, sensu allegorico, quæ ad similitudinem Jerosolymitanæ cladis Ecclesiæ contigere, demonstrat. Tertia, sensu Tropologico sive morali, quæ anima similiter accidunt, ostentat. Expensio Tropologiæ, sive sensus moralis, idem argumentum, quod tertia paraphrasis continet, fusiùs pertractat.

12. Ratio, ob quam hebdomada sancta, dum Christi funus celebratur, lamentationes Jeremiæ repetuntur, à proportione funesti Carminis petenda est. Quemadmodum enim Jeremias Jerusalem per Chaldæos ob gravissima scelera vastatam deflevit, ita Ecclesia destructam per Romanos eandem Urbem sanctam, ob atrocissimum flagitium, quod in Christi morte perpetravit, luget. Eaque de causa illam tenerrimè appellat & resipiscentiæ admonet, ajens: Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

13. Verùm Ecclesia, licèt vastitatem Jerosolymæ commemoret, ac defleat, non ibi fletum circumscribit; sed Jesu Christi sponsi sui mortem potissimùm lachrymis prosequitur,

ut ei quotannis justa persolvat. Cui sanè officio carmen hoc lugubre appositissimum est, cùm in sensu litterali, sub finem capitis quarti, de Redemptore nostro, tanquam de luctus sui causa Jeremias vaticinetur in hæc verba; Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Quibus certè verbis Propheta Jesu Christi capturam disertè prædixit, & altiore sensu, quàm Regum Judæ in Babyloniam abductorum captivitatem lamentatus est.

14. Neque verò Ecclesia hîc consistit, sed penitissimo sensu illatæ Christo necis causam, hoc est, culpam repræsentat, quæ universos Ecclesiæ filios, utpote culpæ reos, complectitur: cupitque, ut horrenda mala Jeremiæ Lamentationibus descripta, quibus alia non absimilia populus Christianus perpetitur, contemplentur, suisque peccatis ad pœnitudinem concipiendam ascribant.

15. Deniquè Ecclesiæ animus est, ut dùm Christianus quisque lamenta hæc decretis diebus recurrentibus legit, sensum devastatæ Jerosolymæ ad animam propriam traducat, ponderetque malorum magnitudinem, desolationem, solitudinem, aliasque multiplices calamitates, quas ob crimen incurrit; & præsentissimum Christi pretiosissimum sanguinem è cruce fundentis remedium exquirat.

LA-

LAMENTATIONUM JEREMIÆ

INTERPRETATIO,

IN TRES PARAPHRASES, HISTORICAM SCILICET, ALLEGORICAM ET TROPOLOGICAM DISCRETA, CUI SUBIICITUR TROPOLOGICI SENSUS EXPENSIO.

CAPUT PRIMUM.

Scripta An. 1607.

ALEPH.

℣. 1. Quomodo ſedet ſola Civitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina gentium; Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo?

A

HISTORICE.

Miror vehementer, quomodo Jeruſalem paulò antè innumero plena populo, nunc præ vaſtitate penè ſola, faſtigiis ædificiorum everſis, (ac ſi præ laſſitudine conſiſtere minimè valeat) funeſtè jaceat? Quomodo, quæ quondam Ethnicis imperabat, Deo tutelari, ac rege ſuo tanquam vidua conjuge orbata mœreat? Quomodo pro anteacto provinciarum Dominatu Chaldæis, aliiſque perduellibus tributum invita pendat?

B

ALLEGORICE.

In admirationem extollor, quî fieri poſſit, ut Eccleſia toto ferè orbe antè propagata, nunc in anguſtias, præ Catholicorum paucitate compreſſa reſideat? Quî, quæ gentibus plurimis præerat, Sponſo ejus Chriſto velut abſiſtente, tanquam vidua vexationi permiſſa langueat? Quî ea, cui provinciæ non modò Europeæ, ſed Aſianæ, & Africanæ vectigales erant, acrium pœnarum illis tributa reddat?

TROPOLOGICE.

Obſtupeſco, dum contemplor, quo pacto anima olim Deo præſente, ſanctis tutelaribus, & Angelis cincta, & agmine virtutum lectiſſimo inſtructa, modò in culpam prolapſa in extrema ſolitudine decumbat? Mirum eſt, quomodo quæ ſenſibus propriis, totique ſæculo Chriſti Sponſi viribus armata dominabatur, diſſoluto connubio, velut infœlix vidua conjugali ſolatio careat: & ut fœderis, ac thori violatrix, pro principatu ſenſuum, ac ſæculi, & corpori proprio, & mundi vanitati ſubſerviat? C

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NIhil mœſtiùs ſolitudine: animus quippè hominis, qui ſuo quidem ingenio ſocietatis eſt cupidiſſimus, nihil boni ſine conſortio captat. Quod uſque adeò verum eſt, ut nemo mentis compos, quantumvis ferus ſit, qui conſortia non curet: non pyratæ, non ſanguinarii, non ex- D

Homo, animal ſociale.

Scripta An. 1607.

exleges, non dæmones, qui ad prædas suas, & qualemcumque imaginem solatii, consortibus egent. Animi tamen benè instituti nihil solitudine pejùs horrent: nam & ipsi Anachoreticæ vitæ sectatores, tantum abest, ut μισάνθρωποι, hoc est, hominum osores

A sint (quod hæretici hujus ætatis obtrectat) ut cum ad Eremos secedunt, nihil nisi Dei, ac perfectissimi hominis Christi humanissimam societatem affectent. Angeli verò actibus hierarchicis ultrò, citroque reciprocis dulcissimam sodalitatem celebrant: & ipse Deus suavissima trium personarum societate gaudet: ut qui nobiliores creaturas, ipsumque conditorem contemplatur, nihil ibi nisi societatem quandam harmonicè consentientem deprehendat. Quapropter extremæ infœlicitatis genus est, societate carere, statusque ab humana conditione longè remotus, eoque erumnosior, quò societas amissa fœlicior extitit. Cùm ergò anima Divinæ naturæ antè consors, culpæ divortio Christi absentiam, & proindè solitudinem extremam commeruerit, porrò miserrima est. Sic

B sola non modò sedet, verùm & jacet, quasi cadaver anima destitutum. Quod enim anima corpori, hoc Deus animæ præstat, motum, inspirationem, ac vitam: quæ omnia, Deo absistente, extinguuntur. Unde funestissima existit solitudo, qualem corpus exanime, seu cadaver, postquam efflavit animam, pati videtur. Profectò enim, si quis in cadavere sensus anima exhalata remaneret, nulla præsentis calamitatis imago aptior excogitari valeret. Quam verè cadaver solum appellari posset? quàm anxiè proprias solitudinis ærumnas residuo illo sensu defleret? Vita nempè, vigor, decor, ac lætitia omnis evanuisset. In hunc ergò modum anima, post Christi discessum, remansisse credenda est. Vita illa, quæ foret immortalis, vis illa planè divina, quæ mentem ciebat, decorum illud actionum cœle-

C stium, & fons lætitiæ largè fluentis, acri ultione interceptus est: Abscessit Christus, & sol meridie occidit: quocirca, quemadmodum incumbente nocte hominum commercia, singulis in proprias ædes secedentibus, dissolvuntur: sic ingruentibus culpæ tenebris, Christo, Angelis, sanctisque se subducentibus, societas animæ adversa sorte dirimitur. Rege videlicet excedente, populus quoque discedit. Habuerat anima Deo fœderata populum certè numerosum. Angelos nimirum, & sanctos sibi devinctos, quod gratiæ divinæ status, & stricta cum vivis Ecclesiæ triumphantis, ac militantis membris connexio præstabat, ut ex oraculo illo patet: *Particeps ego sum omnium timentium te*. Omnes in animæ præsidium, ac solatium conspirabant: verum omnes illos tetra culpæ facies intolerabili deformitate fugavit, & solitudinem luctuosissimam invexit; ut meritò vates sanctus absque præfatione ulla in doloris argumentum, in hæc prima verba pectore turgente proruperit: *Quomodo sedet sola Civitas plena populo?* Emphasim habet modus hic non scisitandi, sed admirandi, quasi luculentiùs per hæc verba redderetur: Ergone à statu illo, qui præsentissimi Dei firmamento nitebatur, quem firma fides, invicta spes, charitas excelsa construxerant, quem Dei castra fidissima custodia ad perennem firmitatem ambiebant, excidere potuit? Emphasis in intellectu plurium, & graviorum, quàm exprimuntur, inest. Sedere asseritur anima, hoc est, languere: quasi puella quædam ingenua, (quæ postmodum Virgo filia Juda à Propheta nuncupabitur) quæ flore virginitatis amisso, in loco publico, ludibrio habita, & præ mœstitia deliquium virium passa consistere nequeat, & sedere, seu jacere cogatur. Septuaginta Interpretes in præterito vertunt: *Quomodo sedit*, Πῶς ἐκάθισε. Qua temporis observatione non tam sedentem, quam cadentem contemplati videntur. Casus enim, sive lapsus statui divinæ gratiæ contiguus, peculiari quadam expensione dignus est: mutatio nempè illa horrorem incutit, qui calamitatis consuetudine, quam notat sessio, lentescit. At quàm sit enormis hic animæ lapsus, quantoque mœrore lugendus, subjecta verba demonstrant: *Facta est quasi vidua domina gentium*. Nihil sanè sublimiùs, opulentiùs, & voluptuosiùs, quam summo Deo animam fuisse fide conjugali desponsam: & tamen gloria hæc omnis culpæ turpitudine, ac obscuritate restincta est. Habuerat in uno Christo, sponso quam dulcissimo, quicquid ad jucunditatem, ornatum, & solatium expetere valeret: fide tamen violata, ærumnosam viduarum sortem incurrit. Nimis vulgatum est, viduas, amissa conjugum tutela, derelictione, litibus, insectationibusque vexari: nam quicquid adversitatis ingruat, si viri superstites sint, æquo animo ferunt. Quod ita existimari debere sensit Elcana, qui Annam ob sterilitatem, & Phenennæ exprobrationes flentem, sic bono animo esse debere monuit: *Anna cur fles? Numquid non melior tibi sum, quam decem filii?* Visum est quippè homini cordato, uxori, cui ipse minimè deerat, nihil boni deesse potuisse, orbitatemque ipsam (supremum illius ætatis improperium) æquanimiter ferendam esse. Quid ergo de anima sponsum amantissimum Christum sortita dicemus? Profectò melior illi est unus Christus, tametsi universis mundi calamitatibus in eo fœlici matrimonio afflictetur, quàm si bonis omnibus, quæ mundus admiratur, repudiata circumfluat. Quod cùm à nemine in dubium revocari possit, facile conjectare licet, quam sit infœlix viduitas animæ, quæ tam propitium, liberalem, ac suavem sponsum amisit. Conjugii pactum rescissum est, nullam secum dotem, ut viro tanto nuberet, anima tulit, & in extremam proindè inopiam, in qua jacuerat, relabitur. Adimitur casti thori voluptas, via cælestibus gaudiis intercluſa: & principatus ille, quo, tanquam Regis æterni sponsa pollebat, sublatus est, quod verba illa significant: *Domina gentium*.

Societate carere infœlicitas.

Angeli, & Deus dulcissima societate gaudent.

Similitudo ex cadavere.

Alia.

Psalm. 118. 63.

LXX. *Interpp.*

Animadversio.

Viduæ multis vexatæ.

1. *Reg.* 1. 8.

Animæ viduitas deplorabilis.

Sa-

Scripta An. 1607.

Sanè cùm Dei conjugio frueretur gentibus, ac provinciis, mundo scilicet toti imperabat: etsi enim loco humili, ob culpam origine contractam nata fuisset divina tamen dignatione in regnum evecta, & gratiæ divinæ imperio bonis omnibus prælata fuerat; ut ejus regnum connubii cælestis lege in universa mundi bona pateret, in quæ Dei principatus natura protenditur. At culpa jus imperii sustulit, & animam regia dignitate sublimem in servitutem miserrimam, deturbavit: quod proximis verbis apertiùs ostenditur: *Princeps Provinciarum facta est sub tributo*. Etenim cum Dei libertate potiretur, à mundi sectatoribus tributa multa exigebat, admirationem, laudem, obsequium. Ipsi quippè mundi cultores divinarum virtutum majestatem admirati, laudum, & honoris officia deferebant. Exploratum est enim hominem mundi contemptu grandem à summis quoque Orbis terrarum principibus coli, quod & antiqua, & recentia exempla pervincunt. In supremis quippè rerum periculis, ubi regum vires, consiliaque deficiunt, ad veros Dei amicos in antris latentes, pro aris, focisque recurritur: ut quotidiano experimento pateat virtutis regno, regna universa concedere. Sic Totila Benedicto, sic Constantinus Magnus Antonio cessit: ut Theodosium Ambrosio, Gulielmum Bernardo, aliosque plurimos principes virtutis regno parentes prætereamus. Hic est principatus provinciarum, seu regnorum, quibus anima, cùm foret regina, præfuit. Verùm fors adversa obstitit, & jam virtutum splendore per culpæ eclipsim extincto, anima graviora quam dici possit, tributa rependit: appetitui efferato servit, ferreoque mundi imperio succumbit. Unum Christi jugum, ac mite tributum detrectavit, & quinque immensi ponderis tributa reddere cogitur: quod Jeremias alto sensu lamentatur.

A

B

Virtuti omnia cedunt Exempla.

C

BETH.

℣. Plorans ploravit in nocte, & lachrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.

HISTORICE.

Lachrymarum vim effudit Jerusalem, cum atra expugnationis Chaldaicæ nocte obscuraretur; nec fuit ex omnibus ei fœderatis, qui desolatum solaretur. Omnes Ægyptii, ac Syri ejus olim fautores, eam aspernati sunt, & hostes capitales evaserunt.

D

ALLEGORICE.

Post extinctum primævæ sanctitatis splendorem, subeunte gravium peccatorum nocte, funestè luxit Ecclesia: cujus lachrymæ à sanctis doctoribus (qui maxillæ, hoc est, formandi sermonis instrumenta sunt) diu effluxerunt. Jam verò nemo est ex iis, à quibus amatur, qui immenso floris amissi malo, satis eam soletur. Ejus quippè olim amici multis in regnis à Christianis castris deficientes illuserunt ei, & odium immane jurarunt.

E

TROPOLOGICE.

Anima, quæ serenum divinæ gratiæ diem cum peccati nocte commutavit, ipsa peccati servitute vexata largè flevit, nec à quo lachrymæ faciem perfluentes abstergerentur, invenit. Jam quippè neque Deus, neque Angeli, neque Sancti, qui omnes ei charitatis fœdere fuerant sociati, solatia vera suggerunt. Quin potiùs severè illam contempserunt & hostiles animos gerere decreverunt.

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

CHristus verissimus, ac splendidissimus sol si adsit, diem, si absit, noctem efficit: quod ex corporati solis quotidiani anfractibus, ac reditibus, appositâ similitudine, liquet. Postquàm ergo anima præsentiæ, ac indulgentiæ Christi assueta cæpit animadvertere, in quantam è fastigio illo profunditatem corruerit, in terra absentiæ nocte vim lachrymarum ingentem effudit. Familiare quippè est iis qui Dei suavitatem prælibarunt, & à lauta ejus mensa ad siliquas mundi depulsi sunt, ipso experimento, & rerum comparatione præsentem calamitatem oculatè dignoscere, & anteactam prosperitatem cum fletu meminisse: quod illa sanè dulcissima filii prodigi parabola velut imago graphicè picta, demonstrat. Hunc ergò sensum verba illa produnt. *Plorans ploravit in nocte.* Repetitio verò illa, *Plorans ploravit*, Hebræis familiaris, fletus ubertatem significat: neque enim immensi boni hoc est, Christi jactura exiguo fletu, sed copioso imbre, aut potiùs lachrymarum Oceano lugeri debuit. Verba tamen illa, *in nocte*, quæ divini solis absentiam notant, animam cogitationibus mœstissimis intentam, solam, silentem, ac languentem repræsentant. Omnia quippè hæc noctis imago, si perfectè pingatur, exquirit, ut coniici potest ex asserto illius, qui dixit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Culpæ videlicet conscientia somnum arcebat, & tristibus spectris animam sollicitam, languidamque vexabat, fletumque perennem sensu doloris exprimebat. Cui admodùm simile est, quod Jeremias attexit; *Et lachrymæ ejus in maxillis ejus*: Quasi ob diuturnum fletum facies lachrymis semper conspersa, sive perfusa appareret. Etenim Christi injuria, & inde orta absentia non semel, ac

Luc. 15; G

Psalm. 6. v. 6.

H

Scripta An. 1598.

breviter, sed creberrimè, ac diutissimè deflenda est: quod Petrus flendi peritissimus post indultam quoque brevis erati veniam vitæ totius luctu ad exemplum ostendit. Jam verò præter mali ipsius magnitudinem subest idonea ratio lachrymarum, quia *non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus*. Nihil enim ad mœstitiam elevandam efficaciùs, quam fideles amici, qui, si valeant, lachrymas extergunt, quia mala depellunt, sin minùs, præsentia, & consilio extenuant. E contrario verò immensum doloris incrementum solitudo, ac derelictio parit. Nunc autem quis dignè possit expendere, Christus, ejusque cives quàm sint fideles amici, quantumque tristitiæ pondus ex eorum renutibus incubat? Porrò evenire solet (quod certis ætatis hujus historiis novimus) ex solo uno, vel altero gravi, aut severo principis alicujus responso, viros alias fortes, non modò ægrotare, verùm interire. Eaque interdum Principum gratia fuit, ut nonnullos ejusmodi homines ex acri responso, aut repulsa decumbentes comi dumtaxat aspectu, propitiove sermone persanaverint. Quod cum ita se habeat, quid opinemur de anima, quàm omnes amici, inter quos supremus rerum Dominus, ac princeps Christus recensetur, non modò non solantur, sed asperrimo despectu reiiciunt: *Omnes amici ejus spreverunt eam & facti sunt ei inimici*. Profectò ab ejusmodi amicis derelinqui grave, irrideri gravissimum malum est: quod animæ infidæ, Adæ culpam imitatæ, meritò irrogatur. Etenim humani generis parens inter multiplicia mala, quæ peccando incurrit, à Deo quem lacessiverat, irrisus est per illa trium divinarum personarum verba: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum:* Tanquam dicerent: Divinam scientiam peccando quæsivit, & res ex voto succesit: quod per antiphrasin accipiendum est. Sic planè spernitur à Deo anima sui parentis imitatrix, quæ boni aliquid extra Deum pervestigare contendit. Subest altera satis opportuna interpretatio verborum illorum: *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: Omnes amici ejus spreverunt eam*, vel ut ex Hebræo vertitur, *prævaricati sunt in eam*. Charos quippè & amicos appellat juxta hunc sensum Jeremias, quos anima peccando exquisivit; qui prævaricati dicuntur, quia fœdus initum violarunt: ac proindè ab eis non solatium, sed irrisionem accepit. Compertum est enim, animam dum peccat id eniti, ut posthabita Dei amicitia, amicos multos mercetur, unde voluptatem eliciat, & effræni appetitui satisfaciat. Sed exitus acta probat, & pro solatiis desolatio, pro gloria ignominia succedit. Congruit ei certè quod David ad Achis regem confugienti contigit. Captabat securitatem, & honorem, & inter improvisæ mortis discrimina, multaque dedecora audivit a rege: *Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?* Et quidem hujus generis exempla crebra non desunt: passim enim cernimus eos, qui à recta justitiæ via deflectunt, ut honores, divitiasque conquirant, æquo Dei judicio inglorios, inopesque tabescere, quæ mundi cultorum merces est. Nullus enim hostis capitalior, quam mundus, blandè quidem excipiens, at (quod olim Joab Abner inter amplexus præstitit) necem detecta pacis simulatione inferens. Necem verò hanc spiritualem amarissima subsequitur exprobratio verbis iliis notata, *spreverunt eam*, quam velut infamiæ notam frontibus inscriptam gerunt, quotquot impudenter peccant, tametsi genere, potentia, doctrina apud homines clarescant. Sunt sanè simillimi Cain, cui tremor quidam culpæ index illatus fuit, quando Deus *posuit in eo signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*. Licèt enim signum tuitioni destinaretur: sic tamen hominem scelestum tuebatur, ut tanquam infamiæ nota, seu mancipii character, peccati servitutem, reo silente, proderet. Hæc animæ culpæ labe notatæ conditio est, juxta oraculum illud: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*.

1. *Reg.* 21

Gen. 4. 15.

2. *Reg.* 2. 30.

GHIMEL.

℣. 3. Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

HISTORICE.

Populus Judaicus patria coactus excessit, ad subeundam Chaldæorum vexationem, ac servitutem. Moratus est inter Babylonios, nec requievit; hostibus scilicet sævissimis eum undiquè comprimentibus.

ALLEGORICE.

Ecclesia à tyrannis Ethnicis, Mahumetanis, & hæreticis obsessa, & non modica ex parte cœlum mutare coacta est. Quin & ibidem, quò confugerat, a fidei hostibus passim oppugnata minimè conquievit: quia seri ejus inimici eam in arctissimas angustias, Deo permittente, compulerunt.

TROPOLOGICE.

Anima culpæ conscia extra Deum pulsa, & pœnis è culpa ortis extimulata solum profuga vertit: Ethnicorumque ritu captans requiem, vixit. Pacem tamen, quam sitiebat, perquirere non valuit: quia sævi ejus hostes, vitia præsertim, quibus succubuit, eum quasi compedibus abstrinxerunt.

EX-

Scripta An. 1607.

Expensio Tropologiæ.

CEntrum animæ Deus est: quod Paulus evicit verbis illis; *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Act. 17. 28. Unaquæquæ enim res in centro proprio naturam, vitam, & motum hábet, licèt obsérvato discrimine. Nam si A res inanimis sit, cum naturæ conservatione quiescit; si animata sit, vitam, motumque perficit, quemadmodum animantia, quibus elementum aquæ pro centro est, facilè demonstrant. Quocirca cùm anima vitæ particeps sit, in uno Deo, centro videlicet suo, vitam, motumque assequetur: quod Apostolus altè notavit, vitam motumque distinguens. Cùm enim centrum hoc non modò vivum, sed æterna ipsa vita sit, nequit motus vitalis animæ centrum illud nactæ deesse, sicut lapidi in centro inanimato jacenti deest. Nec verò quemquam movere debet quies illa laudatissima, quam res universæ in centro habere dicuntur: motus quippè ille vitalis animæ Deo sociatæ tranquillissimus est, immò ipsa quies ab anima expetita est. Quemadmodum enim Deus ipse, B cùm sit ipsamet serenitas, & tranquillitas, est nihilo seciùs actus vitæ purissimus; ita & anima, cùm in eo quiescit, perfectissimi actus sui tribuit esse participem. Ille verò actus animæ, motus quidam vitæ divinæ congener est, è genere Dei animam esse demonstrans; quod Aratus ab Apostolo allegatus per verba illa τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν, mysterii ignarus indicavit: sed Paulus excelsè ut par erat, intellexit. Anima ergò è Dei genere, pro centro habens Deum, qui boni totius perfectissima complexio est, in rebus Deo inferioribus, neque vivet, neque movebitur, neque verò quicquam erit, quod per argumentum à contrario, Apostoli verba convincunt. Si autem extra Deum veræ vitæ usura caret, profectò nihil veri boni, quod totum vita nititur, ac proindè neque pacem veram reperire valebit. Hinc est, ut quantumvis C bonis mundi universis affluat, semper se inanem sentiat. Hinc existit inconstantia cordis expleri cupientis, & porrectis quasi brachiis Hexorum bonorum umbras captantis; ac ex hoc in illud boni simulachrum se-proripientis; si fortè satietatem, quam insequitur, aucupetur. Quæ sanè veritas locupletes habet in hoc genere testes, sic inter se adhortantes: *Sap. 2. 8. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Multa quippè læto virore arridentia prata erranti animæ succurrunt, sed nulla cor sollicitum sedant. Propterea divinus vates postquam descripsit animæ solitudinem, ac mœrorem, vagum quendam excursum illius satagentis attexuit, ajens: *Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis*, sive ut alii ex Hebræo vertunt, *præ afflictione præ multitudine servitutis*: Quasi afflictionis ipsius stimulis incitata, hac illacque discurrerit, neque opus fuerit externa ullius hostis instantia, ut è loco in locum afflicta migraret. Quod profectò verum, & frequentissimè testatum est, cùm

Centrum animæ Deus.

Ratiocinatio

Textus Hebraicus D

conscientia ipsa saucia ad omnem strepitum mortem suspicetur: propterea enim scriptum est: *Fugit impius nemine persequente.* Pondus habet immensum illa mali exaggeratio. *Habitavit inter gentes, nec invenit requiem*: Anima nimirum plerumque quò sanctior fuit, eò pejùs, ac licentiùs semel lapsa peccat, & Angelicum vitæ statum Ethnico ritu permutat. Hinc plurimi non sæculares tantum, verum & Monachi castæ disciplinæ impatientes, diabolico furore correpti, usque ad nefanda connubia insanierunt (quod ætas nostra perspexit) æquissimoque Dei judicio ex ea vitæ impudentia requiem haurire minimè valuere: immò propriorum scelerum funibus astricti, perennem conscientiæ morsum, & torturam tartaro similem perpessi sunt. Cujus certè doloris causam si quis percontetur, appositè respondebimus: *Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* Superiùs assertum est, Deum, ejusque militiam omnem, peccatori esse infestissimam, & bellum cum eo acerrimum gerere: nequit enim divina puritas culpæ impuritatem non odisse. Constat autem, Dei regnum latissimè patere, neque ullis maris, terrarumve tractibus ejus F imperio animam se posse subducere: quod è sacris David sensit in hæc verba: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in Cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades, &c.* Et è non sacris ille. *Quò fugis Encelade? quascumque acceperis oras, Sub Jove semper eris.* Jam verò qui Deum hostem potentissimum ubique præsentem patitur, neque valet elabi, ubicumque latitaverit, quocumque migrare tentaverit, velut à confertissimo agmine obsidebitur, & arctissimo carcere opprimetur. Mos fuit antiquis Romanis noxios homines in duas angustissimas Ægæi maris insulas Gyaram, & Seriphum deportare. Verùm hæc levia sunt: angustior locus, graviorque calamitas animæ à Deo recedentis, orbe toto palantis est, quæ, nisi resipiscat, semper in angustiis versatur; ac denique postrema mortis angustia ab hostibus perimitur. G

Prov. 28. 1.

Quo anima sanctior semel lapsa in deteriùs labitur.

E

Psal. 138. v. 7. & 8.

Ex Gigantomach.

Romanorum mos ad scelestos puniendos.

D A L E T H.

℣. 4. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ: sacerdotes ejus gementes: Virgines ejus squalidæ; & ipsa oppressa amaritudine.

Historice.

H

Viæ, quibus in templum Ierosolymitanum solemnibus festis ascendi solebat, cùm jam à nemine terantur, succrescentium urticarum, & virgultorum horrore ad luctum me provocant. Omnes templi Sionici portæ à Chaldæis exustæ, sacerdotes partim abducti,

Scripta An. 1607.

partim funestissimo gemitu necati, puellæ Virgines decore, ac ornatu amisso fœdatæ, atque urbs tota pondere cladis oppressa est.

Allegorice.

A Doctores Ecclesiæ, qui Christum ajentem, Ego sum via, vitæ normam æmulantur, luctu tabescunt, cùm perquàm rarò vix unum aut alterum per æternitatis itinera ducant. Baptismus, qui Ecclesiæ, ac salutis janua est, quasi destructus foret, à nullo ferè Infideli expetitur. Sacerdotes Christiani despecti gemunt, Societates monasticæ, Virgineum candorem statu profitentes, incultæ horrent: ac proindè Ecclesia tota mœroris oneri quasi succumbit.

Tropologice,

Virtutes, quæ sunt viæ sublimes Sionis, hoc est, Divinæ contemplationis, cùm ad mortalis vitæ negocia animadvertitur, desertæ jacent; & luctus ansam præbent, quòd anima

B *sæculo addicta cælestium gaudiorum festa minimè repetat, Ejus portæ, sive sensus rerum, ac voluptatum temporalium incursibus corrupti sunt. Superiores vires, quarum est, Sacerdotum ritu, arcanas hostias jugiter immolare, corporis pondere prægravatæ gemunt. Vires inferiores, quæ, virginum more, à sæculi contagio abstinentes castitate nitebant, carnis òbscœnitate deformantur: & anima propterea tota pelago mœstitiæ absorbetur.*

Expensio Tropologiæ,

C Miserrimum anxietatis genus anima thori violatrix incurrit, & funestissimum spectaculum exhibet. Omnis quippè virtutum quibus exculta erat amœnitas emarcuit, & risum bonæ conscientiæ culpæ luctu permutavit. Sionis vias in arcano sermone veras virtútes esse, quibus anima in lætissimam Divinæ contemplationis solennitatem ducitur, exploratum est. In ipso enim vulgato trium statuum discrimine, Incipientes, vitia convellunt, & obstacula itineris avertunt, Proficientes, per sublimes virtutum vias in contemplationis, quæ Perfectorum propria est, fastigium expeditè contendunt. Hæ igitur cœlestes viæ, cùm negliguntur, lugere, cùm exercentur (per prosopopœjam) hilarescere dicuntur. Jam autem quotusquisque est, qui animam veris virtutibus excolere, & velut ad nuptias comere nitatur, ut iis itineribus ad contemplationis sublimitatem assurgat? Quòd si vias Sionis, sacramenta à Christo instituta, ut quasi militaribus viis homines ad æternam Sionis, hoc est, cælestis patriæ solennitatem perduceret, interpretemur (qui certè sensus, in allegorica paraphrasi indicatus, Tropologiæ quoque mirificè congruit,) patebit profectò immensum doloris incrementum accedere. Quis enim non animadvertat, Sacramentum perquàm rarò frequentari, & in locis innumeris Christiani Orbis vasa sacra, cæteraque sacramentorum instrumenta sordida, & pulvere operta lugere, clamitareque se penè a nemine curari. Hæc ergò, pòst Christi divortium animæ per infames sæculi vias errantis calamitas est; neque enim virtutes Christianas colit, neque sacramenta, quibus facilè in sempiternæ fœ- E licitatis spem erigeretur, frequentat. Subest autem ejus damni ratio satis apposita; *Omnes portæ ejus destructæ*. Externi quippè sensus, portæ cùm sint, quibus externa, & caduca bona in animæ claustrum admittuntur, legis Dei neglectu, ab ipsamet anima perrumpuntur, & hostibus efferatis internam opulentiam diripientibus, impunè patent. Compertum est enim viris rerum divinarum peritis, portis effractis, totam pulchritudinem animæ, quæ è virtutum internarum concinnitate consurgit, interire, Quocirca ii, quibus æterna salus cordi est, nihil impensiùs, quàm portarum custodiam, repagulaque moliuntur. Sic Job modestiæ fœdus cum oculis pepigit: Sic David oris ostium oppilavit; Sic sapientes universi propriis sensibus imperant, ne *mors intret per fenestras*. Hic verò à Propheta nostro anima, tanquam domus recluſis, fractisque januis, furibus pervia describitur: Unde gemitus sacerdotum & squallor Virginum existit. Etenim, si arcanè dicamus, cum anima Dei templum sit, ubi Numini spirituales hostiæ per latriæ virtutem immolari debent, intellectus, & voluntas functiones sacras, mysticaque sacrificia, more sacerdotum, exerceant necesse est. In iis quippè animæ partibus Dei cultus, qui à virtute religionis exoritur, sedem habet, ut perspici potest ex orationis, adorationis, voti, ac devotionis actibus, qui ab iis animæ viribus, juxta commune Theologorum assertum, producuntur. Postquàm ergo corruptione sensuum, quibus profana sodalitia præ mysticis immolationibus placent, Dei cultus abolitus est; intellectus, qui eleganter sacerdos apellatur, cujus actus est conscientia perenni, acrique remorsu animam lacerans, gemitus multos inter ipsa profana gaudia parit, qui tartari vermem repræsentant. Partes verò animæ inferiores, quæ dum intellectus, & voluntas Deum seriò colerent quasi puellæ virgines, parentum custodiis septæ nihil sordidum admiserant, turpissimè fœdantur; & à custodiis parentum velut ad prostibulum abducuntur. Quod LXX. Interpretes indicasse videntur hic vertentes: ἃι παρθένοι αὐ τῆς ἀγόμεναι, *Virgines ejus abductæ, seu tractæ*. Quibus sanè verbis aperta vis illata virginibus historicè repræsentatur, & in arcano sermone virgineæ, hoc est, intemeratæ vires animæ in publicum, ubi polluuntur, pertractæ, sive imperio actæ notantur. Ex quibus certa impuritatibus totius animæ tortura, oppressiove ducit originem. Luctus videlicet, gemitus, & dolor, tinea è culpæ ligno enata est, quæ in parentem desævit: quod non ineptè expressit ille, qui

cul-

Viæ Sion quid.

Altera viarum significatio.

Sensus externi animi portæ.

Job. 31. v. 1. *Ps* 28. v. 2.

F

Intellectus sacerdos appellatus.

G

LXX. Interp.

H

Scripta culpam, vermis, quo rodebatur, seminarium
An. 1607. sic flevit:

Ovid. de Pat. lib. 1. Ep. 1.

Pœnitet, ô si quid miserorum creditur ulli: Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

A Hoc Ethnicus ille; anima verò Christi conscia, quæ fidem fefellit, non mirum, si dum rem totam mente pertractat, amaritudine opprimi asseratur, Non absque consilio, delectuque scriptum est; *Flevit amarè.* *Matt. 26. 75.* Dici poterat copiosè, vel quid simile: verùm sensus amaritudinis, quasi dissoluto felle, animam afficiens sic exprimi debuit.

H E.

℣. 5. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est
B super eam, propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

HISTORICE.

Chaldæi almæ Urbis hostes elati, eaque potiti, ac ejus opibus, prædaque ditati sunt: quia æquissimus Deus, ob crimina teterrima de illa plectenda pronunciavit. Propterea que & pueruli ipsi, quibus, ut innoxiis, parcendum erat, ante victorum currus in Babyloniam abducti sunt.

ALLEGORICE.

C Ethnici, Mahumetani, Hæretici, capitales fidei hostes, antiquis Ecclesiæ regnis imperarunt; & ex Christianorum spoliis locupletes evaserunt: quia Deus Clementissimus æquo judicio sententiam pœnæ pro gravissimis sceleribus irrogandæ protulit. Ac ob id & innoxii quoque Christiani cum sontibus capti in tyrannorum triumphis ante rhedas acti sunt.

TROPOLOGICE.

Dæmones efferati hostes animæ peccanti, quasi mancipio dominati, ac ex divinæ gratiæ iactura ditescere visi sunt; Deo scilicet, ob animæ crimina, sententiam patibuli ferente. Hinc animæ sensus velut infantuli rationis prorsus expertes, cum Luciferi jactantia
D *præcipites ad immania flagitia ferri quasi compulsi sunt.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

FIeri *in capite*, juxta phrasim Hebraicam, nihil aliud est, quàm præponi, seu præesse sicut (fieri in caudam) nihil est aliud, quam subiici, vel subesse, ut patet ex effato illo Deuteronomii: *Ipse erit in caput, & tu eris in Caudam.* Hostes ergò animæ dæmones, victoria parta fiunt in capite, sive, ut alii transferunt, *in caput*, hoc est, quasi caput animæ, instar corporis eis subiectæ, & contagionem pestilentem indè concipientis; quod sanè dictu mirum, & horrendum est. Si enim Christus caput nostrum animæ sibi sociatæ vitam confert, necesse est dæmonem nihil aliud, quàm mortem immittere, motibus turpissimis agitare, satanicos affectus imprimere; eo scilicet modo, quo capitis munus obire potest, nempè suggerendo, & ad omne mali genus urgendo. Sic Judæ caput effectus est, cùm se ille capiti suo Christo subduxit: & ut ejusmodi prælatio aptissimè significaretur, scriptum est: *Cùm jam diabolus misisset in cor*; hoc est; Cùm jam cœpisset, prælationem exercere, ac potissimum membrorum, quibus præerat, cor videlicet furore tartareo extimulare. Hæc hostium animæ opulentia est, verbis illis notata: *Inimici ejus locupletati sunt.* Invidorum quippè animus F aliorum prosperitate deficit, adversitate ditescit: quod profectò tunc manifestiùs cernitur, cùm calamitas ingens, gloriam summam subsequitur, & quasi meridiana lux eclipsi subitanea extinguitur. Hoc ergò grave malum Vates sanctus lachrymis prosequitur, subditque rei judicium, *Quia Dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum ejus.* *Locutus est super eam* phrasis Hebraica est, quam LXX. sic reddiderunt: *Humiliavit eam,* ἐταπείνωσεν αὐτὴν. Æquissimum quippè Dei judicium est, ut quæ in superbiam adversùs Deum se extulit ab ipso deprimatur. Concipiendus est hîc Deus tanquam judex incorruptissimus, ad cujus tribunal anima postulata est, è sublimi non loci, sed majestatis solio pronuntians: quod verba illa indicant: *Locutus est super eam.* Ubi fert sententiam juxta allegata, & probata, scilicet: *Propter multitudinem iniquitatum ejus*, ut doloris, ac infamiæ patibulum ferat. Sic nimirum divinis oraculis, & sacris, ac profanis historiis ediscimus, quotidie eos, qui in Deum protervi sunt, acerrima vindicta in opprobria multa deturbari: quod non modò privati homines scelesti, sed imperia multa fastu ipso collapsa demonstrant. Quod enim gigantibus turrim, cujus fastigium in Cœlum pertingeret, molientibus contigit, dum ad humillima terræ loca depulsi sunt; hoc Assyriis, Persis, Medis, Græcis, ac deniquè Romanis accidit: quibus omnibus apprimè congruit illud: *Dejecisti eos, dum allevarentur.* Verùm quod proximè subditur porrò funestum est: *Parvuli ducti sunt in captivitatem.* Sensus externi in tota hominis œconomia parvuli arcanè appellantur: quod ex comparatione cum internis sensibus dignitate majoribus patere potest. Postquàm ergò anima infœlici divortio se Deo subtraxit, appetitus pondere graviter incumbente, sensus ejus externi perruptis verecundiæ repagulis, in quævis obvia flagitia se rapidè immergunt

E

LXX. Interpp.

Cap. 28. 44.

Joan. 13. 2.

G

Ps. 27. v. 25.

Sensuum externorum figura.

Scripta An. 1607.

gunt, & in belluarum naturam degenerant. Hæc eſt captivitas, quam deflet Jeremias, quæ non modò excidii Ieroſolymitani, verùm totius quoque ruinæ, ſub qua gemit humanum genus, origo eſt. Vim habet inſignem adjunctum illud: *Ante faciem tribulantis*. Quo ſanè dicendi genere propheta

A videtur alludere ad priſcum victorum morem, quos triumphum agentes, & præda, & gens debellata præcedebat: ut patet ex hiſtoria David, prædam, quam è Siceleg Amalecitæ

1. Reg. 30. 20. ceperant, referentis, ſicut ſcriptum eſt: *Et tulit univerſos greges & armenta, & minavit ante faciem ſuam, dixeruntque. Hæc eſt præda David.* Et è profano illo:

Ovid. lib. 4. de triſt. Eleg. 2.

Vinclaque captiva reges cervice ferentes
Ante coronatos ire videbit equos.

Sic ſatan inſoleſcens captos peccatorum hominum parvulos, hoc eſt, ſenſus, & illecebrarum vinculis obligatos, ſuperbiæ curru vectus ante ſe agit, & in horrendam fœditatem præcipitat. Ægmulatur ſcilicet

B Chriſtum, cujus honorem affectat. Etenim quando Chriſtus triumphum egit, & *regnavit à ligno*, cornua, hoc eſt, imperii vires

Habacuc. 3. 5. utroquè Crucis brachio notatæ erant (ut Habacuc cecinit) in manibus ejus, abſcondita divinitatis fortitudine ſub corporis mortalitate, quam Cruci affixus præferebat. Func ad ampliſſimum de illuſtriſſima victoria triumphum propheta ſubjecit: *Ante faciem ejus ibit mors: Egredietur Diabolus ante pedes ejus:* Quia videlicet mors, & Dæmon præda Chriſti curru vecti, hoc eſt, crucifixi fuere: quos vinctos currum regium præire juſſos, eleganter propheta deſcripſit. Similem igitur gloriam humani generis hoſtis ambivit, quando *parvuli ducti ſunt in captivitatem ante faciem tribulantis*.

C

VAU.

℣. 6. Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus: facti ſunt principes ejus, velut arietes non invenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.

HISTORICE.

D *Et omnis decor hoc eſt, regnum, & Sacerdotium ab Urbe Sancta (quæ quaſi filia ſub protectione Sionis in editiore loco ſitæ ſubſidebat) ſublatum per Chaldæos eſt. Quapropter principes Judæorum opibus, potentia, & ſplendore ſubtractis, tanquam arietes gregi ſuo inutiles emarcuerunt. Et fame ingraveſcente, cum deliquio virium ante victorem in Babyloniam demigrare coacti ſunt.*

ALLEGORICE.

Omnis Eccleſiæ decor, qui exemplo vitæ in iis, qui præſunt, potiſſimùm conſtat, videtur evanuiſſe. Principeſque Eccleſiaſtici divinarum affectionum paſtu privati, velut arietes paſcua minimè reperire valentes languerunt. Sic viribus internis E deſtituti, ſæpe à fidei hoſtibus bello capti, & in aliena regna pertracti ſunt.

TROPOLOGICE.

Omnis animæ decor Deus olim per gratiam divinam illi præſens culpa pulſus abſceſſit. Principes animæ vires intellectus, ac voluntas æterni boni paſtu ſublato, cum bonis creatis famem explere nequirent, more arietum pabulo carentium defecerunt: & ab inſequente Dæmone, viribus exhauſtis, in ſcelera enormia præcipites actæ ſunt.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRofectò minimè mirum eſt, ſi Dæmon F
animæ captura inſoleſcat: è divina quippè ſublimitate, ac dignitate, illam exturbavit. Erat porrò pulcherrima, & venuſtiſſima antequam Deus (omnis nempe decor ejus) ab ea recederet: Sed eo dilapſo incredibilis deformitas, ſquallorque ſucceſſit. Erat elegantiſſimè ornata viro ſuo Chriſto, ſic enim areano ſenſu intelligitur illud Joannis viſum: *Vidi Jeruſalem ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Quo nullum pretioſiùs Apoc. 21. 2. ornamentum fortiri, vel excogitare potuit: at ſubiit tartari turpitudo, hoc eſt, culpa, quam puriſſimi Dei oculi ferre non valent. Quod utinam homines univerſi altè perpenderent, ut egreſſum Dei à propheta exaggeratum perhorreſcerent. Sanè pulchritudo quævis vel in carnea fragilitate tanti eſt, ut ei orbis terrarum principes genua flectant, eique divitias, honores, vitamque poſthabeant, quod nimis frequens, ac teſtatum eſt. Habet nimirum forma neſcio quid divinum, quo corda mollit, & quò velit, inflectit; ut neutiquam mirandum ſit, ſi mulieres deformitatem morte pejùs oderint, vitæ formam adæquent: præſertim, cum pleraſque humili loco natas ad principatus, & regna ſola pulchritudo provexerit. Quod è potentiſſimi Aſſueri liquet hiſtoria. Eſther enim neque genus indicavit, neque mundum muliebrem exquiſivit, neque aliis de cauſis (ſi hominum conſilia ſpectemus) ad eam celſitudinem evecta eſt. Sola pulchritudo regem flexit, & venuſtiſſimam puellam regni conſortem effecit. Et Eſth. 2. hæc ſanè bona, carnea forma conſequitur: H at interna forma, quæ è divinæ gratiæ, ſupernaturaliumque virtutum concinnitate conſurgit, quàm ſit cæleſtis, & ad animos capiendos efficax, ille dumtaxat utcumque coniiciet, qui non divinam gratiam tantummodò, ſed infinitam Dei pulchritudinem defæcatis mentis oculis contemplabitur; & coram

G Pulchritudo quid divinum habet.

Scripta An. 1607.

ram dulcissimo spectaculo attonitus obstupescet. Præsens quippè Deus animam sibi desponsam divino splendore suo complet, ac divinæ formæ similitudinem imprimit; quæ suprema omnium laus est. Sedet in anima, tanquam Salomon in eburneo solio, & vires tùm Superiores, tùm inferiores prætiosissimo virtutum cœlestium apparatu exornat. Hinc est, ut jure dicatur: *Omnis gloria filiæ regis ab intus*. Etsi enim externè quoque spiritualis pulchritudo, se utcumque spectandam exhibeat, totum tamen id, quod cerni potest, si cum eo, quod latet, comparetur, nihil esse putatur. Etenim adeò eximia interior forma est, ut creaturarum omnium, ipsorum quoque Angelorum pulchritudinem naturalem (quæ tamen omnem superat eloquentiam) immenso vincat excessu. Neque ullum efficaciùs ad rem persuadendam argumentum produci valet, quàm intima illa præsentia, illapsusve Dei in eo thalamo summa cum voluptate quiescentis, & ea suavissima forma capti: quod amatoriis affectibus, ac phrasibus in Salomonis Cantico Spiritus Sanctus luculenter significavit. Totus quippè liber ille Christum sponsæ, hoc est, animæ forma mirificè captum repræsentat. Verùm est enim illud: *Et concupiscet Rex decorem tuum*. Quod cùm ita se habeat profectò quisquis purgatos mentis oculos nactus est, cùm Deum ipsum animæ penitissimè sociatum, ac decore illo allectum animadverterit, usque ad stuporem immensum, animæ pulchritudinem & amabit, & admirabitur. Mox verò, quantus, obsecro, dolor ingruet, cùm è suavissimo decore illo ad intolerabilem deformitatem, & squallorem viderit animam, Deo abscedente, devolvi. Furtum certè dolendum est, decorem tantum puellæ Virgini, corruptione culpæ, auferri, quod subnotasse videntur LXX. sic vertentes: *Et ablatus est*, quasi decor ille animæ non ultrò discesserit, sed pulsus, direptusve fuerit. Christus nempè non sponte recedit, sed aufertur, vel expellitur. Decore igitur sublato ait Jeremias: *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua*. Principes enim animæ vires, quarum proprius pastus ille decor erat; ad interdicta mundi pabula, hac illacque palantes, nihil, quo famem explerent, invenire potuerunt. Nihil est enim è fluxis mundi bonis, quo princeps animæ pars lautæ Dei mensæ assueta, cœlestibus epulis nata, nutriri queat. Rectè verò arietis similitudo inducta est: masculum enim calorem ad pabulum absumendum habet: quo proindè sublato, vigor omnis deficit; sic vires animæ fortiores nutrimento cœlesti carentes conflaccescunt, & concidunt, & ante victoris Luciferi currum viribus confectis, captivæ abducuntur. Paulò antè *parvulos*, hoc est, sensus in triumpho Dæmon egerat: nunc vires superiores abducit. A sensibus enim incipit oppugnatio, quibus seductis, rationis arcem expugnat: quod mœstissimo Hevæ liquet exemplo: priùs quippè pomum viso pulchrum aspexit: mox allecta, victaque consensit. Hæc est illecebra, qua, per occupatos priùs, emollitosque apparenti pulchritudine sensus, viri quoque strenui læta principia tragico fine concludunt. Quod in caput suum expertus fuit Alipius ille, quem refert Augustinum molestissimè ab amicis tentatum, diutissimèque renisum ad spectacula deniquè pertractum, firmissimo visus cohibendi proposito, ut neque amicis instantissimè flagitantibus nimia rusticitate deesset, neque sibi ipsi oculorum licentia officeret. Concessit precibus invitus, oculos obstruxit, diuque sibi imperavit: at excitato amphitheatri clamore, repentino curiositatis telo petitus aspexit, animumque inopinato aspectus vulnere saucium, infœliciter mutavit. *Parvuli ducti sunt in captivitatem*, cùm primum oculorum licentiam Dæmon persuasit: evestigioque principes animæ vires, intellectus, & voluntas, abierunt absque fortitudine ante currum Luciferi triumphum agentis.

Lib. confess. c. 8.

ZAIN.

℣. 7. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, & prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis cùm caderet populus ejus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & derisérunt sabbata ejus.

HISTORICE.

Jerusalem alta mente recoluit dies pristinos, cùm olim sua gens afflicta in Ægypto, & in deserto Sinai, ob scelus idololatriæ, severè punita fuit, Meminit quoque omnium, quæ in deserto impotenter apppetierat antiquitùs, ob quæ prodigiosè gens Hebræa cæsa fuit. Omnia quippè mala illa præsens calamitas repræsentavit: cùm populus Judaicus à Chaldæis dirè cæderetur, & concideret, neque ullum suppeteret auxilium. Crevit autem dolor, cùm immanes hostes Urbem almam cadentem conspicati, sacra festa irriderent: quasi frustra coleretur Deus, qui opem ferre ipsorum arbitratus, nequiret.

ALLEGORICE.

Ecclesia ingruente calamitate, quæ populum Christianum & vitiorum præliis, & Infidelium irruptionibus afflixit, cogitavit ferìò antiquos similis vastitatis dies; cùm ob enormia rerum fluxarum desideria (quibus pars ejus magna jampridem, ad exemplum, conflagravit) Christianorum

LXX. *Interpp.*

Conc. Trid. Sess. 6. c. 11. Deus semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.

Similitudo Arietis explicata.

Scripta An. 1607.

rum regna à fidei hostibus occuparentur, nec ea Orthodoxi principes propugnare valerent. Propterea Ethnici, Maumetani, ac Hæretici rem contemplantes Christiana sacra deriserunt.

Tropologice.

A *Anima, postquam præsens culpæ dulcedo evanuit, stimulusque conscientiæ, ac propinquus instat interitus, recordatur dierum elapsorum, quibus & afflictionis originem, hoc est, culpam contraxit, & per turpia desideria licenter erravit. Quo profectò antiqua studia naturæ corruptæ coæva, tunc graviora videntur, cum anima ad postremum halitum, dæmone urgente, cadit, & justa Dei ultione jam nullus adest auxiliator. Quamobrem dæmones agminatim irrumpentes, ac præda vehementer exultantes, anteacta bona opera, quæ sunt mystica sabbata subeuntibus peccatis extincta morienti crudeliter exprobant.*

Expensio Tropologiæ.

B Dies illi jucundi, quos culpæ dulcedo efficit, ut seducat, si perspicaciter spectentur, afflictionis dies appellandi sunt, tametsi omnia desideria tunc videantur expleri. Tunc sanè stimulus infigitur, qui præ nimia ebrietate non percipitur, donec sopore discussio sentiatur. Et, quod præsertim dolendum, eò dies tristiores sunt, quo crudelior in se peccator est, qui sibi ipsi mortem conscisens, inter lethalia vulnera, quasi temulentus, aut phrenitide correptus ridet. Recepto ergò mali sensu, anima, quæ audacter lascivierat, recordatur *dierum afflictionis*, *sive* juxta LXX. τὰπεινώσεως *humiliationis suæ*. & *prævaricationis*, hoc est, culpæ, quæ suprema vilitas, afflictionisque, ac despectus illius origo est. Cùm enim apud sapientes omnes C constitutum sit, nullum probri genus, ne supplicia quidem publica, seu quicquid ad flagitiosos homines ludibrio habendos à mundi principibus, aut judicibus unquam excogitatum est, cum peccati unius dedecore, ac turpitudine posse componi, necesse est, ab una culpa potiùs, quam ab universis mundi totius improperiis, & tartari quoque cruciatibus animam & vilem, & infamem debere censeri. Supplicia quippè honesti rationem habent, & decorem culpa sublatum restituunt, ut dignum sit à Deo illa erogari. Culpa vero nequit honestatem habere, cùm divinæ puritati, ac rectæ rationi adversetur. Res est lumini naturali pervia, quando culpæ, ac pœnæ discrimen ille quoque despexit, qui sic cecinit:

D *Ovid. lib. 1. de Pont. Epist. 1.*

Cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori,
Estque pati pœnam, quàm meruisse minus.

Minùs esse dixit, quia majus malum culpæ vilitatem, ac infamiam, quàm pœnæ severitatem existimavit: majoremque proindè è culpa, quàm è supplicio dolorem concepit. Culpæ tamen vilitatem, ac extremæ afflictionis sementem anima desideriis vehementibus illecta, velut inauratam toxici buccellam glutivit. At cum caderet, hoc est, ultioni divinæ succumberet, evigilans, sensumque resumens veneni mortiferi vim persensit. Nunquam enim culpæ malum, quàm sit formidabile, æquè, ac in tabula vindictæ divinæ, mortis præcipuè hora, perspicitur. Tunc enim anima sævissimorum hostium manus incurrit: *Cadit in manu hostili*. Blandè contrectat manus illa, ut delectet, ac in culpam alliciat, quod extimuit David deprecans: *Manus peccatoris*, hoc est, dæmonis antonomasticè *non moveat me*: At cum plectit, se manum hostilem esse, incredibili furore convincit. Verùm illud funestissimùm est: *Et non esset auxiliator*. Omnes quippè ictus hostilis manus constanter feruntur, cùm Deus auxiliatur, quod aptè significavit Iob in hæc verba: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*. Sed cùm jam anima proterva, subtracto in pœnam auxilio, feris hostibus permittitur, quantus dolor incumbat, explicari nequit. Excrescit autem doloris sensus, cùm hostes *derident sabbata ejus*, vel juxta LXX. *super habitatione ejus*: Quasi dæmonum cachinnus excitetur, quia Dei templum, ubi Dei sabbata, seu festa sacris ritibus agebantur, exaugurarunt, & in Luciferi delubrum, sive domicilium perverterunt.

Culpæ vilitas, & damna.

E

F

Job. 17. 3.

LXX. Interpp.

Heth.

℣. 8. Peccatum peccavit Jerusalem propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. G

Historice.

Jerusalem turpiter peccando à Deo defecit: propterea inconstans evasit: nam extra veram Dei pacem umbram pacis captavit, nec apprehendit. Quocirca omnes, qui eam laudibus efferebant, cùm Deum coleret, eumque propugnatorem haberet, à Deo repulsam, & ludibrio expositam contempserunt, ejus ignominiam, hoc est, vastitatem contemplati. Ipsa verò querimoniarum, & gemituum plena à fœlicitate antiqua retrorsum, hoc est, in adversitatem rejecta est. H

Allegorice,

Ecclesiæ pars satis magna graviter peccavit, & in errores quoque varios corruit; ipsoque peccati, & errorum stimulo percita

Scripta An. 1607.

cita in sectas multas inconstanter abiit. Quod non Asia solùm & Africa, sed Europa, Septentrioque præsertim evincit. Quamobrem omnes, qui eam Ecclesiæ partem reprobam, atque à corpore reliquo recisam de Catholica pietate laudabant, illam aspernati sunt; quia ejus ignominiam, culpam scilicet, perfidiamque viderunt, illaquè proindè malorum occursantium impetu à prosperitate consequenda gemens repulsa est.

A

TROPOLOGICE.

Anima ex quo peccavit, à statu gratiæ firmissimo in vitium inconstantiæ prolapsa, ut famem sedaret, incassum per varias voluptates evagata est. Quapropter omnes pii, qui eam piè agentem encomiis extollebant, illam despexerunt, quia ignominiam, hoc est culpæ turpitudinem conspicati sunt. Ipsaque propterea, ne tanta deformitas se proderet, quasi flore Virginitatis amisso.

B *se hominum aspectui subtraxit, & latebras quæsivit.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Inconstantia peccatoris demonstrata.

NEminem latere potest, quàm sit inconstans peccatoris animus. A firmissimo divinæ gratiæ statu, cujus basis Deus est, ultrò recessit, & quasi fugientem umbram captaturus, nullibi consistit. Ratio profectò efficax rem persuadet. Cùm enim universæ mundi partes sint à sapientissimo earum opifice discretæ, ac suis tanquam stationibus dispositæ, nequeunt sanè sine pulcherrimi ordinis perturbatione sedes alienas invadere. Quod si violenter propriis sedibus pellantur, absque ulla quiete (quæ quidem naturæ consentanea sit) varia loca pererrant: quod

C ventus terræ cavernis incluſus, multis meatibus, & motibus agitatus, donec perruptis obstaculis erumpat, & ignis per insidias militares terræ cuniculis clausus, & integras urbes validissimo impetu subvertens, evincit. Cùm ergo sedes, statio, centrum, domicilium animæ Deus ipse sit, necesse est, eam inde semel amotam perenniter moveri, ac inconstantiæ discursibus sine requie ulla divagari. Magna certè Christianæ sapientiæ pars, in hoc uno documento altè, diuque pensitando posita est. Si enim repurgata mentis acie homines contemplarentur, incassum extra Deum se requiem insequi, neque animam, nisi Dei complexu posse sedari, enimverò insanos concupiscentiæ motus reprimerent, & ad summum illud bonum validè contenderent. Rectè sensit Cain nobis, quàm

D sibi prudentior, cùm statim à crimine, Deo, à quo reiiciebatur, dixit: *Ero vagus, & profugus in terra*. Etsi enim fratris invidentia, iraque illum excæcassent, rem tamen perspicuam vel cæcus aspexit, & sibi mobiliorem vento vitam infœlix propheta vaticinatus est. At verò anima præsenti culpæ dulcedine illecta, pejùs occœcatur, omniaque pudoris

Gen. 4. 14.

Anima in vitiis excæcatur,

claustra perfringit, & ad horas singulas consilia mutat: ex quo, quicquid gloriæ peregregia divinarum virtutum facta paraverat, & apud Deum, & apud homines obscurat. Nimirum non Deus tantùm, qui cordis motus vix dum exortos intuetur, verùm homines quoque parùm oculati, vitium inconstantiæ vehementer oderunt: neque dignum existimant hominem eo morbo laborantem, cui res seriæ gerendæ credantur, quantumvis doctrina, & experientia præcellat. Hoc sibi volunt verba illa: *Omnes qui glorificabant eam spreverunt illam, quia viderunt ignominiam*, hoc est, culpam, & inconstantiam ejus. Animi sanè leves nihil grave maturant: multa proponunt, & nihil absolvere valent, quibus apprimè congruit irrisio à Christo ob turrim cœptam, neque perfectam gravi magisterio prolata. Levitatis ergo ignominiam deflet Vates sanctus sub typo Jerusalem, cujus inconstantiam multiplici transmigratione infamem antiqui ejus laudatores deriserunt: atque ad eum modum animam per flagitia multa licenter errantem à firmamento suo Deo procul actam, omnes pii, qui ejus sanctitatem, firmitatemque laudarant, execrantur, atque vituperant. Subtexitur autem sensus maximè arcanus: *Ipsa autem gemens conversit est retrorsum*: Etsi enim anima, quæ se in vitiorum gurgitem demersit, fluctibus passionum in varia vota propellatur, quæ satagit explere; apertè tamen cernit, postquàm eo turpitudinis devoluta est, se hominibus invisam fieri, ac proindè eleganter pingitur, tanquam puella turpiter corrupta, quæ dedecus ferre nequit, ac retrorsum, hoc est, in abditum ab hominum conspectu se condit. Habet quippè intus ignominiæ seminarium, quo coarguitur, ne in lucem prodeat; quod Jeremias sub initium suæ prophetiæ, admonens Jerusalem, turbidas Assyriorum, & Aegyptiorum aquas, hoc est, fœdera, & auxilia, quæ instar aquæ sitientem refrigerarent, requirentem, notavit ajens: *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te*. Culpa enim animam increpat, contrahitque, ne in hominum conspectum progredi audeat.

E

Animi levitas descripta

F

Similitudo animæ peccatricis.

G

Jer. 2. 19.

TETH.

℣. 9. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

H

HISTORICE.

Ierusalem ultionem severam fert, quia via scelerum lutulenta gradiens, affectuum pedes infecit: quod ei planè contigit, quia finis sui, hoc est, Christi (qui finis legis est)

Scripta An. 1607.

meminisse noluit. Qua de causa è celsitudine sua prisca validè per Chaldæos divinæ justitiæ administros exturbata, neque ullum solatorem adepta est. Et ego Jeremias Urbis dulcissimæ ruinam contemplatus, mœrore tabesco: precorque dolorem meum, clementissime Deus, attendas: quia patriæ nostræ sævissimus hostis, quasi non judicio tuo, sed potentia sua Jerosolyma eversa fuisset, in superbiam elatus est.

A

ALLEGORICE

Ecclesia non exigua Christiani populi ex parte flagitiorum itineribus incedens, tanquam mulier sanguine menstruo in pedes imos decurrente sordida visa est: quod ex alta futuræ fœlicitatis oblivione, præsenti, ac fluxa prosperitate illecta patitur. Quocirca in criminum voraginem fortiter devoluta nullum in caducis vitæ præsentis bonis perfugium reperit. Respice, suavissime Deus, anxietatem meam ex interitu multorum subeuntem. Quæ quidem eò

B acerbior est, quò hæretici, ac reliqui Christianæ religionis hostes ex gravibus scelestorum Christianorum criminibus ferociùs erecti, & ad Ecclesiam oppugnandam armati sunt.

TROPOLOGICE.

Anima, quæ Dei timorem abiecit, scelerum viam carpens, turpissimè sordescit: & ut licentiùs peccet, mortem, ac tartarum dedita opera oblivioni tradit. Ex quo efficitur, ut interno Dei solatio miserè orbata, in pelagum peccatorum se vehementer immergat. Propitiare Clementissime Deus animæ afflictione summa divexatæ; quia Dæmon hac præda insolenter gloriatus est.

C

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

OMninò verum est, impendentis mortis, ac judicii oblivione teterrimis flagitiis viam sterni, & habenas turpissimæ vitæ laxari. Quod enim in Republica patibula efficiunt, dum homines scelestos à prædis, homicidiis & aliis facinoribus incussa formidine arcent; hoc mors, judicium extremum, tartarusque præstant iis, quos sola virtutis honestas in officio pietatis minimè contineret. Sic homines insipientes inducuntur à Spiritu Sancto, duo asserta ponentes, quibus ad omne flagitium vehementer incitantur. Ajunt enim: *Non est refrigerium in fine hominis, & non est agnitus, qui sit reversus ab inferis*: ubi duo novissima, præmium scilicet, sive refrigerium æternum, & tartareum cruciatum inficiantur. Ex quo paulò inferiùs ad voluptates hujus vitæ sectandas se mutuò adhortantur: *Venite ergò, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter*: ac si apertiùs dicerent, Quicquid de futuro præmio, supplicioque nuntiatur, figmentum est: ea, quæ in præsentiarum cer-

Sap. 2. 1.

D

Ibid. v. 6.

nimus, bona tantummodo sunt, his ergò vacemus. Quapropter Vates noster causam tot, ac tantarum sordium, quibus animæ pedes, hoc est, affectus inquinantur, deprompturus ait: *Nec recordata est finis sui* sive (juxta LXX.) *Non est recordata novissimorum suorum*: Quasi luculentiùs effaretur: mirum sanè non est, si pedes animæ cœno inficiantur, ac sordeant; cùm novissima illa, quæ timore Dei homines in officio continent, profunda oblivione tumulaverit. Hinc efficitur, quod subditur: *Depressa est vehementer*, sive (juxta LXX.) *fecit se descendere immensè*. Ascenderat ope divina in sublimem, planeque cœlestem divinæ gratiæ statum; ipsamet (non Deus) se fecit descendere, hoc est, ruinæ ansam porrexit: Et quanta status illius altitudo, tanta porrò casus profunditas est, quod voce illa: *Vehementer*, vel *immensè* aptè indicatur. Videtur profectò anima oceano turbulento jactari; paulò antè in Cœlos elata, nunc in Tartarum demersa non abs re usurparet illud:

LXX. Interpp.

LXX. interp.

E

F

Ovid. lib. 1. de Trist. Eleg. 2.

Me miseram, quanti montes volvuntur aquarum?
Jam jam tacturos sydera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles?
Jam jam tacturos tartara nigra putes.

Propterea Jeremias dolore summo perculsus, quales olim Jonas à cete deglutitus, tales nunc preces malorum animæ voluminibus correptus effundit: *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus*. Elatio Luciferi acerrimis invidentiæ stimulis incitata, furentem spiritum adigit, ut animas deprædetur; indeque occasionem gloriæ, quam ambivit, exquirat, & in Deum ferox erigatur. Quippè non in animam captam solummodò, sed in Deum præsertim extollitur, quasi à fine, in quem Deus animam creaverat, illam detorquere, Deoque exprobrare valeat. Quæ sanè sævi hostis erectio veros Dei cultores ad commiserationem animæ, & ad fortiter cum tartaro congrediendum, Deique gloriam amplificandam perurgere deberet. Verba illa: *Nec recordata est finis sui*, de oblivione Christi, qui & legis, & ipsius animæ finis est, exponi solent. Quæ interpretatio satis pia est: patetque ex oblivione Christi, sordes animæ, abjectionem, ac desolationem existere. Quemadmodum enim Dei memoria (quam Dei præsentiam Theologi Mystici appellant) animam purgat, roborat, solatur, ita oblivio inficit, deiicit, mœroreque afficit: unde oritur inimici erectio. Animadvertit enim animam inermem, ac languidam, Deo scilicet minimè munitam, ex quo audendi, ac invadendi occasionem arripit. Dei præsentia terret hostem, ab-

Satanæ elatio pro anima capta describitur.

G

sentia invitat.

H

IOD.

℣. 10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia

Scripta An. 1607.

quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam.

A

HISTORICE.

Chaldæorum exercitus in templum auguſtiſſimum, ubi ſacra vaſa pretioſiſſima & optabiliſſima latebant, irrupit, omniaque diripuit. Quam ultionem æquiſſimus Deus intulit, quia Judæos Ethnicorum ritu templum violare conſpexit, quos utpote idololatriæ deditos, in cœtum piorum ingredi (ne ſancta polluerent) arctè interdixerat.

ALLEGORICE.

Hæretici, efferati ſcilicet hoſtes, omnibus tùm ſcripturis ſacris, tùm Eccleſiæ Sacramentis vim attulerunt, & in pleriſque regnis antè Catholicis omnia illa, non
B mores tantum corrupere. Quæ ſanè prodigia funeſtiſſima Deus permiſit, ob crimina præſertim Eccleſiaſticorum, qui ſacras ædes ingreſſi, Dei verbum, & rectum ſacramentorum uſum, tanquam Ethnici indignè exercuerant: cùm tamen ſatis noſſent ſeverè divinis legibus vetitum fuiſſe, ne turpes ejuſmodi homines in Eccleſiæ gremio ſordida conſcientia ſacras, ac puras functiones obirent.

TROPOLOGICE.

Sæviſſimus humanæ ſalutis hoſtis animam degenerem invaſit, & omnes virtutum internarum opes valida irruptione deprædatus eſt: Deo nempe ſinente, qui Ethnicorum vitia, quæ à membris Eccleſiæ longè arceri
C *imperaverat, in animæ ſacrarium ſoli divinæ Majeſtati dicatum, ingruiſſe perſpexit.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Animæ virtute præſtantis dignitas.

NIhil divinarum virtutum animam exornantium decore optabiliùs. Hæc eſt opulentia, majeſtas, & gloria omnis filiæ Regis à regio Vate celebrata: in quam ſæviſſimus noſtræ ſalutis inimicus, oſtio ſibi per aſſenſum culpæ recluſo, in animæ templum ingreſſus manum mittere dicitur; ut Chriſti ſacrarium expilet. Horrendum profectò portentum hoc Dei permiſſu accidit; quia dum Deus patienter agit, anima ea patientia impudenter abutitur, & mores Ethnicorum, hoc eſt, vitæ licentiam in Dei *ſanctuarium*,
D id eſt, cor ſoli Deo ſacratum, irrepere ſinit. Hæ ſunt gentes, quas ſeveriſſimo anathemate à templo ſuo Deus arcuerat: nihil enim ab anima Deus rigidiùs exigit, quàm cordis clauſtrum, & cuſtodiam, quæ Zelotypiæ divinæ lex æquiſſima, & puriſſima eſt. Hoc ſibi in Salomonis Cantico voluit, cùm cor obſignari arctè imperavit: ne partem ullam cordis humani ullus affectus peregrinus ſibi vendicaret. *Pone me* (inquit) *ut ſignaculum ſuper cor tuum;* ut ſcilicet norint creaturæ totum cor meum eſſe debere, quod ex clauſtro, ſignaculove coniicient. Non obſignaretur, ſi liceret aliis ejus habere conſortium. At minimè licet; ajente Auguſtino *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat*, & (quod caput eſt) primo, ac potiſſimo legis præcepto cor, mentem, animam, vires omnes Deus ſibi uni depoſcit. Cujus ſanè divini præcepti meditatio, ad animos permovendos vim efficaciſſimam habet. Quid enim homini utiliùs, honorificentiùs, ac voluptuoſiùs, quam ſic à ſumma Dei Majeſtate amari, ut ſolus ille puriſſimus candor, ſola illa ſuaviſſima pulchritudo totum ſibi cor (nullo vel angulo creaturis permiſſo) depoſcat; ut omnia ejus vota ubertim expleat? Profectò præclarè cum anima hominis agitur, cùm ei omnis alia conſuetudo interdicitur. Errat enormiter, cùm in Dei thalamum ullum procum admittit, cùm in reginam electa fuerit. Sanè quidam rex multis mendaciis à profanis ſcriptoribus
F celebratus, mulierem forma præſtantem ad ſua vota illecturus, ampli regni promiſſo animum ſic attentavit, & mollivit:

Ibis Dardanias ingens regina per Urbes,
Teque novam credet vulgus adeſſe Deam.

Cant. 8. 6.

E

S. Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 29.

Ovid. Heroid. epiſt. 16.

Et quicquid mendacia proſint, profectò verum eſt, regnandi ſpem ad flectendos animos, & arduitatem rerum difficillimarum ſuperandam vim maximam procreare. Cùm ergo ad regnum immortale, grandi pollicitatione anima Chriſti ſponſa vocetur, ſtultiſſimè aget, ſi aliis non æquè valentibus ſui copiam fecerit. Mutatio illa perſonarum *quia vidit, & præceperas*, Hebræis familiaris, ſic connecti poteſt: Hoſtis templum expilavit, hoc Deo permittente, quia vidit homines Judæos Ethnicorum ritu viventes ingreſſos ſanctuarium: quos jure tu, ſumme Deus, (Propheta ad Deum ſermonem convertente) *præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam.*

Regnandi cupido arduum neſcit.

G

CAPH.

Vers. 11. Omnis populus ejus gemens, & quærens panem; dederunt, pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis.

H

HISTORICE.

In excidio Jeroſolymitano, Chaldæis omnia diripientibus, populus preſſura famis ingemuit, neque panis ſuppetivit, tametſi gens afflicta illum perquàm ſeduld quæreret.

Scripta An. 1607.

At demum pretiosa quæque cum tenui victu ad animam cadentem recreandam commutavit: dixitque Urbs dejecta. Vide clementissime Deus, & expende in quantam ego vilitatem incurrerim: Vexatione quippè resipuit,

A

ALLEGORICE.

Plerumque populus Christianus verbi Dei, & Sacramentorum pastu destitutus alimentum vitæ ab Ecclesiæ pastoribus requirit, & quasi deliquium patiens ingemiscit: nam à multis sacrilegis Sacerdotibus cœlestes epulas ad animum resumendum, nisi pacto pretio impetrare nequit. Quocirca jure conqueritur Ecclesia; Intuere, æquissime Deus, ob Sacerdotum culpas, quàm ego despicabilis videar,

TROPOLOGICE.

Anima à Deo ob culpam repulsa intra se condit, atque complectitur numerosum virium tum superiorum, tum inferiorum, quasi populum sine fræno furentem, atque gementem. Qui ad caduca bona à vero, & sempiterno bono depulsus, Dei dona, divinasque virtutes planè pretiosissimas inanibus mundi oblectamentis permutat, ad animam scilicèt tantillum resocillandam, non verò exaturandam. Ubi postquam illa diuturno labore fessa non expletur, ad verum bonum illius filii prodigi more revertitur, & clamitat: Respice amantissime Deus quàm sim exposita neglectui.

B

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Joann. 6. 51. ORaculo Christi accepimus: *Ego sum panis vivus*. Panis hic animæ dum in tori fide permaneret, abundè suppetiit: tamen violata omnes animæ vires instar tumultuantis populi furentes mœstissimis gemitibus panem, hoc est, pastum hinc inde corradere festinarunt. Ablegata quippè semel Dei colendi cura, sollicitudo plurima successit, anima sibi satisfacere satagente, cui à Deo fiebat satis. Recte dictum est: *Jacta cogitatum tuum in Deum, & ipse te enutriet*, pactio enim quædam initur inter Clementissimum Deum, animamque divino cultui addictam, ne panis cordi casto desit, quantumvis mundus annonæ charitate laboret. Sic anima in fœdere constans ad lautam Christi mensam regiis dapibus alebatur: mox tamen, ac funesto divortio se subduxit multiplex appetitus quasi turbatus rabie famis exercitus ad alienas opes diripiendas excanduit. Qua in re ille loquendi modus planè mysticus est: *Gemens, & quærens panem*: Quo alluditur proculdubiò ad panem doloris à Psalte regio prolatum, & oppositum nutrimento justorum, quorum mensa frugalis lætitiæ castæ plena est, ut Vates idem cecinit: *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis*. Verùm quod subiici-

Ps. 54. 23.

C

Ps. 41. 5.

D

tur, miserrimum est: *Dederunt pretiosa quæque pro cibo*: Nihil æquè pretiosum, ac Deus: quem tamen anima cum modica voluptate, lucrove commutat. Longè aliter à Deo ipso anima æstimari consuevit, pro qua emenda se venundari pertulit: quæ certè existimatio ad commovendos animos, & amore inflammandos appositissima est. Quod autem additur: *Ad refocillandam animam*, seu juxta LXX. *revocandam*, τὸ ἐπιστρέψαι ψυχὴν, significatum auget, quasi præ fame anima penè à corpore sejuncta in corpus revocanda sit. Illa verò imploratio: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis*, genus quoddam pœnitentiæ continet: cum enim caducis bonis inhians anima nequicquam se laborare animadvertit, in verum bonum pressuris velut coacta suspirat.

E

LXX. Interpp.

LAMED.

℣. 12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

F

HISTORICE.

Pars Jerusalem pietate insignis communem casum miserata, ô vos, inquit, qui prætereuntes eversos muro, templum incensum, gentem cæsam, cæteraque infortunia mea cernitis, subsistite, precor, & dolorem meum æstimate, & cum quovis alio, quantumvis acri conferte. Existimo enim nullum fore parem: quia cùm essem vinea ex Ægypto translata, & à Deo fœliciter sata, & culta, nunc, novo quodam vindemiæ genere, convulsa sum, die ultionis decreto, vaticiniisque prædicto.

G

ALLEGORICE.

Gemens Ecclesia per duros piorum oculos, partem sui non exiguam hæreticorum dolis, & satanicæ suggestionis æstu partim in errores fidei adversos, partim verò in teterrima peccata prolapsam, eos, qui tanquam peregrini in cœlestem patriam, per excelsam, rectamque charitatis viam gradiuntur, sic exhortatur; Animadvertite vos, & cogitate, an dolor ullus in hac mortali vita cum dolore, quem ex interitu tot filiorum patior, queat comparari? An non expenditis, quàm acriter torquear, quia Clementissimus Deus, & sponsus meus insolito supplicii genere vites multas ex me vinea sua extirpari, die ad vindictam præfixo permisit, quemadmodum olim fuerat comminatus.

H

TRO-

Scripta An. 1607.

TROPOLOGICE.

Anima, quæ poſt divinæ gratiæ ſtatum, & opulentiam in culpam ſe præcipitem egit, & mancipium dæmonis effecta eſt, cùm jam malis erudita, incipit ſuam calamitatem, & extremam inopiam contemplari, alios in fœdere divinæ charitatis permanentes intuita,

A *ô vos, ait, qui per viam, quæ Chriſtus eſt, imitatione contenditis, immoramini, obſecro & perpendite, an dolor ullus cum hoc meo viſcera proſcindente componi valeat? Dei quippè ultio in me jure deſæviit, & ob culpam ſponte à me admiſſam, omnem paradiſi interni, quem in me Chriſtus ſibi conſeverat, & coluerat, amœnitatem, ipſa culpæ meæ, ac furoris ſui hora delevit: Sicut per antiquos Vates ſuos prædixerat.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NEmo profectò vim calamitatis æqua lance perpendet, qui proſperitatem anteactàm non attentè contemplabitur. Et quidem comparationis vim totam non exhauriet, qui ſpeculatione dumtaxat par-

B tem utramque compoſuerit. Senſus enim ille, quem prophetæ verba reddunt, ſine ſpectaculo præſenti, quo dolor concipitur, & augetur, exactè percipi nequit. Anima ergo, cui proſperitas divinæ gratiæ experimento comperta fuit, & nunc adverſam ſortem experitur, acerrimo dolore perculſa non ſatis calamitatem ſe lamentari poſſe ſine comitibus opinatur; proptereaque ad uberrimum fletum prætereuntes concit, & hortatur: O *vos omnes* (inquit,) quaſi diceret: Omnium, excepto nemine, ſenſum, & fletum exquiro. Appendite, ac juſta trutina metimini doloris magnitudinem. Deus quippè amœnitatem omnem iræ flammis, velut ſol æſtivus excoxit. Rectè; nam pro verbis illis: *Vindemiavit me*, alii vertunt, *coxit me*. Erat anima Deo accepta, hortus rore cæleſti virens, ac floribus & ſulcis aquarum è fonte vivo decurrentium irriguus, at æſtus iræ divinæ totam amœnitatem abſumpſit. Ratio ergo doloris immenſi animæ deformatio eſt, quæ ſub metaphora vindemiæ à propheta lugetur. Fuerat anima palmes à Chriſto vera vite ortus, ejus humore, ac vita in gemmas turgeſcens, ac proventum non mediocrem promittens: at ſtatim ac degeneravit, & aruit, juſtitiæ falce amputatus, infauſta vindemia reſectus, & igni devotus fuit. Hæc anima dum recolit, tantus, tamque vehemens dolor inceſſit, ut ad eam tragœdiam univerſi mundi theatrum expetat, & impleret. Cernit alios per viam tranſeuntes, hoc eſt, Chriſtum, qui via eſt, imitantes, quos ſublimes ipſa humilis intuetur: & tantò ſævior ingruit dolor, quantò ipſa ſibi illorum comparatione calamitoſior videtur. Et profectò vexatio ſuprema eſt, infenſo Deo, jure æternæ fœlicitatis amiſſo, viribus divinis exhauſtis, naturæ indomitæ furore ſæviente, Lucifero inſultante, torqueri, & tanquam rabidis lupis ovem neci deſtinatam obſideri. Omnia hæc ſanè graviſſima damna mente pertractat, & conſcientæ ſtimulis abſque ulla requie ſauciatur. E conſcientia quippè ſaucia erupere voces illæ: O *vos omnes*, &c. tanquam diceret: Si meam lanienam introſpiceretis, porrò, ſummus dolor repentè ſubiret: qualem ego telis multis confoſſa fero. E Quantus verò ſit læſæ conſcientiæ cruciatus, non ineptè deſcripſit Ethnicus ille:

..... Non tamen hos tu *Juvenal. Sat. 13.*
Evaſiſſe putes, quod diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Pœna autem vehemens, & multò ſævior illis,
Quas aut Cæditius gravis invenit, aut Rhadamantus
Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore teſtem,

Verum animam olim Chriſti ſponſam, quantò acrior ſtimulus urgeat, nemo niſi luce divina perfuſus dignè cenſebit. Verba illa: *Ut locutus eſt Dominus*, comminationes injuſtos puniendi, quæ in ſcriptura creberrimæ ſunt, proculdubiò indicant. F

MEM.

℣. 13. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorſum, poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam.

HISTORICE.

Vindictæ ignem oſſibus, hoc eſt, præcipuis meis firmamentis, templo ſcilicet, & arci Deus per Caldæos immiſit: & vexatione ſumma me fecit reſipiſcere, ut noſſem Deo ſoli fidendum, neque peccandum. Retia cuſtodiæ Chaldaicæ mihi prætendit: & me elabi conantem retrorſum coercuit. Devaſtatam, & perenni luctu conſumptam dereliquit. G

ALLEGORICE.

Exercuit me Deus (inquit Eccleſia) tyrannicæ, ac hæreticæ perſecutionis igne oſſibus, id eſt, firmioribus membris meis injecto, quia quò quis juſtus fortior eſt, eò acriùs infeſtatur. Hinc eruditior extitit parta periculis prudentia. Et quò ſa- H pientior fierem, ſi quando inſectationes hoſtium declinare conſtitui, Deus quaſi à fuga retibus objectis me compedivit: quod martyres fortiſſimi, & confeſſores multi hac ætate quoque pervincunt. Ex hoc

Animæ calamitas deſcripta

Anima quare hortus deliciarum? C

Cur palmes?

Chriſtus cur via dicitur? D

Animæ peccatricis vexatio deſcripta.

Scripta An. 1607.

hoc me in lectioribus membris meis solatio destituit, & sævientis adversitatis mœrore confecit.

TROPOLOGICE.

A *Postquam peccavi (inquit anima) vires meas validiores ossibus notat vexationis ob culpam illatæ, flammis Clementissimus Deus ad purum excoxit, at proindè prudentiorem ex lapsu effecit. Et ne ad voluptates, quibus illecta peccaram resilirem, me tanquam feram retrocepit, meosque motus lascivientes recussit. Jam verò culpis assuetam, ut sanctitatem ediscerem, ac præterita vitia expiarem, ab omni solatio alienam totos dies extabescere permisit.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

INdulgentiæ abusus cæcitatem, vexationis usus lucem parit: sicut scriptum est, *Vexatio dabit intellectum*, neque hujus asserti testes ignotos accire, uniuscujusque conscientiam convenire opus est. Nemo enim est, quamvis agrestis, & incultus qui vexationis exercitio patienter accepto non erudiatur: nemo quamvis ferus, qui laboribus immissis non mitescat. Cultura nimirum est, cui congruit altiore sensu illud:

Esai. 28. 19.

B

Horat. l. 1. epist. 1 v. 40.

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit:
Si modò culturæ patiens accommodet aurem.

Sic videlicèt sapientissimus Deus animas excolit, & illati laboris lima squallorem detergit: quod anima sub typo Jerusalem apertè fatetur ajens: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Quod usque adeò testatum est, juxtà omnem philosophiam, sive sacram, sive naturalem, ut à nemine in dubium revocari possit. Multò sanè sapientior Job post exantlatos agones: multò peritior Joseph post ærumnam: multò prudentior David post acrem infectationem. Quin etiam, cùm sine ulla exceptione, juxta effatum Apostolicum: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiantur*, necesse est eos omnes inde plurimum erudiri, ut Christi sapientiam ediscant. Verumtamen cùm anima originis culpa inconstans sit, & à statu primævæ justitiæ efferata recesserit, Christi sapientiam decuit non modò prolapsam restituere, sed ne relaberetur, præcavere. Quod Vates sanctus eleganter expressit, animam sic dicentem inducens: *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum.* Videtur apposita similitudo à venatione petita. Postquam enim canum infectatione fera conflicta est, solerti consilio eò compellitur, ubi prætensa retia exitum intercludentia incurrat. In hunc ergo modum inquit anima: Non solùm Clementissimus Deus, tanquam venandi peritissimus me prædam suam immissis laboribus quasi canibus cepit: sed captam quoque timoris vinculis compedivit, ne inconstans erumperem, & me passionum incitamentis proripientem, judicii sui metu recussit, retrorsumve convertit. Hinc ego salutari timore dies totos exigo, quod est: *Posuit me desolatam*, atque ad salutem ægritudine conficior, quod est: *Posuit me mœrore confectam*. Hic ad arcanam sapientiam annotandum est, animam à Deo captam, & in vincula conjectam depingi, ut postmodùm desolatio, mœrorque succedat. Ordo divinæ providentiæ mirus est, ut tunc anima cædatur, cùm eruditior, & securior post capturam effecta est. Lupus ille rapax Saulus priùs oculis, pedibus, toto corpore, animaque captus est, Christo feræ illius ossibus propè Damascum de excelso ignem immittente. Post capturam verò illam vasi electionis jam erudito, accessere carceres, pericula fluminum, ac prædonum, infectationes Judæorum, & labor ille verè Apostolicus, quo gloriosè perfunctus est. Magdalena (fera scilicet alia) Christo ignem divini amoris immittente, priùs in Urbe sancta capta est. Posteà, perennis exemplo pœnitentiæ, diutissimè cæsa fuit. Sic enim Dei gloria amplificatur, & animæ lucrum augetur.

2. Tim. 3. 12.

C

Similitudo

D

E

Animadversio.

Act. 9. 3.

Marc. 14.

F

NUN.

℣. 14. Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo; infirmata est virtus mea: dedit me dominus in manu, de qua non potero surgere.

HISTORICE.

G

Non jacuit jugum, hoc est onus scelerum meorum velut ex animantis collo depositum (inquit Jerusalem;) sed quasi vitalem vim ad collum meum deprimendum exercere visum est. Deusque tanquàm domiter feritatis meæ criminum meorum, quæ nunquam ei memoria excidunt, pœnas in unum coegit, & propriis manibus collo meo per Chaldæos imposuit. Ex quo pondus tantum ferre non valens, omni virtute prorsus destituta sum. Væ mihi, quia Deus ipse me subdit Regi Chaldæo, cujus imperio liberari non potero.

ALLEGORICE.

H

Severè ob enormia flagitia à sceleatis Christianis admissa plector, inquit Ecclesia. Onus peccatorum quasi grave jugum gesto. Pœnam quippe de me acerrimam sumit ipse Deus eam multis ex capitibus coagmentans, & cervici meæ graviter inferens. Quamobrem mea virtus elanguit

eo-

Scripta An. 1607.

eoque laborum concidi, unde quantovis robore valeam, (nisi propitietur ipse) ad primævam prosperitatem minimè resurgam.

TROPOLOGICE.

A *Sanè non obdormiunt scelera mea, inquit anima; sed me ad Dei tribunal postulant, & quasi onera gravia capiti meo imminent. Et (quod horret animus) à Deo ipso æquissimo judice illorum, supplicia in unum volumen conjuncta, & collo meo immissa sunt: quapropter viribus exhaustis emarcui. Hei mihi, quia diu torquendam me Deus dæmoni victori permisit, à cujus tyrannide, quod ad meas vires attinet, neutiquam me propipere valebo.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Culpa grave pondus.

VErum proculdubiò est, culpam grave pondus esse, ac instar jugi hominem animantibus jam similem deorsum premere.

B Cùm enim à recto statu, in quo primus homo conditus fuit, ut Cœlum suspiceret, hominem ad humilia fluxorum bonorum desideria degravet, jugum molestissimum, nimiumque ponderosum oportet esse: neque ulla potuit imago aptior excogitari ad peccati molem exprimendam, quæ universos Adæ posteros deprimit. Sed inauditum, valde tamen arcanum est jugum vigilare. Sanè si è re corporea sensum eruere placeat; si jugum animantium vita polleret, cùm actus ejus vitalis esset, collum obligare, atque deprimere, nunquam ab animantium collo gravando desisteret, ne vita careret. Atque in hunc modum peccati pondus concipiendum est. Licèt enim quoad cætera, peccatum sit animæ mors; quod tamen ad eam torquendam, & inclinandam spectat, vim quandam vitalem, & immortalem habet: quam peccatores in hoc sæculo patiuntur, & ævo sempiterno persentient. Probè intellexit hoc qui dixit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Non satis visum est peccatum appellare onus, sed onus grave, nec solummodo grave, sed gravatum, quo vis illa opprimens peccatorem innuitur. Cujus asserti persuasio est, quod attexitur: *In manu ejus convolutæ, & impositæ collo meo*, equus certè quantumvis detrectet, semel tamen jugum subiens, ejus excutiendi impos est, solaque impositoris manus jugum avertit. Sic Deus culpas animæ unum in volumen compositi, & inclinatæ imposuit, ut spes in uno illo tota collocetur. Congruit, quod subditur: *Infirmata est virtus mea*, quæ scilicet jugum reijcere nequit: quod per subjuncta verba liquet: *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.* Profectò enim ex quo peccavit, de anima actum est: sola enim Dei clementia malum hoc immensum depellere valet. Explanatio hæc

Quomodo concipiendum?

Psal. 37. 5.

Alia explicatio.

tota ponderi culpæ tributa est: posset tamen & pœnæ tribui: ut jugum iniquitatum pœna dicatur, qua mala plectuntur. Sic enim Jeremias Capite primo, vidit vigilantem virgam, hoc est, ultionem, seu pœnam, cujus virga symbolum est. Ad hunc ergo modum jugum vigilans hîc licet interpretari. Anima certè dum peccat, quasi lasciviens vitula per prata vagatur: at dum infertur supplicium, rectè sub jugum coerceri asseritur, cætera juxtà primam interpretationem explananda.

E Anima peccans, vitula lasciviens.

SAMECH.

F ℣. 15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Juda.

HISTORICE.

In captivitatem Babylonicam, inquit Jerusalem, Deus adduxit viros omnes illustres meos, sapientes Prophetas, Principes. Tempus ultionis præfixum, velut hostem mihi iratum accedere jussit, ut viros insignes meos aboleret. Hei mihi, quia me, quam seu puellam intemeratam olim custodiebat, Chaldæis proculcandam permisit, ut sanguis civium meorum quasi torculo expressus efflueret.

ALLEGORICE.

G Heu me, inquit Ecclesia, quia ad immania Christianorum scelera expianda, Deumque placandum, viri sanctitate eximii ægrè suppetunt: justo quippè Dei judicio sublati videntur, ut ira impunè grassetur. Profectò Deus mihi infensus, tempus vindictæ præstitutum invexit, ut mei partem satis lectam, viris piissimis olim florentem, hoc est, regna celeberrima Orientalia, Australia, & Septentrionalia à fidei hostibus everti pateretur. Etenim viri clarissimi defecerunt: & candidatorum martyrum sanguis, tanquam expressum torculari mustum, ab Ethnicis & sectariis effusus est.

TROPOLOGICE.

H *In scelerum vindictam, rerum divinarum sensus planè magnos, inquit anima culpæ conscia, sustulit mihi Deus. Et imperavit tempori admissæ culpæ, ferret adversum me testimonium vindictæ, quam commerui, ut pro tribunali sedens omnes pios motus, quibus olim excitabar, auferret. Quin etiam & me tot auxietatibus, & quasi peccatorum funibus adstrinxit, ut sanguinem quasi mistum è calcatis uvis expressisse videatur.*

Ex-

Scripta An. 1607.

Expensio Tropologiæ.

UNus è supremis doloribus, qui animam in peccatum prolapsam excruciant, interna desolatio est; qua contrahitur, atque deiicitur, ne quid excelsum aggrediatur. Quemadmodum enim, favente Deo, velut
A navis secundis ventis acta fortiter audebat; sic repellente Deo, tanquam ventis adversis recussa nihil egregium molitur, sed oppressione summa penè demergitur. Propterea conqueritur: *Abstulit omnes magnificos, sive* (juxta LXX.) *omnes fortes meos,* ἐξῆρε πάντας τοὺς ἰσχυρούς μου. *LXX. Interpp.* Omnis quippè illa virium internarum armatura, omnis illa fortitudo à præsenti, ac propitio Deo exorta, culpæ vastitate sublata, & imbecillitate nimia commutata est. Quod eo luctuosiùs accidit, quò Deus severiùs judicium ad culpæ vindictam exercuit. *Vocavit* (inquit anima) *adversum me tempus, ut contereret electos meos;* ac si planiùs diceret: Tempus illud mihi apparenter jucundum, quod ego ad secretò, ac impudenter agendum observavi, Deus in pu-
B blicum prodire jussit, ut mihi in meæ salutis causa adversaretur. Horas illas volupatibus clam impensas evulgavit, & ab eis me coargui jussit æquissimus ille Judex, quem nihil omnino latet: Nathan à Deo missus dixit David, qui occultè peccarat: *Tu fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis hujus.* 2. *Reg.* 12. 12. Rectè scriptum est: *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* *Ps.* 74. 3. Ubi duo pensitanda sunt. Unum, quod ad tempus spectat, quod Deus se accepturum comminatur, quasi dicat: Hucusque non accepi tempus: homines acceperunt, ut abuterentur: ego verò cernens eos tempore abuti, accipiam illud, ut benè utar, & peccatores plectam. Alterum, quod expendi debet, est illud: *justitias judicabo:* si enim operibus piis dijudicandis, explorandisque tempus à
C Deo decretum est, quid de turpibus peccatis sentiamus? *Omnia tempus habent*, justitia prosperum, iniquitas adversum. *Eccl.* 3. 1. Quod verò subtexitur: *Torcular calcavit Dominus*, pressuræ amplificatio est; ut pateat animam legi Dei parere nolentem in eas deniquè angustias compellendam, ut ab ea sanguinem Deus exprimere velle videatur. Turget uva è luxuriante vite pampinis obtecta dependens: at decreto autumni tempore, quodam rei rusticæ supplicio, torculo premenda est.

Animadversiones.

A I N.

D ℣. 16. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.

Historice

Propter judicii severitatem, quam patior, lachrymarum vim effundo (*ait Jerusalem*) *quia Deus, qui me olim solabatur, animumque meum à creaturis ad se amanter revocabat, à me longè recessit. Civesque mei ope divina destituti pericrunt, quoniam Chaldæus invaluit.* E

Allegorice.

Cernens ego (inquit Ecclesia) divinæ ultionis magnitudinem, qua ob filiorum meorum crimina plector, fletum reprimere nequeo: præsertim cùm Clementissimus Deus, unicum scilicet solatium, quo animus meus capiebatur, opem subtraxerit, porroque discesserit. Hinc plurimi filii mei ab hostibus, id est, tartaro, mundoque prostrati infœliciter interierunt.

Tropologice.

Motibus divinis (*inquit anima*) *quibus urgebar extinctis, ego reatu culpæ obstricta, perenni fletu resolvor: quia dulcissimus Deus solator, & instructor meus procul abscessit, sensus proindè mei corrupti sunt, hoste tartareo prævalente.* F

Expensio Tropologiæ.

LUculentiùs hîc anima suum sensum evulgat, dùm se largè flere ob desolationem profitetur. Vix certè dici queat, anima, quæ materna Christi indulgentia, dulcissimo lacte ali consuevit, postquam in arentia mundi deserta repellitur, status illius memor quàm funestè tabescat. Lachrymis potiùs quàm eloquentia sensus ille se prodit: vim quippè sermonis arguti lachrymæ apud sapientes habere solent, ut ostendit ille; G

Quascunque aspicies lachrymæ fecêre liturras:
Sed tamen hæ lachrymæ pondera vocis habent. *Ovid. Heroid. Ep. 3.*

Sed meliùs ille facer: *Auribus percipe lachrymas meas*: nisi enim lachrymæ, voces, aut verba essent, non postularet audiri. *Idcirco ego plorans*, inquit anima, quasi apertiùs sic effaretur: Nequeo lachrymarum impetum compescere: binos fontes, oculos duos gero, è quibus binos rivos effundo; neque mirum, quia dulcissimus Deus, quem mihi præsentissimum experiebar, & cujus gaudia quàm suavissima delibabam, tanquàm hostis à me procul abscessit. Profectò ratio efficacissima est, cui fidem astruit luctus ille maximus Israelis, irati Dei recessum deflentis: quem neque Angelus à Deo ad castra ducenda promissus sedare potuit: neque enim absistente Deo, Angelorum societas ad animam solandam satis foret. Porrò verba illa: *Longè factus est à me consolator convertens animam* *Ps.* 38. 13. *Exod.* 33. H

meam

Scripta An. 1598.

meam, amantis jam hominis, quià peccato, ſupplicio reſipuit, argumenta ſunt. Omnis autem amor abſentiæ ſenſu, tanquàm diro vulnere ſauciatur, & receſſum, abſentiamque præ morte timet: ut patet ex languore Sponſæ in Salomonis Cantico ſic adjurantis: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntictis ei, quia amore langueo*; & ex illo humaniore:

Cap. 5. 8.

A

Devorer antè precor ſubito telluris hiatu,
Aut rutilo miſſi fulminis igne cremer;
Quàm ſine me Phœbi caneſcant æquora remis:
Et videam puppes ire relicta tuas.

Ovid. Heroid. Epiſt. 3.

Quando ergò divinus amor incipit urgere, quantò penitior & acerbior ſenſus invaleſcat? Quod verò ſubditur: *Facti ſunt filii mei perditi*, dejectos, ac depravatos ſenſus, quos anima filios ſuos appellat, orbatos Dei ſolatio, & à dæmone expugnatos oſtendit.

B PHE.

℣. 17. Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam: mandavit Dominus adversùm Jacob in circuitu ejus hoſtes ejus: facta eſt Jeruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos.

HISTORICE

Jeruſalem (ſynechdochicè à nobiliore ſui parte, Sion) more Virginis à procis invaſæ, & manibus elatis opem implorantis, auxilium à propinquis urbibus poſtulavit, nec impetrare potuit: Nam Deus vicinos populos, Chaldæis fœderatos, ad ſtirpem Jacob affligendam deſtinavit. Ex quo Jeruſalem ritu mulieris menſtruæ ſanguine fluentis ab inimicis polluta ſorduit.

C

ALLEGORICE.

Inter atrociſſimas Ethnicorum, & hæreticorum inſectationes, Eccleſia ſupplex manibus expenſis, ſæpè Deum precata eſt, & à Chriſtianis principibus auxilium poposcit: interdumque nihil ſolatii reportavit, quòd Deus æquo judicio peccata ulciſci decreviſſet, ac hoſtes vicinos ad Eccleſiæ obſidionem velut armaſſet. Unde tanquàm menſtrua patiens, tetris hoſtium vitiis adhærentibus inquinata eſt.

TROPOLOGICE.

D

Anima, cui ſe Deus ſubtraxit, ſupplici precantis habitu auxilium petiit, nec obtinuit. Deus quippe dæmonibus eam vexandam expoſuit. Quo ſanè tentamento excruciata, deformis, & ſquallida viſa eſt.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MUlta orandi, negotiaque gerendi peritia vexatione paratur. Anima & verbis & geſtibus ſupplices libellos componit, & porrigit. Animadvertit quippe ſe graviter peccaſſe, & ſtrenuitate multa ad Deum exorandum indigere: quod elatis clamoribus, manibuſque protenſis oſtentat. Rectè dictum: *Cùm occideret eos, quærebant eum.* Porrò vel ipſi latrones, & ſacrilegi in vincula conjecti, repentino gymnaſio, precandi conſulti fiunt: neque Pharaoni & Antiocho, dum vexarentur, orandi ſtudium, quamvis ſterile defuit. Anima verò hic ſaniore & utiliore conſilio precibus intenſiſſima depingitur: & neutiquàm exauditur, cùm Deus pœnam de illa ſumere decreverit: quod illa verba demonſtrant: *Mandavit Dominus*, ſcilicèt abſoluto decreto, ſive imperio. Quod ſanè divinam juſtitiam, bonitatemque decere compertum eſt: Juſtitiam quidem ob injuriam illatam, bonitatem verò ob ipſius animæ multiplicem fructum, quem, Deo eruditore, ex vexatione reportat. Culpam indulgentiſſimè condonat Deus. Intereſt quippe animæ in Conditoris ſui gratiam redire, neque ratio ulla promi valet, ob quam expediat ea gratia carere: at non ſemper expedit pœnam relaxare: Immò plerumque anima immenſam æternorum bonorum jacturam faceret, ſi pœnam Deus ei remitteret. Nam præter ignis purgatorii cautionem, vitiorum extirpationem, & præſervationem à futuris caſibus, ingentia merita, incrementaque gratiæ, & gloriæ perquiruntur. Hinc efficitur, ut clementiſſimus Deus ad preces importunas videatur obdureſcere, cùm pro juſtorum ærumnis arcendis imploratur. Ut ex uno Job patere poteſt, ſic ajente *Clamo ad te & non exaudis me; mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.* Majus quippe clementiæ genus eſt, ſinere, ut anima morbis, inſectationibus, ariditate, tentamentis exerceatur, multiplices coronas de vexatione recepturа, quàm ob altos gemitus, diſcuſſis nubilis ſerenitatem feſtinatam afferre. Conſilium profectò divinum eſt, cui apprimè congruunt ſubjuncta verba illa: *Facta eſt Jeruſalem, quaſi polluta menſtruis inter eos.* Anima enim hoſtibus ad expiandam culpam, cæleſti conſilio permiſſa, derelictione gravi ſquallere videtur, in ſterquilinium quaſi rejecta, & ſordibus horrida. Verùm tametſi hominibus externa tantùm æſtimare aſſuetis polluta videatur, reverà internè nitida, & munda conſiſtit: quod viris arcanæ ſapientiæ conſultis perſpectum eſt. Sanguis menſtruus fæx quædam eſt, quæ dum egeritur, corpus mundatur, ſive purgatur: ſic dum vitiorum fæces expelluntur, anima, licèt immunda videatur, purgatione munditiam, & nitorem acquirit.

E

Culpam condonat Deus, non pœnam.

F

Pſal. 77. 34.

Job. 30. 20. 21.

G

Similitudo

H

SADE

℣. 18. Juſtus eſt Dominus, quia os

Scripta An. 1607.

os ejus ad iracundiam provocavi audite obsecro universi populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem.

A

HISTORICE.

Fateor (ait Jerusalem) judicem æquum esse Deum, qui de me pœnam sumit: eum quippe injuria lacessivi, ut sententiam in me pronuntiaret. Nunc ergò aures mihi attentas præbete populi, & contemplamini, quantopere doleam, quia flos adolescentiæ meæ in Chaldæam pertractus est.

ALLEGORICE.

Omninò verum est (inquit Ecclesia) Deum justitiæ auctorem esse, jureque pro criminibus mihi pœnam inferre; quia ut me torqueri juberet, ego eum adegi. Sed

B nunc, ô vos, qui hanc ærumnam intuemini, audite querimonias meas, & cruciatum meum æqua lance perpendite. Torqueor enim, dum cerno puellas virgines, adolescentes decoros, Ethnicorum ritu, per turpissima peccata in dæmonis captivitatem abduci.

TROPOLOGICE.

Æquus proculdubiò Judex Deus est (inquit anima,) qui me punit ob culpam, qua eum ad ferendam in me pœnæ sententiam irritavi. Modò verò attendite, precor vos, qui rem nostis, & doloris magnitudinem cogitate. Vires enim meæ interiores, quæ candore virgineo, & virili robore in Christi consuetudine præstabant, culpæ sordibus

C *fœdatæ, & ad servitutem sensuum damnatæ, atque ne ad Patriam suspirent, deorsum peccati pondere devolutæ sunt.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Syncera culpæ confessio quam utilis?

SYncera culpæ confessio ad animam prosperandam, Deumque placandum opportunissima est. Apud mortalium tribunalia criminis confessionem mors excipit; sed apud immortalem judicem confessio flagitii vitam mortis expertem infert. Propterea anima laboribus erudita, palàm, ingenueque fatetur Deum æquissimum judicem esse, neque sponte sua, sed irritatum scelere, pœnam irrogasse. Ecce elogium; *Justus est Dominus*, scilicet puniens, subditque causam: *Quia os ejus*

D *ad iracundiam provocavi*, sive, ut ex He-

Textus Hebraicus bræo vertitur: *Quia ori ejus rebellavi*, quia nimirum ei verba facienti, seu præcipienti non obtemperavi. Subiicit verò spectaculum dolore plenum, ad quod intuendum populos convocat universos, *Virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem*. Vires interiores, quæ animæ proles nobilior est, in Christi consuetudine virginea puritate, ac virili fortitudine pollentes, in captivitatem sensuum à dæmone pertractas conqueritur. Norunt sanè, qui spiritualia sensa subierunt, quàm sit ærumnosa captivitas, vires illas cœlesti mensæ assuetas, infœlici sorte ad belluarum pabula graviter arceri. Etenim memoriam quæ solas rerum divinarum imagines servabat, intellectum, qui cœlestia sola concipiebat, voluntatem, quæ sola charitate flagrabat, ad lutulenta mundi, carnisque commercia devolvi, summi doloris occasio est. Modus autem ille dicendi: *Virgines meæ, Juvenes mei*, ad affectum commovendum vim habet insignem. In urbium quippe expugnationibus nihil æquè calamitosum videtur, ac ætatem illam, spem scilicet urbium, flore primævo marcente, in alienam ditionem abduci.

Captivitas Animæ descripta.

E

COPH.

℣. 19. Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me: sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.

F

HISTORICE.

Ego Jerusalem Chaldaicam sævitiam pertimescens, Ægyptios fœderatos vocavi, ut mihi suppetias ferrent, à quibus tamen decepta fui, quòd non tàm Deo, quàm hominibus fidissem. Et quod luctuosissimum est, sacerdotes, ac viri ætate, prudentiaque provecti, fame interierunt, quia cibum ad resumendas vires quæsiêre, nec perquirere potuerunt.

G

ALLEGORICE.

Ego Ecclesia Principes sæculares, in speciem amicos meos, dum bellis urgerer, obsecravi, mihi opem impenderent, ac spem meam fefellerunt. Et, quod meritò lugeo, Prælati, ac Sacerdotes, virique sapientia (quæ vera mentis senectus est) insignes, ob usurpata à sæcularibus, aut certè iniquè distributa Ecclesiastica bona, victu necessario ad vitam alendam minimè intento, interierunt.

TROPOLOGICE.

Ego infœlix anima, ut tantillum recrearer, sensus meos ad solatia mundi captanda evocavi, & ab eis seducta fui. Vires superiores meæ, quæ sacerdotum more spirituales hostias immolare consueverunt, & senili prudentia fuerant insignitæ, miserè dejectæ sunt, nam bonorum cœlestium pastu interdicto, ad caducorum pabulum delapsæ cibum

H

ve-

Scripta An. 1607.

vetitum exquisiere, quo me cadentem recrearent; nec res ex voto successit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Animæ viatricis descriptio.

A FAmiliare est afflictis universis amicorum societatem exquirere: anima verò quamdiu pondus corporis gestat, anxietatibus multis obsidetur. Cælestia ægrè percipit, & ab eorum intentione se ipsam relaxat, ut præsentia bona, quibus vehementiùs afficitur, deguștet. Sensus externos, amicos appellat: arctissima quippe illorum conjunctio, & ad eos fovendos, atque pascendos ex corruptione naturæ, maxima certè animæ proclivitas est: neque familiaritatem æqualem (ut arcanè loquamur) inter animam, & superiores ejus vires deprehendimus. Anima ergo plerumque vexata, superiorum virium consuetudine prætermissa, sensibus, ut solatia captet, uti decernit, à quibus graviter seducitur. Amore quippè apparentium bonorum penitùs impresso, quicquid sanctum & maturum est, citò collabitur. Hoc enim portendùnt verba illa, *Sacerdotes mei, senes mei consumpti sunt*, vires nimirum superiores, quæ sacras, ac seniles functiones, ad Dei cultum, tanquam in parte templi suprema obeunt, ab anima sensibus indulgente deprimuntur, & ad concupiscentiæ pastum afficiuntur: unde omnis religio sacerdotibus notata, omnis maturitas sensibus adumbrata consumitur. Neque spectaculum hoc inauditum, aut rarum est; passim quippe non sine dolore conspicimus, sensuum indulgentia è statu mentis homines quoque sanctitatis laude claros deturbari. Per licentiam enim sensuum cibum quærunt, hoc est animam recreare satagunt, neque succedit refrigerium. Nam post ea verba: *Ut refocillarent animam suam*, additur juxta LXX. *Et non invenerunt*, καὶ οὐχ εὗρον. Subest altera interpretatio, usu quotidiano comperta. Anima videlicet amicos accersit, à quibus, quæ à Deo non hausit, gaudia eliciat. Quid enim frequentiùs, sive morbi, sive adversa fortuna, sive tentamenta ingruant, quam parùm pios amicos accire, qui mœroris depellendi prætextu parùm salutaria consulunt, & amicitiæ colore seducunt? Hinc efficitur in admissi sceleris pœnam, ut neque senes, hoc est, maturos consiliarios, neque sacerdotes, qui purè sacra ministrent, peccator inveniat; sed in lupos pro pastoribus suppositos, temporalia, per functiones sacras lucra captantes incurrat: quo nihil ærumnosiùs excogitari potest.

Aliquando seducitur a sensibus.

Sacerdotum significatio.

B

LXX. Interpr.

Alius textus explicatio.

C

RES.

D ℣. 20. Vide Domine, quoniam tribulor: conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum, foris interficit gladius, & domi mors similis est.

HISTORICE.

Contemplare mitissime Deus (ait Jerusalem,) quam dire torquear: more gravidæ mulieris fastidia fœtus, hoc est civium, quos velut parens utero gessi, perpetior. Cor meum in calamitosum statum à firmo & prospero versum est: quia incredibili amaritudine ob Chaldaicum gladium extrinsecùs cædentem, domesticumque mœrorem morti similem excrucior. E

ALLEGORICE.

Respice amantissime Deus (inquit Ecclesia,) quantopere discrucier. Venter meus, quo filios à te genitos fero, scelerum convulsionibus commotus est. Cor meum perturbatum est, ac mœstitia conficior, quia Infidelium gladii externo, & filiorum crimina interno & quasi domestico vulnere me sauciant.

TROPOLOGICE.

F

Intuere dulcissime Deus (inquit anima) calamitatem meam: intellectus meus, qui cœlestia lumina, ceu venter concipiebat, obturbatus est: voluntas, spirituale scilicet cor meum, à quo vita procedit, à statu suo concidit, ob culpæ amaritudinem, quam externa persecutio, internaque & quasi nata domi vexatio morti persimilis ingerit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NEmo inter mortales satis perspicaces oculos nactus videtur, ad calamitatem à peccato invectam dignè perpendendam. Quapropter sapienter anima tot malis obsessa, Deum ægritudinis suæ dignum expensorem, solumque depulsorem interpellat: *Vide* (inquit) *Domine*, ac si diceret: Alii satis cernere nequeunt, tu, qui solus nosti, precor, me tot telis impetitam contemplare. Hanc vim habent illa regii Psaltis verba: *Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita.* Et illa: *Vide, quoniam tu laborem & dolorem considerας.* Solus nempe ille culpæ insipientiam, & inde ortum dolorem dignè ponderat; idcircò illum solum deprecatur. Reddit verò ejus persecutionis rationem à quatuor capitibus amplificatam, à ventre, hoc est, intellectu perturbato, à corde, id est, voluntate subversa, à gladio, hoc est persecutione externa, à morte, id est à desolatione intrinsecùs nata. Permagni profectò interest, gravissima peccati damna habere perspecta ad animum virtutibus instruendum, & tentamenta ante lapsum constanter propulsanda. In arcano sermone venter intellectus appellatur, ut patet ex illo: *Ex utero* (hoc est, intellectu) *ante luciferum ge-*

Psal. 68. 6.

Psal. 9. 14.

G

Ventris, cordis, gladii, & mortis significatio.

H

Scripta An. 1607.

nui te. Culpæ autem proprium est intellectum obscurare, ut ex Adæ, *Qui cùm in honore esset, non intellexit*, ruina liquet. *Ps.* 48. 13. Hoc ergo primùm anima queritur: moxque voluntatis subversionem, hoc est, depravationem attexit, in qua totius rei cardo vertitur. Intellectus quippè eclipsis parùm noceret, si voluntas recta constaret, cùm ex
A hac meriti, aut injuriæ ratio petatur. Verùm cæcitas, & perturbatio intellectus proximæ voluntati, vehementer offecit, ut Deum irritaret. Ratio verò cur voluntas in arcano sermone appelletur cor, multiplex
Cordis natura, & actus. est. Prima, quia sicut cor primò generatur in animali, sic in morali bonitate, animæ prima pars bonitas voluntatis est. Secunda, quia fons quidam arteriarum & caloris nativi cor est: sic voluntas, in qua sedet charitas caloris divini, hoc est, amoris, qui cæterarum potentiarum actus afficit, ac perficit, origo est. Tertia, cor primò movetur in animali: sic voluntas primò in finem tendit, ex quo cæteras vires ad finem permovet. Quarta, omnes passiones perficiuntur in corde, licèt non omnes ab eo primùm oriantur: sic omnis actio humana, licèt aliunde orta, voluntate completur.
Cor nobilissima corporis pars. Quinta, cor nobilissima corporis pars est, adeò ut sedes vitæ à multis appelletur: sic voluntas (quod ad vitam præsentem spectat) nobilissima virium animæ est, ob divinæ charitatis habitum ibi repositum, qui est animæ vita: sine qua neque intellectus, neque
B vires aliæ spirituali vita pollent, neque ad æternitatem quidquam conferre valent. Hoc est spirituale cor à Deo summopere expetitum, cujus ægritudinem nunc anima subnotat, & graviter lamentatur ajens: *Subversum est cor meum in memetipsa*, quasi diceret: Voluntas à statu rectitudinis eversa est; subdit verò vim ingentem mœstitiæ, ob quam cor videatur concidisse; *Quoniam amaritudine plena sum*: quorum verborum sensum altè LXX. Senes sic reddiderunt,
LXX. Interpp. *Quoniam exacerbans, exacerbata sum*, ὅτι παραπικραίνουσα παρεπικράνην, tanquam planiùs fateretur: anxietas hæc mea justè rependitur: ego exacerbavi Deum, & ab eo viciſſim exacerbata, seu excruciata sum. Ex hoc ipso capite ducit originem gladius,
C hoc est, hostium animæ sævitia, & interna vexatio, domi, id est, è propria conscientia nata, quæ morti inexorabili simillima est; conscientia quippe, sicut & mors nemini parcit.

SIN.

℣. 21. Audierunt, quia ingemisco ego, & non est, qui consoletur me: omnes inimici audierunt malum meum. Lætati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & fient similes
D mei.

HISTORICE.

Chaldæis nutiatum est, (ait Jerusalem) me lugere, nec auxilium mibi, quod sperabam ferri: nuntium accepere feri hostes calamitatis meæ, gavisique sunt vehementer, quia te mibi iratum ea mala irrogasse noverunt. At tu clementissime certo providentiæ & justitiæ tuæ tempore solaberis me; illique tunc acriter torquebuntur, quemadmodùm torqueor ego. E

ALLEGORICE.

Hæretici, cæterique fidei hostes certo reatu norunt, (ait Ecclesia) me graviter ingemiscere, nec à Principibus & Prælatis Christianis (ut par erat) adjuvari. Inimici sanè mei libenter mali mei tragœdiam audierunt, & ultorem te (summe Deus) existimantes, impensè delectati sunt. Verùm firmiter spero, me post exantlatos dolores hos à te, ineffabili solatio recreandam, hostesque meos similiter plectendos. F

TROPOLOGICE.

Certò norunt dæmones feri hostes mei (inquit anima) me sub gravi peccati pondere gemere, neque subesse solatium. Omnes inimici tartarei grandem ultionem hanc cum plausu acceperunt: & placuit eis summoperè, te mihi, clementissime Deus, infensum, pœnæque gravissimæ exactorem esse. Sed vices permutabis; & ego à te post expiata crimina, humanè tractabor, illique pœnam acerbissimam luent.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Orandi necessitas. UNa è potentissimis rationibus, ob quas anima Deum exorare adnititur, hostium efferatorum, ac ejus punitione vehementer exultantium insolentia est: quod utinam universi homines, antequàm se in flagitiorum abyssum præcipites agerent, meditarentur. Hinc enim odium immane in Deum, & furor impotens in genus nostrum patescerent; neque adeò leviter tacti homines in hostium atrocissimorum manus sua sponte concederent. *Audierunt* (inquit anima) *scilicet hostes mei, quia ingemisco ego*. LXX. Interpretes secunda persona usi sunt: *Audite obsecro quia ingemisco ego*. Ἀκούσατε δὴ, ὅτι στενάζω ἐγώ. Subiungitque, *Et non est, qui consoletur me*, ac si patentiùs assereret, uno Deo excluso, tametsi omnia mundi oblectamenta in unum contraheret, se omni prorsus solatio carituram. Hinc tartarei hostes, quà possunt, festiviter agunt, animæ damna intentissimè audiunt, & lætitiæ signa exhibent. Ponderanda sunt verba illa, *Lætati sunt, quoniam tu fecisti*, nihil enim jucundiùs Lucifero accidit, quàm Deum hominibus infestum experiri: captat enim (si more nostro dicamus) quoddam de punitionis consortio solatium: & quasi sub irati Dei vexillo animam G LXX. Interpp. H

Scripta An. 1607.

mam sub onere supplicii gementem oppugnat. Discriminis tamen ratio habenda est: Deus nimirum ad animam expurgandam, Lucifer ad eam pervertendam pœnas immittit. At verò qui cupit vexatione sapienter uti, in Deum oculos collimet necesse est, ut meritum augeat, & solatium: Quod verba illa ad

A pœnam spe firma leniendam opportuna, demonstrant, *Adduxisti*, hoc est, adduces ob certitudinem vaticinii, *diem consolationis*, & *fient similes mei*. Homo in horas singulas mala patiens evadit sapientior. Ait ergo anima: Certò novi, summe Deus, me ad tempus torqueri, neque vindictam in æternum sævituram: propterea patienter omnia feram, neque hostium meorum exprobatione animum despondebo. Proculdubiò, expleta punitione, solaberis me: illique me jam expiata, & ad æterna solatia evecta, sempiterno dolore torquebuntur. In sensu historico latet arcanum quiddam sub illis verbis: *Lætati sunt*, *quoniam tu fecisti*. Posset enim quis scisscitari, quomodo Chaldæi norint excidium Jerosolymitanum à Deo irato profectum fuisse, ut eo Dei supplicio lætarentur, sicut textus ostendit; sed responsio in promptu est, fama

B quippè olim percrebuerat, Hebræos Deum colentes insuperabiles esse, peccantes verò

Judith. c. 5. & 7. ab hostibus superari. Cujus rei Achior Holofernem, Bethuliam obsidentem, disertè, ac sapienter admonuit: ex quo rectè coniicitur rem vulgatissimam fuisse. Quæ profectò eruditio ad animam in Dei timore continendam appositissima est.

Animæ adlocutio.

THAV.

℣. 22. Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos, sicut vindemiasti me propter iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

C

HISTORICE.

Impensè precor te, summe Deus (ait Jerusalem) ob scelera sua Chaldæi ad tribunal tuum pertrahantur, & superbam eorum urbem Babylonem funditùs everte, sicut ob peccata mea evertisti me. Vehementes quippè gemitus, intimaque mœstitia hoc à me votum pro justitia tua, meaque defensione reposcunt.

ALLEGORICE.

Deferantur obsecro ad te, Deus æquissime (inquit Ecclesia) omnia tyrannorum & infidelium me obsidentium flagitia, & eos

D severè plecte, sicut (ob admissas culpas) plexisti me. Magnitudo enim luctus, ac fletus mei, justitiæ tuæ contemplatione, & fusa pro vindicta mea oratione lenitur.

TROPOLOGICE.

Dæmonum sævitiam omnem (inquit anima) judica clementissime Deus, ora te, ac demum eos æternis vinculis compeditos ex orbe terrarum in tartarum detrude: quemadmodum in carcerem tantarum ærumnarum (exigentibus culpis meis) detrusisti me. Cordis nempe afflicti gemitus, ac mœror impotens tuam vindictam me optare quasi compellunt.

E

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NOn ab re Adæ posteri votis omnibus Luciferi, ac ejus satellitum vindictam exoptant, & efflagitant, subest enim efficax sanè ratio, quæ Angelos apostatas ab hominibus quantumvis scelestis, longè discernit. Illi enim non incitati ferociter in conditorem suum rebellarunt, homines verò extimulati corruerunt. Neque ullis eloquentiæ viribus dæmonum sævitia, nocendi cupiditas, & impetus in homines æquari possunt. Quamobrem animadvertens anima, quam nefariè hostes in ejus malum conjuraverint, supplicem quasi libellum Deo in hæc verba offert: *Ingrediatur omne malum*, id est, malitia; juxta LXX. *eorum coram te*, subditque, & *vindemia eos*, *sicut vindemiasti me*, vel juxta LXX. ὄντρυγον ἐποίησαν ἐπιφυλλίδα, *sicut vindemiam fecerunt*. Vindemia itaque arcana, quæ animæ punitio est, & Deo tanquam Judici, & hostibus velut carnificibus tribuitur. Et ob atrocitatem, & animi perversitatem, qua illi justa Dei punitione ad malum abuntur, anima ejus vicem rependi oppidò precatur: ac si apertiùs in hunc modum judicem æquissimum interpellet: Accedat per tuæ justitiæ legem, obsecro te, summe Deus, tempus ultioni hostium meorum à te præstitutum. Ergone illi semper impunè desævient? Ego sanè fragili revincta corpori, immenso pondere depressa, & ad malum vehementissimis passionum motibus incitata, perennem mortem potiùs quàm vitam duco; & quasi intra memetipsam intestina certamina, morte pejora non gererem, quibus dirè dilanior, hostes mei tartarei agminatim irrumpunt, & me importunis præliis exagitant, ut vel succumbentem capiant, vel reluctantem excrucient. Te propterea imploro, amantissime Deus, ac meæ salutis dulcissime instaurator; age jam, exere brachium, ensemque distringe, ut ego spiritu recepto, libertatis aura respirem. Neque fas est hanc meam precationem alicui minùs æquam videri: *Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens*, quasi diceret: Incumbit mihi supremæ vexationis pondus, quod, nisi propitiante Deo, & hostes meos plectente, excutere nequeo. Metaphora vindemiæ duo mala portendit. Nam cum Christus ait: *Ego sum vitis*, *vos palmites*, duo significat, & conjunctionem palmitis cum vite, unde vitam haurit, & statum illum palmitis, qui vitis prærogativa gaudet, fulcimentis sustinetur,

F

LXX. Interpp.

Angelorum, & hominum lapsus discrimen.

Animæ deprecatio.

G

H

Vindemiæ metaphora, & damna. *Joan. 15. 5.*

Scripta An. 1607.

tur, excolitur; pampinis obtegitur, & loco, ac dignitate viti proximus est. A contrario verò, cùm palmes amputatur, duo mala incurrit, sectionem videlicet, qua à vite separatur, & ignem, cui, cùm nulli vsui prosit, traditur. Sic anima per culpam primò à Deo sejungitur, mox igni (cui simile quiddam præsentis vitæ vexatio animæ illata est) destinatur. Duo enim hæc peccando commeruit; & de hoc secundo malo, sive supplicio agit, cùm dæmonibus vindemiam imprecatur, nimirum, ut qui à Deo, tam quam sicca & vetusta sarmenta, recisi sunt, à loco, ubi animam vexant, in ignem sempiternum deturbentur.

Similitudo Animæ ex palmite.

A

CAPUT II.

ALEPH.

℣. 1. Quomodo obtexit caligine
B in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cœlo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

Historice.

Obstupesco (inquit Jeremias) quomodo Deus, quasi furore correptus, Urbem suam, quæ olim gloria multa resplenduit, mœstissima vastitate obtenebraverit, eamque penè ad cœlos elatam, quantumvis inclytam, in terram decusserit: neque ad propitiandum ei, quæ
C *tanquam suppedaneum solii majestatis in cœlo sedentis fuerat, bonoris antiqui ultionis tempore meminerit.*

Allegorice.

Mirum est valdè, quo pacto Deus iratus ob Ecclesiæ crimina pristinam ejus gloriam vindicta gravi obscuraverit: eamque sanè olim inclytam, è sublimi sanctitatis statu in terrenum affectum magna ex parte corruere permiserit: neque dum peccantem plecteret, priscam dignitatem ejus, in qua pedes, capite cœlis illato, reponere consuevit attendere voluerit?

Tropologice.

D *Qui factum est, ut animam sibi antè desponsam, & radiis divinæ lucis illustrem, Deus culpa lacessitus, quasi atra nube cæcitatis obduxerit, & à cælesti sublimitate in terrestrem vilitatem deturbaverit: atque sedem sapientiæ (quæ anima ipsa est) æqui judicii tempore, velut oblivioni tradiderit?*

Expensio Tropologiæ.

LUx certè purissima Deus est: & piis, quibus familiariter utitur, splendorem quemdam cœlestem inducit, qualem Moses è vertice Sina luculentus retulit. At cùm irascitur, radios contrahit, & nox atra succedit: quod illa verba facilè innuunt: *Quomodo obtexit caligine in furore suo*, Hebraicè, *in naso suo, Dominus filiam Sion?* Profectò si corporatus hic sol, qui nictu diem efficit (per prosopopœjam) excandesceret, severè se ulcisceretur, si lucem subtraheret: neque aliud æquè formidabile vindictæ genus homines humi defixi pertimescerent, quod ex eventu sensit, qui de sole sic cecinit: E

Textus Hebraicus.

Cùm caput obscura nitidum ferrugine texit: Virg. Georg. l. 1. v. 258.
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Sic porrò, si Theologicè dicamus, postremum genus ultionis, mentis cæcitas à Deo per divinæ lucis subtractionem inducta videtur. Extremæ sanè miseriæ argumentum est, quod acerbiùs, quàm excidium Jerosolymæ à Propheta defleri debuit. Mens quippè in Ægyptias tenebras à clarissima Dei luce depulsa, per confragosa vitiorum, & devia loca, quasi per planas, rectasque justitiæ vias, insana se proripit; ac se diris ictibus ad mortem sempiternam usque cruentat. Miserrima certè sors est, quam proximè vates sanctus alio sermonis schemate exaggeravit: *Projecit de cœlo in terram inclytam Israel*, vel juxta LXX. *gloriationem Israel*. Sunt enim animæ nonnullæ in Ecclesiæ cœlo rarò intermicantes, quæ luce eximia nocti vitæ mortalis præesse videntur, ut caligantes alios illustrent, atque perficiant; quibus Ecclesia velut nobilissima sui parte gloriatur. Et summopere dolendum, ejusmodi quoque animas, horribili prodigio, ex illa cœli sublimitate ad obscuritatem vitiorum, passionum frementium impetu, & occasionum impulsu funditùs everti. Hujusmodi stellas, senescente mundo, è cœlo in terram casuras, Christus sapientiæ nostræ auctor prædixit, & Joannes propheticè vidit, jamque gravissimæ prædictionis veritatem hisce oculis intuemur. Res plena doloris & furoris est; ut meritò Propheta subjungat: *Non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui*. Anima justi sedes, & (quod est idem) scabellum sapientiæ est: Et ad vim sententiæ ponderandam, thalamus quoque, ac lectulus ad oblectamenta comparatus & suavissimis odoramentis, hoc est, virtutibus, molliter stratus est. Et tamen culpæ turpitudine adeò deformatur, & squallet, ut tanquam sterquilinium fœtore intolerabili infame, Deus eam exosam habeat: & ejus, cum qua blandè verba miscebat, quasi meminisse nolit. Hæc veritas astruitur tremendo responso illo virginibus fatuis reddito;

F

G

Apoc. c. 3.

Anima justa sedes, & thalamus sponsi

H

Scripta dito; *Nescio vos*, majus enim quiddam & horribilius est nescire, quàm non recordari.
An. 1607.

Matt. 25. 12.

BETH.

℣. 2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, & dejecit in terram, polluit regnum, & principes ejus.

A

HISTORICE.

Æquissimus Deus omnia, quæ Urbi sanctæ speciem conciliabant, Templum Sion, arcem, regias aulas, solo per Chaldæos æquavit, neque commiseratione flexus est, Munimenta iratus subvertit, regnum pollutum duxit, ac Principes squallore confici permisit.

B

ALLEGORICE.

Omnem ferè antiquum sanctitatis splendorem in Ecclesia penè extingui, firmamenta virorum Apostolicis virtutibus armatorum subeuntibus acerrimis tentamentis everti, ac proindè Ecclesiæ regnum, ac principes turpibus vitiis fœdari Deus æqua ultione passus est.

TROPOLOGICE.

Pulchritudinem animæ divina gratia constantem, ob crimen interire, virtutum munimenta exturbari, terrenos affectus subire, Deus tulit, animæ regiam dignitatem, ac vires ejus principes peccatis pollui pertulit.

C

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Pulcritudo Animæ ineffabilis.

POrrò si speciositas Jacob, hoc est, pulchritudo animæ (quæ in populo Jacob, sive Israel, quæ est Ecclesia, speciosissima est) hisce oculis spectari posset, dulcissima sanè forma, & jucundissimo decore corda molliret, ac spectatoribus suis imperaret. Si enim Deus imperio illi quasi paret, quid mirum, si creaturis dominetur? Etenim quidam infœlix pulchritudinis laudator, Deos suos formæ cedentes pinxit, seque (si Deus foret) formosis Virginibus, mutatis ad earum placitum sententiis, morem gesturum asseruit, subjecitque:

Et non de tetricis diceret esse Deis.

D Omnem quippe majestatem, gravitatemque pulchritudini subjecit. Et profectò figmentum hoc imperfectione (quæ verum Deum dedecet) secluſa, propensionem divinæ majestatis in animam sibi gratam non exæquat. Quis enim divini amoris blandimenta, quæ libris non obscuris lectitamus, crederet, nisi & rationes à fide petitæ, & subsecuta veritatis argumenta rebus auctoritatem conciliarent? Profectò verba illa Cantici Salomonis: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?* cum aliis permultis, quibus Deus animæ blanditur, immensam vim amoris in animæ decorem proni demonstrant. Et tamen omnia hæc, statim ac peccatum admittitur, Deus abolere, neque ullatenus ignoscere asseritur, per ea verba: *Præcipitavit*, sive juxta LXX. *absorbuit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Jacob*. Adeò certè Deus clementissimus in peccatum inflammatur, ut ecstasis, quam Theologi antiqui, assertore Dionysio de Divin. Nomin. amori divino tribuerunt, furori quoque per metaphoram ascribenda videatur. Si enim quod ex naturæ divinæ ingenio fluit, amor scilicet ecstasim efficit, profectò, quod violenti speciem exhibet, furor nempè, raptum videatur efficere, necesse est. Quod verbis, *Præcipitavit*, *absorbuit*, aptè monstratur: Significant enim motum celerem, ac vehementem Dei, peccata ulciscentis, ut patet ex illo: *Sic in ira absorbet eos*, quod per subjuncta satis apertè liquet: *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda*. Habitus quippe hic simillimus est illi, sub quo à Moyse Deus describitur, quasi comparato tumultuario exercitu Babylonicæ Turris munimenta deturbans: In hunc modum animæ injuria provocatus, impudentiam plexurus occurrit, & ejus præsidia, hoc est, virtutes, quibus armata pollebat, in sceleris pœnam *in terram dejicit*, hoc est, aufert. Hinc *polluit*, hoc est, pollutum duxit *regnum* animæ, ac *principatum*, quo in divinæ gratiæ statu gaudebat: illam enim planè regiam gratiæ dignitatem, qua rebus creatis omnibus (si naturam earum spectemus) præcellebat, vilissima peccati servitute permutavit,

Cant. 4. 1.

E

LXX. interpp.

F

Ps. 57. 10.

G

GHIMEL.

℣. 3. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel: avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: Et succendit in Jacob, quasi ignem flammæ devorantis in gyro.

HISTORICE.

Deus peccatis Jerusalem incitatus omne robur ejus, arces, duces, militesque disjecit: & manum, quam ad auxiliandum, & hostem fugandum porrexerat, retraxit: stirpem Jacob velut ignea obsidione depavit.

H

ALLEGORICE.

Succensuit Ecclesiæ Deus peccatis provocatus; omniaque præcipua ejus præsidia sanctita-

Scripta An. 1607.

ctitatis, doctrinæ, potentiæ debilitari permisit. In conflictibus hostium, quasi manu contracta, opem denegavit, & acribus flammis infectationum, Ecclesiam ambiri jussit.

Tropologice.

A *Animæ in culpam prolapsæ firmitatem omnem, hoc est, gratiæ, virtutumque robur Deus vindex effregit, & dæmonem invadentem extenta manu non arcuit: vexatione instar ignis sæviente, illam obvallavit.*

Expensio Tropologiæ.

INducitur hîc à Propheta nostro Deus non sub amplitudine pontificia, sed sub imperatoria fortitudine, omnem animæ ingratæ firmitatem cornu, quo rhinoceros, taurus, aliaque animantia validè pugnant, significatam effringens: & pulchra similitudine, auxilii subtractionem exprimit, dum ait: *Avertit retrorsum dextram suam à facie inimici.* Similitudo.

B Concipienda sunt duo castra sub duobus Imperatoribus, dato signo congressus, jam jam irrumpentia; & alter Imperator contracta manu, copiam suum exercitum cædendi adverso Imperatori faciens. Pro anima Christus Imperator noster cum fero tenebrarum principe, mundique rectore (ut Apostolica phrasi dicamus) aperto bello conflixit: mox tamen, ac illa tanti beneficii immemor à Christi militia defecit, invictissimus dux manum, quam ad eam propugnandam adversus hostem sævissimum porrexerat, retrahit, & diris vulneribus animam exponit. Quod profectò à memoria numquam deberet excidere. Si enim acerrimus inimicus occasionem sæviendi nanciscitur, quid non molietur? quid non debacchabitur? Vox certè &

C adhortatio satanica est: *Deus dereliquit eum,*
Psal. 70. 11. & subjungit rei exitum; *Persequimini & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.* Porrò formidinis plena Dei derelictio est, & ab anima suæ salutis cupida nimis metuenda; quantum enim roboris, ac magnanimitatis Deus propitius addit, tantum debilitatis, & dejectionis infestus ingenerat. Utrumque Job sapienter extulit, dejectionem per illa verba: *Cur faciem tuam abscondis,*
Cap. 13. 24. *& arbitraris me inimicum tuum?* Et subdidit effectum, se folium, quod vento rapitur, & stipulam siccam appellans; robur per illa verba, *Pone me juxta te.* Unde audere potuit ajens: *Cujusvis manus pugnet*
Job. 17. 3. *contra me.* Deus ergo infensus, animæ imbecillitatem infert, & omnes ejus vires tanquam vorax ignis absumit: quod illa verba demonstrant, *Succendit quasi ignem flammæ devorantis in gyro*, quasi diceret: Igneo muro illam obsepit, ne posset elabi;

D

DALETH.

¶. 4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam. E

Historice.

More jaculatoris arcum Deus adversùs Jerusalem tetendit: dexteraque firmiter infesta, velut hostis omnem templi apparatum per Chaldæos exportari, sacerdotesque interfici permisit, rapidumque iræ flumen effudit.

Allegorice.

Jacula, fulminum instar, in peccantem Ecclesiam velut inimicus Deus intorsit: dexteraque ultrice, sceleribus obfirmata, ex omni Ecclesiastica hierarchia, quæ sanè pulchriora erant, priscam sanctitatis lucem, F cœlestium rerum sapientiam, integritatis exemplum propè interire tulit: Quo certè supplicio iræ ignitæ quasi torrentem immisit.

Tropologice.

Deus animæ per scelus aversæ formidabilis certè inimicus, arcu tento, jaculis eam confodere decrevit: fortitudinisque suæ dextera validè porrecta, omnem animæ internam pulchritudinem delevit, ac iræ igne consumpsit.

Expensio Tropologiæ.

G

MUltifariam Deus iratus describitur: & inter formas plurimas arcum tendens pingitur, ut non modò ab hostibus animam fauciari sinat, verùm & ipse jaculis eam impetere pergat. Est autem oratio sensu arcano plena, crescensque gradatim, arcum tendere, dexteram firmare, omne pulchrum occidere, indignationem velut ignem effundere. Porrò gradus in ira exercenda clementissimus Deus observat. *Arcum* primùm exerto brachio intendit, hoc est, minatur: si fortè formido inde concepta à peccandi proposito avertat. Mox *dexteram* ad excutienda jacula coaptat, & obfirmat, ut propinquitate supplicii timor incumbat. Deinde severè, *quod visu pulchrum est*, nimirum quò capitur sensus, expungit, ut anima resipiscat. Denique internam pulchritudinem, velut effusa iræ flamma depascit. Nemo corpore mortali obseptus satis intelligit, quàm graviter Deus culpam oderit: necesseque fuit tum alibi, tum præsertim in hoc lugubri carmine, horrendum supplicium Jerosolymitanæ urbi olim à Deo in delitiis habitæ ob teterrima flagitia illatum, multis modis describere: ut lector animadverteret, quantopere culpam deberet

Ira Dei multimodis descripta.

H

hor-

Scripta An. 1607.

horrere. Si enim quæ in hac mortali vita inferuntur supplicia, ea sunt, quæ animus vel audire expaveſcit; profectò quæ in futuro sæculo irrogabuntur, acriora sint necesse est. Hinc non Christiani scriptores tantùm, quibus vera lux affulsit, de futuro tartari cruciatu mira prodiderunt; verùm & scriptores Ethnici per sua commenta, quà potuere, hallucinantes, de Numinis vindicta, & æterna culpæ punitione multa horribilia fabulosè quidem, sed minora veris cecinere. Tantalus enim ardentissima siti æstuans, ori proximas, ac refugientes aquas ne lingere quidem valens. Sysiphus gravissimum pondus per ardua loca sursum impellens. Titius jecoris renascentis laniena immaniter excruciatus, leniter profectò exercerentur, si tormenta, quæ peccator commeruit, juxta fidem orthodoxam contemplemur.

A

H. E.

B ℣. 5. Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, & dissipavit munitiones ejus: & replevit in filia Juda humiliatum & humiliatam.

HISTORICE.

Non semel tanquam hostis (inquit Jeremias) Deus Jerusalem exercuit. Delevit per Chaldæos stirpem Israel, diruit muros urbis florentissimæ, labefactavit munimenta: & viris & mulieribus ad humilem conditionem abiectis Urbem replevit.

ALLEGORICE.

C Christus cùm sit sponsus, se interdum velut inimicum Ecclesiæ peccatis fœdatæ gerit fortitudinem virorum, qui sanctitate & doctrina, murorum vice, illam ab incursionibus hæreticorum tuebantur, ac muniebant, enervari, & utriusque sexus Christianos ad extremam vilitatem devolvi permisit.

TROPOLOGICE.

Mitissimus Deus in animam peccatis deformatam, tanquam hostis excanduit. Eam in pœnæ voraginem præcipitem egit; ejus mœnia, hoc est, virtutum fortitudinem everti pertulit: divinorum auxiliorum munitiones disjecit; & in humillimam conditionem illam deturbavit.

D

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

SÆpè Vates sanctus repetit, quod ei dolorem acerrimum excitabat, Deum videlicet ex amico inimicum evasisse, ac propterea omnem Jerusalem prosperitatem dissipasse. Origo quippè totius calamitatis, qua premitur anima, Dei divortium est. Homines profectò, quò prudentiores sunt, eò avidiùs principum amicitiam aucupantur, unde tota illorum claritas exoritur. Habet enim principum gratia multam bonorum temporalium fœcunditatem, quæ per labores summos exquiritur, quod nimis frequens, ac tritum est. Porrò statim ac quis gratiam principis inivit, & honoribus & donis à populo cumulatur, nemo ei molestiam inferre audet: omnes ei placere impensè student, quòd tantundem gratia, quantùm princeps ipse, auctoritate valere credatur. Meritò ergò Jeremias tantæ doctrinæ dignus æstimator, creberrimè lamentatur hoc grande amicitiæ divinæ malum, quod cupit avertere: nam ab eo uno cætera mala dependent. Sic post ea verba: *Factus est Dominus velut inimicus*, subdit, *Præcipitavit Israel*, sive ut LXX. vertunt, *absorbuit*, κατεπόντισεν ἰσραήλ, & cætera mala subnexa; quasi diceret: Si placeat malorum omnium originem nosse, in Dei inimicitiam oculos collimate. Inde *præcipitatio mœnium*, hoc est, virtutum animæ, inde infamia orta est. Pro verbis illis editionis vulgatæ, *humiliatum & humiliatam* in eodem genere LXX. verterunt, *humiliatam & humiliatam*: quod sermonis genus familiare est, ac multitudinem gentis infamia notatæ indicat. Sed in arcano sermone geminum animæ vituperium ob admissa scelera, & ob supplicia notat. Luctus ergò hic prophetæ nostri tacita quædam ad Dei amicitiam ineundam adhortatio est: quæ una si constet, à malis universis erit anima immunis.

Calamitatis origo absentia Dei.

E

F

LXX. Interpp.

LXX. Interpp.

V A V:

℣. 6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbathum: & in opprobrium & in indignationem furoris sui regem, & sacerdotem.

G

HISTORICE.

Urbis templum, quo velut conopæo utebatur, more torrentis hortum amœnissimum abolentis discussit; & festa lætissima oblivione alta sepelivit. Reges, ac Sacerdotes quasi gentis improperia & vindictæ divinæ irritamenta projecit.

H

ALLEGORICE.

Tentorium Ecclesiæ, quo in hoc exilio tegitur, velut rapidus amnis hortum obruens. Deus gravibus suppliciis magna ex

Scripta An. 1607. parte ſubvertit, ac oblivioni tradidit, Regeſque olim Catholicos, ac pios quondam Sacerdotes ab Eccleſiæ caſtris deficere paſſus eſt.

Tropologice.

A *Animam, ferculum ſcilicet, ac papilionem ſuum, Deus more æquæ æſtuantis, hortorumque amœnitatem delentis, ſuppliciis illatis obtrivit, ac ejus priorem pietatem ob culpam ſuccedentem meminiſſe noluit. Quin etiam illius regiam, & ſacerdotalem dignitatem, quaſi opprobrium, & iræ cœleſtis incitamentum repulit.*

Expensio Tropologiæ.

ANimæ, quam Deus inhabitat, multiplex imago à Scriptura ſacra repræſentari ſolet, quòd res immenſa imagine una non æquetur. Inter alias verò, conopæi, ſive tentorii nomine, illam eleganter adumbrat. Quamdiù enim mortalitatis viam

B carpit, non uſque adeò propriè domus, templumque appellatur, quòd ſtabilitatis ſignificatio deſit. Nam quemadmodum ex Apoſtoli effato, *Non habemus hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus*: ita Deus, cujus permanſio, & domicilium (ut noſtro more dicamus) aula cœleſtis eſt, dum agit cum mortalibus, quaſi peregrinatur, & tecto mobili, ſeu papilione utitur: quod tentorio fœderis, in deſerto conſtructo ſignificavit: quo juxta communem interpretationem anima tropologicè ſignificata fuit. In arcano ergò ſermone anima, donec mortalitatem exuat, Dei tentorium, ſeu ferculum eſt ad delitias in regione longinqua comparatum. Quod verò Vates ſanctus graviter dolet, nihil aliud eſt, quàm ob culpam admiſſam, conopæum textura virtutum pretioſiſſima elaboratum, à Deo diſcerptum, rejectumque fuiſſe: ut patet per verba illa: *Diſſipavit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum.*

C Pro verbis illis, *Diſſipavit quaſi hortum*, LXX. reddunt; *Fetit avolare quaſi vitem*, διεπέτασεν ὡς ἄμπελον. Similitudo utraque à re ruſtica petitur: ſive enim ſit hortus egregiè cultus, areis diſtinctus, mitibus arboribus ſatus, floribus lætus, ſemitis ad lineam exactis diſcretus, ſulcis aquarum leniter fluentium irriguus: ſive ſit vinea excultis vitibus, multo uvarum proventu fœcunda, & cuſtodiis ſepta: dolendum profectò eſt, non ab extraneis, ſed ab ipſo cultore juſtis de cauſis irato deleri, ac ſterilitate damnari. Modus autem ille dicendi: *Fecit avolare quaſi vitem*, de vite revulſa & à loco nativo jactata intelligendus eſt; ſic enim cultores agri ſteriles plantas evellunt, & vix evulſas in locum alium indignati proiiciunt. Quod autem ſubjungitur, *Feſtivitatem & ſabbathum oblivioni tradita*, Regem ac Sacerdotem indignationem Dei provocaſſe; ſi arcanè dicamus, nihil eſt aliud, quam priorem Dei cultum feſtis diebus in id ſacratis reddi ſolitum, priores actus virtutum verè regios, ac ſacerdotali ſacrificio dignos à Deo irato minimè curari; quin etiam ob ſubſecutam ingratitudinem, indignationis fomentum eſſe. Major quippe iræ vis erumpit in eos, qui virtutibus claruere, & ingrato animo à Deo receſſere, quam in eos, quos divina bonitas tot, tantiſque beneficiis minimè cumulaverat. E

Tentorii arcana ſignificatio.

LXX. Interpp.

Similitudo.

D

Zain.

℣. 7. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus: vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolemni.

Historice.

F *Aras Jeruſalem, ubi ſacrificari mos erat, culpis fœdatas Deus reſpuit, ac templo maledixit: Ædificium ſanctum, ac turribus inſigne Chaldæis permiſit; qui victoria inſolentes in æde ſacra, ſicut in feſtis ſolemnibus, profano tamen ritu, vociferati ſunt.*

Allegorice.

Templa & altaria multa Catholicorum, ob eorum flagitia, Deus rejecit, & execratus eſt, ac infidelibus tradi, hæreticoque ritu pollui pertulit; ex quo Eccleſiæ mœror, ſectariorum verò in ſacris ædibus jactantia, & ſolemnis plauſus ortus eſt.

Tropologice.

G *Anima, quæ Dei templum & Altare fuit, ex quo deliquit, à Deo repulſa, & maledictis vexata eſt. Muri, mœniave virtutum ejus dæmonum impetu disjecta ſunt: qui certè ſæviſſimi hoſtes, domo Dei capta, vocem triumphi ferociter extulerunt.*

Expensio Tropologiæ,

IRa profectò Dei vehementer excreſcit: non enim modò animam *repellere*, quod hucuſque multiplici metaphora Vates aſſeruerat, verùm, quod hîc attexit, *maledicere* aſſeritur. Quid autem proſperitatis (quæ phraſi Scripturæ familiariſſima benedictio nuncupatur) accidere queat animæ, quæ acerrimo tantæ majeſtatis proſcinditur maledicto? Porrò in ipſa mundi creatione nihil Dei benedictione frequentius, ut cuncta creata fœcundaret: patrato verò ſcelere ſubit maledictio, quæ non creat, ſed quæ creata fuerant, in nihilum redigit. Pro verbo, *Maledixit*, Hebraicè, *projecit de corde*. Quod ſermonis genus expenſione digniſſimum eſt: non enim à corde proiici poſſet, quæ H

Textus Hebraicus.

Scripta An. 1607. quæ in Dei corde ſedem non habuiſſet: Profectò non modò anima Deo grata in corde illo tenerrimo locum nanciſcitur, verùm cor ipſius Dei, ſive anima (utrumque enim arcanè idem eſt) quodammodo efficitur, quod Propheta noſter alibi ſignificavit, Deum iratum ſic dicentem inducens: *Dedi dilectam animam meam*, hoc eſt, populum Judaicum *in manu inimicorum ejus*. Dilexit quippe gentem illam velut animam ſuam: quod ſanè ad animas ejus populi, ſeriò Numen colentes, ac proindè ad quaſvis alias Deo acceptas potiſſimùm pertinet. Quo in oraculo mira eluceſcit divina erga animam ſibi gratam amoris energia: quaſi Deus exanimari dicatur, cum anima in culpam prolabitur, & ab eo ſeparatur. Quem ſanè ſenſum clariſſimæ Virgini Gertrudæ Chriſtus aliquando amantiſſimè indicavit, ſe illa carere non poſſe ſignificans. Quod cùm illa obſtupuiſſet, animadvertens Chriſto nihil deperire potuiſſe, tametſi illam minimè creaſſet, lepidiſſimè ille reſpondit, longè alium ſenſum hominis à nativitate membro aliquo carentis, aut membri inciſionem patientis eſſe: quo nihil aptius ad animæ inciſione culpæ à Deo diviſæ ſenſum, quem Chriſtus concipit aperiendum afferri potuit. Neque reſponſum hoc tanquam indignum reiiciendum eſt, cùm Scriptura ſacra tùm alibi, tùm præſertim in Salomonis Cantico ſic Deum animæ ſibi charitate ſociatæ amore captum pingat, ut ab ea non videatur poſſe divelli, aut vitam ſine illius conſortio ducere. Qui porrò ſenſus amoribus aliis divinum neutiquam æquantibus familiaris eſt; ut patet ex illo, qui arboris trunco ſic ſuum affectum rudibus literis, ut cum ſtipite creſcerent, incidiſſe fingitur:

Jer. 12. 7. A

Ovid. Heroid. Ep. 5.

Quum Paris Oenone poterit ſpirare relicta;
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.

C

Spirare videlicet ſe non valiturum, ac ſi animam efflaſſet, exiſtimavit. Sed Chriſti amor multò ardentior eſt, quod eò conducit, ut quam ſit enormis culpæ turpitudo perſpici poſſit, quandoquidem Chriſtus animam ſuam, ſtatim ac polluitur, adeò ſeverè repellit. Septuaginta Interpretes pro verbo *maledixit* vertunt *excuſſit*, ἀπεῖναξεν, quo ſignificatur valida quædam expulſio ab animo proculdubiò infenſo coorta, quam ſubſequitur truculentorum hoſtium *muros turrium* immaniter vaſtantium ſævitia, & exultatio. *Muri turrium* excelſarum habitus virtutum ſunt, quos tartarei hoſtes validiſſima irruptione convellunt. Acquiſierat anima multo ſtudio, & navitate, ac exercitio præliandi virtutes eximias, quibus appetitus in officio contineretur, quæ miram cordi tranquillitatem conciliabant. Sed à Deo repulſa, & ab hoſtibus vehementer infeſtata, oppoſitis vitiorum actibus, eos habitus evulſit, & inſana proclivitate in errorum pelagus ſe demerſit. Hinc dæmonum exultatio inſigni victoria gloriantium: omnibus quippe victoribus uſitatum, eſt ſtatim ac prædam ceperunt, lætitiæ motibus geſtire. Quod autem dicitur, *ſicut in die ſolemni*, rei exaggeratio eſt, feſta quippe tartari, juſtorum ruinæ ſunt, quemadmodum cœli feſta, peccatorum reſipiſcentia eſt: quod oraculo accepimus per verba illa: *Gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Quæ ſanè verba dulciſſima, & ad eliquandum cor efficaciſſima ſunt.

B

LXX. Interpp.

D

E *Luc. 15. 7.*

HETH.

℣. 8. Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.

F

Historice.

Non per incogitantiam, ſed æterno conſilio, peccatis id exigentibus, muros Jeruſalem Deus evertere decrevit, ne tamen ultio modum excederet, architecti more, quaſi ducta linea, ſupplicii magnitudinem emenſus eſt: nec ab ea menſura explenda manum retraxit. Hinc & munimenta, quæ muros prætexunt diruta, luctum excitarunt, & murus deturbatus eſt.

Allegorice.

Divino ſanè conſilio criminibus populi Chriſtiani permotus Deus, Prælatos animi conſtantia præditos, murorum inſtar, minis à Deo illatis oppoſitos de medio tollere conſtituit. Ne tamen omnia deleret, inferenda mala ad lineam metiri voluit: præfixæ tamen ultionis nihil remiſit. Ex quo & antemuralis ſtructuræ, hoc eſt, ſtatus monaſtici Epiſcopis aſtructi, & muri, id eſt, Prælatorum ipſorum pars magna deſtructa eſt.

G

Tropologice.

Statuit, maturo certe conſilio, Deus ab anima provocatus, murum, id eſt, Chriſtum, ejus ſponſum abſcedere, nec à vexationis funiculo, id eſt, meta præſtituta aliquid pœnæ relaxare. Hinc muro prætexta ſtructura, hoc eſt, Angelorum, Sanctorumque protectio diminuta, luctum movit: neque enim ſola muri diſſipatio, Chriſti ſcilicet abſentia culpæ reſpondit.

H

Expensio Tropologiæ.

DEcretum ſummi Dei de anima plectenda non ſubitaneum; aut tumultuarium

Scripta est. *Cogitavit*, hoc est, maturo consilio definivit. Propterea introducitur à Propheta nostro, cum *funiculo*, hoc est, mensura quadam infinitæ bonitati, ac justitiæ consentanea, qua punitionis quantitatem architectonicè metitur. Qua in re duo præsertim expendenda succurrunt, & vexationis proportio nostræ fragilitati attemperata, & fidissima pœnæ decretæ ad unguem executio: quam verba illa proxima demonstrant: *Et non avertit manum suam à perditione*, à punitione scilicet præfixa. Et quidem duæ observationes hæ Teologorum omnium consensione firmantur. Omnes quippe fatentur, in universis Dei operibus misericordiam, justitiamque lucere: neque ab ea lege vel severissima supplicia excipienda esse: quod hîc palàm eluceſcit: misericordiæ nimirum nota *funiculus*, justitiæ verò *manus non aversa* est. At ingens calamitas, qualem proculdubiò Propheta commemorat, homines nimis anxios clementiæ *funiculum* in medio malorum ingruentium turbine, cernere non sinit. Quocirca sola severitatis imago omnium oculis obversatur; quæ lachrymas non ab hominibus tantùm, sed à saxis ipsis videtur exprimere: quod verba illa subnotant: *Luxitque antemurale*, *&c.* Porrò si animæ interna desolatio in lucem proderetur, saxa quoque lachrymarum fontes evergerent.

Duplex animadversio.

A

B

TETH.

C

¥. 9. Defixæ sunt in terra portæ ejus: perdidit & contrivit vectes ejus: Regem ejus, & Principes ejus in gentibus: non est lex, & Prophetæ ejus non invenerunt visionem à Domino.

Historice.

Portas urbis, ac templi Dei vindicta convulsit, easque terræ illisas unà cum vectibus perfregit. Regem Jerusalem Sedechiam, Urbisque Principes Ethnicorum servituti addixit. Defecit latæ à Deo legis observatio, & prophetica visio.

Allegorice.

Doctores, qui scientiæ clave cœli portas in Ecclesiâ aperire deberent, humi per affectum defixi sunt; & fortitudo Prælatorum, qui tanquam vectes portas Ecclesiæ hostibus oppilare solebant, succrescentibus culpis evanuit. Hinc reges, ac principes Prælatorum exemplo carentes, in Ethnicorum vitia degenerant. Profectò non subest integerrima custodia legum, neque viris Ecclesiasticis suppetit rerum cœlestium valdè serena cognitio.

D

Tropologice.

Sensus animæ peccatis corruptæ limo terrenarum voluptatum infixi sunt: repagula, hoc est, firmitas virtutum internarum, quibus licentia sensuum coercebatur, attrita jacent. Rex, hoc est, intellectus, qui per æternas leges totum hominem moderabatur, & tum eo vires principes menti congeneres, abjurato Deo, ad Ethnicorum abusum transierunt. Non viget divinæ legis obedientia, & illustris Dei notitia.

E

Expensio Tropologiæ.

VAstitas arcana perspicaciores oculos, quàm Jerosolymitana deposcit, *Defixæ sunt* (ait Vates noster) *in terra portæ ejus*. Non satis erat, portas jacentes, sed terræ innixas lamentari. Sensus hominis, qui peccatorum illecebris capti sunt, non jacent tantùm, sed humi defiguntur, ut nisi nervosis conatibus avelli non possint. Quod adeò vulgatum, & usitatum est, ut & rari, & perquàm rarò è pelago, in quod se demerìere, vel tantillùm emergant.

F

Apparent rari nantes in gurgite vasto. *Virg. lib. 1. Encid.*

Et quidem si respirare videantur, è vestigio remerguntur. Immensa sensuum corruptio est: cui nisi grandi animi constantia & invicta fortitudine resisti nequit. At animæ fortitudo per peccatum effracta est, quod illa verba significant: *Perdidit & contrivit vectes ejus.* Egent *portæ* sensuum *vectibus*, hoc est, interna firmitate, quæ turpibus insultibus obstet. Et hæc observatio magna Christianæ sapientiæ pars est, quæ veros Christi discipulos à simulatis discernit. Nam quibus ea interna repagula, quæ impetum externæ turpitudinis repellunt, adempta sunt, unà cum populari sensuum corruptione *regis*, ac *principum*, hoc est, intellectus, ac superiorum virium deformationem *in gentibus*, id est, ritu Ethnicorum patiuntur. Mores Christianos grassante cupiditate dediscunt, & per prona vitiorum loca effrænes abeunt: quod per adjuncta perspicitur: *Non est lex*, id est, legis custodia, & *Prophetæ non invenerunt visionem à Domino*, hoc est, non supereſt in anima illustris Dei notitia, quæ similitudinem cum prophetico lumine gerit. Hinc efficitur, ut homo, qui spiritualis cùm esset, ex cœlesti Dei luce omnia discernere noverat, fiat juxta sensum Apostoli animalis, omnemque rationum à divina lege nascentium usuram abiiciat.

G

IOD.

H

¥. 10. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: conspersérunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abiecerunt

in

Scripta An. 1607.

in terram capita ſua Virgines Jeruſalem.

HISTORICE.

A *Mœrentium habitu in terra taciti decubuerunt Venerabiles Jeroſolymorum ſenes: & inſperſis capiti cineribus cilicinis ſaccis induti ſunt. Puellæ quoque Virgines decocto ætatis flore conciderunt, ſi fortè ira Dei requieſceret.*

ALLEGORICE.

Viri pietate eximii, qui sunt ſenes prudentia cani, præ ſenſu doloris Eccleſiæ à Deo pro criminibus cæſæ; & virgines, hoc eſt, animæ vitæ puritate inſignes rem totam ſilentio meditantes, aſperrimam cineris & cilicii pœnitentiam egerunt; ut iratum Deum animo demiſſo placarent.

TROPOLOGICE.

B *Vires animæ ſuperiores, quarum propria mentis ſenectus eſt, in terra jacuere, propria fragilitatis cognitione ſilentes, pœnitentiæque opera cinere, cilicioque notata ſpontè ſubeuntes. Vireſque inferiores olim integritate virgines, jam corruptionis conſciæ, culpæ conſcientia ex mentis imperio erubeſcentes, in terram ſupplici habitu provolutæ ſunt, ad viſcera Dei opportuna commiſeratione flectenda.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

VExationis fructus hîc præſertim ſe prodit. Vires animæ ſuperiores, ubi ſenectus mentis ſedet, caſibus eruditæ edere in terra, & conticeſcere arcanè dicuntur, cùm è gymnaſio laborum alta cognitio propriæ imbecillitatis hauritur. In hunc ſanè C ſcopum Deus agones immittit, & animam exercet; quod univerſorum hominum, vel naturali dumtaxat luce rem cenſere valentium aſſertum eſt, Significanter dictum eſt: *Sederunt in terra*: Intellectus quippe hominis cùm *terræ*, hoc eſt, corporis obliviſcitur, intumeſcit, & majora ſe ambit: at cùm *ſedet in terra*, hoc eſt, partem hominis terream, culpæque illecebram, cui vinctus eſt, attentè reſpicit, habenas licentiæ contrahit, & præ rubore *conticeſcit*. Habet profectò culpa vim maximam ad linguam compeſcendam, hominesque mutos efficiendos: quod in philoſophia Chriſtiana facilè oſtendit ille, quem Rex inter diſcumbentes non ornatum veſte nuptiali conſpexit: nempè, conſcientia carpente, ſtatim obmutuit. Sic porrò anima ſedens ac taçita, hîc concipienda eſt. Verùm non iners, ac ſtupidum ſilentium commendatur, ſed vividum & actuoſum, quòd ad opera pœnitentiæ proſiliat: quod per proxima verba ſubnotatur? *Conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis*. Superiorum animæ virium hæc vis actuoſa eſt, ut inde

Culpa humilitatis incentivum.

D Silentium actuoſum laudandum.

correctio ducat initium, unde auctoritas ad peccati malum exorta eſt. Rex certè Ninives pœnitudinis auctor populo fuit. Hinc Virgines Jeruſalem abjecto, reflexoque præ verecundia in terram capite, mœſtiſſimo ſpectaculo pinguntur: quod in arcano ſermone inferiores vires animæ, quæ fuere virgines, hoc eſt, impollutæ, culpæ jam corruptelam paſſas velut amiſſum florem pœnitentiæ habitu lugentes ſignificat. Virginum ſignificatio.

E

CAPH.

F ℣. 11. Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea; effuſum eſt in terra jecur meum, ſuper contritione filiæ populi mei, cùm deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi.

HISTORICE

Ego Jeremias oculis quaſi captus præ fletus impetu, viſcerum immodicam commotionem paſſus ſum. Hepar, delectationis ſedes, immoderata mœſtitia velut crepait, & in terram concidit, dum contemplarer Urbis ſanctæ vaſtitatem, & deliquia infantium, ac puerorum, in mediis plateis fame cadentium.

ALLEGORICE.

Illatam Eccleſiæ cladem expendens, eclipſim oculorum ob perennes lachrymas & viſcerum eliquationem patior. Nulla mihi oblectamenta, quibus concupiſcentia in jecore ſedens paſcitur, placent, cùm G populum Chriſtianum attritum cerno, & pueruloſ lactentes, hoc eſt, novam Eccleſiæ prolem publicè deficere, Apoſtolicæ doctrinæ lactè deſtitutam animadverto.

TROPOLOGICE.

Largè fleo, aciemque oculorum hebeto, ac ex intimis præcordiis commiſeratione liqueſco. Nulla viget in hepate voluptas, ſed mœror ingens, quo ad terram uſque devolvor, ob deſtructum virtutum chorum, quo priùs anima ornabatur, & ob illatam ſceleri acerrimam pœnam: cùm ſine internis ſolatiis ſimilis effecta ſit infantibus, qui lactis penuria, ſine nutrice, tabeſcunt.

H

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRofectò hîc, ſi uſpiam, Jeremias arcano ſenſu animæ mala tenerrima miſeratione proſequitur, dum ait, oculos præ lachrymis defeciſſe, In extremis quippe infortuniis, viri miſericordes uberrimo fletu do- Miſericordes fletu dolorem exhalant.

Scripta An. 1607.

dolorem exhalant, & viſceribus intimis liqueſcunt. Sed quod ait Propheta: *Effuſum eſt in terra jecur meum*, inuſitatum videtur: nam ſi dixiſſet (cor meum) conſueta phraſi amantium interpretari poſſemus. Sicut enim quod quiſque amat, cor ſuum appellat, & ſi illud intereat, cor ſuum interire dictitat;

A ſic dum Jeremias animæ, cujus amore captus eſt, interitum contemplatur, ſe mori, cor ſuum extingui poſſet aſſerere. Verùm hac ipſa ratione ab amore petita, propheta propriè admodum loquitur, dum *jecur* ſuum, potiùs quàm cor effuſum aſſeverat. Amor enim in jecore ſedem habet, juxta communem Philoſophorum, Theologorumque doctrinam. Sed propriiſſimus Prophetæ ſenſus à paſſione triſtitiæ, quæ in hepate ſedet, eruendus eſt. Si enim validè ingraveſcat, ut in ſupremis adverſitatibus accidit, jecur graviſſimè afficit, & vitam extinguit. Pro verbis illis: *jecur meum*, LXX. verterunt, *gloria mea*, ἡ δόξα μου, mœſtitiæ immodicæ cauſam aperientes. Porrò anima juſti à Propheta gloria ſua jure appellari potuit, quemadmodum ab Apoſtolo gaudium meum, & corona mea primævi Chriſtiani appellati ſunt. Sicut ergò regi potentiſſimo ſummus dolor inceſſerit, ſi corona regia eriperetur: ita & Prophetæ noſtro mœſtitiæ maximæ ſenſus ingruit, ex animæ, qua ſe coronari cenſebat, interitu. Sed inter ea, quæ dolorem ſummum ingerunt, deliquium *parvulorum lactentium* recenſetur: turpiſſimè enim fœdantur ſenſus, qui *parvuli* dicuntur, cùm anima ſpirituali ſolatio amiſſo, incipit à Chriſti conſuetudine aberrare. Calamitas hæc externa cùm ſit, *in plateis oppidi*, hoc eſt, palàm ſæviens, animos pios vehementiùs afficit.

S. Tho. 1. 2. in tractatu de paſſionibus.

LXX. Interpp.

Comparatio B

LAMED.

C ℣. 12. Matribus ſuis dixerunt: ubi eſt triticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis civitatis: cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.

HISTORICE.

Quid dicam? pueri tenelli à parentibus petiere cibum, ac potum in plateis mediis, crudeli famis vulnere uſque ad interitum ſaucii: ac in ipſo matrum gremio rabida fame inſanientes perierunt.

ALLEGORICE.

D Hei mihi, quale ſpectaculum divexata exhibuit Eccleſia, populi à prælatis animarum paſtum requiſiere, & præ illius penuria in ipſis quoque Orthodoxorum regnis, tanquàm lethali vulnere interierunt: animaſque in Eccleſiæ ſinu, Sacerdotum vitio, ad æternam mortem efflarunt.

TROPOLOGICE.

Horrendum profectò eſt, quàm infœliciter agat anima, quæ Deum affectu materno erga illam pronum peccando reſpuit. Deſunt illa materna blandimenta, & interni ſolatii potus, & eſca jure ſubtracta. Tunc certè E *anima incaſſum rogat, ubi eſt triticum, quo ſtabilitur cor, vinum, quo exhilaratur, ſumme Deus? Hinc tanquam diro repulſæ vulnere ſauciata, in media civitate Dei, hoc eſt, in Eccleſia, defectione multa conflacceſcit, & ſpiritum veræ vitæ impatienter exhalat.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ

SEnſus, ut ſæpè aſſertum eſt, in arcana hominis œconomia parvuli nuncupantur, & ſub virium ſuperiorum, quaſi ſub parentum tutela reguntur. Hi ergò, dùm anima in caſto ſpiritualis matrimonii fœdere permanet, ſpirituales delitias è ſuperiori hominis parte derivatas pro captu ſuo quandoque delibant. Et ſanè tunc non appetunt E vetita oblectamenta, immò pro virili ſua Deum expetunt, ſicut ſcriptum eſt: *Sitivit in te anima mea. Quàm multipliciter tibi caro mea?* Quod uſque adeò verum eſt, *Pſ. 62. 2* ut ſenſus quantumvis corrupti libenter à quavis voluptate, dum flagrant, ſe contineant, ſi eis vel modica delectatio ſpiritualis inſtilletur. Vel minima enim conſolatio cœlitùs immiſſa, maximarum carnis delectationum faſtidium ingerit. Poſtquàm verò anima divinæ obedientiæ ſe ſubtraxit, & ſolatia peregrina exquiſivit, paſtus ille dulciſſimus ademptus eſt: & ſenſus tanquam infantuli lactanei rogant: Ubi eſt illud planè ſuaviſſimum Dei convivium, quo tu anima, parens noſtra, fruebaris, cujus reliquiis melle divino conditis, nos ad juſtitiæ cultum alliciebamur? inſigne porrò inter utraſque delectationes diſcrimen eſt, quod & à ſenſibus poteſt utcumque dijudicari. Hinc aptè ſubtexitur, *Cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis civitatis*, hoc eſt, publicè, ita ut ipſa defectio illos melioris paſtus interni admoneret, ut illam anxiè requirerent. Divinæ nimirum ſapientiæ eſt, ita labores, doloresque connectere, ut rebelles hominum voluntates ad reſipiſcendum quaſi compellat, juxta illud: *Compelle eos intrare*. Sic *defectio* *Luca 14. 23.* hæc ſenſuum à Deo in occaſionem ſalutis vertitur, ut cùm illi ſe carere interno paſtu, cui aſſueverant, deprehendunt, animam excitent, ut ipſos *quaſi vulneratos* alat, & foveat: & poſtremum miſeriæ genus, *cùm exhalant animas ſuas*, hoc eſt, moriuntur, H attendat. A duobus capitibus per ſe maximis malum expenditur, à vulnere & à morte, privatio quippe paſtus interni ſauciat, & interficit: quando ſenſus, ſpirituali potu, & eſca interdicta, in turpia rapiuntur. Hæc eſt mors, quam Propheta luget.

Delectatio ſpiritualis carnalem vincit, ac obruit.

G

MEM.

Scripta An. 1607.

MEM.

℣. 13. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te Virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua quis medebitur tui?

HISTORICE.

Urbs infœlix Jerusalem, cui, rogo, te similem existimabo? aut qua te ratione solabor? Oceanus quidam ærumnarum te obruisse videtur: Ecquis tot te undis eripiet?

ALLEGORICE.

Quam vastitatem cladi tuæ (ô Ecclesia) à tyrannis hæreticis, Christianisque flagitiosis concussa similem dicam? An potero mœrorem tantum elevare, cum procellis irati maris vexatio tua simillima sit? Quis tibi ægrotanti mederi valeat?

TROPOLOGICE.

Cui, precor, anxietati agonem tuum, anima pro culpis graviter plexa componam? Nequeo te solari, cùm mœstitiæ pelago absorbearis; solus certè Deus tibi remedium poterit afferre.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Ps. 87. 11. SApienter dictum est: *Numquid medici suscitabunt?* Etenim mortalis culpæ morbo nullus, præter unum Deum, mederi valet, universeque verum est illud;

Ovid. lib. 1. de Pont. Epist. 4.

Afferat ipse licèt sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Soli Deo cordis sanitas tribuenda est. Hanc vim prætendunt verba illa: *Cui comparabo, assimilabo, exæquabo, solabor?* nullum malum æquè grave ac culpa subit; sic nulla consolatio subest. Sed & pœna hæc, quam Deus infert, ea est, quam solus ille relaxare, extenuareve possit. Pro verbis illis: *Cui exæquabo te?* LXX. reddunt: *quis salvabit te? τίς σώσου σε;* Salus enim, de qua loquimur, ab uno clementissimo Deo valet afferri. Quod profectò per exaggerationem Prophetæ satis elucescit, dum ait: *Magna est velut mare contritio tua*, hoc est, calamitas tua; quemadmodum enim maris fluctus solus Deus moderari potest, ita & acerrimum dolorem animæ gravissimis ærumnis vexatæ solus ille temperare valet. LXX. Interpretes ajunt, *magnificatum est poculum contritionis tuæ*, pingitur enim Deus vindex poculum iræ amarulentum animæ porrigens, sicut scriptum est: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, scilicet felle. *Et inclinavit ex hoc*, nempe homine, *in hoc*, videlicet in alium hominem, & universè subditur: *Bibent omnes peccatores terræ.* Quod in hoc vel in futuro sæculo intelligendum est, ne ullum scelus remaneat impunitum. Lamentum hoc Prophetæ sancti sapientia plenum est: duo quippe saluberrima monita complectitur, unum de supplicii magnitudine, alterum de unico remedio. Utinam altè imprimerentur; ut peccandi libidinem tempestivus Dei timor arceret, & jam prolapsum peccatorem firma spes ad unicum asylum, Dei scilicet clementiam quantocyùs perurgeret, *Ps. 74. 8. 9.*

NUN.

℣. 14. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam; ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas & ejectiones.

HISTORICE.

Vates tui Jerusalem (inquit Jeremias) ut tibi blandirentur, confictas, ac fatuas revelationes evulgarunt, nec te, ut par erat, tuorum scelerum, ac divinæ indignationis admonuerunt, quò resipisceres. Commenti sunt, te, pro ipsorum libito, non Dei oraculo, honorandam, vel cum dedecore à Deo abliciendam.

ALLEGORICE.

Concionatores tui, ô Ecclesia, populatem auram captantes, falsò ac stultè doctrina cœlesti abusi sunt, tibi certè adulantes, ac proinde minimè increpantes, ut te scelerum pœniteret. Immò pro arbitrio suo te prosperandam, vel puniendam confinxere.

TROPOLOGICE.

Æquo Deo judicio accidit, anima, quæ Deo, ac ejus veris interpretibus parere noluisti, ut incideres in rectores fatuos, qui nobilitati parcentes, aut amore parum defæcato, seu commodi alicujus spe illecti, te fallerent, stulteque tibi de venia Dei assentarentur: neque culparum gravitatem ponderarent, ut earum serium dolorem, detestationemque conciperes. Quin etiam divinitùs se recepisse simularunt futuram prosperitatem, sive adversitatem tuam, ut iis prædictionibus peiùs errares.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

FAlsos ac stultos Vates gravi luctu planè dignos, ad placitum de rebus sententiam fe-

LXX. Interpp.

LXX. Interpp.

Scripta An. 1598.

ferentes Jeremias in publicum producit. Et quidem antiqua prædictione opus non erit, si in tempestatis nostræ prodigia oculos attentè coniiciamus. Ut enim concionatorum, & consultorum vitia supprimantur, Sacramenti pœnitentiæ abusus neque reticetur, nequè fas est ingentia ejus mala silere. Sanè qui sacras confessiones excipiunt, Prophetarum, Doctorum, parentum, educatorum, & alia multiplicia munera obeunt, illustrant, consulunt, spiritu generant, alunt, erudiunt. Et quod spectat ad lumen, quæ nota Prophetarum est, Confessarii cœlesti lumine adeò illustres esse debent, ut triplici quasi Prophetiæ genere præteritæ vitæ labyrinthos, presentis vitæ latebras perspicaciter explorent, futuræque vitæ laqueos velut è specula prospiciant; neque enim conscientiis ægris, & implexis aliter satis mederi possunt. Hæ profectò sacramenti pœnitentiæ ministrorum dotes esse debent: at, summe Deus, quàm secùs res agitur? Quotus quisque enim est, qui falsa, & stulta non videat, qui scelus aperiat, ut hominem saucium ad pœnitudinem provocet? Et verò ut popularium confessarios prætermittamus, qui principibus sunt à sacris confessionibus, quàm leviter atrocia crimina censent? quàm parùm cunctanter pondera, & numeros æstimant? quàm facilè vix resipiscere incipientibus indulgent, ac veniam, cui se lentè coaptant, pollicentur? *Falsa* certè *vident*. Cùm enim principes sint, graviùs peccent, minusque resipiscant, remissiùs futura præcaveant, quomodo verum sit, facillimè illis à Deo peccata condonari? Quod si ita est; qui pro Deo ad ligandum, & solvendum præsident, qua mente silent, & non graviter admonent? cur simulant *assumptiones falsas*, & *ejectiones*, hoc est, eos, quorum culpas audiunt, pro arbitrio suo gloria cumulandos, pœnave afficiendos. Porrò severo Dei judicio efficitur, ut præclarissima orbis pars ejusmodi ministros incurrat, qui propheticum, hoc est, sacrum lumen cum politicis rationibus violento motu concilient.

A Confessarii munus multiplex.

B

Eorundem abusio.

C

SAMECH.

D

¥. 15. Plausérunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilavérunt, & movérunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs dicentes perfecti decoris, gaudium universæ terræ?

HISTORICE.

Qui prætergrediebantur te, ô Jerusalem, ruinam demirati, & vehementer lætati, manus complosérunt, & irrisione summa sibilos exprésserunt: caputque agitavérunt ajentes: Ergone hæc est illa celeberrima Jerusalem, quæ terrarum orbem decore suo cepit & exhilaravit?

ALLEGORICE.

E

Sectarii omnes, ô Ecclesia, ob crimina graviter afflicta, prætereuntes, hoc est, extra te vitam ducentes, plausibus & cachinnis te derisérunt. Sibilis & capitum motibus mutuò lusérunt rogantes: Estne hæc Ecclesia Romana illa forma elegans, olim orbe toto propagata?

TROPOLOGICE.

Postquàm culpæ pœnam luere cœpisti, ô anima dæmones quasi prætereuntes, paululumque subsistentes, lætitiæ signis gestire visi sunt. Et clamoribus, ac motibus insolitis victoriam de te partam celebrarunt, atque dixerunt: Quis unquam crederet hanc esse illam Christi sponsam, summo decore præstantem & orbis totius gaudia meritis, ac exemplo vitæ cumulantem?

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MOs est non dæmonum tantùm, sed & hominum piorum, aut impiorum (expenso diversi affectus discrimine) statum divinæ gratiæ à peccati statu, motuve longè discernere. Dæmones quidem ob partam victoriam elati, scelesti homines ob arreptam è justorum casu vitæ licentiam hilares. Viri tamen pii ob intimam commiserationem mœsti, animæ ruinam impari sensu perpendunt. Et profectò quod ad dæmones attinet, *plausus*, & *exsibilatio*, & irrisoria *capitis motio* animorum impotenter exultantium argumenta sunt: quæ animæ jacturam immensam, & supremam calamitatem exaggerant. Si verò piorum sensum exploremus, pro plausu & sibilo vehemens commotio, & clamor doloris index occurrit. Omnes ergò ii alterutra, vel irrisione, vel admiratione sic dicentes inducuntur: *Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Hebraicè; *Num hæc civitas, quam dicebant absolutam pulchritudine, gaudium universæ terræ?* pro quibus ultimis verbis LXX. sic vertunt: *Corona lætitiæ universæ terræ: στέφανος εὐφροσύνης πάσης τῆς γῆς.* Multa sanè pulchra, & pretiosa hîc de anima Deo quondam accepta proferuntur sub imagine Jerosolymæ olim celeberrimæ, ac opulentissimæ: sed ad duo capita rediguntur, ad perfectum scilicet decorem, & gaudium universæ terræ. Etenim animæ Deo gratæ forma, ab exemplari divinæ pulchritudinis producta, nequit non absolutissima esse: naturalis enim universorum hominum, & Angelorum pulchritudo (quæ tamen omnem superat eloquentiam) si vel cum uno gratiæ divinæ quantumvis in eo genere minimæ decore comparetur, rude quiddam & deforme est:

G

Textus Hebraicus.

LXX. Interpp.

H

Animæ Deo acceptæ pulchritudo.

Scripta An. 1607.

est: quo nihil hic à nobis altius vel compendiosius dici potest. Ex hoc existit secundum laudis caput, *Gaudium, seu corona Terræ*, neque mirum, *gaudium* enim, & corona cœli, est anima divina pulchritudine conspicua. Et verò, si terram solummodò spectemus, ni hil anima justa excelsius habet: quapropter in signe orbis terrarum ornamentum est anima, illâ, quasi diademate regio, coronari. Quin etiam, si quod ab Rege regnum unumquodque accipit, tutelam scilicet, pacemque contemplemur; orbis noster totum id justis debet, quorum meritis cæteri, qui meritò interimerentur, à clementissimo Deo tolerantur. Hoc nempe arcano sensu sibi volunt verba illa: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*, hoc est, Dei sunt justi terræ, quibus terra quasi cardinibus innititur & sustinetur; propterea *Deus posuit super eos orbem*, hoc est, voluit eos orbis fulcimentum, ac tutelam esse, ut orbem tanquam suis humeris gestarent, & à periculis tuerentur.

Animæ terræ ornamentum insigne.

A

1. *Reg.* 2. 8.

PHE.

B ℣. 16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: En ista est dies, quam expectabamus? Invenimus, vidimus.

HISTORICE.

Væ tibi Jerusalem, de qua Chaldæi verba insolentiæ plena jactarunt: Clamarunt, rabieque acti dixerunt: Deprædabimur eam: ecce dies prædæ, quæ pro voto successit.

ALLEGORICE.

C Prô dolor, ô Christi Ecclesia, fidei hostes ad tua bona diripienda hiarunt, vocem extulere, fremituque multo bellorum tempore spoponderunt: Capiemus eam: en direptionis occasio, quam cupivimus. Profectò sic se mutuò adhortati sunt, & regna multa olim Christiana, Orientalia, Occidentalia, Australia, & ætate postrema, Aquilonaria perverterunt.

TROPOLOGICE.

Leonum more feri dæmones in te animam culpæ reatu innexa, velut apertis faucibus anhelarunt. Exclamarunt validè, ac frendentes dixere: Glutiemus eam. Decreta quippe a Deo ultionis dies accessit, quam cupidissimè quærebamus.

D

EXTENSIO TROPOLOGIÆ.

Dæmonum feritas à Deo coercita.

FEritas Dæmonum ea est, quæ nisi divinæ potentiæ fræno coerceretur, homines (ut more nostro dicamus) vivos exorberet. Decuit ergo Dei bonitatem, eam rabiem compescere, sicut scriptum est: *Non quasi crudelis suscitabo eum.* Sic ille sævissimus hostis, ac leo catena obligatus, rugitu terret, quos si fieret copia, dentibus, unguibusque discerperet. At cùm ei debacchari permittitur, quasi dato belli signo, cum efferatis agminibus suis irrumpit, omniaque depascit; quod in horrenda Job tentatione satis apertè demonstravit. Ibi quippe Scriptura & tartarei leonis illius immanitatem, & præfixos ei à divina potentia fines, velut in tabula depinxit, ut ex eo exemplo cætera, quæ reticentur, edisceremus. Quatuor autem in hac descriptione gradatim ascendunt, *oris apertio, sibilus, fremitus, adhortatio*: quæ sunt infames notæ piratarum, latronumque omnium in prædam conjurantium. *Dixerunt* ergo: *devorabimus*, vel ut LXX. vertunt in præterito: *absorbuimus*: cùm enim viribus polleant, si à Deo sinantur, victoriam ante conflictum sibi promittunt. Se autem à Deo sini per illa verba indicant: *En ista est dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus. Expectat*, quæritque Satan invadendi licentiam, quæsitam *invenit*, inventam *videt*, hoc est, jucundè intuetur. Si verò quispiam sciscitetur, quænam dies sit hæc, responsio in promptu est, *In quacumque die comederis*, hoc est, peccaveris, *morte morieris*: mors ac tartarus ea ipsa hora, qua quis peccat, quasi jus quoddam in animam comparant, quo illam excrucient: Miseratio tamen clementissimi Dei est, non è vestigio flammis æternis aduri. Dies tamen, qua peccator de medio tollitur, propriissimè omnium intelligitur: in quam feritas à propheta hîc expressa mirificè convenit: tunc enim sublata remedii spe, Deus peccatoris animam tartaro permittit: tunc *hiatus, sibilus, fremitus, devoratioque*, succedit.

LXX. Interpp.

Gen. 2. 17.

E

F

AIN.

G ℣. 17. Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.

HISTORICE

Intulit Deus tibi (ô Jerusalem) vindictam; quam per Moysem pro idololatriæ piaculo prædixerat. Evertit te, nec miseratione flexus est. Lætitia perfudit Chaldæos, quorum robur ad te populandam vehementer auxit.

Deut. 27. 28.

H

ALLEGORICE.

Decrevit ab æterno Deus te, ô Ecclesia sce-

Scripta An. 1607.

leribus fœdata, severè punire, quod in sermone sacro veteribus typis innuerat. Provincias multas quondam tuas hæresi grassante deleri, & ad te plectendam hostium tuorum animos, viribus auctis erigi passus est: quo illi eventu mirificè gavisi sunt.

A

TROPOLOGICE.

Quod olim scripturis sacris prænunciavit, ô anima culpæ conscia, Deus ultor explevit. Te aulam suam magnificentissimè ædificatam destrui, dæmonemque expugnatorem tuum viribus præpollere, ac victoria gloriari permisit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

SÆpè divina bonitas, & antiquis scelerum vindictis, & Scripturæ sacræ adhortationibus, & quotidianis exemplis animam commonefecit, ut sapienter ageret. Multiplex certè admonitio præcessit: at parere
B nolenti, omninò pœnam irrogavit. Latus hic divinæ bonitatis campus aperitur. Porrò si punire, quàm parcere mallet, non tam providè, amanterque per antiquissima oracula homines præmonuisset: neque enim ullo jure cogitur tanta majestas ad ingratas creaturas exuberanter instruendas. Et tamen sacræ Scripturæ sermo in utroque testamento paternis exhortationibus affluit. Pro verbis illis, *Sermonem suum, quem præceperat*, LXX. *In stipp.* LXX. vertunt: *Sermonem suum, quæ præceperat, ῥῆμα αὐτῶ ἃ ἐνετείλατο*, quæ scilicet præceperat, ut rerum præceptarum multitudinem significarent: ne quis sub numero singulari *sermonem suum* unicum dumtaxat præceptum censeret. Hinc erumpit indignantis affectus, ut qui adeò accuratè animam erudit, ac illuminat, nec fructum inde pietatis refert, acriter animadvertat, ne indulgentia nimia in occasionem audaciæ vertatur. Propterea dictum est: *Destruxit, & non pepercit*. Ea tamen peccatoris amentia est, ut aliorum sibi similium horrenda supplicia cernens sibi persuadeat, se minimè plexum iri, quæ cæcitas penè incredibilis, & quotidiana est, & amore sui vehementer excrescit. At impudentiæ demum finis imponitur, & Deus inimicum lætificare asseritur, cùm prævalere sinit. Etenim Jerusalem urbs illa à Deo in delitiis habita vix credere potuisse videtur, Chaldæos ad ipsius excidium roborandos, & gentem vera religione inter nationes universas insignem ab Ethnicis hominibus debellandam. Verùm experimento didicit, nihil sibi auxilii superesse in Deo, quem audacter irritaverat, nisi ad arcendos hostes, qui præda gloriabantur,
D supplex illum coleret, ac imploraret.

Peccatoris cæcitas describitur.

SADE

℣. 18. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

HISTORICE. E

Chaldæi muris sanctæ Urbis insidentes (ait Jeremias) adversus Deum blasphemias horrendas ejaculati sunt. Propterea, ô Jerusalem, noctes ac dies ubertim flere ne desistas: ne requiescas, neque sileant oculi per lachrymas, ceu verba, supplicantes.

ALLEGORICE.

Sectariorum Christiana regna occupantium voces impiæ in Deum sonuerunt. Quocirca, ô Christi sponsa, impetum lachrymarum perenniter effunde, neque fletum intermitte.

TROPOLOGICE. F

Dæmones victores, te capta (ô anima) vocibus elatis Deo insultarunt. Quapropter instar fluminis, die noctèque fletum erge, neque unquam lachrymas ad Deum placandum orationis, ac vocis pondus habentes reprime.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

HOrrendum est, dæmones, anima capta, quàm ferociter in Deum insaniant, prædam proculcantes, linguas blasphemiis enormibus evibrantes. Tartareorum quippe hostium rabies in Deum concepta ea est, ut Deo impotentiam exprobrare audeant, quasi nequeat ex ipsorum unguibus prædam eripere, quam ceperunt: ac si Christi sanguis incassum effusus fuerit. Sic à Vate nostro describuntur dæmones animæ prostratæ, jacentive insistentes, & velut super muros captæ Urbis ejus conditori conviciantes, urbemque ipsam fastu multo circumspicientes: qui mos Regum ex arce spectantium est, ut ostendit ille; Dæmonum in Deum insanientium ferocitas.

G

Quando erit, ut condas instar Carthaginis Urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos? Ovid. Heroid. Epist. 7.

Quis autem Dei civitatem, aulamve à rege tartareo pessundari, ac inde occasionem Deo maledicendi hostem arripere non lugeat? Sanè propterea Vates sanctus sic animam hortatur; *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem*. Fletum uberrimum H
exposcit, torrentis more, hoc est, lachrymas copiosè, rapideque fluentes, ut cùm torrens, id est, aqua ex imbribus collecta, præceps ruit, potiùs quàm decurrit. Poscit quoque longum, diuturnumque fletum dies, noctesque protensum; quæ mali gravissimi signi-

Scriptà An. 1607.

gnificatio est; LXX. significantiùs distinxisse videntur dicentes: *Muri Sion, deducite quasi torrentes lachrymas per diem & noctem*; τείχη σιὼν κατάγαγετε ὡς χειμάῤῥους δάκρυα ἡμέρας καὶ νυκτός; vastitas quippe tam funesta est, ut à rebus inanimatis & dolorem, & lachrymas requirat. Subditur autem: *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla*; sive ut Hebræus, & LXX. *filia oculi tui*. Non modò mœrorem, luctumque diuturnum reposcit, sed sollicitudinem, quæ requiem, vel somnum excludat; talem scilicet pœnitentiam esse decet ad peccatum expiandum. Quod verò ait: *Neque taceat pupilla*, vim fletus arcanè loquentis notat. Nullus profectò eloquentior ad Deum placandum orator, quam qui sermone intercepto, præ doloris vehementia, verba, quæ ore prolaturus erat, oculis depromit. Verba sunt lepidissima, quæ à Deo non modò audiri, verùm exaudiri, benè noverat, qui verba oris oblitus, ad oculorum verba recurrit ajens; *Auribus percipe lachrymas meas*.

A

Textus Hebraicus.

LXX. Interpp.

Ps 38. 13.

B

COPH.

℣. 19. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas, pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

Historice.

C *Placeat tibi (ô Jerusalem) consilium meum. Somnum excute, ac prima noctis vigilia celeriter exurge, clementissimumque Deum, corde fletu liquescente, impensissimè implora. Sublatis manibus Deo congredere, precibusque tuis redime vitam puerorum in mediis viis fame cadentium.*

Allegorice.

Ne desideas (ô Ecclesia,) sed excuba sollicitè: validissimè Deum ora, corde in fletum resoluto. Tolle manus pias, affectus invalescentis indices, ut plebi, sacræ doctrinæ fame publicè pereunti Deum propities.

Tropologice.

D *Expergiscere (anima) quæ peccasti, & noctu Deum vigil ora, supplicesque gemitus è corde mollito trahe. Effer manus, ut externis quoque motibus te ipsam excites, si fortè Deus à morte liberet sensus tuos, ablactatorum infantium more divini lactis inopia in mundi triviis intereuntes.*

Expensio Tropologiæ.

COnsurgere jubetur anima, quæ lassa desederat, vel jacuerat: ut mali enormitatem meditetur, ac Deum anxia deprecetur. Porrò mirum est, quanto sopore decumbant, quibus perenniter vigilandum esset. Tutas urbes, nullumque obsidionis vel infestationis rumorem, patientes, fidissimi excubitores, sub capitali pœna custodiunt: & anima obsessa, & glandibus explosis perpetim tentata stertit. Propterea inquit Propheta: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*, quasi diceret: Quiescant alii, qui nihil culpæ sibi conscium: tu verò quæ peccasti, tempus quod ab aliis innoxiis somno impenditur, precibus tribue. LXX. sic reddiderunt: *Surge, exulta in nocte, in principiis custodiæ tuæ*. Exulta, inquiunt, hoc est, celeriter, alacriterque è lecto exili. Unum nimirum è selectis documentis, ad orationis peritiam, fructumque parandum, expeditio, strenuitasque ad somnum excutiendum est. Neque ulla ratio ad letargum depellendum opportunior afferri potuit, quàm quæ proximè innuitur: *In principiis custodiæ tuæ*, tanquam luculentiùs efferrent: Animadverte tuam rem agi, teque ad custodiam propriam exurgere debere, propriique boni efficacitate excitaberis. Cur autem Prophetà potiùs noctu, quàm interdiu preces consuluerit, ratio pervia est, & universorum Patrum exemplis astructa. Silent quippe tunc omnia, nulla terrenorum negotiorum occursat imago, vires animi, corporisque ad validiùs orandum in unum, noctis frigore, concrescunt, & tota proinde anima soli Deo vacat, quæ insignis orationis perfectio est. Ille verò dicendi modus Scripturæ familiaris: *Effunde, sicut aquam, cor tuum ante conspectum Domini*, propriorum affectuum noctu sine testibus foras licenter erumpentium, & gemituum, quos anima instar fontis effundit, notatio est. At illud, *leva ad cœlum manus tuas*, oratorum eruditio est: qua monentur, cùm solitudinis occasionem nacti sunt, ut ferventiùs orent, posse, ac interdum debere motibus, seu gestibus externis se ipsos excitare; ut corpus, quod plerumque animam ab oratione retardat, arte quadam orandi peritiam velut addiscat, animæque pro suo captu subserviat. Verùm ratio aliàs allata, hîc tamen repetita, quam Prophetà profert, ut anima instantiùs oret, *pro anima*, hoc est, vita *parvulorum* &c. sensuum reformationem summis votis exquirendam persuadet: horum enim licentia columnas quoque firmissimas evertit.

E

LXX. Interpp.

F

Nocturna oratio laudatur, ac præfertur.

G

Etiam corpus orare debet.

Res.

H ℣. 20. Vide Domine, & considera, quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensu-

Scripta An. 1607.

ſuram palmæ? ſi occiditur in ſanctuario Domini Sacerdos & Propheta?

HISTORICE.

A *Clementiſſime Deus (ait Jeremias) quam unquam urbem tam prodigiosè deleſti? ubi obſecro auditum eſt, mulieres obſidionis anxietate partus ſuos vix palmi longitudinem æquantes abligurire? Ubi unquam impietas tanta deſæviit, ut Dei Vates ac Sacerdotes in ipſa æde ſacra interficerentur.*

ALLEGORICE.

Deus amantiſſime, quos, rogo, fidei hoſtes tàm acriter ac Eccleſiam ob crimina cecidiſti? Quoties fames ingraveſcens ad proprias penè carnes depaſcendas Catholicas Urbes, ipſamque in primis Romam adegit? Quoties inter ipſas functiones ſacras Sacerdotes, & Præſules à truculentis fidei hoſtibus occiſi ſunt?

B

TROPOLOGICE.

Mitiſſime Deus, quænam creatura, æquè ac anima, quam olim tibi deſpondiſti, acerbè tractata eſt. Ergone præ acerrima vexatione carnem ſuam morſibus dilaniet? An in ea, quæ ſacrarium tuæ majeſtatis erat ſpirituale ſacerdotium, & rerum cœleſtium notitia prorſus extinguatur?

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NOvos eloquentiæ modos ad clementiam implorandam Jeremias excogitat. Precatur clementiſſimum Deum, ἀνθρωποπαθῶς contempletur animæ incomparabilem anxietatem: an cæterarum creaturarum demolitio cum animæ vexatione conferri valeat: quaſi planiùs oraret, reſpiceret divina bonitas nobiliſſimam creaturam ſeveriſſimè omnium excruciari. Quod certè per ſubjuncta liquet; *Ergòne comedent mulieres fructum ſuum, parvulos ad menſuram palmæ?* Similitudo ab urbe ad animam traducenda eſt. In urbe autem obſeſſa poſtrema infœlicitas eſt humanæ carnis uſus; maximè ubi omnis humanitatis affectus exuitur, qualem inter parentes potiſſimùm ac liberos natura genuit. LXX. poſt verba illa, *ſi comedent mulieres fructum ventris ſui*, ſubjungunt: *Vindemiam fecit coquus*, ἐτρύγησε μάγειρος, quia videlicet coquus infantulos à matribus, ceu palmites à vitibus amputavit, ut coqueret. Hæc facies captæ urbis eſt. Luctuoſius autem ſpectaculum foret, ſi matres, non infantium, ſed ſuam carnem in fruſta cæderent: atque in hunc modum anima, cùm vexatio (Deo ſinente) ingraveſcit, repræſentanda eſt. Solet enim præ doloris magnitudine in corpus immenſo impetu percita, quaſi manus violentas iniicere, ac paulò minùs ictibus, ac morſibus carnem dilaniare: ut rectè ſic Deum precari poſſimus: Ergone (mitiſſime Deus) anima, quam olim indulgenter habebas, adeò ſeverè torqueatur, ut dolore impotenti extimulata carnem propriam dilaceret? Quod verò ſubnectitur, *Si occiditur in ſanctuario Domini ſacerdos & Propheta?* tantundem eſt in arcano ſermone, ac ſi rogaret in hunc modum: An ſic malorum grandium mole anima opprimatur, ut neque ſpirituales hoſtias, ritu Sacerdotum, offerre, neque cœleſte lumen, prophetarum more, cernere queat? Omnia nempe bona calamitas ſumma delevit. Quin etiam viris pietate eximiis, cùm illos Deus periclitatur, evenire ſolet, ut præ incredibili agonis anxietate neque Dei meminiſſe, neque actus virtutum producere, neque lucem divinam intueri, neque acerrimis tentamentis reniti poſſe videantur; è contrario verò furenteni appetitum, ſenſus rabie quadam actos, & universè pronitatem quandam in vitia exultantem ſumma cum repugnandi difficultate perſentiant. Intereſt autem plurimum, an in Sanctuario Dei, hoc eſt, in anima, hæc metaphorica ſacerdotii, ac prophetiæ ablatio, vel extinctio, ad culpæ ſuppliciùm, vel ad meriti augmentum eveniat.

C

LXX. *Interpp.*

D

Deprecatio.

E

Piorum internæ pugnæ.

F

SIN.

℣. 21. Jacuerunt in terra foris puer, & ſenex: Virgines meæ, & juvenes mei ceciderunt in gladio: interfeciſti in die furoris tui: percuſſiſti, nec miſertus es.

G

HISTORICE.

Mœnia Urbis ſanctæ, tectaque Chaldæus boſtis demolitus eſt, ſeneſque æquè, ac pueri ſub dio abnoctare coacti ſunt. Adoleſcentiæ flos utriuſque ſexus gladiis Babylonicis dic ultionis occubuit.

ALLEGORICE.

Catholici ſæpè ob ſcelera in captivitatem abducti, ac tectis excluſi humi decubuerunt. Sæpè dirè cæſi ſunt: ſæpè furor tuus (ſumme Deus) non minimam Eccleſiæ partem cohibita miſeratione depavit.

H

TROPOLOGICE.

Anima, quæ cœlum petere noluit, in terrenis jacuit deſideriis, & vindictæ cœleſtis enſe velut interfecta concidit. (Ira tua æquiſſime Deus) decreto tempore illam ſeverè percuſſit, neque indulgere placuit.

Ex-

Scripta An. 1607.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

SOrs profectò adversa fuit, Jerusalem, cives ingenuos, ex omni ætate, propriis tectis expulsos, in terra, vel (ut ajunt LXX.) *in via durè cubare*. Non dubium, quin animum quemque, vel mediocriter pium commiseratione flexissent. Ex hac mœsta illius adversitatis imagine possumus in arcanum sensum opportunè transire. Tritum est in Scriptura illud: *Revertimini ad cor*. Et vulgatissimo sermone homines passionibus immoderatis, vel afflictionibus perturbatos, motu remisso, in se redire dictitamus, tanquam qui extra se aberrasse videantur. Res in omni schola comperta est; cujus ratio à rebus, quæ ardenter amantur, peti debet. Nam cùm omnes eæ, si extra animam sint, eam nervosè ad se trahant, eamque proinde propria illius sede depellant: quæ tamen ab ejus natura, vel dignitate longiùs absunt, longinquiùs quoque divertunt. Quapropter cùm nihil ab animæ ingenio, ac sublimitate magis, quàm culpa distet, profectò amor omnis, qui culpa non vacat, illam longissimè alienat, *foràque in terra jacere* quasi cogit. Quod ergo dicit, *puer*, & *senex*, omnium animæ virium, quarum nonnullis canities, aliis pueritia, adolescentiave in arcano sermone congruit (ut alibi dixisse meminimus) spirituale notat exilium. Omnes nimirum illæ extrorsum illecebris peccatorum actæ, domestica velut habitatione, recessuque carentes, humi jacere, quod est terræ adhærere, terram amplecti dicuntur: quod miserrimæ derelictionis genus est. Cætera quæ hîc repetuntur, & alibi à nobis explanata sunt, dolorem exaggerant, hoc est, *juventutem gladio cecidisse; Deum interfecisse, percussisse, nec misertum esse*. Omnis quippe dolor, quò vehementior est, eò crebriùs idem malum, & verba eadem inculcat.

LXX. *Interp.*

A

B

C

THAV.

℣ 22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, & relinqueretur: quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

HISTORICE.

Non modò Chaldæos (ait Jerusalem;) sed finitimos populos ipsis Chaldæis adversùm me fœderatos, ut mihi terrorem incuterent, summe Deus, evocasti: teque adversante, nemo ex iis, quos neci destinaveras, dum caperer, vivus evasit. Partus meos liberaliter educatos, lauteque nutritos Babylonicæ feritatis ignis absumpsit.

D

ALLEGORICE.

Severè me tractasti, clementissime Deus, (ait Ecclesia) fideique hostes non tantùm longè dissitos, sed vicinas Romanæ arci nationes, velut agmina pacto sociata, ad me exterrendam, & oppugnandam, regnaque mea non pauca expugnanda, recensuisti, neque ullus obsessis patuit exitus. Hei mihi, liberos illos, quos Apostolico lacte alui, sectariorum pestis infecit.

E

TROPOLOGICE.

Ex quo peccavi (inquit anima) æquissime Deus, & conscientiam propriam, & dæmones, & præsentis sæculi hostes ad me terroribus concutiendam immisisti; neque uspiam, ut malis me subducerem, asylum reperire potui. Pios affectus, cùm tibi placerem, à me auxilio tuo conceptos, & cœlesti fomento auctos tartareus hostis abolevit.

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

FEsti dies victoribus, profesti victis congruunt: solemnissimus itaque, ac festivissimus dies, qui dæmonibus accidit, nobilissima captæ animæ præda est. Verùm dicendi modus præsertim expendi debet, non enim unus, aut alter, sed plurimi *de circuitu*, ut inter se mutuò gratulabundi concurrerent, omnes tamen ad animam terrendam conspirarent, vocati, sive invitati dicantur, ita ut exitus non pateret. Profectò nullus carcer durior, ac tenebricosior, quàm divina indignatio. Turres præaltas, muros crassiores, catenas ferreas perrumpunt, arctas custodias, sollicitas excubias homines nefarii in vincula conjecti, malis artibus eludunt: Dei tamen vindictam nemo quantumvis ferox & solers effugiet. Ut enim cæteros hostes, puta mundum, tartarumque vitaret, propriam tamen conscientiam, & (quod caput est) Deum ultorem nequit evadere. Non decreta extremi Judicii die tantùm *pugnabit pro Deo orbis terrarum contra insensatos*, verùm & ante supremam diem omnes adversùs peccatorem creaturæ conjurant: & potissima hominis pars, nempè intellectus (cujus actus est conscientia) ipsum laniat, atque condemnat. Hîc verò non ab re fuerit, quod sæpè à Jeremia commemoratur: *diem* scilicet *furoris Domini* subnotare. Oportet enim non modò nosse, sed præmeditari, ad viam culpis præcludendam non semper flagitia à Deo impunè ferenda: verùm sortes alternas fore; & pro immensa patientia, qua nunc scelera innumerabilia tolerat, immensam quoque iram, quæ furoris nomine significatur erupturam. Pro verbis illis; *Quos educavi & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos*, LXX. reddunt: *Invalescere feci, & multiplicavi inimicos meos omnes*, ἐπῃράτησα καὶ ἐπλήθυνα ἐχθροὺς μου πάντας. Quo sanè sermonis genere ingentis mali, quod vulgatus interpres

Impii humanam justitiam aliquando effugiunt.

G

Divinam effugere non valent.

Sap. 5. 21.

Primus impii accusator propria conscientia est

H

LXX. Interpp.

Scripta An. 1607. pres expressit, causam attulisse videntur. Roganti enim, quî factum sit, ut sensus, quos anima multo labore ad pietatem excoluit, inimicus fœdarit, appositè respondetur. Quia invalescere fecit, hoc est, roboravit, hostes suos, per abusum videlicet eorundem sensuum, à quorum cultura primùm torpuit, A postmodum destitit. Omnino enim exploratum est, dæmones non extorquere, sed postulare consensum, eosque spontanea animæ incuria vires acquirere.

CAPUT III.

ALEPH.

℣. 1. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus:

B

Historice

Ego Jeremias dulcissimæ civitatis cladem summo cum dolore cernens, extremam meorum (quæ mea est) inopiam, Deo virgam, hoc est, justitiam exercente, conspexi.

Allegorice.

Ego sanè gravissima Ecclesiæ damna contemplans, in ipsa Dei punitione tanquam in tabula depictam ærumnam meam intueor; membrum enim cæsi corporis sum.

Tropologice.

Ego certè, cùm animam, cui Deus ob crimen admissum graviter succensuit, cœlesti ultione, tanquam in nihilum redactam cogito, in vexationis libro imbecillitatem meam apertè lego, atque dignosco.

C

Expensio Tropologiæ.

Prosperitas hominem dementat.

NIhil est, quod hominem æquè, ac prosperitas dementet. Cùm enim seipsum vehementer amet, ea, quæ possidet, tametsi aliena sint, sibi adscribit, majorque, quàm sit, sibi videtur, ac de bonis alienis amanter blanditur. Quod non in rebus caducis tantùm, sed in spiritualibus quoque donis, quæ vel æterna, vel æternitati affinia sunt, passim contingit. Vel enim animæ, quasi propietatis jure, nimis hærent, vel majora, quàm par

D esset, ex eorum possessu anima sibi pollicetur: *Ps. 29. 7.* quod ea regii Psaltis verba: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*, & illa Petri, *Etsi omnes scandalizati fuerint, Mar. 14. 29. sed non ego*, pervincunt: ut Pharisæum prætereamus, quòd non foret, *sicut cæteri homines, Lucæ 18. 11.* fastu ex Dei donis concepto grates agentem. Mirum est enim, quàm citò homo paulò antè inops, pannosus ac vilis, è vestigio in altiorem dignitatem elatus, proximæ conditionis, non meminerit. Decuit ergo divinam bonitatem, ac sapientiam; extincta prosperitate, adversam sortem permittere, vel immittere, ut hominem in officio, hoc est, propriæ fragilitatis cognitione contineret. Et ut ad rem nostram propiùs accedamus, cernens Jeremias fortunatissimæ olim urbis cladem, multoque attentiùs ejus cladis originem, animas videlicet à vero Dei cultu exerrantes contemplans, ex penitissimo affectu sic enuntiat: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*, quasi apertè diceret: Ego sanè, quod ad me attinet, licèt à Deo protegar, eique gratus & à multis propterea calamitatibus immunis existam: veruntamen, homo cùm sim, iis infortuniis quæ alii homines patiuntur obnoxius, in aliorum profectò adversitate, quanta sit inopia mea, velut in tabula artificiosè picta dignosco. Possem quippe & ego, quod ad naturale, ingenium spectat, quemadmodum alii cives mei, graviter paccare, pœnasque horrendas exolvere. *Virga igitur indignationis Dei*, punitio peccatorum est, quæ vicem speculi naturalem hominis imbecillitatem repræsentantis gerit. Pro verbis illis, *in virga indignationis ejus*, LXX. vertunt, *in virga furoris ejus super me*, ἐν ῥάβδῳ θυμοῦ αὐτοῦ ἐπ' ἐμέ: quo sermonis genere affectus Vatis nostri in proximum exprimitur: furorem quippe Dei urbem sanctam, ac eo ipso plurimas animas Deo invisas depascentem, præ charitatis sensu: tanquam super se irruentem lamentatur.

Homo ad superbiam pronus.

E

Jeremiæ humilitas.

LXX. Interpp.

F

ALEPH.

℣. 2. Meminavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

Historice.

G

Torqueor ego Jerusalem, quia, quæ aura Libani, locorumque salubrium liberè perflabar, & sereno cœlo gaudebam, in tenebricosa Babyloniæ antra more bello captorum, Deo pronunciante, abducta sum.

Allegorice.

E clarissima, primævæ sanctimoniæ gloria, in obscuritatem à criminibus enatam, æquo judicio, me Dei Ecclesiam, ultio divina deturbavit,

Tropologice

Abstulit mihi Deus purissimam cœli lucem, qua fruebar: & infœlix anima in mentis tenebras densissimas culpa exigente demergor. H

Expensio Tropologiæ.

TAmetsi verba hujus textus Jeremiæ tribui possint, pondus Urbis totius, vel Ec-

Scripta An. 1598.

Ecclesiæ, vel animæ (juxta tres sensus paraphrasis) charitatis affectu subeunti: congruentiùs videtur sub Jerusalem Ecclesiæ vel animæ nomine illa fuisse prolata. Dicit ergo: *Meminavit, & abduxit.* LXX. *abduxit* ἀπήγαγε, *in tenebras, & non in lucem.* Conqueritur nempe anima, sortem nimis adversam sibi accidisse, proprio se domicilio depulsam, abductam in tenebras, proindeque puræ radiis lucis orbatam. Inter gravissima patientiæ pericula, quæ in Scriptura sacra ad institutionem nostram lectitamus, Tobiæ cæcitas meritò recensetur. Cujus idoneus æstimator fuit vir ipse planè sanctissimus per ea verba; *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Et profectò, licèt nullum suppeteret oraculum experientia convincit, hominem, qui totus acie oculorum dirigitur, cæcitate compediri, ut tanquam res inanimis loco se movere nequeat. Hæc est imago internæ cæcitatis, tenebrarumve interiorum, quæ animam paulò antè divinæ lucis radiis illustrem in stupiditatem quandam penè incredibilem conicisunt. Quid, obsecro, accideret homini aliena regna peragranti, cui dum loca deserta, multis viarum anfractibus implexa, sole propitio, ad bonum delectum exploraret, subitanea eclipsis nocti simillima ingrueret? Quid si fluvii intercurrerent, si terra hiatibus patescceret, si feræ, ut solent, è lustris noctu ad prædam erumperent? Mala hæc omnia in arcano sermone cœlesti luce caventur, tenebris incurruntur. Vim habet modus ille dicendi lugubris: *Meminavit*, hoc est, egit me, ut pastores pecus agere dicuntur. Quod, si de culpa sermo fiat, divinæ permissioni, si de inflicta pœna, divino sanè decreto vertendum est. Habet autem insignem doloris sensum, ac si diceret anima: Hei mihi, quàm infaustè res mihi cedunt? Deus clementissimus, qui me ad purissimæ lucis solem sine trepidatione, aquilarum more cernendum amanter evehebat; nunc ad luendam culpæ pœnam in tenebras densissimas lugentem agit, ac extabescere sinit.

LXX. Interpp.

Animæ conquestio.

Tob. 5. 12.

Cæcitas Tobiæ internæ cæcitatis figura.

Animæ querimoniæ.

A

B

C

ALEPH.

℣. 3. Tantùm in me vertit & convertit manum suam tota die.

HISTORICE.

Videtur sanè Deus cæteris urbibus universis parcere, me unam (suam scilicet Jerusalem) dies integros punire.

ALLEGORICE.

Solummodo ad me Ecclesiam suam plectendam, & à culpis punitione purgandam Deus videtur intentus: sectis autem erroneis, quasi æuo sempiterno puniendis, præsentis vitæ flagella parciùs incutit.

D

TROPOLOGICE.

Adeò acriter me Deus pro crimine cædit (inquit anima,) ut verbera in me solam, versata multifariam manu, jugiter exercere, reliquas ne leviter quidem tangere videatur.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ

E

FAmiliare est omnibus, qui malis infestantur, se inprimis infœlices, & acerrimè omnium tractatos dictitare. Quocirca quicquid malorum alienorum audiunt, leve quiddam, si cum ipsorum labore comparetur, existimant. Quæ sanè opinio aptissimè animo insidet, cogitando alitur, continuatione excrescit, alienæ anxietatis ignoratione in immensum abire videtur. Hinc oriuntur creberrimæ querimoniæ, quas si mathematicè velimus exigere, falsæ, si verò cum affectu, sensuve patientis animæ componere, verisimiles videbuntur. Lepidus tamen, utcumque accipiatur, dicendi modus est: *Tantùm in me vertit, & convertit manum suam tota die.* Quasi apertiùs anima diceret: Nescio indignationem Dei satis ponderare: Videtur profectò ab aliis omnibus puniendis prudens abstinere, ac in me unam severè cædendam manum ultrò citroque versare. Neque hic conquestionis modus usitatus est iis dumtaxat, qui peccarunt, & se graviter afflictos cum aliis, qui impunè peccasse videntur, identidem conferunt; sed iis quoque, qui cùm insontes sint, ad incrementum meriti exercentur. Cùm enim conscientiæ stimulus non urgeat, & aliunde, peccatorum more gaventur, frequentes motus exultant, & Deo impunitatis causas dulcissimè interdum repræsentant: ut patet ex illo; *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Et ex aliis permultis ejusmodi querimoniis amore suggerente productis. Neque mirum; animæ quippe, quò puriores sunt, eò solent severiùs excruciari: ut Deus manum hac, illacque convertens, nullam hominis partem vulneribus immunem relinquat. Quod verò additur, *tota die*, incrementum sensus habet; quasi dicat, se solam à Deo non aliud cogitante, sæpè graviter, ac sine intermissione torqueri.

Miserorum lamenta.

F

G

BETH.

℣. 4. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.

HISTORICE.

Grassante bello, ac fame, flos civium meorum (ait Jerusalem) emarcuit: & quasi tabe celeri, carne consumpta, cutis juvenum rugis contracta, ossaque penè contrita sunt.

H

ALLE-

Scripta An. 1607.

ALLEGORICE.

Videor sanè, ego Ecclesia, forma olim elegans & vegeta, velociter præ tyrannicis vexationibus senuisse, fortitudinemque virilem ossibus notatam amisisse.

A

TROPOLOGICE.

Deus acri supplicio me fecit præmaturè quasi consenescere: & ossa, hoc est, vires virtutum, ob culpas meas justè confregit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

LAbor & anxietas corpus enervant, & præmatura senectute conficiant: quod ostendit exul & afflictus ille:

Ovid. lib. 4. de Trist. Eleg. 7.

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat:
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.

B

Veritas est, quæ innumeros assertores experientia convictos habet. Quippe agon animæ cura improba sollicitæ non sinit naturales vires se in actus suos exerere: ac propterea corpus marcescit, succumque illum vitalem, ac adolescentiæ, juventutisve florem amittit. Sic sanè & in sensu nostro tropologico verum est, anima immissis à Deo laborum jaculis saucia, corpus conflacescere, carnem absumi, pellem contrahai, squalloremque prætendere, ossa denique infirmari. Verum est pariter, penitiore, ac magis arcano sensu, animam graviter afflictam quasi senio confici, dum vires internæ, quibus vegeta & velut armata incedebat, deficiunt, & quodammodo atteruntur. Hinc certè, qui rerum internarum ac divinarum affectionum consulti sunt, vices alternas non sine voluptate in iis, qui perfectionis Christianæ viam carpunt, oculatè dispiciunt. Quando enim spiritus afflat, homines ætate provecti, vi nova cælitùs accepta, adolescentiæ vires resumere videntur: & non internos tantummodò actus, sed labores externos validè obeunt, miroque spectaculo cum pueris, adolescentibusque vitæ austeritate concertant. E contrariò adolescentes firma corporis constitutione præditi, qui heri, spiritu prosperè flante, muros æneos perrumpere audebant, hodie ariditate laborantes, vix loco se movere posse videntur, ac si eos senectus repentina fregisset. Modò lætissimo tripudio coram arca fœderis cum regio Psalte totis viribus exultant: modò cum eodem, velut exangues, orem testæ arent, ac *Deo faciem avertente deficiunt*. Quapropter minimè mirum est, si anima immensè gravata *pellem vetustam, carnem exesam, ossa contrita* lamentetur.

C

D

Ps. 103. 29.

Afflictionis in animam, & corpus effectus.

Et ariditatis spiritualis.

BETH.

℣. 5. Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.

E

HISTORICE.

Chaldaicis tentoriiis me urbem suam Deus ambivit, & amara quadam, ac laboriosa obsidione vallavit.

ALLEGORICE.

A fidei hostibus, Deo sinente, ego Ecclesia obsideor. In amarum sanè, & anxietate plenum carcerem Deus me detrusit,

TROPOLOGICE.

Meritò quidem me animam, quæ thalami fidem fefelli, Deus pœnis illatis obsedit, omnemque anteactæ vitæ dulcorem, ac requiem sustulit.

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

SApientissimus architectus Deus est, qui structuræ suæ partes mirificè consentientes ex misericordia, justitiaque componit. Intus clemens ædificat, cum animam divina virtute constabilit, ut inde velut ex arce munitissima in hostes tela jaculetur, & obsidionem avertat. Qua certè dignatione nihil honestius, nihil animæ utilius, nihil ad magnanimitatem opportunius optari potest. Arcis quippe conditor, custos, & propugnator ipse Deus est: qui animam cœlesti fortitudine ad bellum, & victoriam erigit. At enim cùm ædificio interiore destructo, arcem ipse circum animam extruit, ut oppugnet, supremi doloris spectaculum est. Inermis enim anima à potentissimo oppugnatore circumdata quid non timeat? Etenim si castrum è regione animæ à Deo exædificatum, totaque obsidio cujusmodi sit interrogemus, respondebit anima: *Circumdedit me felle & labore. Fel & labor* obsidio mea est. Sanè ita se res habet: quocumque enim se vertat anima, cui Deus adversatur, sive ad honores, sive ad voluptates, nihil nisi amaritudinem anxietatemque consequitur. Pro verbis illis, *in gyro meo*, Hebræus habet, *super me*, quod expensione dignum est. Etenim juxta militarem hominum disciplinam exercitus dispositio magna victoiræ pars est. Si enim unus exercitus è sublimiore loco in alterum per prona loca porrectum irrumpat, vehementiùs irruit, & cladem majorem descensu infert. Cùm ergo anima inquit, *ædificavit super me*, cœlestis militiæ disciplinam innuere videtur. Arx, è qua Deus ad prælium erumpit, sublimis est: & animam infidam inferiùs residentem turbi-

G

Deus animam munit, & ad victoriam erigit.

Textus Hebraicus.

H

Dei in animam infidam prælium.

nibus

Scripta An. 1607.

nibus obruit. Porrò quale belli genus vel orbi universo, vel provinciis, urbibusve, è cœlo velut aperto, aquæ inundatione, incendio, fulminibusve intulit; tale quoque & peccatoribus singulis irrogare (ut è simulachro externo sensus arcanus eruatur) censendus est. Jam verò potentissimi Imperatoris è cœlo pugnantis iram quis non extimescat? Certè pondus immensum significat illud *super me*, quod nullus Athlas ferre possit.

A

BETH.

℣. 6. In tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos.

Historice.

Me in Babyloniam adduci Deum permisit, & custodiis subterraneis includi, ac si inter mortuos nunquam excitandos computasset.

Allegorice.

B Magnam, inquit Ecclesia, & illustrem mei partem ob culpas cœpi, & cryptis à Tyrannis intrudi, & vivos adhuc partus meos, quasi non ultrà resurrecturos, terra obrui permisit.

Tropologice.

Cœli luce lætabar (inquit anima) sed postquam deliqui, in tenebricosum vindictæ carcerem, quasi usura vitæ semper caituram, me Deus includit.

Expensio Tropologiæ.

C JEremiæ sensus energia plenus, quem hîc lectoribus offert, per similia Psaltis regii verbà in lucem proferetur: *Collocavit me*, inquit Regius Vates, *in obscuris sicut mortuos sæculi*, quod est idem ac, Collocavit me in tenebrosis quasi mortuos sempiternos: & subdit: *Et anxiatus est spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Quasi planiùs diceret: si nosse velitis, ubi me Deus collocarit, in quam miseriæ profunditatem demerserit, intuemini me anxium, & intimè perturbatum. Nativum est homini subterranea loca ingredienti, anxietatem & perturbationem pati, subit enim quædam mortis imago dum cogitat homo se vivum in mortuorum loca penetrare. Mens ergo vatis nostri juxtà sermonem arcanum est, inducere animam sic dicentem: *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos*; hoc est, vivam sepelivit, adhuc viventem sepulchro condidit, ac si me vita defeciisset. Qui sanè dicendi modus ad vim calamitatis significandam appositissimus est. Plerumque enim animæ vexatio adeò sævit, ut homo non magis præsentis vitæ functiones exercere valeat, quàm si è vita migrasset. At verò, quod additur, *mortuos sempiternos*, vim sensus adauget. Justorum quippe mors ad tempus prævalet, neque perpetua posset appellari, ob subsecuturam immortalis vitæ resurrectionem: peccatorum verò mors æterna est, qui veræ vitæ usura ævo sempiterno carebunt. Quod ergò anima conqueritur, dum ait, *mortuos sempiternos*, miram prodit afflictionem; quasi patentiùs diceret: severissimè Deus me divexat: me morte mulctat; non, inquam, brevi morte, quæ justis quoque dominatur, sed adeò in me ob culpam excandescit, ut quasi mortuos sempiternos, hoc est, tartaro damnatos punire videatur. Neque ab re, quia vermis conscientiæ, tenebræ, dolor, gemitus inter damnatorum tormenta recensentur. Quis hîc grande peccati malum, quod tam diros cruciatus commeruit, non perhorrescat?

Pſal. 142. 4.

Animæ conquestio.

D

E

GHIMEL.

℣. 7. Circumædificavit adversùm me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

F

Historice.

Mœnia mobilia, hoc est, Chaldaici exercitus papiliones circum me Deus tetendit, ait Jerusalem, ne possem elabi: gravibus me obsidionis quasi compedibus astrinxit.

Allegorice.

Me sibi desponsam Ecclesiam in angustias ultor Deus compulit: & sectis fidei adversis, tanquam arcibus infestis firmiter extructis, ambiri permisit, ne me in libertatem proripere valerem. Profectò catenis ferreis compedivit me.

Tropologice.

G

Permissu Dei, inquit anima, quasi arx dæmonum ad me oppugnandam, in patrati sceleris pœnam mihi obfirmata, & circumducta est, ne fugam arripere valeam. Vinculis certè molestissimis ineluctabilis vexationis innexa sum.

Expensio Tropologiæ.

PAulò antè dixerat, *ædificavit in gyro meo*: hic idem significantiùs repetit, dum ait: *Circumædificavit adversùm me*; arcem quippe divinæ ultionis obfirmatam, ut missilibus vindictæ cœlestis vulneretur, ostentat. Enimverò Dei permissu, ut olim Chaldæi tentoria circum Jerosolymam disposuerunt, ita Dæmones castra circum animam incredibili sævitia metantur, & arces ad præsidium construunt, ut eam dirissimè oppugnent, aut expugnatam custodiant. Scopus autem, quo tam laborioſi conatus diriguntur, est; quem ipsa notat, *ut non egrediar*.

Similitudo

H

Scripta An. 1607.

Sanè si de culpa sermo fiat, eò conatus dæmonum totus incumbit, ut anima semel capta non elabatur, & in antiquam libertatem se asserat. Si verò de pœna culpis illata loquamur, Dei imperium est, ne ultionem effugiat. Pro verbis illis, *ut non egrediar*, LXX. reddunt, *& non egrediar*, καὶ οὐκ ἐξελεύσομαι, qui sensus penitiorem dolorem, & quandam desperationis imaginem præ se fert: ac si anima dicat: Porrò non patet exitus: omnes viæ intercluſæ sunt: certè non elabar. Quod verò addit: *Aggravavit compedem meum*, tantundem est, ac si ageret de anima sub imagine hominis non modò in carcerem inclusi, verùm etiam compedibus astricti, ne posset erumpere, LXX. ad sensus augmentum, compedem æreum, non ligneum (quod mitius foret) ostendunt ajentes, *aggravavit æs meum*, ἐβάρυνε χαλκὸν μου, ferreis vinculis anima ob peccatum astringitur.

LXX. Interpp.

A

LXX. Interpp.

GHIMEL.

B ℣. 8. Sed & cùm clamavero, & rogavero, excluſit orationem meam.

Historice.

Quid jam solatii mihi urbi vastatæ superest? Etenim prudens hoc vindictæ genus mihi Deus irrogat: neque pœnam relaxaturus videtur, tametsi ego ardentissimè supplicem.

Allegorice.

Grave pondus laborum gesto ego Ecclesia jam pridem oppugnata: Deusque perennibus me ictibus a consilio exercet. Quapropter, quamvis enixè precor, non videor impunitatem obtentura.

C

Tropologice.

Animadverto infœlix ego anima tortoribus ob piaculum tradita, omninò Deum pœnam de me sumere decrevisse. Quamobrem licèt elatis clamoribus eum implorem, non videtur exauditurus,

Expensio Tropologiæ.

D Sensus hic animæ dejectæ penitissimus est. Proximè se in carcerem detrusam, ferreisque compedibus vinctam asseruit: nunc sermonem ad oppressionem propriè admodum significandam attexit: *Sed & cùm clamavero, & rogavero, excluſit orationem meam*, hoc est: Antiquissimo consilio Deus mihi pœnam irrogare, neque deprecantem exaudire decrevit: quapropter tametsi ego elatis vocibus cœlos penetrem, ac supplex orem, jam inde ab æterno excluſit preces meas. Incassum me torqueo, & precibus insisto: me quippe non exaudiendam, fixum est. Neque mirum accidere debet, sicà propheta animam loquentem, ac desperantem induci. Expedit enim eam non exaudiri, sed pœnam decretam ad peccatum expiandum patienter ferre: nullumque majus emolumentum expectare posset, quàm pœnam minimè relaxari. Et hæc sanè divinæ in homines charitatis persuasio est, à bonitate illa in salutem nostram propensissima non indulgeri, quæ negata prosunt, indulta nocerent. Verùm licèt sensus hic animæ, quæ culpam admisit, & ad purgationem exercetur, satis arcanus sit: sensus tamen alter animæ innoxiæ, & ad virtutum progressionem excruciatæ suavior est. Evenire videlicet solet, animam virtutum statura grandem, acri repulsa, quæ morte funestior est, interarescere, & quamvis certò speret, procella sedata, serenitatem superventuram, mali tamen diuturnitate, & assiduitate precandi per intervalla frangitur, & amatoriis phrasibus ad exprimendum sensum appositissimis utitur: è quibus proculdubiò una inter potissimas est, quæ hic à Vate sancto inducitur: *Sed & cùm clamavero & rogavero, excluſit orationem meam*, quasi luculenter diceret: Quorsum adeò constanter pulso? semper repellor: experimentis multis certè didici Deum me à consilio vexare, neque à pressura velle desistere: quocirca frustra precor, cùm ille se mihi inexorabilem exhibeat. Hujusmodi verba profert anima: & tamen dùm ea promit, aitque se nosse; Deum exaudire nolle, speret se per ipsas preces querimoniis plenas exauditum iri: neque enim eas funderet, nisi profuturas speraret. Quod in omni amoris derelictione testatum est, ut ostendit ille:

E

Animæ duplex pœna, alia expiationis, alia probationis: utraque à Divina dilectione.

F

Sic ubi fata vocant udis abjectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
Nec quia te nostra sperem prece posse moveri,
Scribimus, adverso movimus ista Deo.

Ovid. Heroid. epist. 7.

G

Sanè vexatio desperationis signa præfert, amor tamen altè fixus in spem totus erigitur. Non scriberet, nisi speraret.

GHIMEL.

℣. 9. Concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.

Historice.

Vias meas, quibus elabi cogitabam ego Jerusalem, prægrandibus, & quadrata forma firmiter sedentibus lapidibus, hoc est, Babylonicis agminibus militari disciplina benè dispositis, atque confertis Deus obstruxit, semitasque, quibus occultam fugam meditabar, obsepsit.

H

Al-

Scripta An. 1607.

ALLEGORICE.

Sectas omnes, licèt inter se dissentientes, ad me tamen impugnandam quadratorum marmorum instar mirificè concordes, mihi Ecclesiæ suæ Deus obstare pertulit: omniaque diverticula præclusit, ne punitionem evaderem.

A

TROPOLOGICE.

Divina certè miseratione actum est, ut vias sæculi, quas ego anima, relicto Deo, ad explenda vota mea carpere gestiebam, velut quadrata structura benè firma Deus intercluserit, & avia quoque refugia prohibuerit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ANima in peccatum prolapsa pœnæ illatæ magnitudine angitur, & evasionem sollicitè meditatur: nequit enim sub tristitiæ pondere diu jacere. Quocirca nunc hæc, nunc illa perfugia cogitat, ut vim doloris extenuet. Verùm Clementissimus Deus ejus saluti consulturus, vias omnes, quibus elabi natura gestit, adeò præcludit, ut omninò sibi persuadeat, non in fuga captanda, sed in vexatione patienter ferenda sibi superesse solatium. Hoc sibi volunt illa: *Conclusit vias meas lapidibus quadris*. Nullum quippe firmius ædificii genus, quàm ubi lapides ad normam secti, quadrata figura sedent, & muros continua serie juncti componunt. Si enim ejusmodi sint, paries neque labefactatur ob firmitatem, neque ob crassitudinem perfoditur, ut exiguo foramine vinctus quis possit excedere: oporteret enim parietem integrum, ob quadros lapides prægrandes sibi consentientes totum evertere, quod nisi ferro impacto, temporeque prolixo (quod fugitivis minimè suppetit) neutiquam efficitur. Profectò Jonas cùm captaret fugam in Tharsis, ne quicquam laboravit: immissa procella, & bellua immani ejus viam Deus intersepsit, & laborem, qui ex Dei consilio subeundus erat, denique exhausit. Quod verò additur: *Semitas meas subvertit*, vel ut LXX. reddunt, *obstruxit semitas meas*, ἐνέφραξε τρίβους μου, idem quod superiùs expositum est, alio dicendi modo designat. Habent tamen semitæ in arcano sermone subtiliorem sensum, ut viæ latiùs patcant, semitæ angustiores, ac deviæ sint: quod tunc in nostro interpretandi genere perspicitur, cùm anima per anfractus, & quasi diverticula viarum onus laborum, quod imponitur, ferre detrectat. Nunc prætextu hoc, nunc illo infirmitatem excusat: & tamen eos tramites Deus obstruere dicitur, ne pœnam culpæ respondentem effugiat.

Ædificiorum firmitas describitur.

Jonæ. 1.

C

LXX. *Interpp.*

Viarum, ac semitarum discrimen.

D

DALETH.

℣. 10. Ursus insidians factus est mihi: leo in absconditis.

HISTORICE.

Ursos efferatos, hoc est, Chaldæos insidiatores, & Leones Babylonicos, ut me urbem suam unguibus discerperent, ac vocarent, immisit.

E

ALLEGORICE.

Ira Dei in me Ecclesiam peccatis inquinatam interdum tam vehementer efferbuit, ut more ursi pecori morienti ferociter instantis, moreque Leonis ex antro, fame urgente, ad prædam exilientis, me non modica ex parte depaverit.

TROPOLOGICE.

Multas porrò feras rabie incitatas, hoc est, Dæmones Ursis, Leonibusque simillimos in me animam ob scelera pœnis obnoxiam desævire Deus passus est.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

F

PLurimas vexationes animæ per Dæmones sævire permissos Deus infert, & multiplicia pœnarum nomina Deo simul, ac Dæmonibus ascribuntur, Deo tanquàm Judici, Dæmonibus velut iræ ministris mala, quæ Deus bona mente irrogat, sinistra mente inferentibus: quod in hoc Jeremiæ carmine funesto passim animadvertendum est. Ait ergo: *Ursus insidians factus est mihi*. Exploratum est, Ursum animal esse voracissimum & truculentissimum. Non enim prædam tantummodo invadit, ut pascatur, quod nobiliora solent animantia, sed in captam efferatè sævit, & è dira nece, ac laniena voluptatem elicit, sicut notavit ille:

Ursi natura.

At Lupus, & turpes instant morientibus Ursi:
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Ovid. lib. 3. de trist. Eleg. 5.

G

Ad severissimam ergo punitionem exprimendam Deus per immissos Dæmones ulciscens inducitur. Sunt quippe illi (ut invadendi copia facta est) Ursis planè persimiles. Latent in insidiis captantes ferociendi licentiam, & vehementiùs, quàm dici possit, insiliunt. Hoc itaque anima lamentatur, se ob admissum crimen, Ursorum prædam factam esse: ut licèt interire videatur, non proinde illi ullo vel nobilitatis, vel commiserationis sensu flectantur, ut dentes ungueſque cohibeant: Quod autem adjungitur: *Leo in absconditis*, prædæ quoque significatum habet. Leo nimirum Urso terribilior, & ad nocendum fortior est. Incubuit nox culpæ, sol justitiæ occubuit, & nocte densa belluæ ex antris ad prædam erumpunt, sicut scriptum est: *In ipsa*, nempe nocte, *pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Catuli Leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi*. Jure Ecclesia Christi sponsa quotidie monet illud: *Tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret*.

Dæmones Ursis persimiles.

Psal. 103. 20. 21.

1. Pet. 5. 8.

H

Scripta An. 1607. tremendum ſanè portentum eſt, Leonem illum in luſtro latitantem inde ad prædam fame ſimul, ac rabie actum exilire: quod animas univerſas ad perennem vigiliam, & Dei cultum urgere deberet.

DALETH.

A

℣. 11. Semitas meas ſubvertit, & confregit me: poſuit me deſolatam.

Historice.

Non vias tantùm latas, ac militares, ait Jeruſalem, ſed devias quoque ſemitas, ne cives mei clàm effugerent, Deus intercluſit, & animum proinde meum validis porrò ictibus fregit, hinc exorta eſt immenſa mœſtitia mea.

Allegorice.

B Perſecutionum ſævitia adeò arctata ſum ob filiorum meorum flagitia (inquit Eccleſia,) ut divino permiſſu nullus evadendi locus patere videatur. Ex quo viribus enervata, & luctu dejecta ſum.

Tropologice.

Ex culpis admiſſis, Deo ſic cenſente, effectum eſt, ut ego anima, nullo evaſionis exitu apparente, vexationis onus excutere nulla ratione valeam, fracta ſum, mœrore contabui.

Expensio Tropologiæ.

C NUper dixerat: *Semitas meas ſubvertit.* Hæc autem repetitio doloris invaleſcentis imago eſt. Quod non obſcurè perſpicitur, ſi ſenſum à Septuaginta Interpretibus redditum contemplemur. Sic enim habent: *Perſecutus eſt recedentem*, κατεδίωξεν ἀφισηκότα, quibus certè verbis animam evadere ſatagentem, Deumque inſequentem, ut capiat, oſtendunt. Vix dum Adam peccarat, & Deus à Scriptura deambulans, quaſi ſe ad curſum exercens, Adam ſe proripiens pingitur. Deus inſequitur, peccator ſe abſcondit, fugamque arripere tentat. Verùm fruſtra: ſubditur enim: *Et confregit me*, fugientem Deus intercipit, & curſu velociſſimo tranſiliens adverſaturus occurrit. Etenim quantumvis cæcus & ignarus peccator ſit, cùm Deum infeſtum è regione ſtantem animadvertit, ab itinere cœpto deflectit, quod olim aſinæ Balaam, dum minantem Angelum conſpicaretur, accidit. Sic peccatoris protervia frangitur, & à ſcelere tentato deſiſtit. Quod verò ſubditur: *Poſuit me deſolatam*, appoſitiſſimè affertur. Omninò enim compertum eſt, animam ultioni obnoxiam, & elabi tentantem, ſi compeſcatur, ut Deo cædenti acquieſcat, mœrore multo deprimi. Appetitus quippe ad evadendam pœnam ſeipſum exporrigens, non ſine mœſtitia coercetur, & ſuo paſtu fruſtratur. Quod viris rerum internarum conſultis exploratum, & ex Apoſtolica doctrina petitum eſt. Notum eſt illud: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Subbit triſtitia, dum appetitus nititur in vetitum, & continetur: ſed conſilio Dei agitur, ut mœſtitia illa coerciti appetitus in pœnitentiæ meritum vertatur.

LXX. Interpp.

Gen. 5.

2. Cor. 7. 9.

E

DALETH.

℣. 12. Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.

Historice.

Videtur ſanè Deus, quaſi jaculandi peritiam paraturus, arcum intendiſſe, ac me Urbem ſuam olim munitiſſimam, ſcopum jaculis petendum ſibi propoſuiſſe.

F

Allegorice.

Creberrimis divinæ juſtitiæ ſagittis, tanquam à tento Dei arcu evibratis, ego Eccleſia, ob ſcelerum reatum, expoſita faucior.

Tropologice.

Deus olim propitius in me ob torum violatum, arcu velut excuſſo, acrium pœnarum ſpicula intorquet.

Expensio Tropologiæ.

G PUlchra ſanè ſimilitudine Deum Vates ſanctus inducit, quaſi principem ad jaculandi peritiam ſe exercentem. Anima dum in fide conjugii permaneret, ſcopus quidam divinæ bonitatis erat. Deus enim ad beneficentiam ingenio ſuo propenſiſſimus, animæ ditandæ occaſionem nactus, liberaliſſimè illi favebat: quid enim non largiretur ei, quam in caſti matrimonii fœdus aſciverat? Congruit illud: *Fili tu ſemper mecum es, omnia mea tua ſunt.* Verùm facto divortio, Dei juſtitia jaculandi peritiſſima in animam ingratam tela multa ſuæ ultionis intorquet: quo nihil formidabilius dici poteſt. Si enim jaculator imperitus eſſet, qui ab ſcopo interdum aberraret, aliquod ſolatii genus anima culpæ conſcia poſſet haurire: at multò certiùs loca petita ferit, quam funditores Gabaa, ita ſcopum certò petentes, ut (ajente Scriptura) *capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Orbis terrarum principes flagitioſiſſimos homines plerumque impunè palantes capere nequeuntes, ſtatuas eorum publicè comburi, corporibus reorum illæſis, im-

Luc. 15. 31.

Judic. 20. 16.

H

Extrema principum in ſceleſtos juſtitia.

Scripta An. 1598. imperant: verùm potentissimus ultor Deus ejusmodi simulachris non eget; cùm non modò ejus aspectum, sed neque illius tela reus ullus eludere valeat. Peccatoris vexatio sanè gravissima est: Si enim pectus Job, adamante fortius, tactum manus paternè exercentis ferre nequibat; peccator arundine infirmior tela manus ultricis quomodo feret? Unum supereſt Christianæ humilitatis remedium, quo tela divinæ ultionis hebetantur. Sic enim servus ille nequam, in quem tot talentorum reum Rex creditor velut in scopum multa tela paraverat, prostratione, ac prece una spicula cuncta recussit.

Job.

A *Matt. 18.*

H E.

℣. 13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.

HISTORICE.

Meorum civium corporibus, ait Jerusalem, per Chaldæorum munus sagittas, quas pharetra velut mater utero gestat, Deus infixit.

B

ALLEGORICE.

Exoneravit Deus pharetram jaculis, quæ meis renibus, hoc est, iis, qui carnis voluptates exquirunt, intulit: ut me tanta turpitudine à filiis meis fœdatam expurgaret, horrenda quippe supplicia voluptuosis præsertim Ecclesiasticis incussit.

TROPOLOGICE.

Carnem meam, renibus notatam, ob thalamum sponsi temeratum, multis certè dolorum spiculis Deus vindex sauciavit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

C

PRoximè assertum est, *Deum tetendisse arcum*, & scopum jaculis petendum sibi proposuisse: nunc quis ille scopus sit, exprimitur, per hæc verba: *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, ac si apertiùs anima diceret: ego sum scopus indignationis, ac ultionis Dei. Modus autem ille dicendi: *In renibus meis*, partem hominis inferiorem significat: renes enim, à quibus semen ad genitalia fluit, pro toto corpore, quod ex semine propagatur, usurpantur. Quod certè corpus Deus immissis laboribus enervat, ut spiritus salvus fiat. Hic mirus justitiæ divinæ ordo est, ut ad salutem animæ corpus cædat: corpori minimè parcat, ut animæ parcat. Quod verò additur: *filias pharetræ suæ*, sagittas notat, quas pharetra, instar matris in utero gerit, unde promuntur, & quasi enascuntur ad ictum. Totum hoc LXX. luculentiùs verterunt ajentes: *Immisit in renes meos sagittas pharetræ suæ*, ἐνέγκαντα ἐν τοῖς νεφροῖς μου ἰοὺς φαρέτρας αὐτοῦ: Hebræus reddit: *Filios pha-*

Pars pro toto usurpatur

D

LXX. Interpp.

Hebraicus Textus.

retræ suæ, quasi jacula Dei vim masculam ad feriendum habeant. Porrò verum est, iræ divinæ spicula ad ictum & interitum efficacissima esse; quod invictissimi ejus brachii, & militaris fortitudinis argumentum est. Nam & qui bellica laude clarent, eò potissimùm commendantur, quòd eorum tela, vel enses, nunquam irriti, ictus fatales inferant, qualis ille de se ajens: E

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis, *Virg. lib. 12. Eneid. v. 10.*

Sed elegantiùs ille de alio:

Cunctanti telum Æneas fatale coruscat
Sortitus fortunam oculis: & corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento, sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus, volat, atri turbinis instar,
Exitium dirum hasta ferens. *Virg. ibid. v. 908.*

Hæc homines fortasse mendaces: at hasta Dei, si punire velit, exitium ineluctabile proculdubiò fert. F

H E.

℣. 14. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.

HISTORICE.

Ego Jeremias prædicens Urbi sanctæ calamitatem deridebar: & ex me populus jocandi ansam arripuit.

ALLEGORICE.

Ego Jeremias (& concionator quisque Apostolicus) dum Ecclesiæ imminentia mala pro culpis reddenda prænuntio, meritò conqueror cùm à populo Christiano pro nihilo ducar, & comminationes meas, animi gratia, quasi nugas usurpet. G

TROPOLOGICE.

Jeremias (& justus quilibet cùm ad altam Christi imitationem pertigit, & scelestorum hominum licentiam sua virtute redarguit) verè dicit: A peccatoribus diversa opinantibus derideor, & in profanis cœtibus ad jocum nominor.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ. H

MUltas è Jeremiæ sententiis, & Ecclesiæ Doctoribus, Prælatis, seu concionatoribus, & justis quoque viris alios ad pie-

Scripta An. 1607.

pietatem adhortantibus mirificè congruere perſpectum eſt: quod uſu quotidiano perdiſcimus. Quis enim non animadvertat, & concionatores verè Apoſtolicos è ſuggeſtu monentes, & viros pios aliorum licentiam privatis colloquiis redarguentes ludibrio paſſim haberi, neque prodeſſe magis, quàm ſi

A

equeſtria commenta perſuadere tentaſſent? In hunc ergo modum, quod ad Tropologicum ſenſum ſpectat, Jeremias hîc querimoniarum plenus concipiendus eſt; quòd ſupplicia vera prædicens, non magis ab anima ei fides commodata fuerit, quàm ſi nugas evulgaſſet. Neque à ſenſu hiſtorico mentem longè divertere opus eſt: nam tragœdia excidii illius Jeroſolymitani minimè contigiſſet, niſi animæ civium verba comminatoria à Deo per Vatem ſanctum edicta pro nihilo putaſſent, dicit ergo: *Factus ſum in deriſum*, ſive (ut Hebræus, & LXX.) *riſus omni populo meo*, quod zelo Divinæ Majeſtatis, in quam peccatur, quò quis ſanctior eſt, eò ferre ſolet indigniùs. Multa quippe animi demiſſio, ac intima reverentia verbi Dei ſanctitati debetur. Quod verò ſubditur: *Canticum eorum tota die*, malitiæ incrementum præfert. Peccatores nimirum,

B

qui cæteris impudentiores ſunt, non modò cœleſtia verba, cùm proferuntur, pro nihilo ducunt, & riſu procaci contemnunt; verùm in ſodalitiis profanis, ad oblectamenta quaſi delira verba commemorant. Quòd ſi eorum gravitatem ac ſanctitatem æſtimantes, nihilo ſeciùs aſpernantur, pejùs errant, & obduratæ malitiæ argumenta prætendunt.

Similitudo.

Textus Hebraicus. LXX. Interpp.

H E.

℣. 15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.

HISTORICE.

C

Me Prophetam ſuum ob deriſum verbi Dei in Urbe ſancta invaleſcentem quaſi abſynthii expreſſi poculo Deus potavit.

ALLEGORICE.

Immenſo mœſtitiæ ſenſu me ob Eccleſiaſticæ prædicationis contemptum Deus opplevit.

TROPOLOGICE.

Ob animæ Dei verbum aſpernantis malum planè graviſſimum, incredibili anxietate me Deus oppreſſit, & quaſi amarulenta potione temulentum reddidit.

D EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

HIc (ſi uſpiam) Vates planè ſanctiſſimus doloris ſenſum è deriſu verborum Dei conceptum expreſſit. *Replevit me*, inquit, *amaritudinibus*, non enim vulgare quippiam, ſed eximium ac ſingulare iis verbis indicavit, quod excelſam ejus mentem facilè deceat. Pro verbo illo, *Replevit*, LXX. reddunt, *ſaturavit*, ἐχόρτασε, quod procul dubio non ad potum, ſed ad paſtum attinet. Mox verò ſubjunxit: *Inebriavit me abſynthio*, vel (ut ajunt LXX.) *felle*, quod ad potum apertè ſpectat. Quocirca & potus, & eſca Prophetæ una amaritudo eſt, ſimilis ſanè illi, quam Regius Vates oſtendit ajens, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*: & alibi, *Potum meum cum ſletu miſcebam*. Verùm ut David eo potu, paneque victitarit, certum eſt hunc Jeremiæ potum, & eſcam non ad vires roborandas, ſed conficiendas contuliſſe. Verbum quippe, *Inebriavit*, exceſſum quemdam doloris invaleſcentis, hominemque velut ecſtaſi quadam alienantis ſignificat. Et quidem ſi rei magnitudo ponderetur, animæ malum eo mentis exceſſu dignum eſt: neque ſanctæ Urbis externa direptio, & ampliſſimorum ædificiorum everſio cum animæ unius Deo inviſæ, ac verba Dei, quibus corrigi poſſet, aſpernantis malo comparanda eſt. Si verò anxietatem inſontis Prophetæ aliena peccata luentis, ac deprecantis meritum contemplemur, oratio hæc ad exorandum Deum plurimum ponderis habet; quod à viris ſapientibus memoriæ inſculpendum eſt. Qui enim apud Deum gratia inſigniter valent, ideò ſuo interventu aliorum culpas expungunt, quia ex alieno malo, charitatis lege, tanquam proprio vehementer afficiuntur, quod eſt, *amaritudine replentur*, ex quo & orationis perſeverantia, & efficacitas originem ducunt.

LXX. Interpp.

LXX. Interpp.

Pſ. 41. 4.

Pſ. 101. 10.

Inebriationis ſignificatio.

V A V.

℣. 16. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.

HISTORICE.

Pane Babylonico lapillis permixto dentes captivorum, ac proinde meos (nam eorum perſonam ago) Deus attrivit, & quaſi cinereo paſtu aluit.

G

ALLEGORICE.

Væ mihi Eccleſiæ præconi, cui Deus velut inſtrumenta formandæ vocis obtrivit, cùm me ob flagitia populi ſacra verba deridentis obmuteſcere fecit: ac propterea me tanquam cinere cibis inſperſo pœnitentiam agentem pavit.

TROPOLOGICE.

Ego ſanè ob ſenſum ſtagitiorum, quæ ab anima piam admonitionem irridente perpetrantur hebes, & quaſi edentulus fio, ut verba exhortatoria proferre nequeam. Hinc præ mœrore cibi faſtidium accidit, & cinere veſci mihi viſus eſt.

H

Ex-

Scripta An. 1607.

Expensio Tropologiæ.

ELegans profectò modus hic dicendi à Propheta usurpatus, & ad sensum aperiendum opportunus est. Paulò antè dixerat, se à populo, ac proinde ab anima despectui habitum, cum Dei oracula proderet, ac
A propterea amarulentum poculum usque ad ebrietatem hausisse. Nunc verò eò pertingit, ut instrumenta piarum exhortationum, quibus anima resipiscere posset, non infirmata modò, sed effracta, contritave lamentetur. Nihil est enim, quod viris piè hortantibus æquè os obstruat, & vim sermonis enervet, ac eorum, qui admonentur, ingratitudo, ac piæ admonitionis derisio. Poterat sanè Propheta mitiorem alium dicendi modum seligere puta, obstruxit os meum, obmutescere me fecit, aut ejusmodi aliquid: verùm, ut ostenderet derisoria animæ rebellis verba non utcunque adhortatoris verba intercipere, sed lapidum, malleorumve ferreorum instar dentes conterere, tam significanter *dentes ad numerum*, hoc est, I singulatim effractos
B asseruit. Secretum autem in hoc Vatis nostri lamento Dei judicium latet: non enim sine Dei consilio irrisoribus Dei verba desunt; subtrahuntur quippe ex justitia, quæ gratis erogabantur. Hinc plerumque provectiores Christi cultores, qui ad proximorum vitia opportunis sermonibus convellenda se Dei spiritu vehementer agi sentiebant, absque ulla sui culpa se languidos, defectos, & ad inferendam correptionem inermes animadvertunt: quod profectò in culpam eorum, quibus Dei verbum justè adimitur, refundendum est. Nec verò judicium adeò severum est, ut misericordia non admisceatur: clementer nimirum agitur cum Dei contemptoribus, quibus contemptus occasio subducitur, mitiùs enim in tartaro plectentur: Porrò res mœstissima est, quæ Prophetam sic
C afficit, ut conqueratur: *Cibavit me cinere*, hoc est, omnem cibi appetentiam gravis luctus extinxit: & mihi necessarium victum sumenti cinerem ferculis adspergere Deus visus est.

V. A V.

℣. 17. Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum.

Historice.

Prælia multa in Jerusalem expugnatione in me Jeremiam excitata, pacem meam perturbarunt: antiqua bona, quibus fruebar,
D *oblivioni tradidi.*

Allegorice.

Dum ego sponsæ Christi externa, & intestina bella contemplor, animum pace omni sublata, perturbatum gero: & omnia privata bona mea statim obliviscor.

Tropologice.

Lege divinæ charitatis proximi, quem velut animam meam diligo, anxietatem quasi propriam persentio. Hinc, quòd ille pace, careat, & ego pace careo: & omnem prosperitatem meam alta oblivione sepelio.

Expensio Tropologiæ.

E

PRofectò sanctissimus Vates, quod ad se spectabat, cùm sanctæ urbis vastitatem minimè commeruisset, ac pacis æternæ fœdus cum Deo, intemerata fide, servasset; non se à pacis dulcedine repulsum quereretur, nisi proximi pacem, quam lege divinæ charitatis, quasi propriam censuit, sublatam cerneret. Inter dialectos Italicas illa significandi vim habet insignem, qua, dum quis amicum ægrè affectum, afflictumve rescit, ac impotenti affectu dolet, si admoneatur, cur ita excrucietur, respondere solet (*E l' anima mia.*) Quo tantundem agit, ac si diceret; an non sentiam ictus animæ meæ illatos? Neque Italici sermonis tantùm proprietas est; Inter sacra enim oracula habemus illud: *Diligebat Jonathas David sicut animam suam.* 1. *Reg.* 18. 1.
Et inter profanos scriptores non malè dixit (assertore in Confessionibus Augustino,) qui amicum charissimum, dimidium animæ suæ appellavit. Efficit quippe amor è duobus animam unam, proindeque quicquid una patitur, altera patiatur necesse est. Cùm ergò Jeremias animas civium suorum singulas, aliamque quamlibet amore divino incensus ardentissimè amaret, cernens propheticè quamcumque animam à vera Dei pace rejectam, intimo sensu dicere potuit, *repulsa est à pace anima mea.* Hæc tanti doloris origo est: quam si juxta mentem Apostoli, quæ una cum Prophetæ mente fuit, expendamus & nos quoque mœroris immensi consortes erimus. Si enim pax, de qua sermo fit, ea est, *quæ superat omnem sensum*, oporteret *Phil.* 4. 7.
sanè ultra omnem sensum jacturam pacis tantæ lugere. At non omnes æquam vim amoris nacti sumus: ac propterea non æquè ex proximi malis afficimur, ut cum Vate sancto dicamus: *Oblitus sum bonorum.* Etenim vir ille charitate perfectissimus eò pertigit, ut plus ponderis proximi mala ad eum mœrore opprimendum, quam bona propria ad exhilarandum haberent. Quis autem non hoc exemplar intueatur, & admiretur?

V. A V.

℣. 18. Et dixi, periit finis meus, & spes mea à Domino.

Historice.

Ex hoc ego Vates tuus (Deus) cives Jerusalem in desperationem prolapsos intuens, quasi ex eo numero unus forem, dixi: fœlicitas mea, & spes mea, Deo deserente, extincta est.

Alle-

Scripta An. 1607.

ALLEGORICE.

Sanè cùm non modicam Ecclesiæ partem æternorum donorum desperatione in turpes voluptates se immergere perspiciam, dictitare soleo: Scopus prædicationis meæ, ac spes proximorum salutis evanuit.

A

TROPOLOGICE.

Quid superest? Ego profectò, summe Deus, cui placere studui, dum alii infirmantur, infirmor, dum scandala patiuntur, uror, Proximorum quippe amor eorum in me sensa repræsentat. Et quia multi, ob præsentis vitæ mala, in profundam dejectionem animi corruunt, ego quoque à fine fœlicitatis, & à spei firmitudine mihi videor excidisse. Optavi scilicet anathema fieri à te pro fratribus meis.

2.Cor. 11.29.

Rom. 9. 3.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MIrum est, quàm ad vivum proximorum impares affectus in se Propheta repræsentet. Scopus, in quem laborem, prædicationemque collimarat, animæ resipiscentia

B est: qui enim in vetere Testamento sanctitate luculentiùs splenduerunt, id exactè præstare conati sunt, quod in fœdere novo Christus edocuit, cujus est propositum illud: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*: & in arca-

Ps. 21. 23. no sensu illud: *Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.* Christus

Psal. 121. 8. itaque, & qui eum in quavis ætate altiùs æmulati sunt, se proximorum saluti studio multo devoverunt: è quorum lectissimo numero Jeremias facilè fuit. Cùm ergo scopus finisve laborum salus animæ foret, conspicatus ille rem non ex sententia succedere, appositè dicere potuit: *Periit finis meus, & spes mea à Domino;* pro quibus LXX. vertunt: *Periit*

LXX. Interpp. *victoria mea, & spes mea à Domino,* ἀπώλετο νῖκός μου, καὶ ἡ ἐλπίς μου ἀπὸ κυρίου; sermo

C arcanus est: qui enim proximum à via salutis aberrantem admonendo reducere studet, neque proficit, *finem, spem*, victoriamque suam *perire* significanter *dicit*. Genus certè belli est, cum proximi non persona, sed culpa confligere: cujus belli victoria in fratre lucrando (ut Christi verbis utamur) ponenda est. Vincitur is, cujus hortatu proximus minimè resipiscit: vincit, qui eum ad pietatem flectit. Propterea inter aureolas, quibus clariores Christi milites in cælesti patria decorantur, Doctoribus tribuitur una, quasi victoribus proximorum, quos Christo pepererunt. Et quia siccas animas doctrinæ cœlestis rore revirescere fecerunt, referunt de victoria proximorum coronas virides, sicut Virgines de castitatis victoria candidas, & Martyres de passione purpureas.

Aureolarum Cœlestium distinctio.

D

ZAIN.

℣. 19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii & fellis.

HISTORICE.

Videor ego Jeremias à te, Deus, longa oblivione unà cùm populo captivo rejectus. Memineris, precor te, inopiæ meæ, & peccati, quod licèt ab aliis admissum, mihi tribuo, ac denique amari animi, quem pro sanctæ Urbis crimine gero.

E

ALLEGORICE.

Summe Deus, exaudi, obsecro, me unum è præconibus Ecclesiæ tuæ multis calamitatibus obsessum. Penuriam quippe culpas, & amaritudinem Ecclesiæ (ut par est) damna mea esse contemplor.

TROPOLOGICE.

Recordare Clementissime Deus, quàm inops, culpæ reus, ac mœstus ob similia proximi mala effectus sim.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

EXploratum est, Clementissimum Deum creaturæ oblivionem pati non posse: at nos divina humanis circumvestientes, tunc eum nostri meminisse, cùm favet, tunc oblivisci, cùm derelinquit, juxta priscorum Thelogorum doctrinam asserimus. Sic & alia multa humanarum passionum simulachra Deo à Patribus tribuuntur, ut somnus, vigilia, & alia ejus generis, quæ à sancto Dionysio Areopagita præsertim expensa sunt. Cùm ergo Jeremias animæ à Deo rejectæ, vexatæque anxietatem diuturnam expendisset, Deum, ac si oblitus esset, ad memoriam precibus revocare contendit. Quod ut efficaciùs impetraret, proximi non modò *paupertatem*, ac mœstitiæ amaritudinem *absynthio*, *felleque* notatam, sed *transgressionem* quoque sibi ascripsit: quod precandi genus plurimum apud Deum valere docuit, qui sub Christi persona propheticè dixit: *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Sanè orationem validissimè subrigit, & in cœlos penetrare facit quædam in proximum transformatio, quæ divinæ charitatis propria est: cùm se quis reum existimat, eo ipsò, quod pro reatu proximi precari constituit: subeunt affectus ardentissimi: validiùs in orationem, quasi pro immenso, ac proprio culpæ malo depellendo, incumbitur. LXX. aliter prophetæ sensum interpretati sunt: *Recordatus sum à paupertate mea, &c.* ἐμνήσθην ἀπὸ πτωχείας μου, ac si planiùs dixissent, *paupertatem* à propheta notatam, & propriam existimatam *recordationis* Dei causam extitisse: quasi calamitas ad Dei memoriam, quæ hominibus passim excidit, excitandam efficax sit. Jeremias ergo proximi personam agens ait: Recordatus Dei sum *paupertate* mea Dei memoriam inducente. Prosperitas quippe Dei oblivionem, adversitas memoriam generat. Universè enim omnis animus afflictus

F

Ps. 68. 6.

G

LXX. Interpp.

H

Scripta eius eò movetur, unde novit emanare sibi
An. 1607. posse remedium.

ZAIN.

℣ 20. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

A

Historice.

Recolam ego Jeremias intenta mente præterita peccata Jerusalem, & eorum pœnitudine consumar.

Allegorice.

Ego quidem, cujus est Ecclesiæ peccata deflere, scelerum, quibus illa deturpata est, meminisse curabo, & sensu doloris extabescam.

Tropologice.

Delicta proximi, quæ tanquam propria existimo, ego, summe Deus, memoria repetam ut afflicto compatiar, & commiseratione intima deficiam.

B

Expensio Tropologiæ.

VErba hujus textus, & prophetæ lugenti animæ culpam, ultionemque & ipsi animæ, quam languentem Vates repræsentat, tribui possunt. Sive ergo Propheta, sive anima sic de se proferat, *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*, sensus certè admodum suavis est, & arcanus. Cùm enim quis anteacti sceleris, quod mira facilitate perpetravit, quasi Deus ejus rationem nunquam foret exacturus, & pœnam illaturus, recordatur, & è gravi culpæ somno evigilans, intentis oculis deformitatem intolerabilem, & gravissimum reatum mente pertractat; totus exhaustis viribus
C. conflacescit, atque mœrore, timoreque consumitur. Similitudo apposita subest, cùm quis inopinus sive præceps locum latronibus infestum pertransiit, neque nisi post transitum, summum vitæ discrimen deprehendit. Tremor quippe, qui in ipso periculo subisset, posteà succedit, liberumque jam hominem graviter angit. Augetur autem sensus, si anima non modò præteritam culpam, sed supplicium exantlatum recolat. Agon enim ille iræ divinæ irruentis, post veniam quoque indultam, datasque pœnas, sola imagine terret, animamque deprimit, ne quid turpe committat. Quando igitur Vates ait: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*, idem agit, ac si diceret:
D experimentum indignationis Dei perenniter recolam, & horrendi mali recordatione anima humilitate deprimetur, & viribus consumptis malum tentare quasi nequibit. Hebræus reddit; *Incurvabitur, vel humiliabitur in me anima mea*; qui fructus divini timoris est, qui non animam modò, sed corpus suo pondere curvat. Sic enim quos Scriptura timore correptos inducit, prono corpore repræsentat: Filius prodigus terram pronus spectat: Publicanus humi defixis luminibus, tunso pectore orat: Servus nequam procidit. Sic in hoc loco *anima tabescens* præteritæ culpæ, ac pœnæ recordatione territa, ut futuram vitet, prona depingitur. Modus autem ille dicendi: *Memoria memor ero*, repetitio quædam Hebræis familiarissima est: qualis illa, *oratione oravit*, & illa, *vita vivet*.

Luc. 15, 17.
Luc. 18. 13.
Matt. 18. 32.

E

Jacob. 5. 17.
Ezech. 18. 9.

Animæ lugentis culpam descriptio.

Textus Hebraicus

ZAIN.

℣. 21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.

Historice.

Peccata in memoriam cum pœnitudine revocans spem veniæ Urbi sanctæ à Deo concedendæ concipiam.

F

Allegorice.

Cùm filiorum Ecclesiæ crimina summa cum detestatione repeto, spes veniæ læta suboritur.

Tropologice.

Ego dum præteritam impietatem recordor, & pro venia supplices preces offero, spem impetrandæ miserationis haurio.

Expensio Tropologiæ.

APpositè dicitur: *Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo*: cùm enim recordatio effœta non sit, sed alta pœnitudine fœcunda, compertumque sit, eum dolorem, qui propter Deum concipitur, ad spem erigendam efficacissimum esse; optimè cum sensu mœstitiæ saluberrimæ, ortus spei surgentis cohæret. Quippe nec aliter venia speranda est, neque subeunte casto dolore in unum Deum placandum intento dejectioni locus patere debet. Profectò in ipso historico sensu Jeremias atrocissima scelera civium Jerusalem acerbè deflet: & postquàm diu rem totam mente, oculisque lustravit, & exorientem cum memoria criminum pœnitentiæ motum animadvertit, firmissimè flagitiorum teterrimorum, quasi culparum levium veniam speravit. Hæc scelestissimorum hominum, qui piaculorum gravitate, multitudineque desperant, instructio est: cui non modò illustrissima divinæ bonitatis exempla tum alibi, tum in ipso excidio Urbis sanctæ suffragantur, verum rationes validissimæ à naturali Dei ad benefaciendum propensione, à Christi sanguine pretiosissimo, à Sacramentorum remediis, à Sanctorum patrociniis, & multis aliis ca-

Dolor spem

G

Desperationis remedia

H

Scripta An. 1607.

pitibus ſpem Chriſtianam ingenerantibus peti-
tæ: ut non modò culpa, ſed amentia quo-
que hominis ingenio indigniſſima ſit, quo-
rumvis flagitiorum, quantumvis enormium,
veniam diffidere. Qua in re juſtiſſimas de
hominum ruſticitate querimonias Deus pro-
ferre poſſet, qui à venia impetranda leviſ-
ſimè animum deſpondent: quaſi Deus aut
A aliquam bonorum ſuorum jacturam parcen-
do faceret, aut apertiſſimis exemplis, ac Scri-
pturæ ſacræ oraculis ſe ad indulgendum pa-
ratiſſimum minimè probaſſet.

HETH.

℣. 22. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus.

Historice.

B *Divinæ clementiæ verò ego Jeremias, cives omnes Jeroſolymitanos à Chaldæis non fuiſſe interemptos, vel abductos: ſed nonnullos in Urbe ad habitationem tuendam, agroſque colendos fuiſſe relictos. Profectò miſericordiæ fons non exaruit.*

Allegorice.

Sanè fateor Deo propitiante fieri, ut Eccleſia penè omnis non deleatur: cùm peccata enormia, multipliciaque ſuccreſcant. Divina quippe bonitas ab ingenio ſuo minimè receſſit.

Tropologice.

G *Deo proculdubiò tribuendum eſt, me peccatorem hominem, qui æternum ignem commerui, ira divina non ſtatim extingui: ſed mihi pœnitentiæ tempus indulgeri. Etenim nullo criminum pondere, vel numero Dei clementia unquam ſuperata eſt.*

Expensio Tropologiæ.

SEmper Clementiſſimus Deus parcendi cupidiſſimus mitiùs punit, quàm peccator commereat; quod hic Jeremias palàm teſtatur: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti*, vel ut LXX. vertunt, *Miſericordiæ Domini, quia non fecit deficere me*: τὰ ἐλέη κυρίε, ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με. Quapropter dementiæ vertendum eſt, ſi quis nimiam ſeveritatem Deo ultori aſcribere velit: omnino enim perſpectum eſt, re Theologicè expenſa, non adeò rigidè peccatorem plecti, ac turpitudo, & magnitudo injuriæ depoſcit. Quod ſanè patebit, ſi quis divinam celſitudinem, ac majeſtatem, peccatoris vilitatem, ac ingratitudinem mutuò componat & penſitet, ſi enim à magnitudine ejus, in quem peccatur, injuriæ ratio petenda eſt, profectò cùm Deus infinito honore dignus ſit, infinita injuriæ vis erit, in quam exceſſiſſima majeſtas acriùs, quàm decrevit, animadvertere potuiſſet. At ut ſubtexit Vates: *Non defecerunt miſerationes ejus*, contemplabatur animam, quantumvis ſe peccatis fœdaſſet, ac Deum laceſſiſſet, non ſtatim flammis addici, ſed ad veniam invitari: quo nullum clementiæ genus vel majus, vel ad corda demulcenda ſuavius excogitari poteſt. Etenim quicquid dicatur, ſi cum æterni ſupplicii relaxatione, ac facilitate fœlicitatis æternæ parandæ conferatur, exiguum eſt. Rectè ſcriptum eſt: *Nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas*, hoc eſt, num, dùm excandeſcit, impetum miſercordiæ coercebit, ut ſcilicet, etiam dum iraſcitur non miſereatur? Minimè quidem.

Peccator invitatur ad veniam.

E

Pſ. 76. 10.

HETH.

℣. 23. Novi diluculo, multa eſt fides tua.

Historice.

F *Novi ſpei motus divinæ miſerationis nuntii de Urbis libertate ſubintrant, cùm ſummo mane Deum precor. Porrò, clementiſſimè Deus, fidelis valde promiſſorum reditor es.*

Allegorice.

Ad preces matutinas pro Eccleſiæ bono fuſas novi fiduciæ affectus excitantur, quod veracitati Dei, ejuſmodi ſolatia ſponſæ ſuæ pollicentis vertendum eſt.

Tropologice.

G *Mihi pro animæ remedio ad ſapientiæ januam, aurora emergente, vigilanti novi bonæ ſpei ſubeunt motus: qui à multa fide promiſſionis tuæ, Deus, originem ducunt.*

Expensio Tropologiæ.

DUo hîc à Propheta promuntur ſatis arcana, unum, *Novi diluculo*: Alterum: *Multa eſt fides tua*. Proximè aſſertum eſt, miſerationes Dei minimè defeciſſe: ſubjungit modo: *Novi diluculo*. Scilicet novi motus, nuntiive bonæ ſpei ſummo mane conſurgunt: quod ad orandi peritiam ſpectat. Inter horas quippe à Patribus ad orandum ſelectas exemplis, ac ſcriptis celebratas, horæ illæ ſolis ortum præeuntes meritò ponuntur. Jam enim corpori requies indulta eſt, ut alacriter expergiſcatur, & ſomno diſcuſſo ante mortalis vitæ negotia, pro immortali vita ſupplex anima Deum oret, ſeque ad totius diei conflictus præmuniat. Itaque vox illa *Novi*, non eſt verbum, ut plerique exiſtimant, ſed nomen, ut patet ex Hebræo, ac LXX. ſic ajentibus: *Novæ in matutinis ai-*

Horæ ad orandum ſelectæ.

H

Hebraicus Textus, ac LXX. Interpp.

LXX. *Interpp.*

D

Deus ad menſuram culpæ non plectit.

Scripta An. 1607.

ἐκλιπὲ εἰς τὰς τροφάς, dixerat Propheta: *Non defecerunt miserationes tuæ.* Subjungitque, *Novæ in matutinis*, quasi palàm diceret: Non modò miserationes non sunt extinctæ; immò summo mane novæ miserationes è cœlo missæ ante solem oriuntur. Quod jure optimo divinæ fidei, seu veritati Vates attribuit: *Multa est fides tua*, tanquàm manifestè sic effaretur: profectò vel ex hoc tuarum miserationum diluculo missarum argumento perspicio, insignem esse veracitatem tuam, teque nunquàm fidem fefellisse: ut benè de te homines opinentur, teque sepositis curis aliis, horis antelucanis adorare, prosperaque sibi à te precari assuescant.

A

HETH.

℣. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum.

B

HISTORICE.

Bonæ spei motibus diluculo excitatis hæreditatem meam non aliam, quam ipsum Deum esse, testatus sum ego Jeremias: propterea eum sanctæ Urbis instaurationem præstolabor.

ALLEGORICE.

Ego sanè Ecclesiæ præco non aliud patrimonium, quàm Deum accepi. Quapropter hoc unum ad sponsæ Christi reformationem optabo.

TROPOLOGICE.

C

Opulentia mea omnis, Deus est: hanc, at anima mea fœlix è calamitosa fiat, expectabo.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRoximè asseruit Jeremias novos motus spei summo mane cœlitus immitti, ubi Deus se animæ degustandum offert, quo illa experimento mirificè convalescit. Experimento quippe divinæ suavitatis, ac miserationis nihil efficacius ad spem erigendam, & in uno Deo collocandam. Nam cùm anima degustato cœlesti dulcore, nihil in terris æquè suave, ac optabile reperiri posse didicerit; validè se excutit, & omnia mundi bona depellit, quibus posset retardari. Jam verò impedimentis ablatis affectus eò nervosiùs in unum illud immensum bonum erigitur, quò dulciùs ab eo allicitur. Ex quo universæ animæ vires in id, quo mulcentur, contractæ, id semper enituntur, ut ei propiùs accedere, de illo cogitare, ac loqui, ob illud operari sinantur. Hæc, quod ad animæ affectiones attinet. Si autem Deus sui experientia se copiam divinæ bonitatis, ac pulchritudinis facere velle indicet, nihil reliquum, nisi ut ardentissimè dicatur: *Pars mea Dominus.* Quæ phrasis amatoria est, quam si quis dignè tentet exprimere, cœlesti eloquentia dives sit, necesse est: cùm vim proculdubiò omni sermonis vi majorem habeat. *Pars mea Dominus*, hoc est honor meus, opulentia mea voluptas mea, & optatissimum refugium meum dulcissimus Deus est. Nihil aliud ambio, vel requiro: mundi decus, divitias, oblectamenta, fastum, gloriam, & quicquid homines demirantur, aspernor. Tædet animam meam omnium, quæ à mundo in pretio habentur. Absit, ut ullam cordis partem eis permittam. Nunquam sim adeò degener, ut Deo, qui tota hæreditas mea est aliquid creatum adæquem. *Propterea expectabo eum*, ac si manifestiùs diceret: Hac de causa, scilicet, quia *pars mea Deus*, patienter agam interim, dum malis obsideor, nam uno superventuro bono, hoc est, Deo, quod patrimonium meum est, hæc omnia infortunia depellam. Hac ergo spe subnixus lætissimum ejus adventum præstolabor.

D

Ps. 72. 25.

E

Animæ soliloquium.

F

TETH.

℣. 25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

HISTORICE.

Ego Dei Vates altam spem de Jerusalem reparanda concepi, quia profectò novi Deum erga benè sperantes, eumque optantes, liberalem esse.

ALLEGORICE.

Spe firma subnitor ego de venia erratis Ecclesiæ danda: bonitas enim divina firmiter confidentibus præstò est.

G

TROPOLOGICE.

Constat certè Deum iis, qui alacriter sperant, & pulsant, præsentissimum auxilium ferre: quæ sanè doctrina, animæ Dei gratiam inire cupienti, acerrimum calcar est.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MOdus ille dicendi, *Bonus est Dominus sperantibus in eum*, Emphasim proculdubiò habet. Moderatè Vates agit: immensè significat. Non enim quovis modo erga sperantes bonus est Deus, sed quàm optimus, quàm propensissimus, quàm liberalissimus. Ratio idonea subest: si enim erga sceleratos, à quibus audacter irritatur, clemens est, quid præstet iis, qui eum venerantur, & spem suam in uno ejus patrocinio defigunt? Habet hoc animi nobilitas inter mortales, ut iis, qui ad ejus asylum vel crimi noli con-

H

Scripta An. 1607. Comparatio

fugiunt, auxilium præstet ac tutelam: nam inter summorum Principum privilegia genus quoddam impunitatis est; ut qui ad eorum aulas judicum metu se recipiunt, nobilitatis jure protegantur. Et hoc sanè, ubi criminum conscientia scelestos homines patibulo dignos accusat. Quid ergo par sit, clementissimum Deum indulgere iis, qui culpæ sensu mutato, & corde in æterna bona prorsus intento, ad eum se recipiunt? Verùm significatum auget, quod subtexitur: *Animæ quærenti illum.* Non enim solidè speraret, nisi quæreret; spes quippe in præsumptionem degenerat, cui Deum quærendi sedulitas minimè sociatur. Neque secundùm Dei misericordiam ullum spei fomentum majus est, quàm ad unum Deum per pia opera inquirendum perennis animæ sollicitudo. LXX. sic textum præsentem reddunt: *Anima quæ quæret illum, bonum,* Ψυχὴ ἡ ζητήσει αὐτὸν ἀγαθὸν, hoc est: Anima quæ Deum quærit, bonum scilicet opus efficit, vel bonum ei succedet: nam alterum ex altero planè deducitur. Propterea regius Vates pios homines ab hoc capite laudavit ajens: *Hæc est generatio quærentium Deum*, impios à contrario carpsit ajens: *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

A

LXX. Interpp.

Psal. 23. 6.

Psalm. 4. 3.

B

TETH.

℣. 26. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Historice.

Etenim diffiteri nequeo, è re nostra esse, modò calamitatem hanc devastatæ Jerusalem patienter ferre, ac silentes Dei salutem superventuram expectare.

Allegorice.

Salutare consilium est, salutare Dei, hoc est, Christum afflictis Ecclesiæ rebus salutem allaturum silentiò orationis comite sperare.

C

Tropologice.

Magnum operæ pretium esse censeo, inter ipsas tentationum angustias, cum spei motibus cor erigentibus, Deum tacitè precari, ac expectare,

Expensio Tropologiæ.

BOnum profectò, non ex uno aut altero capite, sed (ut philosophicè dicamus) ex integra causa est, inter medias irati maris undas, cùm navis animæ, vorticibus ingruentibus, hinc inde verberatur; ac penè dehiscere videtur, *cum silentio*, hoc est, non solùm rationibus politicis, vel humanis, sed verbis etiam exclusis, corde in opus orationis intento, unam Dei salutem firmissimè sperare. Divinam quippe sapientiam, & bonitatem decet desperatis rebus remedium afferre: ac ibi manum admovere, ubi humana consilia, & firmamenta desunt. Salutare Dei, familiari Sacræ Scripturæ phrasi, Jesus Christus salus nostra nuncupatur, ut patet ex illo, *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, hoc est, Jesum Christum: notum est autem in suavissima præsertim gratiæ lege, quanti sit ponderis ad eximia divinæ charitatis augmenta paranda, spem totam in Redemptoris nostri ope reponere, menteque in illum intentissima opportunum ejus auxilium expectare. Hoc sanè salutare præstolari se in supremo spiritu testatus est Jacob, qui dixit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Moxque silentio expectaturus tacuit, & animam efflavit. Quid enim aliud Salutaris nomine intelligere potuit statim vitam extremo halitu clausurus, nisi Christum, quem propheticè noverat, & impensè cupiebat? Expectatio hæc benè firma inter laborum angustias amantis animæ argumentum est, tametsi Deus graviter, tetricèque & recessisse & agere videatur. Talem quippe Jerosolymæ statum superiùs Propheta descripsit, qui spem non modò infirmare, verùm penè extinguere videretur. Talis pariter status, vel casus animæ derelictæ esse solet: ubi summa ejus laus est, non ob id de spe quicquam remittere, tametsi subeant adversi motus, quales in sacris, ac profanis lectitamus: In sacris, ut in hoc ipso carmine per illa verba, *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere:* & illa *sed cùm clamavero & rogavero, exclusit orationem meam*: In profanis per illa è multis

D

E

Luc. 2. 30.

Gen. 49. 18.

F

Tren. 1. 14.

Tren. 3. 8.

Expectem, qui me nunquam visurus abisti?
Expectem pelago vela negata meo?

Ovid. Heroid. Epist. 2.

Et subdit:

Et tamen expecto, redeas modò serus amanti,
Et tua sit solo tempore lapsa fides.

Hæc è profanis: at animæ Christum amantis expectatio quamvis dilata, graviterque tentata, multò constantior in Christum esse debebit.

G

TETH.

℣. 27. Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.

Historice.

Animadverto ego Jeremias Jerusalem jugum divinæ legis à prima ætate detrectasse, propterea que Chaldaicam servitutem incurrisse; ac ob id existimo saluberrimum esse singulos homines Dei jugo abeunte ætate se sponte submittere, ut similia damna præcaveant.

H

Allegorice.

Ecclesia post infantiam suam, in qua miro candore resplenduit, multis in locis

cœ-

Scripta An. 1627.

cœpit Deo repugnare: unde graviter afflicta est, quocirca nihil honestius puto, quàm sub Ecclesiastica disciplina divinæ legis obedientiæ à primis annis assuescere.

Tropologice.

A *Profectò bonum est homini à pueritia jugum Christi suave, & onus leve gestare.*

Expensio Tropologiæ.

MUlta sunt sancti Vatis asserta, in quibus sensum historicum, allegoricumve à Tropologico secernere necesse non esset, cùm in litterali sensu consilia ad mores expoliendos opportunissima producat: ut in præsenti textu perspici potest. Nos tamen accommodatione quadam, quæ lectori prodesse valeat usi sumus, ut in canonibus asseruimus, Ait ergo: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua, vel,* ut Hebræus habet, *in pueritiis suis*; quod in omni disciplina & sacra & humana testatissimum est. Ætas quippe prima, quod addiscit diutissimè servat, juxta vulgatum illud:

Textus Hebraicus.

B

Horat. lib. 1. epist. 2.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.....

Et permagni interest, ætatem teneram bonis moribus imbuere, qui unà cum annis adolescant, & firmitatem acquirant: ita ut grandior effecta, instar adultæ arboris, ventorum, hoc est, vitiorum impetu non frangatur. Annotandum quàm sit arcanus modus ille dicendi, *Cùm portaverit jugum*, per ea nempe verba facilè Propheta significat naturam hominis jugo indigere, quod Theologicè dictum videtur. Omnino enim exploratum est, eam hæreditario Adæ jure, vel potiùs injuria indomitam, & jugo inimicam esse, divinæque gratiæ jugo, Deo domitore, ad pietatis opera præstanda egere: quod S. Augustinus in Hypognostico sapienter perpendit, & omnis Ecclesia adversus Pelagium Catholicè docet. Inest autem in pueritiæ, vel adolescentiæ nomine aliquid arcanum, quod Propheta cogitasse videtur ajens: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua*, quasi amanter in hunc modum hortaretur: Animadvertite quantum sit operæ pretium à pueritia Christi jugo assuescere. Nimirum paratur mira facilitas ut corpus ipsum, quod jugum detrectare solet, sponte illud subire discat: quemadmodum animantia, quibus placet libertas, si recens nata jugo, vel coacta subdantur, postmodum jucundo spectaculo sponte se subdunt, & feritas ipsa mitescit. Porrò ars hæc elephantes, leones, ursos cicuravit; ut boves, jumentaque multa prætereamus.

Animadversio.

C

S. Augustinus.

D

IOD.

℣. 28. Sedebit solitarius, & tacebit quia levavit super se.

Historice.

Quilibet pius vastatæ Jerusalem Civis, Urbe in solitudinem redacta solus, quietusque rem totam meditabitur: & spem suam intimo corde recondens, mole tantorum malorum oppressus reticebit, quia ex affectu tulit pondus grave communis calamitatis super se. E

Allegorice.

Mos filiorum Ecclesiæ vexatæ antiquus est, in alta oratione solos conquiescere, ac silere; quia vehemens affectus pro Ecclesiæ pace illos coarctat, cùm communia sponsæ Christi mala suis humeris imposuerint.

Tropologice.

Natus quicumque è stirpe Adæ, si verè prudens esse velit, seorsim decretis horis aget, & tacitus ingemiscet, cùm peccati oneri humeros supposuerit.

Expensio Tropologiæ. F

BIfariam textus hic exponi posset, primùm de viro illo, qui jugum à pueritia tulit, cujus proprietates Propheta hic & in proximis recenset, deinde universè de quovis homine solitudinis studioso. Quod ad primum spectat, *Sedebit solitarius & tacebit, quia levavit super se.* Quia, qui à primis annis benè institutus est, solitudinem ac silentium, & quævis alia difficilia, qualia à Propheta subiiciuntur, sponte quærit, quæ alii malè educati horrere consueverunt. Sed si de quovis solitudine dedito agamus, *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit super se*: quia mala vitæ præsentis animo circumspiciens, sedebit id est, quiescet, & grave pondus, quod natura gestat humana contemplans, à verbis abstinebit. Res quippe alto silentio dignissima est, ad quam, ut par est, expendendam (quod in seriis negotiis factitari solet) & locum ab hominum commercio sejunctum, & tempus opportunum, & arctum silentium oportet seligere. Exploratum est viros negotiis gravioribus cogitandis intentos, se ab aliorum consuetudine subducere, & rerum aliarum tractatione nolle interpellari: cùm illud unum, quod agendum suscepere, totum sibi hominem vendicet, ac proinde ab aliis omnibus avocet. Ordinis autem ratio habenda est: homines quippe, quos amor solitudinis non capit, & solitudinem & taciturnitatem, tanquam res negotiis mente pertractandis consentaneas eligunt, non sanè sedentes, sed iis absolutis statim ad hominum convictum, colloquiumque redituri. Qui verò solitarii propriè nuncupantur & sunt, abdicatis iis curis universis, ex professo soli sedent, & hanc sortem suam sanè dulcissimam ducunt, ut facto sæculi divortio, ad res æternas aspirent. Horum igitur seriò seorsim quiescentium nota, silentium est: ut oppilatis ostiis, in-

Negotia silentio tractanda.

G

H

Scripta An. 1607.

introrsum se totos contrahentes, nervosiùs in divina se attollant, & Deo strictiùs adhæreant. Si verò quis roget, quænam subsit tanti silentii causa? appositè respondet Propheta: *Quia levavit super se*. LXX. ὅτι ἦρεν ἐφ' ἑαυτῷ: *Quia tulit super se*; scilicet jugum grave, ut S. Ambrosius, & Theodoretus exponunt. Etenim qui solitudini diditi sunt, diuque humanam conditionem meditantur, facilè perspiciunt, quæ cæteris hominibus (quamvis naturalia) occulta sunt, culpæ scilicet, ac proinde corporis sensuumque gravissima pondera, quibus ab intenta rerum divinarum contemplatione deprimuntur. Pondera hæc eo ipso, quòd peccavit, homo quilibet tulit super se: ii verò, qui rebus vitæ præsentis immersi, seipsos perfunctoriè introspiciunt, non usque adeò hæc omnia, quorum amore tenentur, sentiunt: sed qui ea excutere, & agiliùs in Deum ferri constituunt, atque ad luctæ locum soli secedunt, oculatissimè pondus hoc internoscunt, & molestissimè ferunt. Et hæc silentii causa est; quippe non verba, sed conatus requiritur. Nonnulla manuscripta habent: *Levavit se super se*. Verùm neque Hebræus, neque LXX. habent illud pronomen *se*.

LXX. Interpp.

S. Ambrosius ac Theodoretus.

Textus Hebraicus, ac LXX. Interpp.

℣. 29. Ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes.

Historice.

Verus Jerosolymitanæ cladis deprecator, ponderi tanto quasi succumbens procidet, terramque osculabitur: si fortè illo humilitatis actu spes emergat.

Allegorice.

Perfectus Ecclesiæ cultor malis ejus prægravatus in oratione procumbet, atque ita spe libertatis erigetur.

Tropologice.

Qui salutis suæ curam exactam gerit, humillimè, ut culpæ reus in terram provolutus, Deum precabitur, ut spem divinæ miserationis eliciat.

Expensio Tropologiæ.

EX alta sui cognitione, quam hæreditaria naturæ humanæ onera perspicaciter explorata generant, oritur animi demissio, sive humilitas. Quocirca satis aptè subjungitur: *Ponet in pulvere os suum*; quod bifariam explanari potest: primum ut: *Ponet in pulvere os suum*, æquè polleat, ac diceret: Non loquetur sublimia & majora se, quibus fastum ostentet: sed de pulvere, è quo formatus est, verba faciet. Deinde exponi potest, ita ut, *Ponet in pulvere os suum*, tantundem sit, ac si diceret: externa corporis prostratione Deum supplex orabit. Actus quippe humilitatis externi, licèt internis inferiores, in schola tamen Christi sunt planè laudatissimi. Nam & ipsum exemplar Christus, qui humilitatis imitationem singulari præconio nobis commendavit, dum oraret, procumbere, & dum ageret cum discipulis, altissimæ humilitatis externa signa exhibere consuevit. Neque doctrina hæc humano genere recentior est: universos enim homines non modo Deo, sed aliis hominibus dignitate altioribus honorem allaturos, vel suppliciter oraturos, lux naturalis ad externa venerationis, ac humilitatis signa perurget. Optimo igitur jure solitarius ille, qui pondus, vel æs alienum, quo gravatur, diu, multumque perpendit, *Ponet in pulvere os suum*, hoc est, osculabitur terram: quæ Monachorum culpam suam confitentium cæremonia est. Nullum enim negotia gerendi, ac fœliciter apud Deum expediendi genus efficacius, & compendiosius, quàm ad tanti creditoris pedes procidere, ac libertatem precari; quod Christus & parabolis, & exemplis edocuit. Nobilitatem quippe illam immortali rege dignam proculdubio decet, *Parcere subjectis*. Quod verò subjungitur: *si forte sit spes*, ponderis magnitudinem exaggerat, sed dubitationem minimè inducit: Ejusmodi enim voces, *forte*, *forsitan*, cùm de divina miseratione agitur, nihil infirmant; ut patet ex illo: *Forsitan inimicos eorum humiliassem*: præterquàm quòd è textu hoc liquet à viro pio, supplici, ad pedes Dei provoluto, spem profectò insignem concipi debere.

Actus humilitatis externi laudatissimi.

Monachorum mos.

Ps. 80. 15.

℣. 30. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

Historice.

Adeò est optabilis Urbis Sanctæ libertas, ut qui eam rectè æstimare noverit, libenter alapas, & opprobria innumera exorandi Dei gratia perlaturus sit.

Allegorice.

Bonus Ecclesiasticus reformationis æstimator pro tam insigni bono, se colaphis & improperiis exponet.

Tropologice.

Nihil non feret, qui veræ salutis cupidus est, & alapis parebit, & contumeliis, ut peccata redimat, & æternæ vitæ jus acquirat.

Expensio Tropologiæ.

CErtè divina lex à mundi legibus (si tamen leges appellandæ sint) longissimè dissita est. Nihil enim mundi adoratores iniquius,

Scripta An. 1607.

quiùs, quàm alapas ferunt: immò ferre nequeunt: & pro ejuſmodi probris abolendis, aut cavendis divitias, vitam, & animam prodigunt. Hinc duella, factiones, capitale ac immortale odium, quod non exiguam Chriſtianorum quoque Principum partem occupavit. At pars alia Dei æſtimatione nobilior, è cujus numero eſt ille ſolitarius tacitus, anteſignanum ſuum Jeſum Chriſtum, cui alapa immanis publicè impacta fuit, fortiter imitata, nullam ejus generis injuriam, ut æs alienum, quod peccando contraxit, diſſolvat, & jus æternitatis acquirat, exhorreſcit. Quin etiam non pertracta, ſed ſponte ſua *dabit percutienti ſe maxillam*; ut omnes mundi leges proculcet; & ut nihil ferendum ſuperſit, *Saturabitur opprobriis*. Non poterat modus dicendi ſignificantior excogitari ad ſalutis æternæ ſtudium exprimendum, quàm ille, *Saturabitur opprobriis*. Etenim ſalus æterna, ſi ſemel animo medullitus hæſerit, non modò ad approbria illata patienter ferenda cor ſtabiliret; verùm quod longè majus eſt, quandam inexplebilem improperiorum appetentiam ingenerabit: qua nihil excelſius in hoc exilio animis grandibus accidere ſolet. Nam cætera virtutum argumenta leviora ſunt, ſi cum fame vituperationum, ac ignominiarum, quam nulla ſiniſtra interpretatio, nulla impoſturæ ſuſpicio vitiat, comparentur. Virtus hæc ſi eò aſcenderit, ut non tam intuitu ſalutis æternæ, quàm Deo ſoli placendi exerceatur, verè apoſtolica eſt, quæ animos illos imperio natos præ miraculis & mentis exceſſibus exhilaravit, ſicut ſcriptum eſt: *Ibant gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Act. 5. 41.

Alapam impingere gravis injuria.

A

Ob Chriſtum ferenda.

Amor ſalutis eternæ quam efficax?

B

CAPH.

℣. 31. Quia non repellet in ſempiternum Dominus.

C

HISTORICE

Amor Jeruſalem, dulciſſimæ videlicet patriæ, civem quemque pium ad ferenda mala ſpe bonorum excitabit: quia non ſemper Chaldaicæ feritati ſubjacebit.

ALLEGORICE.

Dei repulſa, qua Eccleſiam ob culpas interdum deſerere videtur, non erit æterna.

TROPOLOGICE.

D *Non erit prolixus agon divinæ punitionis, qua crimen animæ expiatur.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

UNA è potiſſimis meditationibus, quibus anima ad opprobria, tormentaque fortiter haurienda permoveri ſolet, agonis brevitas, & premii æternitas eſt, juxta illud: *Momentaneum hoc & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis*: æternum momentaneo, ſed levi immenſum pondus oppoſuit. Et profectò meditatio dulciſſima eſt: *Non repellet in ſempiternum Dominus*. Quid enim animæ cruciatum ſempiternum, quem commeruit, cogitanti delectabilius nuntiari poſſit, quàm clementiſſimum Deum, exacta modica vexatione, ad culpam expiandam illata, parcere, tartari reatu relaxato decreviſſe? Quod ſi præter hæc, propenſione infinita, eiſdem pœnis, quas irrogat jus, multiplex ad præmia perpetuò duratura indulget; quid, obſecro, majus aut optabilius homini poſſit accidere? Modus autem ille dicendi: *Non repellet in ſempiternum Dominus*, tantundem valet, ac ſi manifeſtiùs in hæc verba exprimeretur: Dominus eſt ſanè, qui omnipotenti dominatu animam poſſet æterno patibulo torquendam tradere. At non adeò imperiosè agere voluit, ſed humanæ conditioni Majeſtatem attemperavit, ut in ampliſſimo ejus imperio nihil clementia majus, luculentiuſve ſplenderet.

2. Cor. 4. 17.

Dei clementia.

E

F

CAPH.

℣. 32. Quia ſi abjecit, & miſerebitur ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.

HISTORICE.

Nimirum ſi iratus Urbem ſanctam everti à Chaldæis permiſit; miſericordiæ memor illam inſtaurabit.

ALLEGORICE.

Afflixit ſanè Deus juſtus Eccleſiam; verùm miſericors eam ſolabitur.

G

TROPOLOGICE.

Animam culpa deformem juſtitiæ ardore projecit; at gratiæ divinæ formam, & ſolatium reſipiſcenti clemens indulgebit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRoximè dictum eſt: *Non repellet in ſempiternum*, modò miſericordiæ præconium augetur per hæc verba: *Si abjecit, & miſerebitur*, ac ſi apertiùs Propheta diceret: ſapientiſſimus Deus vitam mortalem hanc quodam velut miſeriæ, & ſolatii antitheto contexuit, ut neque adverſitas prolixa deprimeret, neque proſperitas diuturna ſuſtolleret. Vita tempori obnoxia eſt: & quemadmodum alternis lucis & tenebrarum, diei nempe, ac noctis vicibus tempus diſcrevit; ita favore ac repulſa texturam vitæ connexuit. Intereſt autem plurimùm arca-

H

num

Scripta An. 1607.

num nosse discrimen: quia iis, quibus propitiari decrevit, brevi repulsa se simulat infensum; at misericordiam non brevem, non exilem, sed porrò maximam impendit. Nam præter clementiæ, ac suavitatis suæ intercalationem, quæ propria justorum à vexatione vitæ hujus recreatio est, refundit postea infinitam suæ bonitatis exuberantiam, quam sua liberalitate metitur. Et hoc significant verba illa, *Miserebitur secundùm multitudinem misericordiarum suarum*. LXX. addunt conjunctionem: *Miserebitur, & secundum multitudinem misericordiæ suæ*, διὸ καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους αὐτοῦ; ac si apertiùs sic enunciarent: *Miserebitur* certè, & non quovis modo, non vulgariter miserebitur; sed juxta mensuram non meriti nostri, sed misericordiæ suæ, quam oportet esse infinitam. Summorum quippe Principum est, munera non tam supplicantis egestate, quàm sua nobilitate metiri. Et quidem Clementissimus Deus in generis humani redemptione satis hoc evicit: multò enim plura & majora contulit, quàm nostra postularet egestas.

A

LXX. Interpp.

B

CAPH.

℣. 33. Non enim humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum.

Historice.

Etenim Hebræos sibi charissimos divina bonitas non ex ingenio suo, sed quasi peccatis coacta Babyloni subjecit.

Allegorice.

G Exploratum est, Christum Ecclesiam, quam condidit, sibique despondit, tot calamitatibus non ex animi sui motu, sed ad peccatorum purgationem afflixisse.

Tropologice.

Non ex Dei corde sanè dulcissimo, sed ex peccato Dei repulsa, vilitas, & opprobria hominum orta sunt.

Expensio Tropologiæ.

SUbest ratio profectò efficacissima, qua planè convincitur, brevi repulsæ misericordiam æternam superventuram. *Non enim humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum*: vel juxta LXX. *filios viri*: ἢ ὑὸς ἀνθρώπους. Porrò sive philosophicè, sive Theologicè dicamus (nihil violentum est perpetuum;) è contrario verò, quæ naturalia sunt, facilè, voluptuosè, ac perseveranter exercentur. Sic, usitata Scripturæ phrasi, teterrima crimina in tertiam, & quartam generationem Deus puniebat; sed juxta sententiam gravissima Beatissimæ Virginis auctoritate nitentem, *Misericordia ejus à progenie in progenies*. Quia videlicèt misereri naturale, punire (ut more nostro loquamur) violentum est. In verbis autem illis quæ LXX. & Hebræus habent, *filios viri*, arcana valdè inest significatio prædestinationis omnibus appositissima. Viri nomine, Christus antonomasticè intelligitur, ut patet ex illo: *Ecce vir oriens nomen ejus*, & ex illo: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane*. Ubi vir ille luctans, Christi personam agebat. Jam verò licèt vir hic ex universo genere hominum gratiæ fœcunditate baptizatos omnes genuerit; prædestinati tamen filiorum nomen in æternum servaturi, ac hæreditatem filiorum accepturi peculiari ratione, ejus filii nuncupantur. Hos igitur singulari quadam ratione, ex altissimo prædestinationis mysterio petita, dicitur Jesus Christus Redemptor noster non humiliasse, sive abjecisse ex corde, sive ex animo suo. Habuit enim ab æterno affectum gratuitum erga illos tenerrimum, ac dulcissimum: quò efficaciter decrevit illos beare, ac regno sempiterno cumulare. Cujus certè immensi, ac æterna gratitudine celebrandi beneficii, qui in seipsis aliqua non levia indicia deprehendunt, ad æterni amoris incendium acerrimum calcar habent.

C

Luc. 1. 50.

LXX., ac Textus Hebraicus.

D

Zach. 6. 12.

Gen. 32. 24.

E

F

LAMED.

℣. 34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.

Historice.

Non congruit divinæ bonitati, ut cives Jerusalem vexatos & compeditos sine culpæ occasione contereret.

Allegorice.

G

Non est sanè suavissimo Deo, sed erratis Ecclesiæ tribuendum, ut tot calamitatibus atteratur.

Tropologice.

Animam sibi gratam nunquam Deus repulisset, ut eam reatu tanto vinctam proculcaret, nisi culpis id illa commeruisset.

Expensio Tropologiæ.

PEndet è proximo textus hic cum duobus sequentibus, & sensus est, nullam Deo crudelitatem assignandam, si severè puniat, & velut in pulverem redigat hominem: cùm ea gravis animadversio non ex animo Dei, qui mallet benefacere, sed ex peccatis hominis orta sit. Modus autem dicendi vim habet insignem: *Ut contereret sub pedibus suis*. Profectò id cum anima immortali ad expiationem culpæ videtur Deus efficere, quod cum mortali corpore effi-

H

Scripta An. 1607.

efficit. Corpus quippe, quod immortalitate donandum est, Deus in hac vita calamitosa proculcari, discerpi, ac demum in pulverem verti patitur, pulverem videlicet collecturus, & corpus formosissimum reformaturus. Ità & animam gloria sempiterna decorandam vehementer affligi, doloribus excruciari, internis conscientiæ morlibus dilaniari finit, ut quæ tanquam in nihilum redacta fuerat, summa gloriæ perfectione provecta, summam status illius fœliciſſimi altitudinem, & dulcissimum decorem acquirat.

Comparatio

Alia Textus explicatio.

Aliter exponitur textus hic, ut sensus sit, *non abjecit Deus filios hominum, ut eos contereret*, hoc est, penitus deleret: sed ut castigaret, & correctos meliore sorte donaret. Quæ interpretatio ideò magis congruit, quia respondet tacitæ objectioni: posset enim quis parùm oculatus magnitudinem vindictæ divinæ quasi reprehendens obloqui. Ecquis furor iste in fragilem naturam erumpens? Cui aptè respondetur; gravis sanè ultio est, at non conterit: non enim ità Deus animam abjecit, *ut contereret*, immò ut redintegraret. Certè ultionis procellæ multa pacis tranquillitas subibit.

B

LAMED.

℣. 35. Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi.

HISTORICE.

Profectò non absque consilio factum est, ut coram summo Deo vir civis Jerusalem causa caderet: Deo ipso illi ob peccata in judicio non propitiante.

ALLEGORICE.

Non fortuitò, sed ex peccatis accidit, ut Deus Ecclesiæ judicium declinaret, hoc

C

est, in judicio minimè faveret: Causa quippe acta est coram Deo altissimo qui falli nequit.

TROPOLOGICE.

Hominis delicta in summi Dei conspectum postulata in causa fuere, ut Deus ad miserendum propensissimus judicium declinaret, hoc est, judicii victoriam denegaret.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

REpetenda sunt verba illa textus, *Non humiliavit ex corde suo*, & subjungenda hæc, *ut declinaret judicium viri*. Hunc dicendi modum LXX. videntur apertiùs reddidisse: *Ad declinare faciendum judicium viri coram facie Altissimi*, τῦ ἐκκλίναι κρίσιν ἀνδρὸς κατέναντι προσώπου ὑψίστου, hoc est, non ex animo Dei, sed ex culpa hominis ortum est, ut Deus declinare, seu cadere faceret judicium, sive jus, quod vir se habere putarat

LXX. Interpp.

D

coram tribunali ipsius Dei Altissimi. Reddit enim unicuique jus suum; quòd ii secùs agat, argumento est, hominem jure carere. Secundò interpretari possumus, quemadmodum textum proximum exposuimus: Nempè non esse Dei punientis, & hominem ad tempus repellentis mentem cujusquam judicium declinare, hoc est, alicujus viri judicium recusare, quasi judicium ad jus cuique viro reddendum exercere detrectet: certè non declinat hoc modo judicium, aut quemquam jure suo spoliare cogitat in senatu, seu judicio ipsius Altissimi, quamvis apud homines aliter fortasse putetur. Immò ipsius animus est, homini vexato jus æternæ vitæ, quod gratia divina nititur, post brevem agonem æqua lance rependere. Verba textus, si rectè componantur, satis per se patent; *Non humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum, ita ut declinaret judicium viri, scilicet quod exercetur in conspectu Altissimi*. Quin potiùs abjecit ad tempus, ut non declinaret judicium sempiternum, quo vexatos liberabit. Posset tertiò sic exponi. Non ex animo Deus sic abjecit filios hominum, adeoque gravavit, ut ipsemet Deus declinaret, refugeretve judicium viri, id est, in quo vir aliquis actor esse, Deumque crudelitatis accusare vellet. Sic enim punit, ut judicium nullum timeat, cùm sit inculpatissimus, clementerque, non crudeliter plectat, & proinde vincat, cùm judicatur. Explanatio hæc omnium propriissima videtur.

Alia textus explicatio.

E

Tertia textus explicatio.

F

LAMED.

℣. 36. Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit.

HISTORICE.

Certè Deus quasi rem nesciens non probavit, auctorve fuit sinistræ intentionis, qua Chaldæi jus suum Hebræis minimè reddentes, judicium sæpe corruperunt.

G

ALLEGORICE.

Deus velut ignorans se gessit, dum auctor non fuit pervertendi judicii, quo frequenter ab Ethnicis, & politicis Tyrannis Ecclesia vexata est.

TROPOLOGICE.

Ad judicium perversum adversùs proximum exercendum nunquam Deus hominem judicem armavit: sed velut ejus artis ignarus abstinuit.

H

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ET hic quoque textus à verbis illis, *Non abjecit filios hominum*, dependet. Quapropter sic exponendus est: non ita Deus

 abje-

Scripta An. 1607.

abjecit homines, *ut perverteret*, hoc est, damnaret (juxta sensum LXX. Interpretum) *hominem*, scilicet innoxium *in judicio suo*, nempe quo ipse homo judicatur. Etenim Deus neque in divino judicio, neque apud Judices mortales damnat hominem insontem, quin se gerit ut rei ignarus, quod attinet ad ansam injustæ damnationis porrigendam. Pro verbis illis, *Dominus*, *ignoravit*, LXX. habent, *Dominus non dixit*, quasi planiùs dicerent: tametsi Deus crimina plectere decreverit, nunquam tamen dixit, se damnaturum hominem innoxium in judicio suo, nempe cùm ad ejus causam dijudicandam ventum erit; licèt justos quasi damnatos in hac mortali vita torqueri, eisque in hominum prætoriis jus non reddi permittat. Hîc Vates sanctus facilè discriminat rectum ab obliquo: Deus quippe (ut Propheta ipse in seipso expertus fuit) homines, quò justiores sunt, graviùs premit, & anxietatibus exercet: & tamen quod ad iniquum scelestorum hominum justos vexantium affectum, & quicquid ibi culpæ latet, attinet, ità se gerit, ac si rem minimè nosset: quo nihil significantiùs, in controversia de concursu Dei ad actus humanos, afferri potuit, ut pateret, quicquid culpæ in eis inest, Deo verti non debere.

LXX. *Interpp.*

A

LXX. *Interpp.*

Justi in hac vita depressi

B

M E M.

℣. 37. Quis est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente?

HISTORICE.

Etsi verò Deus ex animo suo Jerusalem non afflixerit, quis tamen adeò demens sit, qui dicat, tot pœnas sine Dei permissu inflictas à Chaldæis fuisse?

ALLEGORICE.

C Ecquis ità deliret, ut mali quicquam Ecclesiæ absque Dei consilio asserat evenire.

TROPOLOGICE.

Satis perspectum est, licèt non culpæ, pœnæ tamen auctorem Deum esse: quapropter quis unquam fateatur, pœnas animæ illatas injussu Dei contingere?

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

GRavissima certè mala, quæ hucusque Propheta recensuit, ad pondus, numerumque peccatoribus illata sunt. Etsi enim ad animæ expiationem Deus non modò

D

scelestis hominibus injustè agentibus, verùm dæmonibus etiam utatur, ac proinde multa ibi peccata misceantur, quæ scelerati homines, ac dæmones bonam vexationem malum in scopum detorquentes admittunt: fatendum tamen omninò est, nihil seu pœnæ, seu culpæ contingere absque altissimo Dei consilio: qui bona providet, efficitque; mala verò sic permittit, ut ex eis tanquam ex occasione bona majora producat. Quod vel ex Incarnationis mysterio, quod Ada minimè peccante, patratum non fuisset, perspici potest. Propter hoc ergo Vates sanctus excandescit in eos, qui existimabant immania supplicia, sine Dei jussu, hominibus accidere. Modus autem interrogandi vim habet: *Quis est iste, qui dixit, ut fieret, domino non jubente?* Hoc est, quis adeò deliret, ut dicat fortuitò accidere potuisse, ut fierent mala horrenda, quibus anima exercetur? vel sic: Quis alius præter Deum adeò potens sit, qui dicat, hoc est, jubeat, ut fiat, quod hucusque lamentati sumus, Deo non jubente? Etenim nemo est adeò verbis potens, ut ad ejus imperium res viribus hominum facilè majores eveniant. Quapropter asserendum est, omnia hæc Dei jussu contingere. Profectò ad arcanum sensum hæc veritas plurimum confert: si enim anima non sinat memoria excidere consilium Dei, quo sive prosperitas, sive adversitas temperatur; major ex bonis gratitudo creabitur, major ad mala constantia suppetet,

S. Thom. 3. p. q. 1. art. 5.

E

F

M E M.

℣. 38. Ex ore altissimi non egredientur nec mala, nec bona.

HISTORICE.

Quænam insania sit, audacter proferre, Deum malorum, ac bonorum, quæ Urbi sanctæ contigerunt, curam minimè gessisse?

ALLEGORICE.

Qualis animi perversio sit, asserere Ecclesiasticæ prosperitatis, vel adversitatis nullam à Deo rationem haberi: quasi sponsa Christi divina providentia non regeretur?

G

TROPOLOGICE.

Quousque dementabitur, qui Deum de animæ prosperanda, vel punienda non pronuntiare asseverat?

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

TExtus hic proximi pars est: quo Vates sanctus invehitur in eos, qui divinam providentiam inficiabantur. Vulgatum est, quot, quamque capitales hostes Dei providentiam, qua res inferiores administrat, oppugnaverint. Error profectò naturali luce indignissimus, & nocentissimus est. Indignitas ex eo patet, quod rerum vicissitudo, temporum discretio, cœlorum conversio (ut cæteras mundi partes sileamus) hominem mentis compotem non sinunt ita insanire, ut sibi persuadeat, molem tantam, cu-

H

Providentia Dei asserta.

Scripta An. 1607.

cujus partes harmonicè, canoniceque moventur, casu evenire, neque ab aliquo principio, seu mente omnium præstantissima gubernari. Nocumentum inde liquet, quòd excluſa Dei providentia, & proinde ſpe remunerationis, ac ſupplicii timore homines in vitia, belluarum ritu ſe totos effu-
A derunt, ac turpiſſimè fœdarunt. Porrò ſi quid eſt, quod à Dei providentia tolerari non debere videatur, non pœna, ſed culpa eſt: ex qua impunè hominum arbitrio commiſſa, turpiter à multis erratum eſt, inter quos fuiſſet ille, ſi ſeriò dixiſſet:

Eſſe Deos credamne? fidem jurata fefellit.

At hoc patientiæ genus divina providentia ex malis benefaciente dignum eſt. Quocirca fixum ſit, *Ex ore altiſſimi bona, & mala egredi*, mala inquam pœnæ, ut omnium Theologorum conſenſio eſt. Culpas quoque divinæ providentiæ conſilio permitti, in dubium à nemine ſani capitis revocari poteſt: quomodo enim ea mala, quorum occaſione, & non aliter nobiliſſima bona
B Deus patrare decrevit, ſine Dei conſilio, permiſſuque accidiſſent?

Culpa à Deo permittitur tantùm

M E M.

℣. 39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis ſuis?

HISTORICE.

Cùm Dei judicia æqua proculdubiò ſint, quomodo vir Jeruſalem civis peccati reus, dum ſancta Urbs pœnis exercetur, obmurmurat?

ALLEGORICE.

Cur Eccleſiæ filii, qui graviter peccaverunt,
C inter Eccleſiæ flagella impatienter obloquantur?

TROPOLOGICE.

Quid juſtarum querimoniarum ſubſit, ſi homo, qui ob crimen æternis flammis urendus eſſet, in hac mortali vita, paterna Dei clementiæ puniatur?

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

INvehi pergit Vates ſanctus in obtrectatores flagella divinæ ultionis accuſantes: quaſi Deus adeò miſericors, clemensve non ſit, quòd hominem adhuc viventem adeò ſe-
D verè plectat, ut pleriſque humanis æſtimatoribus punitio illa tartarea videatur, quæ ſceleratis hominibus vita functis reddi deberet. Verùm meritò ſuccenſet Propheta dicens: *Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis ſuis?* Tanquam diceret apertiùs: Profectò hoc detractionis genus turpiſſimum eſt: ſi enim Clementiſſimus Deus homini culpam ſempiterno igne dignam condonavit; & pœnæ pariter æternæ reatum abſolvit, cur obmurmuret, ſi temporalem pœnam ſubire jubeatur, quæ ipſi reo maximè ſalutaris, & honorifica eſt? Ergone omnis animi lux extinguenda, & cæca mente adversùs Dei
E clementiam ingratiſſimus peccator erigendus eſt? Etenim inficias ire non poſſumus, hominem incogitantia, vel ignoratione divinæ bonitatis laborantem in horrenda crimina eo ipſo proclivem eſſe. Cùm enim peccati malitiam, Majeſtatiſque divinæ patientiam nec expendat, neque cogitet; incumbentis pœnæ duntaxat magnitudinem ponderat; quam non cum injuria Deo irrogata, ſed cum degeneris animi ſui mollitie comparat: & proinde in Deum quaſi rigidum cenſorem nimis impudenter excandeſcit. Sanè ſi murmurandum (quod humano more cum tantæ Majeſtatis veneratione proferimus) in patremfamilias eos, *Matt. 19.*
qui hora una laborarunt, cumulatiſſimè remunerantem, non in Judicem mitiſſimum minùs, quam injuria poſtulat, plectentem, ora laxentur: quæ certè obmurmuratio, E-
E vangelica laus, & admiratio eſt.

N V N.

℣. 40. Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.

HISTORICE.

Placeat conſilium meum (ait Jeremias,) exploremus opera noſtra, ô cives Jeruſalem, & ab idololatriæ ſcelere, aliiſque innumeris criminibus ad veri Dei noſtri cultum, & pietatem redeamus.

ALLEGORICE.

Introſpiciamus affectus noſtros, Eccleſiæ fi-
G lii: & ad tot malorum molem avertendam, inculpatè Chriſto famulemur.

TROPOLOGICE.

O anima, noſtros actus æquo judicio perlibremus, & quæramus vexationis cauſam, abjuratoque ſcelere, Deum, à quo receſſimus requiramus.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ADhortatio hæc ſanctiſſimi Vatis pietate digna eſt: *Scrutemur vias noſtras, & quæramus*; cui annectere poſſumus verſionem LXX. *Inveſtigata eſt via noſtra, & examinata*, quaſi dicerent, à Deo fuiſſe exploratam, & examinatam. Vulgatus verò, Nos, inquit, *ſcrutemur*. Rectè quidem ſi
H enim Deus vias noſtras ſcrutatus eſt, ſuper-

Scripta An. 1607.

Judicii humani, ac Divini discrimen.

est, ut nos quoque scrutemur. Hinc quippe judicii discrimen enascitur. Cùm enim Deus omnem peccati turpitudinem, omnes flexus, ac reflexus, omnes circumstantias alto scrutinio compererit, longè aliter de nobis, quàm nos ipsi, judicium fert. Quamobrem punitionem admetitur culpæ, quam perspicacissimè circumspexit; nos verò culpam minimè scrutati, plerumque conquerimur pœnam nimis gravem inferri. Verbum ergo illud *scrutemur* non quodvis examen, sed accuratum, exactum, intimumque significat: quale injuriæ magnitudo ab offensa Majestate, ab offensoris vilitate, ab ingratitudine, & aliis multis capitibus conflata requirit. Quod verò adjungitur, & *quæramus*, intellige ultionis causam, hoc est, culpam. Denique qui scrutinii hujus scopus est, *Revertamur ad Dominum*, idoneus ordo est: Nam cùm anima se telis vindictæ divinæ sauciam intuetur; mox se ipsam debet scrutari: statim quam ultioni ansam præbuerit, inquirere: demum ad asylum, hoc est, Deum, quem irritavit, placandum reverti. Qua in re Propheta longè diversum mortalium Principum ingenium ab immortalis Regis nobilitate demonstrat. Homines quippe dum Principes suos injuria lacessunt, omnia primùm movent, & postquàm alios gratia valentes nacti sunt, eo favoris clypeo tecti ad placatos jam Principes ingredi audent. Verùm ubi peccator Deum irritavit, pro comperto habet, fores sibi semper patere, ut ipsemet reus, culpa explorata, atque perpensa, reatu obligatus introeat, & veniam à Rege ad parcendum paratissimo reportet. Quapropter fidenter dicendum est, *Scrutemur, quæramus, revertamur*; quo certè consilio universi peccatores impendio egent.

A

B

Regum mortalium, ac immortalis Regis differentia.

NVN.

C ℣. 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.

HISTORICE.

Non corde tantùm, sed externis quoque legis nostræ gestibus Deum pro Jerusalem pace deprecemur.

ALLEGORICE.

Et interna cordium erectione, & externa brachiorum extensione pro Ecclesiæ felicitate Deum imploremus.

D

TROPOLOGICE.

Non modò pro culpæ venia cor in Deum attollamus, verùm & corpus exteriori positu cordi coaptemus, & torporem excutiamus.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

DE cordis erectione ad culpam deprecandam opportuna nullus erat ambigendi, aut consultandi locus. Externi tamen gestus, qui nec semper exercendi, nec verò semper excludendi sunt, poterant in dubium revocari. Verùm in re omnium gravissima, ac penitissimo luctu, quo anima deiicitur, & languet, opus erat hujus excitationis eam admonere. Non enim tantùm, ubi solemnis cæremonia publicè indicta est, ut illa: *In noctibus extollite manus vestras in sancta*: verùm ubi quis sine testibus orat, ex huiusmodi gestu fructum haud modicum sæpè carpere solet. Stupiditas quoque sensuum, quàm Dæmon orationis inimicus malis artibus iniicit, & auget, externo quoque conatu excutienda est. Quod in debellatione Amalec, & manibus Mosis multo conatu in altum sublatis perspectum fuit. Non enim frustrà Aaron, & Hur lassas Mosis manus sustinebant: etsi enim is conatus cordis erectionem à Deo primùm requisitam significaret: corporis quoque officium, à quo lassitudo, & tædium procul pelli debent, indicavit. Dicit ergo Propheta: *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos*, ac si diceret: salutis æternæ causa, pro qua precamur, tanti profectò ponderis est, ut nulla hominis pars vacare, sed anima, corpusque totum in orationis opus ardenter incumbere debeant: Negotia sæcularia totum hominem cum alta Dei oblivione sibi vendicant: cur unum illud negotium, quod omnia lucra complectitur, omnes hominis partes non exquirat?

E

Psal. 133. 2.

Exod. 17.

F

NVN.

℣. 42. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcircò tu inexorabilis es.

G

HISTORICE.

Nos Hebræi piaculis nostris te, summe Deus, ad Urbem nostram evertendam irritavimus: propterea que velut implacabilis exauditione dilata videris.

ALLEGORICE.

Turpiter egimus nos Ecclesiæ filii, & tot nostræ redemptionis beneficiis ingrati te, Clementissime Deus, ad vindictam incitavimus: quocirca mirum non est, si te exorare non facilè possimus.

H

TROPOLOGICE.

Ego anima coniugalis tori violatrix, æquissime Deus, nolentem ad irascendum lacessivi: quamobrem æquum est, ut, cùm volo ego, tu placari nolle videaris.

Ex-

Scripta An. 1607.

Expensio Tropologiæ.

AGit Propheta Urbis sanctæ, vel Ecclesiæ, vel hominis cujusque personam, non modò cùm adhortatur, ut proximè vidimus, verùm cùm aliquos pœnitentiam agentes inducit, ut ex hoc textu liquet. Deum ergo
A sic supplex alloquitur: *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus, idcircò tu inexorabilis es*, quasi anima diceret: Minimè mirum, (Clementissime Deus) si non facilè parcas, & velut implacabiles iras ostendas; cùm ego adeò turpiter egerim. Ego tibi vim attuli: nolebas recedere, & ego te repuli: nunc pœnæ proportio est, ut rogantem exerceas, & exorari nolle videaris. Deberent sanè hoc animadvertere homines aliàs minimè fatui, qui cùm per annos plurimos inspirationes divinas creberrimas, & dulcissimas repulerint: postquàm Dei suavitate victi resipiscere incipiunt; ægrè ferunt, si statim ac orationi se dedunt, non celeriter Deus festinissimus ad amplexum accurrat. Et quod pejus est, palàm conqueruntur, tanquam eis Deus imposuerit, qui ad jugum suave leniter vocatos nulla suavitate delectet. Mirum est, quàm enormiter homines fortassè graves & docti errent. Adeòne parùm oculati sint, ut non animadvertant, se millies Deo blandè allicienti restitisse? Cur modò, quando per id ariditatis exercitium sua res agitur, non patienter & alacriter ferant, se non è vestigio deliniri? Sanius consilium est illud animi strenui, ac rem benè callentis, *Deus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte: & non ad insipientiam mihi*, hoc est, non est mihi vertendum insipientiæ, si dies ac noctes clamem, nec exaudiar: mea quippe res agitur, dum exauditio differtur: nobiliores virtutes, altiora merita paro: Propterea non statim causam obtineo. Verbum illud *Inexorabilis* hyperbolicè accipiendum est, ut
C ex ingenio Dei, & è re ipsa, ac demum ex vulgato sermone patet; homines quippe, qui ægrè parcunt, implacabiles inexorabilesve dictitamus. Hoc autem, expensa Dei bonitate, culpæ gravitatem vehementer exaggerat:

Animæ peroratio.

Ps. 31. 2.

SAMECH.

℣. 43. Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.

Historice.

D *Quasi nubes fulminibus armata Chaldæorum exercitu obruisti nos Deus, ac interfecisti: neque mitescere placuit.*

Allegorice.

Instar maris æstuantis Ecclesiam immisso calamitatum diluvio velut obduxisti. Maxima certè pars à Tyrannorum ac sectariorum agminibus te ulciscente, cæsa est: neque afflictis ignovisti.

Tropologice.

More nimbi subitanei me animam infidam pœnis multis operuisti, lethalibus certè vulneribus petisti me: neque placuit pœnam relaxare. E

Expensio Tropologiæ.

DOlor inter orandum recrudescit: stimulus enim ille, quem gravissima vexatio reliquit infixum, quoties attingitur, lædit, & animam cruentat. Sic igitur anima inquit *Operuisti in furore, & percussisti: occidisti, nec pepercisti.* Conquestio est, quam Propheta in superioribus induxit: quam sic interpretamur: Peccavi (ait anima) & hinc tu inexorabilis fieri videris: at memineris, quàm graviter me, ac severè torseris, ut placeris. Tanquam extemporaneus nimbus furens obruisti me, ac lethalibus plagis rigidè excruciasti: quid jam superfit? Ergone semper irasci perges? Profectò satis pugnatum est: vicisti me: non pepercisti: parce nunc, obsecro te, ut velut à morte resurgam. Alternè vexare, recreareque tui numinis est: neque morienti semper insistere, ne, precor, culparum momenta velis mathematicè pensitare, vel arithmeticè percurrere. Modus hic precandi planè suavis est, qui pœnæ modum imponi postulat: nam in sacris alterna sunt exercitia, ut patet ex illo, *Dixit, & stetit spiritus procellæ*: & illo, *statuit procellam ejus in auram*: & in profanis, ut liquet ex illo:

Animæ conquestio.

F

Ps. 106. 25. 29.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inermis erit,
Nunc, ubi detonuit, strepituque exterruit orbem,
Purum discussis aera reddit aquis.

Ovid. lib. 4. de Trist. Ad Aug. Cæs. G.

Sacro igitur sensu sic anima precatur: Terruisti me: affer serenitatem, Clementissime Deus.

SAMECH.

℣. 44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

Historice.

Videris, mitissime Deus, te densa nube inclusisse; ne Israeliticæ gentis in Babyloniam abductæ, ac pro libertate clamantis in cœlos penetret oratio. H

Allegorice.

Quandoque Deus Clementissime Ecclesiam validè clamantem sic vexationibus exercescs.

Scripta An. 1607. ces, ut interjecta nube atra, preces repellere videaris.

TROPOLOGICE.

Sæpè clamoribus elatis inter agones te, amantissime Deus, imploro, & quia commerui, ostia cœli oppilasse videaris, ne vox ad te perferatur.

A

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MOdus hic dicendi à Sancto Vate usurpatus dolori significando opportunissimus est. *Opposuisti nubem tibi, ne trænseat oratio.* Inducit Deum juxta mores humanos agentem. Principes quippe, qui facili ingenio sunt, neque importunas preces sine conniventia ferre possunt, plerumque ne justitiæ vires enervent, peccatores evasuri, fores occludi jubent, seque in penitissimum cubiculum abdunt. Sic Jeremias indicat Deum natura Clementissimum, ut justitiæ partes expleret, nube oppositа, voces animæ precan-

B tis recussisse: ne fortè si ad ipsum usque perferrentur, pœnam, quam inferre expediebat, relaxaret. In hunc ergo modum anima queritur: Miror mitissime Deus adversam sortem meam: quippe qui te quoque adversantem patiar. Unum inter tot clades remedium orandi supererat: & tamen non modò me non exaudis, sed prudens me non exaudire velle videris: quandoquidem ita te erga me anxiè precantem geris, ac si nubem densam interjecisses, ne oratio mea in animum tuum sanè facilem penetraret. Nescio, quo pacto cor molle tuum suspirantem me repellat.

SAMECH.

℣. 45. Eradicationem, & abjectionem posuisti me in medio populorum.

C

HISTORICE.

Non vastata modò, sed vastitas, & abjectio ipsa ego quondam florentissima Jerusalem, à te, summe Deus, inter altas Urbes effecta sum.

ALLEGORICE.

Antiquis sedibus magna ex parte convulsa, & inter sectas omnes ego Christi Ecclesia, ultione tua Deus, nimis despecta videor.

D

TROPOLOGICE.

Tanquam extirpatam, & arentem arborem, & neglectui inter creaturas habitam, ob culpam me Deus abjeciſti.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PErgit Jeremias malum grande, sub quo anima gemit, exaggerare. Anima, quæ divinæ gratiæ vita pollet, in Christo, à quo vitam haurit, radices agit: peccare verò nihil aliud est, quàm inde revelli, quod eradicatio notat. Hinc ortum ducit abjectio, E sive contemptio. Locum quippe honorificentissimum anima, dum peccat, sua sponte deserit, ac proindè justa Dei ultione, *In medio populorum*, hoc est, publicè tanquam infamis habetur, atque despicitur. Dolendum est sanè, animam, quæ in Christo plantata florum, ac fructuum feracissima erat, & amœnitatem immortalem præferebat, culpa extirpatam, nullis jam usibus aptam, sed igni dumtaxat pascendo destinatam, arentem, ac incredibili deformitate turpem apparere. LXX. Interpretes præcedentem versum, ac LXX. *Interpp.* hujus dimidium simul sic reddiderunt: *Oppo-*

F *suisti nubem tibi propter orationem, ad claudendum mihi oculos, & abiiciendum*: ex quo liquet eradicationi, quam Vulgatus habet, oculorum cæcitatem respondere. A Christo enim, qui lux est, eradicari, nihil est aliud, quam excæcari: quæ punitio acerrima est; è qua publicus despectus animæ cæcè aberrantis exoritur. Notissimum est peccatores profligatos apud homines (nedum apud Deum) infames esse, & à viris ingenuis, ipsis quoque consanguineis, neque in amicitiam, neque in domicilium ipsum, ob infamiæ contagionem admitti.

PHE.

℣. 46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.

G

HISTORICE

Infælices nos cives Jerusalem, quia Chaldæi, omnesque alii hostes nostri ad prædam Urbis nostræ vehementer aspirarunt.

ALLEGORICE.

Universi Christianæ Religionis hostes in me Christi Ecclesiam validè conjurarunt.

TROPOLOGICE.

Tartarus, mundus, ipsaque caro mea, me animam ore ad morsum velut aperto dilaniare certarunt.

H

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

VErba hæc superiùs explanavimus, quæ *Cap. 2. sub Phe.* ad feritatem, ac rabiem hostium animæ significandam spectant. Leonum quippe, aut Luporum ad prædam anhelantium more Comparatio in animam feruntur, ut eam, si fieri possit, morsibus lanient. Nemo sanè vim horum verborum satis perspectam habebit, nisi molestis-

Scripta An. 1607.

stissimis tentationibus afflictatus fuerit. Incredibile enim inexpertis videtur, hostes, præsertim internos, tam immaniter animam ipsam, qua vivunt, infestare, ac velut in frusta discerpere. At viri sanctitate clarissimi rem benè norunt, ut unus pro millibus Paulus evincit per verba illa: *Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. Neque enim hoc' dicendi modo Apostolus usus fuisset, nisi sævissimam infestationem, quam ferebat, exprimere optasset. Descriptio certè Prophetæ ad tentationis imaginem repræsentandam apposita est: neque consilium salubrius animæ, quæ infestatur, dari possit, quàm ut se ad certamen hac meditatione comparet. Tentationem scilicet, feram quandam truculentissimam esse, quæ ore diducto ad animam vorandam insiliat. Sic enim arcanè accipi solet, quod Jacob de Joseph, cujus necem fratres simulaverant, mœstus extulit: *fera pessima devoravit filium meum.* Gen. 37. 33. 2. Reg. 12. 4. Invidentia nimirum fratrum illum absorpserat: sic & ovem pauperis (uxorem scilicet Uriæ à Nathan figuratè dictam) divitis, hoc est, Davidis luxuria depavit.

A

B

PHE.

℣. 47. Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.

HISTORICE.

Prædictio Prophetarum, qua nos Cives Jerusalem abusi sumus, in timorem, capturam, & vastitatem versa est.

C

ALLEGORICE.

Prædicatio Doctorum, cui non paruimus, nobis Ecclesiæ filiis formidabilem calamitatem, vincula & destructionem invexit.

TROPOLOGICE.

Divinis comminationibus non succubui; nunc ego anima culpæ conscia formidinem æterni supplicii, peccati laqueum, & inde ortam desolationem incurri.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Inspirationes a Deo sunt.

D

INmis usitatum est, inspirationes divinas quibus Deus animam ad futura damna præcavenda, prophetico more instruit, non suo quidem ingenio, quod est bonorum operum feracissimum, sed animæ vitio, in graviora supplicia verti. Prædictio quippe malorum animæ impendentium non potest non ingenerare formidinem. Nemo enim quantumvis impudens, audaxque peccator est, qui (modò tartari cruciatum credat) non extimescat. Conatur certè ille seram resipiscentiam sibi polliceri, aut si minùs id cogitet, enititur nulla futuræ vitæ supplicia meminisse: at profectò dum ea credit, & cogitat, sensus horrent, atque refugiunt. Jam verò si concepto timore illo, nihilo seciùs inspirationi, comminationive divinæ minimè pareat (quod passim accidit,) vaticinatio non modò in formidinem, verùm & in laqueum contritionemque convertitur. Laqueus certè fit, quo anima irretitur: credit enim, neque obtemperat. Contritio verò, hoc est, afflictio sive tortura fit, & in hoc sanè sæculo, ob adversantem conscientiam: & multò severior in futuro, ubi anima, cui lux veritatis affulsit, æterna pœnitudine, ac dolore torquebitur.

E

PHE.

℣. 48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.

HISTORICE.

Ego Jeremias contemplans Urbem Sanctam eversam, ex oculis binos lachrymarum rivos effudi.

F

ALLEGORICE

Mihi dispendia sponsæ Christi cogitanti multiplex fletus erupit.

TROPOLOGICE.

Dum animam sceleris admissi non ignaram tot malis undique atteri cerno, multa divortia fletus evergo.

G

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

DUlcissima certè hæc Jeremiæ lamentatio est: fatetur enim se non quovis modo fleviisse ob animæ capturam, & vastitatem, verùm rivos aquarum effudisse. Pro verbo *Divisiones* LXX. habent *emissiones*, ἀφέσεις: utroque verò dicendi modo largum lachrymarum imbrem interpretamur. Neque enim calamitas summa nisi uberrimo fletu lugeri debuit: Vastitas autem illa, quæ templi conflagrationem, domorum eversionem, & corporum captivitatem, necemve complectitur, licèt in eo genere, dolore intimo digna sit; leve tamen quiddam est, si cum animæ captivitate, morteque comparetur. Sanè quidam exul malis corporalibus obsessus immensam se lachrymarum materiam habere ratus est, dixitque: (LXX. Interpp.

H

Fine carent lachrymæ, nisi cùm stupor obstitit illis:
Et similis morti corpora torpor habet. Ovid. lib. 1. de Pont. Epist. 2.

Quantò ergo æquius sit, ut fine careant lachrymæ, quæ pro animæ captivitate, mor-

Scripta An. 1607. morteque funduntur? Habent autem arcanum quiddam illa, *Divisiones aquarum*: sunt enim quasi aquarum sulci, in varias terræ partes ducti, ut sterilem terram fœcundent. Sic justorum fletus in steriles animas aquæ ductu charitatis infusus, sterilitatem procul agere solet.

A AIN.

℣. 49. Oculus meus afflictus est nec tacuit, eò quòd non esset requies.

HISTORICE.

Oculi mei (ait Jeremias) flendo Jerosolymæ casum læsi sunt; & lachrymæ ab animi sensu erumpentes, vim vocis elicuerunt, quòd requies nulla subesset.

ALLEGORICE.

Ego præ fletu perenni, qui de malis Ecclesiæ fluit, quasi luminibus captus sum,
B & requie deficiente in lachrymas sensum verborum habentes incubui.

TROPOLOGICE.

Luctuosam eclypsim oculi mei peccata atque supplicia animæ deflendo velut excæcati passi sunt: fletusque vicem sermonis, requie omni prorsus ablata, gessit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRosequitur fletus magnitudinem Propheta, dicitque *Oculus meus afflictus est*, sive (ut LXX. vertunt) *absortus est*, κατεπόθη. Ipsa quippe largè flendi afflictione oculorum vis extenuatur, & acies hebetatur; absorberi verò dicuntur oculi ipsa fletus inundatione, quam profundunt. Omnia hæc
C ex magnitudine mali, quod anima per culpam incurrit, ponderata miram proportionem proculdubiò habent. Exundatio enim culpæ, quæ animam obruit, lachrymarum diluvio extrudenda est. Jam verò à magnitudine mali, stimuloque conscientiæ clamor arcanus, qui tribuitur oculis per lachrymas loquentibus, exortus est, ut verba illa significant: *Nec tacuit, eò quòd non esset requies*. Stimulus mortis peccatum est, hoc est, peccatum ita animam pungit, & lacerat, ut mortem afferat. Et quidem adhuc in præsenti sæculo adeò altè infigitur ille stimulus, ut mortem sæpè repetitam amarissimo sensu doloris, & mora prolixa ingerat, possitque altiore sensu anima usurpare illud:

D *Vivimus, ut nunquam sensu careamus amaro,*
Et gravior longa sit mea pœna mora.
Sic inconsumptum Tytii, semperque renascens
Non perit, ut possit sæpè perire jecur.

LXX. Interpp.

Peccatum mors animæ.

Ovid. lib. 1. de Pont. Ep. 2.

Sic anima morsibus innumeris conscientiæ inconsumpta consumitur, unde fletus resolutio, & mysticus oculorum sermo precesve ducuntur.

AIN.

℣. 50. Donec respiceret & videret Dominus de cœlis.

E

HISTORICE.

Decrevi a luctu minimè desistere, donec Deus Jerusalem hilari vultu respiciat, & instauret.

ALLEGORICE.

Flere nequaquam cessabo, quousque Deus Ecclesiæ vexatæ propitietur.

TROPOLOGICE.

Perpetim lachrymabor, donec animam pœnis obvallatam Deus amanter intueatur, ac
F *soletur.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

IN gravissimis æruminis à luctu cessandum non est, donec ira Clementissimi Dei resideat, & nimbo discusso serenam cœli faciem exhibeat: quod locupletissimus testis S. Hieronymus factitabat, se lapidis ictibus, ac gemitibus, oculis in cœlum sublatis, conficiens, donec pax, Dei placati lætus index, rediret. Verba illa, *Donec respiceret, & videret Dominus de cœlis*, significare videntur oculos Dei clausos, vel adversos, quorum conversio, & lætus intuitus postulatur. Odit enim Deus culpæ turpitudinem, à qua eleganter dicitur oculos avertere: aspectus autem placidus misericordiam infert, ut compendio notavit Regius Vates: *Aspice in me, & (statim) miserere mei*: nunc autem misericordiam Propheta captat, qua possit anima vexata recreari. Hîc jure annotandum, quantò prudentiores filii sæculi filiis lucis sint: illi enim ad portas Principum pulsando consenescunt, donec animos parùm pios, ac misericordes exorent: qui verò de placando Deo, & solatio divino impetrando cogitant, non æquè perseveranter insistunt. Certè Christus in orationis perseverantia prædicanda, & persuadenda plurimus & eloquentissimus fuit: & si minùs merito, improbitate tamen pulsandi, clementiæ fores aperire docuit; ut homines cæcos, qui rei magnitudinem non assequuntur, dulcissimis parabolis erudiret. Porrò generosos animos decet votum illud, *Si dedero somnum oculis meis &c. donec inveniam locum Domino*. Verùm de his superiùs actum est.

S. Hieronymus.

Deus odit culpam.

G

Ps. 118. 132.

Animadversio.

Luc. 11.

H

Ps. 131. 4. 5.

AIN.

℣. 51. Oculus meus deprædatus est

Scripta An. 1607.

est animam meam in cunctis filiabus Urbis meæ.

HISTORICE.

A *Ipse intuitus meus, ait Jeremias, quasi latro diripuit omne solatium meum, dum Judeæ Urbes subditas Jerosolymæ una cum metropoli devastatas cernerem.*

ALLEGORICE.

Contemplatio oculis notata, malorum gravium, quibus, unà cum Romana Ecclesia omnium parente, cæteræ Christanorum Regnorum Ecclesiæ tantæ matris filiæ torquentur, animam meam, hoc est, vim animæ vitalem, roburque, mœstissimo languore sustulit.

B TROPOLOGICE.

Dum mentis oculis graviter affectis cerno superiorem hominis partem simul cum viribus inferioribus, quarum illa moderatrix, & quasi parens est, ob peccatum severè à Deo tractari; vita ipsa funesto spectaculo eripi, sive extingui videtur.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NOtum est illud: *Oculi augent dolorem*, quod sanè ex alto Prophetæ sensu, quem significanter admodum pingit, apertè perspicitur: *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus Urbis meæ.*

Mystica urbis significatio. Urbis appellationem arcano sermone animæ congruere, vel ex vulgato illo quatuor sensuum discrimine sub nomine Jerusalem patere potest. Sensu quippe Tropologico, sub eo nomine, à cunctis Sacræ Scripturæ interpretibus anima intelligitur. Nunc ergo cernens Jeremias luctuosissimum animæ in peccatum prolapsæ statum, omnesque illius vires (quas arcanè filias appellat) miserrimè prostratas, atque fœdatas, ait: *Oculus meus deprædatus est animam meam*; hoc est, ipse intuitus adeò funesti spectaculi expoliavit me vita ipsa mea, eripuit mihi animam meam; quod amanter valde dictum est. Si enim (juxta celeberrimum Philosophi effatum) Anima potiùs est, ubi amat, quam ubi animat; profectò amor immensus, quo Jeremias in animam proximi flagrabat, illum extrorsum agere, ac sibi eripere debuit, ut anima Vatis extra se abducta, proximi animæ graviter affectæ compatiendo sociaretur. Sic intuitus rei amatæ, amantis animam deprædatur. LXX. sic vertunt, *Oculus meus racemabit*, ἐπαφυλλιεῖ, *super animam meam*; quo sermonis genere lachrymas in lachrymas alias instar acinorum uvæ confertim influentes, notant: quod proculdubiò ad animæ deprædationem ponderandam pertinere videtur.

Animæ in statu peccati descriptio.

C

Proverbium

LXX. Interpp.

D

SADE.

℣. 52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.

HISTORICE.

Chaldæi velut ducupes me gentem Hebræam elabi, sive avolare satagentem, obsidionis laqueo injustè præfocarunt.

E ALLEGORICE.

Me (Pater æterne) filium tuum, avis more supra terrenas cogitationes elatum Judæi hostes mei, sine causa ulla, nocte definita, funibus obligarunt. Similia eorum posteri corpori meo, hoc est, Ecclesiæ intulerunt.

TROPOLOGICE.

Dæmones aucupandi peritissimi, tenso laqueo, me animam incautam nullo jure suo irretieruut.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

F In sensu historico, quæ supersunt ab hoc textu usque ad finem capitis hujus, tam de ipso Jeremia, quam de populo Judaico à Chaldæis capto exponi solent: nos de populo interpretati sumus. In allegorico verò sensu Christum à Jeremia prædictum intelligimus.

HIc Sanctus Propheta sensu arcano animam loquentem inducit. Congruit optimè Dæmonibus calliditate incredibili animam circumvenientibus, venatorum, aucupumve solertia. Mille laqueos tendunt, mille technis seducunt. Profectò, inter alios aucupum dolos ille usitatissimus est, ut ibi retia tendant, ubi loci amœnitas, & aquæ copia simplices aviculas illiciant. Latent illi, & ad vivas capiendas velocissimè advolant. Sic usu venit in aucupio arcano, ut ubi subsunt occasiones oblectamenti, quod ad necessaria vitæ opera capiendum videtur; ibi Dæmones argutè suas artes exerceant, ut specie licitæ voluptatis, aut commoditatis, in turpia quoque facta præcipitent. Norunt hoc homines penè universi, qui leviter jocantes, sibique immunitatem in occasione blandè persuadentes, cœptæ voluptatis pruritu incitati, verecundiæ cancellos perrumpunt, & in obscœnitatis voraginem se demergunt. Necessarius visus est levis jocus, animi gratia candidè susceptus: sed postquàm appetitus incaluit, ac tantundem de temperantiæ disciplina remisit, anima celeri motu deorsum acta, in laqueum incidit. Quòd si Clementissimus Deus retia prospiciens animam præservet, insigne beneficium est, pro quo immortales illi grates agere debet, more Regii Vatis intima gratulatione canentis: *Ipse liberavit me de laqueo venantium*, scilicet ne caperetur, vel, ut captum absolveretur: utrumque enim munus eximium est: sed primum occultius, quod nobis ignaris passim impenditur. Quis enim novit, quoties laqueo præfocatus fuisset, nisi occultus benefactor Deus occasiones amputasset? Illud

Aucupum solertia.

Dæmonum versutia.

G

H *Ps.* 90. 3.

Scripta An. 1607. lud verò *gratis* per se planum est, nihil enim proprii juris Dæmones habent ad animam irretiendam: oratorio autem more jus ad puniendum seu torquendum ex peccato parare dicuntur.

SADE.

A ℣. 53. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

HISTORICE.

In Babylonicæ captivitatis voraginem gens olim Deo chara demersa sum: & ne inde emergam, Chaldæorum rex, qui quasi lapis precibus non emollitur, mibi præpositus est.

ALLEGORICE.

B Anima mea, inquit Christus, ad inferos descendit: & hostes mei, quasi victores capta præda exultantes lapidem corpori meo sepulto impositum munierunt, & obsignarunt; similia quoque in Ecclesiæ corpore martyribus meis irrogata sunt,

TROPOLOGICÆ.

Vitæ divinæ gratiæ, qua priùs ego anima vivebam, culpa succedente, quasi in foveam injecta, & tumulata est, & duritiæ lapidem pravis suggestionibus mihi Dæmones imposuerunt.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

C Venatorum artes. PErgit Vates Sanctus animam dolentem inducere: & videtur venatorum metaphora uti. Nam ut de venatoribus aliquid promamus, quemadmodum de aucupibus protulimus: solent illi foveas præaltas, simulato virente solo, puta perticis transversis leviter suffulto, contegere, ut fera, quam capere nituntur, illac fortasse pererrans inopina mergatur: quale quiddam de elephantis venatione scriptores nonnulli tradiderunt. In hunc ergo modum occasiones peccandi tanquam virentibus herbis obtegere Dæmones assuescunt, ut nihil ibi periculi latere videatur. Sic anima nihil ibi vetitum deprehendens, eò fertur, & incauta exorbetur, ut verba illa significant, *Lapsa est in lacum vita mea*. Quod verò additur, *Et posuerunt lapidem super me*, difficultatem resurgendi à culpa summam ostendit. Dæmones quippe animam primùm capere, mox captam

Dæmonum versutiæ comparatæ.

D suggestionibus, & desperationis impulsibus obdurare, quod est lapidem imponere, adnituntur. Aptissima profectò translatio est: quid enim infelix homo ageret, qui in altissimum puteum lapsus, os putei prægrandi lapide obstrui animadverteret? Quem interpellaret? Lux

Similitudo.

eò non penetrat, voces foras non erumpunt: quid remedii supereſt? Porrò, quod Lazaro in sepulchrum condito, & lapide operto superfuit, hoc est, una Dei Clementia. *Jo.* 11.

SADE.

E ℣. 54. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi, perii.

HISTORICE.

Hei mihi populo Israelitico ad montium vertices elato, qui exundatione Chaldaica obrutus sum, dixique, jam de me actum est.

ALLEGORICE.

Omnes pœnarum fluctus, Pater æterne, induxisti super me. Tandem cruci affixus, & absorptus dixi: Consumatum est. Et me in hoc genere corpus Ecclesiæ meæ imitatum est.

F

TROPOLOGICE.

Impetus malorum culpam comitantium instar aquarum tumentium operuit me, dixique: Ego certè interii.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ALia & sanè pulchra similitudine animæ ruinam Vates exprimit. Evenire videlicet solet non modò singulari homini, sed oppidis quoque integris in devexo loco ad fluminum ripas extructis, ut alluvione subitanea obruantur, & nihil aliud, quam voces perturbatorum animorum indices, audiatur: cujusmodi sunt, Væ, Hei, perii, aliæque persimiles mortem sævientem comitantes. Sic ergo de se anima fatetur: *Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi, perii*. Multi enim graves tentationum acerrimarum imbres incumbunt, multæ Dæmonum cohortes irrumpunt, multi passionum ferocientium motus exultant: quibus omnibus anima vehementer affligitur, & aquarum illarum fluctus sublimes, tumentes, capitique imminentes intuita lamentatur, *perii*, absorpta sum. LXX. sic vertunt, *Supereffusa est aqua super caput meum*; quo sermonis genere aquam non fortuitò excrescentem, sed à consilio immissam ostendunt: quod ad sensum arcanum apprimè conducit. Culpam nimirum permissu, pœnam decreto Dei accidisse fatendum est. Videtur certè anima, quæ hic à Propheta describitur, legere *mare magnum, & spatiosum manibus*; postquam enim a gratiæ firmitate, velut à firmo littore solvens se mari vastissimo dissolutam credidit, nihil constans, nihil solidum assequitur. Congruit illud altiore sensu;

Alluvionum pericula, & perturbatio.

LXX. Interpp.

Pſ. 103. 25.

G

H

Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.

Ovid. lib. 2 Amor. Eleg. 11.

Navi-

Scripta An. 1607.

Navita sollicitus jam ventos horret iniquos
Et propè tam lethum, quam propè cernit aquam,

Verùm animæ procella major est, quam quæ à Poëtis repræsentari, queat.

A

COPH.

℣. 55. Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.

HISTORICÈ.

Quod supererat, ego populus captivus ex ultimis Babyloniæ finibus te, summe Deus, liberatorem imploravi.

ALLEGORICÈ.

E limbo invocavi te Pater æterne.

B

TROPOLOGICÈ.

In culpæ profunditatem delapsa ego anima, te Deum, qui solus poteras opem ferre, deprecata sum

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

SUprema pericula stupidam quoque animam ad resipiscentiam permovent. Patet enim desperatis rebus ab uno Deo potentissimo posse afferri salutem. Et quidem divina sapientia, dum animam in postrema discrimina decurrere sinit, per occultos quasi meatus id efficit, ut ei summus honor, & cultus asseratur. Egregium quippe divinæ Majestatis encomium est, ut cùm creatæ vires rei difficultati manifestè concedunt, potentia divina illustri notitia cognoscatur, & encomio summo laudetur. Propterea Jonam, quem præservare poterat, à bellua immani absorberi, Saramque in Pharaonis aulam induci passus est: ut ille corpore incolumi, hæc illæso pudore, multis elogiis divinam potentiam prædicarent. Hinc posteritas edisci Numen invocare, nec auxilia debilia requirere, quod omnibus graviter afflictis apud omnes nationes commune fuisse videtur, ut patet ex illo:

C

Jon. 2.
Exod. 2.

Dii precor, atque adeò (neque enim mihi turba roganda est)
Cæsar ades voto maxime dive meo.

Ovid. lib. 3. de trist. Eleg. 1.

Æquiore tamen jure anima veri Dei conscia in profunditatem culpæ demersa, se Deum orasse profitetur. *Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.* Ac si patentiùs diceret: cùm exploratum mihi foret, ex abysso illa ab alio me non posse liberari, te summe Deus, quàm potui ardenter, deprecata sum.

D

COPH.

℣. 56. Vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamoribus.

HISTORICÈ.

E

Exaudire me in aliis calamitatibus, ut in Ægypto, ac in deserto consuevisti: ne, precor, in Babylonica servitute me clamantem derelinquas.

ALLEGORICÈ.

Exauditus à te sum (ait Christus) ut resurgam: ne precor mystici corporis mei precibus aures obtures.

TROPOLOGICÈ.

Experimento didici ego anima in peccatum sæpè relapsa, numquam te meam orationem respuisse: impensè oro, ne modò gementem repellas.

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NIhil est, quod æquè animum erigat, & ad sperandum constabiliat, ac divinæ miserationis anteactum experimentum. Hinc anima desperationis motibus, qui vehementer insultant, & repetitæ veniæ abusum objectat, validè repugnat. Quod enim ad ingenium divinum spectat, non ita cum eo, atque cum mortalibus principibus agendum est. Clementia quippe mortalium si repetatur, sibi quodammodo fores occludit, quod ex humanæ conditionis angustia proficiscitur. Subeunt tædia, subeunt damna, quibus animi Principum arctantur, ne semper, aut sæpè liberaliter agant. Verùm dulcissimus Deus, cui tædia, damnave contingere nequeunt, tantùm abest, ut repetita misericordia exasperetur, ut potiùs inde incredibili amore dulcescat, & liberaliùs dona sua profundat. Quin etiam ægerrimè fert, sibi ullum veniæ modum, numerumve præfigi; quod satis luculenter Petro significavit, modum, numerumque per illa verba: *Septuagies septies*, immensis benefaciendi desideriis excludens. Hanc ergo sapientiam se didicisse anima notat ajens: *Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam à singultu meo*; ac si planiùs in hunc modum effaretur: Novi certè, mitissime Deus, suavissimum cor tuum, quod ad benefaciendum nativa sua bonitate mollitur: crebrò dignationem tuam experta sum, unde firmiùs sperare didici: ne igitur præter morem nunc me in suprema calamitate suspirantem reiicias.

G

Matt. 18. 22.

H

COPH

℣. 57. Appropinquasti in die,

Scripta An. 1607.

quando invocavi te: Dixisti: Ne timeas.

HISTORICE.

A *Licèt in multis discriminibus à me populo tuo abscessisse videreris, mox tamen ac te orare quovis tempore cæpi, mihi adesse, ac ne timerem, hortari visus es.*

ALLEGORICE.

Die orationi horti destinata, cùm me unigenitum tuum neci proximum quasi dereliquisse videreris; ad clamorem tamen validum meum, Angelo misso, auxiliaturus accessisti, ac bono animo esse jussisti: quod Ecclesiæ meæ à te quoque Pater præstitum esse scio.

TROPOLOGICE.

B *Recordor ego temporis anteacti, cùm mihi similiter afflictæ propinquior fieri visus es, ac spei verba leniter inspirasti.*

EXPENSIO TROPOROGIÆ.

PRosequitur quod cœperat Propheta: per hæc enim verba misericordiam Dei peculiariùs commemorat, ut inde ad postulandum fiat alacrior, *Appropinquasti in die, quando invocàvi te: dixisti: Ne timeas*: hoc est, videbaris, mitissime Deus, à me recessisse, & statim ac invocavi te, accurristi, ac benè sperare jussisti, Eleganter profectò divinos mores Propheta depingit. Non appropinquat, nisi qui aberat: Deus autem, qui ubique adest, abesse videtur, cùm minimè favet & solatur: Verùm mox ac oratione pulsatur, accedit, ac roborat. Hinc à Vate Regio epitheto dulcissimo appellatus est, *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione*. Et Salomon illum sub notis hieroglyphicis, dorcadis, ac hinnuli, in Cantico suavissimè describit: quia ut dorcas visu pollet, ac ærumnas longè prospicit, ut hinnulus perniciissimè ad opitulandum advolat. Ex hoc Anima struit argumentum: *Si appropinquasti in die, quando invocavi te: ergo & modò, cum te impensiùs invoco, appropinquabis*: longissimè quippe ab ingenio tuo abfuerunt illi, qui malè argumenta ducebant, ajentes: *Percussit petram & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Nunquid & panem poterit dare?* Dicendum erat: Ergo panem non modò poterit dare, sed dabit. Argumentum, quod Anima substruit, à misericordia ducitur, ac propterea in arcano sermone firmum est.

Psalm. 9. 10. C

Cant. 2.

Animæ argumentum.

Ps. 77. 20.

D

RES.

℣. 58. Judicasti Domine causam Animæ meæ, Redemptor vitæ meæ?

HISTORICE.

Benè memini ego populus Hebræus, in antiquis bellorum congressibus, te, mi Redemptor, certaminis spectatorem, pro me adversus Ægyptios, & Chananæos, aliosque populos tulisse sententiam. E

ALLEGORICE.

In vitæ meæ inculpatissimæ processu sæpè, Pater, ac Redemptor, adversùs Principes, ac Pharisæos causam meam probasti, ac victoriæ auctor fuisti.

TROPOLOGICE.

Propugnasti non semel causam meam, Jesu Christe Redemptor æternæ vitæ meæ, quæ sine te perierat.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ. F

IDem, quod proximè proposuit argumentum alio dicendi genere repetit. *Judicasti Domine causam Animæ meæ, Redemptor vitæ meæ*: Hoc est: non in conflictibus tantùm, sed in aliis multis ærumnis propitiè judicasti causam meam, & ab illis, qui actores nimiùm infesti erant, me redemisti: nunc ergo opus, quod clementiæ tuæ nativum est, ne prætermittas: Magnum profectò momentum habent verba illa, *Redemptor vitæ meæ*. Hoc quippe munus, officiumve adeo Jesu Christi Redemptoris nostri porprium est, ut illud neque oblivisci, neque languidè præstare possit. Nam præter eam divinæ bonitatis suæ propensionem, ex qua licèt Incarnationis opus minimè patrasset, Redemptor appellari posset, ejusque muneris partes perfectiùs, quàm dici queat, expleret, novo spei fomento naturam nostram eò assumpsit, ut redemptionis opus copiosiùs, quàm homines optare possent, absolveret: quod ad spem veniæ quantumvis enormium criminum concipiendam plurimùm valet. Voces autem illæ duæ, *Judicasti*, & *Redemptor*, mirum concentum reddunt: si enim ipsemet Redemptor est Judex, vel ordine inverso, ipsemet Judex est Redemptor, quis non videat, reum hominem in ipsomet Judice singulare habere patrocinium, singulare spei firmamentum? Veritatem hanc penitissimo sensu Job expendisse videtur, per illa verba: *Peccavi: quid faciam tibi ô custos hominum?* Peccator reus est ad custodem suum pro tribunali sedentem delatus: Certè si Judex hominis custos est, firmiter homo sperare valebit.

Redemptor Christus Dominus

Christus Redemptor, ac Judex.

Job. 7. 20.

G

RES.

℣. 59. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversùm me, judica judicium meum. H

Hi-

Scripta An. 1607.

A

HISTORICE.

Facilè profectò perspexisti, Deus, quàm immaniter me populum tuum Chaldæi debellaverint: fer sententiam pro me.

ALLEGORICE.

Non te latet, Pater mi, Judaica perfidia nomini Christiano à me orto infestissima; clarifica filium tuum.

TROPOLOGICE.

Exploratum est tibi, Clementissime Deus, quàm crudeliter me Dæmones animam à te redemptam invadant: tuere me.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

B ANima hîc palàm suam defensionem, sive patrocinium exposcit. Ratio verò, quam profert, iniquitas dæmonum est. Sive enim sæviissimi hostes animam ad peccatum extimulantes, sive pro culpa torquentes cogitentur, injustè proculdubiò agunt, tametsi anima justè patiatur. Ea est enim animorum illorum perversitas, ut dum animam circumsistunt, vel excruciant, nihil aliud, quàm Dei similitudinem abolere moliantur: quicquid enim attentant erga Animam, præsertim quam Deo cordi esse conspiciunt, non tam ipsius animæ interitum (licèt is quoque placeat) quàm Dei injuriam exquirunt. Ex hoc Anima quantumvis peccaverit, justam querimoniarum causam adepta, dæmones ad judicium postulat, ut ab iniqua vexatione redimatur, & Dei gloria vindicetur. Nullam igitur excusationem sceleris admissi producit: sed scelus, quod ejus hostes, ultione nefariè abutentes, committunt, argutè profert, ut ex eo ad veniam impetrandam sibi gradum faciat. Vexatio nimirum acuit intellectum, & ad rationes inveniendas, disponendas, & exornandas mirificè confert. *Vidisti* (ait) *Domine iniquitatem illorum adversum me*. Imaginem scilicet tuam, cui dæmones propterea crudeliter adversantur: *Judica judicium meum*, id est, circumspice omnia æquissime Judex, & quemadmodum me ob culpam cædis, ita ob iniquitatem hostium defende.

Dæmonum astutia, ac animi perversitas in tentando.

C Proverbium

RES.

℣. 60. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.

D HISTORICE.

Feritas Chaldæorum, & cogitationes iniquæ in me tibi Deus perspectæ sunt.

ALLEGORICE.

Satis consideràsti Pater Judaicam rabiem, & conjurationem in me.

TROPOLOGICE.

Furor Dæmonum, & conatus ad necendum mihi, te, Deus, minimè fugit.

E

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRoximè dixit Anima: *Judica judicium meum*, quod expetivit, ut ab hostibus liberaretur. Nunc rationes alias afferre pergit, ob quas deceat eam in libertatem asseri. Duas autem hoc in textu notat, alteramque a furore, alteram à secretis cogitationibus ducit. Et quidem, quod ad furorem attinet, immodicus certè, ac præceps est, & significatum nominis explet. Nisi enim Scriptura Sacra, & Patres rabiem, qua dæmones in Animam agitantur, insultus, pressuras, insaniamque descripsissent, incredibilis profectò tanta immanitas foret. Cujus pars aliqua divino consilio in Energumenis repræsentatur, ut ex corporibus tam dirè vexatis ad animæ torturas utcumque animus assurgat. Verùm ratio secunda, quam profert anima per illa verba, *Universas cogitationes eorum*, appositissima est: valet quippe tantundem, ac si diceret: Furorem certè tartareum, clementissime Deus, probè nosti: sed & ego à tormentis, quæ patior, ex parte dignosco: at cogitationes illas malitia, doloque immenso gravidas, quas ego introspicere nequeo, tu solus perspectas habes: ac proindè, quàm sit æquum, capitales inimicos salutis meæ à te Salvatore plecti, judices velim. Profectò multò graviora cogitant, quàm efficiunt: pejùs desævirent, si valerent.

F Energumenorum vexatio, vexationis internæ figura.

SIN.

℣. 61. Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. G

HISTORICE.

Rectè nosti Babylonici exercitus blasphemias, & cogitatus perdendi me.

ALLEGORICE.

Pater quàm obstinatè mihi Hebræi improperent, & indignè de me sentiant, apertè cognovisti.

TROPOLOGICE.

Audisti Deus, quàm contumeliosè mihi dæmones tuam redemptionem exprobrent, ac de me in tartarum pertrahenda cogitent. H

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

DOlor eadem sæpè resumit: Nunc dixit, *Vidisti universas cogitationes eorum adver-*

Scripta An. 1607.

versum me, quas malitia prægnantes interpretati sumus. Hîc illa verba, *Opprobrium eorum Domine*, explananda occurrunt. *Opprobrium* allegat, quod scilicet ipsi Dæmones animæ inferunt. Obloquuntur enim, & insultant, in Deumque captæ Animæ causa, horribiles blasphemias jactant. Impetus enim

A ille, quo feruntur in Deum, quàm potest, se in animam vehementer effundit: at cùm sitis illa nocendi, Deoque adversandi expleri non possit, occasione illa nocendi magis irritatur. Cùm verò Deo vim afferre nequeat, verba saltem impudentissima evomit; quæ animus audire horret. Hic verò modus loquendi annotandus est: in proximo quippe textu dixit: *Vidisti universas cogitationes*, quæ duo minimè cohærere videntur. At enim mirificè consentiunt: cogitationes enim dæmonum, verba mentis sunt: vix formata videntur, sive cernuntur à Deo, profunditatem spirituum scrutante: eademque eleganter audiri dicuntur, cùm verba sint, per quæ spiritus illi sua sensa producunt, ac loquuntur: præterquàm quòd oculi auresque Dei

B res una simplicissima est, qua, quicquid sensibus nostris hauritur, percipit. In sensu historico cogitationes non rectè audiri dicerentur, nisi Chaldæorum, quemadmodum & aliorum hominum cogitationes quantumvis abditæ, quod ad Deum spectat, æquè ac verba, clamorve paterent. Verùm quod ad instructionem animæ plurimum conducit, ex hoc textu ingens divinæ justitiæ timor peccatoribus, ingens spei, ac solatii fomentum insontibus hauritur. Pingitur quippe Deus tanquam Judex æquissimus, qui audit non modò verba in judicium postulata, sed cogitationes, ut scilicet plectat malè cogitantes, quamvis in actum minimè prorumperint, & propitietur innoxiis, ex hoc ipso capite, quòd cogitationes injustæ eis adversentur.

Animadversio.

C

SIN.

℣. 62. Labia insurgentium mihi: & meditationes eorum adversùm me tota die.

HISTORICE.

Nosti, Deus, Chaldæos mihi obloquentes, & necem meam jugiter meditantes.

ALLEGORICE.

D Calles profectò, Pater, Judæorum animos, oraque mihi adversantia, sanè ad obscurandam veritatem meam dies totos exercentur.

TROPOLOGICE.

Benè est, clementissime Deus, verba, quibus se Dæmones jactant, & cogitationes in me perenniter atroces ipse pernoscas.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

TExtus hic nova expensione non eget, cùm sensum eundem cum proximo jam expositò reddat. *Labia insurgentium* verba E figuratè notant: *Meditationes* idem quod cogitationes indicant. Hîc hostes insurgentes, quod ad prælia spectat; meditantes, quod ad nocendi libidinen attinet, pinguntur. Duo tamen hîc annotanda sunt: unum, quod ad repetitionem vocum illarum, *Adversùm me* attinet: quater quippe in his quatuor textibus voces illas resumpsit, ut oppugnationem sævissimam notet. Alterum notatu dignum, voces illæ sunt *tota die*, quasi dæmones nihil aliud cogitent, vel profiteantur, quàm nocendi artem qua dies ac noctes exercentur. Quod planè verissimum est: perenni enim studio animam perdendi flagrant, & modos, technas, timores, gaudia, & quicquid ad nocendum conferre potest, jugiter meditantur.

Duplex Animadversio

F

SIN.

℣. 63. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.

HISTORICE.

Expende summe Deus Chaldaici exercitus insidias, quomodo invadat, resideat, ad prælium resurgat. Ego certè populus tuus in ejus jocum infœliciter cessi.

ALLEGORICE.

Vide, Pater, quousque populus Judaicus G in me unigenitum tuum malè affectus fuerit: sive enim sedeat, sive surgat, sive aliud agat, me semper irridet.

TROPOLOGICE.

Sessio Dæmonum ad consilia, & conspiratio ad prælia tibi Deus improbetur. Ego anima à te redempta, & ab eis capta perpetim derideor.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ET hic textus nihil interpretamenti requirit: Nam verba illa: *Ego sum psalmus eorum*, superiùs explanavimus; illa verò: *Sessionem & resurrectionem*, nihil nisi modos humanis similes adumbrant. Quemadmodum enim juxta disciplinam militarem ineuntur consilia, & ad consultandum sedetur: deinde ad invadendum surgitur: sic hostes tartarei modò inter se conferunt, & quasi sessiones habent: modò ad mala consilia exequenda, quasi efferati leones exur-

H Comparatio

gunt

Scripta An. 1607.

gunt, vel exiliunt. Multifariam quippe Propheta Dæmonum rabiem describere studuit. Potest quoque sessio hæc Dæmonum de anima perdenda consultantium, Ecclesiasticis Synodorum sessionibus, ubi de animarum salute agitur, opponi; omninò quippe certum est conciliabula à generis humani hostibus, & ab Ecclesia malignantium haberi, ut cum salutis humanæ promotoribus aperto bello concertent. Sessiones nimirum celebrant per se ipsos, ac per homines sceleratos administros suos, quibus Propheta Regius se minimè interfuturum statuit, sicut scriptum est: *Odivi Ecclesiam malignantium,* *Ps. 25. 5.* *& cum impiis non sedebo.*

A

THAV.

℣. 64. Reddes eis vicem Domine, juxta opera manuum suarum.

B

Historice.

Justus cùm sis, Deus, insolentibus victoria Chaldæis vicem adversam rependes, ut & ipsi vincantur. Hic sanè operum tuorum mirus ordo est.

Allegorice.

Judæos tàm in me obduratos, Pater, pro culpæ modo severè punies. Justitiæ quippe opera decent te.

Tropologice.

Sæviunt in me Dæmones, at verò te, Deus, judicante, plectentur: nam injustos oppressores punire consuevisti.

C

Expensio Tropologiæ.

TExtus hic quemadmodum & duo proximi explanationem non requirit. Patet quippe Dæmones juxta malitiam pœnas daturos, quicquid modò delirent, & prædis hominum glorientur. Etenim quò plures ceperint, pluribus nocuerint, eò acriores cruciatus sempiterno carcere ferent. Vim habet modus ille dicendi, *Juxta opera manuum suarum*; hoc est, ad mensuram pœnæ, quam propriis manibus operati sunt. Exploratum est enim & dæmones, & homines flagitiosos dum peccant, propriis laboribus & quasi manibus suis vindictæ dolores sibi conflare: quod sapienter admodum Eliphaz Themanites expressit in hæc verba: *Quin potiùs* *Job. 4. 8. 9.* *vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse.* Etenim tantundem est operari iniquitatem, ac seminare dolores: tunc autem dæmon, & scelesti homines metunt eos, cùm Deus eis vicem reddit, ut à Jeremia hoc textu prædicitur.

Peccatores sibi vindictam parant.

D

THAV.

℣. 65. Dabis eis scutum cordis laborem tuum.

Historice.

Obduci fines callum cordibus Chaldæorum, ut obdurati more Pharaonis occumbant.

E

Allegorice.

Hebræos, qui mihi semper insultant, exceptis reliquiis, Pater, perfidia sua obstinatos relinques: qui est horribilis sanè labor à te permissus.

Tropologicè.

Æquissime Deus, pro damnis, quæ mihi intulerunt dæmones, scuto cordis, hoc est, obstinationis callo sempiterno obduratos (quæ ultio tua est) jure relinques.

F

Expensio Tropologiæ.

PRospiciens anima infœliciſſimam dæmonum à quibus torquetur, sortem, quodammodo se ipsam solatur. Ait ergo: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*: quo sermonis genere ab humana eloquentia remotissimo supremam damnatorum calamitatem notat, obstinationem scilicet, quæ satis eleganter scutum, callusve cordis appellatur. Est ad rem dæmonis admiranda descriptio, quam Deus apud Job protulit, sic inter alia dicens: *Corpus illius, quasi scuta fusilia,* *Job 41. 6. 7.* *compactum squamis se prementibus. Una uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas*: quibus sanè translationibus obduratum Dæmonis cor graphicè depinxit: quæ miserrima hostis illius conditio est? Illud ergo, quod anima refert: *Dabis eis scutum cordis* perinde est, ac si diceret: sæviant in me tartarei hostes, & quicquid permittitur, attentent: peior quippe illorum, quàm mea sors est. Ego non obdurui: patior quæ mihi magno sunt emolumento, dum ex iis resipiscere disco. At non sic propitiaberis eis, summe Deus, sines eos obdurescere, ac æternæ obstinationis callo corda illa fera obsepiri. Hic postremus labor tuus, hoc est, à te æquissimo Judice permissus, ut inimici mei mihi æternæ mercedis occasionem temporali vexatione præbeant, obstinatis verò cordibus suis duriores callos obducant. Possunt etiam verba illa: *Callum cordis eorum*, aliter explanari cum Hebræo, qui habet, *Tegumentum cordis*, quo significat fore, ut mala consilia, quæ corde celant, Deus reprimat, tegat, vel claudat, ne in opus proferantur: quod fiet Deo tegumentum, sive operimentum, sive claustrum cordibus illis imponente, ne licenter ad nocendum erumpant: Pro verbis vulgatæ *Laborem tuum*, Hebræus habet, *Imprecationem tuam*; hoc est, maledictionem tuam, quæ cu-

Scuti significatio.

Altera explicatio ex textu Hebraico.

G

H

Textus Hebraicus

Scripta cuiusmodi sit, è proximis ac ultimis hujus
An. 1607. capitis verbis eluceſcit.

THAV.

A ℣. 66. Perſequeris in furore, & conteres eos ſub cœlis Domine.

HISTORICE.

Non ſemper Babylonicam ſuperbiam feres Deus, ſed nationem protervam è faſtu ſuo potentiſſimus inſecutor ac debellator exturbabis.

ALLEGORICE

Judæos mihi infeſtos, Pater, gentem ſcilicet ingratam perſequeris, ac è terrarum orbe illorum perfidiam profligabis.

TROPOLOGICE.

B *Dæmones aerem hunc obſidentes, meque ferociter impugnantes, Deus, in tartarum denique detrudes.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

IMprecatio, ſive maledictio Dei, qua dæmones animam vexantes abiget, qualis ſit, ex his verbis oſtenditur, *Perſequeris in furore, & conteres eos ſub cœlis Domine*; ac ſi apertiùs anima diceret: Modò illi ad nocendum terra marique vagantur, & omne genus hominum perdere annituntur: at eos ultrix ira manet: decreta enim univerſalis Judicii die, tu Rex potentiſſime, perſequeris, & capies illos, & in lacum tartareum ex hoc cœlo aereo, ubi, tanquam volucres rapaces, licenter circumvolant, ad homines
C impugnandos anathemate ſempiterno, & horrenda maledictione protrudes. LXX. ſic
LXX. Interpp. vertunt, *Abſumes eos de ſub cœlo Domine*; ac ſi Deus, velut ignis vorax eos conſumpturus ſit. Hic eſt acrium impugnationum exitus: quo nihil mœſtius excogitari poteſt.

Dæmonum in extremo judicio condemnatio.

CAPUT IV.

ALEPH.

D ℣. 1. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium plateārum?

HISTORICE.

Vehementer miror ego Jeremias, quomodo templum auri puriſſimi laminis tectum, cui præſidebat Deus; tanquam locus infamis irreverenter à Chaldæis tractatum, colorque ille aſpectui gratiſſimus obnubilatus, & lapides pretioſiſſimi, quibus ſancta ſanctorum conſtructa erant, in plateas proiecti, ac profanè calcati ſint?

ALLEGORICE. E

Extabeſco, dum cogito: qua ratione Eccleſia olim auro obrizo, ſanctitate ſimillima, culparum caligine ſit obducta: ſplendor ille virtutis externè ſe prodens evanuerit: Et viri, qui Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſacrarium, ceu lapides vivi componebant, profano more per compita, ad negotia ſæcularia divagati ſint?

TROPOLOGICE.

Qui factum eſt, ut ſyncerum divinæ charitatis auram peccato admiſſo obtenebratum, exemplum vitæ in offenſionem, virtutes, quibus Deus Animam quaſi ſacrarium ſuum exornaverat, in multiplices, latæ viæ affectus verſæ ſint? F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

IN arcano ſermone divina charitas, quæ princeps, ac domina virtutum eſt, auro, quod eſt metallorum pretioſiſſimum, aptè ſignificatur: ut patet ex *reclinatorio aureo* ferculi Salomonis in Cantico artificioſè deſcripti. Ubi, quod Chriſto, in Animæ ornatu, quietem conciliat, ut quaſi ſponſus in thalamo quieſcat, *Reclinatorium aureum appellatur*, ad charitatem ſcilicet exprimendam, ſine qua cæteræ virtutes omnes locum tanto Rege dignum non ſatis inſtruerent. Ratio verò ſignificati à pretio, à ſplendore, & à reliquis auri proprietatibus totidem alias nobiliſſimæ charitatis dotes repræſentantibus, petenda eſt. Profectò tam eximia hujus auri dignitas, & abſoluta pulchritudo eſt, ut Animam totam prorſus auream, & cœleſti ſtatu ſublimem efficiat. Omnes quippe actus, aliàs natura humiles, in amoris divini conſortium erigit; merito ſplendore, & divino decore afficit, fœlicitati finitimos reddit: quod (re Theologicè perpenſa) & planum & admirandum eſt. Tota igitur anima tanquam vivum Dei templum auro intrinſecùs tectum concipienda eſt, ita ut ſub auri nomine non modò charitas, ſed anima quoque ipſa arcanè inteligatur. Et tunc admiratio proferenda: *Quomodo obſcuratum eſt aurum?* ac ſi Propheta diceret: Num evenire potuit, ut Anima tota prorſus aurea culpæ caligine obſcuraretur? Num aurum in terram verti potuit, ut Anima, quæ nihil niſi divinum affectabat, conſilio mutato terrena bona requireret? Ex hoc ſanè lugubri eventu; *Mutatus eſt color optimus*, hoc eſt, exemplum vitæ, quod ab auro illo genitum mirificè ſplendebat, & oculos animosque intuentium illuſtrabat, æterniſque deſideriis incendebat. Luctuoſa

Cant. 3. 10.

Auri arcana ſignificatio

G

Altera auri ſignificatio.

H

mu-

Scripta An. 1607.

mutatio est: nihil enim pejùs nocet, quàm Anima, quæ depositò rerum divinarum studio, quo cæteros ad pietatem alliciebat, se curis sæcularibus immergit. Turpiter ipsa deformatur, & aliis animos addit ad pietatem deserendam, vel sinistrè interpretandam. Hebræus pro verbis illis: *mutatus est color optimus*, primi versus sententiam alio dicendi modo ad energiam repetens, reddit; quomodo mutabitur massa auri bona? quasi diceret: Quomodo fieri potest, ut metallum genere syncerum adulteretur? Etenim impossibile videtur; Charitatis quippe aurum probatissimum est: Charitas divortii, vel adulterii nescia est: & tamen passim hæc massa, hoc est, anima massæ possessu dives mutatur. LXX. reddunt, *Quomodo mutabitur argentum bonum?* τὸ ἀργύριον τὸ ἀγαθὸν; quod ad eundem modum exponendum est, excepto argenti nomine, quod virtutibus infusis, secundam post charitatem nobilitatem habentibus, & nobilitati argenti, quæ ad aurum proximè accedit, apta proportione respondentibus, debet attribui. Ex hac ergò auri, argentique mystici mutatione, *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, lapides sanctuarii*, & virtutes reliquæ structuram mysticam cum charitate componentes (ut in paraphrasi dictum est) & Animæ partes seu potentiæ, in quibus eæ virtutes sedent, appellari possunt. Nunc verò potentiæ Animæ quamdiu virtutibus instructæ sunt, ædificium arcanum, ut lapides vivi miro modo componunt: mox autem ac virtutes amittunt, tanquàm profani lapides in medias plateas dispersi in terram proiiciuntur, & funestam templi vivi destructionem ostentant.

Textus Hebraicus.

LXX. Interpp.

Argenti arcana significatio.

A

B

BETH

C ℣. 2. Filii Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?

HISTORICE.

Quomodo Cives Jerusalem, nobilitate insignes, aureis texturis ornati, nunc à Babylonicis militibus quasi vasa fictilia despecti, & terræ illiti sunt?

ALLEGORICE.

Ecclesiæ filii sanè nobiles, & vestibus sacris auro textis ad sacras functiones induti, quo pacto despectui habentur, ac si luti

D figmenta forent?

TROPOLOGICE.

Obstupesco, qua ratione Anima militantis Ecclesiæ filia, Christi charactere in Baptismo insignita, & aurea: vereque nuptiali divinæ gratiæ veste amicta, culpæ ictu quasi vas fictile fracta fuerit?

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MOs regum ingenio liberalium est, pueros, puellasque ingenuas pretiosis vestibus ad urbis splendorem ornare, quod & infelix Saul observare solebat ut nuntiata ejus morte, David in hunc modum dulcissimè commemoravit: *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitiis: qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Jam verò hoc humanitatis, ac liberalitatis genus Christum Regem immortalem potiùs quàm reges mortales decet; proindeque Animam, non modò tanquam Urbis sanctæ civem, verùm sicut sponsam in delitiis habitam, pretiosissimis vestibus, hoc est, virtutibus exornat: quæ in arcano sermone purpuræ, byssi, hyacinthi, & aliarum telarum nominibus multifariam significari solent. Et profectò, ut cæteras sileamus, *auri primi*, hoc est, purissimi, ac syncerissimi vestem, quæ charitas divina est, qua regis filia, Christique sponsa gloriosè ornata incedit, meminisse decet. Etenim veste hac planè regia filia Sion inclyta, hoc est, Anima Deo grata illustris, ac sublimis tegebatur: & tanta ei venustas ex ea dignitate, incessu gravi, motuque majestatis pleno accedebat, ut Dei oculos oblectaret, animum demulceret: *Quomodo ergo reputata est in vas testeum opus manuum figuli?* Inter vasa omnia, ea quæ vulgò è terra, argillave finguntur, postremum locum obtinent: & nullo negotio tanquam vilia tertæ illiduntur, aut calcibus, aliisve ictibus perfringuntur. Ad hunc sanè modum, subrepente peccandi libidine, accedenteque dæmonis suggestione, pretiosissimum Dei sacrarium eliditur, & conteritur. Pro verbis illis: *Filii Sion inclyti amicti auro primo*, LXX. vertunt: *Filii Sion inclyti elevati in auro* ἐπηρμένοι ἐν χρυσίῳ. Verè quippe Anima elevata in auro illo charitatis, cœlo proximo erat, & ex illa sublimitate, rapidissimo casu, non modò in terram, sed in tartarum deturbata perrumpitur. Imitatur incensorem culpæ *Satanam quasi, fulgur de cœlo cadentem.* Illa verò antithesis; *elevati in auro, & reputati in vasa testea*, vim habet insignem ad statum gratiæ excelsissimum, & infimam culpæ vilitatem significandam. Possunt explanari secundò verba hujus textus ex Apostolo ajente: *Habemus thesaurum*, hoc est gratiam, *in vasis fictilibus*, hoc est, corporibus terreis: ut sensus sit: Quomodo filii Dei sanè inclyti, & aurea divinæ gratiæ veste amicti, æstimati sunt in vasa testea, quasi sola corpora, non Animas immortales cœlesti gratia decoratas habuissent? Hæc enim æstimatio propria peccatorum est, qui terrena bona, & se totos ex eo, quod in ipsis terrenum est, tantummodo censent.

E

2. Reg. 1. 24.

Christus animam pretiosis vestibus exornat.

F

LXX. Interpp.

G

Altera textus explicatio.

Comparatio

2. Cor. 4. 7.

H

Scripta An. 1607.

GHIMEL.

℣. 3. Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.

A

Historice.

Quid dicam? tanta quippe vastitatis calamitas Urbem sanctam afflixit, ut fame urgente crudeliores Draconibus mulieres evaserint. Dracenæ videlicet partus suos alunt: mulieres verò Jerosolymitanæ cibum, si quem nactæ essent, propriis filiis fame pereuntibus celarunt; similes profectò struthionibus ova sua in desertis locis neglecta relinquentibus: ubi & diripi, & proteri, & aliis quoque modis perire queant.

Allegorice.

B Feræ quantumvis immanes catulos suos lactant: & Ecclesiæ Pastores struthionibus persimiles populos Apostolico divini verbi lacte, & Sacramentorum pastu non alunt.

Tropologice.

Ex quo Anima peccavit, venenatis serpentibus efferatior effecta est. Nam cùm animantes illæ prolem suam enutriant: hæc suos catulos, hoc est, sensus, cælesti nutrimento privavit, & struthii more, neci sempiternæ expositos dereliquit.

Expensio Tropologiæ.

Varia de Lamiis fabulosa commenta.

C DE lamiis multa fabulosa dicuntur. A nonnullis striges: ab aliis lemures, ab aliis larvæ, ab aliis empusæ (quæ omnia poetica commenta sunt) appellantur. Incertum est cujusmodi animal sit. Lamiæ ab Hebræo, & LXX. Interpretibus dracones, à Symmacho Syrenes appellantur. Certum est, crudele aliquod animantis genus à Propheta eo nomine significatum. Atque ita sensus est, incredibilem esse Animæ crudelitatem, quæ *catulos* (hoc est) sensus suos vitali pastu privet; cùm animalia quantumvis fera, & venenata id officium suis partubus præstent. Quod profectò verissimum est. Nam licèt Anima, quæ à Deo recessit, belluarum pabulo sensus suos ubique tentet explere, verè tamen affectum maternum erga illos non gerit, cùm Dei mensa illos abdicet, & non cibo alat, sed veneno, quod porrigit, interimat. Porrò Syrenum figmentum ad rem est. Illæ quippe cantu nautas allicere, vorareque finguntur, quasi dulcedine cantus & sibi, & fœtibus suis pastum acquirant: tanquam & illæ minùs feræ, ac immanes, quàm Anima, sint, quòd in alios crudeles, in prolem miseri-

Textus Hebraicus. LXX. Interpp. ac Symmachus.

D Syrenum proprietas.

cordes fiant: Anima verò in alios fortasse misericors, in seipsam, sensusque suos truculenta sit. Quòd verò additur: *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*, planius est: nam animal hoc ova in desertorum arena mira crudelitate, ac stupiditate relinquit: ubi temerè à quovis sive homine, sive animali surripi, conterique possint. Sic anima quæ à Deo defecit, sensus proprios, quasi alieni forent, sine ulla custodia ubique ad peccandi occasionem exponit: unde turpissimè corrumpuntur, & à quovis fure, per latos licentiæ campos, effrænes abducuntur. Odit sanè Anima sensus suos, quos in sæculi deserto, ubi rarissima est charitatis habitatio, perire sinit. Verum est quippe oraculum illud: *Qui diligit iniquitatem, odit* (non modò sensus) sed *Animam suam.* *Psalm. 10. 6.*

Struthionis proprietas. & similitudo

E

DALETH.

℣. 4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

F

Historice.

Mœstissimum certè spectaculum mihi exhibitum est: Arescentibus enim matribus infantium linguæ sine copia lactis exaruerunt. Pueri panem anxiè postularunt, neque fuit à quo porrigeretur.

Allegorice.

Pastores Ecclesiæ tanquam fontes infœcundi, exiccati sunt; unde siccitas portentosa Christianorum præsertim lactentium, hoc est, in Christo recenter genitorum orta est. Deest panis Eucharisticus, Animam cœlesti virtute confirmans, quia Sacerdotes aliud agentes parvulis Ecclesiæ filiis flagitantibus illum ministrare detrectant.

G

Tropologice.

Gratiæ Divinæ humore per culpam absumpto Anima, quam Christus lactabat, exaruit; sensusque olim interno, potui, pastuique assueti, illum cupiere, neque cælitus missus est, ut pœnas peccati luerent. Hinc siti, fameque deficere visi sunt.

Expensio Tropologiæ.

H EXploratum est in mystica hominis œconomia, sensus parvulos appellari, qui rationis imperio, quasi parentum judicio providentiaque reguntur: Inter quos alii aliis teneriores sunt, ut lacte vel pane alantur. Jam verò cùm Anima divinis rebus seriò studet, e Dei consuetudine, quam superio-

Scripta An. 1607.

periores vires proximè percipiunt, quædam internæ dulcedinis guttæ in ſenſus deſtillant; & quaſi micæ è cœleſti menſa cadunt, quibus illi mirificè delectantur. Potus & eſca eſt, lautaque profectò menſa, qua parvuli aluntur, & à corporalibus oblectamentis avocantur. Nunc ergo Propheta ſanctus

A adverſam illorum ſortem, ac deliquium lamentatur ajens: *Adhæſit lingua lactentis ad palatum in ſiti*, hoc eſt, Anima, cui Deus lac dulciſſimum infundebat, cujus participes ſenſus fierent, peccato admiſſo exaruit: ex quo infœlix mater *parvulis* ſuis, hoc eſt, ſenſibus, non potuit alimentum internum, cui aſſueverant, miniſtrare. Incaſſum ſenſus petierunt, hoc eſt, expetierunt, ſeu cupierunt ſic nutriri, cùm jam non ita indulgenter Deus animam paſceret, ut ejus convivii conſortes ſenſus effici poſſent. Hinc defectio parvulorum orta eſt. Anima hîc lactens, hoc eſt, è Chriſti uberibus, quæ in Salomonis Cantico meliora vino, unguentiſque fragrantia dicuntur, lac exugens inducitur: non quia modò ſugat, ſed quia ſuxit: Nunc verò maternis illis blanditiis carens, adeò exareſcere aſſeritur, ut palato lingua adhæreat: quia contigit ei imprecatio illa, quam cives Jeroſolymitani prope fluvios Babylonis extulerunt; *adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui*. Deum cœleſtemque Jeruſalem oblivioni tradidit, unde ſiccitas orta eſt. Sermonis autem genus valdè arcanum eſt: notat enim lingua ſiccitate obligata, Animam verba edere non poſſe, quia Dei verbum, hoc eſt, Chriſtum repulit. Hinc exiſtit, ut parvulos ſuos, ſive ſenſus paſcere nequeat, quantumvis illi clamitent: atque deficiant. Rectè dicitur panis myſticus frangi, cùm anima ſic quoad ſuperiorem ſui partem alitur, ut fragmenta quædam modica ſenſibus diſtribuat: qui enim frangit, totum minimè largitur, ſed partem

C dumtaxat erogat: Sed modò non eſt, qui frangat, eo nempe fractionis genere, quo Chriſtus cognoſcitur, ſicut ſcriptum eſt: *Cognoverunt eum in fractione panis*.

Cap. 1. v. 1.

B

Pſal. 136. 6.

Luc. 24. 35.

H E.

℣. 5. Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

HISTORICE.

Optimates Jeruſalem, quibus lauta quotidie menſa inſtruebatur, in mediis plateis fame ingraveſcente extincti ſunt: & qui ſericis veſtibus induebantur, nudi in ſterquiliniis jacuerunt.

D

ALLEGORICE.

Væ ſponſæ Chriſti, nam multis in regnis, ubi ejus filii ſumma cum voluptate verbi Dei, & Sacramentorum menſa pingues erant, præ macie cibique ſpiritualis defectu, publica defectione à fide interierunt. Externi proinde Chriſtanæ religionis actus, quibus quaſi pretioſiſſimis veſtibus ornabantur, deleti ſunt.

E

TROPOLOGICE.

Lautè ante culpam interni ſolatii paſtu, & externi Sacramenti cibo anima veſcebatur: per culpam verò in latis mundi viis interiit: & veſte nuptiali expoliata turpe carnis voluptates amplexata eſt.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRofectò verum eſt, Animam quæ Chriſti thalamo excipiebatur, Chriſtique menſa utebatur, voluptuosè veſci ſolitam. Verùm poſtquàm funeſto divortio ſeparata fuit, more mendici, cui nihil eleemoſynæ erogatur, in mediis plateis fame cadentis, cecidit. *Nutriebatur in croceis*, ſive ut LXX. vertunt, *ſuper coccinea*, ἐπὶ κόκκων: Quia videlicet cocco bis tincto, hoc eſt, charitatis veſte geminam amoris in Deum, ac proximum tincturam præ ſe ferente (quæ regiæ dignitatis propria eſt) induebatur: culpæ tamen indignitate eò rejecta eſt, ubi nihil niſi ſtercus, hoc eſt, turpe, fœtidum, ac Deo indignum amplectitur. Etenim hoc calamitatis genus creberrimum eſt: paſſim quippe non ſine dolore cernimus, animas paulò antè Chriſtianæ perfectionis notis illuſtres, incredibili aviditate, poſita Dei cura, mundi voluptatibus deditiſſimas. Vim habet verbum illud, *amplexati ſunt*, affectumque vehementem alienatæ à Deo animæ, bonaque terrena ſollicitè inſequentis, oſtendit: quod ſanè mirum eſt. Si enim quicquid Chriſti puritati non congruit, ſtercus eſt, quod Apoſtolus ſenſiſſe videtur in hæc verba: *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*: profectò totus ferè terrarum orbis in ſtercore amplexando plurimum opis, & operæ ponit.

F

LXX. Interpp.

Cocchi bis tincti ſignificatio.

G

V A V.

℣. 6. Et major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.

HISTORICE.

Et quidem juſta Dei vindicta eſt: major quippe culpa Jeruſalem, quàm Sodomiticæ regionis fuit. Et tamen Sodoma igne cœleſti repentè conſumpta ſunt, neque manibus militum opus fuit.

H

Scripta An. 1607.

ALLEGORICE.

Immanius Christianorum, quàm Ethnicorum peccatum est, cùm Christiani agnita Christi Redemptione, ac summis Dei beneficiis abutantur. Et tamen Ethnicos Deus subitis maris exundationibus, aut horrendis terræ motibus exorbet.

A

TROPOLOGICE.

Graviùs anima Dei bonitatem experta, quàm innumeræ aliæ, quibus veritas Divina non affulsit, erravit; Si autem alias Deus ira subitanea corripuit, quid illa commeruisse credatur?

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NEminem fugit, universè verum esse, eos, quos divina lux mysteriorum fidei, vel rerum divinarum, quæ peculiari Dei dignationi tribuuntur, conscios fecit, si minimè acquiescant, acrioribus pœnis obnoxios fieri. Severiùs quippe punientur degeneres Christiani, quàm Ethnici, Monachi quàm sæculares, & qui ejusdem instituti cùm sint, luculentiùs illuminati, peccaverunt. Ad proportionem videlicet Divini luminis, ac misericordiæ culpa ingravescit, ut historico patet exemplo. Jerusalem, Scripturæ Sacræ, Vatumque Divinorum, & oraculorum copia dives, pejùs erravit, quam civitates Sodomorum, quibus ea lux cælestis non tam exuberanter affulsit. Ex quo struitur argumentum: Si Sodomorum infames Urbes non adeò graviter peccantes ira Dei flammis immissis absumpsit, ita ut non manus hominum eas caperent, sed Deus è Cœlo deleret: quid Jerusalem portentosè ingrata commereat? Ex hoc ad animam ducitur argumentum; Si animas parum illustratas plerumque ob culpam repentinus Numinis furor exorbet: Quid animæ à Deo indulgenter habitæ, luce divina insigniter perfusæ contingat? Quid illa non timeat, cùm eo ingratitudinis prodigio Deum vehementer irritaverit? Textus sic construendus est, ut sensus pateat: *Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. Quæ* (nempe regio, sive gens Sodomorum ibi subintellecta) *subversa est in momento, & non ceperunt*, scilicet prædam, *in ea manus*, videlicet hominum, LXX. Interpretes sic reddunt primam versus partem: *Et magnificata est iniquitas filiæ populi mei super iniquitatem Sodomorum, quæ* scilicet iniquitas, *subversa est quasi repentè*. Exemplum sanè formidine plenum est.

B

Divini luminis, ac misericordiæ proportione culpa ingravescit.

C

LXX. Interpp.

ZAIN.

D

℣. 7. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

HISTORICE.

Heu me, status rerum longè immutatus est. Nazaræi, hoc est sanctificati viri, qui se Deo in urbe sancta devoverant, omni labe carebant, nivem (ut ita dicam) candore, lac nitore, coralium rubore, sapphirum decore superabant. Nunc verò deformati sunt.

E

ALLEGORICE.

Tragicum certè spectaculum est. Viri olim in Ecclesia ad Monasticum institutum à sæculo separati, vitæ puritate candidi, charitate flagrantes, desiderio rerum cœlestium nitidi erant, modò res aliter se habet.

TROPOLOGICE.

Turpiter egit Anima, erat à fluxis bonis separata, vitæ sanctitate nivi, lactive puro similis, proximorum amore quasi coralium rubebat, divinarum rerum contemplatione, sapphiri more, serenos cœlos imitabatur. Nunc tamen alia rerum conditio est.

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ELeganter quidem multiplici Propheta velut emblemate Animæ Deo gratæ notas depingit: quas ad candorem niveum lacteumve nitorem, ad ruborem coralii, ad sapphiri serenitatem; claritatemve reducit. Christus candor est lucis æternæ, ac proinde Anima, quæ illi efficitur divinæ gratiæ forma conformis, candeat ut nix, niteatve quasi lac, necesse est. Ea quippe forma candori lucis æternæ simillima est, qua nihil formosius excogitari potest. Rubor eboris antiqui, sive coralii divinæ charitati arcanè tribuitur, quia flagrat, quia cœleste incendium est, quo Anima Deo accepta flammescit. Claritas, sive serenitas sapphiri, quæ cœlos serenos imitatur, congruit mentis puritati, ubi nihil non purum, castum, cœleste sedem habet: omnia enim præter unum Deum tanquam sordida repellit: qui sanè affectus nobilissimum charitatis ingenium decet. Hinc efficitur, ut anima Deo grata sit supra omnem eloquentiam pulcherrima, & venustissima. Nunc ergo immensi doloris, ac luctus occasio est tanti decoris infausta deformatio, & invisa Deo turpitudo. Utinam hæc ipsa Prophetæ sensa universorum hominum animis imprimerentur, ut virtutum pulchritudinem amarent, peccati deformitatem horrerent. Versus hic variè admodum à LXX. Interpretibus, & ab aliis exponi & interpungi solet. Unam dumtaxat interpretationem proferimus, quæ plerisque placuit. *Mundati sunt Nazaræi ejus: super nivem splenduerunt, & super lac coagulati sunt.* Quibus distinctionibus significatur, viros Deo dicatos, qui *Nazaræi*, hoc est, segregati (scilicet à mundi commercio) appellabantur, & mundos, & candidos, & virtute adul-

Coralii, ac Sapphiri significatio.

G

LXX. Interpp.

H

Alia textus explicatio.

Scripta An. 1607.

adultos fuisse. Illud enim, *Sicut lac coagulati sunt*; tantundem valet, ac concreverunt, scilicet in virtute; quo dicendi modo satis arcano Ecclesia utitur, dum Paschali tempore Martyrum triumphos celebrat. Quod verò ait Vates, *rubicundiores ebore antiquo*; multiplicem interpretationem habet; quæ ex

A variis translationibus petitur: nobis verò ea potissimum probatur, quæ pro *ebore* hic coralium exponit; nam ut ex Hebræo liquet, ebur pro osse accipitur: ossis autem nomen generale ex adiuncto nomine; *rubicundiores* ad aliquam peculiarem materiam rubeam ossis instar solidam reducendum est. Neque succurrit alia æquè apta ac coralium, quod licèt in aqua, ubi provenit, tenerum sit, extractum obdurescit, ut meritò possit ossis nomine significari. Propterea sic aliqui vertunt: *rubicundiores specie plus quàm coralia*.

Textus Hebraicus

HETH.

℣. 8 Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.

B

HISTORICE.

Nazaræorum vultus adeò miserè squalluit, ut minimè agnosceretur; & instar lignorum arentium præter cutem, & ossa nihil habere visi sunt.

ALLEGORICE.

Monachorum vita deformata adeò turpiter nigrescit, ut neutiquam suum institutum repræsentet, floreque antiquæ observationis arente, quasi cadavera ossibus, & cute dumtaxat structa, lignave igni devota, Monachi remansere.

C

TROPOLOGICE.

Mentis facies olim Divinæ gratiæ forma insignis, incredibili culpæ deformitate offuscata est, longeque alia videtur esse. Humor gratiæ vitalis aruit, & concupiscentiæ flammis anima ligni aridi more exiccata est.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

TUrpis certè animæ deformatio, quam Propheta luget; vel saxa posset emollire. Erat, ut nuper diximus, candidior nive, cui nigredo carbonibus tetrior, infœlici sorte successit. Purissimus candor in densissimas tenebras versus est: erat enim anima Deo similis & dæmoni simlis evasit: formaque cœlestis tartarea deformitate permutata est. Hinc minimè mirandum, si

D

Anima per peccatum Dæmoni similis effecta.

anima non cognosci dicatur in plateis. Porrò si virgo ingenua mille custodiis septa, in abdito quasi sacrario latere solita, deposita instita, vesteve pudoris indice, meretriciis vestimentis repentè arreptis in medias plateas erumperet, quis non dubitaret, hæreretque, essetne eadem, quæ domi pudicitiam colebat, an alia? In hunc ergo modum anima à Christi thalamo recedens, ac in publicas mundi vias adulterina impudentia se proripiens, concipienda est, ut pateat, quàm meritò non dignoscatur. Accedunt aliæ incredibilis deformitatis notæ. *Adhæsit cutis ossibus, aruit, facta est quasi lignum.* Fons ille aquæ salientis in vitam æternam, hoc est, divina gratia Christi encomio laudata defecit, ubi crimen patratum est. Hinc ariditas animæ, quæ sub imagine corporis graciliſſimi, ossibus dumtaxat, cuteque constantis eleganter pingitur; unoque verbo fit *quasi lignum* à stipite unde vivebat exectum, aridum, & igni destinatum. Revera ita contingit: igne sempiterno urendum est lignum hoc, nisi Dei dono, refuso humore vitali, viresçat.

Comparatio

E

F

TETH.

℣. 6. Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt, consumpti à sterilitate terræ.

HISTORICE.

Mitior certè cruciatus gladio Chaldaico cæsorum, quàm intereuntium fame, fuit: quia famis afflictio molestior, ac diuturnior cives tabescentes longa morte consumpsit.

ALLEGORICE.

G

In Ecclesiæ agonibus duo malorum genera cùm sint; censeo ego minus dirè agi cum illis, qui hostium gladiis interficiuntur, quàm cum iis, quos Pastores Ecclesiæ verbi Divini subtractione, fameve interimunt. Miserrimum quippe necis genus est.

TROPOLOGICE.

Anima, quæ olim divini verbi copia abutebatur, in eam, æquo Dei judicio, penuriam incidit, ut ejus defectu infeliciùs, quàm si corpus ense cæderetur, intereat. Mors enim hæc immortalis est.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

H

LUculenta comparatio nostri Vatis est, famem gladio atrociorem esse. Gladius vulnere uno, vel altero brevi interimit: at fames tot ictibus necat, quot sunt in corpore membra. Omnia quippe membra conflaccescunt,

Fames atrocior gladio.

Scripta An. 1607.

cunt, & deliquium patiuntur, & homo ipſe mortem invaleſcentem intuetur, quam nequit avertere. Sævit mors prolixa, donec in rabiem vertitur, qui diræ famis exitus eſſe ſolet. Hæc in arcanum ſenſum traducta, luctu digniſſima ſunt: Anima enim quæ Dei verbo opipare nutriebatur, & obedientiæ divinæ ſe ſubtraxit, incipit ſenſim extenuari, donec in maciem quandam extremam incidat: quæ morte immortali concluditur: quam gladii ferrei vulnere, vel nece deteriorem eſſe per ſe compertum eſt. LXX. Interpretes ſic habent: *Boni fuerunt occiſi gladio, quàm occiſi peſte: abierunt perfoſſi à frugibus agrorum:* occiſos peſte pro interfectis fame reddunt. At arcanum quiddam in iis, quæ ſubduntur, oſtendunt: *Abierunt perfoſſi à frugibus agrorum.* Anteponunt diram peſtis mortem occiſioni, & ſubjungunt ejus cauſam; nimirum (ſenſu hiſtorico) homines peſte ſublatos abiiſſe perfoſſos à frugibus agrorum, hoc eſt, fruges agrorum adverſo cœlo corruptas; at cauſam peſtis, qua percuſſi abibant, extitiſſe. Sic profectò anima, quam Deus repulit, dum ad fructus terræ legendos, ut famem ſedet procumbit, peſte læditur, ac de medio tollitur. Ipſi enim fructus vetiti, qui famem expleturi videntur, in ſpicula felle, venenove perlita vertuntur, quæ animam ſævè perfodiunt.

Rabies famis exitus.

Animæ in peccatum lapſæ deſcriptio.

A

LXX. Interpp.

B

IOD

℣. 10. Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.

HISTORICE

Quid ultra? tenelli infantes à matribus, dùm Sancta Urbs vaſtaretur, cocti, ſæviente in ſeipſam natura, menſam infandam inſtruxere.

C

ALLEGORICE.

Quis lacrymas continere queat? Prælati Eccleſiæ, quorum affectus erga ſubditos planè maternus eſſe deberet, bona ſubditorum occupantes, quaſi ex illorum ſanguine lauta ſibi convivia, in ſponſæ Chriſti punitione, pararunt.

TROPOLOGICE.

Anima, quæ in ſenſus proprios miſericors deberet eſſe, eos crudeliter morti tradit: dum ex eis ſibi cibum vetitum, hoc eſt, turpium actuum oblectamentum haurit. Hic ſanè paſtus animæ pereuntis eſt.

D

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

HIc apertiſſimè fatetur Jeremias ſupremam Jeruſalem calamitatem, ubi ſæviente fame, matres, quibus Deus affectum in filios tenerrimum indidit: reſtincto eo naturæ lumine, tenellos partus necarunt. Hæc eſt animæ Deo inviſæ inſania, multo lacrymarum impetu lugendam: filios necat, dùm ſenſus in turpia ferri ſinit, ubi eorum mors ſimulata latet: quæ ſanè dementia & crudelitas extrema eſt. Nam ut hiſtoricè mulieres illæ Ieroſolymitanæ crudeliter in infantes agerent, non uſque adeò ſtultè delirabant, cùm animadverterent cæde filiorum ſe vitam ſuam utcumque tueri: at anima dum ſenſus morti ſpirituali tradit, crudelis eſt, quia ſævit in filios, ſed mirum in modum fatua eſt, quia ſeipſam minimè præſervat, quin peiùs interimit. Fames efficit homines anthropophagos; ſed culpa dementes. Pro verbo *coxerunt* alii habeat ἥψαντο, *aſſarunt*: quo crudelitas atrocior repræſentatur. Etenim, quod coquitur, non oculis obverſatur, ſed olla tegitur: at quod aſſatur, ſpectari neceſſe eſt. Anima infida non quovis modo dirè agit, ſed mortem ingruentem ſpeculatur, & ultrò filiis, hoc eſt, ſenſibus ſuis, ſibique conſciſcit. Hæc portenta viſuntur in contritione animæ, hoc eſt, in deſtructione, ſeu devaſtatione: quando ſcilicet ob culpam repellitur, ac torquetur. Tunc enim cibum vetitum refrigerii cupida ſectatur. Energia pollet modus ille dicendi: *Manus mulierum miſericordium*; nam cùm videretur dicendum *mulierum crudelium* ob actum crudelitatis extremæ, maluit Propheta uti nomine *miſericordium*, ut calamitatem animæ, quæ cùm anteà miſericors fuerit, in crudelem prodigiosè mutatur, ſignificaret: Miſericors anima eſt, quæ appetitum compeſcit, & ſenſus à ſordidis voluptatibus coercet, more matris febrienti filio potum aquæ negantis: at dirè agit, quæ ſenſibus turpia permittit, quaſi crudelis mater, quæ liberis importunè flagitantibus pocula infecta, vel edulia venenata concedit.

E

Homines fame anthropophagi.

F

CAPH.

G

℣. 11. Complevit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ & ſuccendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.

HISTORICE.

Iram, quam iam pridem conceperat, Deus ſceleribus provocatus exercuit, & quaſi rapidum flumen in Jeruſalem effudit. Templum in Sione ſitum, eiuſque fundamenta ignis à Chaldæis immiſſus abſumpſit.

H

ALLIGORICE.

Populi Chriſtiani flagitiis incitatus Deus, in Eccleſiam diu repreſſam iram evomuit.

Et

Scripta An. 1607.

Et per fidei hostes, in tribus orbis partibus, partem ejus non ignobilem, cum fundamento, hoc est, fide, convelli permisit.

TROPOLOGICE.

Validè animam degenerem Deus elisit: quasi fluvio iræ corripuit & more voracis flammæ virtutum fundamenta consumpsit.

A

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

MUltiplex hic loquendi modus à Propheta usurpatus, quo paraphrasticè unam animæ cladem significare contendit, sensum illum penitissimum, oculosque perspicacissimos, quibus iram Dei gliscentem contemplabatur, ostendit. Et profectò luctus hic tot coloribus pictus, eruditio quædam tanto magisterio digna est: qua pius quisque Dei cultor ad ultionis divinæ timorem ac tempestivam fugam inducitur. Si enim vel sola verba hæc mortalibus auribus rerum divinarum ignaris insonantia, *Complevit furorem, effudit iram, succendit ignem, devoravit fundamenta*, intimum terrorem incutiunt; quid efficerent, si animi sensum verborum assequerentur? Sion locus sacer, templo usque ad miraculum celeberrimo conspicuus, ubi civium peccata invaluere, iram Dei non extinxit, ne quasi profanus fœdaretur. Fundamenta altè defossa nihil iræ Dei obstitêre, ne firmissimum, visuque pulcherrimum ædificium dirueretur. Sic profectò neque dignitas animæ, quæ sacrarium Dei fuit, neque fundamenta virtutum, quæ

B

Anima sacrarium Dei

stabilitatem æternam polliceri videbantur, neque speciosa structura illa interior, quæ cœlestem pulchritudinem repræsentabat; iram Dei sistere, retardareve potuerunt, statim ac peccatum eò penetravit. Quis horribilia Dei tela non timeat? Textus hic (si quis alius in Scriptura Sacra) impetum iræ divinæ in peccatorem repræsentat. Solet enim erumpere divinæ indignationis flamma, & peccatores vivos exorbere: quod illa verba, *Effudit iram*, & illa, *devoravit fundamenta*, satis aptè significant. Quæ simillima sunt verbis illis Psaltis regii, *Priusquam intelligerent spinæ vestræ*, Hebræus *ollæ vestræ*, seu *lebetes vestri*, *rhamnum*: *sicut viventes, sic in ira absorbet eos*. Est imago quædam ingeniosè picta iræ divinæ, peccatores repentè depascentis, petita similitudine ab homine fame incitato, qui, dum carnes in olla coquuntur rhamno (quod spinæ genus est) tripodi subjecto: & ob materiæ siccitatem citissimè ignem concipiente, exiguam illam coctionis moram ferre non valens, carnes crudas inde abreptas obligurit. In hunc sensum ait Regius Vates: *Priusquam ollæ vestræ intelligerent*, hoc est, sentirent *rhamnum*, scilicet ardentem, carnes vestræ depastæ sunt: id est, antequam longa mora peccatorum igne consumeremini, festina vos irati Dei flamma consumpsit; nondum maturos, sive diu peccando senescentes; sed crudos depavit. *Sic in ira absorbet eos*; vox illa *eos*, personæ mutatio Hebræis in eodem contextu familiaris est. Potest planiùs eclipsibus expletis construi versus ille, ita ut per similitudinem David lectores alloquatur, quasi diceret: quemadmodum si quis carnes crudas devoraret, priusquam ollæ vestræ ubi coquebantur, rhamnum ardentem sentirent, hoc est, calorem benè conciperent: sic Deus festinus absorbet eos, scilicet peccatores, quos extemplò de medio tollit. Sic à Jeremia ira Dei & in Urbem sanctam, ubi plurimos peccatores quasi vivos absorpsit, & in arcano sensu in animam divino furore correptam exprimitur.

Flamma divinæ indignationis.

C

Ps. 57. 10.

Textus Hebraicus

D

E

LAMED.

℣. 12. Non crediderunt reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Jerusalem.

F

HISTORICE.

Tam excelsis, firmisque muris ambiebatur Jerusalem, ut incredibile regibus, populisque videretur, eam expugnari posse.

ALLEGORICE.

Sanè ita à Christo Ecclesia condita fuit, ut nullus ei hostis nocere posse videretur.

G

TROPOLOGICE.

Charitas Christi sic animam robbravit, ut ab eo nullis tentamentis separanda crederetur.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

STatus divinæ gratiæ adeò validus, firmusque videtur iis, qui rei originem nervosque perpendunt, ut nullis adversitatibus labefactandus, immutandusque credatur; nisi, oculis in experimenta reflexis, contraria sententia subeat, & prævaleat. Neque mirum: si enim Divinæ charitatis firmamentum idoneus quis æstimator expendat, succurret illud: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Adeò quippe fortis, & constans ea virtus excelsa est, ut cum tartaro mundoque universo confligere, ac victrix evadere possit. Generat enim quandam magnanimitatem Dei planè filiis dignam, quæ grandia sibi pollicetur, ac sincerè, generoseque dicit: *Non movebor in æternum.* Et quidem quod ad ingenium charitatis attinet (absit aliunde intrusæ præsumptio) firmiter sperandum ei, quem armatura illa Deus sepsit, se fortiter ubique congressurum,

Rom. 8. 35.

H

Ps. 29. 7.

Scripta An. 1607.

rum, ac de hostibus feris victoriam revecturum. At nihil inter mortales adeò sanctum, ac syncerum, cui aliquid culpæ non possit admisceri, aut quod in culpæ occasionem detorqueri non valeat. Communis quippe hominum levitas est, ex ipsis dotibus naturæ, vel gratiæ ansam elationis arripere: adeò ut non modò ex virtutibus egregiis, verùm etiam ex ipsa victoria vitiorum, ipsiusque imprimis superbiæ sæpè animi victores, victoriæ ipsius fastu prostrentur. Hoc ergo indicat Propheta: *Non credidêrunt Reges &c. quoniam ingrederetur hostis per portas Jerusalem.* Ac si planiùs in arcano sensu diceret: Anima olim Divinæ gratiæ firmitudine subnixa, quasi Urbs fundamentis altè defossis, turrium, murorumque præsidiis benè munita, non sibi persuadere potuit, se ab hoste tartareo unquam esse prostrandam. Ex donis divinis præsumptionis sensu intumuit, & de securitate sibi blandiens licenter egit: unde ruina sanè tragica orta est. Multa certè pericula impendent justis quæ illos in officio continere debent. Fuêre & alii æque justi, aut fortasse justiores, qui in Catalogum Sanctorum referri posse credebantur: quorum fausta principia tristis exitus obscuravit. Quot viri sanctitatis laude clari ab statu Monastico resiliêre? Quot ab Ecclesiæ castris defecerunt? Porrò Salomon acceptus Deo fuit, & cœlesti sapientia insigniter auctus: sed Scriptura sub finem historiæ Salomonis hæc verba luctuosa prodidit: *Cumque jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Hæc sors multorum est, qui à Christo nunquam defecturi videntur.

A

Præsumptionis peccatum.

B

3. Reg. 11. 4.

MEM.

℣. 13. Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum.

C

HISTORICE.

Culpa Sacerdotum & Vatum ad libitum prædicentium enormis fuit: qui Regibus persuasêre, homines innoxios interficerent, ex quo Deus Jerusalem severe plexit.

ALLEGORICE.

Culpa Sacerdotum, & præconum verbi Dei, qui Principibus blandiuntur, ut insontes divexent, iram Dei adversùs Ecclesiam irritavit.

D

TROPOLOGICE.

Propter abusum cœlestis luminis (qui prophetiæ respondet) & neglectum cultus Dei, quod est arcanum Sacerdotium, anima infida, proximis innoxiis adversari assuescens graviter à Deo punita est.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

JUre luget Jeremias abusum Prophetiæ, ac Sacerdotii, duorum scilicet luminum quibus Hebræi illustrabantur. Vatum quippe ac Sacerdotum regiis auribus servientium persuasu Reges illecti, viros innoxios interfici jubebant. In arcano verò sensu malum grande quod in anima lugetur, divini luminis, quod prophetiæ mysticè respondet, & cultus Dei, qui sacerdotii nomine notatur, abusus est. Solet enim anima quondam splendoribus cœlestibus illustris, peccandi licentia ita obcæcari, & Dei cultum jam sibi amarum odisse, ut justorum, à quibus Deum impensè coli cernit, quasi sanguinem exorbere velle videatur. Nullus hostis luci, cultuique divino infestior, quàm, qui luce, religioneque floruit, & mutata mente, Deo terga dare decrevit. Non enim vulgari aliquo sceleratæ vitæ genere sibi satisfacit, sed aliorum depravator, & antesignanus efficitur. Hanc ergo animæ infœlicis imaginem Vates Sanctus spectandam obiicit: ut quàm justè Deus in eam excanduerit, animadvertere possimus. Genus certe teterrimi peccati est, quod obstinationi finitimum esse videtur. Cùm enim ignoratio veritatis prætexi nequeat, malitiæ campus latissimus patet: omninoque verum, ac experientia quotidiana compertum est, animas semel illuminatas, posteaque depravatas, difficillimè ad pœnitentiam revocari.

E

Corruptio optimi pessima.

F

Animae olim divinitus illuminatae difficilior pœnitentia.

NVN.

℣. 14. Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine: cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.

G

HISTORICE.

Chaldæi furore velut excæcati per medias Jerusalem plateas cæsorum sanguine inquinati, errarunt, cumque sanguis exundaret, ita ut sine inquinamento per vias excurrere nequirent, imas vestium oras, ne tingerentur, retraxêre.

ALLEGORICE.

Sectarii, tyrannique non modò animis Christianorum insidiati sunt, sed innumera millia corporum in frusta discerpserunt: & per media Christianorum regna licenter excurrentes, ne sanguinis rivis inficerentur, observarunt.

H

TRO-

Scripta An. 1607.

Appetitus vel sensus effrænes Animæ, cæci, sine Christi luce, per latas mundi vias palantes, quasi menstruo sanguine polluuntur. Et cùm Christi à quo recesserunt vestem mundam habere non possint, tenent lacinias suas (hoc est) vestem Adæ vetustam, qua se à peccato contegere, sive excusare contendunt.

A

Expensio Tropologiæ.

QUod Chaldæi fecerunt in excidio Jerusalem (ut in historica paraphrasi observatum est) hoc animæ hostes, hoc est, appetitus aut sensus effrænes, qui hostium certè omnium sævissimi sunt, efficere existimantur, furore excæcantur: vehementissimè quippe ad peccata publicè feruntur: ipsoque impetu facilè demonstrant se nullo cœlesti, aut naturalis rationis lumine agi. Nam præterquam quòd in re Theologica perspectum est peccatum lumini naturali esse contrarium, cùm rectæ rationi adversetur; experimento creberrimo patet, peccatores, cùm jam pudoris claustra perruperunt, honestum sibi, glorioſumque ducere, turpissima coram aliis peccata perpetrare. Tunc ergo sensus *errant cæci in plateis, sanguineque*, hoc est, peccatorum sordibus *polluuntur*. Tunc etiam eò impudentiæ procurrunt, ut peccata fœdissima excusare tentent: & cùm Christi legem, vestemque justitiæ mundam prætexere nequeant, (non enim congruit Christo ea vitæ turpitudo) *lacinias suas*, hoc est, vestem Adæ veterem tenaciter apprehendunt, & eo naturæ corruptæ prætextu seipsos purgare, & velut à sanguine, sordibusve immunes, scelerum excusationem afferre conantur.

Peccatum lumini naturali contrarium.

B

Peccatorum vana excusatio ex humana conditione.

Homines sumus, ajunt: non fert humana fragilitas adeò rigidam continentiam: & alia hujusmodi, quæ ut non reprehendantur, obtendunt.

C

SAMECH.

¥. 15. Recedite polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, & commoti dixerunt inter gentes. Non addet ultrà, ut habitet in eis.

Historice.

D

Milites Chaldæi urbem fuso sanguine sordentem conspicati, Jerusalem civibus dixere: recedite, ne sanguine, quo madetis, inquinemur. Insuper vehementer commoti, dixerunt, Deus abjecit Urbem hanc, neque ulteriùs eam instaurabit.

Allegorice.

Fidei hostes, se puriores filiis Ecclesiæ putantes, Christianis scelestis crebrò peccata exprobrarunt aientes: procul absistite, ne tactu vestro sordescere cogamur. Excanduerunt acriter Christianorum crimina horrentes, atque dixerunt: profectò gentem hanc sordidam Deus non ultrà tuebitur,

E

Tropologice.

Sæpè inter ipsos similium scelerum conscios alii alios execrantur, & velut ab hominibus contagiosis abstinent, & quasi iustè excandescentes aiunt: Non parcet ultrà Deus peccatoribus his, à quorum vitiis immunes sumus,

Expensio Tropologiæ.

EO impudentiæ peccator, cùm in profundiratem culpæ devenerit, ferri solet, ut immemor sui, quasi ipse illa labe careret, alios carpere, aliis crimina, quibus ipse fœdatur, exprobrare, aliorum consuetudinem horrere pertendat. Ex hoc infami genere nonnullos Dei patientia fert, quales Christus appositissima similitudine trabem in oculo gerentes, & de palea, non modò trabe, è proximi oculis eximenda, sollicitos Jerosolymis redarguit. Cæcitas intolerabilis est, ajunt enim aliis melioribus, aut certè se non peioribus: *Recedite, polluti, nolite tangere*, quo sermonis genere ex Augustini sententia usurus erat Pharisæus, qui Christum invitaverat, si Magdalena ad ejus pedes accessisset. Pharisaicus certè fastus est, in alios peccatores invehi, quem verba illa notant: *Iurgati sunt, & commoti dixerunt: Non addet ultrà, ut habitet in eis.* Mimesis est, qua Vates peccatores sic de aliis sibi similibus loquentes inducit: turpissima vitæ licentia est, qua homines hi, à quorum flagitiis longè absumus, fœdantur. Desperanda profectò est eorum correctio: Deus eis ulteriùs minimè propitiabitur. Quis autem hujusmodi fastum incredibilem crederet, nisi experimenta convincerent? Profectò illi optimates Jerusalem, qui cæco illuminato succensentes dixêre: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* In hoc genere turpissimè peccarunt, & (quod horret animus) de Christo sic loqui ausi sunt: *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Quod sanè detestabile mendacium licèt verum assertum foret, debuissent ipsi, cùm peiores essent, patienter ferre, neque tanquàm insontes instare.

F

Math. 7.

Luc. 7.

Joann. 9. 34.

Ibid. 24.

G

PHE.

¥. 16. Facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.

H

Scripta An. 1607.

HISTORICE.

Dixere Chaldæi: Deus irato vultu à patria separavit Hebræos, neque in posterum restituet. Gens quippe in Sacerdotes irreligiosa, & in senes crudelis est.

A

ALLEGORICE.

Sectarij Christianos a Deo graviter afflictos, & à propriis sæpè urbibus pulsos intuiti, dixerunt: Deus eos repulit, nec ultrà propitiabitur genti, quæ observantiæ virtutem odit; ætateque provectis minimè obsequitur.

TROPOLOGICE.

Peccatores alii de aliis sibi similibus dixere: homines, qui ijs, à quibus eis sacra ministrantur, non obtemperant, & majores natu non colunt, Deus æquo judicio à se rejecit, nec ulteriùs miserebitur.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

B

TExtus hic pars cœptæ mimesis est, qua peccatores alij alios sibi simillimos carpentes inducuntur in hunc modum: *Facies* (scilicet irata) *Domini divisit eos* [à se] *non addet, ut respiciat eos* clementer. *Facies Sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.* En reprehensio: quæ si à justis in peccatores proferretur, æqua foret: religionis quippe, ac observantiæ contemptus, vehementer sanè vituperandus est. Nulla enim quantumvis barbara natio est, quæ sacerdotum ac senum venerationem non commendet. Quòd si & hanc venerationem iam prorsus excæcata non æstimet; non tam generis humani pars, quàm pecorum armentum censetur. Nam ut, senibus omissis, de sacerdotibus nonnihil promamus: ubique terrarum, tanquam Numinis interpretes, ac placatores, populorumque magistri, ubi naturalis ratio non omnino extincta videtur, in pretio habentur, ac suspiciuntur. Jam verò si peccata religioni, observantiæque adversa reis, in reis aliis spectata displicent, quantopere displiceant innoxiis, si ab eis pensitentur? Latus hic campus porrò patet ad Ecclesiæ filios acriter corripiendos, qui hierarchiam Ecclesiasticam, non ut par est, colere assuescunt. Pro verbo *senum* LXX. habent, *Prophetarum* προφήτας δυκ ἠλέησαν. Sensus ad violatam religionem pertinet.

Sacerdotes, ac senes honore habendi.

C

LXX. Interpp.

AIN.

D ℣. 17. Cùm adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cùm respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat.

HISTORICE.

Væ nobis Hæbreis, quia antequam Urbs sancta caperetur, nos animis, oculisque in Ægypti auxilium inane conjectis, stultè egimus: spes quippe non debuit collocari in Ægypto, quæ nos a Chaldaica servitute liberare nequibat.

E

ALLEGORICE.

Graviter à nobis Ecclesiæ Præsulibus erratum est; quoties auxilium ad tuendam Ecclesiam aliundè impensiùs quàm à Christo eius sponso expetivimus: cùm exploratum esset, conatus hominum saluti, quam molimur, impares esse.

TROPOLOGICE.

Turpis profectò meus error fuit, in aliud, quàm Dei adiutorium, intuitum, ac spem meam collimare. Nullus enim me præter unum Deum, à Dæmonis feritate servabit immunem.

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NImis usitatum est in negotijs gerendis nihil non attentare ad eorum expeditionem, Dei verò auxilium neque cogitare, neque ad orationis arcem nisi novissimè recurrere. Qui profectò error enormis, & anima Christiana indignissimus est. Quis enim non animadvertat, primum ac potissimum firmamentum Deum esse, et ab ipso quicquid boni accidit, in re quavis, divinæ providentiæ sulcis emanare: proindeque stultitiæ vertendum esse, aliunde accuratiùs, quàm ab uno Deo velle boni quicquam impetrare? Expensione digna sunt Prophetæ verba, *Defecerunt oculi nostri*, & *cùm respiceremus attenti:* quibus facilè notatur studium favoribus humanis aucupandis certè intentissimum. Et quod vanitatem immensam significat, *ad gentem, quæ salvare non poterat*. Ibi studium collocatur, unde compertum est salutem oriri non posse. Non insipienter dixit, quamvis foret insipiens, Rabsaces à Rege Assyriorum missus, cùm Regi Ezechiæ nuntiari monuit, ne in hominum auxilio spem collocaret, per hæc verba: *An speras in baculo arundineo Ægypto, super quem si incubuerit homo comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? Sic est Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se.* Hæc est fiduciæ hominum imago: quos adiutores nimiùm rogati, ac expectati eludunt, & sauciant. Prudentior tamen fuit Ezechias, qui ad Deum citissimè omnia retulit, & nocte una centum octoginta quinque millia sollicitus negotiorum gestor interfici impetravit. Mira est sanè stupiditas peccatoris, qui præter ordinem præposterum non quærendi primùm Regnum Dei, postquàm omnem suam operam in creaturis malè posuit, in extremo conflictu

G

4. Reg. 18. 21.

4. Reg. 19. 35.

Scripta An. 1607.

ctu videt se respexisse *ad gentem, quæ salvare non poterat*. Salubrius profectò consilium est, in re quacunque, ad salutem præsertim animæ spectante priùs, & impensiùs divina quàm humana præsidia exquirere.

Ps. 118. 82. Stulti dicunt: *Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum*. Sapiens dicit: *defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?* Lassitudine spei dilatæ languent oculi: sed languor hic non hominum auxilio vano, verùm cœlesti Dei auxilio pellendus est.

A

SADE.

℣. 18. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

B

Historice.

Cruore nostro profuso viæ Jerusalem quasi pluvia ingenti dilutæ, adeò lubricæ ab hostibus nostris effectæ sunt, ut firmiter insistere non possemus. Profectò mortis tempus accessit.

Allegorice.

Hostes fidei cavillis & loquacitate nimia me populum Christianum non exigua ex parte ita infirmarunt, ut per Ecclesiæ vias incedens, quasi crurium debilitate laborarem. Etenim calamitas hæc suprema est.

Tropologice.

C *Capitales inimici me animam à bonorum æternorum spe avocantes, humique defigentes, adeò debilitarunt, ut cum via virtutis nimis ardua videretur, per vitæ præsentis desideria, quasi per lata pronaque loca, ubi consisti nequit, præcipitem agerent, quæ sanè postrema infœlicitas est.*

Expensio Tropologiæ.

LUbricus incessus corporis, malè affecti, aut loci malè firmi argumentum est. Utrumque certè Dæmones enituntur: Non enim tantùm animam pravè afficere conantur, ut debilis effecta parùm firmiter incedat, verùm vias ipsas (hoc est) præcepta Dei, Evangelica consilia, Sanctorum exempla, & monita ita suis suggestionibus exasperare satagunt, ut anima pedem iis viis velut insuperabilibus inferre non audeat. Quod infœlicitatis genus supremum animæ malum esse videtur. Si enim intrinsecùs malè affecta adhuc viarum suspicione terreatur, celeriùs, quàm dici queat, omnem suæ salutis curam deponit, & appetitui anxio perviam

D

latam, devexam & lubricam licentiæ habenas relaxat. Hinc est, ut quemadmodum is, qui crurium debilitate laborat, cum ardua superare nequeat, ipso corporis pondere per declivia loca devolvitur: ita peccator rapidè feratur per lubricam pronamque viam, quam descripsit ille: *Facilis descensus Averni*: cadentemque verò dæmones instantissimè urgent, ut se, dicto citiùs, in tartari voraginem demergat. Grande malum hoc significat mors ter à Propheta repetita sub verbis illis: *Appropinquavit finis noster: Completi sunt dies nostri, quia venit finis noster*. Neque malum grande tantummodo, sed celeritatem repetitio notat: quod per proxima verba confirmatur.

E

Virg. lib. 6. Æneid.

COPH.

℣. 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

F

Historice

Chaldæi ad capiendos nos Aquilarum volatui velocitate similes, nos Hebræos evadere sutagentes, & per montium vertices, & per devexa loca celerrimè persecuti sunt.

Allegorice.

Imperatores Ethnici, ac sectarii, incredibili furore perciti, per montes, eremos, antra nie clarissimam Ecclesiæ partem nudam, egentem, afflictam insecuti sunt.

Tropologice.

Longè velociores aquilis Dæmones, nullo prorsus loco excepto mihi animæ afflictæ interitum machinati sunt.

G

Expensio Tropologiæ.

SI de Chaldæis duntaxat ageretur, hyperbolicè diceremus loquutum fuisse Prophetam. Exploratum est enim, homines quantumvis cursu celeres, aquilas volantes æquare non posse. At in arcano sensu constitutum est, omnem aquilarum velocitatem, si cum pernicitate dæmonum animam invadentium comparetur, lentissimam tarditatem esse. Nullis certè verborum conatibus rabiem illam ad nocendum paratissimam, & volatu celerrimo se, arrepta occasione properantem assequi valemus. Volucres rapacissimæ sunt, quæ aerem obsident, & malitiæ, ac invidentiæ stimulis volatum vehementer incitant. Enituntur enim tantundem sedulitatis ad nocendum adhibere, quantùm ab Angelis ad salutem generis humani procurandam impenditur. Et quemadmodum Angelos alatos ad expeditissimam salutis procurationem non

Aquilae velocitatis comparatio.

H

Scripta An. 1607.

immeritò pingimus: ita dæmones alis fultos ad interitum velociſſimè inferendum concipere debemus. Mirum eſt, quantò impetu Aquila è ſublimi ad animantia, quæ humi repunt, ſe quaſi fulmen jaculetur, quàm fortiter diſcerpat, quàm certò prædam corripiat. Verùm hæc omnia tarda, & lenta ſunt, ſi cum irruptione dæmonum componantur. Infœlices ii, qui humi defixam mentem gerunt, quos tam ſævi hoſtes adeò rapidè, immaniterque prædantur. At non uſque adeò horrendum eſt, dæmones ad hominum prædam debacchari, quandoquidem ad capiendum Deum & homines & Dæmones anhelarunt, quod è proximis Prophetæ verbis accipitur.

Aquilae proprietates

A

RES.

℣. 20. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: in umbra tua vivemus in gentibus.

B

HISTORICE.

Dum ego Jeremias Reges noſtros, Principeſque captos à Chaldæis deſleo, Rgis Regum Chriſti imago ſubit: Capietur enim à poſteris noſtris ob ipſamet piacula noſtra Chriſtus rerum Dominus: quo uno, quaſi ſpiritu vitali noſtro vivimus. Quem prophetico lumine alloquentes dicimus: tu corpus es, cujus umbræ in lege noſtra præcedunt: ſub quibus in te venturum oculos intendentes, à captivitatis æſtu inter Chaldæos recreabimur, atque vivemus.

ALLEGORICE.

C

Jeſus Chriſtus nonnullis, nobis hiſtoricè ſecundò qui cùm ſit verus Deus, ſpiritus puriſſimus eſt, quem Eccleſia inſpirando trahit, à Judæis captus eſt ob ſcelera noſtra: cui meritò Eccleſiæ filii dicimus: ſub protectione tua vitam inter homines veræ religionis exortes ducemus.

TROPOLOGICE.

Ego anima capturam, & vexationem patienter feram. Facilè quippe perſpicio, quantum Chriſto ſimilia pro me paſſo debeam: qui cùm ſit vitalis aura, quam inſpiro; pro me ad necem captus fuit. Quapropter dicam ei, ſub umbra tua ſaluberrima in ſæculi æſtu, inter homines Ethnicis ſua culpa ſimiles, ut refrigerer, ſedebo, ac vivam.

D

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

SAnè mirum non eſt homines dæmonum prædam eſſe, ſiquidem *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*, quando ſcilicet Judæi à dæmonibus agitati, æquè ac dæmones ipſi furentes, duce infœliciſſimo Juda, Redemptorem noſtrum, prædam certè pretioſiſſimam, qua ipſi prædones ſalvi eſſe potuiſſent, ferociter ceperunt. Verba hæc à Propheta in ipſo luctu prolata, licèt funeſtam Chriſti capturam contineant, lætiſſima tamen, ac ſuaviſſima ſunt. Hebræus ſic habet: *Spiritus narium noſtrarum Chriſtus Dominus*, ubi pro verbis illis *Chriſtus Dominus* habetur, משיח יהוה *Meſiach Jehouah*, hoc eſt, Chriſtus Deus, nam nomen tetragrammaton vero Deo congruit: ut pateat hunc textum de Chriſto vero Deo (non verò adeò propriè de Joſia) accipiendum eſſe: neque vertendum eſſe *Chriſtus Domini*, ſed *Chriſtus Dominus*, ut vulgatus tranſtulit, & Septuaginta Interpretes vertunt ajentes: πνεῦμα προσώπου ἡμῶν χριστὸς κύριος, *Spiritus faciei noſtræ Chriſtus Dominus*. Chriſtus ergo, accepta metaphora ex ſpiritu, ſive aere naturali, eſt ſpiritus vitæ, qui ante faciem animæ, hoc eſt, palàm flat, & in faciem ipſam influit; quem Anima, ut vivat, inſpirat. Hunc os Animæ (iuxta Vulgatum) vel (iuxta Hebræum) nares Animæ trahunt, ſicut corporeæ nares, naturalem aerem hauriunt. Hæc eſt mira virtus Chriſti, ut ejus inſpiratione Anima vivat: & ex hoc texitur argumentum ſanè nervoſiſſimum ad omnem calamitatem elevandam. Quod in hunc modum diſponi poſſet: *Chriſtus Dominus*, qui nobis immeritis inſpirationem, vitámque largitur, inſons propter peccata noſtra captus & necatus eſt: ergo æquo animo ferendum eſt, ſi peccator pro ſceleribus propriis expiandis capiatur & excrucietur. Præterea ex hacipſa meditatione ad captandum ab æſtu vitæ mortalis refrigerium anima erigenda eſt. Et dum inter gentes (hoc eſt) homines, Ethnicis ob turpitudinem vitæ ſimillimos, vitam ducere cogitur, nullum ei ſalubrius conſilium dari poteſt, quàm ut ſeriò dicat: *Sub umbra*, hoc eſt, ſub vexillo aut protectione *Chriſti multa multa pro me paſſi, vivam, illumque malorum tolerantia, imitari conabor*. Hæc eſt vera cordis requies.

Judas proditor.

E

Textus Hebraicus.

Lect. Hebr.

LXX. *Interpp.*

F

Ratiocinatio ad pœnitentiae tolerantiam.

G

SIN.

℣. 21. Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.

HISTORICE.

Exulta nunc Idumæa, quæ Chaldæis adversùs ſanctam Urbem ſociata es (ait Jeremias:) Deus tibi definitam ultionem, ut commeruiſti reddet: & quaſi temulenta ab hoſtibus tuis expoliata contumeliosè tractaberis.

H

ALLEGORICE.

Triumphum agite modò ſectarii, qui Eccle-

Scripta An. 1607.

cleſiam quaſi victam & vaſtatam irridetis. Profectò & vos tormentorum atrocitate, velut ebrietate multa, à mente alienati, & omni proſperitate nudati, deriſioni patebitis.

TROPOLOGICE.

A *Jactate modò dæmones animæ prædam, quam Deo juſtè ſinente, vos injuſtè cepiſtis. Etenim & vos ebrios, & nudos, hoc eſt furore inflammatos, & armis expoliatos æterno ludibrio Deus exponet.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

Christus vita animae.

PRoximè dictum eſt, Chriſtum eſſe flatum vitalem, quem anima inſpirat, ut vivat: quo certè refrigerio ad immania tormenta perferenda roboratur. Nunc alia meditatione ſatis opportuna utitur, quæ cor opprimi non ſinit, dum attentè cogitat, dæmones Idumæis ad Urbem ſanctam vaſtandam conjuratis notatos, non ſemper ſævituros: im-
B mò à Deo decretum eſſe, calicem ad eos perventurum, hoc eſt, ipſos invitos, velut ad irriſionem nudandos, ut ſimilia (quamvis acriora) ferant iis, quæ nefariè intulerunt. Illa ergo verba, *Gaude, & lætare filia Edom*, permiſſionem quandam ſatis elegantem continent: cujus expenſio utilitatis plurimum affert. Universè quippe omnibus dæmonibus, vel hominibus ſceleratis multa permittuntur, quibus lætari, gloriarive videntur: quibus tanquam dementibus obiiciendum eſt, gloriam illam egregiè ſimulatam, æterna infamia & deriſione permutandam: quod ad hoſtes enervandos, animumque fulciendum non parum ponderis habet. Quicquid autem de dæmonibus prædam jactantibus aſſeruimus, ſceleſtis hominibus, qui unà cum dæmonibus animam oppugnant, aptè tribui poteſt. Sunt enim perquàm ſimiles
C Idumæis, qui Chaldæis fœderati, Urbem ſanctam demoliti ſunt. *Lætantur, cùm malè agunt*, & alios injuſtè divexant. Verùm tauros hos laſcivientes ſecuris ad ictum exacuta manet. Lætatus eſt Pharao, dum captivos Hebræos opprimeret. Antiochus, dum Judæos ad idololatriam cogeret. Jezabel, dum alienam vineam inſontis nece occuparet. Sed Pharao demergitur, Antiochus computreſcit, Jezabel præcipitatur.

Exod. 1.

1. Mach. 1.

3. Reg. 21.

THAV.

D ℣. 22. Completa eſt iniquitas tua filia Sion, non addet ultrà, ut tranſmigret te: viſitavit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua.

HISTORICE.

Poſt annos ſeptuaginta iniquitatis tuæ ultionem Deus explebit, ô Jeruſalem. Spera firmiter, fore, ut te non ultrà è patriis ſedibus Deus ultor expellat. E contrario te, Idumæa, Deus puniet, & peccata tua publicè exprobrabit. E

ALLEGORICE.

Poſt inflictas pœnas exhauſtas, ô Chriſti Eccleſia, Dei furor requieſcet: neque te à tuis hoſtibus abduci, permittet. At vos ſectarii, ſponſæ Chriſti hoſtes, tempore decreto cædemini, & crimina veſtra orbi univerſo retegentur.

TROPOLOGICE.

Omnis tandem ultio reſidebit, ô anima, neque à dæmonibus ulteriùs captiva abduceris. Dieſque Judicii extremi decreta eſt, ut tu Lucifer, tuique ſatellites æternis vinculis compediamini ob teterrima ſcelera veſtra, quæ univerſis creaturis pateſient. F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

POſtquàm Jeremias vaſtitatem horrendam luxit, Prophetico lumine divinæ ultionis metam conſpicatus, ſolatur Jeruſalem, ac terret Idumæam, & in ſenſu arcano animæ nuntiat fauſta, dæmonibus dura prædicit. *Completa eſt iniquitas tua filia Sion, non addet ultrà, ut tranſmigret te*, quod ad animam ſpectat: *Viſitavit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua*; quod ad dæmonum punitionem attinet, quaſi luculenter diceret, rerum exitum apertè proſpicio: adeſto mihi ô anima, & verba ſingula perpendito: peccaſti graviter, & acriter plexa es: multis fulminibus è cœlo tacta, & à truculentiſſimis hoſtibus diu, multumque diſcruciata es, at non ſemper torqueberis. *Completa eſt*, hoc eſt, complebitur *iniquitas*, id eſt, pœna iniquitatis tuæ, præteritum pro futuro ex certitudine Prophetiæ: lumine quippe prophetico pœnæ finis, ac proinde pœna completa repræſentatur. *Non addet ultrà ut tranſmigret te*, hoc eſt, ut Deus expellat te: quæ ſanè dulciſſima verba ſunt. E contrario verò verba illa ſunt formidine plena: *Viſitavit iniquitatem, diſcooperuit, peccata*. Ubi æquè præteritum pro futuro uſurpatur. Silet nunc Deus & patienter agit, omnia circumſpicit, & temperat, ut dæmonum, ac ſceleſtorum hominum exercitio juſti purgentur, atque proficiant. Ira tamen diutiſſimè repreſſa gliſcit, & vires immenſas acquirit: quocirca definito ultionis tempore, vehementer erumpet, & hoſtes animæ nunc licenter graſſantes, carcere ſempiterno concludet. G H

ORA-

Scripta An. 1607.

ORATIO JEREMIÆ PROPHETÆ

A

CAPUT V.

℣. 1. Recordare Domine, quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium nostrum.

Historice.

Clementissime Deus, qui Jerusalem videris oblitus, recordare quid acciderit nobis, id est propitiare nobis Hebræis. Vide, ac dele captivitatis nostræ improperium.

B

Allegorice.

Respice mitissime Deus calamitates, quæ acciderunt mihi Ecclesiæ tuæ, illasque propulsa.

Tropologice.

Expende amantissime Deus, quid acciderit mihi animæ à te redemptæ. Intuere opprobrium captivitatis, quam per propriam culpam & dæmonis sævitiam incurri, mihique medere.

Expensio Tropologiæ.

C

POstquàm Jeremias quadruplici alphabeto Jerusalem, Ecclesiæ, & animæ calàmitates recensuit, ac deflevit, supremisque alphabeti quarti verbis, fausta nuntiavit: nunc ex intimis præcordiis ad propitiandum Clementissimum Deum totus in orationem incumbit, aitque *recordare Domine, quid acciderit nobis*, quibus verbis sic animam dulcissimè dicentem inducit: Quid est hoc suavissime Deus? Ergone nunquam mihi placaberis? Quousque ultio tua in me creaturam tuam laboribus jam eruditam tibi suspirantem ingravescet? Quiescat, obsecro, ira justè concepta: & pro mitissimo ingenio tuo non tam jus puniendi, quàm occasionem miserendi perpende. Quænam oblivio est hæc adeò prolixa, qua videor animo tuo in me propensissimo excidisse? *Recordare, intuere, respice*. Exhibe jam mihi animæ à te pretiosissimo sanguine redemptæ propitia memoriæ signa; conjice in me languentem hilares amoris oculos: neque semel, aut iterum, sed creberrimè respice, quàm funestam cladem tui, ac mei hostes mihi sacrario tuo intulerint. Hæc quippe divina propensio decet nobilissimum cor tuum, cui nulla potest liberalitatis, aut clementiæ accessio

Animae oratio.

D

fieri. Discute nubilia hæc, quibus gravor, ac opprimor, & cœli à me tamdiu expetiti serenitatem ostende. Hos & alios similes affectus animæ subeuntes per allata Prophetæ verba repræsentatos concipere æquum est. Iam enim animam non peccati ream, sed vexatione expiatam, & amantem Vates sanctus hic loquentem repræsentat: quæ non ab re Deum sibi statim affuturum, dum precatur, existimet. Derelictioni quippe, absentiæque, solatium, præsentiaque succedunt, & in horas singulas jam jam apparere videntur. Quod in omni amoris genere verum est, ut ostendit ille:

E

Mœsta tamen scopulos, fruticosaque littora calco: *Ovid. Heroid. Epist. 2.*
Quaque patent oculis æquora lata meis.
Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sydera, prospicio quis freta ventus agat.
Et quæcunque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror esse Deos.

F

Hæc amor humanus: at divinus amor subtiliora sensa, & sollicitudinem majorem creat.

℣. 2. Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos.

Historice.

Terra lactis & mellis feracissima, quæ nobis, à te tanquam hæreditas à patre obvenit, domusque nostræ cesserunt in ditionem Chaldæorum.

Allegorice.

G

Et sacra prædia, & ædes Ecclesiæ à sectariis violenter occupatæ sunt.

Tropologice.

Ego anima, quæ tua hæreditas Deus & domicilium fui, à dæmonibus capta sum.

Expensio Tropologiæ.

HÆreditatem à dæmonibus direptam, quæ ab illis plurimi fit, animam esse, in arcano sermone compertum est. Erat Christi hæreditas, sicut scriptum est: *Dabo tibi gentes*, scilicet homines, vel animas *hæreditatem tuam*. Et hoc spectaculum Prophetæ luctuosissimum visum est, Dei nimirum hæreditatem, ac domum ad alienos (hoc est) dæmones transisse. Portentosa certè sortis commutatio: cujus vim à tam diversis hæreditatis possessoribus perpendere licet. Domo Dei nihil speciosius, domicilio Satanæ nihil horribilius: ibi cœlestis curiæ ordo mirus, ac decor elucet: *hic nullus ordo, sed umbra* *Psalm. 2. 8.* *Job. 10. 22.*

H

mor-

Scripta An. 1607.

mortis, ſempiternus horror inhabitat: Quòd verò anima Deum pro ſe ipſa obſecrans dicat: *Hæreditas noſtra, domus noſtra*: cùm tota Dei ſit, mirum non eſt: ipſa quippe ſui ipſius ſimul ac Chriſti hæreditas, & domus eſt. *Quid tam tuum, quàm tu* (inquit Auguſtinus) exponens illud: *Mea doctrina non eſt mea*; *& quid tam non tuum, quàm tu, ſi alicuius es, quod es?* Communis ergo agitur cauſa, & hinc oratio impetrandi vim efficaciſſimam haurit, quia pro utriuſque hæreditate redimenda preces funduntur. Ex quibus efficitur, ut anima Deo inviſa non potiatur ſe ipſa, cùm neque à Chriſto, neque à ſeipſa inhabitetur. Hæreditatem verò, domumque recipit, cùm ad ſe reverſa Deo reconciliatur: tunc enim à Chriſto incolitur, & poſſidetur, ſeque ipſam inhabitat, & poſſidet. Hæc eſt hæreditas ingenuorum, & domus abſque tributo in Iſrael.

Tract. 29. in Joan.

A

℣. 3. Pupilli facti ſumus abſque patre, matres noſtræ quaſi viduæ.

B

HISTORICE.

Cæſis viris civibus Jeruſalem, nos ætate juniores, ac matres noſtræ miſera orbitate perimus.

ALLEGORICE.

Conquerimur nos Eccleſiæ populi, quia per tyrannos ac ſectarios, Antiſtites ac Paſtores noſtri occiſi ſunt. Unde nos orphani, & Eccleſiæ, quæ nos genuerunt, viduæ remanſere.

TROPOLOGICE.

Ego anima repulſa à te ſuaviſſime Deus, qui parentis erga me affectum gerebas, quaſi patre orbata extabeſco: materque mea Eccleſia, quæ me utero ſuo concepit, & in lucem edidit, dum prolem ſuam à te alienatam vidit, quaſi vidua ſibi viſa eſt.

C

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

EXploratiſſimum eſt, Deum in animam ſibi gratam paterno ac materno affectu propenſiſſimum eſſe, quod multis effatis Scripturæ Sacræ, ac rationibus, vel ex ipſo lumine naturali ductis evincitur. Nihil enim parens uterque filiis præſtat (ſive vitam, ſive educationem, ſive patrimonium, ſive aliud quippiam ad commoditatem, vel ornatum ſpectans perpendamus,) quod non cumulatius Deus ipſe conferat, & conſervet. Anima ergo huius veritatis conſcia, quæ patrem vitrico, matrem noverca permutavit, in ſe reverſa dolet hanc vicem ſuam adverſam, & in ſtatum priſcum reſtitui contendit. Quod quàm ſit rationi conſonum, ex eo

D

patet, quòd legitimi quoque parentes liberos plerumque parùm liberaliter alunt, vel educant, & interdum quaſi alienos deſerunt: quod à divina bonitate derelictos filios humaniter excipiente longiſſimè diſtat, ſicut ſcriptum eſt: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.* Verum eſt ſanè, unum Deum pro millenis parentibus eſſe: at Propheta Sanctus patres, non matres hîc defuiſſe commemorat, ajens: *Pupilli abſque patre, matres quaſi viduæ*. Animæ enim, quæ Eccleſiæ filia eſt, dum in culpam prolabitur, mater non eripitur. Niſi enim à fidei caſtris deficiat, vel expellatur, Eccleſiæ filia eſt: at Deo quaſi parente caret, cui per peccatum ſe inviſam reddidit, ac proinde paternæ curæ ſubtraxit: ex quo Eccleſia, quod ad animam illam ſpectat, quaſi vidua effecta eſt. Arcanoque ſenſu dicere poteſt: filia hæc mea patre, quem reiecit, caret. Et ego ſanè egeo caſto Dei complexu, & regeneratione, ut filia hæc è culpa ad proprium filiorum Dei ſtatum, è quo exciderat, reſurgat, ſive renaſcatur.

Pſ. 26. 10.

E

℣. 4. Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparavimus.

F

HISTORICE.

Tyrannicè nobiſcum in captivitate Babylonicæ actum eſt; aquam quippe communium fluviorum, & ligna ſaltuum duriſſimæ conditione ſervitutis emere coacti ſumus.

ALLEGORICE.

Sanctis Paſtoribus cæſis, Antiſtites degeneres ſubintrarunt, à quibus, niſi pacto pretio, ſæpè nos Eccleſiæ filii ſacra impetrare nequivimus.

TROPOLOGICE.

G

Ego anima infœlix, quæ à te receſſi (amantiſſime Deus) & aquam & ſterilia ligna, & alia bona temporalia ſalutis æternæ pretio, ſive diſpendio comparavi.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ESumma bonorum affluentia in extremam rerum inopiam anima Dei deſertrix lapſa eſt. Quid enim vilius aqua, quæ per communes alveos fluit? Et tamen ſevero Dei judicio, ob peccata in Deum commiſſa, homines plerique in tantam incidunt egeſtatem, ut è fluminibus ipſis, vel morbis, vel carcere, vel vaſorum defectu, vel prohibitione impediti, aquam haurire non valeant. Tribui ſanè ſolet extrema calamitas hæc aliis cauſis, quas oculi carnei perſpiciant; ſed ſi ab origine repetatur, ſuperno conſilio efficitur, ut anima, quam tædere

H

cœ-

Scripta An. 1607.

cœpit aquæ puriſſimæ, qua Deus illam à mundi æſtu recreabat, ne aquam quidem, animantibus ad nutum expoſitam, ad corpus potandum ſine pretio poſſit acquirere. Non potuit impenſius exaggerari animæ infœlicitas, quàm prolata in medium aquæ inopia, quæ nemini deeſſe poſſe videtur. Simile

A eſt, quod de lignis additur: Ubi enim ſylvæ frequentes, ac cæduæ ſunt, frigore ob lignorum defectum obrigeſcere, & ad coquendos cibos igne proinde, niſi patetur pretio, carere, vaſtitatis immenſæ argumentum eſt. Hæc ſanè corporis mala ſunt, ſi cutem dumtaxat inſpiciamus: at hæc ipſa, quæ ſenſus horrent, Deus ad eruditionem animæ ſolet immittere, ut corpore afflicto illa reſipiſcat. Verùm, quod præſertim deſieri debet, iniqua commutatio, ſeu venditio eſt; nam qui ſemel Dei timorem abjecit, hæc ipſa viliſſima bona corpori tantùm utilia ſalutis æternæ pretio, vel jactura comparare ſolet. Quid enim aliud eſt pro temporali eſca, potuve peccare, quàm aquam æternæ fœlicitatis pretio coemere? & tamen hoc crimen uſitatiſſimum eſt.

B

℣. 5. Cervicibus noſtris minabamur: laſſis non dabatur requies.

Historice.

Poſt immenſos diei labores à victoribus Chaldæis impoſitos, cùm iam noctu quieſcendum eſſet, nos humeris noſtris minas novorum onerum intentabamus: quia ne noctu quidem feſſis requieſcere licebat.

Allegorice.

Nos Eccleſiæ filii à fidei hoſtibus capti, nobis ipſis vexationem importunam prædicebamus: nec enim ſectarii ii erant, à

C quibus ulla requies laſſis permitteretur.

Tropologice.

Jugo Dei ſuavi detrectato, ego anima, quæ juga boum quinque ſubivi, mihi ipſi graviſſima pœnarum è culpa naſcentium pondera minitabar, ſub quibus requiem nullam invenirem.

Expensio Tropologiæ.

EXperimento nimis frequenti comperitur, animam quæ Dei jugum averſata eſt, quaſi libertate fruitura, in ſortem contrariam infœliciter incurrere. Subeunt enim pericula varia, multipliceſque labores, quos vita mortalis affluenter parit; & cùm eos anima

D vel invita perlatura ſit, acriùs multò affligitur, quàm ſi ſub Chriſti jugo appetitui proprio vim afferre decreviſſet. Nam ut capita multa pretereamus, à quibus impiorum afflictio creſcit, profectò conſcientiæ ſtimulus deeſſe nequit, qui requiem nullam permittit.

Stimulus conſcientiæ.

Quin etiam, re prudenter expenſa, quis non apertè perſpiciat, mitiorem eſſe juſtorum Chriſti jugum ſponte ferentium laborem, quàm impiorum, quos invitos mundi jugum ferreum premit? Si quippe impatienter agunt, & in rabiem, velut canes funibus, ſeu catenis obligati feruntur, ac denique (quod caput eſt) abſque ulla ſpe, quæ labores E mirificè lenire ſolet, ipſis laboribus extabeſcunt. Contrà verò juſti ipſamet patientia laborem extenuant, animos generoſos vincendo creant, & ſpe futuræ fœlicitatis intimè gaudent. Ex quo efficitur, ut cùm onera ferenda cogitant, minimè pertimeſcant, cùm res ſibi jucundas præ oculis habeant. Nam & Ethnicus ille per Africæ deſerta milites ſuos ducens, ſic de laboribus protulit:

..... Serpens, ſitis, ardor, arenæ; *Lucan. De bel. civ. lib. 9.*
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.

At ſceleſti homines mollia cupientes, vel ſola laborum cogitatione palleſcunt, ſibique onera imponenda metu extimulante ſuſpicantur. Hoc ſibi volunt verba illa: *Cervicibus noſtris minabamur*, minatur ſcilicet quiſque ſibi, quod metuit. Ratio verò comminationis illius peccati tyrannis eſt: non enim laſſis vllas indulget inducias, quod verba illa convincunt: *laſſis non dabatur requies*, quamvis enim externi hoſtes deſint, inteſtina ſemper prælia gerunt. F

℣. 6. Ægypto dedimus manum, & Aſſyriis, ut ſaturaremur pane.

Historice.

Cum Ægyptiis, & Aſſyriis fœdus pepigimus, ut nos tutarentur, & pane noſtro à Chaldæis non direpto veſceremur.

Allegorice.

G

In eas anguſtias Reges multi Chriſtiani, ob culpas, compulſi ſumus, ut cum regibus Chriſtianæ religionis exortibus ad bona noſtra temporalia tuenda fœdera percutere coacti fuerimus.

Tropologice.

Ego anima cœleſti Euchariſtiæ pane, internique ſolatii nutrimento deſtituta, mundi menſam affectavi, ut ſaturarer.

Extensio Tropologiæ.

VEriſſimum eſt ſanè, animam, quæ in cœleſtis promiſſionis terram à Clementiſſimo Deo ducebatur, & itineris ac laboris illam tædere cœpit, oborta cœleſtium epularum nauſea, Ægypto & Aſſyriis manum dare, hoc eſt, cum ipſo, quem reliquerat, mundo amicitiæ fœdus, quod manibus junctis ſignificatur, inire ad cupiditatem H

Scripta An. 1607.

tem explendam: quod verba illa demonstrant: *Ut saturaremur pane*. Lautam quippe Christi mensam rustica peccatorum progenies fastidire solet, ut belluarum crassiora pabula perquirat. Verùm omnino certum ac exploratum est, appetitum effræ-

A nem, ac infinitum non proinde finitis, ac exilibus bonis saturandum: peccatores enim omnes fame pereunt, & mors illos nondum saturatos intercipit. Profectò ille, cui dictum est: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te*, nondum tot horreis exu-

Peccatores fame pereunt.

Lucæ 12. 20.

berantibus, tot thesauris avarè contractis, tot supellectilibus ad domum instruendam exquisitis saturatus fuerat, siquidem seipsum ad saturitatem adhortabatur: immo in media famis illius anxietate ad judicium pertractus fuit. Sanius ergo consilium est, fœdus pacis percutere cum Clementissimo Deo, qui pane cœlesti suos fœderatos saturare solet. Panis nomine omne ciborum genus in Scriptura passim intelligitur, ut patet ex illo: *Veneruntque Aaron, & omnes seniores Is-*

Exod. 18. 12.

rael, ut comederent panem cum eo coram Deo:

B ubi agitur de convivio Jethro, qui Moysi occurrit, in quo certum est non solùm modo panem appositum fuisse. Sic & in hoc loco verba illa, *ut saturaremur pane*, omnem victum, licèt præcipuè triticum ab Ægipto & Assyriis ex fœdere repetitum significare possunt. Et in arcano sensu planè verum est, animam à mundo, cui per culpam infausto fœdere juncta est, omnes voluptates turpes exquirere, ut famem expleat. Sed profectò res aliter accidit: nimirum non mundus, licèt opulentior multò foret, sed solus Deus animæ dicere potest: *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Psalm. 80. 11.

℣. 7. Patres nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus.

C

HISTORICE.

Majores nostri graviter peccarunt & interierunt: nos eorum imitatores ultionem, quam illi commeruere, perpetimur.

ALLEGORICE.

Ante annos multos degeneres Christiani, majores nostri, vitia cum natura in nos quasi transfuderunt, nosque illis persimiles, ultrice ira Dei per Ethnicos, Saracenos & hæreticos sæviente correpti sumus.

TROPOLOGICE.

D *Ego filius patri culpa similis severè cum patre punior.*

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

INjustitiæ nota ulla divino candori inuri non potest: quapropter credi non debet, innoxios absque causa pœnis exerceri. Profectò apud mortales hæreticorum liberi, tametsi Catholici sint, parentum suorum crimina ex parte luunt. Ad parentum quippe justam punitionem liberorum damna, ut bonorum publicatio, infamiæ nota, aliaque similia pertinent, ut amore filiorum à crimine deterreantur, quos Dei amor non absterret. Lex porrò æqua est, quam filii patienter ferre debeant: verùm apud immortalem judicem, in salutis æternæ causa, *filius non portat iniquitatem patris*, quem culpa non imitatur. At ubi filius non solùm naturæ, sed criminis hæres est, iram Dei vehementer irritat. Quocirca in arcano sensu paraphrasis habet hæc verba, *ego filius patri culpa similis severè cum patre punior*. Et quidem in sensu ipso historico veritas hæc palàm elucescit: Cives enim Jerusalem, quorum parentes peccasse, ac non esse Jeremias testatur, non modò natura, sed culpa suis patribus simillimi erant: neque ullam idoneam querimoniarum rationem prætexere poterant. Clementiùs enim cum ipsis, quàm cum eorum parentibus actum est: cùm parentes castigatione simili non correpti, æternas pœnas jam tunc temporis darent; ipsi verò temporali calamitate illa & resipiscere, & cruciatum sempiternum præcavere valerent. Etsi verò hæc ita se habeant, oratio nihilò feciùs ad misericordiam impetrandam opportuna est. *Patres nostri peccaverunt, & nos iniquitates eorum portavimus*. Clementiùs quippe cum liberis malè instructis, quam cum patribus malè instruentibus agendum est. Illorum enim auctoritas culpam exaggerat, status liberorum imminuit.

Filii pœnas pro parentibus luunt.

E

Exech. 18. 20.

F

℣. 8. Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum.

G

HISTORICE.

Idumæi conditione servi, qui nobis olim tributa pendebant, nobis genere nobilibus dominati sunt, neque redemptor ullus affuit.

ALLEGORICE.

Ego non exigua prorsus ex parte nobilitas Christiana à tyrannis obscurissimis, & humillimis sectariis in servitutem redacta fui: neque fuit, Deo sic agente, qui me in libertatem assereret,

TROPOLOGICE.

Dæmones æterna servitute damnati, me anima potiti sunt, neque quamdiu in culpa jacere volui, ullus liberator extitit:

H

Scripta An. 1607.

Expensio Tropologiæ.

Servitus peccati durissima,

NUlla planè servitus cum peccati servitute durissima, & abjectissima comparari potest. Vilissima quippe ministeria peccator obit, quæ naturam humanam prorsus dedecent, Terram cogitat, versat, gestat, velut rude jumentum exportando fimo destinatum. Jam verò juxta oraculum illud, *Joann. 8. 34.* *Qui facit peccatum, servus est peccati*, qui maximus peccator est, turpissimum mancipium erit; & cùm dæmones in culpa principatum obtineant, postrema servitute notati erunt. Hi ergo servi ad infimam vilitatem, infamiamque delapsi, animæ dominari dicuntur; ut quæ, cum Deo gratiæ divinæ forma similis foret, ad similitudinem dæmonum peccando degeneravit, pro suavissimo Dei principatu illorum tyrannidem ferat. Crudelis dominatus est, à quo fatetur anima non fuisse, qui eam redimeret, excepto videlicet uno Deo, quem propterea impensissimè deprecatur, ac si in hunc modum oraret; intuere clementissime Deus, è qua sublimitate in quam servitutem inciderim. Dæmones ob culpam æterna servitute damnati tanquam tyranni efferati me discruciarunt, quorum atrocitati me semel permissam nemo eripere potuit. Oro ergo te, qui reatum solus relaxare vales, mihi prostratæ parcas, & in optatam libertatem vindices. Rectiùs diceret homo per culpam arcanè captivus, quàm ille;

A

Animæ deprecatio ad Deum.

B

Ovid. lib. 2. de Trist. Ad. Aug. Cæsarem.

Ultima perpetior medios ejectus in hostes:
Nec quisquam patria longius exul abest.

Precor ergo te, summe Deus, quando non est, qui redimat ab exilio; tu me redime.

Ψ. 9. In animabus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladii in deserto.

C

Historice.

Cum vitæ discrimine nos Judæi triticum nostrum demetebamus, Idumæis aliisque finitimis hostibus armatis in nos per deserta violenter irrumpentibus.

Allegorice.

Sæpè nos Ecclesiæ filii edictis Regum tyrannorum vetita victus emptione, panem cum vitæ periculo coemimus.

D

Tropologice.

Verò cœli pane repudiato gratis, ego anima pœnis multis obnoxia, corporis cibum cum æternæ vitæ jactura comparavi.

Expensio Tropologiæ.

MOdus ille dicendi *in animabus nostris*, tantundem valet, ac, cum vitæ periculo. Phrasis est Hebræis familiaris. In clade autem Jerosolymitana, Idumæi, aliique hostes Judæos ad segetes demetendas prodeuntes invadebant, ut quod cum labore severant, & coluerant, sine vitæ discrimine recondere nequirent. Hæc est animæ infidæ fors, ut & panem corpori alendo necessarium, in quo multum operæ ponit, sine salutis æternæ periculo parare non possit. Idumæi quippe, hoc est, dæmones, dum ad res necessarias conquirendas in publicum progreditur, multis irruptionibus & per seipsos, & per homines scelestos administros suos, eam in pejora crimina deturbare nituntur. *Facies* ergo *gladii*, tentatio hostium, quasi districtis gladiis aggredientium est. Precatur ergo anima ex hoc capite Deum, meminerit hujus extremæ calamitatis, & sine timore gladii panem largiatur, ac si ad hunc modum oraret: recordare mitissime Deus, in quantam ego anxietatem inciderim, ut in procuratione panis gladios infestos offenderem; ne, precor, & tu gladium mihi intentes. Posset uti precatione illa cujusdam supplicantis;

E

F

Parce precor, fulmenque tuum, fera bella, reconde:
Heu nimium miseræ cognita tela mihi!

Ovid. lib. 2. de Trist. Ad. Aug. Cæsar.

Gladios multos passa sum; tuum, ne patiar, enixè oro. Septuaginta vertunt: *à facie gladii deserti*, ἀπὸ προσώπου ῥομφαίας τῆς ἐρήμου. Ubi gladium deserti historicè, miseriam, quæ ex abductione per desertum orta est, significare videntur.

LXX. Interpp.

Ψ. 10. Pellis nostra quasi clibanus exusta est, à facie tempestatum famis.

G

Historice.

Nos Cives Jerusalem, fame, procellæ instar sæviente, tanquam ignibus concremati exaruimus.

Allegorice.

Plerumque ego populus Christianus velut igne acri ustulatus apparui, præ panis Eucharistici defectu.

Tropologice.

H

Cùm pane potuque cœlesti carerem ego anima, humore gratiæ vitali consumpto, turpiter torrida visa sum.

Ex-

Scripta An. 1607.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

DEscribitur hic anima sub imagine corporis præ fame graciliſſimi, quod oſſibus tantùm, & aduſta pelle conſtet. Sanè ſic ſe res habet: nemo enim, niſi qui ſpirituales oculos nactus eſt, ſatis aſſequi poteſt, in quantam maciem anima Dei paſtu deſtituta deveniat. Pellis velut igne exiccata repræſentatur: omnis enim ſuccus ille vitæ index abſumptus pingitur ad extremam animæ ariditatem innuendam. Porrò quamdiu illa Deo hæret, victum arcano pane, potuque conſtantem recipit, quo non modò illa vivit, ſed corpus quoque vegetius, & robuſtius efficit. At ubi miſero divortio à ſummo illo bono diſcedit, quantumvis corpus curet, marceſcit, & viribus exhauſtis concidit. Rectè dictum eſt: *à facie tempeſtatum famis*: non enim myſtica inedia hæc unam vel alteram, ſed innumeras tempeſtates ſævas amplectitur. Hoc de interno paſtu, potuque, qui ex Dei conjunctione percipitur: at idem de infauſta Euchariſtiæ abſtinentia, quæ animam enervat, æquè aſſeri poteſt. Nam quod de populo Chriſtiano in paraphraſi allegorica tetigimus, de quavis anima ad proportionem proferimus.

A Anima Dei paſtu deſtituta perit.

B

℣. 11. Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in Civitatibus Juda.

HISTORICE.

Chaldæi milites, & in loco totius Urbis Sanctæ auguſtiſſimo Sion, & in cæteris urbibus Iudææ, non mulieribus tantùm, ſed virginibus quoque abuſi ſunt.

ALLEGORICE.

C Incredibilis penè incontinentia illuſtrem Eccleſiæ partem in ædibus quoque ſacris deformavit.

TROPOLOGICE.

Quia Chriſtum ſponſum anima per culpam turpi divortio reſpuit, ad horribilem carnis turpitudinem à dæmonibus devoluta eſt.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

NImis compertum eſt, animas plures, quæ caſto Chriſti complexu fruebantur, ubi nefariè torum violarunt, in horrendam luxuriæ voraginem poſteà demergi. Nam cùm oblectamenta illa interna, pluraque defuerint, quibus non anima tantùm, ſed corpus quoque pro captu ſuo aſſueverat, appetîtus mœſtitiæ, cui ſuccumbit, impatiens, peregrinas voluptates exquirit. Et quidem fœditas hæc ubique turpis, at *in Sion in Civitatibus Iuda*, hoc eſt, in locis cultui divino dedicatis multò turpior, & horribilior eſt. Quin etiam, ſi ſenſum magis arcanum expendamus, in anima, quæ in arce Sion, hoc eſt, in ſtatu monaſtico, ex profeſſo, Deo vacavit, & virginitatem, eximiamve caſtitatem coluit, turpitudo ultra modum excreſcet. Et tamen (quod ſine dolore commemorari nequit) hoſtes Civitatis Dei, non dæmones tantùm, ſed homines intmeperantes paſſim occurrunt, *qui mulieres in Sion humiliaverunt*, hoc eſt, libidine fœdarunt, *& virgines in Civitatibus Juda*: neque enim ſacræ virgines intra Monaſteriorum ſepta ab huiuſmodi irruptionibus immunes ſunt.

Alia textus explicatio.

A

E

℣. 12. Principes manu ſuſpenſi ſunt; facies ſenum non erubuerunt.

F

HISTORICE.

Hebraicæ gentis Principes à Babylonicis militibus ſuſpendio necati. Senes veneratione digniſſimi ignominiosè tractati ſunt.

ALLEGORICE.

Nobiliſſimi Eccleſiæ Confeſſores multis modis ſuſpenſi à fidei hoſtibus fuêre. Venerabiliſque Antiſtitum canities deſpectui habita eſt.

TROPOLOGICE.

Animam verè Principem, hoc eſt, anteactæ vitæ ſanctitate illuſtrem, dæmones quodam ſuſpendii genere præfocarunt, ne auram Spiritus Sancti vitalem traheret, neque ſenectutem mentis, hoc eſt, diuturnam vitæ præteritæ ſanctimoniam reveriti ſunt.

G

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

DÆmonum ſævitiam Deo Propheta repræſentat, ut animæ culpam elevet, ac veniam impetret. Erat ſanè anima Deo accepta, mundi totius, quem calcabat, princeps, ac domina. Erat mentis ſenectute, hoc eſt, prudentia venerabilis, ut ei propterea inſignis honor deberetur. Benè norunt hoc dæmones, qui tam eximiam dignitatem animæ invidebant, ne in ſedes, quas illi amiſerunt, ſalva conſcenderet. Propterea quodam ſuſpendii genere, hoc eſt, atrociſſima præfocatione, ſive cordis oppreſſione ipſius fauces aſtrinxerunt, ne Spiritum Sanctum arcana inſpiratione traheret, ac immortali vita viveret. Non eos ab inſultu deterruit mentis canicies, & maturitas illa, quam Angeli reverebantur: invidentiæ quippe furore perciti omnia honoris ac timoris clauſtra eò ferocius perruperunt, quò major in anima dignitas, puriorque vita reſplenduit. Hinc texitur argumentum ad veniam fiden-

Anima Deo accepta mundi totius Domina.

H

Argumentum ad ſpem veniæ.

Scripta An. 1607.

fidentiùs poſtulandam: æquum enim videtur, ut dæmonum truculentia retundatur, ignoſcaturque animæ, quæ non tam peccandi libidine, quàm tentationis vehementia cecidit. Quam ſanè rationem à Deo minimè
A negligi, facilitas indulgendi mitiſſimo ejus corde digna demonſtrat. Quia in re miſericordiam non ſine proportione homini potiùs, quàm Dæmoni impendi perſpicimus. Lucifer enim, quanquàm ſuſpendio ſuperbiæ, qua ſe in altum extulit, interiit: at (ut humano more dicamus) non affuit carnifex, ſive ſuſpenſor, qui eum urgeret: verùm in hominis ſuſpendio dæmones incredibili ſollicitudine animam extimulant, & ad eam, ne in Deum reſpiret, præfocandam, laqueum faucibus iniiciunt, & omnia mortis inſtrumenta coaptant.

℣. 13. Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt.

B

Historice.

Præpoſtera libidine adoleſcentes Hebræos Chaldæi fœdarunt: & pueros graviſſimis oneribus lignorum impoſitis ſuccumbere fecerunt.

Allegorice.

Horrendum ſanè ſupplicium, Chriſtianos pueros, teneros Eccleſiæ filios bellis captos, Mahumetani, aliique fidei hoſtes nefanda libidine corruperunt, & fuſtibus ad veræ fidei abjurationem coegerunt.

Tropologice.

Incredibili ſævitia dæmones adoleſcentium ætatem ebulliente ſanguine in horrendam luxuriam præcipitant: & pueros, utpote parùm rationis compotes, quaſi fuſtibus illiſis, ſub appetitus pondere corruere faciunt.

C

Expensio Tropologiæ.

PErgit Vates ſanctiſſimus crudelitatem dæmonum expendere, ut Clementiſſimus Deus parcat, aitque, *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt.* Exploratum eſt, omnem culpam non miſericordiæ, ſed juſtitiæ, ac ultionis divinæ irritamentum eſſe. At verò rerum circumſtantiis mutuò collatis, & perpenſis, nemo non cernit pueritiam & adoleſcentiam errare minùs graviter, quàm peccet ætas adultior; ac propterea divinæ bonitati, quæ occaſiones miſerendi captat, conſentaneum eſſe, faciliùs pueris, & adoleſcentibus indulgere. Fervet ſanguis, rerum ignoratio facit audaces, neque conſilio valent, ut ſibi fortiter imperent: dæmoneſque ætatem, fragilitatem, inſcitiamque callentes facilè in turpiſſima peccata propellunt. Propterea Vates noſter excuſationem qualemcumque ætatis obtendit,

Pueritiæ, & adoleſcentiæ errata minus gravia.

D

ut Clementiſſimum Deum exoret: *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: pueri in ligno corruerunt.* Ac ſi hoc modo precaretur: probè noſti (ſumme Deus) quàm validè dæmones adoleſcentes ad Venerem pulſaverint, & pueros quaſi fuſtibus intentatis, E
niſi peccarent, terruerint, placare quæſo, & culpæ & pœnæ malum averte.

℣. 14. Senes deſecerunt de portis, juvenes de choro pſallentium.

Historice.

Senes Hebræi è portis Urbis, ubi judicia celebrabant, à Chaldæis depulſi, juvenes à feſtivis ſodalitiis, ubi lætis carminibus ludebant, amoti ſunt.

Allegorice. F

Irruptionibus hoſtium fidei multa Eccleſiæ tribunalia defecêre: multa ſacrorum feſtorum lætitia, qua juvenes ad pietatem inſtruebantur, extincta eſt.

Tropologice.

Dæmonum impetu cani mentis ſenectus, & vera Dei gaudia animæ proſtratæ erepta ſunt.

Expensio Tropologiæ.

DUo profert Sanctus Propheta ſuperiùs facta, ſenes, juveneſque defeciſſe, quod in arcano ſermone idem eſt, ac ſi fateretur, mentis ſenectutem, cordiſque lætitiam, illam ſenibus, hanc iuvenum choro ſignificatam G
concidiſſe. Profectò mœſtiſſimus animæ à Deo ſeparatæ caſus, omnem mentis maturitatem, omnem hilaritatem excluſit, quia à vera ſapientia, veraque lætitia longiſſimè culpa illam abegit: nihilque ei ſupereſt, tametſi dæmones prudentiam, gaudiaque artificiosè pingant, niſi amentia & luctus, quo nihil funeſtius accidere poſſit. Culpa hominem dementat, omnem quippe peccatorem eo ipſo ignarum eſſe, non Chriſtiana modò, ſed ethnica ſapientia protitetur: errat enim à rationis rectitudine, & à bona mente alienatur, proindeque amens fit. Culpa quoque hominem corrodit, & affectata mundi ſolatia ſtimulis internis mortis, ac tartari metu interturbat: præterquàm quòd prava hominis affectio eſt, quæ animam, ſicut morbus infirmum corpus, intemperie ſua malè vexat, & mundi edulia amarulenta efficit. Sic exul quidam ob culpam monitus, ut ad mœrorem elevandum carminibus vacaret, reſpondit ſe carere mentis pace, ac propterea minimè poſſe, ſubjecitque:

Culpam hominem dementat.

H

No-

Scripta An. 1607.

Noſtra per adverſas agitur fortuna procellas:
Sorte nec ulla mea triſtior eſſe poteſt.

Ovid. 5. lib. de Triſt. eleg. 12.

Pacata ſcilicet conſcientia iuge convivium, culpis læſa perennis ſtimulus mœroris eſt, quod proximis verbis aſtruitur.

A ℣. 15. Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter.

HISTORICE.

Non externa tantum lætitia, ſed interna, quæ in corde vigebat, Jeruſalem orbata eſt.

ALLEGORICE.

Sublato per ſectarios multis in Regnis externo Eccleſiæ apparatu, & ſacris ritibus: intima gaudia, quæ inde Orthodoxi hauriebant, in mœrorem verſa ſunt.

B TROPOLOGICE.

Cor hominis quo divinas voluptates concipiebat, admiſſa culpa luctus immenſi officina fit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

REpetitio & exaggeratio eſt lugentibus familiaris, qui doloris motus, verbis iteratis, ac variatis oſtentant. Proximè dixit Propheta juvenum chorum defeciſſe, modò ſubdit, non qualecumque gaudium, ſed *gaudium cordis*: hoc eſt, intimum ſublatum fuiſſe: chorumque luctu permutatum eſſe. Gaudia Dei penitiſſima, vereque cordis gaudia ſunt; quia intimam lætitiæ cauſam Deus ipſis viſceribus infundit, quin quod totius lætitiæ caput eſt, in animæ centrum ipſemet illabitur. E contrario cùm omnia mundi bona extrinſecùs affixa ſint, nequeunt interna gaudia, ſed cutanea procreare. Cuti profectò hærent, adeoque homines dementant, ut eorum privatione tabeſcant: ut ex hoc pateat, quantus mœror interni ac divini gaudii defectu ſuccreſcat: Significavit hoc perquàm eleganter Regius Vates, cùm dixit:

C *Pſ. 21. 16.* *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis & in pulverem mortis deduxiſti me.* Hoc eſt, vires meæ validæ, & quaſi juventutis flore vegetæ, voluptate tua ſubtracta, tanquam projecta figlini operis fragmenta exaruerunt. Ego quippe ſicut vas terreum effractus, & in fruſta comminutus ſum. Hinc lingua faucibus ſiccis, inepta jam verbis formandis, adhæſit, ut te deprecari nequeam; & denique in pulverem, è quo me compegiſti, reſolutus ſum. Terra enim humectata compingitur, ſicca in pulverem reducitur; atque ad eumdem modum anima cœleſti rore concreſcit, & ejus vires

D Comparationes.

coagmentatæ roborantur, ſed ariditate diſſolutæ velut in pulverem rediguntur. In pulverem ergo mortis, ſimilem ſcilicet pulveri, in quem corpora mortua cadaveraque diſperguntur, reduxiſti me: quæ luctus immodici occaſio eſt. Hanc ergo deſolationem Propheta noſter lamentatur, & Deo ad miſerationem repræſentat. E

℣. 16. Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccavimus.

HISTORICE.

Reges urbis ſanctæ coronati ſub Chaldaicum imperium cecidere. Væ nobis, quia caſus hic à peccatis noſtris ortus eſt.

ALLEGORICE.

Non pauci Reges Chriſtiani, ſuccreſcente peccatorum colluvie fœdati, & denique occupato per tyrannos à Deo permiſſos imperio, in ſervitutem pertracti ſunt. Heu me, quàm ſeverè peccata plectuntur! F

TROPOLOGICE.

Anima Chriſti Regis ſponſa tanquam Regina incedebat diademate inſignita: verùm thalamo violato corona regia excidit: O quàm infœlix culpa fuit!

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PLanum profectò eſt, eam, quæ in conjugium regis cujuſvis aſciſcitur, quacumque illa conditione ſit, eo ipſo Reginam fieri, & diadema illi congruere. Hæc ſors animæ, quæ Chriſto deſponſa eſt: cujus forma imperio digna, ſapientia, magnitudo, cæteræque regiæ dotes illam facilè coronatam indicant. Verùm admiſſa culpa, quod gratis impenſum fuerat, iure quidem aufertur, quod fletu multo lugeri debuit. Quin verò ſi magis arcanè Chriſtum animæ ſociatum, & amplexu indulgentiſſimo, quaſi circulo perfecto, eam cingentem contemplemur, ipſemet Chriſtus animæ corona pretioſiſſima videbitur, cujus iactura è ſaxis quoque lachrymas elicere poſſet. Propterea altiore ſenſu quàm alibi ſubjungit Propheta: *Væ nobis, quia peccavimus!* ac ſi diceret: profectò infœlix eſt anima, quæ peccavit. Incedebat enim ſummè glorioſa, incredibili pulchritudine, ac ſuavitate præſtabat, cùm coronam ſuam, qua omnis æſtimatio vincitur, hoc eſt, Chriſtum gerebat. Cecidit tamen omnis decor ille & ſupremi doloris occaſio eſt. Quemadmodum enim qua die Reges coronantur, viget lætitiæ principatus, ita, qua hora corona illis detrahitur, mœror ſummus ingruit, & mortis horror invadit. Modus ille dicendi, *Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccavi-*

G Chriſtus animæ corona.

H Comparatio

mus,

Scripta An. 1607.

inus, eclipticus est, & in hunc modum expleri debet, *cecidit corona capitis nostri* ob peccata, quæ perpetravimus: *væ nobis, quia peccavimus*, & ansam ruinæ porreximus. Latet tamen suavissimus quidam sensus sub alia eorum verborum interpretatione, quæ Jeremiæ luctu digna est. *Cecidit corona capitis nostri*, hoc est, Christi, qui caput nostrum est, qui anima iusta coronatur. Si enim Christus, verus Salomon, carne humana redimitus incedit, velut diademate; quo coronavit illum Beatissima Virgo mater sua, ut S. Gregorius interpretatur: profectò & anima, quæ carne nobilior est, ejus diadema poterit nuncupari. Si autem tanti Regis corona peccando cecidit, merito subjungendum est: *Væ nobis quia peccavimus*, hoc est, quia Christo coronam abstulimus.

Alia textus explicatio.

S. Greg. in Cant.

A

℣. 17. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri.

Historice.

B *Amoto Rege nostro nos cives Jerusalem mortalem cordis dejectionem, oculorumque tenebras velut exanimati perpessi sumus.*

Allegorice.

Nos veri Ecclesiæ filii pios olim Reges, sede pulsos contemplati, summa sanè cordis angustia, & oculorum, quibus vitalis defuit vis, caligine gravissimè affecti sumus.

Tropologice.

Ex jactura regiæ coronæ, divinæ charitatis auro ductæ, ego anima supremam mœstitiam, & præ defectione, corporeorum quoque oculorum velut eclipsim passa sum.

C

Expensio Tropologiæ.

DUo depromsit Propheta, coronam cecidisse, civesque peccasse: modò subdit cor mœstum, oculosque obtenebratos, aitque, *Propterea mœstum &c.* quod ad utrumque caput referri potest: Nam & coronæ ablatio, & culpa, cui tanta infertur punitio, internæ mœstitiæ, & caliginis oculorum origo est. Manifestum est quippè ingravescente tristitia cor primùm concidere, & quasi marcescere: inoxque vitali motu languente subire deliquia. Anima enim quasi totum hominem tunc afficere, ciereque nequeat, ab extremis partibus se velut contrahit, & oculorum propterea debilitas, & vocis interceptio, & totius corporis defectio, tremor ac frigus eveniunt. Si qua tamen tanti sensus æqua causa subest, ablatio coronæ, hoc est, jactura Christi est: nam & ex humani amoris causa similia deliquia, tenebræque proveniunt. ut patet ex illo:

D

Lux quoque tecum abiit, tenebrique exanguis obortis,
Succiduo dicor procubuisse genu.

Ovid. Heroid. Epist. 13.

Quid ergo mœstitiæ, ac tenebrarum subeat, cùm Christus purissima nimirum animæ lux occidit; & anima omni bono expoliata, densa culpæ nocte decumbit. Profectò sensus hic omni eloquentiæ apparatu major iis tantùm, qui Dei sensum adepti sunt, tanquam dignis æstimatoribus credendus est. Neque subit aptior similitudo ad tantum sensum ex parte saltem capiendum, quàm si sol hic corporeus, cujus conversione dies agitur, mortalium oculis eripiatur. Profectò & plantæ, & animantia, & homines non solum tenebris oppressi luctuosissimum spectaculum exhiberent, verùm etiam rerum cultura, generatio, ac demum vita ipsa evanesceret. Sicut enim præsentia Solis vitam ingerit, unde & spiritus rerum ab Ecclesiaste appellatur, *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus*, ita defectionem, ac mortem absentia parit. At Christi Solis vitam immortalem efficientis absentia, quid nisi mortem sempiternam pariat?

E

Aptissima similitudo.

Eccl. c. 1. 6.

F

℣. 18. Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.

Historice.

Quis non lugeat? Sacri montis Sion templum orbe toto augustissimum dirutum à Chaldæis est: vulpesque ibi cubilia sibi paravêre.

Allegorice.

Magna certè Sionis nostræ, hoc est, Ecclesiæ pars à sectariis eversa est; & inauguratis Catholicorum templis vulpina vafricie suos conventus ac ritus exercuere.

G

Tropologice.

Animæ Dei templum plusquam Sionium culpæ ruina cecidit. Dæmonesque vulpibus multo callidiores in ea velut in speluncæ latronum latitarunt.

Expensio Tropologiæ.

VErba illa: *Propter montem Sion, quia disperiit;* proximis verbis nunc explanatis annectenda sunt: assignat enim unam è potissimis mœstitiæ, & oculorum caliginis causis, montem scilicet Sion profanè tractatum, templumque ibi situm eversum. Hæc sanè causa immensi doloris est, si ad vivum Dei templum culpa destructum transferatur. Etenim dæmones vulpibus ob calliditatem, doloque notati *ambulaverunt in eo*, hoc est, superbè proculcarunt, & tanquam loci possessores, cùm latrones essent, ibi latuerunt.

H

Vulpium significatio.

Scripta An. 1607.

runt. Unum è luctuosissimis orbis terrarum spectaculis est, quod passim hac tempestate conspicimus, templa videlicet ritu Catholico consecrata, & culta, mutatione nimis tragica in hæreticorum receptacula perverti. Postrema regnorum illorum, ubi hæc portenta contingunt, calamitas, tartaroque finitima est: quam pestem animarum æquum est appellare. Sol catholicæ veritatis occubuit, & hæreticæ vulpes licenter in media noctis caligine latibula sibi foderunt. Per hanc ergo aspectabilem supremæ classis imaginem nonnihil de miserrima templi vivi in delubrum Satanicum mutatione conjectare licebit. Quid enim non vastabunt, non parvulæ vulpes, quæ vineas demoliri nituntur, sed vulpes vetustæ, ac nocendi occasione vehementer incitatæ? Multa hic, sub hac mœsta templi destructione, satis arcana latent: non enim vulpes duntaxat, sed inauspicatæ aves, serpentes, herbæ aculeatæ, ac noxiæ apparatui sacro, cultuique divino ibi exerceri solito succedunt.

Catholicorum regnorum lapsus luctuosus.

A

Cant. 2.

℣. 19. Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem, & generationem.

B

HISTORICE.

Hæc sanctæ urbis ac templi ruina est. Tu verò, summe Deus, cum firmissimo solio regni tui sine ullius ruinæ formidine in æternum permanebis.

ALLEGORICE.

Ecclesia, quæ militat, lunæ similis defectum, mutationemve aliquam patiatur necesse est. At tu, Deus, sine ulla defectione, in Ecclesiæ triumphantis immutabili throno perenniter regno potieris.

C

TROPOLOGICE.

Anima tuo munere, summe Deus, in regni consortium vocata, regno per culpam excidit: tuum verò regnum nullus unquam hostis casusve labefactabit.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

TRes paraphrases omnes in assertione Prophetæ mira consensione conspirant, *in æternum permanebis*. Multa percurrit Vates sanctus mutationi obnoxia: neque ullum consilium salubrius occurrit, quàm ad immutabile Dei firmamentum, pro mutationis tantæ remedio, confugere. Quod sanè consilium piis animis nunquam deberet excidere: quicquid enim in hac mortali vita gerimus, nihil est aliud quàm inconstans quædam rotæ conversio: quæ ipsa sua inconstantia animas permansuro regno natas admonet, ut requiem futuram inquirant. Est autem solatium animæ minimè leve, nosse, quæ pro expianda culpa hîc patiatur, brevi periodo claudenda, sed quæ in sempiterno Dei regno pro labore modico acceptura est, omni prorsus fine caritura. Hanc vim habent illa verba: *Tu autem Domine in æternum permanebis*, tanquàm diceret: benè est, summe Deus, te præmii largitorem regno æterno potiturum, neque sententiam unquam mutaturum: nam & ego tui amplissimi principatus consors ero, & pro vexatione brevi, qua premor, me cumulatissimè remunerabis.

D

℣. 20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum?

HISTORICE.

Cùm ergo tu sis in æternum regnaturus, clementissime Deus, an cives tuos perpetua derelictione, ac oblivione in Chaldæa sepelies

E

ALLEGORICE.

Ecclesia tua, summe Deus, quæ pro regno tuo sempiterno in orbe terrarum militat, an perpetuo à te repelletur?

TROPOLOGICE.

Num anima, quam proprio cruore redemisti, dulcissime Deus, à te perpetuo anathemate separabitur?

F

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

TExtus hic è proximo deducitur in hunc modum: *Tu Domine in æternum permanebis, num in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum?* Ac si diceret: minimè quidem. Immò ex permansione illa tua, & mea (inquit anima) tecum permansio speranda est. Porrò neque oblivisceturi, neque derelinquet Clementissimus Deus, quos ad expiationem peccatorum exercet: tauros autem pingues, licenter hujus mundi prata oberrantes, neci destinatos æterna oblivio, derelictioque sepeliet. Vim habet modus ille dicendi: *in longitudine dierum*, quod bifariam exponi potest, aut de continuatione dierum longa serie sibi succedentium, aut de longitudine singulorum dierum, qui afflictis longiores quàm sint, absque dubio videntur. Hujusmodi sensus verissimus est: quem testis locuples Job astruxit, cùm dixit se mensesi vacuos, & noctes laboriosas enumerasse. Nimirum tempus vexationis homini afflicto inanitas quædam termini expers videtur: horas enumerat, quarum spatia annis æqualia repræsentantur. Ex quo utcumque judicium ferri potest de ignis purgatorii, sed po-

G

Afflictis longiores videntur dies.

Job. 3. 7.

H

Scripta An. 1607.

potissimùm de tartarei cruciatu: nam solum durationis illius nomen diriſſimè vexat.

℣. 21. Converte nos Domine ad te, & convertemur: innova dies nostros, sicut à principio.

A

HISTORICE

Quiescat obsecro ira tua, suavissime Deus, & ex inimicitia ad amicitiam, & proindè è captivitate Babylonica in Urbem dulcissimam nos reduc: alacriter enim te duce revertemur. Redeat precor aurea ætas, qualem, te propitiante, olim sortiti sumus.

ALLEGORICE.

Fer opem, potentissime Deus, ad reparandas ruinas Ecclesiæ tuæ: & te juvante in opus structuræ sanctæ validè incumbemus. Restitue, precamur, primævum sanctitatis florem, qualem ineunti Ecclesiæ contulisti.

B

TROPOLOGICE.

Me culpa mea errantem, amantissime Deus, ad te fortiter revoca, & tibi me totam devovebo. Renascatur, obsecro, elegantissima divinæ gratiæ forma, qua me in Baptismate decorasti.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

ANimadvertens anima se aversam, si salva esse velit, ad Deum debere reverti, fatetur, quod omnino verum, & Catholicum est, Dei esse, opus hoc conversionis patrare, neque aliunde mutationem hanc plane cœlestem originem ducere. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, hoc est, ut scholasticè dicamus, adjuva nos, & cooperabimur. Deus quippe gratia sua excitat, adjuvatque liberum arbitrium, quod non agit nihil, ut se ad justificationis gratiam præparet, sed assentitur Deo vocanti, & adjuvanti, tametsi possit dissentire, si velit. Ille verò dicendi modus, *converte nos*, dulcissimus est, idemque pollet, ac si anima diceret: perspectum est, amantissime Deus, è culpæ miseria me non posse ab alio, quàm à te liberari: quid ergo cunctaris? Age jam: Clementissime Rex: emolli, precor, lapideum cor meum, & efficaciter quò cupis inflecte: ego-que, licèt (quæ mea fragilitas est) reniti queam, minimè reluctabor. Quin verò ex intimis præcordiis tibi pulsanti penetralia mea reserabo, & strictissimè adhærebo. Quod verò subtexit: *innova dies nostros sicut à principio*, oratio est pro primævo statu divinæ gratiæ per Baptismum acceptæ reparando: quod sanè votum ardentissima precatione dignum est. Candor enim ille cœlestis, & amicitiæ pactum cum Deo initum intimos gemitus, & ferventissima suspiria requirit. Secunda hujus textus explanatio esse potest non de conversione animæ ad statum gratiæ, in quem jam asserta fuisse videtur, sed ad familiarem Christi consuetudinem, cui vexata suspirat.

Alia Textus explicatio.

E

℣. 22. Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

HISTORICE.

Fausta genti meæ ego Jeremias impensè precatus sum. At sensum doloris deponere nequeo: quia cùm tu Deus sis omnis fortitudo nostra, graviter admodum repulisti nos, & animus tuus vehementer excanduit.

ALLEGORICE.

Ecclesiæ militanti benè precor. Sed mœror validè ingravescit, Clementissime Deus, quia tot illustrissima regna cum stomacho rejeciſti, & voracissimis iræ divinæ flammis incensus es.

F

TROPOLOGICE.

Spero equidem oratione fusa, suavissime Deus, te animæ tuo sanguine redemptæ propitium fore, verùm acerrimam repulsam, & iram tuam recolens, non possum non mœrore tabescere.

EXPENSIO TROPOLOGIÆ.

PRofectò finis Orationis Jeremiæ energiam habet insignem ad sensum animæ graviter affectæ eleganter exprimendum. Videbatur certè oratio lenibus, ac lætis verbis claudenda, lenibus quidem ad dolorem leniendum, lætis ad conceptam spem veniæ significandam. Verùm penitissimus doloris sensus non potuit aliter æquè aptè propalari, ac fine hoc repulsam Dei, & iram complectente: quasi anima tam acri stimulo divinæ ultionis urgeatur, ut si fortè alia verba suavia miscere tentet (quod omnibus severè tractatis familiare est) nesciat ab una cura illa, de qua potissimum cogitat, & qua præsertim angitur, discedere. Quando ergo ait: *Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer*: idem agit, ac si anima diceret: spero equidem te placatum iri, Clementissime Deus, qui natura bonus, & ad benefaciendum propensus es. Hanc sanè spem justis de causis concepi: at nequeo dolorem intimis medullis infixum excutere: quia prodigiosa certè res mihi videtur, te Conditorem, ac Redemptorem meum, tam severè me sponsam tuam repudiasse, & iræ in me flammis arsisse. Hoc stimulo urgeor: hoc mœrore conficior.

G

Anima oratio ad Deum

H

Conc. Trid. Sess. 6. c. 4.

C

D

PERO-

Scripta An. 1607.

PERORATIO

A HÆC habui, Clementissime Deus, quæ ad interpretandum funestum Prophetæ carmen, quo Jerusalem, Ecclesiæ, animæque malum lamentatur, expromerem. Utinam lectoribus universis per hunc modicum laborem meum peccati horror penitùs subeat, alteque meditentur, quàm sit metuendum culpæ malum, cui non Jerusalem, Ecclesiæ vel animæ tantùm, sed mundi totius clades à sacris, vel profanis scriptoribus descriptæ adscribendæ sunt. Prima illa rerum facies sanè pulcherrima, quam divina bonitate, ac sapientia tua condidisti, peccato deformata, primævus justitiæ candor obtenebratus, antiqua firmitas enervata, amor immensus in odium immane versus est. B Hinc non modò generis humani ruina, gentium errores, bella, tyrannisque, & orbis universi perturbatio; verùm singulorum quoque hominum ortus infaustus, vita mortalitati obnoxia, rerum divinarum ignoratio, fames, sitis, anxietas, morbi, acerba mors & quidquid mœstum accidit, originem duxit. Bonitas quippe tua ingenio suo benefaciendi cupidissima, peccato lacessita, & in ultionis argumentum vocata est: at ira justè excitata tantò vehementiùs crumperet, quantò liberalior bonitas extitisset. Quocirca peccato, quasi vindictæ irritamento, tot iræ fulmina, quæ Propheta luget, non verò lenitati tuæ vertenda sunt. Oro ergo te, quàm possum enixè mitissime Deus, ira hæc Jesu Christi filii tui, dulcissimi Redemptoris nostri sanguine deferveat, & reis omnibus, quorum primus ego sum, peccati cognitionem, ac detestationem, iræ divinæ formidinem, & (quod summis votis expetendum est) tuæ bonitatis amorem inspires: ut animi, quos ultio terret, in statum divinæ charitatis assurgant. E F

INTERPRETATIO PSALMI CENTESIMI TRIGESIMI SEXTI.

C PSalmus CXXXVI. planè suavissimus ejusdem argumenti est cum lamentationibus Jeremiæ: quocirca ejus interpretationem Threnorum explanationi subtexere, operæ pretium visum est. Affluit affectibus lectissimæ gentis in Chaldæorum captivitatem abductæ: miroque sensu, dulcissimæ patriæ memoriam, & succedentis exilii mœstitiam; fletumque complectitur. At nos historico sensu leniter indicato, sub gentis extorris tragœdia, sensus arcanos animæ à vero Jerosolymorum Rege Christo repulsæ requiremus. Psalmus ab origine anepigraphus est: neque enim in Hæbræo, vel in versione S. Hieronymi inscriptio legitur: quæ verò præponi solet, scilicet, *Psalmus David per Jeremiam*, non est coæva psalmo, sed posterior, & ab incerto aliquo adjecta, quòd idem argumentum cum Threnis Jeremiæ pertractet. Auctor psalmi D David fuit, qui captivitatem vaticinatus est. Ad rem ergo nostram accedentes, postquàm sensum Jeremiæ captivos Hebræos lugentis interpretati sumus, sensum captivorum ipsorum calamitatem propriam altis gemitibus lamentantium exponemus.

℣. 1. Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus: cùm recordaremur Sion. G

CApta per Chaldæos Hebræa gens, & exilii calamitatem experta sic ait: Juxta fluvios Babyloniæ nos exules sedimus, hoc est, demorati sumus: loca enim fluminibus Tigri, & Euphrati aliisque nonnullis regionem Chaldaicam, Babylonicamve interfluentibus finitima incolere imperatum est. Ubi interim dum aquam per alveos decurrentem intuebamur; lachrymarum rivi ex oculis erumpebant, ob Sionis amissæ memoriam, quæ saxea corda molliret. Annotandum hîc, captivos iniqua patriæ, & exilii comparatione in lachrymas resolutos, fateri sensum doloris penitissimum fuisse, dum recordarentur Sion. Græcè ἐν τῷ μνησθῆναι ἡμᾶς τῆς σιών, *Cùm recordaremur Sion*. Quæ lectio, ut correctior, rejecto pronomine (tui) nuper restituta est. Sub nomine verò Sion totam Jerusalem accipimus: at mysterio minimè vacat, Sionem potiùs, quam Jerusalem nominari: pios quippe Urbis Sanctæ cives destructio.

Historica textus explicatio

Animadversio.

Græca lectio. H

Explicatio Mystica.

Scripta An. 1607.

ctio templi in monte Sion constructi pejùs divexabat, quàm Urbis sub Sione conditæ devastatio: quod religioni summæ vertendum est. His ergo historicè tactis ad sensum arcanum accedamus. Anima, qua Christus, tanquam in Jerosolymæ delitiis, familiariter usus est, cùm velut in captivitatem, per acrem repulsam abigitur, durissimi exilii, Babylone notati, vasta loca pererrat. Propè fluminum, hoc est, fluentium vitæ mortalis bonorum decursum mœsta desidet: & sitim aquâ illa fœculenta expleri non posse contemplans, vim lachrymarum effundit. Nec immeritò: quia paulò antè in sponsi complexu pocula dulcoris illius cupidissimè hausit: inopinaque succedente, amissi boni memoriam, qua dolor acuitur, repetivit. Propterea post illa verba: *Sedimus & flevimus*, subditur, *cùm recordaremur Sion*, hoc est, loci ad contemplationem, & amorem divinæ bonitatis, ac pulchritudinis destinati: ubi castissima oblectamenta proveniunt. Sic primus generis humani parens, amisso paradisi statu qui erat purissimis Dei gaudiis fœcundissimus, luctu captivitatis spinas & tribulos germinantis extabuit: & per annos plurimos vitæ prolixæ crebram deperditæ amœnitatis memoriam, quasi spiculum, quo viscera identidem sauciabantur, perpessus est. Habet quippe hoc adversitas omnis prosperitatem subsecuta, sed illa præcipuè, quæ amoris oblectamento succedit. Cujus certè rei tot sunt in sacris argumenta, quot absente Christo priùs degustato suspiria: qualia Magdalena divinæ suavitatis è sponsi consuetudine manantis conscia, Christo interempto, ac sepulto deprompsit. Profectò veritas hæc non in gravioribus dumtaxat experimentis, quando videlicet anima à Christi complexu severè arcetur, verùm & in levioribus testes locupletes, gravesque assertores plurimos habet, è quorum selecto numero neminem jussum, qui Christi dulcorem degustarit, & ariditatis ærumnam incurrerit, excipimus; Et hæc sanè tragica sortium permutatio non præsens modò, sed futura, vel cogitata timetur. Cujus idoneus æstimator Augustinus, de Maria ad Christi pedes sedente, Marthaque interpellante argutè differens ait: *Quomodo putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus surge & adjuva sororem tuam? mira enim suavitate tenebatur*. Hæc Pater ille, qui sessionem Magdalenæ cum excursibus Marthæ, quasi patriam cum exilio contulit, quod ad sensum Mariæ separationem timentis, attinebat. Quod sanè minimè insolitum est: discessus enim omnis amantibus mors quædam est, & insuperabilem arduitatem repræsentat: quod non malè expressit ille, qui postquam dixerat.

A

Gen. 3. 18.

B

Joan. 20.

Serm. 27. de verbo Domini.

C

D

Digredimur flentes, &c.

Ovid. Heroid. epist. 18.

subjecit

Si qua fides verò est, veniens huc, esse natator,
Cùm redeo, videor naufragus esse mihi.

Hoc quoque si credas, ad te via prona videtur:
A te cum redeo, clivus inertis aquæ.

Omne videlicet divortium, suo quidem ingenio, dolorem parit. At illa divinæ dulcedinis prælibatæ interdictio & animam & corpus enervat: & rerum aliarum quantumvis delectabilium tædium inducit. Quocirca satis appositè Vates subdit:

E

V. 2. In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra.

F

Historica Textus explicatio.

HEbræi captivitatis dolorem lenituri, musica instrumenta, quibus Dei laudes canerent, bono consilio secum detulerant. Rationi quippe consonum est, in summis præsertim angoribus, nonnihil elevare: mœrorem: quod ad eutropeliæ virtutem spectat, quemadmodum Sanctorum Patrum historiis vulgatissimum est. Verùm adversa exilii conditio non tulit, ut animi tam graviter affecti citharas pulsarent. Subiit enim vitæ tædium; & è salicibus, quæ ad ripas fluviorum, ubi captivi laborabant, frequentes erant, instrumenta suspenderunt, quasi luculenter dicerent: animis nostris mœstitia nimia dejectis organa nihil profuerunt: quapropter è ramis salicum, arborum nempe sterilium, ea suspendere malulmus, cùm nobis sterilia forent: nimirùm nullum lætitiæ fructum producerent. Historia hæc velut tabula graphicè depicta, statum animæ à Christo exulantis repræsentat. Acerrimus enim dolor ex absentia delibati Christi coortus, ita solet ingravescere, ut non libeat ullum captare solatium. Nam & pro minore bono amisso, *Rachel plorans filios suos noluit consolari, quia non sunt*. Sic in amore alio remediis mœroris ex viri absentia invalescentis uti nolebant quædam castè amans, passaque deliquium, ubi ait:

Salices arbores infructuosi.

Matt. 2. 18.

G

Utque animus rediit, pariter rediere dolores:
Pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura est præbere capillos:
Nec libet aurata corpora veste tegi.

Ovid. Eroid. Epistol. 13.

& alia similia, quæ animum graviter affectam, ac ob id solatia respuentem ostendunt. At in amore divino peculiari quadam ratione aliarum delectationum animam exulem tædere solet: quod videlicèt nihil cum voluptate illa purissima conferri possit. Eaque de causa omnia mundi bona, quæ iis, qui mel cœleste minime gustarunt, placere solent, velut anathemata quædam seponit. Nam & horti amœnitate, & fructuum proventu, ab aliis cœlestis sapientiæ inconsultis in pretio habiti, animæ sic affectæ salicta quædam sterilitate damnata videntur. Quod planè sensit ille, qui dixit: *Et à te quid volui super terram? A te*, inquit, hoc est, extra te: quasi apertè dice-

H

Explicatio mystica.

Psal. 72. 24.

ret,

Scripta An. 1607.

ret: nihil ſane, quia nihil præter unum te placet. Verba illa: *in medio ejus*: arcanum quiddam prodere videntur juxta interpretes nonnullos, qui non de regione Babylonica, ſed de urbe Babylone, quàm Euphrates interfluebat, explanant: ut ſenſus ſit, Hebræos intra metropolim, ſive Urbem Imperatoriam agentes, citharas è ſalicibus ad ripam Euphratis ſuccreſcentibus ſuſpendiſſe: neque ex varietate rerum grandium, & admirabilium, quæ in regia urbe gerebantur, ullam voluptatem cepiſſe: quod ſignificatum verborum & doloris ſenſum auget. Nam non uſque adeò mirum eſt, captivos ad paluſtria, & inculta loca depulſos ſolatia repudiaſſe; quæ ibi ſanè non ſponte provenirent, ſed à dejectis animis artificiosè exquirenda eſſent. At immenſi doloris argumentum eſt, obvia, ultroque in oculos, & animos incurrentia urbis ampliſſimæ oblectamenta recuſaſſe. Et in hunc certè modum anima exul concipienda eſt: quæ non modò mundi gaudia non corradit, aut requirit; verùm neque oblata unquam admittit, ne fortè mundi moribus aſſueſcens, à ſtudio ſummi boni ſenſim alienetur, & tragico fine fauſta cœpta concludat. Verùm quod proximè ſubiicitur; dolorem profectò vehementer exaggerat.

A

B

℣. 3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Hiſtorica Textus explicatio.

C

Judæi olim cantores, ac *Poetæ clariſſimi*.

CHaldæi victoria inſolentes ab Hebræis ſacrorum carminum modos in templo Sionio cani ſolitos, quaſi profanum tributum exigebant: quod animos dulciſſimæ civitatis, & auguſtiſſimi templi memores dirè torquebat. Ponendum eſt hîc, Judæos per totum Orientem liberalium diſciplinarum laude, poeticæ præſertim, ac muſicæ peritia claruiſſe: ut non ab re Chaldæi ſeriò, & curiosè modos muſicos à victis expeterent, quemadmodum è præmiſſis duobus verſibus liquet. Et priore quidem verſu universè cantum requirunt, poſteriore verò Sionis cantum, illum ſcilicet ſacrum, divinis laudidibus decretum expoſcunt. Fama quippe ſuaviſſimi concentus, qui barbaros & efferatos animos permulcere poſſet, Babylonem totam opplèverat. Pro verbo illo *abduxerunt* Chaldæos, & alii vertunt, *rapuerunt*, ex quo anthiteſis ad ſenſum doloris augendum exoritur. Raptores enim ſive ſpoliatores, ab iis, quorum libertatem, ac opes diripuerant, lætum carmen imperiosè poſtulant. Et hactenus de interrogatione, ſive petitione ſeria. Sed veroſimile eſt, Chaldæos victis inſultantes (quæ illorum feritas & crudelitas erat) non ſeriò, ſed ironicè Sionia carmina poſtulaſſe, quaſi ad hunc modum rogarent: cur modò non pulſatis citharas ritu ſolemni, quemadmodum in templo celeberrimo conſueviſtis? Cur organa ſuſpenditis? Agite jam: canite lætum carmen è canticis Sion, quaſi dicerent, porrò jam cantica ceſſavere. Et hic ſanè ironicus dicendi modus ad ſenſus arcanos opportuniſſimus eſt. Humani quippe generis ſæviſſimus hoſtis, cui, velut alterum Job, animam intercepto ſolatio exercendam Clementiſſimus Deus tradere ſolet, per irriſionem quandam ad hunc fere modum urgere ſolet. Eja nunc Regis Jeruſalem ſponſa, quæ lætis carminibus illi blandienti accinere ſolebas, refer mihi modò cantica illa tibi olim ſuaviſſima: tolle vocem: prode læti animi ſigna. Hæc aut ſimilia certè alia exprobrare ſolet animæ vexatæ atque proſtratæ, ut eam mœrentem enervet, atque pervincat. Eſt enim hoſtis illius proprium, cùm dejectum cor intuetur, ferociùs inſtare, ut in culpam præcipitet, more belluæ minimè generoſæ. Multis quippe experimentis compertum eſt, feras ignobiles, puta lupos, urſos, prædas captas crudeliſſimè diſcerpere, & prolixa earum morte velut oblectari, neque proſtratis parcere: è contrario verò, feras nobiles, puta leones, cùm animalcula proſtrata, paventiaque cernunt, ſæpe, ne leviter quidem illis officere; quod obſervavit ille:

E

Explicatio myſtica.

Dæmonis exprobrationes.

F

Parcere ſubjectis generoſi eſt ira leonis,

Neque ſanè aliunde veritatem hanc confirmare opus eſt, quam ab uno allati Job exemplo: quo doctrina hæc tota continetur. Inſtitit enim Satan, quàm acriter potuit, apud Deum, cujus injuſſu nihil attentare poterat, ut hominem incredibili calamitate deſolatum, ferociter invaderet, animumque jam ſatis afflictum multiplicibus telis impeteret. Hoc enim ſibi vult importuna illa & repetita licentiæ flagitatio, ut opes, filios, ſanitatem, pacemque diriperet, ſi fortè impatientiæ ſpiculo virum conſtantem perfoderet. Quo in conflictu, quod ad pſalmi interpretamentum ex ſimilitudine Chaldaicæ exprobrationis præſertim confert, reticeri non debet. Quemadmodum enim Chaldæi victis Hebræis cantica Sionia, quæ jam ceſſaverant, exprobrabant: ſic dæmon per hominem quendam à ſe agitatum, Eliphaz videlicet Themanitem, viro innoxio proſtrato, anteacta heroicarum virtutum opera, quæ jam deſiiſſe cenſuerat, obliciebat in hæc verba: *Ecce docuiſti multos & manus laſſas roboraſti: Vacillantes confirmaverunt ſermones tui, & genua tremientia confortaſti. Nunc autem venit ſuper te plaga, & deſeciſti, tetigit te, & conturbatus es. Ubi eſt timor tuus, fortitudo tua; patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* Quaſi ad rem noſtram planiùs diceret: ubi eſt integritas vitæ, & conſcientiæ lætitia? Ubi præſens Dei auxilium, quod juſtis, velut ex fœdere, reſpondet? Præſta nunc opera

G

Comparatio

Job. 4. 3. 4. 5. 6.

H

Alia Textus explicatio.

Scripta An. 1607.

ra illa eximia, quæ in prosperitate patrasti: quod est idem, ac si diceretur: hymnum cane modò de canticis Sion. Simile quiddam Tobiæ accidit ajente sacro textu: *Uxor ejus irata respondit, manifestè vana facta est spes tua; & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt. Atque his & aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei.* Hæc sacer textus. Sic Luciferi satellites animæ, dum exercetur, insultant. Verùm quid constans anima respondeat, audiamus,

Tob.2.22.23.

A

℣. 4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Historica Textus explicatio.

COnstantes, licèt captivi, Hebræi Chaldæis sive seriò, sive ironicè instantibus respondent, quod religioni avitæ congruit; neque animum in adversitate despondent: Novimus, ajunt, quid cuique tempori, & loco assignandum sit. Canticum sane Domini suavissimum est, quod non mirum, si ab universis nationibus expetatur: at est sacrum, est arcanum, est purgatis cordibus, & auribus dignum. Et propterea decretus est illi sacer Sionis locus, ubi populus veri Dei cultum edoctus, expiatus, & divinis rebus intentus, sacrorum organorum modis harmonicè consentientibus delectatur, & studio bonorum æternorum incenditur. Qui ergo fieri poterit, ut nos contra patrios, sanctosque ritus, profano more, profanis hominibus, profano loco canamus? Præterquàm quòd tanto barbarici exilii mœrore contrahimur, ut ad cantum nequeat lingua laxari; quod vestra crudelitas non expendit. Sic certè, dum anima Sionis, hoc est, contemplationis, ac suavitatis Christi conscia à dæmone urgetur ad canticum, hoc est, lætitiam profano ritu quærendam, & affectum, qui Christo hærebat, Babylonicis sæculi voluptatibus, quæ sunt mundi carmina, impendendum; si constans esse velit, quasi rem factu impossibilem fortiter detrectat ajens: *Lavi pedes meos; quomodò inquinabo illos?* id est, affectus meos, unde amoris carmina erumpebant, repurgavi, ut ad sponsum non adulterati perferantur: quomodo cœno sæculi patiar illos infici, ut gaudia profana conquirant? Præterquàm quòd dulcissima Christi consuetudo, qua fruita sum, me tanti sponsi absentia in exilio repulsæ hujus interarescere facit: unde & lingua immenso mœstitiæ pondere ad cantum certè torpescit. Nolo profanis voluptatibus fœdari: exilium patior: in aliena regione versor, ubi à me graviter afflicta non cantus, sed patientia exigenda est. Nam & viri fortissimi calamitatibus obsessi, non semper lætitiam, sed constantiam præferebant. Rectè quidem; nam ubi Deus animam velut exulem exercet, & hostibus adeò feris permittit, satis præclarè se gerit, si patienter, licèt non festiviter, agat. Status ærumnosus est, neque ullus exitus è captivitate illa patere videtur, possetque anima obvallata tempestivè usurpare illud:

Explicatio mystica.

Cant. 5. 3.

B

C

Virorum fortium constantia.

D

Omne latus terræ cingit mare: navita *Ovid. Heroid. Ep.10.*
nusquam est:
Nulla per ambiguas puppis itura vias.

Pondus habent verba illa: *in terra aliena* Immensæ quippe salutis origo est, recta patriæ cœlestis æstimatio, & exilii discretio. Nam, qui censendo errant, infœlici forte exilium velut patriam vehementer affectant, opesque suas in alieno solo recondunt. *Ducant in bonis* breves *dies suos*, & errore detecto, inopia sempiterna damnantur. At viri cordati, qui se alienam regionem oberrare considerant, opes, & thesauros suos omnes in cœlestem patriam convehunt: è quorum numero fuit ille, qui dixit. *Advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.* Omnes quippe pietatis cultores, tametsi opibus & honoribus affluant, cor in patriam erectum gerunt, & caduca bona aspernantes, cum Apostolo futuram inquirunt. Ipsa nimirum exilii calamitas animum gravissimè afficit: nihil enim animæ à Christo exulanti lætum accidere posse videtur. Sola tanti boni recordatio placet; propterea Psaltes subiicit:

E

Job. 21. 13.

Ps. 38. 13.

Pietatis cultores bona caduca despiciunt.

℣. 5. Si oblitus fuero tui Jerusalem oblivioni detur dextera mea.

F

℣. 6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

Historica Textus explicatio.

AMatoria imprecatio, & impotens affectus est. Urgebant Hebræos Babylonii, ut canerent, ac pulsarent. Illi verò generosè renuunt, quòd aliena regio sit: & apostrophe tempestiva sic Jerusalem quasi præsentem, populus captivus alloquitur. Invitor ad cantum à barbaris, & alienis: an obsequar? Absit ô dulcissima Jerusalem, ut Babylonicæ voluptati serviturus, tui memoriam abiiciam. Malè mihi rem hanc Deus vertat, si tui recordationem Chaldaica lætitia permutavero: & illa duo potissima instrumenta, manus inquam pulsui, & lingua cantui destinata diro supplicio plectantur, si tui memoriam deposuero. Tradat oblivioni Deus dexteram, ariditateque percutiat, ne organa pulset, linguamque humore destituat, ne ad formandas voces idonea sit: si profano more unquam exerceantur. Hic constantium captivorum sensus est, qui malunt dexteram obstupescere, paralyticamve fieri, linguamque obmutescere: quàm cum charissimæ patriæ oblivione ad oblectamenta Babylonica traduci. Elegans profectò animæ repulsæ imago est: cùm enim ad voluptates interdictas instigatur, acriter hostem increpat, & amanter sibi mala imprecatur, ac si dicat: Ad solatia profana, dum interna negantur, alliciar: verùm absit, ut scelus hoc admittam, & curam sponsi depellam. Quin potiùs opto, ut corporis instrumenta languore, ac defectione lædantur, antequam turpibus aut profanis lusibus assentiar. Dexteram operibus,

G

Explicatio mystica.

H

Scripta An. 1607.

bus, linguam verbis assignat: nam quod ad cogitationes (quæ deesse videbantur) attinet, argutè, deserteque dicit, *si oblitus fuero tui*: *si non meminero tui*. Semper enim sponsi meminisse cupit, licèt repulsa fuerit, ut imago hæc rerum cæterarum simulachra discutiat. Amoris quippe proprium est, formam licèt absentem mente versare, ac illo velut amuleto mala incursantia depellere. Sic Vates Regius: *Ad me ipsam anima mea conturbata est: propterea memor ero tui*, quasi diceret: cùm ad meipsum exulem in vasta solitudine palantem, absente te, oculos reflecto, anima perturbatur, propterea recordabor tui, ut imagine hac occurrentia mala propulsem. Et hic sanè sensus omnibus, quos absentia torquet, nativus est, ut patet ex profano illo:

A

Amantis est absentem versare.

Ps. 41. 7.

Ovid. Heroid. Epist. 2.

Illa meis oculis species abeuntis inhærent,
Cùm premeret portus classis itura meos.

B

Et quidem hæc ipsa ratio est, ob quam remedia ad memoriam juvandam excogitari solent, ut ostendit ille:

Ovid. Heroid. Ep. 13.

Dum tamen arma geris diverso miles in orbe:
Quæ referat vultus est mihi cera tuos.

E cera nempè vultum finxerat, quem præsentem cupidè intueretur. At hoc ab iis, quos absentia Christi vexat, sanctiùs factitari solet. Exponenda sunt verba illa: *Dextera mea lingua mea*, quibus in arcano sensu significatur votum animæ à Christo extorris, quæ opera brachio, verba lingua notata Deo semel consectavit, & omnino statuit tam in adversis, quàm in secundis eventibus nihil, nisi quod Christo placeat, loqui, aut operari. At imprecatio impletur, per adjuncta verba:

C

Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.

Hist. Textus explicatio.

QUasi diceret captivus populus: frustra me ad lætitiam adhortamini, ô Chaldæi: ne quicquam laboratis. Severè, precor, à Deo puniar, si, dum omnino lætitiæ vacandum sit, in re alia, priusquam in optatissima Civitate mea lætitiam collocavero. Si nempe, dum exulo, gaudium admisero, donec captivitate soluta, Jerusalem ipsa instaurata sit caput, seu principium lætitiæ meæ. Mirificè congruit interpretatio hæc animæ à Christo absenti, ac si dicat: Graviter, oro, plectar, si dum Christus abest, gaudia peregrina captavero, & non potiùs solatia distulero, donec ipse præsens, consuetudine sua quàm suavissima sit origo lætitiæ meæ. Familiare nimirum est amantibus, nullam è rebus aliis velle voluptatem haurire: quod Paulus, præ Christi desiderio, *omnia velut stercora arbitratus*, facilè convincit. Quid enim ex iis, quæ illi tanquam

Explicatio mystica.

D

Ad Philip. 3. 8.

sterquilinia fœrebant, oblectamenti perciperet? Unum Christum intimis præcordiis condiderat, & ab eo separari, morte pejus horrebat: quod & in omnibus studio divinæ charitatis incensis quotidiano experimento perspectum, & in omni proculdubio amore testatissimum est. Votum hoc animæ separationem timentis, & in uno Christo lætitiæ originem constituentis meritis fœcundissimum est: quod Psaltes Regius cupidissimè arripuit ajens. *Renuit consolari anima mea*, scilicet extra Deum, subiecitque: *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Deus videlicet memoria conceptus lætitiæ fons uberrimus est. Annotandum verò, *principium lætitiæ* arcanè valdè Christum appellari, non quia ducto principio à Christo anima in aliena gaudia procurrat, quasi Christus sola sit origo lætitiæ, alibique incrementa proveniant, sed quia ex aliis rebus ne principium sanè lætitiæ anima repetere velit; in unoque Christo ab initio ad finem usque lætari decernat. Verùm interim dum Chaldæi cantum importunum ab Judæis exigunt, captivique se malè vexari considerant, erumpit affectus impotens in hæc verba:

E

Ps. 76. 4.

Animadversio.

F

℣. 7. Memor esto Domine filiorum Edom, in die Jerusalem.

Qui dicunt, exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.

Hist. Textus explicatio.

TAnquam populus diceret; summe Deus, ac vindex noster, cur adeò immanem crudelitatem fers? Cur barbaros instantes, neque victis parcentes non coerces? Diruta est Jerusalem Civitas tua, quasi sub tutelâ tua minimè fuisset: *Memor esto filiorum Edom*, recordare quàm dirè Idumæi die ipso excidii funestissimi institerint, Chaldæis ajentes: Ne parcatis civibus Jerusalem, irruite, diripite ac urbem totam funditùs evertite. Recordare aliquando, ut vicem rependas, & illos servitute damnes, me in libertatem vindices. Vim habet modus ille imprecandi: *Memor esto filiorum Edom*, hoc est, Idumæorum, qui fuerunt posteri Esau. Cùm enim populus à Chaldæis urgeretur, & Sionia carmina postularet, videtur certè debuisse potius in Chaldæos tunc irridentes, quàm in Idumæos absentes excandescere: & tamen de Idumæis ultionem exposcit, quia cùm in Judæos ob affinitatem leniter agere debuissent, feritatem tamen parentis sui Esau fratrem suum Jacob persequentis imitati, Babylonios ad necem fratrum suorum incitarunt, dixeruntque, *exinanite*, hoc est, nudate, vastate, diruite, quousque fundamenta retegantur, nihilque integrum, intactumve permaneat. Chaldæus existimat: imprecatoria verba hæc non populi, sed Michaelis Archangeli Synagogæ Principis esse, qui pro captiva gente Deum interpellat. Ex quo liquet, antiquos homines putasse, cœlites pro mortalibus orare, quod

G

H

Paraphrasis Chaldaica.

hære-

Scripta An. 1607.

hæretici recentes inficiantur. Hæc de ſenſu litterali, qui ad arcanum ſatis apte traducitur.

Explicatio myſtica.

Sane cùm ſæviſſimus animæ hoſtis cernit illam mœrore confectam, & abjectam, multos ſibi ſimiles ſpiritus nequiores ſe (ut Babylonios Idumæi) auxiliares concire ſolet, ut agminatim irrumpant, & præcipitem

A agant, quod ex hiſtoria Job apertè perſpici poteſt. Non enim alios dæmones tantùm, verùm, & homines dæmonibus impulſos ad inſontis vexationem laceſſivit. Anima ergo dum ſic invaditur, Deum obnixè precatur, qui oblivionem ſimulaſſe videtur, meminerit, ſuum eſſe inſolentes comprimere, ac vexatos quandoque redimere: quod & *Cap. 31.* Job ipſe nuper nominatus ſyncerè depoſcit, dum ad Dei tribunal favorem divinum captaturus provocat. Universè quippe mortalium animis quippiam præſertim pium cupientibus ſubit adversùs obſtantes juſtæ ultionis affectus; quod exemplo ſui Regius Vates *Pſ. 82. 13. 14.* evincit per hæc verba; *omnes principes eorum, qui dixerunt: hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti,*

B *&c.* Obſervandum verò inſtandi modum Animadverſio. ſignificatum verbis his: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea:* eſſe propriè Satanicum. Non enim per ſe, aut per ſatellites ſuos quamlibet ruinam animæ molitur: ſed omnium deterrimam, & luctuoſiſſimam. Fundamentum quippe ipſum deſtruere adnititur, ne quid ſpei, pietatiſve ſuperſit. Etenim obſervata ſimilitudine, id ad animam corrumpendam meditatur, quod Idumæi Chaldæis in Jeruſalem vaſtitate perſuasère: quem- Comparatio. admodum enim illi priùs domorum tecta, turriumve faſtigia, mox parietes, ac denique fundamenta diruerunt: ita humanæ ſalutis hoſtis priùs à charitatis faſtigio animam deturbat, ſtatim virtutes alias convellit, demum fidem ipſam fundamenti ſymbolo notatam extinguit. Sic Apoſtolo teſte, *qui-*

C *dam avaritiam appetentes, erraverunt à fide* 1. *Tim. 6. 10.* quos, planum eſt, ante perfidiam à charitate defeciſſe. Et hac ſanè de cauſa monſtra multa, hac ætate conſpicimus, dum plerique aut degeneres Catholici, aut monachi primam charitatem deſerentes, & in vitiorum pelagos ſe totos demergentes, eò procurrunt, ut ab Eccleſiæ caſtris tragica mutatione deficiant. At populus Hebræus divinæ juſtitiæ conſcius tyrannicam vexationem conſpicatur, & futuram redemptionem præſagiens, ſpe vindictæ altè concepta, pſalmum propheticè abſolvit ajens:

℣. 8. Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

D

℣. 9. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.

HOc eſt, gens Babylone nata, & proinde barbaræ urbis filia, progenies planè miſera (Hebraicè, devaſtata) prædis nempe tuis, uſque ad extremam inopiam expolianda: fœlix ille, qui Dei cauſam aget, & ita te torquebit, quemadmodum torques nos. Fœlix qui urbem imperatoriam victoria inſolentem occupabit, infantuloſque tuos E petris illiſos interimet, ne quid è ſtirpe tua ſuperſit. Hic eſt ſenſus certè propheticus captivæ gentis, & ad libertatem dulciſſimæ patriæ ſuſpirantis: quem rei exitus comprobavit. Nam Darius Medus, & Cyrus Perſa, juſta Dei ultione Babylonios debellarunt: & poſt everſam Babylonem nobiliſſimam monarchiam condiderunt. Sic cecidit Babylon *Jer. 51. 8.* illa magna, & Imperatores Chaldæi de medio ſublati ſunt. Brevis quippe mortalium gloria eſt; & ſuperbiam regum mortalium latè vagantem ſepulchri anguſtia coarctat, ut non malè de Alexandro Macedone extulit ille:

Historica Textus explicatio:

Lectio Hebraica.

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis: *Juvenal. Sat. 10.*
Æſtuat infœlix anguſto limite mundi:
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seri-
pho: F
Cum tamen à ſigulis munitam intraverit
urbem,
Sarcophago contentus erit, mors ſola fate-
tur,
Quantula ſint hominum corpuſcula, &c.

Nabuchodonoſor, & Balthaſar imperio nimis elati, grandia cogitabant, neque orbis unus eis ſufficere videbatur: at ultrice ira Dei, improviſa mors Balthaſaris grandes animos fregit, ac ignobili exitu delevit, imprecatioque captivæ gentis expleta eſt. In arcano verò ſermone anima, poſtquam Explicatio myſtica. Deum imploravit, ſpe altè concepta, dæmoni ac ejus ſatellitibus mala imprecari, vindictamque minari ſolet, quod & ad animum roborandum, & dolorem elevandum G ſæpè conducit. Viri quippe iuſti, exilii huius captivitate graviter afflicti, quemadmodum patriam cœleſtem ſummis votis exoptant, ita & Deum vindicem habere impensè cupiunt, ut omnis adverſitas, & adnata mortalitati calamitas expungatur, & abſoluto mortalis vitæ procurſu, immortalis vita ſuccedat. Sic Joannes voces inſontium vindictam *Apoc. 6.* depoſcentium, & oraculo, uſque ad tempus decretum dilatas audivit. Anima ergo à Chriſto exul, quam tartarea dæmonum cohors exagitat, ſic imprecari credenda eſt: filia Babylonis miſera, hoc eſt, Synagoga ſatanica, quæ modò huiuſmodi principatu ſuperbis, beatus qui te proſternet, & imperium tuum verè Babylonicum diſſipabit. *Beatus, qui parvulos tuos*, hoc eſt, primos peccatorum motus, quos excitas, ut vincas, H antequam adoleſcant, *allidet petræ*, hoc eſt, Chriſto: ut recenter nati intereant, & ne minimum ſemen tuæ prolis exiſtat. Hæc eſt beatitudo propheticè prædicta, qua ſortes viri cœlo vim afferre conantes, in media no-

Scripta An. 1607.

Atis hujus caligine splendent: quorum fortitudo eò potissimum commendatur, quòd in palæstra minimè succumbant, sed humani generis hosti, à quò validè impetuntur, vicem reddant, ejus conatu ad primos insultus recusso, & fiducia generosè repressa.

A

Alia textus explicatio.

Verùm etsi interpretatio hæc idonea sit; proprior tamen videtur altera, juxta quam anima, dum dæmonibus, quasi efferatis Chaldæis mala prædicit, oculos in Christum victorem collimat: ut quemadmodum reges Medorum, & Persarum Chaldæis vicem reddiderunt, ita summus Regum Rex principibus tenebrarum adversam sortem rependat. Qui suprema extremi judicii ultione illos in tartarum detrudet: parvulosque eorum hoc est, primos, & recenter ortos nocendi cogitatus, petræ allidet, hoc est, conteret, ne jam in opus exerantur, quæ tremenda dæmonibus punitio est. Nihil enim spiritibus nocendi cupidissimis tristius nuntiari potest, quàm definita hora illa, qua, æterno, divinoque Senatusconsulto, ira Dei protervos apostatas, ne ulteriùs noceant, in carcerem sempiternum ablegabit. Et hic ipse sensus arcanus est, quo Jeremias Lamentationes suas absolvit, per hæc verba: *Visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua*, ubi præteritum pro futuro, prophetice usurpat, synagogæque dæmonum, quæ filia Edom mystice appellatur, vicem reciprocam, pro animæ vexatione, arcanè prædicit.

B

Cap. 4. 22.

INTERPRETATIO PSALMI LXXXIII.

C

Psalmus hic quemadmodum & qui à nobis proximè expositus est, juxta Doctorum Hebræorum sententiam, Judæis è captivitate in libertatem patriæ suspirantibus in sensu literali congruit: at ea sententia nobis probatur, quæ in eodem litterali sensu psalmum de quovis homine è vita mortali in cœlestem, ac immortalem vitam tanquam ab exilio in patriam votis ardentissimis aspirante, interpretatur. Psalmi auctor aliquis è filiis Core fuisse videtur. Psalmi titulus est: *In finem, pro torcularibus, filiis Core*: hoc est, Psalmus à filiis Core in finem laborum, requiem videlicet sempiternam, sive in Christum, qui finis legis est, directus, canique solitus, pro vindemia absoluta, quæ torcularibus apertè notatur. Fructus quippe è multiplici cultura, laboreque vinearum, postquam uvæ torcularibus expressæ sunt, securè percipitur: atque ad eum modum anima post agones, ac pressuras mortalitatis vini planè dulcissimi pocula inter Cœlites nullis jam laboribus, aut periculis obnoxios haurit. Psalmum ergo ad sensus arcanos opportunissimum sic justus quisque exorditur:

D

V. 2. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

E

Vim habet insignem modus ille incipiendi, velut acephalus: *quam dilecta*, quasi psalmi hujus initium non à verbis his, sed à penitissima contemplatione quæ Psalmographi mentem in sublime elatam suspendit, lectori petendum sit. Erupit quippe affectus ardentissimus animi ad cœlestem patriam suspirantis: at nisi rerum maximarum præcurrente notitia, ejusmodi affectus amoris & admirationis plenus minimè dissultaret. Dicit ergo, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum?* ac diceret: Postquam divino lumine perfusus, elegantissimam urbem, quam architectatus es, ô sapientissime opifex, circumspexi, & omnes structuræ tantæ partes harmonicè consentientes, muri ambitum immensum, latissimam plateam, templum augustissimum, nobilissimos cives, & quicquid ad ubertatem expeti possit, copiosissimo amne interfluente convectum, attentiùs speculatus sum, obstupui, nec potui erumpentem impetum coercere. Sed oportuit animi stupentis sensa voce prodere, amorique vehementer invalescenti hæc verba permittere: *quàm dilecta*, id est, ô quàm mihi chara, quàm mihi amabilia, quàm mihi elegans, quàm pulchra videtur civitas multis tabernaculis, hoc est, mansionibus discreta, quæ architectonicæ peritiæ tuæ, sublimitatem ostentat. Emphasin habent verba illa: *tabernacula tua*, id est, à te, auctore tanto, constructa, & instructa, quicquid enim ad urbis fœlicitatem excogitari potest, ab auctore suo ubertim acceperunt. Clementissimum ibi cœlum, splendidissimus Sol, aer saluberrimus, amœnitas hortorum pensilium sempiterna. Et quicquid gaudia cumulare potest, præsenti Dei pulchritudine, ac dulcissimo consortio semper affluit. Propterea subdit *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*. Nihil potuit magis appositum Psaltes efferre. Expresserat quippe amoris vim per verba illa: *quàm dilecta*, & subjecit motum desiderii ajens, *concupiscit*. Est mirus ordo: constat enim ex morali Philosophia, ex amore primùm concepto nativa quadam serie prodire desiderium: quo, qui semel amore captus est, in id, quod amat, avidè contendit: desiderium nempe quædam amoris extensio, seu progressio est. Postquàm ergo Vates cœlestium amore incensus patriam, quæ Jerusalem superna est, sibi amabilem videri protulit, concinnè subiicit: *concupiscit, & deficit anima mea*, ac si luculenter diceret: Non me cepit amor iners, qui otio torpeat, sed validus & fervidus, qui acriter urget, ut jam egregiæ formæ desiderio flagrem, & quasi porrectis brachiis eam complexurus, ad ulteriora progrediar. Cæterum,

F

G

H

quia

Scripta An. 1607.

quia non continuò res cessit ex voto; datum est enim & amare, & cupere, at non confestim frui, mirificè subtexuit: *deficit anima mea*, quasi planiùs enuntiaret; eò processit desiderium, ut voto non expleto, licèt explendo, suborta fuerit animæ languentis defectio. Convenit enim inter Philosophos ac Theologos, qui res arcanas explorant, frustrato desiderio vehementi languorem, defectionemve succedere: quæ certè passio cor gravissimè lædit, & quandoque interitum affert. Patet igitur quibus affectionibus ad cœlestem Jerusalem Vates æstuarit, amore scilicet, desiderio, & languore, quo nihil potest esse funestius. Rectè dictum: *Deficit anima mea*: deficit, Hebraicè, conficitur desiderio, deliquium patitur præ cupiditate. Græcè ἐκλείπει ἡ ψυχή μου.) ἐκλείπει, inquit tanquam diceret: eclipsim patitur, ac si anima, dum Christus sol verus abest, eclipsim patiatur: quæ ad languoris mœrorem significandum aptissima videtur. In omni quippe amore, sive fruitionem præcurrente, sive subsequente, verum est, absentiam eclipsi simillimam esse: quod observavit & ille:

A

Lect. Hebr.

Lect. Græc.

Ovid. Heroid. Ep. 13.

B

Dum potui spectare virum, spectare juvabat:
Sumque tuos oculos usque secuta meis,
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu Vultus detinuere meos,
At postquam nec te, nec vela fugatia vidi:
Et quod spectarem nil nisi pontus erat;
Lux quoque tecum abiit, &c.

Si lux cum homine cœco abire, ac defectione succedente, quasi vitam adimere visa est: quantò significantius Christi veri Solis absentia eclipsim ac defectionem animæ subire dicemus? At hujus deliquii tam luctuosi causam perscrutemur, quam per verba proxima Psalmographus reddit:

C

℣. 3. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

QUasi disertè diceret: si quis roget, quam ob causam atria Domini tam ardenter cupiam, & deficiam, responsio in promptu est: quia *cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: ac si luculentiùs diceret: cùm Clementissimus Deus anteacto tempore mihi copiam sui fecerit, & illius voluptate percepta cor & caro gestire, ac lætis motibus exultare cœperint, calore amoris, & æternæ beatitudinis desiderio efferbui, ut pleniùs bono illo primoribus labiis degustato potirer. Quod cùm non impetraverim, validissimo desiderio frustrato, defectio mœstissima subintravit. Verùm ad languorem hunc æqua lance ponderandum exultationem illam expendere opus est; *Cor meum & caro mea*, inquit. Non cor carneum, nam sub appellatione carnis cor illud carneum apertè complectitur; sed voluntas, quæ Scripturæ Sacræ, & Sanctorum patrum more frequentissimo cor dictitatur, unde vita procedit. Cùm enim divina charitas, unde virtutes cæteræ vitam eliciunt, & cujus motu in æternitatem diriguntur, in voluntate sedeat; rectè cor hominis arcanè nuncupatur: nam & cor carneum virium vitalium, motusque principium est. Hoc ergo excelsum cor, cùm divinè afficitur, multis motibus in Deum, quem delibat, seipsum propellit, & attollit: & cùm lætitia exundat, inferiorem hominis partem, quæ caro hîc appellatur, secum abripit, & suo motu convertit, eo scilicet modo, quo primum mobile (ut Philosophi loquuntur) cæteros orbes cœlestes, qui motibus contrariis cientur, motu suo altiore, ac fortiore permovet. Tunc igitur caro etiam pro captu suo non suis motibus spiritui contrariis, sed cordis, illius motibus urgetur, divinamque voluptatem è parte hominis superiore delapsam experiens, validiùs in res divinas quam in suas illecebras incumbit. Tantundem ergo est: *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, ac si liquidiùs sic Vates extulisset: voluntas mea & pars quoque inferior Dei sensu vehementer affectæ, atque commotæ sunt: quod planè mirum est. Jam verò, quàm graviter anima saucietur, si dum in Dei amplexum tota consurgit, & pulchritudinem tantam, velut spongia aquam conceptura dehiscit, bono illo potiri nequeat; nemo, nisi qui Dei sensum adeptus fuerit, dignè poterit pensitare. Quod tamen apposita similitudine conjicere utcumque valebit; qui dum ardentissima febre vexatur, aquæ guttam summis labiis è vase degustare sinitur, & dum se ad sitim explendam subrigit anxius, frigidissimæ aquæ vas plenum, quod ori fuerat admotum eripitur! Quem sanè sensum reddere videntur regii Psaltis verba illa: *sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum*; prægustatione quippe ipsa sitis excrevit: propterea que ut impotens desiderium proderet, adjecit, *quando veniam?* Ac si diceret: videor mihi nunquam perventurus: æterna mora videtur. Tanta est profectò immensitas desiderii, quod invaluit, ut vel modicæ dilationis imagine æternitatem animo graviter affecto repræsentet, ac proindè corpus effœtum festinata senectute conficiat: quod satis expressit illa castè amans.

Alia Textus explicatio.

E

Rationes alias vide capite 1. Lamentationum, sub littera ras.

F

Certè ego quæ fueram te discedente puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

Ovid. Heroid. Ep. 1.

Simili tudo.

Etsi verò amor quilibet magna producat desideria; divinus tamen quantò nobilior est, tantò ardentiora producit. Nec immeritò: quia bonum majus aggreditur, quod observasse videtur Vates noster, dum ait *Deum vivum*, hoc est, Deum, qui est vita ipsa. Vitæ quippe desiderium inter universa hominis vota principatum gerere, planissimum est. Ex iis ergo, quæ prompsimus, liquet, secundum Psalmi hujus versum primi originem esse: nam ex desiderio non expleto, quod secundus versus indicat, defectio primo

G

Psal. 41. 3.

H

Vitæ amor hominis votum.

D

Cordis significatio.

Scripta An. 1607.

mo versu prodita exorta est. Sic Vates defectionem, quam patiebatur, præsenti tempore *deficit*: fervidum verò desiderium exultatione notatum, tempore præterito discrevit. At posset quis tam constantis animi deliquium admirari, & suspicari non esse usque adeò rationi consentaneum. Quocirca Vates, velut rationem languoris attexens, subiicit:

A

℣. 4. Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

AC si explicatiùs diceret: Non est vitio vertenda hæc mea defectio, immo tanquam homine digna laudanda. Hominis enim est veram fœlicitatem cupidissimè expetere, ac studiosissimè inquirere: ac ea de causa ejus generis lucra plurimi facere, ex damnis verò quibusvis intimo dolore torqueri. Quapropter cùm res mihi ex sententia non accidat (cupio enim ac posco, & derelinquor,) non est mirum, neque ab hominis ingenio alienum, virium pati deliquium. Quod verò ad requiem veram sic aspirare hominis sit, vel ex animantium natura patet: cùm enim homini, cæterisque animalibus sitim quandam Deus ingeneraverit, qua pacem requiemve generi quoque suo congruentem exquirant: si passerculus nidum, ubi cum partubus suis conquiescat, ubilibet exiguo cum labore perquirit: cur homo nidum quoque suum reperire non conetur? Cur de jactura, vel temporis prorogatione non doleat? Luget homo non abs re, si lucrum auri, quod sperat, vel aufertur, vel differtur, si ager sementem quadruplam non reddit: quia & auro, & tritico eget: & de veræ fœlicitatis causa, sine qua vivi nequit, non erit anxius? At enim arcanus est ille dicendi modus: *invenit sibi domum*: invenit præteritum est, ut ex Græco patet: *ἔυρεν ἑαυτῷ δίκιαν*. Passer, inquit, jam invenit sibi domum: ego, qui sum tibi pretiosior illo, quæro, nec invenio. Verùm cùm passeris nomine aviculas omnes Vates complexus videatur, quorsum adiecit turturem? Rationis incrementum est, quasi dicat: Non solùm aviculæ, quæ gregales sunt, & mutuo foventur comitatu, loculamenta quieti destinata reperiunt; sed turtur quoque avis, secundi maris nescia, & quæ derelicta videtur, nido à te parato requiescit. Quare ergo, qui omnes mundi voluptates, & sodalitates aspernor, soluſque vagor, nidum a te impetrare non valeo? Sed mirum est, quod subtexit: *ubi ponat pullos suos*, quasi per allatæ rationis exaggerationem sic effaretur: aviculæ istæ non magni apud te ponderis, non modò sibi, te providente, nidos adaptant: verum & altos & benè compactos afficiunt, ut pullos commodiùs fovere valeant: ego verò, cùm pro me duntaxat tibi supplicem, non exaudior. Amantium est in eum modum conqueri, &

B

C

Græca lectio

D

rerum etiam minimarum momenta perpendere, ut ad suas querimonias gradum substruere possint: tunc præsertim, cùm alios dignitate posteriores prosperari, se verò deiici animadvertunt: cujusmodi est illud Job; *Nunc derident me juniores tempore, quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei*. Conqueritur nimirum, quòd homines vilitate vix canibus similes fortunentur, ipse verò minimè. At illi homines erant: Vatis verò nostri querimoniæ ab inferiore quodam genere petitæ, vim & suavitatem miram habere videntur, quasi loqueretur in hunc modum: quid est hoc, amantissime, & æquissime Deus? Ergone animalcula rationis & tuæ salutis expertia mihi antepones? Invideo certè fœlicitatem aviculis: quas tamen neglectu constat esse dignas, si cum homine comparentur. Nunc verò animadverto illas, te largè prospiciente, fœlicitate sua potiri, cum ego infœlix sim. Hic Dei quasi neglectus, quo animam virtutum splendore conspicuam exercet, ac derelinquit, acerrimi doloris sensum ingerit: quippe rerum proportione servata universè verum est illud:

E

Job. 30. 1.

Conquestio.

F

..... *Manet alta mente repostum*
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ

Virg. lib. 1. *Æneid.*

Sed cùm Prophetæ sensum de aviculis allatis scrutati fuerimus, quid modò adiiciat, audiamus.

Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.

ORatio ecliptica est: cui ad explendum sensum nonnihil intexendum est. Altaria inquit tua, scilicet cupio, ut sensus sit: cupio invenire altaria tua, sive per metonymiam, templum tuum, ubi est nidus meus, ut in avicularum argumento persistat. Nec sine delectu, ex altaribus, templum totum intelligi voluit: ut scilicet æterna sacrificia in altaribus cordium in cœlesti patria, templo, domove Dei futura indicaret. Quod verò Vates ait: *Rex meus, & Deus meus* arcanum est, & ad exulem animam roborandam apprimè conducit. Inter immensa quippe cœlestis aulæ desideria spei incitamentum minime leve est, certò nosse rerum universarum Dominum, Regem ac Deum suum esse, qui regia munificentia, divinaque providentia eam ab exilio in patriam reducere possit, ac velit. Neque tamen hoc solummodo spei fulcimentum habent verba illa: *Rex meus, & Deus meus*, sed illud bonum planè maximum, quod ad regni ampliſſimi, ipsiusque divinitatis consortium anima nunc exul, & afflicta vocanda sit. Aula quippe cœlestis, in quam Vates suspirat, tot reges, quot cives habet, atque ideò suspiria ardentissima requirit, qualia pro regno & mortales ipsi non malè æstimare noverunt. Immensum enim pondus habet ad corda permovenda vel dubia regnandi spes, quod sensisse videtur

G

H

Scripta An. 1607. ille dives promissor, qui animum quendam excelsum sic ad suum votum urgebat:

Ovid. Eroid. Epist. 16.

Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
Teque novam credet vulgus adesse Deam.

A

Sed & illud vulgatum: *Si peccandum, pro regno quidem: cæteris in rebus pietatem colas* satis evincit, quid mortales de regni possessu censeant. Qualia ergo vota veri Dei cultores concipiant, quibus immortalis Rex, ac summus ipse Deus, quem hîc Psalmographus implorat, regnum fœlicissimum pollicetur? Certè non alia vota, quam, quæ vera beatitudo, qua nihil est optabilius, ab homine reposcit: quod altè sensisse Propheta videtur, dum hæc verba subtexit:

℣. 5. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

B

AC si diceret: non est cur ob desiderium, ac defectionem, quam primis versibus ostendi, reprehendar: quis enim, quòd veram beatitudinem ardenter optet, jure carpatur? Quin verò mirum est, quomodo universi homines ad beatitudinem non cupidissimè suspirent, & suspirando deficiant. At si ad fœlicitatem aspirandum est, quo nisi in atria, altaria, domumve Dei, ubi est status omnium bonorum aggregatione perfectus, aspirem? Verùm peculiare quippiam in Prophetæ verbis hîc observandum est: *Beati qui habitant in domo tua Domine* hoc est: ideo beati, quia habitant in domo tua: nam domus, sive mansio beatorum Deus est, juxta illud: *qui manet in charitate in Deo manet*. Charitatis quippe summa perfectio, quam cælites acquirunt, (ut viatores fileamus) adeò strictè illos Deo apprimit, & medio Dei cordi velut inserit, ut jure in Deo ipso, tanquam in pulcherrima quadam aula, thalamove manere dicantur. Manet, seu quiescit lapis in centro, tanquam in loco, mansioneve propria: rogantique ecquis locus lapidis est? philosophicè respondemus terra; quantò ergo æquius est locum, domumve animæ Deum esse? Nec mirandum sanè: si enim Deum, velut aula regia, amplave domus cor hominis capit, ut patet ex oraculo illo, *& Deus in eo*, quanto credibilius sit, cor Dei amplissimam animæ domum esse. Propria ergo cordis humani domus Deus est: ac proinde amoris est proprium, eam habitationem expetere, ne duo corda, quæ mutua sunt domicilia, separentur. Nimirum affectus hic amori cuilibet innatus est, qui in mediam formam illam, cujus desiderio flagrat, cupit penetrare. Jam verò verba illa: *in sæcula sæculorum laudabunt te* canticum illud Seraphicum, *Sanctus, sanctus sanctus*, quod Græci Patres τρισάγιον Trisagion

Animadversio.

1. *Joan.* 4. 16.

C

Domus cordis Deus.

1. *Joan.* 4. 16.

D

appellant, indicare videntur. Nihil enim iis, qui summum bonum arctissimo complexu apprehendunt, quod cælestis beatitudo præstat, reliquum est, nisi ut sempiterna laude infinitam Dei bonitatem celebrare non cessent. Hæc sors est illorum, qui amplissimam Dei domum, juxta Prophetæ votum, expleto desiderio inhabitant. Sed profectò nobis exulibus parum prodesset domus Dei fama, quæ orbem nostrum pervagata est, nisi Clementissimus Deus viam sublimem, qua sit ascendendum, ostendisset. Quocirca satis opportunè Vates sanctus adjecit:

E

℣. 6. Beatus vir, cujus est auxilium abs te,

℣. 7. Ascensiones in corde suo dispositi, in valle lachrymarum in loco, quem posuit.

F

TAnquam diceret: Beatos esse cives cœlestes compertum est: verùm qua ratione beatitudine illa frui liceat, nisi te manum porrigente, ut construatur scala, cujus fastigium pertingat in cœlum? Propterea ille dumtaxat in hoc exilio beatus est, cui tu, Deus, opitularis: nam vi divina tua in corde proprio struit gradus virtutum, quibus ad te ascenditur. Quod certè structuræ, scalæve genus mirabile, ac cœleste cùm sit, efficitur tamen in hac valle terrarum lachrymis digna, in hoc videlicet loco, quem sibi homo (non Deus) peccando posuit. *Beatus*, inquit, *vir cujus* vel cui *est auxilium abs te*: nam sic habetur Græcè: Μακάριος ἀνὴρ, ᾧ ἔστιν ἀντίληψις αὐτῷ παρὰ σοῦ. Beatus vir ait, ac si in hunc modum loqueretur: quicquid mundi sapientes de hominis fœlicitate opinentur; ego certè beatitudinem eam, quæ homini adhuc extorri, mortalive contingere potest, in auxilio tuo constituto. Ratio suffragatur: si enim ultima, propriaque beatitudo aperto Dei conspectu constat: & auxilium Dei hominem in hac vita provehit ad celsitudinem quandam cœlesti statui, illique conspectui finitimam, efficax ratio persuadet, penultimam (ut ita dicamus) beatitudinem, hoc Dei auxilio constare. Quod sanè manifestiùs ostendi poterit, expensa veræ fœlicitatis ratione, quæ ex clara Dei notitia, amoreque conflatur. Auxilio quippe Dei viri perfecti in præsenti adhuc vita ad eximiam quandam Dei cognitionem & amorem, quod est quasi quoddam instantis beatitudinis initium, promoventur.

Græca lectio

G

Vera fœlicitas ex clara Dei notitia oritur.

Sed quia via sublimis est; *Nam via virtutis dextrum petit ardua callem*; subdit Propheta: *Ascensiones in corde suo disposuit*: sunt quippe corda multa humi repentia, quæ nihil nisi terrenum cogitant, & conantur. Cùm verò Dei cultor aliquis unus è plurimis auxilio Dei subnixus se in res divinas erigit, arcano sermone

H

ascen-

Scripta An. 1607.

ascensiones disponere dicitur. Scala scilicet est, cujus tot sunt gradus, quot virtutum profectus: atque ita multis motibus & erectionibus, ut Regius Vates cecinit: *accedit homo ad cor altum*, hominis enim cor tam profundum, latum, ac longum est, ut & in tartarum demergi, & orbe toto porrectum jacere, & cœlum usque possit attolli. At hoc mirandum, quod auxilii cœlestis efficacitate homo prius ad terram culpa pronus cor erigat. *In valle lachrymarum, in loco quem posuit* hoc est, *in valle* (ob loci humilitatem) lachrymis, fletuve digna: *in loco* nempe, quem peccando posuit homo, quem Deus in paradiso posuerat. Sed adhuc non vacat difficultate quo pacto è loco tam devexo in tam excelsum locum homo, qui jacet, se possit attollere. Propterea subiicit:

Ps. 63. 8.

A

℣. 8. Etenim benedictionem dabit legislator:

B

Ibunt de virtute in virtutem. Videbitur Deus Deorum in Sion.

QUasi diceret: fateor arduam esse rem, viamque multis difficultatibus prætextam: sed, quòd homo viribus propriis non valeret, Deo auxiliante præstabit. Etenim *benedictionem*, hoc est, bonorum copiam, usitato Hebraismo *dabit legislator*, id est, ipse, qui legem tulit humanis viribus altiorem, dabit & vires humanis fortiores, quibus lex sublimis possit observari. Nimirum non est adeò jejunè Legislator, qui leges duntaxat condat de sublimi via percurrenda: sed qui vires præstet ad legem explendam, iterque fœliciter conficiendum: quod ad novi Testamenti gratiam potissimum spectat. Legislatione verò posita & gratia copiosè collata *ibunt*, scilicet justi, *de virtute in virtutem*, hoc est, de roborè in robur, quod est, in dies ope divina fient validiores, ac fortiores. Possunt quoque verba hæc: *de virtute in virtutem*, ad veras propriasque virtutes pertinere: nam ex abundantia divinæ gratiæ justi nunc obedientiæ, nunc mansuetudinis, nunc humilitatis exercitio insigniter proficiunt, scalamque conscendunt. Et denique; quod est summoperè expetendum; *videbitur Deus Deorum in Sion*, hoc est, verus & unus Deus, à quo cæteri, qui Dii nuncupantur, & nomen, & adoptionis divinæ dignitatem, aliamve creatam sublimitatem acceperunt, gloriæ lumine cernetur in superna Sion, cujus imaginem prætulit, terrestris illa Sion divino cultui destinata. Versus hic initium, progressum, finemque beatæ vitæ complectitur: initium à divina gratia petitum, quod benedictionis nomen innuit, progressum qui processu virtutum constat, finem, qui ad claram Dei visionem proculdubio spectat. Nihil autem ad viam arduam carpendam efficacius, quàm in scopum, finemve laborum oculos collimare. Et hoc planè est, quod

C

D

Vatem sanctum vehementer urgebat, videndum scilicet esse suavissimum Deum in Sion, cujus immenso desiderio tenebatur. Huc aciem mentis inter labores & ærumnas constanter intendebat, quo ejus ardentissima vota ferebantur: quod amori cuilibet (nedum divino) usitatissimum est, quemadmodum eleganter significavit ille in scopum sui affectus aspirans:

E

Rupe sedens, aliqua specto tua littora tristis:
Et quo non possum corpore, mente feror.
Quicquid erit, patiar: liceat modò corpus in auras
Tollere, quod dubiâ sæpè pependit aqua.

Ovid. Heroid. Ep. 18.

Sed multò sanè ardentiùs justorum mens, æternæ fœlicitatis conscia, in scopum peregrinationis nimium prolixè suspirat; quod Paulus dissolvi cupiens, & Magdalena Christi cupidissima facilè convincunt, E quorum numero selecto Vates noster affectibus multis æstuabat, cupiebatque In altum tolli, quod cum sine præsentissimo Dei auxilio fieri non posse cerneret, subjunxit imprecationem:

Philip. 1.

F

℣. 9. Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

NON fortuitò dixit: *Deus virtutum*, & *Deus Jacob*: virtutum, id est, potentiarum, seu potentissime, juxta phrasim Hebraicam: Jacob, id est, fortissimi illius luctatoris. Cùm enim Deum ad vires impetrandas imploret, illis nominibus Deum appellat, quæ potentiam, viresque significent, quasi dicat. Te decet in hoc voto tutelarem meum esse, viresque imbecilli suggerere, qui potentissimus, & robustissimùs es. Verùm ad rem pretiosissimam obtinendam (quod iis, qui à principibus quippiam impetrare contendunt, familiare est) inducit precatorem gratia valentem, per quem impetret. Atque idcirco subdit:

G

℣. 10. Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

QUasi ad hunc modum ageret: magna peto; at non sine patrono, cui nihil negari possit. Aspice, obsecro calamitatem & egestatem meam protector noster, cujus scilicet proprium est, homines protegere: & ne videar prorsus indignus, respice precor jucundissimam faciem Jesu Christi filii tui, qui interpellat pro me. Hic annotandum, nomine (filii) non modo à Christianis interpretibus, verùm ab Hebræis hunc textum explanantibus verum Christum lege promissum intelligi. Quocirca Vates sanctus fidenter obsecrat, Deum Patrem protectorem,

H

Scripta An. 1607.

rem, ejusque filium interpellatorem assecutus. Vim habet ille dicendi modus: *respice in faciem Christi tui*; quo alludere videtur ad mores humanos, per quos in divinos, (exclusa imperfectione) conscendimus. Sunt

A quippe nonnulli juventutis flore adeò suaves, & amabiles; ut magnetis proprietate spectatores omnes mirificè allicere, & iras fortè adversùm se in aliis excitatas, ipsa vultus suavitate ad primum aspectum sedare videantur. Quod certè ad Christum arcano sensu

Patronus noster Christus, jure transferendum est: ut omninò statuat, qui apud Deum causam agit, opportunissimum esse consilium, per Christum obsecrare, qui omnes iras placidissimo vultu discutiat, & quicquid velit, obtineat, Sic Prophetam per acceptissimum Patri filium postulat, ut in amplissima Dei atria introducatur. Postulati verò magnitudinem, interpellatore tanto dignam, benè significavit, ajens:

B

℣. 11. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

IDoneus æstimator: nec in dubium assertio verissima revocari potest. Neminem quippe latet, orbis terrarum Monarchiam bonis mundi omnibus affluentem, & per annorum millia multa procurrentem cum tantilla cœlestis beatitudinis fruitione non magis, quam cœnum cum auro purissimo comparari posse. Quapropter mirum non est, si prudentissimus rei tantæ perpensor adjecerit:

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in

C

tabernaculis peccatorum.

ELegi, inquit, consilio prævio, abjectus esse, hoc est, postremus esse, abjectissima ministeria obire potiùs, quam instructissimas peccatorum divitum aulas inhabitare. Nonnulli pro verbo *peccatorum* vertunt ex

Textus Hebraicus. Hebræo *impietatis* vel *perturbationis*, ut aulas regum impiorum innumeris negotiorum quæstionibus perturbatas, & procellæ instar undantes significent. Perspectum est enim, domum Dei pace, ac spe opulentam, principum impiorum domibus ambitione, ac desperatione concussis anteponendam esse. Quòd si quis scisciteur, qua de causa vilia domus Dei obsequia honorifico Principum famulatui Vates præferat, aptè respondet:

℣. 12. Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam

D

& gloriam dabit Dominus.

AC si diceret: non imprudenter elegi; quia licet justus in hoc exilio videatur à Deo sæpè repelli, ac pro nihilo duci non continuò credendum est, nihil ei fælicitatis superesse: imò ex Dei misericordia, & quod est strictius, ex veritate, hoc est, justitia (quæ duo divinorum operum lumina, velut eorum auctor, diligit Deus) merces copiosissima viro justo in aulam cœlestem recepto, rependetur. Gratiam quidem ut mereatur, confert Deus in præsenti vita ex misericordia, gloriam verò dabit in patria, ex veritate sive justitia. Pro verbis illis: *misericordiam & veritatem diligit Deus;* ex Hebræo vertitur: *Sol & scutum est Dominus Deus*, sol videlicet, qui illuminet homines, diemque justis sua præsentia efficiat, scutum, quod justos protegat, & ab hostibus tueatur. Sol diem efficiens, vitamque tribuens ad misericordiam, scutum ad promissorum veritatem, qua justos tuetur, pertinet. Utrumque bonum omnibus Regum aulis pretiosius est; Atque idcirçò fors fælicior est, infima obsequia domus Dei præstare, quàm principibus terrarum à secretis esse. Præterquam quod principum mortalium incostantia, vel iniquitas non modò reos, verùm & innoxios homines, quos antè charos habuerat, honoribus, & muneribus gratis expoliat, cùm è contrario æquissimus Deus semper jus suum unicuique reddat, sicut Vates fatetur:

E

Textus Hebraicus.

F

℣. 13. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

QUocirca tametsi modò ad exercitium, & meriti augmentum Deus justos inopia premere videatur, interim dum bonis abundant aulæ prædonum, exacto tamen agone non privabit bonis benemeritos; quin verò eos immensis bonis augebit, quod fides invictissima pollicetur. Verum cùm rerum quæ non cernuntur, quantumvis firma promissio homines præsenti sæculo nimis deditos parum moveat, & proinde à bonorum præsentium studio vix possint abduci; reliquum est, ut inter potissima Dei dona spes inconcussa in cœlum semper intenta debeat recensèri. Qui enim adeptus est *spem* (ut ait Apost.) *incedentem usque ad interiora velaminis*; penetrantem, inquam, in bona invisibilia, quæ rerum aspectabilium integumento velantur, grandi certè munere auctus est. Habet enim quandam velut anchoram tutam, ac firmam, quæ animæ navem multis procellis agitatam fundare possit. Unde satis appositè Psalmum, quadam acclamatione Propheta concludit, ajens:

G

Heb. 6. 19.

Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

H

QUasi planius sic efferret: verè illequodam fœlicitatis præsagio gloriari potest, summe Deus, qui dono tuo futurorum bonorum spem firmam concepit. Cum enim in te unum spes tota confertur, liberalis cùm sis, hominem tibi soli fidentem, sublimiaque, & majestate tua digna de te cogitan-

Scripta tantem munificentissimè locupletare, ac fortitudine mira fulcire soles, ut sine defectione cursum præsentis vitæ conficiat, sicut
An. 1607.
Isa. 40. 31. scriptum est: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Hic est Prophetæ sensus.
A Quocirca spes ultimo versu decantata ad animam à Christo exulantem, laboribus obsessam, infestationibus vexatam, & in atria Domini suspirantem, præsentissimum remedium est. Spes quippe benè fixa, altissimos mundi contemptores procreavit, clarissimos martyres protulit, & de universis animæ hostibus illustrissimam victoriam reportavit: qua faxit clementissimus Deus, exhaustis belli laboribus, potiamur.

INTERPRETATIO
B
PSALMI XLI.

PSalmus hic planè dulcissimus de gente Hebræa inter Chaldæos exulante, ac in optatissimam Jerusalem summis votis suspirante solet exponi: ut non immeritò lamentationibus Jeremiæ velut parergon addatur. At nos arcanum sensum Justi exulis, & in cœlestem patriam æstuantis persequemur; quòd vota simillima sint, ut sanctorum Patrum interpretamenta demonstrant. Inscriptio Psalmi est: *in finem intellectus filiis Core.* Hoc est, eruditio, sive sensus collatus filiis Core, in finem, quasi dicas, in scopum desiderii, quæ est libertas à captivis expetita. Etsi verò titulus omnibus filiis Core Psalmum tribuat, probabile admodum est, unum, qui inter eos
C doctissimus fuit, auctorem ejus fuisse, ut sanctus Hieronymus sensisse videtur. Spiritu quippè prophetico prænovit Babylonicam captivitatem, & gentis captivæ affectus expressit. Nostro tamen sensu iustus à cœlesti patria exul sic loquens inducitur:

℣. 2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

HOC est, sicut cervus, qui inter animantia est maximè siticulosus, à canibus, & venatoribus agitatus mugit, dum velocissimè fertur ad fontes aquæ frigentis: ita certè anima mea, in exilio hoc, rore cœli destituta, more terræ nimio sole torridæ dehiscens, &
D ad te, fons vive, suspirans anxiè vociferatur. Non potuit ulla animæ Deum affectantis imago elegantior excogitari. Nam cervus siti vexatur ex pastu serpentium, & adiuncta canum insectatione, sitis excrescit, ut ad aquam perniciissimè feratur. Pro verbo autem *desiderat* vox cervorum propria, & vexationi significandæ opportuna à nonnullis vertitur

Cervinae sitis origo.

Hebraicè *Charag*, quasi Latinè dicas, mugit, rugit, vel quid simile. Atque in hunc modum justus cibo terreo inter exules victitans, ariditate incredibili vexatus, multiplicique hostium animæ irruptione infestatus in Deum medullitus suspirat, & voces informes affectui aptè servientes, usurpat: quod historiis sanctorum, desideriis cœlestibus flagrantium, & insolitis motibus, gestibus, ac vocibus, quasi furore quodam subeunte, divina patientium, compertum est. Quod sanè licet mirum videatur iis, qui desiderii incitamenta minimè norunt, iis tamen, qui Dei sensum adepti sunt, non tam mirum, quàm jucundum, expetendumque videtur: quod ex proximo versu satis astruitur:

Lect. Hebr.

E

℣. 3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum:

Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

F

REsponsum est. Posset enim quis rogare, quænam affectio adeo impotens est hæc, quæ te corripuit, cervisque sitientibus simillimum effecit? Cui appositè Propheta respondet: Ardentissima certè siti consumor; atque ideo non est, cur mirum videatur, me adeò vehementer urgeri. Proportio quippe subest, cùm desiderium hoc siti adumbratum in rem summoperè expetendam validè feratur. Optentur lentè mundi bona hominis ingenio minora; honores, divitiæ, voluptates tepidè quærantur: at summum bonum, summam honestatem, opulentiam, & pulchritudinem, quæ cor hominis explent, ardentissimè exquiri debere, profectò perspectum est. Notandum hîc, quod novissima correctione vulgatum est, vocem *fortem*, in Hebræo, & apud Septuaginta Interpretes haberi, pro qua, vitio typographorum, aut aliorum, quibus aquarum metaphora placuit *fontem* legebatur. Græcè sic habetur: Ἐδίψησεν ἡ ψυχή μου πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ἰσχυρὸν τὸν ζῶντα, *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*: quæ sanè lectio Prophetæ sensui optimè congruit. Nam sitis animæ imbecillis, & fragilis propriè ad Dei fortitudinem fertur: quemadmodum quælibet sitis metaphoricè accepta in oppositum tendit. Sic enim eleganter ægrotus dicitur sitire sanitatem, pauper opulentiam, indoctus doctrinam: ut sitis quæque rei, quæ expetitur, consentiat. Quanta verò vis ardoris extiterit, satis apertè per adjuncta perspicitur: *quando veniam?* Ecquando hisce corporis custodiis absolvar? Quando cernam Dei formam, sive, ut Chaldæus vertit, *splendorem divinitatis*? Vox est desiderantis, ac suspirantis simul: quæ animam exulem facilè significet. At enim neque vox, neque suspiria satis forent ad animam graviter languentem repræsentandam, nisi fletus copia succederet. Quocirca ad rem attexitur:

Animadversio.

Textus Hebraicus, ac LXX. Interpp Graec. Lect.

Paraphrasis Chaldaica

H

℣. 4.

Scripta An. 1607.

℣. 4. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

A INsolitum videtur, ut lachrymæ panes appellentur. Certè si pocula dicantur, non usque adeò à communi sensu sermo discrepabit: fletus enim copia in calicem infusa, poculum repræsentat. Verum Prophetæ sensus anima Deum ardentissimè cupiente dignus est, dum lachrymas non potum solummodò, sed escam appellat: ut per hoc indicet, animæ graviter afflictæ nec potum, neque verò escam communem placere, sed præ victu omni fletum seligere. Manifestum est quippe, mœrore gravi cibi appetentiam extingui solere, corpusque ipsum ex animæ affectione lædi, ut pastum vel oderit, vel minimè requirat. Si autem amici alicujus inopinata, vel præmatura mors, aut honoris, vel rei familiaris jactura epulas adimit, quid mirum, si Dei absentia, & hostium animæ
B insultus, quasi absente Deo, quotidie repetitus justum in patriam suspirantem adeo frangat, maleque afficiat, ut loco potus & escæ perennes lachrymæ succedant? Annotandum
Animadversio. hîc, modum illum sciscitandi: *ubi est Deus tuus?* exprobrationem quandam amarissimam continere. Urgent enim hostes animam exulem ajentes: ubi est auxilium, quo freta pietatem colis? Ecce, tot malis obsideris, tot ærumnis conficeris, nec exitus patet; quid ergo contendis? Deus te rejecit; quid spei superest? *Maledic Deo, & morere:* quo jaculo
Job. 2. 9. ab uxore propria Job diriissimè impetitus fuit. Hic est enim conatus dæmonum per se, aut per instrumenta à se coaptata, justum in exilio agentem infestantium: ut patientia posita in Deum erigatur, & tartarea maledicta impatienter intorqueat. Verùm constantia justorum vexationem exilii æquo animo
C ferens, spe firma subnititur, & solatium inde ortum intimo corde recondit. Quapropter aptè subditur:

℣. 5. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

ANima mœrore contrahitur, lætitia expanditur, seu dilatatur. Iustus ergo doloris magnitudine in angustias conpulsus, opportuno consilio, quod & pietas, &
D prudentia suggerit, captat solatium quo animam constrictam relaxet, & ad cœptum divini cultus opus persequendum exhilaret. Dicit ergo: *Hæc* hoc est, has insultationes sive hostium exprobrationes *recordatus sum*, sive memoria recolui, & inter angores ipsos animam contractam lætitiæ sensu dilatavi. Hoc enim, usitata Scripturæ phrasi, sibi vult illud: *Effudi in me animam meam*, effundere quippe idem est ac extendere, seu laxare, quod lætitiæ proprium est. Si verò quæratur quænam lætitiæ causa subsit, appositè subiicit: *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*, E hoc est: licèt modò angar, & importunis præliis exercear, non semper vulneribus confodiar. Omnia tempus habent. Nunc militiæ tempus excurrit: sed de bello pacem reportabo. Nunc versor in exilio: sed postmodum transibo *in locum tabernaculi admirabilis*, neque subsistam; donec pertingam *usque ad domum Dei*, quasi planiùs effaretur: aula cœlestis certè mirabilis, domusque Dei ineffabilibus bonis affluens, meis oculis obversatur, dignaque videtur, pro qua nunc excrucier, ut sempiterna gaudia brevi mœrore conquiram. Tabernaculum admirabile cœlum appellat, domum verò Dei, penitiorem thalamum, & quasi Dei reconditam mansionem (ut nostro more dicamus) nominat: quasi post agonem exilii, anima justi non ad quemvis cœli locum, sed ad in- F timum Dei complexum, & velut thalamum sponsis destinatum penetratura sit: quod ad mortalis vitæ fastidia constanter perferenda plurimum confert. Pergit autem Propheta lætitiæ causam amplificare, dum ait:

In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.

SErmo eclipticus est, atque in hunc modum expleri debet, & cum præcedente versu contexi: *Transibo*, inquit Vates, *usque ad domum Dei*, ubi auditur sonus epulantis *in voce exultationis, & confessionis*. Metaphora perelegans est à lautissimo convivio ducta: & ad cœnam nuptiarum agni alludere videtur. In cœlesti quippe aula mensa instructa est, ad quam justi famelici avidissimè suspirant. Ibi multiplex sonus inter epulas harmonicè consentiens, qui edi- G tur ab epulantibus in voce, hoc est, in concentu planè suavissimo exultationis, & confessionis id est, lætitiæ, laudisque pleno. Et hoc sanè convivium, quo nihil delectabilius excogitari valet, animam nunc præ mœstitia decumbentem, & ariditate divexatam erigit, atque constabilit, ut mala omnia invictè perferat. Et quidem hac ipsa ratione Christus Apostolorum animos erexit ut adversantis mundi conflictus minimè horrerent, incredibili dulcedine illos blande alloquens in hæc verba: *Ego dispono vo-* *Luc.* 22. 29. *bis regnum, sicut dispositit mihi pater meus,* 30. *ut edatis, & bibatis super mensam meam*, quasi enucleatiùs effaretur: præclarè vobiscum agitur, dum ego mitto vos, sicut agnos inter lupos, ut ab eis discerpamini, atque H voremini: dolor quippe perexiguus est, si cum torrente voluptatis, qua vos mecum in regno meo epulantes perfundam, comparetur. Hæc est divinæ sapientiæ arcana eru-

Scripta An. 1607. eruditio, quam ſe percepiſſe demonſtrat Propheta, dum ſubdit:

℣. 6. Quare triſtis es anima mea? Quare conturbas me?

A AC ſi diceret per apoſtrophem: anima mea, ecquid cauſæ ſubeſt, ut mœrore tabeſcas? Quænam ratio ſuppetit, ut me exulem perturbes? Profectò ſi præmii magnitudinem velis expendere, & quid honoris pro dedecore, quid opulentiæ pro inopia, quid voluptatis pro deſolatione ſis acceptura conſideres, leviſſima tibi planè videbuntur exercitia hæc, quibus Deus te hoſtium tuorum vexationi traditam expiat, atque perpurgat. Quocirca jure ſubjungit.

℣. 7. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

B HOC eſt: ne concidas, cùm ratio nulla ſubſit: ſed benè ſpera, quoniam adhuc ſpes affulget, licèt videaris abjecta, & à Deo longè repulſa. Spera firmiter, quia etſi videaris exilio damnata, ego non ideò frangar: ſed adhuc confitebor, hoc eſt, laudabo Deum, dicamque; tu es ſalus, in quam vultus meus oculos collimat, & quod caput eſt, es Deus meus. Adhortatio hæc ad cor erigendum efficax eſt: quæ bifariam intelligi poteſt; aut de laude, quam juſtus inter preſſuras mortalitatis ſe Deo allaturum pollicetur, quod animi fortiſſimi argumentum eſt: aut de laude ſempiterna, quam in patria ſe celebraturum ſperat. Et hæc ſecunda interpretatio expoſitioni noſtræ congruentior eſt, quia fertur in complexum Dei, & immenſam fruitionis divinæ dulcedinem, habetque plurimum ponderis ad mœſtitiam

C elevandam, & labores non modò patienter ferendos, verum & difficultates omnes ſuperandas. Nimirum, qui certò ſibi Dei amplexus, & inde orta eterna gaudia pollicetur, obvia quæque proterit, & vincendo vires acquirit, quin & pericula conſtanter aggreditur. Sic Regius Pſaltes probari, cupiebat, & poſtulabat periculis exerceri, ut per viam eternam deduceretur: quod ſanè minimè poſceret, niſi ſpes fœlicitatis illum inter agones ad perrumpenda difficultatum obſtacula erigeret, atque fulciret. Neque hoc novum, aut ſingulare eſt in cauſa æternæ beatitudinis agenda: nam in amore quovis ſperata fruitio roborat, & monſtra domat: quod non ineptè oſtendit ille:

Pſ. 138.

D

Sæpè per aſſiduos languent mea brachia motus:
Vixque per immenſas feſſa trahuntur aquas,
His ego cùm dixi: pretium non vile laboris,
Candida quæ cupitis, colla tenenda dabo.
Protinus illa valent, atque ad ſua præmia tendunt:
Ut celer Eleo carcere miſſus equus.

Ovid. Heroid. epiſt. 18.

Verùm adhortatio hæc poetica levis eſt, ſi cum Prophetæ ſtimulo conferatur. Spera, E inquit, ô anima: fortiter modò congredere, nam tempus erit, cùm in abditiore thalamo præſenti ſponſo tuo ſuaviſſimè dicam: Tu es optatiſſima ſalus, quam cupidè vultus meus intuetur: Tu es certè dulciſſimus Deus meus. At cùm juſtus in exilio verſetur: interim dum ſe his meditationibus inſtruit: atque ſuffulcit, diſcrimen quoddam affectuum diverſorum ſubeuntium, quod nunquam excidere deberet, obſervat.

Ad me ipſum anima mea conturbata eſt:

Propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à F monte modico.

HOC eſt: longè alius exoritur affectus, cùm meipſum introſpicio, atque cùm te, ſumme Deus, contemplor. Nam cùm me intueor exulem, fragilem, abjectum, anima mea ad meipſum, hoc eſt, apud meipſum facilè perturbatur: ſed cùm tui recordor, erigitur & ſtabilitur. Quocirca memor ero tui, ſupplicans reſtituas me in terram lacte & melle manantem, ubi recreer potu puriſſimæ aquæ Jordanis, & aſpergar rore montium Hermoniorum, aliorumque montium modicorum, ſeu collium clementer aſſurgentium. Quaſi apertiùs in arcano ſermone diceret: experimento didici ex meditatione exilii me deiici, ex G contemplatione patriæ me animari: Propterea contemplabor, ſeu memoria repetam ſolidiſſimam viventium manſionem, flumine vivo intercurrente, fœcundam, Jordanis terra ſignificatam. Recolam ſimiliter montem Dei pingue montibus Hermoniis roſcidis, & aliis modicis montibus adumbratum: ut ſpe ſuaviſſimæ patriæ convaleſcam. Notandum, præpoſitiones illas (de & à) non hîc locum, ſed cauſam ſignificare, ſive hiſtoricè, ſive arcanè dicamus: Nam cùm verba pſalmi hujus ab exulibus proferantur, orentque pro reditu in patriam, fatentes ſe in exilio velle meminiſſe Dei, non eſt adrem, ut per verba illa: *de terra Jordanis*, vel *à monte modico* ſignificent, ſe velle recordari Dei ex iis locis, cùm ibi, dum precantur, non exiſtant: ſed pro iis planè locis, quò reduci cupiunt, aut ſymbolicè pro H cœleſti patria, quæ cupidiſſimè ab exulibus expetitur. Jam verò, quod ad conſtructionem verborum ſpectat, ſic verba ordinanda ſunt: Propterea memor ero tui, ſupplicans,

Animadverſio.

de

Scripta An. 1607.

de, hoc est, pro terra Jordanis, & Hermoniim, id est, montium Hermoniorum (qui sunt duo in extremis terræ sanctæ surgentes) memor quoque tui ero, à, id est, pro monte modico quolibet, dummodo in terra promissionis existat. Ubi Propheta idoneus æstimator est rerum quoque exiguarum, quas
A dulcissima regio vivorum ambitu suo complectitur. Verùm inter cœlestis patriæ meditationes, quod justus quisque facilè deprehendit, dolor ex præsenti exilio, & repetita calamitate recrudescit. Quapropter appositè subditur:

℣. 8. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum.

HOC est: calamitas calamitatem accersit: labor laborem attrahit. Et ego exul in profunditatem aquarum firmo solo carentem, quam significat abyssus, demergor. Vox justorum est simillima illi, quæ de
B Christo propheticè dicta est: *infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, sive hy-
Ps. 68. 3. postasis, hoc est, terra, quæ aquarum profunditati subest. Hoc ipsum est laborum pelagus, ubi justi natant. Quod verò attexitur: *in voce cataractarum tuarum*, idem pollet, ac diceret, abyssus in abyssum ruit insonante voce, sive strepitu cataractarum, id est, nubium diruptarum, è quibus aqua cum tonitruo vehementer effunditur. Eleganter nubes diruptæ cataractæ appellantur: cataracta quippe significat locum, è quo aqua potiùs ruit, quàm fluat, quod palàm contingit, dum imbres rapidè in terram è discissis nubibus evolvuntur. Alii pro verbo *cataractarum* vertunt *fistularum*, quasi nubes Dei fistulæ, seu canales sint, quibus pluviam effundat. Versus hic plurimarum calamitatum justos velut obruentium descriptio
C est: quando scilicet alia aliam evocat, alia aliam inducit, & inducias nullas vexatio contexta permittit: quod per adjuncta confirmatur.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.

EXcurrit translatio eadem, quæ poetica laborum incursantium hypotyposis est. Pingitur enim hîc Deus è cœlo per nubes quasi missilibus armatas percrepans, & vim aquarum profundens, ut justum exulem terreat. Terret quippe, ne peccet. Quòd ergo Vates ait, *excelsa tua*, idem est, ac sublimia tonitrua, fulminave tua, quæ è loco excelso iacularis in me: *fluctus tui*, id est, pluviæ, imbresve, quibus me operis, ac propemodum inundas. Omnia hæc metaphoricè accepta
D sunt gravium afflictionum simulacra, quæ super iustum transire, quod est in ipsum incurrere, dicuntur. Potest etiam translatio satis eleganter à navigatione peti. Justus enim mare spatiosum navigat, & procellæ sc. in sublime attollentes, (quæ hîc *excelsa* appellantur) undæque turgentes, ac frementes (qui sunt *fluctus* à Propheta commemorati) navigantem penè obruunt, ut nisi auxilium Dei prestò esset, vitæ spes modica suppeteret. Sic Jonas historicè sub fluctibus & undarum collisionibus à bellua absorptus, *Jonæ 2.*
E sic Paulus die ac nocte in profundo maris iactatus, & quod ad sensum arcanum spectat, sic iusti calamitatum voluminibus, quasi undarum vorticibus correpti, velut ad ima *2. Cor. 11.* Oceani delapsi, imminentia capitibus suis excelsa, hoc est, terriculamenta Dei cernunt. E quorum numero unus pro millibus Job sic effatur: *Semper enim, quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre* *Job 31. 23.* *non potui*. Sed consilio divino ascribendum est, quòd in exilio iustus terreatur; qui discussa formidine, navigationis cursu fœliciter confecto, in pacatissimam optati portus stationem ab Spiritu Sancto secundis demum ventis agendus est. Et hac certè ratione se iustus solatur, ut proximè subiicit:

℣. 9. In die mandavit Dominus misericordiam suam; & nocte canticum ejus:

F

DIes & nox in arcano sermone translatè accipiuntur: ac proindè sic Vates loqui censendus est: novi ego alternas divinæ sapientiæ, ac providentiæ vices. Diem efficit Deus, cùm lætus adest, & laborum, ac ærumnarum caliginem discutit. Nox est, cùm recedit, propitiaque signa neutiquam exhibet. Quocirca spero ego diem accessurum, quo sanè die mittet ille mihi lætum nuntium, ac prosperabit me (hoc est enim mandare misericordiam suam:) ubi præteritum pro futuro propheticè ponitur, & *nocte*
G *canticum ejus*, hoc est, & propterea in hac densa exilii nocte, quam patior, bono animo esse debeo, speque libertatis altè concepta, celebrare canticum ejus, quod est, alacriter agere, & ejus providentiam lætis carminibus decantare. Hæc est sapientia iustorum, qui in exilio ipso, quo premuntur, canunt æternam libertatem, qua ex dulcissimo Dei proposito potituri sunt. Persequitur autem cœptum spei incitamentum Propheta, dum ait:

℣. 10. Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es.

QUasi dicat; apud me, id est, mecum est gaudii seminarium, & spei fomen-
H tum, quo alor inter extorres, quod nihil est aliud, quàm oratio intenta Deo, qui est auctor vitæ meæ. Ego hoc malorum ingruentium remedio frequenter utar, dicamque Deo: tutelaris meus es. Ex Hebræo pro *Textus Hebraicus.* *adiutor meus*, vertitur *rupes mea*, quæ videtur re-

Scripta An. 1607.

reſpicere navigationis metaphoram ſuperiùs tactam. Quando enim navis procellis verberata dehiſcit, omniaque pereunt, ſecundæ fortunæ verti ſolet, arrepta tabula in rupes, ſcopuloſque eminentes enatare, ubi ab imminente interitu vita ſervetur. Verſus hic magna Chriſtianæ ſapientiæ pars eſt: quia præſcribit orationis in adverſitate fundendæ brevem, efficacemque formulam, quam juſti omnes, quod ad ſententiam pertinet, amplexi ſunt. At Propheta orare pergit:

A

Brevitas orationis in adverſitate præſcripta.

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

OBlivionem videtur ſimulare Deus, cùm iuſtos exilio prolixo torqueri ſinit. Et ita Vates amanter conqueritur: *Quare oblitus es mei?* & quare ego permiſſu tuo mœſtus incedo, dum ab hoſtibus oppugnor? hoc eſt, cur me ita impugnari ſinis, ut triſtis incedam? Aliqui pro verbo *contriſtatus*, vertunt ex Hebræo *nigricans*, quaſi juſtus ita loqueretur: Cur ego mœſtitia nigreſco? Lætitia quippe vultum vegetum, ſplendidumque, mœror languidum, ſqualidumque præfert. Status ærumnoſus eſt per ea, quæ ſubiunguntur, exaggeratus.

B

Textus Hebraicus.

℣. 11. Dum confringuntur oſſa mea: exprobraverunt mihi, qui tribulant mei inimici mei.

REpetendum: *Quare contriſtatus incedo*, & annectendum, *dum confringuntur oſſa mea, &c.* Ac ſi luculentiùs dicat: cur ſinor graviter mœrere, dum acerbiſſimos cruciatus oſſium confractione, & amaris exprobrationibus, ſive irriſionibus inimicorum notatos, in exilio fero? Amatoriæ querimoniæ ſunt juſti derelicti, ac ſtatum calamitoſum Deo repræſentantis: ac ſi ad hunc modum conqueratur. Miror, Clementiſſime Deus, ſimulatam oblivionem hanc? Vides certè, me ab inimicis dirè excruciari, tartarum, mundumque in me conjurare, oſſaque mea, hoc eſt, firmitudinem virium, quas indideras mihi, comminui, & mihi ſic fracto contumelias innumerabiles inferri; & tamen ſiles, ac mei oblitus videris. Verſus hic ſecundò, & ſatis arcanè explanari poteſt, ſi à præcedente juxta primam interpretationem non dependeat, ſed ſeorſim expendatur, & præcedenti reſpondeat, ad penitiſſimum Prophetæ ſenſum eruendum. Proximè rogaverat: *Quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?* Modò reſpondet, rationemque appoſitiſſimam ſubtexit, quia ſcilicet *dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.* Duo videlicet promit, ob quæ triſtis incedat; alterum à Deo, nempe oſſa confringi, alterum ab hoſtibus, ſcilicet ſibi ſtatum illum exprobrari. Res vera, & multis experimentis teſtata eſt. Deus acerrima repulſa, & derelictione oſſa Job (ut ex hoc exemplo cætera pateant) id eſt, vires attriverat, opes, filios, valetudinem, interna ſolatia ſuſtulerat: & ad hæc ii, qui videbantur amici, in hoſtes mutati amariſſimis exprobrationibus inauditam illam calamitatem viro innoxio verbis mordacibus obiiciebant. Sic ergo juſtus reſpondere cenſendus eſt: mœſtus incedo, quia undique infeſtor: Deus me ſeverè exercet, & hoſtes mei repulſam Dei mihi contumeliosè exprobrant. Verùm, quod omnibus ſeverè tractatis creberrimum eſt, ut dolore vim reſumente, verba eadem ipſi reſumant, quod verſu quarto & ſeptimo Propheta deprompſerat, hîc ad ſenſus incrementum repetit:

Job. 1. 2.

C

Conqueſtio.

℣. 12. Dum dicunt mihi per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus? Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

D

Alia Textus explicatio.

VErſus hic non interpretatione nova, ſed expenſione indiget, ſi quis Vatis ſenſum aſſequi cupiat: Unum tamen obſervatione dignum videtur, Dei ſcilicet abſentiam crebrò exprobratam per illa verba: *Ubi eſt Deus tuus*, rem juſto exulanti funeſtiſſimam eſſe: quod alto planè ſenſu viri rerum divinarum conſulti penſitare conſueverunt. E quorum numero lectiſſimo Job, cùm in ſumma derelictione dirè torqueretur, rem hanc altè perſenſit, ubi dixit: *Pone me juxta te*, quaſi diceret: Longè me rejeciſti, clementiſſime Deus, atque ideò incredibili doloris genere diſcrucior. Abſentiam quippe hanc ſeparationi animæ à corpore perſimilem ferre non poſſum. Quod profectò adeò verum, ac teſtatum eſt, ut præſens vita morti ſimillima, velut in tartareum cruciatum verteretur, niſi ſpes libertatis firma conſtaret; qualem Job in ſinu condiderat. Ex quo liquet, quàm appoſitè Propheta Pſalmum ſpei motu concludat, dum ait:

E

Animadverſio.

Job. 17. 3.

F

G

Vita morti ſimilis.

Job. 19.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

VErſus hic numero decimus ſeptimus, & ultimus, idem eſt prorſus, ac ſeptimus, quem idcirco interpretari minimè oportet. Spem, dumtaxat reſumemus, ut finis interpretationis affectui Vatis ſpem repetentis congruat. *Spera*, inquit, animam propriam dejectam erigens, & confirmans: quoniam adhuc laboribus improbis obluctabor; undique ab hoſtibus obſideor, & oppugnor: ſed adhuc confitebor, id eſt, confligam, & aperto Marte concertabo. Hæc quippe eſt confeſſio, ſive laus, non verborum pigmentis

H

Scripta An. 1607.

ornata, ſed patientia & fortitudine compoſita. Cerno ego in hac militia mortalis vitæ caſtra hoſtium è regione diſpoſita, & infeſtis telis minas multas intentantia: ſed ego adhuc bellum geram, ſpemque victoriæ conſtanter alam. Hæc eſt fortitudo juſtorum cum adverſitate luctantium Deo glorioſiſſima, qualem Regius Vates facilè oſtendit, ajens: *ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum, ſi exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo*, neque ſacra ſolummodò oracula vim hanc ſpei difficultatibus obſirmatæ, & ardua fortiter adorientis commendant; verùm & politici homines, & ipſi quoque non ſacri ſcriptores, qualis ille:

A

Pſ. 26. 3.

Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus æquor.
Ire per invitas experiemur aquas.

Ovid. Heroid. Ep. 13.

UT pateat homines univerſos in hanc conſpirare ſententiam: fine ſcilicet propoſito, præſertim ſi honeſtus, ac voluptate refertus ſit, qualem Propheta ſibi præfixit, ajens *ſalutare vultus mei & Deus meus*: adverſitatibus minimè cedendum, ſed invicto animo in obvia quæque, ſpe altè defixa, proſiliendum, Quod univerſis lectoribus clementiſſimus Deus pro immenſa bonitate ſua largiatur.

E

Domino noſtro Jeſu Chriſto, ac beatiſſimæ Virgini Mariæ laus ſempiterna.

B F

IN OPUS SEQUENS PRÆMONITIO.

C

HAnc quoque auream Opellam, *non tam manu, quàm corde divina exundanti caritate ſcriptam, quæ in Collectione Colonienſi altero in Tomo continebatur, a pag.* 339. *& ſeqq. propterea huc transferimus, quòd tota ex ipſis dulciſſimis Sacrarum Scripturarum, quarum explanationes hactenus dedimus, verbis ſit à Ven. Auctore piiſſimè exarata, & veluti adſuta, quemadmodùm legenti patebit, & idemmet teſtatur in ſequenti Præfatione. Eam verò poſt annum* 1605. *fuiſſe ſcriptam, dum ipſe Definitoris Generalis munere Romæ primò fungeretur, nobis compertum eſt, cùm ex teſtimonio P. Iſidori in ejus Vita, cap.* 15. *tum ex eo, quòd non ante an.* 1607. *Typis publicis Tarquinii Longi Neapoli paruerit, ſingulari volumine in* 8°. *Quamobrem præcedens annus* 1606. *ejus ſcriptioni adſignandus eſt. Neapolitanam illam aliæ poſtmodum ejuſdem Operis, congenitam Auctoris pietatem undique ſpirantis, plures alibi ſequutæ ſunt, præſertim Coloniæ an.* 1614. *Illi etiam in prima editione adjecta eſt ab eodem Ven. Scriptore Epiſtola Hominis ad Pacificum Regem Jeſum Chriſtum.*

G

D H

DE

DE PRUDENTIA JUSTORUM

LIBER.

VEN. P. F. JOANNIS A JESU MARIA

LIBER

DE PRUDENTIA JUSTORUM.

PACIFICO REGI CORDIUM JESU CHRISTO

INDIGNISSIMUS EJUS SERVUS S.

SCriptores alii dedicant opera ſua Principibus terrenis: Ego verò dedico, ac dico opera mea Regi Pacifico, per quem Reges regnant, & qui magnificatus eſt ſuper omnes Reges univerſæ terræ. Offero quippe tibi Rex, qui corda ſuaviſſimè regis, votum cordis mei; & tanquam voti auctori; cui ſoli placere vellem. Tibi enim dixit cor meum: Exquiſivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram. Debeo certè tibi votum hoc, quod continet mollitos ſuper oleum ſermones tuos, quibus corda caſta emolliuntur. Trahuntur enim unguento eximiæ dulciſſimi nominis tui. Offero tibi, Rex magne, non verba vacua humanæ ſapientiæ artificio ſonantia, quorum memoria perit cum ſonitu: ſed verba plena ſenſus tui, quem in Scriptura Sancta expreſſiſti, vel piis cordibus inſpiraſti: ut fiant holocauſta medullata, quæ placeant, obſecro, cordi tuo. Dum hæc ſcriberem optavi, ut vi ſermonis vivi tui lectores inflammarentur; & aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum. Fiat, oro te; mitiſſime Rex, quod expetivi; & (ſi qua merces labori meo reddenda eſt) ſitiat, precor, in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea. O Rex pacifice, tantummodo in iſta voce exaudi me. O Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, primogenita ante omnem creaturam, attingens à fine uſque ad finem, fortiter, ſuaviterque diſponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

PRÆFATIO AUCTORIS.

SUavior profectò eſt, Chriſtiane lector, eloquentia Jeſu Chriſti, quàm Tullii. Eloquia Domini, eloquia caſta (quæ ſunt velut argentum igne examinatum, purum à terra purgatum ſeptuplum) amabiliora ſunt, quàm profana verba, quantumvis picta, ut cum oſtentatione vendantur. Sermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens uſque ad intima compagum, & medullarum, pretioſior eſt, quàm oratio amatorum mundi, compoſita ad animos ſine fructu, vel cum fraude delectandos. Bonæ conſcientiæ argumentum eſt, non ſolùm ſenſu Chriſti, ſed etiam ſimplicitate verborum Chriſti delectari. Miſit ille eloquium ſuum terræ, ut velociter curreret ſermo ejus: & lex illius immaculata convertens animas, non ex ſermone, ſed ex virtute æſtimaretur. Ego igitur unus è plebe ejus, non ſolus, ſed cooperante Dei gratia mecum, librum hunc (De prudentia Juſtorum) magna ex parte ex ipſis dulciſſimis Sacræ Scripturæ verbis, ad finem quem Spiritus Sanctus intendit, hoc eſt, ad inſtruenda corda, compoſui. Speravi enim, Jeſu Chriſti verba etiam per miniſtrum indigniſſimum prolata, & ſcripta, peccatoribus, quorum ſalutem quæro, & juſtis, quorum conſummationem opto, profutura. Inſcribitur autem liber (De prudentia Juſtorum) quia cum prudentiæ ſit, media ad finem apoſita præſcribere, hoc agitur in toto libro hoc, ut ad æternæ ſalutis finem media opportuna proponantur. Inducitur autem Jeſus Chriſtus loquens, quia vel ipſa ejus verba ſunt, vel certè ipſius inſpirationis piis cordibus immiſſæ. Lector autem, qui hac lectione proficere ad æternitatem cupit, tria obſervet: Primum, ut tempus locumque à ſtrepitu remotum ad legendum eligat: ſecundum, ut lentè legat: tertium, ut, dum ſe commoveri ſenſerit, lectionem intermittat, donec ille commotionis calor deferveat. Studeant alii variis mundi artibus, & diſciplinis: ego prudentiæ Juſtorum ſtudebo: Mihi enim adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino fideliſſimo ſpem meam.

PRI-

PRIMA PARS

UBI PRÆMISSA VOCATIONE, PROPOSITOQUE SALUTIS ÆTERNÆ FINE, GRAVIORA IMPEDIMENTA CHRISTIANÆ PERFECTIONIS REMOVENTUR.

CAPUT PRIMUM

Omnes Adæ filios Jesus Christus ad salutem tenerrimè vocat

Scriptus An. 1606.

Vocatio peccatorum.

VEnite ad me omnes Adæ filii, qui laboratis, & gravi peccatorum, ac pœnarum pondere onerati estis; & ego, qui sum dives in misericordia, visceribus maternis reficiam vos. Cur obturatis aures cordis, sicut aspides surdæ, quæ vocem incantantis audire timent, ne fortè cor mutent, ac mausuescant? Nunquid venenum insanabile per vocem incantantis sapienter evomere, ac miteſcere timetis? Venite filii dulcissimi, & audite me; & timorem Domini docebo vos. Tollite jugum meum super vos, quod ego una vobiscum sustinebo, & genua debilia roborabo. Doleo vicem vestram, ô pars magna hæreditatis meæ: consilio quippe parum sano quinque juga boum pretio magno emistis, & fertis pondera importabilia, quæ dorsum semper incurvant, & unum, ac leve jugum meum, quod æternæ vitæ lucra parit, protervè fugitis, & horretis. Certè ab utero Hevæ matris vestræ infœliciter erraſtis: & sub onere gementes mortem sempiternam multo sumptu mercamini. Revertimini ergo ad cor, filii prodigi substantiæ meæ, & ego suscipiam, & strictissimè amplectar vos, tanquam fidissimos amicos meos, & super unoquoque vestrum lætabor copiosiùs, quàm supra nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia. Quid cunctamini, optatissima præda mea? Festinate jam subire leve onus meum: & in schola sapientiæ melle dulcioris discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & invisibilia regere, non miracula patrare, sed quia mitis sum, & humilis corde, cujus imitatione amara quæque dulceſcunt.

A

Peccatores filii dulcissimi appellati

Et pars magna hæreditatis Christi.

B

S. August. Serm. 69. de verb. Evang. Matth. n. 2.

C

CAPUT II.

Hortatur, ne filii Adæ quærant solatia mundi

NOvi cervicem vestram duram, filii Adæ semper enim dulcissimo spiritui meo restitistis, non fidenter promissis meis, sed avidè quærentes solatia peregrina. Sed nunc saltem, inclinata jam die, convertimini ad me, & sub jugo meo suavissimo invenietis requiem fatigatis animabus vestris. Tempus est, ut in hora novissima quæratis me, & mundi vanitati anteponatis suavissimam amicitiam meam. Venite ergo & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quid vultis vobis in via Ægypti, ut bibatis aquam turbidam? & quid vobis cum via Assyriorum, ut profanas aquas hauriatis? Calix in manu mea quàm præclarus est, è quo usque ad satietatem bibunt fideles

Adæ filii duræ cervicis.

D

Isai 55. 2.

Scriptus An. 1606.

les amici mei. Mirum est, quomodo non placeat vobis Cisterna Bethlehem, & inhietis ad cisternas dissipatas, in medio silicis excisas. Ne bibatis de calice Babylonis, ubi mors auro tecta latet. Ecce, è vulneribus meis sanguinem, aquamque propino, ut cordis humani sitim expleatis. Accedite ad me, celerrimis affectuum gressibus, &

A Latus Christi fons vivus.

lateri meo, quasi fonti vivo labia imprimite: ut satiemini ab uberibus consolationis meæ, & torrente voluptatis inebriemini. Fallax mundi gratia capiat gentes, quæ non noverunt me; & ante Baal genua curvaverunt: Vos autem gens sancta, regale sacerdotium, & populus acquisitionis meæ, venenata mundi pocula, epulasque peccatorum respuentes, pura Jordanis aqua delectemini, fructuque ligni vitæ vescamini in amœnissimo paradiso, quem plantavi electis meis.

Paradisus plantatus electis.

CAPUT III.

Monet sollicitudinem in æternæ salutis opere.

Job 14. 5. BReves dies hominis sunt, & numerus mensium ejns apud me est. Constitui

B quippe terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Et cùm vos Adæ filii in vitæ brevis angustia deberetis exultare ad currendam viam meam; in hac sola pigritamini, & mortalibus bonis nimiùm sollicitè detinemini. Fruimini bonis, quæ prohibui, & abutimini creaturis, tanquam in juventute celeriter. Nullum viret pratum, quod non velociter pertranseat luxuria vestra. Coronatis vos rosis festinanter, antequam marcescant; & cordibus indomitis licentiæ habenas relaxatis. Non placet mihi consilium hoc: dementiam hanc odivit anima mea. Vos festinatis ad interitum gratis; quasi vos pretio magno non emissem. Ergo resipiscite modo, & summo cùm emolumento in requiem meam ingredi properate. Tantundem

C sollicitudinis postulo ad vitam jucundissimam, quantùm in æterna morte posuistis. Ego cucurri in siti, ut vos fugientes apprehenderem, & è feritate mansuefactos ad dulcissima pascua æternæ vitæ deducerem. Cur modò marcescitis ignavia, & non ascenditis ad terram viventium possidendam? Cur torpescitis, electi mei, & non potiùs animamini, ut assurgatis ad hæreditatem opulentam primogeniti populi mei? Certè si sciretis, quàm sit magna multitudo divinæ dulcedinis, quam abscondi & servavi quærentibus me: sicut desiderat cervus, & currit ad fontes aquarum, ita & vos cursu velocissimo requiem meam peteretis. Experto tamen credite,, & currite, si quo modo comprehendatis, more illorum, qui in agone contendunt, & anxiè currunt ad bravium. Filii hujus sæculi sunt veloces ad effundendum sanguinem; vos autem, amici mei, propter verba labiorum meorum magna sollicitudine custodite vias duras: & ad regionem vivorum inter dolores, ac sudores fortissimè suspirate.

Cervi velocitas.

D Peccatores veloces ad effundendum sanguinem.

CAPUT IV.

Justos celeriter ad palmam currere docet.

HOmo quasi flos egreditur ex utero matris suæ, ubi ossibus, & nervis compegi eum: & vix ad horam in materia carnea consistens fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Idcircò justi, quasi æternarum divitiarum avari mercatores, licet consummentur in brevi, explent tamen indefessa diligentia tempora multa. Et, si quid ex humana fragilitate peccant, citissimè se mundant lavacro sanguinis mei: ne subitò præoccupati die mortis quærent spatium pœnitentiæ, & invenire non valeant. Atque ideò justis meis omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum dulcissimi cordis mei vocati sunt sancti. Sive enim rectè agant, sive quandoque peccent, vehementer ad palmam incitantur, dum intimi doloris configitur spina. Charitas Dei urget illos, ut magna semper operentur, ut fidelissimæ promissionis meæ consortes fiant, dum lati mandati mei viam sine defectione percurrunt. Vos ergo, charissimi amici mei, quos introducere decrevi in terram melle, ac lacte fluentem, contendite intrare per angustam portam antequam tenebrescat: & clausa urbis sanctæ janua respondeam serò pulsantibus: Nescio vos. Inquirite futuram, quandoquidem inter mortales non habetis civitatem permanentem: sit vobis cordi superna Jerusalem, & per itinera æternitatis ad pinguem, & coagulatum montem meum, lachrymarum valle, gemitibus inenarrabilibus, & suavissimæ Charitatis arboribus properate.

E Hominis vita labilis est.

Omnia justis cooperantur in bonum, etiam peccata.

F Amici charissimi Christi qui?

Ad Heb. 13. 14.

CAPUT V.

Omnibus quantumvis peccantibus vitam offert.

G

QUis est homo, qui vult vitam immortalem, & cupit, cœlo sereniissimo, dies videre bonos? Veniat fidenter ad me, & custodiat planas, & rectas vias meas: Vita immortali vivet, & facto intra eum vivo fonte dulcissimæ aquæ salientis in vitam æternam, mortem non gustabit in æternum. Ex magnitudine infinitæ bonitatis meæ omnes salvos fieri volo; neminemque proiicio, ne peccatorem quidem obduratum, dummodo ipse salvus fieri velit. Nemo declinet à me humana patiens, quasi tædio affectus sim hominibus tam sæpè parcendo: Misericors quippe corde sum, & ignoscendo delector. An coarctare vultis, Adæ filii, misericordiam meam, ut ad mensuram miserationis vestræ sit tanquam nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens, qui ex oriente sole consumitur? Vivo ego, quia nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vita infinitæ consolationis plena vivat. Gloriam meam misericordia

Deus vult omnes salvos fieri, dummodo ipsi velint.

H Deus mortem peccatoris non vult, sed ut convertatur.

gran-

Scriptus An. 1606.

grandem alteri non dabo, ac in æternum sine tædio miserebor. Utinam filii hominum, qui peccando consenescunt, quoties ego parcerem, toties vellent reconciliari mihi, & ex animo requirerent me: hilarem semper, ac liberalem invenirent: & animas nimis desolatas blande loquens consolarer. Nemo enim, ab orbe condito, ex animo invocavit me, super quo viscera mea non commoverentur; quamvis innumeris, & gravissimis sceleribus me ad iram provocasset. Ab infantia enim crevit mecum miseratio, & de utero mitissimæ matris meæ mecum egressa est.

A

Christi misericordia ab utero matris suæ.

CAPUT VI.

Conqueritur de ingratitudine hominum.

JUstas querimoniarum causas habeo adversum vos, filii hominum graves corde, qui pretium magnum infinitæ misericordiæ meæ repellere cogitastis. Prævaricati estis pactum dulcissimi testamenti mei: & spreto cultu divinæ Maiestatis meæ, idola mundi veneramini. Quid est hoc? Quid invenerunt in me iniquitatis patres vestri, qula recessserunt à me? Leges Medorum, atque Persarum studiosissimè observatis, & Satrapis mundi placere contenditis: solus ego contemnor, nec invenio, quibus placeat amplissimus honor regni mei. Usquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur à malitia inhabitantium in ea? Universæ creaturæ ad nutum obediunt imperio meo: solus homo cucurrit adversus me erecto collo: & pingui cervice armatus est. Quid ultra debui facere humano generi, & non feci? Venite nunc & properate filii Adæ, & si valetis, arguite me. Quod si nemo potest arguere me de peccato, eloquia mea casta ne respuite, sed cordis vestri duritiam gratitudinis liquefactione resolvite. Auferam, si vultis, cor lapideum, daboque cor carneum: & faciam, ut in præceptis meis more cervorum ambuletis. Educam vos de terra deserta, è loco horroris, & vastæ solitudinis. Constituamque super excelsam terram, ut sugatis mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Si deposita duritie, mitescant corda vestra, repetito fœdere, Deus vester ero, daboque in visceribus vestris legem meam, & in cordibus emollitis digito suavissimi spiritus mei scribam eam.

B

Jerem. 12. 4.

C

Cervi cursu velocissimi.

CAPUT VII.

Hortatur, ad Verbum Dei aure cordis percipiendum.

MOlliti sunt sermones mei super oleum, & ipsi sunt jacula, ut simul vulnerent atque delectent. Quocirca mirum est, quomodo filii hominum quærant sibi magistros prurientes auribus, & à veritate mea eloquiis dulcissimis instillata auditum avertant, atque ad vanissimas fabulas convertantur. Ego quidem foris prædico, & in mediis urbibus atque plateis emitto argenteam vocem meam: & fio vox clamantis in deserto, ubi spinæ tribulique succrescunt. Vacant homines inertes, & novorum librorum curiositate trahuntur: Sola lex mea immaculata, convertens animas, & sermo meus vivus, & efficax despicitur, quasi summa cum voluptate non penetraret usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque ac medullarum. Quid dicam vobis amentes vanitatis amatores, qui fugitivas umbras, somniaque sectamini? Nunquid verba mea non ardent velut ignis, quo solvitur glacies cordium, quæ culpæ frigore obriguerunt? Cur aures cordis obturatis, nec patienter audire vultis verba æternæ vitæ, æstimabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum? Delectet saltem vos, ô justorum congregatio, cælestis eloquentia mea, qua corda casta nutriuntur: & sermo meus non pictus persuasibilibus humanæ facundiæ verbis, virtute divina suspendat. Accipite gratis argentum igne examinatum, probatum terræ, & purgatum septies; & quasi modo geniti infantes edisce elementa suavissimi sermonis mei.

D

Sermones Christi vulnerant atque delectant.

Ubi Christus prædicet.

Novorum librorum curiositas trahit.

E

Verba Christi ardent velut ignis.

F

CAPUT VIII.

Docet initio cursus oculos mentis in æternitatem esse dirigendos.

FIlii accedentes ad servitutem meam, oculos ante omnia in æterna bona dirigite, & ad virentia sine fine prata suspirate. Estote sicut Issachar, qui cum videret terram, quòd esset bona, & requiem, quòd optima, suppossuit humeros suos ad portandum, factusque est serviens sub tributo. Sic ego, proposito mihi gaudio, sustinui crucem, confusione contempta, & transii per ignem, & aquam in superventurum refrigerium. Et quod ad novos milites meos attinet, mihi credite, nihil esse, quòd animos sermonis iustitiæ expertes, lactisque participes æquè moveat, ac sperata æternæ consolationis magnitudo: qua victores exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis, Certè formosissima lux mea, & purissima delectatio dexteræ meæ, coronas varias, de multiplici labore, iusta remuneratione reddentis, animos pugnatorum fortissimè munit ad confringenda capita draconis, qui datur in escam populis Aethiopum. Spem hanc incedentem usque ad interiora velaminis, reponite in sinu vestro, ne deficiatis laborando, quasi mercede carituri. Tempus erit, cum Altissimus Pater meus dicet fidissimo procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. Hac spe plus, quàm suavissima erumpunt aquæ in hujus vitæ deserto, & torrentes in solitudine. Et anima, quæ arescit, potu delectabili reficitur, quo labores universi dulcorantur. Spes hæc statuit procellam maris in auram, ut sileant perturbati fluctus ejus. Hæc est hæreditas fortium Israel, qui spernen-

G

Coronæ variæ juxta varios labores.

H

Matth. 22. 3

Scriptus An. 1606.

tes momentaneum hoc, & leve præsentis tribulationis; intentos habent oculos in æternum gloriæ pondus, quod speratur in cœlis:

CAPUT IX.

Ponderat gloriæ magnitudinem.

A

PErfectorum est solidus cibus, eorum scilicet, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, & ex purissimo ac dulcissimo mei amoris affectu, sine introitu retributionis, me requirunt. At vos, qui purgatos cordis oculos nondum nacti estis, & mercede movemini, currite post me saltem more adolescentularum, quæ amoris imperfecti suavitate trahuntur. Certè in civitate primogenitorum, & in monte sancto, ubi post diluvium aquarum, passionumve multarum requievit arca humanitatis meæ, nihil est, quod suavitatem, & amorem non spiret, & castissimis delitiis non circumfluat. Egreditur aquæ purissimæ fluvius à me fonte vivo ad irrigandam faciem terræ promissionis meæ: cujus ubertate, & amœnitate viscera dilatantur. Non ibi flat Aquilo, sed venit

In monte sancto nihil est quod suavitatem, & amorem non spiret.

B Auster, & auræ lenis sibilo perflat hortum meum: lateque funduntur odores aromatum puram voluptatem ingerentium. Ibi lux beatissima sole formosior lætissimos gaudentium choros exhilarat. Ibi melos dulcissimum cordium, quæ in sua peritia requisierunt modos musicos, & ad novum canticum sine fine duraturum psalterium decachordum aptaverunt. Ibi suavissima pulchritudo corporum & animarum super nivem candentium, & super coccum bis tinctum rubentium & amores æternos in thalamo meo celebrantium. Ibi castra mea immortales triumphos agentia, forma Virginum, adolescentum decore, victorum fortitudine disposita, quæ regnabunt mecum in æternum, & ultra. Verùm hæc exigua sunt: neque gaudia mea in exilio Babylonis satis intelligere potestis.

Ibique corporum suavissima pulchritudo.

C Fide mea hic opus est, cùm sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Arcana verba sunt, quæ non licet homini loqui; cum Angelicam superent eloquentiam. Oculus non vidit, neque auris audivit, quæ ex infinito pondere bonitatis meæ præparavi diligentibus me. Propter hæc ergo gaudia mea, milites mei novi, pugnate.

Apostolica fidei distinctio.

CAPUT X.

Suadet suæ passionis imitationem,

D NOlite timere pusillus grex: Ego protector vester sum, & merces vestra magna nimis. Mihi credite; non est contemnendus decor dulcissimæ Sion, quam dilexi, plusquam tabernacula Jacob, ut non meritò pro ea pugnare debeatis, & hoc multò nunc animosiùs: quia universus Israel toto corde sequitur Absalom, quasi è quercu suspensus, non esset infœliciter moriturus, & mitem David transgredientem torrentem Cedron, flentem, ac operto capite, nudisque pedibus incedentem nemo est, qui fideliter sequatur. Quàm crudeles sunt Adæ filii, regem suum mansuetissimum, in mediis laboribus, respuentes? Torcular crucis calcavi solus, & degentibus, quasi fuso sanguine, redemi, non erat vir mecum. Considerabam ad dexteram, E & videbam; & non erat, qui cognosceret me. Et vos posteriores servi mei, quid vultis mecum judicio contendere, quasi gens, quæ justitiam fecerit, & legem Dei sui non dereliquerit? Omnes me dereliquistis: Sed & æternus Pater meus, propter vos, dereliquit, ac percussit me. Nunc ergo; quando desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde, cogitatione, & affectu me patientem comitamini, ut resurgenti sociemini. Ne horreatis societatem dolorum meorum, si dulcissimæ vitæ consortium exoptatis. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: equum, qui est fallax ad salutem, enervate, ut commortui, & consepulti mecum, ad diem, qui nescit occasum mecum diluculo exurgatis, & dabo vobis pro vigilia somnum inter dilectos meos, pro bello pacem, quæ superat omnem sensum, pro abstinentia esum ligni vitæ, quod est in paradiso Altissimi Patris mei.

Psal. 141. 5.

Mortificationis fructus.

F

CAPUT XI.

Monet parcum vitæ præsentis usum.

OMnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, quibus à cursu possit retardari. Vos autem qui pro æterna vita pugnatis multò studiosius, quam filii hujus sæculi, ab omni impedimento viæ vestræ debetis abstinere. An non consideratis, quia novissima hora est, neque misericordiæ semper locus erit? An pepigistis fœdus cum morte, quæ tanquam fur intempesta nocte venit? Quare sequimini ventum, telasque aranearum texitis? Quousque patiar eos, qui argentum thesaurizant & aurum, in quæ confidunt homines? Omnia sub sole transeunt; & mortalis vitæ conditio, non mansio vestra, sed peregrinatio est. Reliquum ergo est, ut qui emunt, tanquam non possidentes, qui gaudent, tanquam non gaudentes sint, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura inconstantissima hujus mundi, qui longissimè abest à permansura civitate mea. Propter quod, electi mei, qui jus æternæ hæreditatis nec amittere, nec diminuere volunt, habentes alimenta, & quibus tegantur, tantò celeriùs currunt, quantò minus, ponderis mundani portant. Quid igitur vos solliciti estis in annos plurimos, quasi certò supervicturi, H cum ignoretis, quid superventura pariat dies? Graviter erravit homo ille, cui dictum est: Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ congregasti cujus erunt? Spernite amici mei, quæ brevi, ac necessario pereunt, & divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

G

Vita mortalis quædam peregrinatio.

1. *ad Cor.* 7. 29. 30. 31.

Luc. 12. 20.

CA-

Scriptus An. 1606.

CAPUT XII.

Negotiorum multitudinem dissuadet.

PORro unum est necessarium, unum, inquam, illud, quod est bonum. Feci ego hominem rectum, ut bonum hoc in-
A finitæ consolationis plenum per vias rectas quæreret, ac requireret, ille tamen, cùm in honore esset, non intellexit, sed mille laqueis, & quæstionibus se implicuit, ac peregrè à me profectus est. Non placuit illi suavissima conversatio mea, & studium illorum, qui ædificant sibi solitudines. Aquas fluviorum Damasci multo cum strepitu currentes sitivit; & fastidivit aquas Hesebon, quæ dulcissimo silentio requiescunt. Quænam dementia est hæc, cor, cujus unione vivitur, tam multiplici, ac mortifera sectione dividere? Adeonè sæcularia negotia animas cælo natas divertent, atque pervertent, ut æternæ salutis negotio, & tempus, & cura desit? Regnum Dei prius quærendum, & justitiam ejus.
Quærite primum, ô filii Adæ, regnum Dei,
B & justitiam ejus, & in me cogitatum vestrum, ponduſque iactate. Hæc sit sors, & portio vestra vita mortali pretiosior, ut numeremini inter charissimos amicos meos. Quòd si tempus aliis negotiis desit, iacturam temporalium bonorum, cum æternæ vitæ lucro patienter sustinete. Nam si è contrario in varias sollicitudines distracti, brevi mundi gloria prosperemini, quid soli ac synceri boni succedet? Dicite vos ipsi, quid prosit homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiàtur? Negotiatores terræ morientium, exquisitores terrenæ prudentiæ, institores Themanitæ atque Sabæi, quo tenditis in varia figmenta dissipati? Quis mihi det, ut suavissima sponsa mea Sulamitis, Ecclesia inquam mea sit juxta dies pristinos, quando multitudinis credentium erat cor unum, & anima una? Fugite de medio Babylonis, & animam sitientem mihi unitam recreabo. Ducam
C eam in solitudinem, & dulcissimè loquar ad cor ejus.

CAPUT XIII.

Monet curiositatem sciendi fugiendam.

NE pascatis ventum, Adæ filii, & doctrinas hominum ne anxiè quæratis. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & legis peritus in prudentia sua; sed in hoc glorietur omnis qui gloriatur, scire & nosse me. Respicite, quid profuerit Aegyptiis, & Athenienſibus sollicitudo sciendi. Nonne sapientes con-
Isai. 19. 11. siliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens & existimantes se aliquid scire, stulti facti sunt? Nonne Athenarum præceptores ignoto
D Deo aram posuerunt? & stultitiam suam,
Act. Apost. 17. 23. nescientes quid agerent, publicarunt? Infernus dilatavit animam suam, & omnes sapientes terræ absorpti sunt: quia cùm inutilia, & vana scire satagerent, ignoraverunt me, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Etenim, si ego solus cognoscar, sciendi sitis expletur, & splendore candidissimo anima illustratur, licet nihil aliud noverit, præter me. Si verò omnia quis noverit, excepto me, rudis & ignarus erit, & indigebit, ut tanquam infans doceatur, quæ sint elementa exordii sermonum Dei. Certè Paulus, fidissimus servus meus,
E cùm ob scientiæ magnitudinem in pretio magno haberetur, nihil putavit se scire inter fratres suos, nisi me solum crucifixum. Quanvis enim multa didicisset abundantiùs, æmulator existens paternarum suarum traditionum, ex quo tamen ego apparui ei, & sapientiam meam revelavi, omnia contempsit, & in sola plenitudine scientiæ meæ requievit. Discite ergo me, filii hominum, & ad scholam suavissimæ eruditionis meæ, spreto mundi gymnasio, transmigrate,

Paulî scientia quæ?

CAPUT XIV.

Docet amicitiam hominum declinandam.

DOleo super vos, humanæ benevolentiæ
F mercatores, quibus amicitia hominum nimis placet. Fidelis amicus omni thasauro pretiosior est, raroque invenitur in terra aliena. Mendaces quippe sunt filii hominum in stateris, nec fidem servare didicerunt. Quid quæritis in terra, quæ versa est in salsuginem à malitia inhabitantium in ea? Frater non redimit fratrem, redimit fortasse homo, qui non est frater, & qui nescit amare animam suam. Filii Jerusalem, ne fidatis Idumæis, qui amicitia violata, Chaldæis confœderati dicunt: Exinanite, exinanite, usque ad fundamentnm in ea. Si placet vera amicitia, quærite me, nec iam dicam vos servos, sed charissimos amicos meos, & amicitiæ iure, omnium bonorum meorum communicatione gaudebitis. Non timebitis domui vestræ à frigoribus nivis, omnes enim vestiemini duplicibus, nec erit, qui se abscondat à calore meo. Diligam vos (ut
G Jonathas David) sicut animam meam: & laborum vestrorum fidelissimus consors ero. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei, & ex amoris magnitudine, ut nutritius vester alam vos dulcissimo lacte meo. Quid moramini, ô duri corde, amicitiæ humanæ renunciare, ac mediis visceribus imprimere benevolentiam meam? Recedite à tabernaculis impiorum, qui fraudulenter amant, ne involvamini in peccatis eorum, & amicitiam meam studiosissimè requirite. Certè, ne vobis molestum videatur, & amicos multos ad interitum pertrahentes relinquere; unus ego melior illis omnibus, ac fidelior non solùm amicus, sed & frater, & pater amantissimus ero.

Fidelis amicus omni thesauro pretiosior.

Vera amicitia quæ.

Christus amicus cæteris præferendus.

H

CAPUT XV.

Docet oblectamenta varia respuenda.

VAni sunt sensus hominum, quibus non subest senectus mentis, & maturitas sa-

Scriptus An. 1606.

sapientiæ meæ. Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu: & videntur sibi filii Adæ sapienter agere, si nimis humana oblectamenta, & exercitia quærant, deposito exercitio timoris, & amoris mei. Causantur otii fugam etiam ii qui videntur supra modum spirituales, & magnam

A

diei partem Mathematicis disciplinis, Architecturæ, aut picturæ, aut ejusmodi artibus impendunt. Quid est hoc? Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & pro veritate mea quæritis mendacium? Si Architectura placet, an

Jerusalem suprema descripta.

superna Jerusalem non ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum? Circumspicite structuram civitatis meæ, fundamenta posita in montibus sanctis, murum in quadro, lapidibus ex vivis consurgentem, portas ex sapphiro, & smaragdo artificiosè cælatas, præaltas turres, quæ eminent in lateribus Aquilonis, & universas ædificii partes, quæ civitatem Regis magni decent. Si pictura placet intuitum figite in splendoribus sanctorum, & imagines vivas, ubi

B

Pulchritudo Christi laudata.

lucet dulcissima pulchritudo mea contemplamini. Candorem illum nive puriorem, & ruborem porphyrite perfectiorem, quo splendet immortale corpus meum, cogitate. An non consideratis, per exercitia hæc vestra vos ad salutem æternam parum proficere? Etsi enim otium vitetis, meliorum tamen bonorum damna patimini, quæ vitare deberetis. Vigilate ad postes ostii mei, & exercitia ad æternitatem profutura feligite. Visitate domos orphanorum; subvenite egeno, & pupillo; esurientem animam recreate. Ludite mihi in organis carminum Domini, in cœtu suave sonantis Ecclesiæ meæ, & Scripturæ Sacræ campos perlustrate. Hæc & ejusmodi alia sunt oblectamenta quærentium Deum, quærentium faciem serenissimam Dei Jacob.

CAPUT XVI.

C

Docet gulæ vitium fugiendum.

EX quo per cibum vetitum peccavit Adam pater vester, prohibita convivia sectamini, filii hominum: & nisi saturati fueritis, murmuratis. Corda vestra gravantur crapula, & ebrietate; & solas Ægypti ollas cogitatis. Quænam ruditas est hæc? An escæ profuerunt ambulantibus in eis? Certe nimis cœca, & spiritui meo inimica passio est hæc, quæ filios meos à cultu, & amicitia mea divertit. Incrassatus est enim dilectus populus meus, & recalcitravit, & incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit saturatus me Deum factorem suum: & ferina ingratitudine recessit à Deo salutari suo.

D

Væ illis, qui inter profanas Chaldæorum mensas computrescunt, & belluarum pabulo cupidè serviunt. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & illas severe perdet. Recordamini populi mei per desertum transeuntis, & considerate, quid acciderit ei. Petierunt & venit coturnix, &

Deus providit populo suo in deserto.

pane cœli saturavi eos. Et plui super eos, sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata: Sed quid profuit eis voracitas illa? Certè adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira mea ascendit super eos, & occidit pingues eorum, electosque Israel ab ingressu terræ promissionis impedivit. Melius est cum Lazaro quondam paupere famem pati, & in sinum Abrahæ exultantibus angelis deferri, quàm cum divite Epulone, qui sepultus est in inferno, post splendida convivia perire. Ne abutamini creaturis meis: sed cum timore meo temperantiam colite, & eritis è numero illorum, qui cum Abraham, Isaac & Jacob, cæterisque charissimis amicis meis recumbent ad mensam nuptiarum Agni, & in amplissimo regno meo.

E

Numer. 11. 33.

CAPUT XVII.

F

Monet honoris ambitionem fugiendam.

VÆ vobis, Adæ filii, qui quæritis esse sicut dii: amatis gloriam hominum, primosque accubitus in cænis, & primas cathedras in foro requiritis. Quid vobis proderit jactantia, & honorifica stultorum existimatio? Quàm longè receditis à mitissima disciplina mea, quam docui, ex quo memetipsum exinanivi. Sanius consilium est in novissimo loco sedere, & humilia de vobis cogitate. Dicite mihi, honoris mercatores, ubi sunt reges terrarum, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ? Nonne sedes superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis? Cecidit Babylon, & claritas nominis ejus obscurata est, Considerate imperium aureum, argenteum, æreum, & ferreum; Chaldæos, Persas, Græcos, & Romanos: nonne lapis unus, specie vilis, abscissus de monte sine manibus, comminuit eos? Fixum est decretum hoc: Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles: Contemnite, filii mei, quod apparet, & non est, & fastum sæculi alta humilitate calcate. Discite à me, qui sum corde humilis, & gloriam hominum, teste Patre meo non delideravi. Hæc est prima pars eruditionis meæ quam instillavi fidelissimis discipulis, & imitatoribus meis, qui lætantes ibant à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro dulcissimo nomine meo, contumeliam pati. Hæc est gloria abscondita sub crucis humilitate, omnibus honoribus, & imperiis præferenda, & super speciem & divitias æstimanda. Nolite ergo in re tanta obdurare corda vestra, sed alto mundi contemptu ad immortalem gloriam per contumeliam crucis festinate.

Humana ambitio notata.

Humilitas commendata.

Imperium aureum, argenteum, æreum, & ferreum.

G

Sub humilitate crucis gloria abscondita.

H

CAPUT XVIII.

Hortatur ad odium Avaritiæ.

VÆ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo. Cur

tam

Scriptus An. 1606. tàm anxiè adoratis aurum quod quidam appetentes erraveruut à fide, & inseruerunt se doloribus multis? Nihil nisi terram diligitis, & opes meas cælestes oblivioni tradere festinatis. Citò cum dolore amittetis, quæ nunc cum illicita delectatione possidetis. Scriptum est enim, dictante spiritu meo: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Fugite ergo avaritiam, quæ est idolorum servitus, & præter me nullas opes æstimate. Tantundem enim amori meo detrahitis, quantum in bonis caducis collocatis. Minùs enim me amat, qui mecum aliquid amat, quod propter me non amat. Nonne considerabitis, vos cito morituros, ut fitim cupiditatis extinguatis? Quorsum horrea nova ædificare, & domos æternas in terra peregrinorum fabricare quæritis, ut ibi argentum recondatis? Thesaurizate potiùs vobis thesauros in cælo, ubi semper victuri estis, & misericordiis pauperum mihi Deo vestro fœneramini. Certè semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt, ut in terra deserta, invia, & inaquosa, longe à salute mea, longo exilio demorentur. Deponite jam pondus terræ, qua gravamini: relinquite omnia, ut me, qui non habui inter vos, ubi caput reclinarem, sine onere sequi valeatis. Quomodo enim me expeditum, & currentem sequi poteritis onerati? Benè dixit Petrus fidissimus servus meus: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; neque enim exultasset mecum ad currendam viam, nisi pondus tantum abjecisset. Hoc ergo facite, & vivetis,

Avaritiæ vitium notatum.

Psal. 75. 6.

A

Minus quis Deum amat si aliquid cum eo amat

B

Paupertas commendata

Matth. 19. 27.

CAPUT XIX.

Hortatur ad odium parentum, & consanguineorum.

SPiritus est, qui vivificat: caro autem non prodest quicquam. Immo non solum non prodest caro, sed vehementer nocet. Ideò fideles amici mei, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, ne fortè in vanum currerent, aut cucurrissent, juxta consilium meum, omnem carnalem propinquitatem oderunt, & quasi spiritus mei venenum evitarunt. Ex hoc numero fuit ille, qui lætabatur canens: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me; Non est inutilis commutatio, pro parentibus, qui ad servitutem, & mortem generant, à dulcissimo Patre meo inter filios Sion inclytos, & amictos auro primo amantissime adoptari, & ad hæreditatem æternam jus habere. Sed mundus hanc adoptionem non cognovit, & mortiferis consiliis, quos Pater meus in suam adoptionem vocat, naturalis legis colore, & aliis æquitatis apparentis umbris seducit. Quid est hoc? Ego qui à purissima genitrice mea nihil damni spiritualis pati poteram, ubi salutis vestræ

C

Caro nocet.

Psal 26. 10.

D

causam agebam, quasi alienam non cognovi: & servi mei à contagio carnis impuræ non timebunt? Sinite mortuos sepelire mortuos suos: & in æternæ salutis ingressu, vel progressu, carnalium parentum blandimenta, consiliaque vitate. Et ego suscipiam vos, quasi fidelissimos amicos, & suavissimos fratres meos. Pater meus, pater vester erit, & erit mater vestra mitissima Virgo, quæ genuit me. E

CAPUT XX.

Hortatur ad mortificationem sensuum.

ATtendite filii, quæ dico. Sensus, & cogitatio hominum prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Propterea, necesse est, ut mortificationem meam in corpore vestro semper circumferatis: Equus enim effrænis in abundantia virium suarum non salvabitur. Castigate sensus vestros, quasi juvenculos indomitos, ne forte legem mentis transgrediamini. Nec durum vobis videatur oculos cohibere, ne mors intret per fenestras, & ostium circumstantiæ ponere labiis vestris, ne verbis indisciplinatis me offendatis: placebitis enim mihi valde, & pro visus mortificatione videbitis lucem splendidissimam, quam videbat Tobias, & Isaac, postquàm caligaverant oculi ejus: pro labiorum verò custodia, docebo vos dulcissimum sermonem meum, qui linguas infantium facit disertas. Certè sancti mei, qui regnum cœlorum violenter rapuerunt, sensibus suis, quod volebant, constantissimè negarunt: & facti sunt custodes lectuli Salomonis, tenentes semper ensem districtum contra femur suum. Sensuum enim pugna numquàm intermittenda est, si salvi esse velitis, ne pereatis vel à sagitta iracundiæ volante in die, vel à negotio impuritatis perambulante in tenebris: vel ab incursu ambitionis, seu dæmonio meridiano. Nullus locus, nullum tempus, quamdiu mortales estis, à sensuum prælio immunis est: ne igitur salutem vestram æternam contemnatis. Et quidem extremæ dementiæ est, sinere sensus vestros duci in æternam captivitatem: cùm possitis per modicum laborem, & mortificationem, infinitam consolationem eisdem sensibus in cœlesti regno meo superventuram comparare, Quid quæritis delectationes impuras? Ad vera potius, & æterna gaudia, brevi luctu, suspirate.

Mortificatio commendata.

Mors intrat per fenestras

F

Regnum cœlorum violenter rapiendum.

Sensuum pugna nunquam intermittenda

G

CAPUT XXI.

Monet mortis memoriam.

UTinam filii Adæ saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Utinam & vos, qui non videmini repellere consilia mea, sæpe, ac serio cogitaretis, qualis anxietas in hora mortis ventura sit: certè mundi desideria statim evanescerent, neque in æternum peccaretis. Omnes ad mortem velocius, quam à texente tela succidit

H

Mortis memoria commendata.

Scriptus An. 1606.

ciditur, properatis, paucitasque dierum nimis brevium finietur brevi: & tamen mortis vix unquam recordamini. Palatia sumptuosa, promptuaria plena, filiæque vestræ circumornatæ, ut similitudo templi, apertè demonstrant, quid inter vos ipsos meditemini: Quid

A scitis, an prima, an media nocte, an galli cantu venturus sim, & in virga directionis rationem vitæ petiturus? Ego dinumero gressus vestros, & tanquam in sacculo signo debita vestra, quasi celeriter æs alienum exacturus, & vos mortem, nec per horam cogitatis? Non placet mihi gravis oblivio hæc, ob quam punivi civitatem meam Jerusalem. Cùm enim essent sordes ejus in pedibus ejus, non est recordata finis sui. Si enim finem cunctorum viventium prævidisset, quomodo pedes inquinasset? Transitus illius memoria cor premit, ne altum sapiat, sed in timore, ac tremore salutem operetur. Propter quod, filii mei, inter negotia, & gaudia sæculi frequenter mortis agonem, doloremque pensate: ut per vias rectas justitiæ, ac immaculatæ legis meæ alacriter

B tendentes, in æternum non pereatis: sed tanquam fideles, ac solliciti servi, statim ac venero, & pulsavero, confestim aperiatis mihi, & intretis in æternum gaudium Altissimi Patris mei.

Thren. 1. 9.

CAPUT XXII

Monet Judicii timorem.

Judicium timendum.

QUi iustificari quæritis, timete abyssum judicii mei, in quo causas omnes filiorum Adæ, cum accepero tempus, judicabo. Dum ego culpas hominum dissimulo, ipsi quasi tauri pingues sine fræno timoris exultant. Sed per memetipsum juravi, quia mihi curvabitur omne genu. Ego faciam verbum in

C Israel, quod qui audierit, tinnient ambæ aures ejus. Tacui enim, diu silui & patiens fui: sed in suprema die iræ, ut parturiens, cum impetu loquar: Nunc parco, & mitissimo corde inimicos meos ad pœnitentiam, & veniam voco: tunc verò, quando erit tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt, deducam omnes gentes in vallem Josaphat & ibi disceptabo cum eis super novissimo testamento meo. Ne abutamini, ô filii, mansuetudine mea, quasi nunquam cum iudice acturi: omnes enim vos manifestari oportet ante tribunal meum, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Misericordia mea superexaltat iudicium, ut posteà tàm severè puniam, quàm misericorditer nunc ignosco. Timete iram meam pusilli, & magni, &

D per opera bona timorem futurum præcavete. Columnæ cæli contremiscent, & pavebunt ad nutum meum; nam in Angelica natura reperiam pravitatem; Quanto ergo magis æquum est, homines, qui habitant domos luteas, pavere iudicium meum, nec bibere quasi aquam, iniquitatem? Placeat vobis paternis visceribus dignum consilium meum.

Universalis judicii locus.

Angelorum peccatum.

Si me propitium in die ultionis videre desideratis, ante diem rationis me tanquam iudicem expavescite. Vivite in multa cordis sollicitudine, mihi soli placere studentes; non enim proderit vobis favor, aut gratia hominum, si me prius non placatis. Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus E præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam, & non est, qui de manu mea possit eruere. Ego reddam ultionem hostibus meis: & iis, qui oderunt me, retribuam.

CAPUT XXIII.

Monet fugam peccati.

NIhil est, filii charissimi. quod iram meam provocet, nisi peccatum, cujus causa, tactus dolore cordis intrinsecus, delevi per diluvium hominem, quem formaveram, & excitatus sum ad puniendos inimicos meos, tanquam dormiens, & tanquàm potens crapulatus à vino. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: intolerabilis enim mihi F est peccati turpitudo. Angelis non peperci, & horrendis suppliciis orbem terræ percussi, ut grande peccati malum pensare disceretis. Si ergo iram meam vitare cupitis, quasi à facie colubri fugite peccatum, & per vias justorum rectas ad me venire properate. Ædificent alii Babylonem, & qui in sordibus est, sordescat adhuc: vos autem qui me sequi desideratis, ab omni peccato abstinentes curate, ut citò ædificentur muri Jerusalem, atque adeò, qui justificatus est, iustificetur adhuc. Non est pars in filio David iis, qui peccare non timent: immo tradentur ipsi in manus gladii, & partes vulpium erunt. Rem quippe nefandam operati sunt, & vestimenta sua in sanguine Agni non dealbaverunt. Expurgate vetus fermentum, & sanctuarium cordis vestri, ubi habitare cupio, G ne imposterum polluatis. Apparebuntque vultus vestri coram me formosiores per abstinentiam peccati, quàm vultus eorum, qui in domibus regum nutriuntur in croceis, & amplexantur stercora peccati. Estote imitatores mei, sicut filii charissimi, ut repræsentetis imagine viva innocentiam meam & spurcitias peccati impolluto calle pertransite. Hæc est sapientia Justorum, qui culpam magis, quàm inferni pœnas timent, & studiosissimè fugiunt incentiva peccati. In dies singulos quærunt aspergi sanguine meo, & mundari, ac super candidissimam nivem dealbari.

Peccatum semper fugiendum.

Sapientia justorum.

CAPUT XXIV.

Monet compunctionem cordis.

H

QUi mihi placere cupit, non quærit altum sapere: sed in animo contrito, atque sollicito à me suscipi. Propterea fugit omnia illa, in quibus animus sibi placet: & ea exercitia eligit, quæ mundi fugam, & lachrymas generant. Ex hoc numero fuit rex ille servus meus, qui cùm esset par-

David rex ille fuit.

Scriptus An. 1606.

parvulus in oculis ſuis, nihil curans regni magnitudinem, media nocte ſurgebat, ad confitendum mihi, & innumeris ſuſpiriis, & gemitibus potum cum fletu miſcebat. Filii hujus ſæculi, qui dignitates magnas ambiunt,
A & qui amore divitiarum deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, & illi etiam, qui per negotia quoque licita nimis diſtrahuntur, rarò valde compunctionem habent. Amici verò mei, quorum anima concupiſcit, & deficit in atria mea, inter ipſa negotia ſuſpirant ad me, & ſtatis horis intrant in cubiculum, clauſoque oſtio effundunt in conſpectu Patris mei orationem ſuam, & tribulationem ſuam ante ipſum pronunciant. Ex quo fit, ut compunctionis ſenſus deſcendat ſuper humilia corda ipſorum, ſicut pluvia in vellus, vel ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Et vos ergo, filii mei, alta fugientes, ſalutarem peccatorum dolorem, & compunctionem in abſcondito requirite: flere diſcite, & dulciſſimis lachrymis ſtratum veſtrum in ſilentio noctis rigate.
B Et in vigilia matutina cordis contriti ſacrificium odorabor, & reducam ſuper inimicos veſtros aquas maris cum intima lætitia cordis veſtri.

Peccatorum dolor, & contritio laudata.

CAPUT XXV.

Hortatur ad perfectam converſionem.

USquequo, filii Adæ, claudicatis in duas partes? Mihi ex toto corde ſervire renuitis, & mundo partem cordis male diviſi deſtinatis? Quid dicam vobis? cur me quaſi durum Dominum timetis? Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Ego enim nunquàm nocui viro, qui vellet ſervire Patri meo: populus autem meus, ſi non contempſiſſet me: non allevaſſem lanceam meam ſuper eum. Nunc verò quid vultis faciam vobis? Ero Deus veſter, & mitiſſimo corde filios prodigos ſuſcipiam, quamvis ſubſtantiam conſumpſerint vivendo luxuriosè. Non relicio Publicanos, ſed infinita dulcedine illis ad primum gemitum reconcilior. Non iraſcor ſervo nequam ſupplicanti, ſed decem millia talenta ad ſolas preces dimitto. Quare ergo vos de me non bene opinamini, & ad me toto corde reverti dubitatis? Sacrificate mihi corda veſtra, & per ignem exaudiam vos, & numerabo inter fideliſſimos amicos meos. In miſericordia reducam vos, & adducam per torrentes aquarum in via recta, nec impingetis in ea: quia factus ſum vobis pater, & populus veſter, meliùs, quàm Ephraim, primogenitus meus eſt. Eritis mihi fœderati: nam ab antiquo dilexi vos, & luctum veſtrum in gaudium convertere decrevi. Sufficit præteritum tempus peccato
D impenſum: nunc verò, ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire peccato ſub tyrannide Pharaonis, ſic (quod reliquum eſt vitæ) exhibite illa, ut ſerviant iuſtitiæ, ſub imperio ſuaviſſimo filii Dei, qui regnavit à cruce, & domuit orbem non ferro, ſed ligno.

C Dei miſericordia, atque benignitas.

Solvite jam vincula colli veſtri, captivi Adæ filii, & ad libertaten filiorum Dei reſpirate. Projicite iam idola mundi de medio veſtri: ut in corde veſtro ſolus poſſim habitare. Mundamini balneo ſanguinis mei, qui per ſacramenta influit in animas veſtras, & inter viva perfectaque Eccleſiæ ſponſæ meæ membra ſpiritu vitali meo regi, ac dulciſſimo Juſtorum conſortio frui properate.

Balneum ſanguinis Chriſti ſacramenta.
E

PARS SECUNDA.

De Virtutibus, quarum actus Juſtorum prudentia præſcribit.

CAPUT I.

F

Docet Jeſus Chriſtus ſummam ſapientiam in vitæ puritate, veroque virtutum cultu conſiſtere.

SEnectus venerabilis eſt chariſſimi filii mei, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani enim ſunt, incontaminati ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Utinam verbum crucis, quod iis, qui ſalvi fiunt, Dei virtus, & ſapientia eſt, ſemel ſaltem adhæreret viſceribus veſtris, ut loti anima, & corpore, aſcendenteſque de lavacro pretioſi valde ſanguinis mei, cordis puritatem ſervaretis. Ipſa enim puritas ſecreto erudiret vos, & occulta ſapientiæ meæ ſuaviſſimo magiſterio manifeſtarem vobis. In malevolam quippe, & coinquinatam animam non introibit ſapientia mea, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Ille verò ſolus ad æternitatem ſapiet, G qui ingreditur ſine macula, & manus ſuas ſervat innoxias, ne peccato ullo fœdetur. Hæc eſt altior mundo eruditio mea, quam David ſervus meus accepit: dum ſuper ſenes intellexit, quia mandata mea immaculato corde quæſivit. Hæc eſt mentis maturitas, quam Agnes tenera puella, & dulciſſima ſponſa mea comparavit: Infantia ſiquidem computabatur in annis: Sed erat ſenectus mentis immenſa. Et omnes, qui per veras virtutes (quæ ſunt ipſamet animæ pulchritudo) exhibent mihi puras animas ſuas, non habentes maculam, neque rugam, numerantur inter ſenes longævos regni mei, ſapientiæ laude in conſilio juſtorum celebratos. Abſtergite ergo, filii, ſordes mentis, & accuratiſſimo virtutum mearum ſtudio extollite manus puras in ſancta, faciemque meam ſuaviſſimo novi ſacrificii odore requirite.
H

Sap. 4. 8. 9.

Sap. 1. 4.

Agnes.

Pulchritudo animæ virtutes.

CA-

Scriptus An. 1606.

CAPUT II.

Hortatur ad primam ætatem, per veras Virtutes, Deo consecrandam.

OFferte mihi primitias, charissimi filii, ætatemque primam sacrificio matutino, antequàm polluamini, mihi consecrate: & placebitis mihi super vitulum novellum, cornua producentem, & ungulas. Quid vobis cum filiabus Madian, quæ veros filios Israel carnali gratia corrumpunt? Nè sequamini Moabitides, & Sidonias: certissime enim subvertent corda vestra. Sacrificate mihi potius primum ætatis florem, & inter novellas pietatis plantas justitiæ decorem germinate. Certè, si sciretis quam glorioſum sit ab ipsa pueritia mihi servire; tœderet vos mundanæ consolationis, quæ teneras, ac inexpertas animas seducit. Fœlices illi, qui ab infantiâ discunt timorem meum, quo amabilem ætatem illam à corruptione præservent. Quasi lilia inter spinas, in paradiso meo florebunt: & tanquam cedrus, quæ in libano est, multiplicabuntur. Quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans, virtutum cum ætate crescentium odorem in Ecclesiæ meæ plateis effundent. Et ego habeo in deliciis dulcissimam juventutem, quæ ut mihi serviret, parentes, & amicos nescivit, mundum negavit, & me super omnia æstimare, quærere, & diligere decrevit. Erunt mihi sicut Samuel, & Tobias fidelissimi servi mei, qui à primis annis usque ad senectutem mihi placuerunt. Benè incipient, melinsque proficient, adhucque multiplicabuntur in senecta uberi. Et bene constantes erunt, ut posteris suis annuncient, quoniam misericors valde sum ego, & glorifico dilectissimos amicos meos.

A Malæ sotietates fugiendæ.

B Samuei, & Tobias.

C

CAPUT III.

Hortatur ad exercitium fidei.

MIrum est, filii charissimi, quanta sit ingratitudo vestra circa exercitium fidei; quæ sicut lucerna lucet in caliginoso mortalis vitæ loco, donec dies æternitatis illucescat, & lucifer divinus oriatur in cordibus vestris. Certè vobis datum est nosse mysterium regni Dei, participesque fieri cælestium sacramentorum, ut cognoscentes ea, quæ carneis oculis videntur, temporalia esse, vosque, ubi modò non videtur, habere meliorem, & manentem substantiam, usu fidei contemneretis momentanea, & diligeretis æterna. Nunc autem fidei exercitium oblivioni traditur, quasi ad bene vivendum parùm salutare esset. Non placet mihi oblivio hæc, quæ multos quoque servos meos occupavit: non enim utuntur fide mea in prosperitatibus, & adversitatibus, ut omnia vincant, & se à peccatis immunes conservent. Certe Moyses servus meus, grandis factus fidei exercitio, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauros Ægyptorum improperium meum. Aspiciebat enim accenso fidei lumine in remunerationem, quàm sine fide non aspiceret. Sic & vos filii mei, quibus revelata sunt mysteria infinitæ consolationis plena, quæ à sapientibus, & prudentibus Pater meus abscondit; debetis fide cor syncerum firmante uti ad mundi gloriam despiciendam & crucis disciplinam præ divitiis & honoribus æstimandam. Videte quam parùm profuerit tot sectis Philosophorum, definientium, dividentium, argute disputantium, illa sterilis cognitio creaturarum, quia non fuit eis datum, ut cognoscerent me. Recogitate grande beneficium hoc, & cum intima gratitudine, ob revelationem fidei meæ, in corpore meo, quod est Ecclesia, me auctorem salutis vestræ laudate. Sitis synceri, non scrutantes in misteriis altissimis fidei Majestatem meam, ne fortè à gloria opprimamini, sed in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei: quæ mites animos mihi sine discussione credentes, & corda casta requirit.

D *Ad Hebr.* 11. 24. 25.

E Antiquis Philosophis nihil scientia profuit.

F

CAPUT IV.

Hortatur ad spem.

JActate in me, filii, cogitatum vestrum, & ego vos enutriam: proiicite in me pondus laborum, & afflictionum vestrarum, & ego illud tollam. A sæculo enim non est auditum, ut confunderetur, qui in me confideret. Dura cervice, & incircumcisis cordibus mihi semper restitistis, adhuc & vos qui inter discipulos meos esse contenditis. Non enim benè de me sentire vultis, & contra misericordias meas magnas nimia pusillanimitate pugnatis: quasi peccantibus parcere, aut vitiorum, & passionum tentationumque victorias concedere, aut temporalia bona ad æternam salutem profutura largiri nolim. Nunquid infidelem promissorum redditorem me probastis? Quando defui suspirantibus ad me? Certè vel ex ipsa experientia convincere possum, vos esse imitatores illorum, qui dixerunt: Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Quid vobis videtur de cæcitate hac? Profectò si ego potavi populum sitientem, sine dubio sperandum erat, me panem esurienti populo daturum. Quare ergo servi mei experti priores, misericordias meas non sperabunt posteriores, quas experientia mea dulcissimæ bonitatis sine difficultate promittit? filii modicæ fidei quare dubitatis? Ego sum ipsa bonitas infinita, & delector benefaciendo iis, qui oderunt me: nunquid ergo non miserebor iis, qui me die, ac nocte requirunt? Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater meus

G

H Deus bonitas infinita.

cæ-

Scriptus An. 1606.

cælestis dabit spiritum bonum petentibus se. Nemo desperet veniam, quantumvis me graviter offenderit: quomodo enim potero non parcere, qui fuso redemptionis pretio Salvatoris officio, & suavissimo (Jesus) nomine glorificor? Porrò si confidenter vocetis me, & si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra ut vermiculus, quasi lana alba erunt. Si enim, cum adhuc peccatores essetis, nec de me placando cogitaretis, misericordia mea prævenit vos, an credibile sit, modò, quando jam cor meum gemendo pulsatis, me vos non excubiturum? Ne sitis increduli, & degeneres, quasi temporalia quoque bona vobis defutura sint: mandabo quippe nubibus desuper, & januas cæli aperiam: pluam vobis mannna ad manducandum, & filiorum pane saturabo. Respicite volatilia cæli, quomodo non serunt, neque nent, & Altissimus Pater meus pascit illa, neque unum saltem eorum est in oblivione coram illo: quanto ergo magis vos, filii mei, pro quibus dedi in manus inimicorum pretiosam animam meam, non eritis mortui à corde Patris mei? Habete fidem Dei, dum laboribus, & tentationibus exercemini. Amen quippe dico vobis, si quis vestrum dixerit alicui monti. Tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit: quia quodcunque per me petierit, fiat, fiet ei. Ego enim novi cor Patris mei, à quo si quis per me filium suum dilectum, in quo sibi complacuit, aliquid postulaverit, liberalius, quam dici possit, dabit ei. Quòd si non statim videtur semper exaudire, ideo id facit, quia sic expedit vobis, ut perseveranter orando majus meritum, & majus gaudium comparetis. Sperate ergo in eo omnis congregatio populi, effundite in conspectu ejus corda vestra: dico enim vobis, quia non fraudabit illos, qui perseveranter confidunt in eo.

Isai. 1. 18.

Matth. 6. 26.

CAPUT V.

Hortatur ad amorem.

Filii præbete mihi desiderata valde corda vestra; & me ex tota anima, totaque fortitudine diligite. Non possum quippe corda divisa sustinere. nemo enim potest duobus Dominis servire: Sed, ut ratio, & experientia docent, alterum diliget, alterum verò contemnet. In hoc certè appareret stultitia filiorum Adæ, quod cùm extra me requiem invenire non valeant, trahuntur apparenti voluptate rerum transeuntium, & corda sua pro nihilo vendunt. Species decipit eos, & fallaci decore abalienati sunt retrorsum. Sequuntur deos alienos, qui cultores suos ficta deitate seducunt. Facti sunt filii hominum, quasi columba seducta non habens cor, nidificantes in alienis tectis, unde pulli passim surripiuntur. Sanius consilium est, filii mei, nidificare in foraminibus petræ, & in molli caverna maceriæ, quam vobis præparavi, ut propinquitate cordis mei lætaremini, & exultaretis ad gaudia mea, quasi qui invenit spolia multa. Ego vobis amicus, soror, frater, pater, mater, & sponsus effectus sum: & ad infiniti amoris ostensionem, quasi colonus in terra spinas, & tribulos germinante, feci pro salute vestra, quæ nemo alius fecit: quare ergo alienamini à me, & detrectatis dulcissimum consortium meum? Si utilia quæritis, omnia mea bona vestra sunt: & ad hoc vos invitare decrevi, ut fruamini æterna hæreditate mea. Si honorifica vultis, estote amici fideles, nimis enim honorificati sunt amici mei, nimis elevatus est principatus eorum. Si delectabilia placent, magna nimis est multitudo dulcedinis, quam præparavi diligentibus me. Quocirca placeat vobis consilium meum, ut cordium vestrorum tributum mihi reddatis, si summi boni, in quo sunt omnia bona, vultis esse participes. Quid moramini expectati valde amici mei? Abiicite vanos amores, & verum amorem meum, quo nihil in terris, aut in cælis dulcius esse potest, super mundi divitias, voluptates, & honores æstimate. Fument mihi altaria cordium vestrorum castos amores spirantium, & odorabor odorem infinitæ suavitatis, quem cupit anima mea. Considerate, filii, quantæ sit consolationis, affectum primogenitum mihi consecrare, & quam stricto jure mihi omnia primogenita sanctificare debeatis. Ego quippe sum ipsamet bonitas, pulchritudo, & nobilitas infinita, cui amor quoque infinitus debetur: & extremæ dementiæ est, me relicto, impuris amoribus sacrarium cordis fœdare. Quid jam expectatis? Placeat vobis amicitia mea magno pretio æstimanda. Sum enim candor lucis æternæ, ac speculum sine macula, sum dives inter omnes orientales, ut opibus augeam amatores meos, sum corde mitissimo ad parcendum iis qui spreverunt me, sum eloquio dulcissimus, ut suspendam auditores scholæ meæ, sum Rex cordium Pacificus, & rerum universarum summus Imperator, & tamen vos conditione viles inopes, & ingratos, sine præteritarum culparum exprobratione, quasi fidissimos amicos meos recipiam, & amplectar. Sinite ergo ad amorem meum, quo solo vivitur, saxea corda vestra moveri.

Filiorum Adæ stultitia.

Christus amicus, soror, pater, mater, & sponsus.

Amici fideles honorificati.

Dei amicitia valde æstimanda.

CAPUT VI.

Hortatur ad pœnitentiam.

TAM grave peccati malum est, charissimi filii, ut si fieri posset, pœniteret me fecisse hominem, quem formavi. Pugnat enim cum infinita bonitate, & puritate mea, & Majestati meæ vilissimas creaturas anteponit. Obstupescunt cæli super hoc & ejus portæ desolantur vehementer. Peccata enormia multiplicantur super numerum arenæ maris & filii, quos exaltavi, & enutrivi, spreverunt me. Quid dicam vobis? quid faciam generationi vestræ, quæ ad misericordias meas obduratur? Certè, si inimici

Peccati malitia.

Scriptus An. 1606.

mei, qui falsos deos colunt, maledixissent mihi, sustinuissem utique, & propter ignorantiam quodammodo illos excusassem. Vos autem, quibus illuxit formosa valde lux Evangelii mei, excusationem non habetis de graviſſimis peccatis, quibus irritastis me. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac ingrati populi mei; & comparatione illorum, qui ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egerunt, damnabuntur multi filii regni, & æterna excommunicatione eiicientur in tenebras exteriores. Inspirationes quippe filii Dei post tergum monentis, & ad pacem & reconciliationem corde mitissimo invitantis repulerunt. Nunc ergo vos, filii, infinitum numerum stultorum impœnitentium ne sequamini, sed revertimini ad cor. Accedite ad me de tenebris, & umbra mortis, & candidissima luce gratiæ illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Lugete fletu magno, ut doleri solet in morte primogeniti, quia venundati estis, ut faceretis malum & balneo lachrymarum corda vestra lavate. Ne differatis vano consilio pœnitentiam, juxta enim est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Videre, quid feceritis, dulciſſima amicitia mea dissoluta, æternæ consolationis jure amisso, & sempiterni cruciatus reatu incurso. Venenum peccati festinat in mortem; festinate vos per intimum dolorem, & sacramentorum remedium ad vitam gratiæ pretiosissimam, jucundissimamque resurgere.

Ninivitæ laudati.

A

B

Pœnitentia non differenda.

CAPUT VII.

Hortatur ad amorem proximi.

REcordamini, filii, novi ac dulciſſimi testamenti mei, quomodo cùm dilexissem meos, qui erant in mundo, in finem dilexi eos: & ne obliviscamini signi amoris mutui, quo volui cognosci discipulos, & amicos meos. Mandavi tempore incolatus mei, & nunc per frequentissimas inspirationes idem repetens, hæc mando vobis, ut syncerissimo amore diligatis invicem, sicut dilexi vos. Sanavi infirmos vestros: erexi languidos, afflictos consolatus sum: cum iis, qui oderunt pacem, fui pacificus: publicanos & peccatores amantissime recepi: vilitatem & rusticitatem non exhorrui: omnibus omnia factus sum, nec ullo tædio lassatus excluſi aliquem à suavissima conversatione mea. Quare ergo servi mei, qui videntur supra modum Apostoli, pauperum & debilium fastidio vincuntur, & afflictorum onera portare recusant? Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Causantur se meliorem partem Magdalenæ dediſſe, & ad proximorum calamitates obdurescunt. Quid est hoc? Qualis doctrina est hæc? non placet mihi otium hoc, & commoditas parum consona proximorum dilectioni, quæ est plenitudo dulciſſimæ legis meæ. Estote misericordes filii, & miserias fratrum vestrorum, promptissimo corde sublevate. Ne addatis afflictionem afflictis, quorum clamor penetrat viscera mea. Ego enim Pontifex vester, experientia quoque factus misericors, novi crudelia corda filiorum Adæ, quæ difficile ad fratrum suorum ærumnas commoventur. Discite iam mores meos, & emollito corde iram omnem, tædia, & asperitatem superate. Et ego recensebo vos discipulorum meorum signo notatos inter dilectissimos fratres meos: qui sine fine gaubebunt adoptione Altissimi Patris mei, & satiabuntur ab uberibus consolationis meæ.

Amor proximi præceptus.

C

Dilectio proximi, plenitudo legis Dei.

D

Proximi miseria sublevanda.

E

CAPUT VIII.

Hortatur ad Obedientiam.

FIlii dilectissimi, si vultis in mari magno, cujus fluctus ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, securè navigare, imitamini me, qui cum essem filius Dei, didici ex iis, quæ passus fui, obedientiam & per obedientiam consummatus, factus sum omnibus obtemperantibus mihi causa salutis æternæ. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua. Si enim aliis, qui repræsentant personam meam, obedire assuescat, proprii judicii, & propriæ voluntatis, qua civitas Babylonis ædificatur, pericula vitabit, & sub umbra alarum mearum ab æstu mundi requiescet. Non ei nocebunt catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ego quippe sum custos fidelissimus eorum, qui intellectum & voluntatem mihi obedientiæ sacrificio immolant, est enim holocaustum adipe, & pinguedine plenum in odorem suaviſſimum Patri meo. Væ illis, qui subesse nolunt, & proprio iudicio omnia metiri volunt; qui longè recesserunt à mansuetudine disciplinæ meæ. Cœci sunt, & seipsos præcipitabunt: cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ ipsorum providentiæ sunt: neque valent ea mala vitare, quæ non valent à longè prospicere. Luciferi discipuli sunt: & dum maioribus non acquiescunt, ad similitudinem Idololatrarum peccant: quippe quasi peccatum ariolandi est rupugnare, & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere. Vos autem filii inclinate aurem vestram in verba oris mei: & iis, quos ego vobis præposui, fideliter quasi mihi ipsi obtemperate. Hæc est magna pars prudentiæ Justorum, qui consilio meo regi desiderant. Hæc est omnis Religiosorum justitia, sapientia, & fortitudo. Hæc est via ligni vitæ, quam Cherubim flammeo, & versatili gladio clauserunt. Ite ergo filii, & conficite viam hanc: ut sicut ego factus obediens usque ad mortem, obedientiæ remuneratione Jesus vocor, & glorificor; ita & vos ad formosissimam gloriæ lucem per obedientiam resurgatis.

Christus ex iis quæ passus est obedientiam didicit.

F

Inobedientia quale peccatum?

G

Obedientia via vitæ.

H

Scriptus An. 1606.

CAPUT IX.

Hortatur ad Castitatem.

A OQuam pulchra est, charissimi filii, casta generatio, quæ cœlesti claritate resplendet. Nec rosæ, nec lilia, nec hortorum amœnitas cum decore castitatis comparari possunt. Quam splendidi Virginum, & monachorum chori in platea Jerusalem ex auro mundo, crystallo simillima sequuntur me, & dulcissimam cœli Reginam genitricem meam? Immarcescibilis, & immortalis est gloria castitatis, quæ servavit corpus immune à rugientibus præparatis ad escam, & quasi myrrha electa dedit suavitatem odoris. Ego virgo, & Virginis filius ardentissime amo, quos singularis prærogativa castitatis amplioris dilectione facit dignos. Sunt mihi quasi columbæ, quæ lacte sunt lotæ, & sine ullo inquinamento residunt juxta gratiæ meæ fluenta plenissima. Delitiæ meæ sunt corda casta, quæ præter me amores omnes respuerunt, & vultus suos dulcissima pulchritudine splendentes mihi soli consecrarunt. Hæc sunt castra mea nive candidiora, & sapphiro pulchriora, quorum forma delector. His ego manifesto secreta mea, in his pono regium thronum meum. Hic est fructus pluſquam suavissimus laboris, & passionis meæ. Nunc ergò filii diligite me, & despondete mihi quasi Virgines castas animas vestras, si placet vobis; thalamus delitiarum mearum, ubi gustatur in fonte ipso infinita dulcedo amoris mei. Quid agitis, vagantes per amores impuros, qui vos divertunt à complexu meo? Eligite iam nuptias Agni candidissimi, & Virgineum florem per dolores & agones à spurcitiis carnis impolluto calle præservate; & eritis fructus melle dulciores in paradiso malorum punicorum, quæ amore sempiterno

Castitatis præmium.

Castitas ampliori dilectione reddit dignos.

B

C flagrant in amœnissimo paradiso meo.

CAPUT X.

Hortatur ad Paupertatem.

NE timueritis filii mei, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet *Psal. 36. 16.* cum eo in Infernum gloria ejus. Certe melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas. Ideo electi mei, timentes ne fortè reprobi fierent, divitias vel hæreditate acceptas, vel donatas repulerunt, & paucis contenti, in labore & fatigatione, in fame & siti, in frigore & nuditate vitam mortalem agentes, ad supernam Jerusalem, ubi suas opes recondiderant, festinarunt. Ma- *Hebr. 11. 37. 38.* luerunt circuire in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis latentes, quam mollibus vestiri, sicut qui domibus regum sunt, ne fortè ob terrenam substantiam à regno cœlesti excluderentur. Hæc fuit probatio fidei illorum, multò pretiosior auro, quod per ignem probatur: nam modicum passi, æternas opes, & inæstimabilia gaudia compararunt. Imitati sunt me pauperem, & in laboribus probatum à juventute mea: permanserunt mecum in tentationibus meis, & ideo regnant mecum in amplissimo regno meo. Et vos ergo filii, tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam boni operis, per incommoditates, & abiectiones, quæ sunt ditissimæ paupertatis comites, ad me venire properate. Cavete mundi consilia, quæ & servos meos subducere solent, dum paupertatis statum profitentes, nihil necessarium sibi deesse volunt, & indignè ferunt, si desit. Non docui ego has doctrinas hominum me patientem sequi recusantium. Non sunt hi veri, ac beati pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum. Ne sequamini præceptores hos, quos ego non misi, Prophetas hos, quibus ego non sum locutus. Estote veri, & synceri discipuli mei, & paupertatem, dulcissimam sponsam meam, cœlestibus gaudiis fœcundissimam, mediis visceribus inprimite, & ego scribam nomina vestra in medio corde meo.

D

E

Paupertatis comites.

Paupertas Christi sponsa.

F

CAPUT XI.

Hortatur ad humilitatem,

SI scirent homines, ô filii dilectissimi, donum Dei, quo humilia corda gaudent. Si scirent, quàm sit propitius Altissimus Pater meus erga humiles tremientes sermones ejus: & si saxis duriores essent, ad humilitatis studium converterentur. In altis habitat Pater meus, & superbos præcipitat: Sed humilia corda amantissime respicit in cælo, & in terra. Suscitat à terra inopem, & de stercore erigit spiritu pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Et ego quidem, qui in terra, quam dedi filiis hominum, humilitatem exercui (ubi, licet essem unigenitus à Patre, plenus gratiæ & veritatis, regnare nolui) humiles animos tanquàm dulcissimos fratres meos, amplector. Tanta est enim suavitas humilitatis, quam à præsepio usque ad crucem verbis, & operibus sine intermissione docui; ut a simplicium, & humilium conversatione abstinere vix possim. Si ergo vobis placet societas, & conversatio mea, recumbite, filii, in novissimo loco, & parvuli estote in oculis vestris. Non enim habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: superbo oculo, & insatiabili cordi nunquam amicus ero. Respiciam potius in orationem humilium, nec spernam unquam preces eorum: facti sunt enim ad proportionem humillimi cordis mei. Veni ego vobis ministrare, & meipsum exinanire, ut in me, quid à vobis agendum esset, disceretis. Ego versus sum hominibus in parabolam, factus opprobrium hominum, & postrema abiectio plebis; quomodo ergo fastum assumere, & maiores aliis videri contenditis? Quomodo sub nomine Christiano, quod mundi contemptum, & de-

G

Altissimus erga humiles propitius.

H

Humilitatem a præsepio ad crucem usque docuit Christus.

Christus opprobrium hominum factus.

Scriptus An. 1606.

demissum cor sonat; elationem (capitalem inimicam meam) abscondere tentatis? Quid est hoc? Nunquid non apertè revelatus sum servis meis, testificans, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur? Quare ergo, perfunctiones etiam spirituales & sacras, magni in
A Ecclesia mea apparere desiderant? Descendite iam, filii, è lateribus Aquilonis, & capitibus vestris cinerem aspergite. Vos vo-
Joan. 13. 13. 14. 15. catis me, Magister, & Domine & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego Dominus, & Magister lavi pedes vestros, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim, quo ferrea corda domarentur, dedi vobis: ut quemadmodum ego, flexis genibus, feci vobis, ita & vos, demisso corde, faciatis,

CAPUT XII.

Hortatur ad mansuetudinem.

ATtendite, filii, legem novi testamenti mei, & subdite collum iugo suavissimæ mansuetudinis meæ. Sedes superborum destruxit æternus Pater meus, & sedere fecit
B mites pro eis. Propterea ego, qui mitis sum super omnes, qui morantur in terra, pacifico regno cordium, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Sed & purissima Virgo, & genitrix mea, quæ est inter omnes Adæ filios mitis, civibus supernæ
Maria mundi regina. Jerusalem, ut Regina mundi præposita est. Hoc est regnum amicorum meorum non pugnando, sed parcendo & perferendo paratum, cui cessit lacerans fortiter ungula, nec immobilia carpsit penetralia; Hoc est regnum eorum, quos ego candidissimus Agnus Dei misi in omnem terram, tanquam Agnos inter lupos, cum domui Orbem non ferro, sed ligno. Hæc sunt elementa prima
Prima elementa scholæ Christi, quæ. scholæ meæ, humilitas & mansuetudo. Vos
C ergo filii, quibus placet secreta & mundo incognita eruditio mea, estote mites corde, & omnes contumelias, & improperia, velut agni coram tondente se obmutescentes, tolerate. Ne moveamini de statu serenitatis, & tranquillitatis vestræ, cum irridemini: sed omnem amaritudinem, & asperitatem abicientes, hilarem semper faciem in spiritu lenitatis ostendite. Tanquam oves ad occisionem duci vos sinite, & inimicis in vestra
Mansuetudo quando exhibenda? corpora sævientibus vos inermes, & mori paratos exhibete: sicut ego feci, quando circumdederunt me canes multi, & concilium malignantium obsedit me: quando scilicet aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Irascantur filii gehennæ, qui oderunt mansuetudinem meam: vos autem filii regni mei mitescite, & ad possidendam terram permansuræ beatitudinis vestræ pa-
D tiendo, & tacendo festinate. Et ego vos eruditionis meæ consortes, mundi contemptores, inimicorumque crudelium victores ex dulcissimo victoriæ genere surgentes, coronabo,

CAPUT XIII.

Hortatur ad patientiam.

APerite aures cordis, filii mei, dum fluit quasi ros eloquium meum: & quæ moneo, benè percipite. Audite hæc omnes E
gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filii hominum, simul in unum dives & pauper. Os Patientia rara virtus. enim meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Rarissimè apparet inter Adæ filios, qui in tribulatione sit patiens: & tamen multi, patientiæ occasiones studiosissimè fugientes, servi mei cupiunt apparere. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis ignominiosè recedunt. Et quidem tolerabilius esset hoc infidelitatis genus, si me non cognovissent, & quæ ego innocens pro illis peccatoribus pertuli, non credidissent. Nunc vero, cum hæc omnia cognoverint servi mei, quid dicam, dum video illos fieri, sicut filii Ephrem, intendentes, & mittentes arcum, & converti ad fugam in die belli? Dicunt se filios Patris mei
F esse, & promittunt se scientiam Dei habere, & mecum mori desiderare: & statim, ac tentationem aliquam, infirmitatem, aridiatem, vel adversitatem aliam eis immitto, ut probem, an ambulent coram me in veritate, & ut tanquam aurum in fornace illos examinem: tristitia magna absorbentur, & murmurant contra me. Quid est hoc? Usquequo non credet mihi populus meus, quem per desertum, quod non seminatur in terram spatiosam, & suavissimo fructu fœcundam, deducere decrevi? Ne credatis, filii, carni & sanguini, nec prudentiæ humanæ fidatis. Sit vobis, velut thesaurus pretiosissimus, quælibet occasio patiendi aliquid propter me: & hæc sit vobis summa consolatio, in hac mortali vita laboribus exerceri. Hoc est signum electorum meorum, quos exerceo, & tento,
G quemadmodum tentavi Abraham fidelissimum Prædestinationis signum & via cæli tutissima. amicum meum. Hæc est nota veræ charitatis quæ omnia suffert & tribulatione, tanquam ignis oleo nutritur. Hæc est via tutissima, qua itur in Cœlum, quæ mihi conformes efficit, quos prædestinavit in adoptionem filiorum clementissimus Pater meus. Hac via tetenderunt sancti mei, qui per labores & pericula regnum cœlorum violenti rapuerunt. Estote ergo vos, filii mei, fortes in bello, & orate cum illo, qui dicebat: Proba *Psal. 25. 2.* me Domine & tenta me, ure renes meos, & cor meum. Et post agones mortalitatis inæstimabili consolatione dilatabuntur corda, & corpora vestra, & fruemini beatissima luce mea,

CAPUT XIV.

H

Hortatur ad gratitudinem.

EX quo formavi hominem, ô filii mei, non cessavi die, ac nocte illi benefacere, & dolui super angustiis ejus, sicut ma-

Scriptus An. 1606.

mater dolere ſolet ſuper afflicto unigenito Filio ſuo. Nec requievi videns afflictionem ejus, donec deſcendi, ut liberarem eum, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Factus ſum Pontifex corde miſericors, tentatus per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato. Nullum officium prætermiſi, ut exaltarem & ſolarer filios Adæ fratres meos, quos hæredes feci novi, & dulciſſimi teſtamenti mei. Omnem ſubſtantiam domus meæ pro dilectione, gratitudineque donavi, ſi fortè dona, quibus feræ manſuefiunt, ſaxaque moventur; corda hominum emollirent. Nunc verò poſt tot tantaque infiniti amoris ſigna non eſt, qui debita gratitudine reſpondeat tenerrimo cordi meo. Quid faciam tibi generatio Adæ crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto? Ego plantavi te vineam electam ad delitias meas: quomodo converſa es in amaritudinem, & fel draconum, vinea aliena? Quid eſt hoc? Non eſt amor, non eſt gratitudo, non eſt inter homines, qui commemoret inæſtimabilia beneficia mea. Canes ipſi, qui modico pane, cum multis verberibus à ſeveris dominis aluntur, ſi fortè abſint, ob dominorum abſentiam contriſtantur, & cum eos domum revertentes à longè vident, præ magnitudine lætitiæ exultant, & eis iucundiſſime blandiuntur: & ſervi mei, pro quibus dolores & agones mortalitatis tuli, & quos carne & ſanguine meo pavi, & potavi, obliti ſunt mei. Convertimini iam, filii mei, ad vos ipſos, & offerte mihi in hoſtiam laudis vitulos cordium, & labiorum veſtrorum. Sacrificium enim laudis honorificabit me, & dabo vobis pluviam voluntariam fontis vivi, quem ingratitudo ſiccaverat. Si volueritis & audieritis me benefaciendi cupidiſſimum, bona terræ viventium comedetis. Abyſſus invocabit abyſſum in lege miſericordiarum mearum: quæ deſcendent in capita veſtra, ſicut in verticem Nazaræi. Non erit terra veſtra, ſicut terra Ægypti, in qua, in hortorum morem, aquæ per foſſas ducuntur irriguæ: Sed meliori ſorte largiſſimas de cœlo pluvias recipiet: Et ego allectus gratitudine veſtra, proſperabo vos, victuros mecum cum ſole, & ultra lunam, & numerabo vos inter dulciſſimos filios cordis mei.

Chriſtus Pontifex factus.

Canis blandimenta erga dominum ſuum.

Hominum ingratitudo.

CAPUT XV.

Hortatur ad fortitudinem.

CErtate bonum certamen fidei, ô filii, ut apprehendatis palmam vitæ æternæ. Eſtote fortes in bello, & pugnate viriliter cum antiquo ſerpente: & accipietis regnum ſine fine permanſurum. Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Timete potius me, qui animas reproborum valeo perdere in gehennam: ut hoc timore armati, vanos periculorum temporalium metus expellatis. Si conſiſtant adverſum vos caſtra, ne formidetis: ego enim vici mundum, habeoque in femore ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium. Si fideles ſitis ad legitime certandum ſub vexillo meo, unus è vobis fugabit mille, & duo fugabunt decem milia. Pro nihilo enim humiliabo inimicos veſtros, & ſuper tribulantes vos mittam validam manum meam. Si exurgat adverſum vos prælium dæmonum & hominum, ne requiratis humana, & infirma nimis auxilia, quibus ſiquis innitatur, quaſi baculi arundinei, & confracti perforabunt manus ejus: ſed quærite me, & ſignum crucis meæ, in quo vincatis in acie caſtrorum ordinata. Sed quid modò dicam vobis de nimis delicatis militibus meis, qui apparentia tentationum, & perſecutionum pericula expayeſcunt; quaſi ab increpatione mea non dormitarent inimici eorum, qui ad præliandum aſcenderunt equos? An & ego non aſcendi equos meos, & quadrigæ meæ eſt, ipſa ſalvatio? Nimia debilitas fidei, nimia incredulitas eſt hæc. Quid timetis umbras amici mei? Sequimini potius me; mundum, tartarumque contemnite, & hoſtes veſtri territi diſcedent. Si ſemel fortiter adhæſeritis mihi, neque mors, neque vita, neque perſecutio, neque gladius, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit vos ſeparare à charitate mea. Ponite pedes veſtros ſuper colla Regum Madian, & Reges Amorrhæos uſque ad internecionem delete. Cùm ingruerit bellum magnorum periculorum, & occaſio ferendæ pro me mortis inſtiterit, recordamini mei, & in hoſtes veſtros audacter irruite. Pugnate pro lege novi, & æterni teſtamenti mei, & victorias cogitate. Ego dux veſter ero, & ſplendidiſſimam coronam ineffabili conſolatione plenam pro victoria reddam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, veſtietur veſtimentis albis, & ſcribam ſuper eum nomen ſuaviſſimum meum, & nomen Civitatis novæ Jeruſalem.

Crucis ſignum validiſſima armatura.

Rom. 8. *38. 39.*

Apoc. 3. *12.*

Fortitudo commendata.

CAPUT XVI.

Hortatur ad Juſtitiam.

JUſtus eſt Altiſſimus Pater meus, & juſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Quocirca filii mei, ſi tanti Patris adoptio vobis placet, juſtitiam toto corde diligite, & iniquitatem odio habete. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Reddite mihi ſacrificium cordis contriti, & humiliati, & perenne amoris holocauſtum in altaribus cordium immolate. Reddite ſuperioribus fideliſſimam obedientiam, æqualibus ſuavitatem, minoribus inſtructionem in ſpiritu lenitatis. Nemini quicquam debeatis, niſi debitum unum, a quo vos liberare nolo, ſcilicet ut invicem in æternum diligatis. Hoc dulciſſimo mutui amoris debito excepto, reddite unicuique quod ſuum eſt, & merces operarii non maneat apud vos, ſubtiliſſimis enim vocibus clamat ad me. Qua in re dolendum eſt, filii mei, quam gravi

Pſal. 10. 8.

Præceptum mutuae dilectionis.

pon-

Scriptus An. 1606.

pondere conſcientiæ principum terrenorum opprimantur. Vexant enim pauperculos ſubditos ſuos, ſicut olim Pharao populum meum, laterum & palearum penſum extorquentes, & injuſta vectigalia crudeliter imponentes iis, qui in medio platearum fame pereunt: & tamen non curant gemitus pereuntium. Verùm propter miſeriam inopum & gemitum pauperum exurgam ego: & potentes de ſede deponam. Illi depravant judicium, pupillo non judicant, humilem & pauperem non juſtificant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Ego tamen veniam judicare populum meum in judicio, & pauperes in iuſtitia. Judicabo pauperes populi, & ſalvos faciam filios pauperum, & humiliabo calumniatores, & prævaricatores, qui ſanguinem innoxium effundunt. Servite mihi filii, in timore, & ad juſtitiæ decorem exultate: ut coronam juſtitiæ, quam requiritis; immortalibus gaudiis plenam recipiatis.

Pſal. 71.4.

CAPUT XVII.

Hortatur ad Silentium.

Silentii cuſtodia commendata.

LIngua effrænis, ô filii mei, capitalis inimica ſpiritus mei caſta corda in abſcondito inſtruentis eſt. Et tamen non ſolum ſæculares homines, negotiatores terræ, & exquiſitores humanæ prudentiæ, linguæ habenas relaxant: ſed etiam Eccleſiaſtici ſervi mei, & ii quoque, qui in clauſtris orationi aſſiduè vacant, quicquid orando, & pſallendo acquirunt, loquacitate deperdunt. Malunt cum hominibus vanis & fragilibus quam cum Unigenito Dei filio verba facere. Tota die ædificant, & una hora ædificium deſtruunt. O quam longè recedunt à ſecreta, & ſuavi valdè diſciplina mea! Ego per annos triginta ſilui, & cum eſſem Dei Verbum, per tres tantummodo annos linguam exercui: & tamen non omnes ſervi mei capiunt verbum iſtud. Certè hoc exemplo, uſque ad ſtuporem admirando, deberent erudiri, & erubeſcere, & digitum ſuperponere ori ſuo: præſertim cum experientia cognoverint, in multiloquio peccatum non deeſſe, & ex una lingua indomita innumerabiles culpas, inquietudines, diſtractiones, & diſcordias provenire. Profecto qui ſapiens corde eſt, ſedebit ſolitarius, & tacebit, niſi cum charitas mea urgebit illum. Immo & frequenter ſilebit à bonis, ne forte lingua, quæ benè cœpit, poſtquam incaluerit, malè concludat, & inæſtimabilem cordis tranquillitatem verborum tumultu perturbet. Fœlices illi, qui non ſolum prohibent linguam ſuam à malo, & labia ſua, ne loquantur dolum; ſed etiam à licitis verbis propter me abſtinent, & vix in ſua cauſa rogati reſpondent. Ego certe, dum ageretur de cauſa vitæ ac mortis meæ, interrogatus tacui, ita ut miraretur Præſes vehementer. Quapropter mirandum eſt, ſervos meos non rogatos, ſine moderatione ulla, loquaces, & vanos eſſe. Quid ſibi vult licentia hæc, qua infælix anima effunditur extra ſe? Ille pretioſus devotionis ſenſus tanto labore collectus, quomodo tam facilè, ac vanè paucis verbis otioſis diſſipatur? Uſquequo ſervi mei religioſi ſine intellectu erunt, non conſiderantes, linguam modicum eſſe ignem, ſed magnam ſylvam incedere? Uſquequo pacem cordis, quæ cum verborum licentia cohærere non poteſt, parvipendent? Attendite filii, quæ dico, & ſilentium, quod eſt juſtitiæ ornatus, & monaſteriorum decor ſtudioſiſſime colite. Et ego vobiſcum intus loquar, & quaſi modo genitos infantes conſolationis meæ dulciſſimo lacte nutriam, & velut arca clauſa novi teſtamenti ſervabitis Manna ſuavitatis meæ.

Loquacitatis effectus,

Silentii cultores fœlices

Ejuſdem laudes.

CAPUT XVIII.

Hortatur ad modeſtiam oculorum.

OCuli filiorum Hevæ deprædati ſunt animas eorum, & portæ mortis per incautum aſpectum apertæ ſunt. Vidit mulier lignum viſu pulchrum, quod utinam non vidiſſet. Hæc eſt origo mortis, quæ in omnes homines pertranſiit, & aſpectum à ligno vitæ divertit. Propterea ſervi mei, qui æternæ vitæ deſiderio tenentur, avertunt accuratiſſimè oculos ſuos, ne videant mundi vanitatem, quæ ſtulta corda ſeducit. Melius eſt certè, filii mei, oculorum carnalium luce, cum ſalute animæ carere; quam ſpectaculis mundi parum caſtis & piis ad æternam mortem vulnerari. Idcirco Job, fideliſſimus amicus meus, pepigit fœdus cum oculis ſuis, ut ne cogitaret quidem de Virgine. Turpes enim cogitationes illum vexaſſent, niſi ſanctum fœdus cum oculis pepigiſſet. Claudite & vos filii mortis feneſtras, & corda vigilanter cuſtodite. Certè ſi deſideratis delectabilia valdè regni mei ſpectacula videre, formoſiſſima corpora glorificata, & pulcherrimam urbis ſanctæ ſtructuram (cujus ego, ut ſapiens architectus fundamenta in montibus ſanctis poſui) circumſpicere; debetis à mortalium corporum aſpectu libenter abſtinere. Quin etiam & propter præſentem internæ lucis claritatem, qua oculi cordis delectantur, immenſæ utilitatis, & conſolationis eſt, oculos carnis coercere. Profectò, filii, doctrina hæc dulciſſima de oculorum modeſtia ſcholæ meæ propria eſt. Virginis enim filio oculi in altum ſurrecti placere non poſſunt. Atque ideo non fruſtrà Evangeliſtæ mei notarunt, me oculos in rebus gravioribus ſublevare ſolitum eſſe: quaſi dicerent, me illos non ſublevatos habere conſueviſſe. Et hæc juſta querimoniarum cauſa eſt, quam habeo adverſum ſervos meos, imitatores filiarum Sion, quas odivi, eo quod erecto collo, nutibus oculorum ibant. Etenim ſi conſiderarent, quid ipſi de interiori luce deperdant, & quale ſcandalum proximis opponant; modeſtiæ honeſtatem, & decorem ſtudioſius quærerent & invenirent. Eſtote, filii, imitatores mei, & honeſtiſſimæ matris meæ, & ſincero columbarum intuitu me ſolum intue-

Hevae peccatum

cap. 31.1.

Doctrina de oculorum modeſtia ſcholae Chriſti propria.

Scriptus An. 1606.

intueri desiderate, accedenteque retributionis tempore dicam vobis: Respicite iam, & levate capita vestra, quoniam appropinquat expectata valdè, & infinitæ consolationis plena redemptio vestra.

CAPUT XIX.

A

Hortatur ad diligentiam.

HOra est jam, charissimi filii, vos de somno surgere, & breves dies vitæ bonis operibus ante noctem implere. Si enim Apostolis meis visum est, novissimam horam esse (in cujus rei testimonium significavi ego per Angelum meum servo meo Joanni quæ oportet fieri citò,) æquum erit vos consummationi sæculi propinquiores opera multa bona instanter operari. Filii hujus sæculi in generatione sua prudentiores filiis lucis sunt: mirum enim est, quam celeriter currant ad solatia sua. Instante passionis meæ tempore, quando sollicitè vigilandum erat, dormiebant discipuli mei, sed pes Judæ

B festinabat in dolo ad effundendum innoxium sanguinem filii Dei. Solam salutis æternæ causam homines lentè agunt: in cæteris omnibus causis sine requie festinant. Quid est hoc? Quomodo mortis instantia, æternæ redemptionis amor, perpetui cruciatus timor, non extimulant corda vestra ad currendas vias duras? Certè si infelices illi, quos æterna morte justè damnavi, impetrarent à me unam horam è multis, quas vos pro nihilo perditis, tam diligenter, ac vehementer operarentur, ut annos multos peccando consumptos, hora illa restaurarent, ne ad inferni tormenta redirent. Electi quoque mei, qui exultant in gloria, & lætantur in cubilibus suis, si modicum horæ spatium ad operandum, & merendum obtinerent, ardentissimè negotiarentur, ut sempiternam

C consolationem augerent. Vos ergo, filii, *Prov.* 8.33. audite disciplinam meam, estote sapientes, & nolite abiicere eam. Tempus breve est: Venit nox, in qua nemo potest operari. Negotiamini igitur, dum venio, & vigiliis orationibus, jejuniis, misericordiis pauperum, passionum mortificatione, & omnium virtutum exercitiis die ac nocte permansuras opes meas cupidissimè comparate. Ego vos lassos recreabo, & recipiam vos plenos bonis operibus, tanquam comparticipes, & cohæredes infinitæ hæreditatis, & lætitiæ meæ.

CAPUT XX.

Hortatur ad magnanimitatem.

D

SI sciretis, charissimi filii, quam magna sit domus mea, & ingens locus possessionis meæ, omnes labores, sudores, & martyria sanctorum meorum, exercitia levia vobis viderentur. Ineffabilia enim sunt præmia, & solatia Justorum, quæ præparavi in abscondito faciei meæ. Et licet omnia hominis membra verterentur in linguas, frustra laboraret omnis humana eloquentia tanquam qui vasè modico totum Oceanum vellet includere. Levate oculos vestros in montes, & infinitam remunerationem sæpissimè cogitate: ut magna semper operemini, respicite amatores mundi, qui terrenos principatus ambiunt, quam liberaliter opes suas effundant, quàm difficiles actus exerceant, quam graves repulsas, dolores, & amaritudines è calice dæmoniorum bibant: quæ tamen omnia æquo animo ferunt, modò per exiguum tempus regnent. Quare ergo vos, qui mecum sine fine regnaturi estis, manus dissolutas, & genua debilia ad magnos labores, & agones non roboratis? Dixerunt milites Holofernis inimici mei, Judith pulchritudinem admirantes: quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus? Quomodo igitur pro dulcissima pulchritudine supernæ Jerusalem vos, ignavi filii mei, non animosè dimicatis? Parùm magnanimi estis, & neque me, neque amoris erga vos mei magnitudinem æstimatis. Nunquid ego unquam dixi: Possum filios Adæ una gutta sanguinis redimere, & reconciliare clementissimo Patri meo: nolo ergo totum sanguinem profundere, tot dolores & ignominias hominum causa tolerare? Certè sine ullo termino intraverunt aquæ usque ad animam meam; & cum essem infixus in limo profundi, Pater meus omnes fluctus suos induxit super me. Propter vos, filii, veni in altitudinem maris magni: & tempestas tribulationum demersit me. Ut quid ergo parcè mihi servire, & non potius, quæ retro sunt obliviscentes, ad anteriora vos extendere certatis? Contemnite parva, & mediocria, milites mei, & scuto fidei, galeaque salutis armati, per infamiam, & bonam famam, per adversa, & prospera, à dextris, & à sinistris, ad G magnos honores, & coronas immortales dimicate. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedeo cum Altissimo Patre meo.

Judith. 10. 18.

E

F

CAPUT XXI.

Hortatur ad orationem.

SI victoriam vitiorum, & passionum desideratis, filii mei; si ascensiones in corde disponere, & ad cor altum accedere optatis, corda sursum erigite, & orationis studio magnam diei partem consecrate. Ego enim diligo portas Sion, ubi exercetur cælestis conversatio, qua nihil est in terris amabilius. Ibi spirat suavissima virtutum fragrantia, quæ est sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ibi flat aura lenis, quæ à mundi, & carnis æstu corda refrigerat. Ibi purissima lux mea sedentes in tenebris exhilarat. Ibi oleum lætitiæ participes meos inungit, & ad luctam, sive militiam vitæ disponit. Ibi repletur adipe anima sponsa mea,

Orationis studium commendatur.

H

Scriptus An. 1606.

mea, & aperiuntur labia exultationis ad laudandum magnum nomen meum. Ibi salit sicut cervus claudus, & solvitur lingua mutorum, quia scissæ sunt aquæ in deserto, & torrentes in solitudine, & anima, quæ erat arida, vertitur in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Ibi communico humi-
A libus corde secreta mea, & lacto mansuetos, & pauperculos ipsis uberibus ineffabilis consolationis meæ. Ibi ego impero ventis, & mari, cujus procellis mites corde turbantur, & fit tranquillitas magna, simillima Cælo sereno. Ibi ad præceptum meum omnes bestiæ sylvæ congregantur, oriente sole, & collocantur in cubilibus suis. Ibi anima videt, & affluit, & miratur, & dilatatur præ magnitudine inæstimabilis lætitiæ meæ. Ibi patet fons domui David amici mei, ut bibant à me fonte vivo intima gaudia mea. Ibi ministratur frumentum electorum, & vinum germinans Virgines, mihi sponso suo in thalamo meo castissimè adhærentes. Ibi pluit manna de Cælo, ferens secum omne delectamentum, quo casta
B corda fruuntur. Ibi altaria cordium mihi fumant, & dirigitur ad me oratio pura, quasi sacrificium vespertinum in odorem suavissimum, quo quiescit ira mea, quæ contra peccatores exardescit. Ibi denique exercetur liberalissimus, & benefaciendi cupidissimus amor meus. Discite ergo, filii mei, sapientiam hanc omnium bonorum genitricem, & doctrinas hominum, præ hujus amore contemnite. Hæc sit prudentia, & pretiosissima eruditio vestra, multis laboribus, & conflictibus comparanda. Abiicite negotia sæculi pro dulcissima parte otii hujus: & quidquid animam ab eo divertit (quantum per vos fieri poterit) exhorrescite. Ne sequamini consilia filiorum hujus sæculi, qui inter mundi curas innumerabiles spiritum opprimunt, ne ad me respirare possit. Væ
C illis, quam stulte agunt, quàm graviter sibi nocent, quantis opibus, & solatiis seipsos privant, quàm inhumane me solum relinquunt. Felices illi, quorum hæreditas melle dulcior conversatio mea est, & omne opus eorum oratio. Hæc sit, dulcissimi filii, hæreditas vestra, & in abscondito amplectar vos quasi fidelissimos amicos meos.

Oratio omnium bonorum genitrix.

CAPUT XXII.

Hortatur ad perseverantiam.

D OMne pietatis studium, ô filii, sine perseverantia inane est, cum ad æternitatem non proficiat. Propterea, cum essem apud vos, perseverantiam sæpe prædicavi, cum scirem eos, qui mittunt manum ad aratrum, & respiciunt retro, non perventuros ad coronam. Utinam caperetis verbum hoc, & usque ad vitæ finem in viis justitiæ ambularetis. Frustra enim benè cœpistis, si in media via deficiatis. Mirum est, quanta sit hominum stultitia, qui cùm è servitute Pharaonis liberati, & per deser-

Filiorum Adae stultitia.

tum mortalis vitæ ferè ad portas terræ viventium ducti fuerint, labore modico, qui supereſt, deterrentur, & ad Ægyptum redire constituunt: Quid est hoc? Sic stulti sunt, ut cum spiritu cœperint, carne consummentur? Tanta passi sunt sine causa? O insensati Adæ filii, quis vos fascinavit? Currebatis benè ad coronam immortalem, nunc vero alius vestram coronam accipiet. Ablatum est à vobis regnum Dei ob ingratitudinem & incostantiam vestram, & dabitur genti facienti dulcissimos fructus ejus. Parum laboris supererat, ut ascenderetis in palmam, & colligeretis fructus ejus, quibus in æternum vescemini. Vano consilio seducti estis, & transactos labores enervatis. Vos ergo, filii, qui puro corde accessistis ad me, & cognovistis rectas vias meas, estote fideles usque ad mortem, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Virum injustum funibus peccatorum constrictum mala capiant in interitu: vos verò filios meos, qui me sequi cœ- Perseverantiae donum.
pistis, morientes sequantur bona opera vestra, & in osculo pacis amantissimè claudam
F ego oculos vestros. Citò transit, quod currit in tempore: modicum est, quod supervicturi estis. Ego vos protegam, & dulcissima societate recreabo in hac molesta navigatione, donec deducam vos in portum voluntatis vestræ, ac meæ. Bonum certamen certate, benè cœptum cursum consummate, & de labore fessi fruemini aura spiritus vitalis mei, qui perflat hortos pensiles suavissimæ Sion, quam dilexi. Aspicite à longè amœnitatem regionis, in quam ascenditis, circumeuntes terram Edom, & ad purissimas Jordanis aquas è siti deserti suspirate. Ego suscipiam vos fideles servos meos, & de capite Amana, ubi feræ habitant, surgentes, humanissimè complectar, & æterno amore consolabor. Hæc sit perennis meditatio vestra, suspiriis, & gemitibus voces turturis imitantibus plena; donec liberati de corpore mortis hujus, quæ per peccatum introivit, & regnavit, gratiæ meæ decorem induti, immortale regnum immensis divitiis, & inæstimabilibus gaudiis plenum, gloriosa victoria, & infinita lætitia comparetis.

Meditatio nostra, quae?
G

CAPUT XXIII.

Hortatur ad custodiam, & augmentum virtutum.

CAvete, filii, ne vulpes parvæ, quæ demoliuntur vineas, proventum vinearum vestrarum, quas multò labore coluistis, impediant. Ne contemnatis minima, neque animi remissioni locum detis: habetis enim pretiosissimum thesaurum gratiæ, & virtutum in vasis fictilibus corporum mortalium, & in vobis ipsis geritis, unde certamina periculosa toleretis. Væ illis, qui cum rubore ac sudore arduas virtutes in schola mea compararunt, & quasi de victoria securi dormitare incipiunt. Non est consilium sanum securè dormire, ubi fures effodiunt, & furan-

Minima non contemnenda.
H

tur,

Scriptus An. 1606.

tur. Sanius consilium est, quod dederunt pastores illi, qui in nocte natalis mei erant vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Certè mirabile est, homines super greges pecorum vigilare; & servos meos nimium super se dormire, quasi in vanum acceperint animam suam. Nolite somno gravari, filii mei, quia in terra inimicorum estis, qui tota die constituunt vobis prælia, currite velociter, & sic currite, ut comprehendatis. Date animas vestras pro testamento meo, parati potiùs mori, quàm cælestis gratiæ meæ, & virtutum mearum detrimentum pati. Nonne videtis, gehennæ filios divitias ita custodire, & augere, ut inter spinas viventes nunquam sollicitudine careant? Utinam & vos divitiarum mearum detrimenta timentes, staretis semper ut custodes lectuli Salomonis gladium tenentes, ac solliciti propter timores nocturnos. Hæc est pars magna prudentiæ Justorum, qui postquàm justi facti sunt, diligentissimè vigilant, ne fortè reprobi fiant. Ibi culpam timent, ubi culpa non est, & præ desiderio mei suspicantur fures, ubi non sunt. Gloria quippe, & divitiæ in domibus eorum, quarum custodia sollicitudinem generat, receditque somnus ab oculis eorum, ut olim recessit ob oculis Jacob charissimi amici mei. Hæc sit, ô filii, æmulatio vestra: cavete, ne extinguatur in nocte lucerna cordis vestri: manumque vestram mittite ad fortia, & numquam à labore, & fatigatione, pro conservanda cælesti gratia mea, animum relaxetis. Et ego laborantes adjuvabo, & replebo operibus bonis, quæ in pace mea vos morientes sequentur. Et suavissimus spiritus meus dicet justis meis, ut jam benè probati dulcissimè requiescant à laboribus suis.

Vigilantia commendata.

A

Justorum vigilantia.

B

C

PARS TERTIA.

Quæ continet multa consilia ad christianam perfectionem comparandam.

CAPUT I.

Hortatur Jesus Christus ad perfectam omnium affectuum abnegationem.

QUicunque sub vexillo crucis meæ militare, & me patientem sequi decrevistis, inclinate aurem vestram in verba æternæ vitæ meæ, & sermones meos in medio cordis abscondite. Ego veni in mundum, non pacem mittere, sed gladium, ut separarem homines non solum à rebus terrenis, quas nimio amore possident, sed etiam à

D

Abnegatio affectuum commendata.

parentibus & amicis, & (quod maius est) à propriis affectibus & desideriis quæ mergunt homines in interitum, & animas meo sanguine redemptas in æternam servitutem pertrahunt. Hæc est prudentia iustorum, qui non modò renuntiant omnibus quæ possident, ut me currentem sequantur, verùm & animas proprias oderunt, ut creetur in eis cor mundum, & spiritus rectus innovetur in visceribus suis. Considerant enim, quid acciderit peccatoribus insensatis, qui nimis amarunt stultas animas suas: qui sicut oves in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Propter quod fortes facti sunt in bello adversum semetipsos, ut abnegantes impietatem & omnia sæcularia desideria sobriè, & piè viverent in me: & fideli corde in tempore retributionis mihi dicere possent: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Vos ergo filii, qui vultis in Cælum ascendere de deserto mundi delitiis affluentes, abnegate vos ipsos, & deponentes omne pondus, levate ad me manus puras, & immaculata corda mihi sacrificate. Neque durum vobis videatur, animam propriam, & omnia mundi bona relinquere propter me. Licet enim modico tempore tristitiam habeatis; succedet expectata valde lætitia mea, qua gaudebit cor vestrum. Certè omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris: postea tamen viris exercitatis per eam fructum pacatissimum reddet justitiæ. Ad vesperum tenebrarum mundi demorabitur fletus: & ad clarissimum apparentis gloriæ matutinum lætitia. Ne respuatis, filii mei, consortium eorum, qui seminant in lachrymis, & in exultatione metent. Relinquite omnia confidenter, & affectus omnes abscindite propter me: & ego vita vestra, anima, & consolatio vestra, & tota vestri laboris merces ero.

Matth. 19. 27.

E

F

CAPUT II.

G

Monet respondere divinis inspirationibus.

EGo sto ad ostium cordis, & pulso, cupiens introire, & requiescere in reclinatorio meo, ubi posui delitias meas. Hæc est desiderata valdè requies mea in sæculum sæculi: hìc habitabo, filii mei, quoniam elegi eam. Vos discurritis per vicos & plateas, quærentes requiem in terra aliena: & ego quæro requiem in corde vestro, tanquam in delitiosissimo thalamo meo. Semper enim in omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini libenter morabor, atque in electis meis altas radices mittam. Si ergo tenemini vero desiderio præsentiæ meæ, ac æternæ salutis vestræ, aperite mihi pulsanti, & inspirationibus meis nunquam aures obturetis. Quid enim boni vobis accidere poterit, si mihi non pateat ianua domus vestræ, quam cælestibus gaudiis implebit visitatio mea? Cavete, filii mei, dum inspiro vobis cælestia desideria, ne surdi, & cæci efficiamini, sicut illi, quibus per annos quadraginta

Requies, & habitatio Christi.

H

Scriptus An. 1606.

proximus fui, dicens: Semper hi errant corde. Illi enim scientiam meam repulerunt: quibus idcirco iuravi in ira mea, ne introirent in requiem meam. Vos autem qui me humana carne vestitum, præceptorem suavissimum, & mitissimum habetis, inspirationibus meis aures castas, & fidelia corda præbete: neque lucem meam, quæ filiorum hæreditas est, extinguite, vel obscurate. Certè fideles amici mei adeò sollicitè meis admonitionibus respondere solent; ut si inter præsentis vitæ negotia me intus loquentem & orandi, vel legendi, vel aliquid pium agendi desiderium inspirantem sentiant, statim dicant: Hoc signum magni Regis est: eamus, & inquiramus eum, & offeramus ei clauso cordis cubiculo desideria nostra, quasi virgulam fumi suaviter olentis, ascendentem ex aromatibus myrrhæ & thuris. Hi sunt mihi chariſſimi: quia non student hominibus placere, sed adhærere mihi, & me omnibus mundi commoditatibus, & voluptatibus anteponere. At illi, qui inspirationes repellunt, vel citò exequi nolunt, justo judicio meo in dies magis magisque alienantur à me, & cordis desolationem & obdurationem in suæ infidelitatis pœnam incurrunt. Imitamini, ô filii, Apostolos meos, qui statim ac eos vocavi, relictis omnibus, secuti sunt me; & nullis humanis rationibus acquieverunt. Et ego, dum invocaveritis me, celeriter exaudiam vos, & è magna tribulatione venientes, ac super nivem sanguine meo dealbatos, deducam in æternam requiem meam.

Divinis inspirationibus obtemperandum.

Apostolorum exemplum.

CAPUT III.

Monet puritatem intentionis in bonis operibus.

BEati servi illi, qui in omni opere suo moventur sola, & pura intentione placendi mihi. Qui simplicem oculum columbarum habentes, nihil desiderant, vel quærunt præter me. Sed væ mundo, quam pauci sunt, qui commoditatem suam, vel lucrum, vel gloriam hominum non quærant. Circuite vias Jerusalem & inquirite, an inveniatis virum facientem fidem, & non quærentem quæ sua sunt: & propitius ero ei, & laudabunt eum in portis opera ejus. Verùm scio huiusmodi viros rarissimè inveniri: & non solùm plebeios ignorantes viam Domini, sed optimates etiam bona opera, quæ faciunt, oculo nequam malæ intentionis corrumpere. Gloriantur ipsi etiam Ecclesiastici, qui videntur rectè agere, se propter Ecclesiæ sponsæ meæ bonum in suis prælationibus, & dignitatibus laborare: & tamen redditus dignitatum & honores hominum potiùs, quàm gloriam meam requirunt; testimonium ipsis perhibente conscientia ipsorum, & cogitationibus, cum remorsu animæ, invicem accusantibus, & defendentibus. Quin etiam, quod magis dolendum est, ipsi Religiosi, qui mundum contempsisse videntur, in suis exercitiis legendi, prædicandi, & consulendi, non tam mihi, quam hominibus placere studeant. In veritate dico vobis, quia Virgines fatuæ sunt: & dum làudes humanas expetunt, oleum lætitiæ quam generat bona conscientia, in vasis cordium suorum habere nolunt. Quid est hoc? Ubi est fructus pretiosissimi sanguinis mei? Quomodo obscuratum est aurum antiquæ charitatis, qua servi mei in Ecclesia primitiva flagrabant: qui per Episcopatus, & officium prædicationis non ad divitias & honores, sed ad tormenta & persequutiones propter me currebant? Revertimini, filii mei, ad primam charitatem, & oculum intentionis inungite collyrio sanguinis mei, ut in omnibus oneribus, & honoribus nihil nisi gloriam meam requiratis. Et ego, qui synceritate cordis delector, remunerabo labores mei causa susceptos: & sicut incorrupta intentione confessi estis me coram hominibus, ita ego confitebor vos coram Altissimo Patre meo.

Puritas intentionis rara virtus.

Episcopatus & officium prædicationis.

CAPUT IV.

Hortatur ad resignationem in Dei beneplacitum

NIhil est, filii chariſſimi, quod maiorem cordis pacem generet, quam perfecta resignatio in beneplacitum meum. Si enim in omni adversitate, & prosperitate cor hominis in iis, quæ facio, sibi complaceat; nulla ei nocebit adversitas, quia nulla ei dominabitur iniquitas. Immo hauriet aquas in gaudio à me fonte vivo, & amantissimo salvatore suo: quia sive valeat, sive ægrotet, sive laudetur, sive vituperetur, lætabitur in salutari suo, qui facit omnia secundum consilium rectissimæ voluntatis suæ. Hæc est sapientia viri justi, quem non contristabit, quicquid acciderit ei: gaudet enim gaudio magno valdè, cùm omnia ei eveniant juxta desiderium suum, quod semper cohæret cum dispositione providentiæ meæ. Utinam mundi sapientes, qui me condemnant, ut ipsi justificentur, discerent prudentiam hanc, quæ non invenitur in terra suaviter viventium. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tinctura mundissimæ componetur. Non lucebit aurum coram ea, nec appendetur argentum in comparatione ejus. Inæstimabilis enim est perfecta resignatio cordis, quid ego velim semper attendentis, atque in eo ipso dulcissimè requiescentis. Dolent principes terrarum super morte charorum, nec ullam consolationem admittere volunt: & justus lætatur morte primogeniti sui, quia ex mea voluntate succedit. Vos ergo filii, qui desideratis frui pace filiorum Dei, in omni eventu voluntatem meam spectate, & confidenter acquiescite, & fidelissimi servi mei Job verba celebrate: Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Et ego paternam, & maternam curam vestri geram: circumducam vos per mundi desertum; & ero in umbraculum ab æstu: totaque sæculi hujus nocte ero vobis in clarissima illuminatione lucis. Si perfectè in meo beneplacito quiescatis, omnis sup-

Justi sapientia.

Justi lætitia in adversis.

Cap. 1. 21.

Scriptus An. 1606.

Psal. 73. 16. 17.

stantia domus meæ vestra erit. Meus est dies, & mea est nox, ego fabricatus sum auroram, & solem, ego feci omnes terminos terræ, æstatem, & ver ego plasmavi ea. A solis ortu & occasu, ab Aquilone, & mari, omnia subiacent imperio meo: neque est qui possit resistere voluntati meæ. Quocirca

A si voluntas vestra una, & eadem cum voluntate mea sit, omnia vestra erunt, quia omnia obtemperabunt voluntati vestræ. Et peracto vitæ cursu, in signum regiæ dignitatis sedebitis cum senatoribus terræ, & inenarrabili lætitia exultantes adhærebitis strictissimo complexu cordi meo, ad cujus proportionem formati estis.

CAPUT V.

Hortatur ad primam diei partem orationi assignandam.

AVdite filii, quæ loquor, concrescit enim in pluviam dulcissima doctrina mea. Omnia primogenita mea sunt: & proinde illa mihi sacrificare, primitiasque omnes in

B altaribus cordium vestrorum intima gratitudine mihi offerre debetis. Certè qui manè vigilaverint ad me, pium ac suavem invenient me. Propterea justus cor suum tradidit, ut vigilet ad me diluculo, antequam negotia, & sollicitudines mundi occupent sensus ejus. Scit enim, quanti ponderis sit, primas cogitationes, & prima desideria mihi consecrare, & omnem fiduciam in me

David. ponere. Sic fidissimus servus meus David magna sollicitudine ante curas, & negotia regni me quærebat, quod syncero corde cantavit aiens: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Beati, quos à somno excitat sollicitudo mei, ut in matutinis meditentur in me: ut omnis eorum oratio, & operatio à me semper incipiat, & per me cœpta finiatur. Horum certè animæ in manu mea sunt: & quia primum

C quærunt regnum Dei & iustitiam ejus, non tanget illos tormentum malitiæ, & mors animæ fugiet ab eis. Ego enim virtus, & vita eorum, odoratus suavissimum odorem holocausti matutini defendam illos, & in processu diei dirigam opera eorum, sicut ipsi summo mane direxerunt ad me corda & corpora sua. Illos verò, qui mane surgunt ad ebrietatem sectandam, & sæcularia negotia sine timore meo gerenda, patiar vexari, & per ipsa, quæ agunt, excruciari: ut idola mundi, quæ colunt, surgant, & opitulentur eis, & in necessitate eos protegant. Væ illis, quàm graviter errant non prævenientes faciem meam in laude, ut protegantur auxilio meo. Si ascenderint in altitudinem nubium, inde detraham eos: quia

D more gentilium non proposuerunt me adiutorem suum: sed speraverunt in divitiis, vel astutiis suis; & prævalere tentarunt in vanissima vanitate sua. Vos ergo, filii, ante ortum solis, & ante strepitum filiorum hujus sæculi, in thuribulis cordium, amoris igne

Christus virtus, & vita justorum.

Cor thuribulum dictum.

flagrantium, incensum orationis ponite & adolete. Et ego vobis in silentio ad me suspirantibus præsto ero: imprimamque cælestia desideria visceribus vestris, quæ præ magnitudine consolationis anhelabunt ad æterna gaudia, quæ vobis præparavi in primogenita civitate mea.

E

CAPUT VI.

Hortatur ad solitudinem amandam.

SI scirent homines, quàm sit amabilis solitudo, quæ à iustis quæritur, ut gaudeant ibi mecum libertate filiorum Dei, ipsi etiam negotiosi filii sæculi certis temporibus iugum mundi proiicerent, & speluncas montium ad quærendam faciem meam sollicitè peterent. Inæstimabilis enim est dulcedo conversationis, & sapientiæ meæ, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Non enim potest inter tumultus negotiatorum absconditæ suavitatis gustus inveniri. Propter hoc illi pauci sapientes antiqui, quibus dignus non erat mundus, extra turbas requisierunt me, & in remotissimis desertis dulcissimos spiritus mei fructus comederunt. Inter feras, & inter scopulos facilius, quàm in mediis urbibus invenitur sapientia mea. Ibi ad præceptum meum elevatur anima, sicut Aquila; & in arduis ponit nidum suum, atque in præruptis silicibus commoratur. Ibi contemplatur escam melle dulciorem secretæ communicationis meæ: & affectus ejus, quasi Aquilarum pulli lambunt sanguinem meum. Ibi ego loquor ad cor Jerusalem, dicoque verbum absconditum à mundi prudentibus: & quasi furtivè suscipit auris cordis venas subtilissimi susurri mei. Ibi ob silentii, & solitudinis opportunitatem solus ego traho omnes vires animæ post me in funibus novi Adam, & in vinculis dulcissimæ charitatis. Vos ergo, filii, exite de Ur Chaldæorum, & Ninivem civitatem grandem, certis saltem diebus, relinquite, ac remotum aliquem locum, ubi vobis occurram, eligite. Ne sequamini politica consilia, quibus certissime avertentur corda vestra, & obdurabuntur, ne placeat illis conversatio mea. Videte quid egerint sancti mei: qui etiam curam animarum gerentes (ut sine detrimento animarum suarum alios salvos facerent) populos interdum aliis curandos per dies aliquot committebant, mihique soli totis viribus in solitudine vacabant, & fortiores ad laborem recurrebant. Fugite servitutem Aegypti, & super montes Bethel ad contemplandam cæli serenitatem ascendite. Crescite iam, & manducabitis cibum grandium, & tanquam fideles amicos me in deserto sequentes, aqua purissima, & suavissimis palmæ fructibus alam.

Solitudo amabilis.

E

Sapientia facilius in solitudine invenitur.

G

Exempla sanctorum.

H

CAPUT VII.

Monet recursum ad Deum contra inconstantiam.

FIlii, accedentes ad studium sapientiæ meæ, scitote inconstantiam periculosam in-

Scriptus An. 1606.

infirmitatem esse. Trahitur hoc malum hæreditate Adæ patris vestri, qui per peccatum inconstans factus est. Hæc est conditio hominis, qui egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, nunquamque in eodem statu permanet. Væ peccatori, qui recessit à me vera fortitudine, & firmamento suo, & ad horas singulas consilia mutat. Peccatum peccavit Jerusalem: propterea instabilis facta est. Migravit à me, ferens secum inconstantiam cordis, & multitudinem servitutis: & cùm regna multa peragrasset, non invenit requiem. Væ columbæ, quæ ab arca recedit: quia in diluvio aquarum multarum non inveniet, ubi possit requiescere pes ejus. Sæpe servi mei contra regulas prudentiæ justorum sana consilia, quæ prius elegerant, relinquentes, peccant aberrantes à meliori proposito, quod inspiraverat illis clementissimus Pater meus. Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus. Et hæc est ratio, propter quam parum in schola mea proficiunt, quotidie incipientes ædificare, nec valentes consummare. Doleo vicem illorum, & vellem firmiter durarent in salutari consilio meo. Si ergo desideratis, filii, malum hoc grande vitare, recurrite ad me, totisque visceribus inconstantiæ remedium implorate. Ego enim vici mundum, & veni curare instabilitatem ejus. Neque vos frangat experientia hujus mali, quo anima diu affecta quasi luna mutatur, & ad singulos ventos, instar fluctuum maris commovetur. Ego enim congrego, sicut in utre aquas maris, & pono in thesauris abyssos. Et quando mihi placet, voco ad me discipulos meos, ut ambulent super aquas, tanquam super solidissimam petram. Constantes estote, & videbitis auxilium meum præsentissimum super vos: dummodo fidelissimè statuatis consilia à me inspirata in posterum sequi. Sinite jam in opiniones varias ferri, & propositum mihi placendi, quod arripuistis, usque ad mortem sustinete. Et ego cælesti fortitudine vobis adero, & firmabo super vos misericordes oculos meos.

Incostantia per peccatum.

Inconstantiae remedium.

Constantia commendata.

CAPUT VIII.

Hortatur ad sacramenti pœnitentiæ usum.

Summum malorum peccatum.

SUmmum malorum, filii charissimi, peccatum est, quod animæ vitam extinguit. Si ergo peccatis, cavete, ne regnet in vobis peccatum, & festinate converti ad me, currentes ad balneum pretiosissimi sanguinis mei. Ne probetis consilia eorum, qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, nec remedium pœnitentiæ requirunt. Nimiùm stulti, & audaces sunt, qui Deum ad iracundiam provocarunt, & æternæ pœnæ reatum incurrerunt: & tamen nihil de futuro cogitantes, comedunt, bibunt & dormiunt, & ducunt in bonis dies suos. Mirum est, quomodo subitaneam, & improvisam mortem non timent, qui fecerunt sibi Deum inimicum. Quomodo non timent, ne sicut viventes, sic in ira absorbeat eos? Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis. Certè hi fatui, præsentis vitæ amore capti, oderunt animas suas, quarum remedium non requirunt. Vos igitur filii, si ex humana conditione peccaveritis, ne differatis pœnitentiam: sed planctum & tristitiam, quæ salutem secundum Deum stabilem operatur, assumite. Leprosi si estis, & morti proximi, abstergite lepram balneo sanguinis mei per sacramenti pœnitentiæ canalem decurrentis: & caro vestra restituetur, sicut caro pueri parvuli, & recuperata candida gratiæ veste, numerabo vos inter dilectissimos filios meos. Nec tædeat vos humilis confessionis, qua in animo contrito detegitis peccata vestra: brevi etim humiliatione, & verecundia æternam vitam comparabitis. Certè modicum est, quod à vobis postulo, si consideretis bona, quæ ibi proveniunt. Graviorem profecto pœnitentiam ego pro vobis egi, quam vos ipsi: Si enim appenderentur in statera peccata vestra & calamitas, quam ego vestri causa pertuli; quasi arena maris hæc gavior appareret. Properate ergo ad remedium vestrum, & ego suscipiam vos. Verba confessionis humilia, & ferventia proferte, qualia servus meus David de peccato admonitus protulit, dicens ex intimis præcordiis, Peccavi. Et ego transferam à vobis peccata vestra, & effundam super vos aquam mundam, atque mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et propter conscientiæ testimonium luctus vester vertetur in gaudium: secundum multitudinem quippe dolorum vestrorum, quibus afflixistis corda vestra, intimæ consolationes meæ lætificabunt animas vestras.

Sacramentum pœnitentiæ balneum sanguinis Christi.

Davidis confessio.

CAPUT IX.

Hortatur ad sacram comunionem.

EGO æterna sapientia ædificavi mihi domum humanitatis meæ, & ut facerem convivium pinguium medullatorum, miscui vinum pretiosissimi sanguinis mei, & posui mensam, ita ut panis convivarum esset purissima caro mea. Et postquam instruxi lautissimum convivium, non quievi: sed misi ad plateas, & mœnia civitatis servos meos, & inspirationes meas, ut cordibus hominum loquerentur, & dicerent: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Nunc autem pauci valdè sunt, qui vescantur vitalissimo pane meo, quasi omnem saporem suavitatis non haberet. Viæ Sion lugent, eò quòd non sit, qui veniat ad solemnitatem meam, qua corda casta dilatantur. O quàm stulti sunt Adæ filii, qui per escam mortui sunt, & per escam vivificari nolunt. Quid est hoc? Quid optabilius & suavius invenire possunt, qui delectamenta mundi requirunt? Ubi est syncera fides, & purus amor, cujus nutrimentum, & fomentum

Prov. 9.5.

Mors, & vita per escam

Scriptus An. 1606.

tum panis de Cælo missus factus est? Certè facies Christiani populi exusta videtur, quasi non esset triticum, & vinum, & pellis ejus, consumpta carne, ossibus siccis adhæsit. Ventum est enim ad calamitatem magnam, eò quòd plurimi filii Ecclesiæ sponsæ meæ semel tantùm in anno panem vitæ comedunt, & libertatis genus existimant, ad frequentem communionem non accedere. O stulti, & tardi corde ad credendum, & diligendum me! Nonne oportebat, quasi grave mortis supplicium timere non ampliùs, quàm semel in anno, pane vivo refici? Quare ergo supplicium hoc ipsi Adæ filii sponte sua sibi sumunt, & fame mortalissima siccantur? Non est sanum consilium hoc: ingratissimo & durissimo corde digna est alienatio hæc. Vos ergo filii, qui desideratis vivere propter me, frequenter manducate me. Aperite mihi penetralia cordis vestri, & intra viscera vestra meæ dulcedinis avida, recondite me, Dilatate os vestrum, & implebo illud, & extensis desideriorum brachiis amplectimini me. Certè tantus esse deberet dulcissimi panis amor, ut neque diebus, neque noctibus ab altari, ubi servatur sacramentum meum, recederetis: solaque inevitabilis necessitas vos ab eo loco violenter abstraheret. Recedite ab eis, qui me derelinquunt, & recedentes à me, non in cælo, sed in terra scribuntur, quorum alius discedit in villam suam, alius ducit uxorem, alius vadit ad Babylonicam negotiationem suam. Imitamini filios primitivæ Ecclesiæ meæ unanimes in domo, & sæpissimè communicantes in fractione panis, quo vivitur, & aperitur via ad immortalem vitam meam. Hæc sit negotiatio vestra; hæc sit sapientia, & fortitudo vestra: hæc sit delectabilissima exercitatio vestra. Accedite ad me, & inæstimabilem dulcedinem meam in ipso fonte gustate, & eritis leonibus fortiores, aquilis velociores, & facies vestra splendebit sicut sol. Et ego vobiscum habitabo, & splendoribus æternis, ac infinita lætitia, futuræ gloriæ prænuntia, implebo viscera vestra.

Mundanorum error. A

B

Primevae Ecclesiae filiorum unanimitas.

C

CAPUT X.

Hortatur ad officia misericordiæ.

INduimini filii mei viscera misericordiæ & afflictis compati, & succurrere discite. Hæc est requies mea, ut per vos lassæ manus roborentur, & genua debilia confortentur. Pauperculis & contritis corde tanquam mihi ipsi subvenite: & ego ipse, qui pauper fui in terra, quam dedi filiis hominum, retribuam iis, qui in persona egenorum honoraverunt me. Facite vobis amicos de substantiis vestris, ut recipiant, vos in æterna tabernacula. Si ad mensam meam in amplissimo regno meo cum principibus sedere vultis; ne comedatis buccellam vestram soli: & inopes de velleribus ovium vestrarum calefiant. Benedictio perituri veniat super vos, & oculos viduæ expectare ne sinatis.

Christi requies.

D

Et ego odorabor misericordiam magis, quàm intempestivum sacrificium: & pro misericordiis pauperum respondebit vobis iustitia redemptionis meæ. Attendite voces miserorum quibus emollitur cor meum, & hospitalia, domosque afflictorum, fame, & egestate pereuntium cum muneribus visitate. Væ crudelibus, quorum promptuaria sunt plena, eructantia ex hoc in illud, & è fenestris elaboratis, sine compassionis sensu, prospiciunt nudos, & fame, ac frigore gementes filios meos. Viscera crudelia odivit anima mea. Fugite crudelitatem, & super afflictos flete, & amplectimini pretiosa valde pignora mea. Accurrite velociter, & mittite eleemosynam in sinum pauperis, & ipsa subtilissimis vocibus orabit pro vobis: & reportabit lætum nuntium firmissimæ spei, & cælestis lætitiæ meæ. Beati illi, à quorum conspectu pauperes nunquam desolati recedunt. Beati qui gemitus egenorum nunquam repellunt, nec importunitate vincuntur. Beati qui miserendo delectantur, quoniam mercedem magnam, mensuramque bonam, & confertam, & coagitatam recipient, & cum infinita consolatione intrabunt in æternum gaudium Clementissimi Patris mei.

Misericordia in pauperes commendata.

E

Crudelitas fugienda.

F

CAPUT XI.

Hortatur ad tolerantiam, & remissionem Iniuriarum.

SI vere sapientes, ac beati esse desideratis, filii charissimi, scitote vos fore beatos, cùm homines vobis maledixerint, & exprobraverint, & dixerint omne malum adversum vos, si patienter sustineatis, non reddentes malum pro malo, sed vincentes in bono malum. Hæc est altior mundo eruditio mea, quam docui discipulos meos, factus opprobrium hominum, & postrema abiectio plebis. Hæc est prudentia Justorum sæpè notata in dulcissimo testamento, & Evangelio meo. Cùm enim essem honore infinito dignus (quasi unigenitus à Patre, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus) versus sum in parabolam civitatis regiæ, & sacerdotalis quam dilexi. Veste alba ad contemptum indutus fui, & circumdatus purpureo vestimento, tenens sceptrum, arundinem, & coronam dolore, & irrisione plenam. Descendi ad postremam vilitatem, & abyssi operuerunt me. Quis hîc cognosceret filium Dei Altissimi inter improperia innumerabilia, quæ ceciderunt super me? Scriptum est: Vidimus eum, & non erat ei aspectus, neque decor, unde nec reputavimus eum. Quid hîc dicam de ignominiosa comparatione Barrabæ, cum Dei verbo, per quod facta sunt omnia? Quomodo optimates sanctæ Civitatis præposuerunt hominem seditiosum, latronem, & homicidam Regi, Redemptori, & Deo suo? Sed neque hîc opprobria mea cessaverunt: adhuc enim morienti caput agitantes, insultabant, ut saturatus opprobriis interirem. Et tamen in omni-

Justorum prudentia.

G

Isai. 53. 2. 3.

H

Scriptus An. 1606.

omnibus his irrisionibus, quibus adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, non me ulciscì cogitavi, sed cor mitissimum exhibui, & infiniti amoris ostensione pro irrisoribus sanguinem meum, & supremas intercessionis voces ad Patrem misi. Hoc est exemplar quod imitari debetis, filii, ut injurias patienter feratis, & remittatis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Bibite mecum calicem improperii datum à me vobis in mensura: & opiniones hominum pro nihilo ducite. Quid interest, si vani homines malè de vobis sentiant, aut loquantur? Nunquid propterea delebo vos de libro vitæ, & honoribus æternis expoliabo? Si hominum contemptum mecum hilari vultu feratis, filii mei, nomen vestrum requiretur à generatione in generationem, laudesque vestras suavissimè pronuntiabit Ecclesia. Et ego in regeneratione, cùm venero in Majestate, celebrabo clarissimas victorias vestras.

Exemplar sequendum.

A

CAPUT XII.

B *Monet patientiam internæ desolationis.*

SUper flumina Babylonis, in captivitate dura longè à dulcissima Jerusalem civitate vestra sedetis, filii mei. Quocirca ipsa exilii vestri ratio postulat, ut internas desolationes patiamini, suspirantes ad libertatem filiorum Dei, qui iam lætantur in Ecclesia magna, quæ sursum est. Neque rationi consonum esset, cælestis patriæ privilegia in terræ incolatu habere velle. Propter quod Justi mei, quos ego in charitate perpetua dilexi, quamdiu mortali vita vivunt, alternis consolationibus, & desolationibus exercentur, ut multiplices coronas acquirant. Certè Paulus servus meus non erat semper ut Beniamin adolescentulus in mentis excessu, ut in tertio Cælo audiret arcana verba, & potaretur torrente voluptatis meæ: Sed frequenter mortificabatur tota die, æstimatus sicut ovis occisionis, gravatus supra virtutem, ita ut tæderet eum etiam vivere. Hæc est vicissitudo electorum, qui nunc ascendunt usque ad Cœlos, nunc descendunt usque ad abyssos, & anima eorum desolatione tabescit. Ex quo apparet, quàm malè de me loquantur aliqui servi mei, qui statim ac ariditate vexantur, omnem patientiam abiiciunt, & murmurant adversum me. Nonne omnia tempus habent, & diversum est tempus lætitiæ à tempore luctus? Quem electorum meorum non exercui, ut viderem, an puro corde sequeretur me? Quoties distuli, & probavi David amicum meum, factum ad exemplar cordis mei. Mirabile est servos meos, qui semel gustarunt suavitatem meam, tempore derelictionis non lætari, & exultare in me, memores uberum meorum super vinum. Absit à vobis ô filii, dejectio, & infidelitas hæc, ne sitis è numero illorum qui confitentur mihi tantummodo, cum benefacio eis: sed intima gratitudine, tam desolationem, quam consolationem numerate inter magna beneficia mea, & tam nocte, quàm die cantate inæstimabiles misericordias meas. Ego novi quid expediat vobis: nunc vos reficiam ad duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmas in Elim, nunc inter deserti arenas vos sitire patiar, ut quæratis, & diligatis me. Probabo vos filios meos, & examinabo, sicut examinatur argentum, ex quo formantur vasa electionis ad ministerium templi mei. Et postquam vos modico tempore probavero, recordabor vestri, miserans adolescentiam vestram, & laudans fidem & charitatem desponsationis vestræ: quia fidelissimè secuti estis me in deserto ariditatis in terra, quæ non seminatur.

Ecclesia magna ubi sita.

Pauli raptus ad cœlum.

C

Omnia tempus habent.

D

E

Vasa electionis ex argento.

CAPUT XIII.

Docet motus diversos naturæ, & gratiæ.

COnsiderate vos ipsos, filii mei, qui quasi Rebecca, duos populos bellantes in utero uno portatis: ut animales affectus spiritui subiicientes vocemini, & sitis pacifici filii Dei. Natura quærit exaltari, & ambulare, sicut vanæ filiæ Sion extento collo ad ostensionem vanitatis suæ. Gratia quærit humiliari sub potenti manu Dei, & hominibus vilis apparere. Natura cupit divitias, & commoditates, ut inveniat consolationem. Gratia cupit inopiam & incommoda, renuens in hoc mundo consolari. Natura quærit occasiones vane, & superflue loquendi, ut hominibus placeat. Gratia quærit occasiones tacendi, ut soli Deo probetur. Natura desiderat familiaritatem, & conversationem hominum. Gratia desiderat solitudinem, & absconditam communicationem meam. Natura optat curiosa, & nova semper scire, ac invenire. Gratia optat simplicem, & castam eruditionem meam. Natura appetit dulcia, & lauta convivia. Gratia requirit vilia pauperum alimenta. Natura cupit diù vivere: Gratia putat lucrum, citò mori. Natura odit psalmodiam, vigiliam, & orationem: Gratia lætatur Ecclesiæ cantu, nocturnis suspiriis, & orationibus. Ecce filii, quàm longè discrepant natura & gratia. Certè sicut exaltantur Cæli à terra, sic exaltantur viæ meæ à viis vestris. Vos ergo, si desideratis eò ascendere, quò ascendit divina gratia mea, ut fons aquæ salientis in vitam æternam, motus naturæ corruptæ reprimite & legem spiritus mei purissimo corde servate. Exercete gladium spiritus, quod est verbum Dei, & animales affectus viriliter resecate. Estote, filii, columbæ deargentatæ, cujus præmia posteriore tempore ventura sunt in pallore auri, quo gratiæ merita in regno meo remunerantur. Recedite ab ædificatoribus Babel, cujus culmen nunquam pertinget in Cælum. Ego enim descendam, ut videam civitatem & turrim, quam ædificant filii Adam naturæ motibus incitati, & confundam linguas, & cogitationes eorum oppositas manluetudini meæ. Vacate potiùs & sine strepitu malleorum ædificate taciti ruinas Jerusalem, quas per gratiam meam im-

Duos populos in utero Rebeccae.

F

Naturae, & gratiae diversi affectus.

G

Gratiae, & naturæ discrimen.

H

Confusio linguarum.

'Scriptus An. 1606.

implere desidero. Discernite in vobis ipsis, quid gratia suggerat contra naturam, quasi exploratores vigiles in turri Libani, quæ respicit contra Damascum, Urbem inimicam almæ Civitatis meæ. Et ego vos in-
A struam invicta fortitudine militiæ meæ, & habebo inter dulcissimos filios meos.

CAPUT XIV.

Monet studium, & amorem Sacræ Scripturæ.

DOleo vicem sapientum mundi, ô filii mei, quia tanquam multa febre phre-
Sitis sciendi. netici, ut sitim sciendi expleant, plurimas hominum doctrinas cum labore, & anxietate discunt, & sanctos, castosque libros meos solatio habere nolunt. Colunt terram sterilem, spinas, & tribulos germinantem, unde alienatio mentis, & stimuli conscientiæ nascuntur, & paradisum Eden, ubi crescit arbor scientiæ boni, & mali, &
B lignum vitæ consurgit, suavissima cultura operari, & custodire non curant. Quid sibi vult amentia hæc? Quid quærunt imitatores Cain profugi, & vagi in terra aliena? Currunt, atque discurrunt, per humanas disciplinas, & evolvunt multa volumina, in quibus nulla fit mentio mei, quasi non audierint Jesum Christum Dei
Jesus Christus Dei virtus, & sapientia. virtutem, & sapientiam esse, & Scriptura Sancta spiritum vitæ contineri. Mirum est hoc, homines Christianos, qui noverunt, ubi sapientia inveniatur, & quis sit locus intelligentiæ, scholam meam deserere, quam Reges, & Prophetæ cupierunt. Vos autem filii, qui de spiritu vitali meo vivere, & tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum; fructum in tempore suo reddere desideratis, miti corde legite, & meditamini
C fidelia testimonia mea; quorum declaratio intellectum dat parvulis, & simplicibus, cum quibus est secreta sermocinatio mea. Quærite suppliciter, & invenietis: pulsate constanter, & aperietur vobis sensus, ad ca-
Eloquia Christi melle dulciora. pienda melle dulciora, & mundo altiora eloquia mea. Postulate in fide, nihil hæsitantes de infinita bonitate, & suavitate mea. Clamate ad me, & exaudiam vos, & ostendam vobis grandia, & firma, quæ ignoratis; replebitque scientia mea pectora vestra: Et apparebit vobis formosissima lux è Cælo, qua suspendemini admirantes altissimam sapientiam castitate, & simplicitate sermonis mei velatam, ut mundis corde, & humilibus reveletur. Ingrediemini in absconditos sensus spiritus mei, qui scrutatur profunda Dei: & egredemini pinguiores, quam antea, à pascuis dulcissimæ sapientiæ, quam è puteo alto mei cordis haurietis.
D

CAPUT XV.

Hortatur ad quærendum magistrum vitæ spiritualis.

NE innitamini prudentiæ vestræ, filii, quamvis multa didiceritis: Sed imitamini sponsam meam innixam super dilectum suum. Multos seduxit nimia æstimatio sui, ita ut altum saperent, nec dignarentur senum, & expertorum judicium sequi. Justi verò, & mites corde, nihil sibi fidentes, multa sollicitudine quærunt magistros, E
non prurientes auribus, sed qui vel corripiant, & increpent in misericordia, vel instruant in spiritu lenitatis, juxta regulas absconditæ sapientiæ meæ, quam omnes de se præsumentes ignorant. Propter hoc filii, qui erratis ab utero, ne placeatis vobis ipsis in ea scientia, quam in scholis fortasse comparastis: sed statim, ac mihi servire incipitis, existimate vos indigere, ut doceamini, quæ sint prima elementa exordii sermonum Dei: Adae ignorantia. & in hac sententia perseverate. Opinentur alii quod volent, & se sapientes esse confidant; Vos autem propriæ cognitioni studentes recordamini patris vestri primi Adam, qui cùm in honore esset, non intellexit, & ad secundum Adam, qui est Dei virtus, & sapientia, humiliter recurrite. Et ego F
per servos meos, quos illuminavi splendore sapientiæ meæ, docebo vos viam prudentiæ, ut super omnes mundi doctores intelligatis. Ostendam vobis, ubi cubem in meridie: ne vagemini post greges sodalium meorum, qui personam meam fingunt, sed non mores meos repræsentant. Deducam vos per vias rectas, & à longè ostendam vobis regnum Altissimi Patris mei: ut sciatis à viæ principio, quo dirigenda sint primogenita desideria vestra. Non relinquam hominem Lex fidelitas Christi quae. docere vobis, sub salutari umbra alarum mearum, per desertum vitæ mortalis ambulantibus: & ero vobis me ductorem sequentibus, sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Hæc est lex fidelitatis meæ, ut nunquam deseram humiles corde, qui voluntatem meam de servorum meorum ore requirunt, & eo G
ipso, quod sibi diffidentes alieno judicio subduntur, faciliùs, & breviùs eos ad perfectionem Christianam inæstimabili lucro, & intima consolatione perducam. Hinc igitur instructionem meam, filii, studiosissimè arripite, & suavissimæ disciplinæ meæ honestatem, & securitatem amate.

CAPUT XVI.

Ostendit discrimen vitæ Justorum & impiorum.

Justorum tribulationes.

EGO quos amo, castigo, & tanquàm aurum in fornace tribulationis probo. Vasa enim electionis sunt, quæ igne examinantur. Respicite servos meos, quibus dedi potum in lachrymis in mensura, & videbitis H
illos novissimos tanquam morti destinatos, è quibus alii ludibria, & verbera experti, alii vincula, & carceres passi, alii per medium secti, & in occisione gladii mortui sunt. Alii fugientes de civitate in civitatem, alii in solitudinibus errantes, alii in maris insulis absconditi; ostenderunt se peregrinos esse

Scriptus An. 1606.

esse super terram, ut hæreditatem filiorum Dei in Cœlo possiderent. Quòd si ego interdum non reliqui virgam peccatorum super sortem justorum, ne electi mei tribulationis magnitudine superati extenderent ad iniquitatem manus suas; non ideò putare debetis, me nolle electos meos laboribus, &
A angustiis exerceri. Stulta enim cogitatio est hæc: neque decet infinitam bonitatem meam servos meos dilectissimos tot coronis privare, & gloriam meam diminuere. Certè quò chariores mihi sunt, eò gravius eos tentari permitto, & velut iratus repello, sicut repuli Israel servum meum, semen Abraham amici mei. Quod adeò verum est, ut non solùm eos tentari sinam, sed & ego tentem eos, ut virtus tentata resplendeat & respondeat victoribus meis cras justitia mea. Hæc est nota justorum: ut ducant vitam amaritudine plenam, & inebrientur absynthio, qui bibituri sunt vinum dulcissimum in regno Patris mei. Peccatorum verò vita contraria est. Ipsi enim, quorum spes in terra posita est, in labore justorum hominum non sunt, & cum hominibus piis non flagellantur. Non
B est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor dolentium in domibus eorum. Oves eorum fœtosæ abundantes in partubus suis: boves eorum crassæ. Omnia eis ad nutum succedere videntur, & vana lætitia filii eorum exultant. Hæc est pars impiorum, qui servantur ad pœnam. Hæc sunt vasa iræ apta ad interitum, quæ sustineo in multa patientia: ut ostendam divitias gloriæ meæ, in vasa misericordiæ, quæ pater meus præparavit in gloriam. Propter quod moneo vos filii mei, ut gloriemini in tribulationibus, tanquam in salutis æternæ signis, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia verò spem, spes autem adoptionis filiorum Dei non confundit, sed exhilarat conscientiam, & generat for-
C titudinem ad viam mandatorum, cum exultatione currendam. Currite ergo filii per dolores, & sudores: ut labores manuum vestrarum suavissimo sapore plenos in regnò meo manducetis.

Israelis exemplum.

Impiorum pars.

CAPUT XVII.

Describit mortem justi.

ECce quomodo moritur justus, & nemo considerat, cùm consideratio & suavis valde, & ad convertendas animas efficax sit. Certè justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, non solùm postquam intraverit in gaudium Domini sui, sed etiam in ipso transitu mortis, quæ est ultima rerum terribilium. Cum enim ipse mortem benè vivendo superaverit, non tanget illum tormentum mortis, licet videatur oculis insipientium mori. Tunc quippè, postquàm hyems transiit, imber abiit, & recessit, ver novum æternæ consolationis incipit apparere, & dum auditui ejus, per bonum nuntium, ego do gaudium, & lætitiam, exultant ossa
D tamdiu humiliata, & vehementer concupiscit in atria mea. Tunc videt, quàm bona fuerit negotiatio ejus, & lætatur super bona opera sua, sicut qui invenit spolia multa. Tunc sentit, quàm vera fuerit vox, quam audivit Joannes servus meus de Cœlo dicentem sibi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: & ex intimis medullis exultat cum iis, qui ad cœnam Agni vocati sunt. Tunc animæ laboribus, & tentationibus probatæ, atque repulsæ loquor ad cor dulcissime, & amantissime dicens: Surge, propera, amica mea columba mea, & veni. Jam satis pugnatum est in terra inimicorum: Veni, jam coronaberis, & possidebis, quem diu desiderasti. De torrente laborum bibisti in via: propterea exaltabis caput, & omnem terram solidissimam, quam conspicies, tibi dabo. Modicùm laborasti, atque flevisti: in æternum requiescès, atque ridebis. Jam transierunt nubila vitæ laboriosæ, atque sollicitæ, respice serenitatem Cæli, & candidissimam lucem apparentem tibi. Ne formides à facie inimicorum obsidentium te, quia ego tecum sum, ut liberem à tauris pinguibus sponsam meam. Egredere jam de carcere corporis, ubi tam diù inclusa fuisti, ut fruaris pretiosissima libertate civitatis meæ. Veni vestieris purpura, & byssо, filia Sion, quæ prudentiam justorum didicisti & omnem ornatum sæculi contempsisti propter me. Diligo te, sponsa sicut animam meam: ne timeas, quia ab æterno amavi, & elegi te. Veni dulcissima electa mea, & ponam in te regium thronum, & delitiosissimum reclinatorium meum; concupivi enim ego Rex Pacificus suavissimum decorem tuum. In hunc modum, filii mei, recipio in pace venientem de militia animam Justi, quasi charissimam prædam meam. Cogitate vos hujus consolationis magnitudinem, & per bona opera vitæ, ad bonam, & beatam mortem properate. Omnes, quantumvis peccatores, G bene mori vellent (sicut infœlix Balaam) dicentes: Moriatur anima mea morte Justorum, & fiant novissima mea horum similia. Sed non erit bene in extremis iis, qui optant extrema justorum, & non curant observare principia. Sequimini me, dum vivitis, ut fidelissimus adjutor in opportunitatibus, visitabo.

Apocal. 14. 13. E

Modico labori aeterna requies.

F

Sponsa ab eterno electa.

Balaam.

Mors justi descripta.

CAPUT XVIII.

Describit mortem peccatoris

EXistimant homines peccatores, me peregre profectum nunquam rediturum, ut ponam rationem cum eis. Stulta nimis est persuasio hæc, cum statutum sit omnibus hominibus semel mori. Citò veniam reddere unicuique secundum opera ejus: & sicut nullum opus pietatis sine præmio relinquam ita nihil impietatis inultum remanebit. Veniet nox, in qua nemo potest operari, quando iubebo ministris meis, ut servum nequam, crudelem in conservos suos, & ingratum innu-

H

Statutum omnibus hominibus semel mori.

Crudelitatis supplicium.

Scriptus An. 1606.

innumerabilibus misericordiis meis, mittant in tenebras exteriores. Væ impio in malum. Væ horæ illi extremæ, in qua peccatoris anima adultera in umbram mortis, & horrorem sempiternum præcipitabitur. Erat in terra defixa, ubi capiebat prohibita solatia sua, immemor angustiæ superventuræ: & avellitur de tabernaculo suo fiducia ejus, & calcat super eam, quasi rex, interitus. Tunc dicit illi cor suum immenso pondere iniquitatis oppressum: Vide quia malum, & amarum est, reliquisse te Deum tuum, & non fuisse timorem ejus apud te. Iam non superest locus pœnitentiæ & peccata tua, terroresque Dei militant contra te. Quid profuit tibi iactantia, & color mundanæ gloriæ quam quæsisti? Ecce omnis voluptas tua in amaritudinem versa est; & devorat pulchritudinem cutis tuæ primogenita peccati mors. Respice canes multos latrantes, & rabie incitatos, qui te circumstant, ut te prædam suam inferorum faucibus detrudant. Hæc, & similia suggerit cor hominis injusti male morientis: qui antequàm expiret, cruciatum inferni in ipso lecto præsentit. Et ego æquissimus Judex impio morienti sic respondeo: Stulte egisti infælix homo, cùm recessisti à me. Multiplicasti delicta, quasi nunquam moriturus: nemo nunc eripiet te de manu mea. Quando videbas furem, & currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas: quando os tuum adversus innocentes abundabat malitia, & lingua tua concinnabat dolos, ego patienter sustinebam, ut te longanimitate mea ad pœnitentiam provocarem. Tu verò odisti disciplinam meam, & proiecisti sermones & inspirationes meas retrorsum: & secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizasti tibi iram in diem iræ, & iusti iudicii mei. Recurre nunc in angustia mortis ad Deos tuos, in quibus habebas fiduciam. Surgant, & opitulentur tibi, & in necessitate te protegant. Hoc est judicium, & sors hominis extra gratiam meam morientis, qui sua impietate constringitur, & damnatur. Quocirca qui habet aures audiendi audiat, & tanquam reus ingemiscat, ut me quasi iudicem in vita sustinens, in agone mortis quasi clementissimum patrem inveniat.

A

Mors primogenita peccati.

B

Recedere a Deo stultitia.

C

Extra gratiam morientis judicium.

CAPUT XIX.

Hortatur Jesus Christus ad considerationem vitæ suæ.

DEsolatione desolata est omnis terra, ô filii, quia nullus est, qui recogitet corde, & consideret opera mea, quibus saxa moventur. Certe Christiani omnes totius vitæ meæ exempla deberent attentè meditari; ut prudentiam iustorum ediscerent, & viam civitatis supernæ invenirent in loco horroris, & vastæ solitudinis. Sed præter paucos absconditos, & abiectos servos meos, qui in toto corde suo exquirunt me; vix invenitur qui delectetur consideratione vitæ, & operum meorum; in quibus lucet candidissima lux sapientiæ, & dulcissima misericordia mea. Illi verò pauci servi mei, quibus dulcescit meditatio mea, sive pueri, sive iuvenes, sive senes sint, enituntur providere me semper in conspectu suo, ut faciant omnia opera sua secundum exemplar, quod in monte perfectionis eis monstratum est. Audierunt decrevisse æternum Patrem meum, electos suos, quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini filii sui, ut sim ego primogenitus in multis fratribus, & tota fortitudine sua conantur honestissimam formam meam imprimere visceribus suis. Beati certè sunt hi amici mei, qui non sola consideratione, sed imitatione quoque in seipsis repræsentant innocentissimam vitam meam. Propter quod, filii mei, estote sapientes, & hunc librum vitæ statis horis legite, atque relegite. Hæc sit perennis exercitatio vestra omnibus doctrinis altior, & omni thesauro pretiosior, quæ ad omnem eventum confirmabit humilia, & casta corda vestra. Legant alii curiosas, vel vanas terrenorum regum historias, è quibus occasionem suæ vanitatis, & damnationis eliciunt: Vos vero avidissime studeatis historiæ meæ, quæ mites animos, & æternæ salutis desideria creat. Et ego pijs affectibus vestris misericorditer respondebo, & extincto mundi desiderio traham vos in funiculis humanitatis meæ, ut dum visibiliter me cognoscitis, præsentissimo auxilio meo in rerum invisibilium amorem rapiamini: & de suavissima consideratione vitæ meæ in divinitatis notitiam, ubi fons æternæ consolationis manat, ascendatis.

D

Meditatio Christianorum.

E

Christus primogenitus inter fratres.

F

Justorum studium.

CAPUT XX.

Monet contemplationem divinarum perfectionum.

BEati mundo corde, quoniam ipsi in cælesti patria Deum clarè videbunt, & in vita quoque mortali formosa valde luce mea illustrabuntur, ut quod maius omnibus est, purgato mentis oculo cognoscant. Hæc est pars magna sapientiæ iustorum, qui respuentes omnem mundi sollicitudinem, inæstimabili suavitate spectacula æterna, & invisibilia contemplantur, ut ad infinitam bonitatem, ac pulchritudinem meam bene affecti, omnem gloriam hominum despiciant, & ex toto corde me diligant. Hæc est prudentia, quam fortissimi milites mei, abnegatione sui, & elevatione mentis supra omne, quod videri potest, compararunt. Hic est thesaurus absconditus, quem qui invenit homo, vadit, & præ gaudio illius vendit omnia, quæ habet, donatque pauperibus, & promptissima voluntate sequitur me. Propter quod, filii mei, si desideratis cognoscere & me, & clementissimum Patrem meum, abiicite curas alias, & à finibus Tyri, & Sidonis, ubi auditur strepitus negotiatorum mundi, ad montem Vilionis citò recedite. Scitote, quia non habitat bonum in carne vestra; & proinde

G

Eorumque sapientia.

H

Bonum in carne non habitat.

Scriptus An. 1606.

ab ea quoque discedite, & sensuum officia parce permittite: ut ad verticem Phasga erectione cordis ascendentes, exploretis à longe terram æternæ promissionis, ubi gustatur fructus paradisi mei. Surgite super vos ipsos, & quantum fert humana fragilitas, oculos mentis in candore lucis æternæ fi-
A gite. Contemplamini infinitam Maiestatem, & suavissimam pulchritudinem formæ Dei, quam, postquàm probati fueritis, visuri estis. Aperite penetralia cordis, & viscera vestra ad potum aquæ purissimæ, è fonte vivo manantis, dilatate. Ego vos in summitate Horeb erudiam, & per intervalla fessos recreabo: ut discatis, quia melior est dies una, vel etiam hora una in atriis meis super millia. Ardebunt coram me corda vestra quasi lampades ignis, atque flammarum, & fortissimus amor meus vincet fragilitatem vestram. Scio quia (ut olim Jacob servus meus
Jacob, Israel appellatus. cui fuit nomen Israel) strictissimo amplexu tenebitis me, neque recedetis, donec dulcissima benedictione mea roboremini. Huc filii mei, per labores, & agones aspirate, &
B extensis brachiis desideriorum ad suavissimæ Sionis altitudinem per arctam viam ascendite.

CAPUT XXI.

Hortatur ad pacem cordis quærendam.

BEati pacifici, quoniam dulcissimo nomine, & inestimabili consolatione filii Dei vocabuntur: neque vane vocabuntur, quia per adoptionem infinita consolatione plenam tales erunt. Omnia in eis pacifica sunt: quia & anima, & corpus convenerunt in unum, & omnia pro captu suo sitiunt ad Deum fontem vivum. Hæc est pax
C pretiosissima, quam dedi, & fidelissimo testamento reliqui discipulis meis, quos mundus odit, & tanquam hostes suos persequutus est. Hæc est pax, qua electi mei gaudent in cælo, & pauci aliquot in terra, quia
Pax a Christo discipulis relicta. conversatio eorum in Cælis est, & thesauros suos in cælo condiderunt. Pax hæc tam longè est à filiis hujus sæculi, quam longè est à peccatoribus salus. Non enim est pax impiis, quamvis illam sollicite requirant, dum illicita desideria sua explere conantur. Pax vera Justorum privilegium est; quia
Pax justorum privilegium. unice diligunt immaculatam legem meam, & non est illis scandalum. Ego Rex Pacificus, cui tributa reddunt omnia corda nobilia in Cælo, & in terra, auctor sum pacis hujus, quam mundus non cognovit. Abyssus sæculi dicit, Non est in me, & mare negotiorum mundi loquitur, non est
D mecum. Perditio inferni, & mors dixerunt, Auribus nostris audivimus famam ejus. Certè beati sunt, qui pace mea fruuntur, quæ superat omnem sensum, & omnes mundi honores, divitias & voluptates. Vos ergo filii, inquirite pacem hanc, & persequimini eam: contemnite omnes thesauros regum terrenorum, & omnes negotiationes filiorum Agar, ut ad eam pervenire possitis. Humilitatem, & mansuetudinem meam discite, ne perturbemini variis eventibus rerum, & ego qui humilia corda nunquam despexi, postquam vos probavero, ita, ut navis vestra pene mergatur fluctibus, imperabo ventis passionum, & tentationum, ut
Humilia corda non despecta. requiescant, & fiet tranquillitas adeò magna, ut admiremini dicentes: Quàm bonus
E & potens est Altissimi filius, quia mare, & venti obediunt ei? Si vestra non curetis, sed in me omnem sollicitudinem projiciatis, dabo vobis dilectis meis somnum cum vigilia cordis bene cohærentem: ut inter mundanas varietates secure quiescatis, habentes ibi fixa corda, ubi vera sunt gaudia. Diligite me totis visceribus, & præter me neque vitam, neque mortem, neque hono-
Deus super omnia diligendus: rem, neque infamiam æstimate, & orietur intra vos justitia, & abundantia pacis, donec à sua varietate auferatur luna. Hæc est hæreditas filiorum Dei. Hæ sunt opes regum, qui mecum sine fine regnaturi sunt,
F quas præparavi humillimis, & mansuetissimis electis meis in sancta Civitate mea.

CAPUT XXII.

Hortatur ad gratiam humiliter occultandam.

FIlii, fugite vanam ostentationem gratiæ meæ, neque narretis cum jactantia, quasi gratias agentes, quod jejunetis bis in sabbato, & opera bona faciatis. Væ illis, qui
Fugienda jactantia. pleni sunt sermonibus, quos coarctat spiritus uteri sui: quorum venter est quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. Hæ Virgines fatuæ non diu habebunt oleum devotionis, & spiritualis lætitiæ in vasis cordium, secretum meum custodire nolentium. Melius consilium est,
G gratiam meam humilitatis pallio tegere, & in abscondito lætari mecum in secreta voce exultationis, & confessionis, qua conservatur, & crescit misericordia mea. Cavete
Atque singularitas. singularitatem, qui simul vivitis, & communes actus, sine affectatione, & signis novitatis frequentate. Estote unanimes in domo mea, quæ similitudine actuum exteriorum, & æqualitate decoratur. Castra Dei sunt hæc, & tentoria Israel pulchra, & ordinata: ne prætereatis ordinem, ut præ aliis appareatis. Certè si ambulaveritis in magnis, & in mirabilibus super vos; sicut puer ablactatus jacet tristis in genibus matris suæ, sic & vos privati dulcissimo lacte devotionis, decumbetis in gremio Ecclesiæ genitricis vestræ, ac sponsæ meæ. Hæc est enim
Vanae singularique ostentationis retributio. justa retributio vanæ, & singularis ostentationis eorum, qui conservare nesciunt suavissimum manna meum. Intelligite, quæ dico filii, ne fiant corda vestra, sicut uter in
H pruina, qui humore siccato, gelu constringitur, & efficiamini inepti ad requirendam faciem meam. Beatus vir, qui semper est pavidus, etiam cum abundat consolatione mea: ipse enim per gratiam meam augebit

in-

Scriptus An. 1606.

incrementa frugum justitiæ, & lætitiæ, quæ bonæ conscientiæ testimonium est. Filii, in terra inimicorum, & latronum habitatis; ne portetis thesauros publicè in via; sed studiosissimè abscondite illos, & coram solo Patre meo merita vestra multiplicate. Et clementissimus Pater meus, qui videt in abscondito, reddet vobis coronas immortales infinita consolatione plenas: quæ æstimatione mea omnem mundi gloriam, & opulentiam superabunt. Hæc sit prudentia vestra, qua mundi sapientes seducatis, ut seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & mihi cogniti: sicut nihil habentes, & in sacrario cordis clauso omne bonum possidentes, & gratia mea pleni ad beatissimam lucem gloriæ festinantes.

Humilitatis præmium.
A

CAPUT XXIII.

Ostendit in nullo bono esse gloriandum.

B
COnsiderate, filii misericordias meas, quæ confitentur mihi, & mirabilia mea quæ feci filiis hominum. Omne donum quantumvis parvum, aut magnum, de sursum est, descendens à Patre luminum, qui gratis vocavit vos in admirabile lumen suum. Non enim vos priùs dilexisti eum; sed ipse prior amore fidelissimo dilexit vos, & cælesti gratia sua prævenit vos, & circumcidit præputium cordis vestri, ut diligeretis eum totis affectibus, & viribus. Et ego Unigenitus filius ejus dedi vobis potestatem filios Dei pretiosissima adoptione fieri, non expectans à vobis præveniri. Non enim vos me elegistis, sed ego gratuitò elegi vos, ante mundi constitutionem, ut essetis sancti, & immaculati, consortes infinitæ Justitiæ, & puritatis meæ. Gratia mea estis quicquid estis, & nihil habetis, quod à dulcissimo Deo fratre, & amico vestro non acceperitis, & per me habetis accessum ad æternum Patrem meum: à quo omnis paternitas in Cælo, & in terra nominatur, & omnis pius affectus originem trahit. Per me non ardetis jam igne sempiterno, quem meruistis; & per me habetis spem incedentem usque ad interiora Dei, quam ego impressi visceribus vestris. Per me à gratia, in qua statis, non excidistis; & versa non est in luctum inæstimabilis lætitia vestra. Cum ergo sine me nihil possitis facere, & ne unam piam cogitationem habere valeatis: cavete ne bonis operibus, quæ ex gratia mea facitis, exaltemini, & vane vobis tribuatis altissimam gloriam meam. Cogitate, quid de se senserint chariſſimi amici mei, quorum memoria glorificor, & delector. Certe Abraham servus meus, cui peculiarius amicitiæ signum dedi, vix de se aliud æstimavit, quam quod esset pulvis & cinis. David verò electus meus ex humili loco vocatus, parvulus fuit in oculis suis: neque unquam sibi tribuit misericordias meas, quas in organis lætitiæ die, nocteque cantavit. Ne furemini laudem meam: sed laudis hostias super altaria cordium in simplicitate multa sacrificate. Agnoscite, quid ex vobis sitis, filii Adæ, & adoptionem filiorum Dei castis oculis, & puris manibus celebrate. Et placebit mihi sacrificium laudis, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, quando pauci illi famosi amici mei toto corde quæsierunt faciem meam, & recensebo vos inter majores natu electissimi populi mei. *Malach. 3. 4.*

Omne bonum desursum est,

C
Omnis paternitas a Deo.

Abraham.

D
David.

E

CAPUT XXIV.

Docet vitam hanc esse Justorum exilium.

F
EX quo peccavit Adam pater vester, filii charissimi; & male usus est amœnissimo paradiso, in quo posui eum, ut operaretur, & custodiret illum, cœpit ipse cum filiis suis exul esse, & in regionem longinquam proficisci. Sed regionem hanc laboribus, & angustiis plenam, peccatores quasi patriam suam diligunt, & corda sua terræ affigentes, requiem, & diuturnam habitationem in exilio requirunt. Justi verò, & electi mei, scientes se in terra aliena, ob peccati pœnam, habitare, multis lachrymis, & suspiriis lamentanter adversam sortem suam, & organa lætitiæ è salicibus Babylonis suspendentes, nullam consolationem admittunt. Sunt similes Joseph servo meo, quando descendit in Ægyptum, & amico meo Jacob, quando fuit accola in terra Cham. Barbara, & inhumana est generatio Adæ justis meis, quorum lingua quasi peregrina in mundo non intelligitur. Exercentur dura servitute tanquam homines nati ad laborem: neque calicem aquæ frigidæ gratis inveniunt. Vultus & habitus, & mores longè diversi sunt à filiis hujus sæculi sponte in terra viventibus, qui servitute delectantur. Propter quod ingemiscunt gravati, dolentes maxime, quia incolatus nimis prolongatus est. Clamant ad me quotidie, quasi pulli corvorum, vagantes, eò quod non habeant cibos, & sicut mercenarii expectantes finem operis sui. Expectant lucem, & non vident, neque ortum surgentis auroræ, eò quòd sæculi noctem tenebrosus turbo possidet, ut diutiùs exerceantur, & considerent, quàm infælix sit conditio derelinquentium me, & suspirent ad dulcissimam patriam, & charissimam libertatem suam. Beati qui se exules esse cognoscunt, & magnificas domos in terra non sua ædificare nolunt: quia cælestem sapientiam hanc ad discernendum, & judicandum caro & sanguis non revelavit eis, sed Altissimus Pater meus, & suus, qui in cælis est. Non adhærebit terræ cor illorum, neque spem suam in principibus ponent. In curribus, & equis non confident: neque dicent obrizo, fiducia mea es. Non erunt tributarii Pharaonis, neque solatia parum casta sequentur. Vos igitur, filii, hæc attendentes futuram inquirite Civitatem, & Chananæorum regum consortia, atque palatia diligentissime vitate. Operi quippe, & labori vestro merces magna reposita est.

Justorum exilium.

Joseph & Jacob.

G

H

Scriptus An. 1606.

CAPUT XXV.

Hortatur ad fervens desiderium summi boni.

A OMnia sub sole transeunt, charissimi filii, & cor hominis infiniti boni capax sedare non possunt. Solus ego, qui sum ipsum bonum infinitum, cor hominis explere valeo, quod per divinam fidem meam didicistis. Deus summus bonus. Experientia quoque sollicitudinis, quam patimini, convincit vos: quia nunquam cor vestrum in quantalibet affluentia dicit, satis est: quamvis omnia mundi bona utilia, & honorifica, & delectabilia possideatis. Attendite reges terræ semper inquietos, & meliora bona sollicite quærentes, & audite iam disciplinam meam, Rex erat fidelissimus servus meus David, & oblitus regni sui, *Psal. 41. 2.* ardentissime canebat: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Neque unquam sitis illa sedata est, donec operatus sum salutem in medio terræ, & in candidissima luce gloriæ palam apparui ei. Quod ille bene novit, quando firmissima spe lætus

B cantavit, Satiabor, cùm apparuerit gloria *Psal. 16, 15.* tua. Quid ergo quæritis filii? Quò tenditis per varia desideria? Audi Israel dulcissima verba vitæ: dirige ad me vota tua, & dilata os tuum, & implebo illud. Aperite mihi sinus intimos, & latebras viscerum vestrorum: & aperiam ego vobis venam fontis vivi, ut sine tædio satiemini. Ne suscipiatis fictam mundi redemptionem, ut meliorem, quam ego promisi vobis, inveniatis resurrectionem. Ne quæratis in lectulo humanæ commoditatis, quem diligit anima vestra: Sed surgite velociter, & ferventissimis desideriis, atque gemitibus ad fertilissimam regionem vivorum suspirate. Estote viri Fortitudo commendata. fortes, & coadunatis animæ viribus ad serenissimam faciem meam, & ad castissimos amplexus meos fortissime properate. Nunquid non est æquum, ut abiectis curis aliis

G anima vestra desideret me in nocte, & spiritu vestro in præcordiis vestris sollicitudine amoris anhelantibus, de mane vigiletis ad me, ut saturemini fruitione infinitæ bonitatis, & decoris mei? Ascendite non passibus, sed igneis affectibus ad conspectum dulcissimæ pulchritudinis meæ, qua tota civitas primogenitorum exilaratur, & validissime concupiscite suavissimam formam Dei. Filii Sion electi, erigite sursum corda; & Regem vestrum Salomonem in omni gloria sua decore coronatum, cujus vultum filiæ Tyri in muneribus deprecantur, flagrantissime desiderate, legem membrorum adversantem Membrorum lex mentis legi adversa. legi mentis amando vincite, & supergredientes omne, quod creatum est, in pulchritudinem increatam, & lucem formosissimam deficite. Et respondebo ego purissimis affectibus vestris, & odorabor odorem suavitatis ascendentem ex ara cordis vestri, in ampliss

D imis atriis domus Domini, in medio triumphantis, & super mel dulcissimæ Jerusalem.

PARS QUARTA,

E

Quæ continet alia monita communia, & alia ad status diversos pertinentia.

CAPUT I.

Monet Jesus Christus omnia oblivioni tradere, ut sola Dei memoria remaneat.

BEati, qui scrutantur attentissime testimonia clementissimi Patris mei: & in toto corde exquirunt eum; Sepositis enim negotiis aliis, quæ charitas, vel iustitia, vel obedientia non requirit, in lege dulcissimi, & æterni testamenti mei meditantur dies ac noctes: & spirituales hostias pacificas semper mihi puro corde sacrificant. Cor eorum, & cogitatio apud altissimum, in cuius conspectu, per vigiliam charitatis, iugiter versantur: & timent ab eo separari sicut mors timeri solet. Cognoverunt enim, quia vita in voluntate ejus, & ira in indignatione ejus: & propterea per dies, atque noctes studiosissime cogitant, quomodo possint placere illi: & diligentissime vitant, quicquid oculos tantæ Majestatis offendit. In iustificationibus ejus meditantur, neque unquam obliviscuntur

F Assidua meditatio commendata.

sermones ejus. Ego sapientia unà cum Patre Christus sapientia. meo cuncta componens, & ducens, unamquamque creaturam ad terminos suos, dilexi vos Adæ filios, & de unoquoque singulatim cogitavi, stans super cuiusque custodiam, ac si cæterorum oblita illi soli intendere velim. Et dum assumpsi naturam hominis, omnia opera mea, passionem, ac mortem meam ad unumquemque direxi, ut in Ecclesia magna quilibet per me redemptus cantet omnes fideles, & antiquas misericordias meas. Totus ego Rex Pacificus, non ex operibus iustitiæ, quæ feciste vos, sed secundum suavissimam bonitatem, & clementiam meam, factus sum singulis vestrum, quasi nutrix fovens filios suos: neque sollicitum pro vobis cor meum à singulorum cura, aliorum cura divertit. Si ergo ego tam intentus singulis sum, cùm bonorum vestrorum non egeam, & vos debetis totis visceribus mihi præcordia vestra consecrare, me semper meditari, atque diligere; cùm sine me nihil esse, aut operari valeatis. Expandite manus, & viscera vestra ad me, cùm sit anima vestra sicut terra sine aqua mihi, H & ego fœcundabo illam, ut lætetur gemellis amoris fœtibus, & sterilitas recedat ab ea. Nihil ei, dum mihi vacat, deesse poterit: dabo illi regiones gentium, & labores popu-

Scriptus An. 1606.

populorum sine labore possidebit, ut custodiat iustificationes meas; & legem meam plenam dulcedine, & dilectione requirat. Certe sancti mei, qui omnia detrimentum fecerunt, ut me lucrifacerent, summo studio divinam præsentiam ante negotia, & lucra omnia ponere, & servare curarunt; & hoc uno negotio tranquillissimo, quasi patrimonio suo, intime lætati sunt: & exultarunt sicut exultare solent in virentibus pratis agni ovium. Filii concupiscite solum decorem meum, & memoriam mei, omnium bonorum matrem, quasi aurum purissimum custodite: & ego vos in omni adversitate fidelissime custodiam.

Sanctorum laetitia.

A

CAPUT II.

Conqueritur de oblivione Dei.

QUid est, quod dilectus populus meus in domo mea fecit scelera multa, & oblitus est mei, quasi ego morte ignominiosa, & dolore plena non redemissem eum? Ego nihil prætermisi, quod ad salutem, & consolationem populi Christiani pertineret. Illi enim destinavi supremas misericordias meas; quibus feræ mansuescerent. Eius sunt fidelissima promissa mea, testamentum, & legislatio cælestis gratiæ meæ: & mitissimo corde cum populo acquisitionis versor, quasi ludens in orbe terrarum, ut inspirationibus, & gratuitis donis meis corda dura emolliam, & vescar dulcissimo fructu sanguinis mei. Et tamen populus meus oblitus est mei diebus innumeris. Neque solum pauperes, & ignari, & optimates, qui negotiis sæcularibus oppressi quasi gigantes gemunt sub aquis, mei non recordantur, sed ipsi etiam Ecclesiastici qui profitentur se nosse Deum, & quasi Nazaræi, se totos mihi consecrarunt, mei memoriam parum curantes, ad studia sæcularia, & ludos, & venationes, ad hortorum culturam, & avaritiæ negotiationem convertuntur. Quæ perversio, & duritia cordis est hæc? Quare, filii mei sequimini deos alienos, qui decipiunt, & corrumpunt animas vestras? Usquequò lugebit terra, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt me? Convertimini iam, filii charissimi, & afferte mihi gloriam & honorem: continuis spiritualium hostiarum oblationibus, & cordis ascensionibns faciem meam citò requirite. Sumite Psalmum laudum mearum, & pulsate tympanum ad perenne canticum gratiarum actionis celebrandum. Pergite exercere psalterium iucundum cum cythara, ad canendam totis viribus magnitudinem misericordiæ meæ. Considerate & admiramini vias meas, & in adinventionibus meis exercemini. Delectamini in factura mea, & in operibus manuum mearum, cum populo, qui scit iubilationem, exultate & experientia cognoscetis, quam suavis, & salutaris sit memoria mea, & quam tristis & mortalis oblivio mei. Decernite ex tota fortitudine vestra memores esse mei de terra Jordanis, cujus aquis abluti & sanctificati estis: & imaginem formæ meæ intimis visceribus imprimite. Et ego pergam vobis benefacere, & secundum magnam, & admirabilem misericordiam meam recordabor vestri, & vocabo vos ad æternam hæreditatem fælicissimi regni mei.

Humana ingratitudo.

B

C

D

Dei memoria salutaris.

E

CAPUT III.

Dolet super Ecclesiasticis.

QUomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, dilectam sponsam meam, peccatis Ecclesiasticorum denigratam? Præcipitavit omnia speciosa Jacob propter scelera filiorum meorum, quorum culpa egressus est à filia Sion omnis decor ejus: quia nobilior, & formosior Ecclesiæ meæ pars graviter deformata est, Sanctitas illa antiqua Ecclesiasticorum cum Ecclesia nascente nascentium, & sine fastu, & astutiis, sæculi, simplici, ac fideli corde in domo mea ministrantium extincta est. Video ego gentes ingressas sanctuarium, de quibus præceperat Altissimus Pater meus, ne intrarent in Ecclesiam suam. Gentilium peccata, ambitio, avaritia, incontinentia, in Ecclesiasticos transierunt: qui facti sunt velut tauri pingues per prata sine timore currentes. Propter quod magna ex parte dissipavit Pater meus tentorium suum: demolitus est tabernaculum mansionis suæ, & oblivioni tradidit festivitatem, & Sabbatum. Pollutæ sunt manus eorum, qui exercent vasa Domini, quorum calendas, & solennitates odivit anima mea. Quid est hoc? Populus primogenitus meus, qui deberet esse gloria, & fortitudo mea, est principium doloris mei. Jam non est exemplum vitæ, quo plebs parvula instruitur ad pietatem, & animatur ad gradiendum per viam, quæ ducit ad vitam. Væ genti consecratæ, quæ in commotionem capitis versa est. Omnes, qui benè considerant, obstupescunt & dicunt: Hæccine est gens perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Debuerat quotidiano sacrificio, & dulcissimo Ecclesiæ cantu ad pietatem inflammari, & lapidea corda sæcularium, exemplo suo movere: & tamen alienata est retrorsum, & mercede conducta, non pura intentione mihi servit. Revertimini ad cor filii mei, & considerate novissima vestra. Expurgate vetus fermentum Adæ, ut sitis nova conspersio ab omni vetusta corruptione aliena. Epulamini in azymis synceritatis & veritatis, & primitivæ Ecclesiæ beatissimam lucem, & formam omni mundi decore amabiliorem intuemini. Implete mensuram status vestri mundo altioris, & cœlorum cives candore lucis æternæ nitentes, innocentia vitæ sectamini. Et recondam vos, ut charissimos amicos meos, intra penetralia mitissimi cordis mei.

Ecclesia filia Sion appellata.

Primaevorum Ecclesiasticorum laudes.

F

G

Et illorum hujus saeculi vita reprehensione digna.

H

CA-

Scriptus An. 1606.

CAPUT IV.

Admonet Episcopos officii sui.

PAstores multi, quibus commissi curam gregis mei, demoliti sunt hæreditatem meam, quam ego à Patre meo clementissimo
A postulavi. Honoravi illos coram populo meo; ipsi verò contempserunt me, & ab exemplari suo longè recesserunt. Secuti sunt doctrinas filiorum hujus sæculi, qui vocaverunt nomina sua in terris suis, non curantes, an eorum nomina scripta essent in Cœlo. Bonum opus dicunt se desiderasse, quia Episcopatum desideraverunt: sed non tenuit eos boni operis desiderium, sed amor reddituum, secundum æstimationem hominum, qui argentum thesaurizant. Væ pastoribus Israel, qui amore honotis & dignitatis ad prælationem ascenderunt: confitentur se in statu perfectionis esse, & tamen neque ante honorem illum Christianam perfectionem acquisierunt, neque post obtentam dignitatem, iuxta regulam perfectionis vivunt. Quod abiectum erat, non
B reducunt; quod infirmum erat, non confirmant: quod fractum erat, non consolidant quod maculosum erat, non emundant. Prævaricantur dulcissimam legem meam, semetipsos ovium velleribus vestientes, oves verò perire pro nihilo æstimantes. Quid dicam vobis Ecclesiæ viri, quos patior inimicos, sub imagine personæ meæ, abutentes magna patientia & misericordia mea? Bonas facite iam vias vestras, & iuxta cor meum studia vestra corrigite. Pascite amici mei gregem meum verbo, & exemplo vitæ, forma facti gregis ex animo. Loquimini ad cor Jerusalem, & parvulos ejus Apostolico lacte nutrite, ne fortè exhalent animas suas in sinu matrum suarum. Instruite ignorantes viam Domini, deiectos corde roborate, subvenite, egeno, & pupillo: humilem & pauperem iustificate. Estote so-
C brii, casti, hospitales, & Scripturæ meæ studio intentissime vacate. Requiescite iam inter medias duorum testamentorum sortes, nova veteribus conciliantes, ad dandam scientiam salutis plebi meæ. Et deponentes omnem humanum affectum, non ut mercenarii, sed ut amici fidelissimi, causas sponsæ meæ tractate. Et ego vobis reddam coronas virides, quæ nunquam marcescent, & cum senatoribus supernæ civitatis meæ vos duplici stola indutos sedere faciam infælicissimo regno meo.

Episcopatus bonum opus

Episcopi munera.

CAPUT V.

Monet fugam prælationis.

ATtendite filii, & ministri Ecclesiæ meæ,
D quæ loquor: verba enim à sapientibus mundi abscondita pronuntio. Ego palam locutus sum mundo, & primos accubitus, primasque cathedras recusavi. Factus sum inter discipulos meos, tanquam qui ministrant, & fugi solus in montem, ne turbæ me raperent, & constituerent regem super se. Ego Deus absconditus & tectus pallio humilitatis, & laboris, quo servire me fecistis in peccatis vestris. Non ego clarificavi me ipsum, neque honorem, aut prælationem mihi sumpsi, sed clarificavit me prius percussum, & humiliatum Pater meus, ut ascenderem de abjectione ad honorem, quasi radix de terra
E sitienti. Non ego occupavi regnum, sed vocatus, & constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: non ut mollibus vestirer, sed ut prædicarem cum labore suavissimum præceptum ejus. Quocirca filii mirabile est, quomodo sine timore meo, & sine propriæ infirmitatis cognitione prælationes quæritis, atque requiritis? Quem magistrum imitamini, filii mei? Quomodo non palpitat vobis cor, dum sollicitudine multa per interpositos quoque terræ principes, in quibus non est salus, quæritis fieri & poni custodes in vineis, qui vineam unicam propriæ conscientiæ non custodistis? Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit? Quid dicam vobis, qui vestræ damnationis diligentissimi operatores estis? Certè sancti mei, quos præesse æquum erat, timentes ne alios salvos facere conantes, ipsi reprobi fierent, prælationem accuratissime fugerunt. Sciebant enim Saulem, quasi unius anni puerum innocenter regnare cœpisse, & regno abutentem in æternam damnationem incidisse, quamvis principio suæ assumptionis non fuisset vir melior illo in Israel. Honores, & dignitates cor inebriant, & à casto timore Dei etiam viros justos avertunt. Propter quod filii mei, gens sancta, & uncta oleo sanctificationis meæ, estote humiles in oculis vestris, & prælationem studiosissimè cavete. Profectò in Ecclesia primitiva, quæ fervebat calore sanguinis mei, prælatio & mors comites erant, tyranni Episcopos primum ad necem postulabant, & idcirco vanitas honoris, & divitiarum pura corda prælatorum à me non
G divertebat: Nunc verò quando non imminet occasio mortis, & suppetunt honor & commoditas, timoratæ conscientiæ prælationem diligentius vitare deberent. Ego scio, quos elegerim, discite modestiam, & de vobis ipsis humiliter sentite. Non respicio staturam hominis, sed cor sapiens & intelligens. Qui idoneus est, ex ipsis speluncis ad prælationem accipietur: nam & Pater meus, cum placuisset illi David, de post fætantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, & Israel hæreditatem suam. Hæc cogitate filii & æstimate: atque subesse potius, quam præesse contendite. Et ego vos fidelissimos servos meos honoribus æternis exaltabo.

Christi humilitas.

Ad Timoth. 3. 5.

Praelatio studiosè fugienda.

Deus staturam hominis non respicit.

Melius subesse, quam praeesse.

CAPUT VI.

H

Admonet Religiosos.

CHarissimi filii, quos è sæculi mari magno ad statum Religionis misericorditer vocavi, habeo adversum vos multa lachry-

Scriptus An. 1606.

chrymis digna, quæ attentè cogitare, & corrigere debetis. Ego plantavi vos in paradiso meo, ut perfecta renuntiatione omnium rerum, & abnegatione propriæ voluntatis & judicii sequeremini me renibus accinctis, & quasi lactucas agrestes manducantes, in transitu huius vitæ confitentes; quia peregri-
A ni estis super terram, & ad patriam Cœlestem festinatis. Segregavi vobis dilectis meis humanas consolationes respuentibus pluviam voluntariam internæ visitationis. Sic enim ego solari consuevi ablactatos à lacte, & avulsos ab uberibus. Suscitavi vobis patres Religionum fundatores, qui fidelissimo corde fecerunt omnes voluntates meas, & altera manu præliantes, altera ædificantes circumdederunt altis mœnibus montem sanctum, quem dilexi. Quomodo ergo prævaricati estis pactum meum votis solennibus in medio Jerusalem confirmatum, & primam charitatem non servastis? Congregatio Justorum, & pars electa Ecclesiæ meæ, quomodo gemens conversa es retrorsum. Quomodo emarcuit flos primitivæ observantiæ, quo nomen meum laudari solebat à solis ortu usque ad occasum? Jam non est cultus ille obedientiæ per fidem operantis. Illa paupertas, solatia Cœli per incommoditates terræ requirens, ablata est. Æmulatio illa sanctorum, contemptus mundi, sensuum mortificatio, & decor monasticæ disciplinæ, à filia Sion egressus est. Frustra videntur laborasse Patres vestri, quorum statum assumpsistis, & fidem non observatis. Quis non miretur ruinam vestram, ô plebs mea, quam è multis nationibus elegi? Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israel? Nunquid evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ & defluentes, ut ubi ego dedi fontem uberem misericordiæ, siccetur terra: væ statui Religionis declinantis à rigore observantiæ: quia cum his novissimis temporibus homines seipsos amantes, quando professionem emittunt, promittant eadem, quæ sancti Religionis institutores promiserunt, remisse vivunt, nec eadem observant. Rarò valdè Religiosus perfectus, quasi stella matutina in medio nebulæ splendescens, invenitur. Reliqui verò innumerabiles sicut arena, quæ iacet in littore maris, erraverunt in invio, & non in via. Et facta est terra eorum in desolationem, & in sibilum sempiternum. Omnis, qui præterierit per eam, obstupescet & movebit caput suum. Elegeram ego gentem, ut habitarem in medio ejus, & diligerem illam, sicut animam meam, sed ipsa recessit à me, factaque est habitatio draconum, & dimisi filios ejus secundum desideria cordis eorum, ut contra suorum Patrum instituta irent in adinventionibus suis. Nunc
D ergo filii mei, ne declinetis cor vestrum in verba malitiæ ad excusationes in peccatis. Sed memores estote, unde ceciderit corona gloriæ vestræ; & respuentes omnia consilia hominum insipientium in observantiam excusantium antiquam laudem totis viribus renovate. Germinet denuò terra vestra herbam virentem, & lignum pomiferum juxta genus

Pars electa Ecclesiae quæ.

B

C

Insipientium consilia respicienda.

suum. Ego mittam spiritum meum, ut recreemini, & facies terræ renovetur, Confortamini, convertam captivitatem vestram affluentem gratia mea, sicut affluere solet aqua torrentis in Austro. Mittam lampades in visceribus vestris, ut fortissime impedimenta superetis. Quid timetis, filii charissimi, quasi abbreviata sit manus mea? Ego E
dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri. Ego vos iterum parturiam, donec reformetur primus status in vobis. Et post ædificium novæ Jerusalem reddam vobis fidelissimis servis meis multiplices coronas, inæstimabilibus gaudiis, & honoribus plenas.

CAPUT VII.

Monet Sacerdotes.

MUndamini, qui fertis vasa Domini, & pollutum nolite tangere, ne forte moriamini. Attendite verba mea, charissimi amici Sacerdotes novi, & æterni testamenti mei, & induimini suavissimum iustitiæ decorem, ut sanctè sancta tractetis, & nomen meum infinita veneratione dignum non polluatis. Feci vos consortes sacerdotii mei, ut essetis meditatores populorum, quorum pondus portatis, & averteretis iram meam, ne disperderet eos. Et ideo deberetis nive candidiores esse, & corda, manusque puras extollere in sancta, ut decor sacrificii vestri ascenderet ad Altissimum Patrem meum, & donaret vobis delicta populi. ConsideRate dignitatem vestram, quia uncti estis oleo sancto meo, & panem vitæ, qui de cœlo descendit, quotidie comeditis. Tanta est profectò altitudo dignitatis vestræ, ut montium vertices superetis, & cœli cœlorum vobis inclinentur. Quid ergo dicam vobis, G
cum videam vos in cœlesti dignitate constitutos homines esse, & secundum hominem ambulare? Mirabile est, vos corpore & sanguine meo quotidie pasci, & vitiis cæterorum hominum, qui profanè vivunt, deformari. Quid est hoc? Quomodo non transformamini in me, & innocentia vitæ resplendetis? Exuite jam filii mei veterem hominem, ut singulari pietate tantum cæteris hominibus præstetis, quantum illos dignitate præceditis. Adhæreat esca, quam sumitis visceribus vestris, & corpora vestra, quæ Dei templum facta sunt, ab omni corruptione præservate. Luceat lux vestra sole clarior coram hominibus, quorum culpa abluitis, ut exemplo vitæ vestræ emolliti, atque conversi, glorificent per fructus justitiæ clementissimum Patrem meum, qui in cœlis est. H
Fugite commercia filiorum hujus sæculi, qui vitæ puritatem oderunt, & Ecclesiæ sponsæ meæ disciplinam toto corde sequimini. Hæc sit jugis meditatio vestra, & intima lætitia, qua inter mortalis vitæ fastidia delectemini. Discant alii prudentiam, quæ de terra est, qui merguntur in terrenis desideriis, quasi plumbum in aquis vehementibus.

F

Sancta sanctè tractanda.

Dignitas sacerdotalis.

Sacerdotum corpora Templum Dei facta.

Vos

Scriptus An. 1606.

Sacerdotes mundo altiores.

Vos verò, qui pane vitalissimo nutrimini, cavete ne regales epulas immundis cibis maculetis. Altiores mundo estis, cœlestia cum mundi contemptu cogitate atque diligite, & altissimum Justitiæ sacrificium in mei memoriam purissimis affectibus sacrificate. Et non solum placebit mihi holocaustum vestrum plusquam sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, qui inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; sed supra omnia, mundi bona jucundabor in castis, & humillimis cordibus vestris, quæ ardebunt igne charitatis in conspectu meo.

A

CAPUT VIII.

Monet Principes terræ.

AUdite principes terræ, quæ dico: & sepositis curis aliis, vos quoque reges intelligite, & erudimini qui judicatis terram. Ego vobis dedi excellentiam hanc, ut tolleretis medullam cedri, & optima quæque terræ comederetis. Certissimè enim per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Propter quod intima gratitudine deberetis servire mihi, & gloriam meam studiosissime amplificare. Et tamen erigimini adversum me; quasi non ego, sed manus vestra excelsa fecerit hæc omnia, quæ aliis hominibus mirabilia videntur. Non benè utimini infinita bonitate, & misericordia mea, per quam in throno sedetis. Quænam alienatio mentis est hæc? Nunquid non omnia mea sunt, & valeo deponere potentes de sede, & exaltare humiles, qui vivunt in simplicitate cordis, & tremunt ad sermones meos? Cur elevamini filii Adæ, & quæritis esse sicut dii? Non est potentia, neque sapientia, neque fortitudo contra Dominum, qui curvat imperia. Profectò licet amor, & gratitudo deesset, timor saltem deberet movere vos, ut Regem Regum, qui Lucifero non pepercit, timeretis: ipse enim alligat reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; sed & nunc quando putatis, vos posse quidquid placeat, stultissime agitis, dum in quolibet negotio non ad me, sed ad consiliarios, vel milites, vel ad aurum multum confugitis, non considerantes, quia cor regis est in manu mea, & quocumque voluero, vertam illud. An existimatis omnia, quæ cogitatis & conamini, condita non esse apud me, & signata in thesauris providentiæ meæ? An non exigam rationem de injustis vectigalibus & tributis, quibus viduas, & orphanos affligitis, & sanguinem dolentium absorbetis? Ellote, filii mei, reges magni pietate, & solium vestrum misericordiis multis exaltetur. Justitia, & judicium sit ornatus, & præparatio sedis vestræ, & pax dilatet regiones vestras. Reddite mihi tributum casti timoris & amoris, & subditorum corda non ad ostentationem vanam, sed ad vera, & æterna bona exemplo vitæ movete. Reges gentium dominantur eorum, & tyrannicè subditos opprimunt: vos verò

Proverb. 8. 15.

B

Christus Rex Regum.

C

Sedis regiæ ornatus.

D

servi Regis pacifici qui mansuetudine infinita regnavit à ligno, patres, potius, quam Dominos repræsentate. Sic eritis reges non solum corporum, sed etiam cordium & regendi suavitate amplificabuntur domus vestræ. Et ego vos fideles consortes meos de terreno, ac temporali regno ad Cælestis & æterni regni mei consortium hora novissima vocabo.

E

CAPUT IX.

Hortatur divites sæculi.

NE lætemini, filii, super multis divitiis vestris, quasi alia bona meliora non sint, & domos æternas in terra, quam diligitis, possidere valeatis. Stulta enim est cogitatio hæc, quam experientia quotidiana condemnat. Quanti mercatores coacervant aurum & argentum, sine requie, & sine fine, & in pœnam sollicitudinis, & laboris infiniti non dimidiant dies suos? Tempus breve est: ego venio cito. Quorsum ergo tanta sollicitudo, cui omnes mundi opes satisfacere non possunt? Satis divites facti estis: & certum est vobis multa bona superfluere, quæ clamant adversum vos pro pauperibus, & afflictis qui cupiunt saturari de micis, quæ cadunt è nimis lauta mensa vestra. Quid ergo de superfluis agere cogitatis? Mittite panem vestrum super inopes, quasi super transeuntes aquas, & illum in littore maris magni repositum invenietis. Consilium meum vobis placeat: Redimite misericordiis pauperum animas vestras, & emite parvo pretio jus magnum in regno immortalitatis meæ. Quid moramini deponere grave pondus divitiarum, sub quibus fatigamini, nec ad vitalem auram æternæ felicitatis respirare valetis? Elevate capita vestra, & respicite opes meas, quas largitione eleemosynarum lucro magno comparare potestis. Beati, qui ad currendam salutis viam se exonerant, & misericordia divites sunt, quoniam ipsorum miserebor. Percipite filii quæ moneo, & facite, ut opes vestras manus pauperum in cœleste gazophylacium deportent: habebitisque thesaurum non deficientem in Cœlis. Quid timidi estis quasi vobis propter eleemosynas multas egestas superventura sit? Absit profana cogitatio hæc, immò propterea domus vestræ multiplicabuntur. Offerte mihi confidenter de substantia vestra, & de primitiis frugum vestrarum: & implebuntur areæ vestræ frumento, & vino torcularia redundabunt. Voces & desideria pauperum pro vobis orantium penetrabunt viscera mea. Et ego vos mihi per misericordiam similes amabo; domos magnas ædificabo vobis in terra: & in superna Jerusalem, quæ mater vestra est, mansiones infinitæ consolationis, & pacis abundantia plenas præparabo.

F

Stulta cogitatio.

G

Misericordia in pauperes commendata.

H

CA-

Scriptus An. 1606.

CAPUT X.

Admonet homines negotiosos.

IN pace cordis ad æterna bona suspirantis factus est locus meus, & habitatio mea à strepitu negotiatorum longè remota facta
A est in Sion. Qui cor suum effundit sicut aquam, in terrena negotia, & sollicitudines sæculi, peregre recedit à portu tranquillitatis bonæ conscientiæ, quæ abjecta cura sæculi, intimè gaudet jucundissima habitatione spiritus mei. Filios Tyri facientes operationem in aquis multis, & sine fine laborantes non permittam ad pacem Sionis pervenire, quamvis pacem sine requie requirant. Considerate filii, qui negotiorum aquis suffocamini, quo tendat infinita sollicitudo vestra: & quam insipienter agitis, dum cor vestrum, quod mihi totum sacrificare deberetis, in tot curas dissipatis. Qui non colligit mecum, dispergit: qui non est mecum contra me est; qui non amat, & quærit communicationem meam, non est benè affectus erga me. Utinam haberetis aures audiendi me, & daretis locum inter tot ne-
B gotia mundi negotio uni salutis vestræ, quod præponderat universis mundi bonis, quæ apparent, & non sunt. Usquequò vim facietis suavissimo Spiritui meo, qui secretis inspirationibus instruit vos ad proiiciendam molem tantam ex humeris vestris, & pacem meam æternæ salutis nuntiam requirendam? Sinite jam filii oppressionem hanc, & ad auram vitæ immortalis respirate. Etenim omnia, quæ diligitis & negotiamini, finem habent, & tela, quam ordimini, citò succidetur. Quare ergo non præmeditamini tristem exitum laboris vestri, & convertimini ad dulcissimum otium meum, ubi veram lætitiam & spem gaudiorum matrem invenietis? Quod si vobis durus est hic sermo, & non potestis
C sustinere eum, quasi negotia deponere non valeatis: destinate saltem modicum tempus, ut mecum quotidie negotiemini. Clamate ad me in fortitudine, & rerum temporalium ponderе gravati cadite coram me: ut misericordia motus auferam à vobis iugum ferreum, sub quo cibum, qui perit, operamini. Recedite à tabernaculis Ismael, & servitutem duram detrectate. Captivi filii mei, quærite libertatem honestissimam filiorum Dei: agnoscite Christianam dignitatem, & nolite ad servorum labores degeneri conversatione redire. Si cordis auribus audieritis verba mea, ego ostendam vobis suspirantibus ad me, quanto sit dulcius Patri meo, quam mundo servire. Et dabo vobis cor carneum, ablata duritia vestra, ut iam sequamini me, & voluntas vestra requiescat in suavissima lege mea.

Cor totum Deo sacrificandum.

Filiorum Dei libertas

CAPUT XI.

D

Hortatur ad custodiam cordis.

FIlii, omni custodia custodite corda vestra, neque in hac vigilia dulcissimæ dilectionis unquam dormitetis. Custodite corda, sicut amatores mundi custodiunt aurum, ne fortè per ingratitudinem, vel incuriam pereatis de via iusta. Ne admittatis consilia hominum, qui sanguinem meum æstimare nesciunt, & salutem æternam suam non magnoperè curant. Murum æneum circumdate cordi, ne hostes vestri nocendi cupidissimi ædificium spiritus evertant. Ego novi fragilitatem cordis humani, quod facilè seducitur, ut in varios amores dividatur. Experientia quoque scire potestis, quoties cor vestrum captivum egrediatur à seipso, ut serviat creaturis, quarum voluptate trahitur. Vigilate, & diligentissimè cavete tactum mortuorum, quibus plenus est mundus, ne fortè moriamini. Templum Dei sanctum est, quod estis vos: cavete ne domus mea, quam decet sanctitudo, profanetur. Præmeditamini occasiones peccatorum, ut declinetis eas: & dum iter facitis per terrena commercia, ubi affectuum pedes pulvere humano sordescunt, etiam pulverem pedum vestrorum excutite. Lavamini frequenter, & postquam loti fueritis, iterum emundamini: nam & qui lotus & mundus est, indiget ut lavet pedes. Neque vobis asperum videatur consilium meum, quia vestra corda ardentissime diligo, propterea que postulo, ponatis me ut signaculum super illa, ut ego illorum Dominus cognoscar. Fortis enim est ut mors dilectio, & implacabilis amoris æmulatio: atque ideò ferre non possum cordis vestri consortes. Servate ergo fideliter vos ipsos mihi, & intima consolatione lætamini, quia vos totos solus ego postulo, & non est mecum Deus alienus. Quid enim dulcius vobis accidere potest, quam mei iuris, & regni esse, totisque visceribus adhærere mihi? Utinam verba hæc mea penetrarent animas vestras, & vos ad æternam cordis custodiam excitarent! Posui ego ex infinita bonitate erga hominem totum cor meum: æquum ergo erit, ut homo cor suum totum mihi reddat. Grati igitur estote filii, & escam hanc suavissimam mihi afferte. Et ego, qui exigua munera non despicio, magnum sacrificium hoc odorabor, faciamque ut iugiter ardeat in altari meo. Et demum ejus suavitate allectus attraham vos ad me ipsum, & recondam vos fidelissimos servos meos, cordisque custodes in thalamo, quem filiæ regum cupierunt, hoc est, in penetrabilibus teneerrimi cordis mei.

Quomodo custodiendum cor.

E

Cordis humani fragilitas.

Occasio peccandi declinanda.

F

Deus exigua non despicit munera.

CAPUT XII.

Instruit tentatos.

FIlii, oportet vos probari, si accepti estis Deo, ut ego in vobis glorificer, & vos majori gloria coronemini. Aurum probatur H
in igne, & homo in camino tribulationis. Confortamini, & estote robusti, nec ullo modo serviatis Philistæis. Non vos relinquam, vel patiar tentari supra id, quod potestis: Sed faciam potius cum tentatione

Hominis probatio.

Scriptus An. 1606.

proventum. Lætamini, cum exercemini multiplici colluctatione adversus carnem & sanguinem, & adversus principes quoque tenebrarum harum: quoniam ego vobiscum sum, ut eruam vos de manu inimicorum vestrorum, qui saluti vestræ vehementer insidiantur. Non est voluntatis meæ ruina

A hominis, neque unquam suspirantes ad me deserui in tempore senectutis. Ego vici mundum. Ego Pontifex vester, vir dolorum, &

Christus Pontifex noster.

sciens infirmitatem, cum pugnantibus pugno, & cum victoribus vinco. Beati eritis, si per omnia ad similitudinem meam tentemini, & patiamini foris pugnas, intus timores. Si enim sufferatis tentationem, & ego renes vestros & cor vestrum exuram, eritis fœlices tanquam filii excussorum, qui timore & probatione mea prosperantur. Accipite mites corde consilium meum, quando tentatio vos multum angit, celeriter invocate me, & sine ulla hæsitatione confidite, vos gratia mea iuvante victuros. Clamate ad me fortiter, & in spem contra spem credite, & videbitis mirabilia, quæ operabor in medio vestri. Recordamini electi populi mei ad littus rubri maris suspirantis, &

B Pharaonem propinquantem cum mortis horrore timentis. Ego increpui mare rubrum, & exsiccatum est: & deduxi servos meos in abyssis, sicut in deserto. Neque solum in angustia salvavi eos propter glorioßissimum nomen meum: sed & in aliis eventibus, quando clamaverunt ad me, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripui eos. Cavete filii diffidentiam, quæ pugnat cum dulcissima misericordia mea. Etiam si ad

Dei misericordia.

portas mortis accedatis, adhuc sperate in multitudine magnitudinis, & suavitate infinitæ bonitatis meæ: & habentes summum sacerdotem, qui penetravit Cœlos, & interpellat pro vobis, exercete vestræ spei fortissimam, & solatio plenam confessionem. Contemnite minas mundi, & inferni, fundati supra firmam petram angularem, quæ ruinam non timet. Et infirmabuntur crura

C omnium Regum Amorrhæorum, qui transitum vestrum in terram fidelissimæ promissionis impedire conantur. Pugnate pro æterna laude mea, & salute vestra: & ego coram vobis omnes inimicos vestros humiliabo.

CAPUT XIII.

Hortatur ad considerationem mysterii Incarnationis.

AMant homines novitatem, & rerum novarum studio delectantur, & tamen cum novum fecerit Dominus super terram quando fœmina circumdedit virum, pauci sunt, qui novum hoc, & mirabile mysterium dignè considerent. Non placet mihi filii mei oblivio hæc, & nimis dura ingratitudo: quia & gloriæ meæ & saluti, consolationique vestræ contraria est. Ego posui homines in dulcissimo memoriali nominis mei, ut illorum Deus nominarer: & cum

Novitatis amor.

Incarnationis mysterium.

D

in forma Dei essem, ex altitudine illa infinita descendi ut factus homo, essem amantissimus frater, & amicus vester, quo certe beneficio vos conditione fragiles Angelicis spiritibus anteposui. Nusquam enim Angelos apprehendi, sed semen Abrahæ apprehendi placuitque æterno Patri meo, ut vobis potius quam supremis creaturis assimilarer. Hoc est Verbum breviatum, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, ad inenarrabilem gloriam & consolationem vestram, ut exultetis spe consortii mei, tanquam primogeniti, & amatissimi fratris vestri. Quid timetis, fratres mei dilectissimi. Verbum quod erat in principio apud Deum, caro vestra factum est, quid super est, nisi ut hospitio delectabili habitet in vobis, tanquam in optatissima requie sua? Ego sum frater vester filius hominis, sitim & famem, calorem & frigus, & alia multa mala vestri causa passus: confidite & diligite me: neque enim fratribus meis quicquam negabo. Utinam agnoscere-

Quomodo homo Angelis antepositus.

E

Christus frater noster dictus.

tis dignitatem vestram, & mihi per omnia similes conversatione vitæ efficeremini, casti, humiles, mites, misericordes, & cœlestium bonorum æstimatores. Habetis stimulum amoris, ex quo non horrui Virginis uterum, ut tanti mysterii non ignari, miremini & dilatemini, & exultetis consortio Incarnationis meæ. Habet filia Sion Regem mansuetum, non in curribus & equis gloriantem, sed benignitate & misericordia magnum, divitem in omnes, qui invocant illum. Accedite cum fiducia ad thronum gratiæ meæ, non formidantes Majestatem Dei absconditi, & operti velamento humanitatis vestræ. Ego enim sum princeps pacis, faciens utraque unum, delens, quod adversum vos erat chirographum decreti, dissolvens vincula colli vestri. Ego Emmanuel semper vobiscum in fœdere amoris æterni permansurus, protegam vos: & (si me non respuatis) in omni adversitate & prosperitate habeo vos tanquam dulcissimos fratres meos.

Atque Principes pacis.

F

G

CAPUT XIV.

Hortatur ad æstimationem redemptionis.

COnsiderate, filii, quæ moneo, & in cordis centro verba mea conservate. Non bonis corruptibilibus, auro nempè, & argento redempti estis de vana conversatione paternæ hæreditatis vestræ, quam ex Adam accepistis; sed pretiosissimo sanguine Agni immaculati, qui dignus est accipere Divinitatis gloriam & honorem, qui vero Deo & Salvatori mundi debetur. Redemptio vestra, quam operatus sum in ligno ubi, quæ non rapui, affluenter exsolvebam, lux sole clarior est, quæ ostendit infinitæ bonitatis, & misericordiæ magnitudinem, per quam commota sunt super labore vestro tenerrima viscera mea. Attendite filii mei, quæ legitis, & obstupescite super consilio antiquo quod elegi, ut redimerem cap-

Humani generis redemptio.

H

ti-

Scriptus An. 1606.

ptivos meos, & prædicarem vinctis libertatem filiorum Dei. Certè si semel adhæreret digna æstimatio sanguinis mei visceribus vestris, mirabiliter arderetis, atque combureremini vivo igne dulcissimi amoris mei. Quis enim non accendatur & ardeat, quando considerat me Altissimi filium ad labores hominum descendisse, & per sudores & labores calceamentum divinitatis (quæ caro hùmana est) ad Æthiopes & Idumæos extendisse? Quis adeo durus corde sit, quem instrumenta passionis & mortis filii Dei non compungant? Petræ sciissæ sunt, & monumenta aperta sunt, sol luxit & obscuratus est, terra tremuit, & attonita quievit, dum cataractæ Cœli apertæ sunt & abyssus sanguinis mei decurrentis in terram abyssum misericordiæ vobis tribuendæ (ex iustitia meritorum meorum) invocavit è Cœlo. Quis ex vobis sapiens, & in latibulo cordis custodiet hæc, & per experientiam intelliget misericordias Domini? Utinam cogitaretis, quo pretio empti sitis, & quam stricto jure totum cor vestrum mihi debeatis: Vos per salutarem considerationem hanc fructu redemptionis copiosè gauderetis, & ego fructu laborum mei jucundissime lætarer. Meditamini, filii, grande mysterium hoc, & dilectam animam meam, quam pro vobis dedi in manus inimicorum ejus, præ omnibus mundi thesauris, honoribus, & delectationibus æstimate. Et sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabimini: eritque vobis quasi torrens voluptatis inæstimabilis redemptio mea.

A

Natura assumpta divinitatis calcamentum.

B

Redemptionis mysterium meditandum.

CAPUT XV.

Ostendit suave esse, servire Deo.

QUid est, quod filii Adæ horrent verbum crucis, tanquam durum, & insuave, & unusquisque in viam suam declinavit? Me quasi durum Dominum sollicitè fugiunt, & principibus terræ servire malunt. Mirum est hoc. Cum enim solus ego æternam vitam & plenam consolationem eis dare possim: per justitiæ semitam ad montem Domini ascendere recusant, & montes alios difficiliores superare conantur. Etenim solus mons Dei, mons bonorum omnium aggregatione coagulatus, & pinguis: ut quid ergo fingunt homines montes alios coagulatos, cum difficultates mundi (etiam quando superantur) steriles sint? Certè servire Deo regnare est: quocirca mirabile videtur, homines regnandi cupidissimos mihi servire nolle. Neque solummodo mirandum est, quia regnare detrectant, sed etiam, quia infinitam suavitatem legis meæ neque requirunt, neque cognoscunt. Profectò si in via Dei ambulassent, habitassent pacificè super terram & cor præ magnitudine lætitiæ dilatassent: sicut ille qui ambulabat in latitudine, quia mandata mea totis viribus exquisivit. Intelligite quæ dico filii, & saporem veritatis meæ ipsa experientia gustate. Qui mihi fideliter servit, bonæ conscientiæ lætitia exultat, & firmissima spe æternæ retributionis verius gaudet, quam si totius mundi honores, divitias & voluptates possideret. Et interim dum laborat, & mala multa sustinet, ego secretis inspirationibus, & illuminationibus ejus infirmitatem corroboro. Ego doceo manus ejus ad prælium, & singulos digitos ad bellum: ut sine timore de manu inimicorum suorum liberatus, constantissime serviat mihi. Dicit confidenter: Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Major lætitia & suavitas percipitur in præliis sub vexillo meo, quam in pace mundi, quæ in sola superficie hæret, nec lætitia cordis appellari potest. Hinc est, ut soli justi verè lætentur, & exultent, & verè glorientur soli recti corde. Hanc ergo prudentiam discite filii, neque humanis consiliis acquiescere velitis. Tollite jugum meum suavissimum super vos; & sub hoc pacem intimam pertingentem usque ad medullas, apprehendite. Lætamini vos, qui prudenti conjectura colligitis nomina vestra scripta esse in libro vitæ. Aperite sinus viscerum vestrorum, & cœlestis consolationis aquam sitienter haurite. Fleant illi, qui remorsu conscientiæ cruciantur, & per latam viam perditionis furiosè currunt. Ridete & exultate vos, qui mihi servire decrevistis; vos præsertim, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me: quia in hac vita centuplum accipietis, & cum glorioßissimo triumpho, & totius supernæ Jerusalem acclamatione vitam æternam possidebitis.

E

Job. 17. 3.

F

Via perditionis lata.

CAPUT XVI.

Ostendit triste esse, peccato servire.

NON est pax, & cordis lætitia impiis, qui faciunt peccatum, & proinde servi sunt peccati. Mœstissima est, filii charissimi, servitus hæc, quam homines magno pretio emere solent. Sollicitè quærunt gaudia, nec inveniunt: quale enim gaudium accidere possit iis, qui in umbra mortis sedent, & lumen cœli non vident? Excœcavit illos malitia eorum, datique sunt in reprobum sensum: atque ita cæci & insani, per varia desideria quasi arietes non invenientes pascua, discurrunt. Sensus eorum, tanquam parvuli rationis expertes, ducti sunt in captivitatem ante faciem dæmonis tribulantis: & ideo, ut captivi per eadem, per quæ peccant, puniuntur, stimulos conscientiæ jam ibi sentientes, & cruciatum æternum præsentientes. Væ illis, qui rebelles fuerunt lumini, & disciplinam vitæ non receperunt. Attendite filii, quæ moneo. An putatis horrendum non esse, peccatorem hominem, dum peccat mortaliter, certò scire, si in eo statu moriatur, ut facile potest, se igne sempiterno torquendum esse? comedit & bibit & jocatur, quantum potest: sed parum potest, quia est post commissum peccatum, & non in ipsis gaudiis illicitis, dum

Peccati servitus mœstissima.

G

Conscientiæ stimulus.

H

C

Servire Deo regnare est.

D

David.

Scriptus An. 1606.

peccat, ego immitto illi terrores conscientiæ, ut justus appaream in sermonibus meis, & vincam, cum judicavero. Infælices homines, quasi tumentes super se fluctus timent iram Dei, quem oderunt, & pondus ejus ferre non possunt. Propter quod, velint nolint, ipsis operibus suis ostendunt se odisse lucem, & timore servili perterritos à facie mea fugere ac timere, sicut Cain, ne omnis, qui invenerit illos, occidat eos. Ad omnem strepitum suspicantur, se jam ad judicium vocari, & sibi videntur terribilem tubam audire. Mihi credite filii, omnes labores justorum, omnes eorum persecutiones, ac tentationes, magna solatia sunt, si cum durissima peccati servitute comparentur. Fugite servitutem hanc, & ut ipsas inferni portas perhorrescite. Aspirate ad nobilissimam libertatem meam, vitæ meæ pretio partam, neque periculo tanto animas vestras, quas redemi, insipienter committatis viriliter agite, & confortetur cor vestrum, sustinete me prælientes prælium Domini pro tuenda libertate, quæ melior & amabilior est super vitas. Et digni eritis, qui accipiatis nomen novum in ampliſſimo regno meo, quod nemo scit, nisi qui accipit. Ubi cum libera matre vestra, quæ sursum est, cantabitis in æternum dulcissimas misericordias meas.

A Peccatorum timor.

Persecutiones justorum quare solatia dictæ.

B

CAPUT V.

Ostendit paucos salvos fieri, plurimosque damnari.

ARcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam, etsi enim omnes illam invenire possint, seipsos tamen nimis amantes, spatiosam viam perditionis eligunt, novissima sua considerare nolentes. Beati pauci illi, qui toto corde me requirunt, & brevi angustia æternam consolationem operantur. Tristitia illorum vertetur in gaudium, quod non auferetur ab eis. Væ tamen illis, quorum numerus est, sicut arena, quæ jacet in littore maris, qui timore tentationum, & difficultatum victi, per latam viam gradiuntur, neque conantur in eo numero paucorum fortium recenseri. Inimici sunt crucis meæ, sine qua salus esse non potest, quia ex ea salus mundi pependit. Quærunt avidissimè quæ sua sunt, & dulcissimam legem novi testamenti mei præ membrorum lege contemnunt. Honores & voluptates tanquam tauri pingues, vehementer sectantur, neque disciplinam meam aure cordis percipere volunt. Væ innumerabili genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis qui abalienati sunt retrorsum, impingentes in viis suis, & uvas acerbas bonorum temporalium comedere festinantes. Viæ supernæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad æternum sabbatissimum, ubi gemitus & dolor non erit amplius. Infernus dilatavit os suum, ut fortes & pingues terræ deglutiret: innumerabilis enim populus descendit ad eum. Justi verò mei è multis millibus electi rarò splendent in sæculi hujus, nocte, ubi sunt tenebræ palpabiles similes illis, qui oppresserunt Ægyptios inimicos meos. Seminavi ego colonus terræ verbum meum, & tantumnodo quarta pars in corde bono & optimo fructum attulit in patientia: & propterea perdunt animas suas, quas in vera patientia possiderent. Stulti sunt valdè, non considerantes electorum signum esse, pressuram pati, cui succedit inæstimabile refrigerium, quod oblivioni tradit omnes mundi pressuras, & dolores. Etenim, mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus: statim autem, ac peperit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Quale ergo gaudium erit, quod succedit, quia natus est homo in Cœlum? Filii, audite me: conamini & arctam viam mundis pedibus incedere, & ad beatissimum numerum paucorum fortissime suspirate. Pro nihilo ducite, si ingrediatur putredo in ossibus vestris, & subter vos scateat, dummodo cum paucis electissimis ascendatis ad populum accinctum resurgentium, quorum formosissimis corporibus animæ gloriosæ cinguntur. Ne cadatis animo, quasi nimis arduum sit, in illo numero fæliciſſimo comprehendi, si enim legitimè certetis (ut verè cùm gratia mea valetis) inter ipsa prælia lætari, & firmissimæ spei motibus exultare poteritis, aspirantes ad palmam, cujus suavissimis fructibus mecum in cœna magna sine fine fruemini.

Sæculi tenebræ palpabiles.

Joan. 16. 21.

E

F

CAPUT XVIII.

Monet semper ad Deum pro auxilio recurrere.

FIlii, nullus status, nullus locus in vita mortali est adeo securus, ut ad me in horas singulas pro auxilio gratiæ meæ recurrere non debeatis. Nam qualis status securior, quam Apostolatus? & tamen cum ego duodecim elegissem, unus ex eis diabolus effectus est. Qualis locus tutior, quam paradisus, in quo posui hominem, quem formaveram? & tamen Heva mater vestra respondit: serpens decepit me. Militia sine induciis est vita hominis super terram; in qua & pusilli, & magni in multos errores, & peccata labuntur. Propter quod cavete filii, ne sitis fidentes in vobis ipsis, quasi in summo periculo non versemini. Vapor est vita vestra, ad modicum apparens, & vento quolibet exterminatur, & anima corpore fragilissimo inclusa, sit sibimetipsi gravis; timereque debet instantem ruinam, ad quam sua fragilitas illam impellit. Orate, ne intretis in tentationem, & cum hoc mundo damnemini. Multi sunt inter vos infirmi & imbecilles, & sæpè dormiunt multi, servi mei, evigilate & state succincti lumbos mentis vestræ, ne fortè inopinata morte moriamini. Quærite me sollicitè: venite & revertimini, die nocteque pul-

G

Judas proditor.

Vita hominis militia.

H

Vigilantia commendata.

Via vitæ arcta.

C

Peccatores inimici crucis.

D

Scriptus An. 1606.

pulsate: adversarius enim vester sine requie circuit, quærens quem avidissimè devoret. Facite vobis speculam, & insidias hostium vestrorum explorantes, intimis gemitibus brachium meum implorate. Oculi quippe mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in tribulatione sua fortiter clamaverit ad me. Qui cecidit, clamet, A & resurgat; qui stat, videat ne cadat, & misericordem animam meam vespere, & mane & meridie pulsare non cesset. Ego nomine dulcissimo vocor. Adjutor in oppor-
Christus adjutor in tribulationibus appellatus. tunitatibus in tribulatione. Si ergo mala patimini vel angustiamini; cor meum cito pulsate, ut ex officio suo in vestrum adjutorium intendat; & ad vos adjuvandos hinnulorum more festinet. Recurrite ad me; & curram ego, ut vos eripiam à pressura vestra. Credite vos non esse sufficientes, non solum mala vincere, sed ne cogitare aliquid pium ex vobis, quasi ex vobis, & spem vestram omnem in visceribus misericordiæ meæ collocate: et fidelissimo adjutorio vobis præsto ero, & de manu odientium B liberabo. Si corde puro requisieritis me, ego capillos capitis vestri numerabo, ne unus pereat: si transieritis per ignem, flamma non lædet vestimenta vestra, & odor ignis non erit in vobis. Desiderium pauperum inopiæ suæ cognitione clamantium exaudiam: & præ-
Auris Dei ad preces humilium propensa. parationem cordis eorum audiet propensissima ad preces humilium auris mea.

CAPUT XIX.

Hortatur ad zelum animarum.

PErit mundus, ô filii, & infinitus est numerus stultorum per viam perditionis velociter currentium, & non est qui doleat vicem pereuntium. Ego fudi sanguinem meum, ut educerem homines de lacu miseriæ, & de luto fecis, & statuerem supra firmam C petram pedes eorum, & non est qui adimpleat ea, quæ desunt passionum mearum, in corpore meo, quod est Ecclesia. Nam de iis, qui foris sunt, mirum est, quanta sit oblivio & alienatio mentis. Princeps tene-
Satan tenebrarum princeps. brarum Satan circuit terram, & perambulat eam, quasi Dominus, gloriaturque se innumerabiles populos prædari, & exiguum esse numerum eorum qui salvi fiunt. Et tamen multi servi mei, qui succurrere possent parvulis petentibus panem, vel etiam iis, qui fame pereunt, & panem postulare nesciunt, non miserentur proximorum, quasi Deus non mandasset unicuique de proximo suo. Quid dicam vobis, servi mei, qui ad misericordiam spectaculo pleno doloris non movemini? Quomodo non liquefiunt viscera vestra super fratribus vestris, qui à facie tempestatum famis deficientes clamant? D Ubi est triticum & vinum? Quomodo, qui zelum habere videmini, non festinatis ad pauperculos ignorantes viam Domini, ut dirigatis pedes eorum in viam pacis? Crudeles estis Adæ filii, qui tanta calamitate non movemini ad salutem fratrum per longas peregrinationes, & navigationes quærendam. Festinate filii ad morientes adjuvandos, antequam expirent, & claudatur janua: extendite conatus vestros usque ad alienigenas & Tyrum, & populum Æthiopum: ut per vos, quos tabescere facit zelus meus, annuntietur annus redemptionis in universa E terra. Quod si talentum ad conversionem
Annus Redemptionis. animarum non habetis, rogate saltem ferventissimis suspiriis Dominum messis, ut mittat operarios multos in messem suam; ut sine zizaniis congregetur purum triticum in horreum ejus. Beati eritis, si & vos fideles servi mei fueritis, & zelo domus meæ extimulati publicis, vel privatis actionibus reduxeritis alios ad cultum & amorem meum. Ego vos tenerrimè amabo, & quia fecistis rem hanc, nec vestræ commoditati, vel vitæ pepercistis, multiplicabo filios vestros, & multa cum exultatione videbitis semen longævum. Ego vos de prælio revertentes, amantissime amplectar, ut in Ecclesia magna mea sine fine mecum lætemini, & bibatis F de torrente infinitæ voluptatis meæ.

CAPUT XX.

Monet Prædicatores.

FIlii charissimi, quos vocavi ad ministerium verbi mei, ut essetis initium aliquod creaturæ spiritualis, cordis auribus audite me. Ego posui vos, ut fructum afferretis & annuntiaretis verbum crucis, quod est Judæis
Verbum Crucis quid Judæis, & Gentilibus? scandalum, & Gentilibus stultitia. Nam quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit mihi, per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes. Misi vos, ut me crucifixum doloribus & opprobriis saturatum prædicaretis, non in sublimitate sermonis, aut in artificio, & sapientia hominum, sed in fortissima virtute Dei. Quo- G modo ergo sine Spiritu meo prophetatis, & effecti estis magistri prurientes auribus, adulterantes eloquia casta mea? Quid est hoc? Quomodo audetis loqui in nomine meo, sectantes vanitatem humanæ gloriæ, & quærentes hominibus placere? Divinatis falsa, & prophana multa sacris actionibus admiscetis, neque curatis quantum salutis operemini, sed quantum humanæ laudis acquiratis. Væ vobis hypocritæ: Væ vobis sepulchra dealbata, qui conscientiæ fœtore pleni estis? Deberetis esse contemptores mundi, & verbum sanum, ac irreprehensibile vitæ innocentia evangelizare; & imitantes me, prius facere quam docere. Dicitis & non facitis; & vanitas vitæ, ac humanæ scientiæ vestræ debilitat prædicationem meam. Sollicitè ac-
Scientia inflat. quiritis scientiam, quæ inflat, ut ostentetis illam: parumque curatis charitatem meam, H quæ corda reformat & ædificat. Per vos blasphematur sanctissimum nomen meum, quia cum cognoveritis, quid agere debeatis, vacatis gloriæ hominum, & commoditati vestræ. Urbes magnas, & honorabilia pul-

pita

Scriptus An. 1606.

pita quæritis, ut à nobilibus cum laude audiamini, & populos derelictos, ubi plebs mea fame perit, non adiuvatis. Nunquid talis est prædicatio, quam elegi? Nunquid spiritus Domini non venit super me, & evangelizare pauperibus misit me? Revertimini ad cor filii mei, & castis cordibus, mundisque labiis purissima testimonia mea nuntiate. Quid vobis proderit sonitus laudis humanæ, quæ statim evanescit? An à me laudem maiorem, si fideles præcones mei fueritis, non accipietis? Ne serviatis terræ principibus, sed mihi, à quo mercedem ampliſſimam recipietis. Narrate simpliciter, ac ferventer nomen meum fratribus meis: in medio Ecclesiæ, puris cordibus, laudate me. Gaudete libertate filiorum Dei, & salutem animarum, dum dies est, instanter operamini. Prædicate cum fiducia regnum meum, ubi reposita sunt vera gaudia vestra. Præliamini prælia Domini, & exemplo. simul ac verbo Urbis sanctæ ruinas reparate. Ego dabo verbum evangelizantibus virtute multa: ut mirabilia operemini, & post multiplicatam gentem, ad sedendum cum principibus terræ viventium, victores ascendatis, & fruamini dulciſſima pace mea.

A

Laudis humanæ sonitus evanescit.

B

Verbum Dei quomodo prædicandum.

CAPUT XXI.

Hortatur omnes ad verbum Dei audiendum.

Baruch. 3. 9. AUdi Israel mandata vitæ: auribus percipe ut scias prudentiam. Qui habetis corda ferrea, vel lapidea, percipite verbum meum, quo emolliemini. Qui habetis corda carnea audite sermones meos, & illustrabimini. Beati servi illi, quibus dulcescit verbum meum, quo nutriuntur, quasi lacte expresso ex uberibus meis. Erudiam eos secreta instructione suaviſſimi spiritus mei intus loquentis, & pacem dilectis meis nuntiantis. Non timebunt à timore nocturno tenebrarum interiorum, quia claritas Dei circumfulgebit illos. Non supplantabuntur gressus eorum, quia super omnia vincit veritas, & firmabitur in illis fortitudo veriſſimi sermonis mei. Propter quod qui desideratis bonis cœlestibus abundare, pace intima filiorum Dei propria frui, & per vias rectas ad patriam paradisi perduci, Verbum Dei corporis, & cordis auribus frequenter audite, & virtuti Dei latenter operanti cedite. Cavete sæculi vanitatem, quæ opera bona corrumpit. Ne patiamini vos humana eloquentia, vel eruditione, vel novitate seduci; ut prædicatores talia dicentes potius, quam idoneos verbi ministros, & veros servos meos humanæ laudis contemptores audiatis, Quærite pietatem & compunctionem: cælestia desideria pura intentione requirite. Verba simplicia, spiritu Dei plena, & ad convertendas animas casto zelo prolata diligite. Intermittite negotia temporalia, ut sine sollicitudine & evagatione mentis me per meos prædicatores loquentem corde promptiſſimo intelligatis. Aperite sinus omnes animarum vestrarum,

C

Verbum Dei cordis auribus audiendum.

D

Verba simplicia spiritu Dei plena

ut impleantur fortiſſima, & suaviſſima virtute mea, & fiat in vobis humilibus servis meis mutatio dexteræ excelsi. Si volueritis, & in mansuetudine susceperitis insitum verbum meum, quod potest salvare, & ineffabili consolatione implere animas vestras, convertam ego captivitatem vestram in chariſſimam libertatem, & luctum in choros lætantium, & exultantium à magnitudine bonitatis, & iucunditate visitationis meæ. Væ mundo à scandalis; excæcatum est enim cor filiorum ejus, & aures eorum aggravatæ sunt, ut videntes non videant, & audientes non intelligant verba vitæ. Certè sicut regnare patior hypocritam propter peccata populi, sic indignos prædicatores mundo permitto. Vos ergo filii qui supplicium hoc grande timetis, quærite magistros dignos, quorum doctrina pascamini, & crescatis in salutem. Egredimini, & abite post vestigia gregum vestrorum, & eos ad salutaria pascua ducite, ubi herbæ mortiferæ non proveniunt. Hæc sit pia & mihi accepta exercitatio vestra: cui ego fideliter respondebo dulciſſimo pastu, & aqua limpidiſſima reficiens animas vestras.

E

F

CAPUT XXII.

Monet omnes homines, ut frequenter in cœlestem Patriam suspirent.

TRansit labor multitudinis, ô filii mei, & sine fine manet suaviſſima pax unitatis. Sæpè mutantur, & denique auferentur omnia tabernacula Jacob: sed in æternum stabit mansio altiſſimæ Sion, quæ est habitatio mea, & chariſſima patria vestra. Existimate ergo filii, vos peregrinos esse super terram spinas, & tribulos germinantem, & nullis bonis apparentibus cor vestrum adhærere sinentes, ad patriam vestram perenniter suspirate. Terra, quam calcatis, inimicorum vestrorum regio est, ubi dolor & gemitus, & mors per peccatum regnant. Quid igitur boni in ea colligere vultis? Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Vinea aliena est, ubi non valetis vindemiare nisi botros amariſſimos. Beatus vir, quem erudierit Dominus, & de lege sua docuerit eum. Beatus qui benè percepta eruditione mea, cognoscit calamitatem vitæ præsentis, in quam per peccatum & lachrymas introivit, & ad statum vitæ beatæ, quasi de profundo aquarum multarum fortiſſime clamat. Terra enim viventium, ad quam per labores, & pressuras ascenditur, fertiliſſima est, & fructus dulciſſimos habet. Ibi ver novum æterno virore floret, & casta corda civium supernorum sua amœnitate lætificat. Ibi serenissima Cœli facies nullis nebulis offuscata resplendet. Ibi suavis valdè aura divini spiritus mei viscera Justorum exhilarat. Lætatur tota Jerusalem, & conventum faciunt omnes, qui ardentiſſime diligunt eam, & omnes mœstitias præteritas infinita consolatione compensant. O chariſſimi filii mei

G

Sion patria nostra.

Terra viventium quæ.

H

Scriptus An. 1606.

quàm inæſtimabilia ſunt gaudia mea! Surgite qui triſtes jacetis, & in plateas Urbis, quæ dicitur, Pacis viſio, cogitatione ſaltem aſcendite, multiſque affectibus amoris inter choros canentium converſamini. Utinam no-
A men Civitatis meæ exaretur non certe ſtylo ferreo in plumbi lamina vel dura ſilice, ſed in libro cordis veſtri digito ſpiritus mei, qui docet ſecreto ineffabilia myſteria mea. Elevate capita veſtra filli Adæ, & ſerenitatem Cœli, quod extendi ſicut pellem per intervalla ſaltem contemplamini, ut ſpiritus dirigatur in atria mea, & amore ferventiſſimo deficiat. Proiicite à vobis iugum ſervitutis, qua ſine requie laboratis: & ad privilegia domus meæ innumerabilibus cordis aſcenſionibus aſpirate. Hæc ſit perennis cogitatio

Cogitatio noſtra quæ.

& ſollicitudo veſtra, quæ omnem mundi conſolationem excludat, & corda clamantia ex longo itinere fatigata, refrigeret. Aſpicite è valle lachrymarum verticem montis ſancti mei, & quaſi pedibus cervorum ad ejus ſummitatem properate. Et ego vos currentes
B comitabor, & genua trementia roborabo, & implebo viſcera veſtra torrente puriſſimæ voluptatis meæ.

QUINTA PARS.

Ubi agitur de iis, quæ movent ad amorem Dei.

CAPUT I.

Quanti ponderis ſit amor Dei.

C

Primum legis Dei mandatum.

PRimum, & maximum mandatum dulciſſimæ legis, quæ eſt propria novi teſtamenti mei, in amore ſummo poſitum eſt. Ratio quippè poſtulat, chariſſimi filii, ut ſummum, & incommutabile bonum ſummo amore diligatur. Quod ſi bene conſideretis, apparebit oculis cordis veſtri infinita dignitas Majeſtatis meæ, immenſa bonitas, & ſuaviſſima pulchritudo formæ Dei; quæ amorem fortiſſimum excitabit. Invenietis enim theſaurum divinæ bonitatis abſconditum in terra puriſſimæ carnis meæ, & corda veſtra tantæ conſolationis magnitudine convicta cognoſcent, inæſtimabiles eſſe di-
D vitias amoris mei. Certè ſi ſciretis, quanta ſit divinæ dilectionis altitudo, latitudo, profunditas, & longitudo; cito relinqueretis omnia mundi bona, & pateremini omnia mala, ut Pacifici Regis, cujus vultum deprecantur omnes divites plebis, amore inflammaremini. Per amorem infiniti decoris mei accedit homo ad cor altum, cujus aſcenſionibus exaltatur Deus. Amor meus

Amor Dei melle dulcior.

melle dulcior, & auro obrizo pretioſior cor elevat; ut arbitretur omnia, quaſi ſtercora, & me ſolum vitam, & fortitudinem ſuam avidiſſime lucrifaciat. Amor tanquam ignis non comburens, ſed illuminans, figit in ſolo decore meo deſideria cordis peregrini, atque ſolliciti, faciem meam ſine fine E
requirentis. Beati amici mei, quorum totum opus dilectio eſt; quorum caſta corda nutrimento amoris aluntur: mirabili quippè transformatione mutabuntur in me. Ego ero tota illorum ſalus, & voluptas, nec patiar illos diverti ab amplexu meo. Erunt quaſi catuli leonis, quos dulciſſimo ſomno accubantes, nemo ſuſcitare audebit: ego enim præcipiam, ne ſuſcitentur, donec ipſi velint. Vigilabit cor eorum dormientium æterna vigilia charitatis ſollicita præcordia ad amorem impellentis. Hæc eſt pars quærentium me, & vendentium omnia bona ſua pro primogenita dilectione mea. Propter quod dilectiſſimi filii, non deberetis permittere ſomnum oculis veſtris, & palpebris veſtris dormitationem, donec inveniretis pretioſiſſimum amorem meum multis laboribus exqui-
F ſitum ad fabricam ferculi Salomonis; qui media ferculi ſuaviſſima charitate cupit ornare propter filias Jeruſalem. Hæc meditamini filii, & totis viſceribus corda veſtra mihi præparate, ut amore veſtro allectus, recliner in eis, tanquam ſponſus in thalamo ſuo.

Pars quærentium Deum.

CAPUT II.

De ſapientia Chriſti.

G

PArva illa ſapientia, quam homines inter tenebras ignorantiæ in ſcholis diſcunt, eos apud alios homines adeò mirabiles, & amabiles facit, ut eorum gratiam captare, & ſecum habere etiam principes terræ curent. Quid ergo facere deberetis filii erga me, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? Ego altiſſima ſapientia ab initio, & ante ſæcula creata ſum, intuituque meo omnia Dei opera, & omnia inenarrabilia Dei ſecreta contemplor. Ego numero arenam maris, & multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina voco. Ego numero guttas aquæ maris, & profundum abyſſi penetravi. Ego cum Patre, & Spiritu meo feci Cœlos in intellectu: & certa lege ac gyro maris undas vallavi, ne tranſirent fines ſuos. Omnia compoſui in numero, pondere, & menſura, vocans ea quæ non ſunt, ſicut ea quæ ſunt, luſtrans omnia limpidiſſimis oculis meis. Ego comprehendo ſapientes in aſtutia ſua; neque eſt, qui ſe abſcondat à conſpectu meo. Ego abſcondo ineffabilia myſteria divinitatis, & humanitatis meæ mundi ſapientibus, & prudentibus: & revelo incerta, & occulta mea parvulis, ut non glorietur coram me omnis caro. Beatus, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet immortalem, & dulciſſimam vitam, & hauriet pretioſiſſimam ſalutem à Domino. Si ergo ſapientiam æſtimatis filii, me ſapientiam æternam

Dei omnipotentia.

H

Proverb. 8. 34. 35.

totis

Scriptus An. 1606.

totis viribus fortissimè diligite, & splendorem meum sole clariorem, suavitatemque meam omnibus mundi voluptatibus majorem die, nocteque requirite. Ascendite multis cordis erectionibus ad secretam scholam sapientiæ, ubi cum mundi contemptu gustetis saporem meum. Orate viriliter, & pulsate
A ut aperiantur oculi vestri ad videndam lucem formosissimam, cujus comparatione non splendent astra matutina. Sanctificamini, & estote parati, ut accedentes ad me illuminemini, & seraphicis flammis ardeatis. Interim verò, dum solo auditu accipitis famam sapientiæ, quæ omni thesauro amabilior est, finite vos trahi post me, & amoris gressibus ad me cupidissimè properate. Ego vos fideles servos meos in abscondito docebo mirabilia magna, & implebo spiritu sapientiæ, & intellectus casta & humilia corda vestra.

Viriliter orandum.

CAPUT III.

B

De nobilitate Christi.

ADorent homines nobilitatem generis, incredibili ejus amore capti, quasi splendor quidam humanæ conditionis sit. Gloriantur antiquitate paucorum dierum, & rebus gestis majorum suorum ipsi superbiunt: & tamen ob solam hæreditariam nobilitatem amantur, & in admiratione habentur. Si ergo cor hominis tam facilè trahitur amore nobilitatis, quale consilium est; me, qui sum ipsa nobilitas non amari? Ego sum antiquus dierum, claritas ipsa, & candor lucis æternæ, quæ nullis nebulis obscurari potest. Sum altissimi filius, ante quem non est formatus Deus. Sum clarissimum lumen de lumine à quo splendor omnis creatus derivatur. Nihil est in me,
C quod non sit excelsum, & splendidum: nihil, quod rege clarissimo non sit dignum. Nulla obscuritas, nulla culpæ nota, nulla reprehensio vel in me, vel in operibus meis unquam inventa est. Non habeo ego insignia nobilitatis, qualia homines ex leonibus vel aquilis assumunt, ut significent animorum magnitudinem vel fortitudinem: ego enim sum ipsa magnitudo & fortitudo, quæ non ornatur extrinseco apparatu. Ego feci, ut oriretur in Cœlis lumen indeficiens: Ego æthera firmavi sursum, & libravi fontes aquarum. Ego quando carnem vestram è stirpe regia assumpsi, percussi sicut vulneratum superbum, mortem occidi, infernumque momordi. Ego eduxi vinctos de lacu, in quo non erat aqua, in sanguine novi testamenti mei: & portas æreas, vectesque ferreos in brachio excelso confregi. Ego alligavi fortem armatum, & spolia ejus diripui: glorioſissimoque triumpho ascendens in altum, captivam duxi captivitatem. Omnia opera mea, distincta sapphiris quasi cœlestibus signis, divina nobilitate clarescunt. Considerate nunc filii, quàm sim amabilis ex hoc capite nobilitatis, sive naturam divinam, sive humanam, sive gesta mea contemplemini: ut mihi totis visceribus adhærere, & à me nunquam separari studiosissimè curetis. Si feceritis quæ præcipio vobis accedentes ad me, illustrabimini cœlesti nobilitate mea, quæ omnem infamiæ indignitatem, maculamque detergit. Induam vos purpura ar-
E dentissimæ charitatis, & byssо puriſſimæ innocentiæ meæ: ut inter patritios Jerusalem, qui vestiuntur croceis, numeremini, & ornatu regio honestati, splendoribusque sanctorum amicti, in aula Regis Pacifici, cui serviunt omnia corda nobilia in cœlo, & in terra, altissimè conversemini.

Amore nobilitatis cor facile trahitur.

Dei omnipotentia.

Purpuræ, ac byssi significatio.

CAPUT IV.

De liberalitate Christi.

CErtissimum vobis est, Adæ filii, in liberalitate principum magnum pondus amoris esse. Non enim puro illorum intuitu, sed lucri aut commodi vestri respectu servitis duram servitutem. Jam ergo, si lucra sectamini sicut mercatores, qui quærunt, quæ F sua sunt; vel hac ipsa ratione diligite me, & mandata mea fideliſſimè servate. Ego enim sum Dominus universorum, cujus thesauri exhauriri non possunt. Meus est orbis terræ & plenitudo eius, recensui omnia volatilia Cœli, & fœcunditas agri mecum est. Ego facio pingueſcere speciosa deserti, & campos repleri facio ubertate. Ego Altissimus divido gentes, separoque filios Adam & assigno illis terram in mensura, in funiculo distributionis. Omnia à me expectant, ut dem illis escam salutarem in tempore, & mittam optatam saturitatem in animas eorum. Et sive honor, sive utilitas, sive voluptas requiratur, ego super omnes reges terræ ditabo & delectabo, & honorificabo fideles amicos meos. Legite filii, attente dulcissimas scripturas meas, & recolite suaviſſimum Evan- G gelium novi fœderis mei, & mirabimini liberalitatem Unigeniti filii Dei cum hominibus conversantis. Quis unquam hominum rogavit me, super quo non commoverentur viscera mea, ut donarem quæ postulavit, vel meliora quam sciret postulare? Curavi languidos eorum: mundavi leprosos eorum: suscitavi mortuos ipsorum: pavi turbas populorum, & quod summum est, ad unum suspirium dimisi gravissima debita peccatorum: quid ergo est, quod corda hominum nimis avara non capiuntur infinita liberalitate mea? Usquequò non bene sentient de me filii Adæ, & saltem ob munera Regem Jerusalem non amabunt? Ego subieci omnia sub pedibus vestris, ut non solum terra, sed & sol, luna & cœli cœlorum, opera digitorum meorum servirent vobis, paratus (si hæc parva vobis videantur) dare quoque maiora: quare ergo non movemini muneribus, & diligitis ampliſſimas opes vestras? Filii mei, duri H corde, resipiscite, & infinita liberalitate mea emolliri vos sinite: nam & feræ hac lege mansuescerent. Sequimini me, & cultum ma-

Liberalitas Christi.

Cordis humani duritia.

Scriptus An. 1606.

magni nominis mei fiduciæ principum mortalium anteponite: & ego faciam vobis in Israel domos absque tributo. Multiplicabitur hæreditas Domini, & confecto vitæ cursu ascendetis ad me de terra deserta, divitiis, & castissimis delitiis affluentes, onerati spoliis dulcissimæ charitatis meæ.

A

CAPUT V.

De Pulchritudine Christi.

Nihil pulchritudine amabilius.

EXperimento cognovistis, charissimi filii, nihil esse amabilius pulchritudine; habet enim ea vim quandam admirabilem, qua efficaciter, & suaviter corda capit. Huic omnes principes terræ sponte serviunt, etsi potentes, & fortes sint: quia fortior est pulchritudo. Cùm ergo ego Unigenitus Dei filius decorem indutus sim, & nihil in me inveniri possit, quod amabilissimam, & infinita suavitate præstantem formam non deceat; mirum est, quomodo universi homines me non ardentissime diligant, & fortissime adhæreat anima eorum post me. Sum candidus, & rubicundus, electus ex millibus &

B

Pulchritudo Christi.

summis desideriis non solum à filiabus Jerusalem, sed à Virginibus Tyri expetitus, propter absolutissimum decorem, & honestatem meam. Filiæ Regum in honore meo me studiosissime requirunt, & nobilior Christiani populi pars, quæ puellis speciosissimis & adolescentibus forma elegantissima præditis constat, cum alto mundi contemptu me secuta est. Non enim solùm forma Dei, qua spiritus beati, animæque gloriosæ capiuntur, sed forma hominis, quam pro vobis assumpsi, dulcissima pulchritudine, corda casta suspendit, & omnem mundi gratiam contemptibilem facit. Si semel aspiceretis, filii, candorem purissimum corporis mei,

C

quo vestri oculi corporei in civitate primogenita delectandi sunt, dicto citiùs spernerétis omnem carnis venustatem, quæ filiis hujus sæculi super divitias, & honores amabilis, suavisque videtur. Omnia corda decor ille vultus mei, quem reginæ cupierunt, emolliret, & vel uno oculorum meorum viscera vestra vulnerarem. Cogitate si valetis Majestatem meam, & staturam illam assimilatam palmæ, quæ eminet super choros Angelorum dum filius hominis, speciosus forma, sedet à dexteris Dei. Extollite corda in spectaculum illud, quod post labores, & sudores inæstimabili cum voluptate visuri estis, ut lætemini, & satiemini castissimis delitiis meis. Quid moramini filii? curritis post me tracti ineffabili gratia, & suavitate mea? Detestamini consortia filiarum Moab, & Sidoniarum connubia prohibita vitate, diligite serenitatem Cœli, & formam meam candidissimam, & splendidissimam, qua nihil dulcius, & delectabilius cogitari potest, seraphicis ardoribus amate. Et ego Cælo serenior, & sole formosior ero delitiosissima præda vestra.

Sponsi statura palmæ assimilata.

D

Consortia filiarum Moab, & Sidoniarum connubia prohibita.

CAPUT VI.

De suavitate communicationis Christi.

SUavitas conversationis, filii charissimi, studiosissime desiderari, & amari solet: & hæc ratio est, ob quam homines quantumvis deformes in magno pretio habentur. E Trahunt enim dulcedine mirabili alios, dum loquuntur, & cum eis versantur, quod experientia notissimum est. Si ergo hæc est hominum conditio, quid est, quod me, cujus conversatio melle dulcior est, pauciss. Christi conversatio melle dulcior. simi filii Adæ requirunt? Ego mitissime recipio omnes venientes ad me: & à sæculo non est auditum, quod aliquem mihi adhærere cupientem repellerem, vel importunitate molestarer. Ego cum infinita lenitate tracto quos recepi, & illos benignissime recreo. Ego dum loquor eis ad cor, statuo procellas eorum in auram, & tristitiam omnem converto in intima, & purissima gaudia mea. Diffusa est enim gratia in labiis meis, quorum melle, & lacte arida quoque ossa riganF tur, & penè mortua, lætissima vivificatione resurgunt; Ego fessis labore amicis meis pono lævam sub capite inclinato, & circumducta dextera amantissime amplector illos, ut humiles, & pauperculos adstringam visceribus meis. Utinam homines saperent, & intelligerent magnitudinem dulcedinis, quæ percipitur in secreta communicatione mea. Certe nollent amicos alios, vel consanguineos habere; sed toto corde suo suspirarent ad me, omnisque illorum sollicitudo esset, ne forte proiicerem eos à formosissima facie, & dulcissima conversatione mea. Interrogate, filii, eos, qui vel semel tantum mecum conversati sunt in secreto meo; & videbitis, quibus flammis ardeant, & quoties aspirent ad prægustatam consolationem, cujus comparatione omnia mundi delectamenta vilescunt. Uno enim verbo soleo ego animarum perturbationem inferno similem sedare; unoque similiter verbo multorum annorum pressuras abundanter compenso. Vox dilecti viscera dilatat, & cælesti delectatione replet. Vox dilecti viscera dilatat. Iam ergo, filii mei, respuite hominum communicationem, & Altissimo filio totis visceribus intentissime vacate. Quærite lectulum Salomonis, & domum odoratam, cujus tigna sunt cedrina, & laquearia cypressina: & spretis hominum oblectamentis, diligite me, & percipite, clauso cubiculo, purissimas delitias absconditæ amicitiæ meæ.

G

CAPUT VII.

De amore Christi erga homines.

H

TAnta est, filii charissimi, magnitudo amoris mei erga vos, ut hæc sola potens sit ad corda ferrea mollienda. In charitate perpetua dilexi vos usque in finem, ita ut amor non posset ultra procedere. Dedi pro vobis, factus Redemptor, & frater vester, omnem substantiam domus meæ: & Magnitudo amoris Christi.

Scriptus An. 1606.

quasi nihil despexi eam, quando in civitate regia, & sacerdotali operatus sum pretiosissimam salutem vestram. Beatus qui intelligit divitias charitatis meæ, quia cognoscens se amore meo gratis præventum, in lachrymas dilectionis resolvetur à fortitudine caloris mei. Dicite mihi filii, quantus amor fuit ille, qui me è sinu Clementissimi Patris mei ad rusticitatem vestram descendere fecit, ut essem tanquàm malus dulcissimi fructus inter acerba ligna sylvarum? Quis unquam audivit talia, ut altissimus Dei filius, cuius aspectu sol obscuratur, & à cujus magnitudine Seraphim velant facies suas, fieret sacerdos hominum secundum ordinem Melchisedech? Quis ab initio mundi cogitasset ardores æternos, quibus arserunt viscera misericordiæ Dei vestri, in quibus visitavit vos oriens ex alto? Usquequò non mitescent filii mei, infidelia corda vestra? Postulate quicquid honestum est, si amor meus quem tot laboribus, & muneribus ostendi, non emollit animas vestras, quid enim negabitur vobis, pro quibus Unigenitus Dei filius homo, & amicus hominis factus est? Quomodo obscuratum est aurum puri amoris mei, qui iam non invenitur in terra, quam filiis hominum, qui recesserunt à me? Fuerunt olim multi chori canentium canticum Regis Pacifici, & cupientium fortissimè adhærere mihi ligati funibus prioris charitatis meæ: Nunc verò rarò valde unus è multis millibus requirit, ut par esset, formosissimam lucem, & suavissimam præsentiam meam. Ego vos deformes, abiectos, & ingratos amavi, & pro vobis sacrificavi dilectam animam meam: quare ergo me decorum supra omnem mundi pulchritudinem, excelsissimum supra omnem mundi gloriam, humanissimum supra omnem mundi mundanorum Regum clementiam non amatis: Convertimini saltem nunc ad me, & deposita cordis feritate mitescite: ut amor, qui omnia vincit, pectora vestra huc usque frigida, & obdurata vitali calore dulcissimi spiritus mei, & inæstimabili delectatione commoveat.

A

Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

B

C

Amor omnia vincit.

CAPUT VIII.

De amoris munere, quod est Beatissima Virgo.

DUri nimis estis, Adæ filii, si filia Sion, & prudentissima Virgo, quæ genuit me, ad amorem meum non inflammat pectora vestra. Quid enim non donavi vobis quando speciosam sicut columbam; & formosam sicut Jerusalem constitui mitissimam Reginam, & matrem vestram? Candor ille purissimus, in quo lucet innocentia mea quale saxum non emolliat? Aspicite Cœli Dominam, rubentem super flores rosarum, candidamque super lilia convallium, & admiramini pulchritudinem illam, quæ totius urbis sanctæ corda delectat, & quasi fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Et considerantes vos esse adoptatos in charissimos filios ejus ac dilectissimos fratres meos; amare ac desiderare me tandem incipite. An oculi illi misericordes ad labores vestros semper conversi, purissima castitate, & amoris suavitate præstantes, animas vestras non commoveant, & ad auctorem tanti boni non convertant? Ascendite ad me per scalam istam dulcissimæ charitatis gradibus constructam: ut mihi per illam conciliemini. Considerate quantum apud Regem Salomonem gratia valeat nive candidior ejus genitrix, quæ astitit à dextris ejus in vestitu deaurato, & tam ineffabilem decorem totis visceribus, medullisque diligite. Hæc est mater nostra, dicite, per quam accessum habemus ad primogenitum filium ejus. Ascendamus in palmam, & colligamus suavissimum fructum, quo nutriamur, & exultemus à botris infinitæ consolationis ejus. Odoramini, filii mei, cinnamomum, & balsamum, cujus odore delectemini, & ad puros amoris mei affectus afficiamini, tracti catena dilectionis, è Reginæ Sion pulchritudine nascentis. Si tenerrimæ genitricis meæ forma capiamini, per eam similitudinem introducemini ad divinum decorem meum, in cujus aspectu luminaria Cœli magna tenebrescunt. Beati eritis filii, si filiam principis per plateam Jerusalem incessu gravi gradientem, post quam multa millia Virginum lilia gestantium Regi asseruntur, contemplari, & amabilissima ejus gratia trahi curetis. Ibi enim me tanquam in speculo purissimo lucentem videbitis: & (quod à vobis posco) charitatis meæ jaculis vulnerati, amabitis, & ardebitis inextinguibili, ac dulcissimo incendio castissimi amoris mei.

Virgo Maria Mater nostra.

D

Nosque filii ejus adoptivi.

E

F

Genitricis Christi forma.

CAPUT IX.

De perfecto Discipulo Christi.

ILle perfectus meus discipulus est, charissimi filii, qui abnegato proprio judicio, nihil se scire existimans, mitissimo corde versatur in schola mea, audiens quid loquatur in ipso Dominus Deus, & certo confidens, quia loquetur pacem in plebem suam. Non disputat, nec speculatur; sed pro omni ratione fortissima, sufficit ei voluntas mea in cujus executione disciplina pacis posita est: Non ratiocinatur, nisi quod necessarium est, donec agnoscat quid velim ego: & statim redigit in captivitatem intellectum, omnem sapientiam suam constituens in simplici adimpletione dulcissimi mandati mei. Sic ego amore infinito protego eum, & per terram desertam deduco, quemadmodum deduxi, sicut ovem Joseph. Neque desiderari potest major prudentia in homine, qui ignorat an odio vel amore dignus sit, & nescit finem suum; quàm humiliter audire me; neque rationem mandatorum meorum requirere, sed fidelissima obedientia obtemperare mihi. Ego enim erudio casta, & humilia corda, tanquam singulorum

G

Perfectus Christi discipulus quis?

H

pæ-

Scriptus An. 1606.

pædagogus. Constituit quippè me clementissimus Pater meus dominum domus suæ: ut erudirem non solum principes terræ, sicut memetipsum, verum etiam ut iuvenes, & senes eius, pauperes, & abiectos ejus prudentiam docerem. Beatus cujus Deus adjutor, & magister est: jactabit enim pondus suum in eum, & confidet quasi leo, ac viam mandatorum meorum pace multa percurret. Abiicite ergo filii doctrinas hominum quæ ad æternitatem non proficiunt: & instructionem meam toto corde percipite, Vacate, & videte, quàm suavis sit dilectio, & sapientia mea: & ad prudentiam justorum discendam furtivis horis vos mundo subtrahite, eiusque negotiatores pia fictione seducite. Ego veniam citò rationem ponere cum servis meis: & sedebo conflans, & emundans argentum, purgaboque filios Levi, quorum hæreditas, studium æterni, ac summi boni, & melle dulcior dilectio est. Præcingite lumbos purissima castitate, & lucernas accensas cordis vigilia tenentes, estote parati occurrere mihi: & recipietis coronas candidissima luce splendentes, ut inter principes terræ viventium honoremini, sedebitis mecum ad lautissimam, & dulcissimis epulis instructam mensam meam: & dabitur vobis à labore mortalitatis requiescere in delitiosissimo thalamo sempiterni amoris mei.

Christus humilium pedagogus.

Dei sapientia suavis.

Dilectio melle dulcior,

A

B

EPISTOLA

Pro vero, ac puro Dei amore impetrando.

Pacifico Regi cordium Jesu Christo exul homo S.

C

MItissime & amantissime Jesu Christe, qui cordium regnum factus homo comparasti non ferro, sed ligno; scio quid à me iure strictissimo requiras per legem immaculatam, & convertentem animas, propriam novi, & æterni testamenti tui. Postulas enim primo, ac dulcissimo mandato legis tuæ, ut diligam te ex toto corde, tota mente, tota anima, ex tota fortitudine mea; omnes quippè vires meæ debentur infinitæ bonitati & decori tuo. Bene est, ô filii Dei Altissimi, ut vinculis charitatis, & funiculis Adam velis astringere me creaturam tuam, inter filios alienos, tuis inspirationibus tam sæpe rebellem. Nunc autem magni mandati tui desiderio ductus, & cordis mei ad peregrinas

D voluptates inclinati fragilitatem cognoscens, prosterno me tibi in Ecclesia tua, & pulso magnam misericordiam tuam, ut hyssopo aspersus, mundus, & super nivem dealbatus, charitatis gressibus, & brachiis sequar, & amplectar te. Recordare dulcissime fili Dei cui suspirant viscera mea, me unum esse de parvulis, qui ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis, & te Redemptorem esse, cujus est solvere compeditos. Oro igitur ô mansuetissime, solve me. De profundis cordis mei ô benignissime clamo ad te, ut hominem de immundo conceptum semine mundum facias: nec sinas in amoris causa seduci, & pro summo decore tuo mundi decorem apparentem affectare. Sollicitum cor meum tibi soli pateat conditori suo: & tu, qui solus es omne bonum, expleas omnes sinus ejus, & in æternum domineris illi. Animadverto, ô fili Dei formosissime, præsenti & fallaci carnis gratia vehementer affici parum castos sensus meos, & ad amabilissimam formam tuam, quod absens sit, lentè nimis aspirare. Ardentissimè igitur obsecro te, suavissime Deus, per cor fidelissimum intemeratæ matris tuæ, ut auferas à me amorem vanissimum corporeæ pulchritudinis, & me totum transferas ad purissimum amorem decoris tui. O serenissime candor cordis mei, ne proiicias me à facie tua, & à fallaci creaturæ gratia, ut pupillam oculi custodi me. Sordeat mihi, rogo te, figura mundi, quæ præterit, & post immortalem pulchritudinem tuam, in odorem unguentorum tuorum trahe me, Illabere precor te in penetralia cordis mei: & imprime mihi servo tuo dulcissimam, atque lætissimam formam tuam. O pulchritudo majestate plena, quæ amorem immensum in corda tibi patentia infundis, tantummodo in ista voce exaudi me. Ne patiaris, ô suavissime sponse animæ meæ, cor meum, quod non valet invenire pascua sua, æterna fame torqueri: sed dum in exilio versor, doce me viam rectam, quæ perducat me in optatissimam requiem formæ tuæ, ut pascar dulcissimo pastu præsentiæ tuæ. Averte oculos meos, ne videant vanitatem filiarum Madian, quæ me divertunt à perpetua recordatione formosissimi vultus tui, cui filiæ Sion purpura vestitæ consecrarunt præcordia sua, & redime me à calumniis & fraudibus filiorum Adæ, qui verum Deum meum cum diis alienis tristi mercatura commutant. Tu solus ductor meus, & custos cordis mei sis; ut exardescam siti solius bonitatis, & decoris tui, & fortiter repellam quicquid obstat syncerissimo amori tuo, illustra faciem tuam super cor anxium servi tui: ut capiatur specie tua, & pulchritudine tua, quam corda casta requirunt. Ne repellas, Altissime Deus cordis mei, animam meam satagentem & acutissimis gemitibns cælos tuos penetrare conantem, ne forte, virtute ejus deficiente, fœdus ineat cum Chaldæis, & obliviscatur dulcissimam Jerusalem, quam requiro. O vitalissima fortitudo animæ meæ, ne contemnas cupientem adhærere tibi, & amoris æterni tui facibus inflammari, & immolabo tibi primogentia suspiria mea, & adhæsura tibi semper viscera mea. Accelera, precor te, ô pretiosissima hæreditas & præda mea; & sensus meos visco carnis impeditos, erue citò de luto fæcis: ut impollutis affectibus exquirant te melle dulciorem pastum suum,

E

F

G

H

Scriptus An. 1606.

& expectatissimam consolationem suam. Libera me iam de sanguinibus amabilissime Deus salutis meæ & spiritum rectum, & castum puri amoris tui innova in visceribus meis: ut flante hoc austro tuo creer, &
A renovetur facies aridæ terræ meæ. O sapientia quæ ex ore Altissimi prodüsti, cujus inæstimabili suavitate dura corda liquescunt: influe, oro te, in sicca animis ossa mea, & liquefac intimas, & tibi soli notas medullas meas: fœder amoris fœdera, quæ fidelissimè servas, nobilissime Rex Sion, montis sancti tui, obsecro te, fac me servum emptitium, aut bello captum tenerrimi cordis tui: ut perenniter serviam tibi; & libera servitute dilectionis requiram infinitam bonitatem, & sereniſſimam faciem tuam. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam
B Domine requiram. Quocirca, rogo te, ô speciosissime formâ præ filiis hominum, numetes me in generatione casta, quærentium Deum quærentium faciem splendidissimam Dei Jacob. Ure, tibi supplico, ô amantissime fili Dei, renes meos, & cor meum igne tuo, & repurga à fœcibus animam meam, ut sine consorte ullo possideas lacte ablutam prædam tuam. Curre velociter, ô hinnule cervorum, & expetita valde salus mea, & eripe me de manu filiorum alienorum, à studio divini amoris tui alienare quærentium animam meam, & fac, ut in concilio justorum, & congregatione reddam tibi primitias cordis mei. Inclina cor meum præsentiæ tuæ cupidissimum in desiderabilia
C super aurum, & examinata sicut argentum, ac dulciora super mel & favum testimonia tua, & fac me diligere amore prægnantem & immaculatam legem dulcissimæ charitatis tuæ. Perfla hortum meum, cujus flores languent, spiritu vitali tuo: ut fluant aromata illius præ subitanea liquefactione suavissimæ dilectionis tuæ. Convertere aliquantulum, ô purissimum speculum vultus mei, & fac mihi copiam voluptate plenam præsentiæ tuæ: & in ara cordis mei, quæ fumat tibi, ineamus fœdus sempiternum honestissimæ, ac delectatione divitis dexteræ tuæ. Emitte formosam valdè manum tuam de alto ut sollicitet amoris stimulo viscera mea, &
D fac, ut exul fleam, & suspirem ad patriam meam, & redire curem ad te, optatissimam & pretiosissimam libertatem meam. Considera, oro te, ô immensa opulentia mea, egestatem animæ meæ, modicam aquam pretio comparantis, & in deserto, ubi non est charitatis habitatio, per loca horrida aberrantis, & refrigera linguam meam, ac deduc me in civitatem habitationis, quæ construitur æterna dilectione tua. Cessat jam, ô mansuetissime, indignatio tua, ad quam te provocavit ingratitudo mea; quiescat ira dulcissimi cordis tui, ubi nidum invenire cupit hæc vaga columba animæ meæ: & vocabo te summam consolationem meam, & sponsum electissimum cui reddam coniugale debitum cordis mei.
E Certior factus sum de fidelissimo erga me amore tuo, Unigenite fili Dei, & ideo non tam quæro, ut ames, quam ut ardentissimè ameris à me ingratissimo servo tuo, quam à dura captivitate redemisti pretio magno nobilissimi sanguinis tui. Seda, precor, jam multis procellis passionum, & tentationum agitatam animam meam, qui circundas mare terminis, ponisque vectes, & ostia dicens: Hucusque venies, nec procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Et per brevem saltem requiem, omnibus viribus meis convenientibus in unum, validissimè
F amabo te suavissimum Deum meum, & è multis millibus electum amicum meum. Faciamus iam pactum dilectionis permansuræ, ô fortissime: ut sicut charitate perpetua dilexisti, & attraxisti me, ita ego dilectione perenni requiram, & attraham te infinitum decorem meum. Ingenera mihi celeriter, ô amator invictissime, magnitudinem cordis amœna, & amabilia omnia respuentis propter te, ut exultem, sicut gigas, ad currendam viam, donec requiescam in te. Arma me, ô robustissime, viribus amoris tui omnia ad se trahentis, & lapidea corda in carnea convertentis, ut fortis fiam fortitudine tua, & fiam misericors à teneritudine, & suavitate tua. Confla me, ô sapientissime, quasi aurum
G & scoriam veteris Adæ patris mei consume igne sapientiæ tuæ: quæ mirabili mixtione pascit incendium tuum, flumine vivo, cum impetu decurrente è penetralibus dulcissimi cordis tui. Insculpe, ô potentissime, duro nimis cordi meo elegantissimam, & sereno Cælo simillimam præsentiam tuam, additis quoque multis vulneribus per iacula charitatis tuæ, & largo potu dulcedinis tuæ recrea iam læsa, & tibi suspirantia viscera mea. Deterge, ô sereniſſime, nebulas oculorum meorum in sæculi nocte caligantium, nec lucem formosissimam vultus tui videre valentium, ut capiar decore tuo, & sempiternis ardoribus exquiram nobilissimam formam
H tuam. Hæc sit jugis meditatio & exercitatio mea. Hæc sit secreta prudentia, & fortitudo mea. Hic sit potus, & esca mea, & nutrimentum cordis mei. Lege amanter, ô amabilissime candor lucis æternæ, hæc vota, & suspiria mea, quæ in atriis domus tuæ, & in medio suavissimæ Jerusalem sacrificavi tibi: & excita seraphicos affectus in avidissimo decoris tui corde meo, ut nihil unquam quærem nisi placere tibi, & adhærere dulcissimæ animæ tuæ. Vale.

AP-

APPENDIX.

CANTICI CANTICORUM

BREVIOR EXPLICATIO.

BIBLIOTHECA CLASSICA

SELECTA

INDEX

IN SEQUENS ANEKΔOTON PRÆMONITIO.

EN pretioſum quoddam Johannis Noſtri monumentum, quod Generali Ordinis noſtri Chartophylacio obſeratum, deſertumque hactenus jacuit, quamquam diligenter, ſancteque cum aliis Auctoris Archetypis cuſtoditum. Quid illud deinceps, niſi & noſtrorum Præſidum humanitate, auctoritateque, & noſtro ſtudio extumulatum, exſcriptum, publicæque nunc luci comparatum, omnibus cùm piis, tùm verò Sacrarum Scripturarum eruditis viris, feſtivè equidem, utiliterque prodiret? Nùm tempore, quod omnia corrodit, nùm blattris, ac tineis, quæ ſacratiora quæque pervadunt, vorandum? Deus aliquis videat, edicatque. Id unum certum eſt, hoc aureum Opuſculum ita ad nos uſque latuiſſe ἀνέκδοτον, *ut non modò Colonienſibus Editoribus ignotum, ſed & noſtris, & extraneis Bibliographis, & Hiſtoricis fuerit omnino inexploratum; quùm illius nemo, quem viderimus, meminerit. Et tamen ſive elegantiam, ſive altiſſimæ ſapientiæ ſenſa, ſive divini ſpiritus ſuavitatem legentis animum altè penetrantem inſpiciamus, nulli alteri ex ejus Operibus cedit, quamquam curſim, inelaborateque ſcriptum manifeſtiſſimè appareat. Quin & alias ipſius elucubrationes, mira pro rei argumento brevitate vincit, atque inde plauſum, utilitatemque fortè majorem adſequitur.*

Continet ſcilicet compendioſiſſimam in Canticum Canticorum explanationem, paucarum, ut ipſe ait, lectione horarum expediendam; quæ alterius fuſioris, accuratioriſque, quam ſupra dedimus, veluti ſpecimen, & rudis quædam præformatio fuiſſe videtur. In ipſo enim autographo, quo hìc utimur, non raræ occurrunt expunctiones, abraſiones, lituræ, quibus vel jam ſcripta revocantur, vel ſententiæ protrahuntur, contrahunturve, vel omnino tolluntur. Eſt autem illud paucorum foliorum codicillus, ſeu libellus, in quarto, ut ajunt, complicatus, manu totus ejuſdem Venerabilis Auctoris exaratus, certiſſimè ante an. 1598. *quo longiorem illam* Interpretationem *expolivit; ac proinde huic præſenti annum* 1597. *ut maximum, conſignamus. Nemo autem nos jure reprehendet, ſi poſt illam, hanc quoque huic Volumini, Appendicis loco, inſerimus, quùm etſi alteram ex altera natam ſtatuamus, utraque verò eumdem ſenſum principem continenter præſeferat, in multis tamen hæc*

ab

ab illa discriminatur, idque peculiare habet, ut velocissimo oculi jactu, unà cum Sacro Textu procurri possit; ex ea verò maximè eluceat, quantùm etiam currenti calamo, & prima, indigestaque rerum quoque altissimarum conceptione, Scriptor noster valeret. Quam ob caussam ne verbum quidem immutavimus, expunximus, aut adjecimus, quamquam nonnullæ quasi repetitiones, præsertim in proximis præfixis Canonibus aliquoties occurrerint: nisi quòd semel fortè, at bis nexum aliquem, seu brevioris copulationis particulam interseruimus, ut sermo variis emendationibus intercisus, naturali Scriptoris eloquentia proflueret; quod alienorum Operum vulgatoribus licere, exemplis non paucis intelleximus. Animadvertere autem heic arbitramur, notulas aliquas longiores ad marginem esse ejusdem Ven. Scriptoris, reliquas pro cœpta methodo breviores à nobis adpositas. His ergo universis bene utere, Candide Lector, præclarumque Scriptorem Divinæ Sapientiæ spiritu, suaviloquentia profano sermonis melle dulciori repletum, effusumque magis magisque mirari, necnon nostrum qualemcumque laborem, ac diligentiam æqui consulere pergas.

VEN. P. F. JOANNIS A JESU-MARIA CARMELITÆ DISCALCEATI CANTICI CANTICORUM

EXPLANATIO BREVIOR.

CANONES AUCTORIS

CAnones hos animo complecti, Cantici hujus divini arcana sensa percepturis, maximè necessarium est.

I. Cum in Comœdiis, tragediisve stylus duplex sit, alter exegematicus, cum videlicet auctor poematis effatur, quidpiamque declamat; alter verò dramaticus, quo, Auctore silente, personæ comicè, tragicève mutuo agentes inducuntur. Secundus hic toti carmini quadrat.

II. Creberrimè (quod et in plerisque aliis divinæ Scripturæ locis animadvertere licebit) sub unius periodi ambitu, persona una sermocinans, modò secunda, modò tertia utitur persona, eandem scilicet personam alloquens: quæ sanè phrasis minime latina est, ac proindè sermonis claritatem interturbat.

III. Salomon divino afflatus spiritu, divini amoris erga hominem reseravit arcana; enisus est è media naturæ lege, incendii huius vires exprimere; atque ex naturalis affectu amoris, qui facile notissimus est, in hujus abstruti ardoris, augustissima quasi adyta penetrare.

IV. Porrò loquendi ratio, perpetua quædam, eâque longè pulcherrima metaphora est, quæ allegoria nuncupatur. At enim cum altera sit allegoria, qua sub veteris Testamenti gestis, Novi mysteria subnotantur; altera verò quæ perpetua ex metaphora efficitur; secunda hæc Rhetoricis familiarissima; Canticum Salomonis mirificè exornat.

V. Sanè cum Palestinorum mores à cæterarum moribus nationum longè plerisque in rebus diffiti pernoscantur; efficitur, plurcs à Salomone petitas è medio vulgo rureve similitudines, minimè videri rationi consentaneas; cum tamen mira sit in illis ad rem penitus explorandam efficacitas, & juxta patrios mores, cum agendi ratione congruitas.

VI. Quanvis in hoc dramate, a priscis Doctoribus, varie (etsi non admodum diversè) de personis colloquentibus censeri, sit exploratum; illa tamen sententia, quæ cum Deo agentem animam, & Dei Verbo (una vera hypostasi divina duabus in naturis subsistente, ut ex variis utriusque naturæ epithetis coniicere licet) hic ait à Salomone inductam, maximè nobis probatur; hæc propterea vigilantiùs sensu, ut ajunt, litterali expenso, ac perlibrato, elucubranda est. Et Virgines quidem, aliæve piæ animæ pro sponsa, & Ecclesiæ Doctores pro sponsi sociis, interdum loquuntur; ita ut quatuor introducantur personæ. Sivè, ut alii malunt, sponsus est verbum æternum in duabus subsistens naturis, quarum nunc unius, nunc alterius sponsa meminit.

VII. Carminis huius sensus qui litteralis appellatur, non est qui a vocibus propria significatione, atque prima redditur, sed translatus specioſa quadam varietate. Cumque ad mores examussim componendos, amoremque præsertim divinum excitandum, Carmen â Salomone destinatum, proposito duorum inter se ardenter amantium paradigmate; efficitur, ut qui aliis in libris, ubi voces propriè accipiuntur, esset sensus Tropologicus, translatione abs re gesta ad mores facta, sit in Carmine hoc Historicus, vel litteralis.

VIII. Quæ hoc Carmine ab sponsis laudes certatim congeruntur, non ordine Plu-

loſophiæ, aut Rhetorices præceptis tradito, expendere fas eſt, ſed (quod eſt amoris ingenium) non tam delectu habito, quam impetu, & ardore correpti ſe mutuò laudant. Hoc ideo dictum ſit, ne quis cenſeat, cum ſponſum audit ſponſæ laudes recenſentem, vel aliquas incongrue prætermiſiſſe, vel inepte artis præceptis in numerando non obtemperaſſe. Sanè qui ſic Amoris vires coercet, Amoris vim prorſus ignorat, cuius hæc eſt natura, ut modo in hæc, modo in illa rapiatur, nunc oculorum pulchritudine, mox quaſi cæterarum corporis partium oblitus, inceſſus, pedumque venuſtate capiatur.

IX. Sponſæ Virginis nomen crebrò accomodavimus, licet enim peccaſſe, ac proindè violata eſſe referatur, verum cum non agatur de corporis corruptione, quâ obſtante, nequit corporis integritas reſtitui, ſed de corruptione mentis, qua per pœnitentiam expulſa, poteſt virginitas, quoad formale, licet non innocentia, reparari; propterea ad maiorem vocis energiam, & emphaſin, nomine virginis inter alia ſponſæ nomina uti crebro viſum eſt conſentaneum.

S. Th. 2. 2. q. 152. art. 3. ad. 3.

X. Præcipuas huius Epithalamii partes, ſi minus omnes, ſibi amor iure ſanctiſſimo vendicat; quapropter illa videtur perquam germana ſenſui interpretatio, quæ, quoad eius fieri valet, plures aut herbarum, arbuſcularumve, aut certè rerum aliarum huc à Salomone accerſitarum proprietates refert, ad Amoris vim ſignificandam, & ipſius miros affectus referendos; nam cùm hic unus potiſſimus animum ſuaviter excruciet affectus, par eſt in Amoris palæſtra Conjugem utrumque creberrimè illius meminiſſe, & ad illum propalandum plurimas rerum imagines excogitaſſe.

XI. Fert animus ſynceram editionis vulgatæ, eamque minimè verboſè elucubrare interpretationem, quò quis paucarum lectione horarum totius Carminis ſeriem, atque ſenſum mente complectatur; undè alienum ab hujus ratione inſtituti duximus, crebris mentem abruere tranſlationibus, ex quibus nulla, aut certè per exigua ſynceriori explanationi claritatis fieret acceſſio.

XII. Brevitati quam maximè eſt opera danda; prætermiſſaque Authorum mentione crebra, quorum non fert animus recenſere ſententias, operæ pretium haud vulgare factum iri exiſtimavi, ſi (quod inprimis arduum eſt in hoc Cantico) verba ita perpendantur, ut conſtrui quodammodò poſſint. Atqui Dei Opt. M. auſpiciis, cujus hic natura lucet eximiè, dum amoris ingenium exploratur, rem aggrediamur.

שיר השירים

CANTICUM CANTICORUM

CAPUT PRIMUM.

SPONSA

Scripta An. 1597.

℣. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui; quia meliora ſunt Ubera tua vino. ℣. 2. Fragrantia unguentis optimis.

A

Converſionis animæ in Deum effectus.

VIndicatæ in libertatem gratiæ, ex miſerrima Dæmonis ſervitute, ac tyrannide per ſummum pientiſſimi Dei beneficium, animæ mirificè congruunt, hæc verba. Rationi quippe maximè conſentaneum eſt, ut anima, cujus in gremio quaſi ex ſilice, Deus amoris ſcintillam excudit, ingens cupiens incendium excitare, ignis divini flammis percita ſuaviſſimorum ſponſi ſatagat oſculorum, id eſt, arctæ cujuſdam cum Sponſo conſuetudinis, quæ per oſculum, labiave labiis impreſſa facilè notatur; quemadmodum ex oſculandi conſuetudine inter eos, qui fœdus conjugale inierunt, liquidò conſtat. *Quia meliora ſunt ubera tua vino*. Hac ſanè ratione ipſius oſcula ſe dicit appetere, quia ſunt ſponſi ubera vino generoſiora. Hic tamen minimè mirum videri debet, ſponſum uberibus eſſe prædituum, quibus non caruit Apoſtolus, qui ſanè Corinthiis lac potum ſe dediſſe fatetur; lactis verò plenus uber eſt; unde ergo Corinthii lac ſuxiſſent, niſi ex ubere Pauli, qui illis adhuc infantibus fidei noſtræ, & charitatis primordia propinavit. Proindè uberibus duobus, quorum tenerrima, & ad evergendos lactis rivos facillima conſtitutio eſt, pingitur hîc ſponſus ſchemate muliebri, quaſi mater erga infantulum, quem tenerrimè amat. Amor quippe duplex, divinæ, humanæque naturæ, in ſponſo materno, inſignitur affectu, ad lac, hoc eſt, dulcorem ſuaviſſimum, lactis hyeroglifico apprimè expreſſum, evergendum, tyronibuſque ad ſolidiores adhuc cibos ineptos propinandum facilè ſignificatur. Sic igitur optimè ſponſa uberibus amplis, egregieque formoſis allicitur, undè lac valeat exugere, amoris in exordio verſans; his porrò uberibus amoris illecebras, & irritamenta Deus celat, & continet, per amoris incrementa certis quibuſdam intervallis, ampliorem dulcedinem, 1. Cor. 3.

B

C

D

Scripta An. 1597.

lactis similitudine satis expressam sponsæ propinaturus. Verum enimverò paradoxon est ubera, hoc est lac, per metonymiam vino præferri. Etcur enim sponsa non prætulit ubera liquoribus aliis magis individuam cum lacte germanitatem habentibus? Ideò (exi-
A stimo) ut mirabiles divini lactis declaret effectus. Hoc nempè divinum lac cor sponsæ non secus ac vinum exhilarat, & viribus divinis facit adolescere. Fragrant deinde ubera unguentis optimis. Unguenta sunt Spiritus Sancti suavissima dona quibus Chri-
Psalm. 44. 8. stus Jesus Sponsus unctus est præ consortibus suis, scilicet scriptum est; Spiritus Do-
Isa. 61. 1. mini super me, eo quod unxerit me: Undè meritò Christus nuncupatur. Cumque universi justitiæ Christi participes, & Spiritus Sancti charismatis, cum ad justitiam evocantur divino inungantur munere, ut Christi fragrantissimum exhalent odorem, jure Sponsa aromaticorum meminit unguentorum, quibus uncta est nuperrimè. Et sanè pegmata, pastillive tunc maxime fra-
B grant, cùm excoquuntur, calesiuntve igne lentiore, sic ubera, hoc est amor uterque in Sponso erga homines incalescens hanc spirat, funditque in justorum mentes donorum suaveolentiam: ut verè ubera dicantur fragrantia unguentis optimis, ex amore quippe Sponsi ad nos hæc unctio spiritalis Sponsi excurrit; ut ideò uncti dicamur Spiritus Sancti donis, quia prior ipse
1. Joan. 2. 10. dilexit nos. Propter quam dilectionem unctus quoque est, ut nos illius participatione ungeremur: ut a capite Christo descendant unguenta in nos, qui sumus ora vestimenti ejus; in quo excursu fundatur figuratè suaveolentia. Etenim nisi sponsi nomen oleum esset effusum, minimè vasis illud recondere, curaret Sponsus, & cum
C id exigit opportunitas haudquaquam selectiora vasa perquireret, quibus incredibilem olei copiam conservaret Sponsus, profectò ipse vas electionis (inquit) est mihi Paulus, ut portet nomen meum, &c. Quin
ad Rom. 9. etiam, plurima vasa ex Apostoli sententia scribentis ad Rom. preparavit in gloriam; quam proculdubio, copioso prius oleo perfundit, & opplet, quod quidem oleum cum intima sponsi nomen cordis aure percipitur, permeat medullas; cordis acerbitatem mitigat; cumque sit oleum ardens, excurrente illo, visceraque pervadente, totus homo liquescit. Ideo igitur (o Sponse vita mihi charior) ideò tui nominis oleum Adolescentulæ suis vasis excipientes; totas se tibi tradiderunt; ideò dilexerunt te; ac si luculentius diceret Sponsa. Animæ quæ in amoris sunt tyrocinio, tui amoris ignes conflagarunt, flammas injecto cordibus oleo
D tui nominis excitante. Hic advertendum rem non obruendam silentio, eos, qui Jesu nomen suavissimum religiosius colunt, atque cordi sculpunt, miros in Dei amore, progressus facere. Ignatius. Mr. Teresia.

Ferventioris amoris in Deum exempla.

℣. 3. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

COnjugii sponsa cupidior in dies existit. E
Etsi enim, (ex quo ipsi gratia infusa est) conjugali vinculo sponso astrictam, amicitiæque singulari beneficio in connubio locupletatam esse, statuendum sit; verum merito formidare debet, sit ne Sponso, quem lacessivit injuria, in peccati pravitate, reconciliata; quod quia ignorat inceps animo facile huc illucque impellitur. Hic verò amoris adhuc tenelli, atque infantis ingenium redditur exploratum. Namque non ita brevi timor culpæ admissæ, animo dispellitur, amore recens exorto; neque sibi jure fidit animus in primis amoris incunabulis, peccati quidem conscius, remissionis ignarus. Clamitat autem. Trahe me; quasi dicat sponsa; Traxeris me, an non, certò nosse nequeo, ideò angor, ideò vereor. Benè quidem dixit ille. F

Res est solliciti, plena timoris amor. *Ovid. Epist. 1. Heroid.*

Verum age (o sponse) si non traxisti, trahe, si cœpisti trahere, fortius age; adhuc trahe me, si enim me traxeris, curram quia me Spiritus Sancti dona, quæ sunt unguenta tenellis virginibus; hæc inquam unguenta suavissimum, cum illis anima inungitur, efflant odorem impendiò delectantem, atque ad se mira efficacitate cum suavitatis perceptione trahentem; propterea non mirum, si post te ocyus curramus in odorem unguentorum tuorum, unguentorum divino afflatu, vitæ beatæ odorem spirantium. Curremus (ait) plures pollicetur sponsa esse G
cursuras, intrepidè quippè pro Adolescentularum, quibus se annumerat choro, respondet. Hic satis exprimitur imperfecti amoris natura in voluptatis perceptione nimis fortè cunctantis.

Sponsæ votum.

Unguentorum significatio.

Imperfecti amoris natura.

Introduxit me Rex in cellaria sua: Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum; Recti diligunt te.

PErculerat sponsum, sponsæ vox ardentius, quadam velut ex fornace deprompta; & (quod est amantis ingenium) mox lætus, & festivus adest; introducitque conjugem in arcanam divinæ bonitatis atque suavitatis notitiam; ubi tanquam in cellario vini generosioris fragrantia, atque dulcore victa, sensibus redditur alienior. Facilè verò vincitur, quæ adhuc tenella est, & elanguet. Veruntamen experientia compertum H
est, plerumque Deum recenter sibi per amorem copulatis tyronibus, quandam suæ celsitudinis, atque dulcedinis speciem exhibe-

Amantis ingenium.

Dei erga tyrones œconomia.

Scripta An. 1597.

bere, quo alacrius voluptate ſubtracta, ſuavitatis illius recordatione, ſtadium fortunæ adverſæ percurrant, ſeque ipſos divinæ legi reluctantes aſſidua exercitatione, piaque ſedulitate pervincant. Proindè ſponſa ſe, ſuique ſimiles, alacrius deinceps acturam promittit ajens. Exultabimus, & lætabimur in te, o Sponſe, memores uberum tuorum, ex quibus lac vino præſtantius in cellario ſecretæ hauſimus voluptatis. Exultabimus inquam, etiamſi voluptate careamus, voluptatis perceptæ recordatæ. Hoc quippe rectum eſt, ut quandiù anima hoc coercetur ergaſtulo corporis, nolit perenni voluptate frui; ſed ſatis fuerit prælibaſſe adhuc in carceribus eam fœlicitatem, quæ veteranis militibus, bello confecto, victoriæ potitis, eventura eſt. Propterea ergo o ſumme Deus, etiamſi punias, omnemque dulcorem perneges, Recti, quos tu Rectos efficis, diligunt te.

A

Anima in corpore poſita nequit perenni voluptate frui.

B

℣. 4. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Jeruſalem, ſicut Tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

Anthypophora.

SUſpicatur Sponſa inter ſe, filias Hieroſolymitanæ urbis, Animas videlicet Eccleſiæ filias obſtupuiſſe, Sponſi amorem demiratas; ſecumque collocutas, dixiſſe, quid ſibi vult hæc Dei incredibilis humanitas? Etiamne deformem Deus adamabit? Etiamne qui candor eſt lucis æternæ, nigram in thalamum admittet? Candidam ſane Candor ipſe potius ſeligere debuiſſet, quam in abditam divinæ ſuæ naturæ notitiam introduceret. His occurrit, ſponſa. Non eo inficias Virgines Solymæ. Nigra ſum. Neque enim quæ nuper è peccati tenebris, in divinæ gratiæ ſplendorem ab Sponſo vocata ſum, adeò poſſum repentè tota candida comparere, adhuc ſiquidem varias peccatorum vix dum recedentium, meque inſtar allatrantium canum impetentium umbras in animo patior, namque calamitas hæc tyronibus in juſtitia, eſt jure ſubeunda. At vero non quia Nigra, continuò eliminanda, thalamoque ſponſi arcenda ſum. Nam formoſa ſum, gratiæ pulchritudine coloris nigri turpitudinem longè ſuperante; totique animæ eximiam venuſtatem inducente, ſum etenim propter nigredinem non abſimilis tabernaculis Iſmaelitarum, qui a Cedar Iſmaelis filio genus traxere, quibus mos erat in tentoriis vitam ducere. Tentoriis verò teter obducebatur color, ob plurimas temporum injurias, ob pruinas, pluvias, grandines, aliaque id genus, quibus expoſitæ pelles, exortoque ſole peruſtæ, nigredinis ſpecimen præferebant, ſum autem propter egregiam formæ pulchritudinem, pellibus, hoc eſt, periſtromatis, vel aulæis, quibus Regiæ aulæ Salomonis tegebantur parietes, perſimilis. Quemadmodum enim pelles illæ aureis vittis intercurrentibus, multiſque coloribus variegatæ, gratiſſimum ſui aſpectum efficiebant, ſic ego Charitatis verè aureæ, reliquarumque virtutum gratiam comitantium, permixtis coloribus picta, ſpeciem exhibens venuſtiorem ſponſi animum, oculoſque delecto.

C

Peccati reliquiæ diu vexant recenter in gratia genitos.

Iſmaelitarum mos.

D

E

℣. 5. Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.

SInite ergo Hieroſolymitanæ Virgines, colorem fuſcum attentiùs expendere, ſol enim exortus, hoc eſt Dæmonis incurſiones, tentationis æſtum excitantes, formam candore illuſtrem dehoneſtarunt. Quippe mihi candor nativus erat, at enim ardor culpæ vehemens incendit me, Dæmonis æſtuantis afflatu conceptæ. Flamma impotens exuſſit me: quemadmodum ſemen orto ſole exaruit.

Alludit ad gratiam in qua conditus eſt Adam.

D. Thom.

F

Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Poſuerunt me cuſtodem in vineis; vineam meam non cuſtodivi.

SApientiam Dei Opt. M. matrem eſſe cunctarum creaturarum, inficiari nemo poteſt, qui ab illa univerſa in lucem edita credit. Continet enim, ut divina tradit Theologorum ſententia rerum ideas, rerumque univerſarum tamquam fœtus quoſdam in utero capacitatis infinitæ, quo ſane ab utero per creationem, quaſi per partum quendam excluduntur, ac in lucem educuntur fœtus. Quin verò nomina matris ingenium luculenter ſignificantia, ſibi Deus ipſe tribuit ſæpenumerò, uti concipere, & parere, quemadmodum Iſaiæ vaticinio proditum eſt. At præſertim naturam Angelicam Dei filiam, propter ſingularem inter creaturas univerſas excellentiam nuncupare licebit. Hæcque ipſis etiam Dæmonibus ob perpetuam naturæ præſtantiam, obque ſublimem in qua conditi ſunt gratiæ dignitatem, quadrat appellatio. Igitur Sponſa concinnè a quo ſit æſtus excitatus tentationum aperiens, ait, Dæmones, quos mater mea, Dei ſummi ſapientia condidit, præclaroque olim filiorum nomine inſignivit, etſi hanc illi per ſummum ſcelus nomenclaturam repudiarint, pugnaverunt contra me; undè mihi contigit ater ille color, ſed pergunt ipſi nefarii ſpiritus; me plurimarum cuſtodem poſuere vinearum; dum variis ſæculi hujus me curis implicuerunt, dum pluribus obſcœnis voluptatibus pellectam, quaſi hamo captam, in curas rerum caducarum me totam effundentem, tenuerunt, ut ex illis curis lætum vini proventum ſperarem, perſuaſere, cum neque racemum vite decerpere contigerit. Quamobrem vineam mihi ab ſponſo meo commiſſam, quæ cunctis erat aliis præferenda, animam nempè, uvis pro-

G

Numquid ego, qui alios parere facio ipſe non pariam dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero? 66. 9.

Angelorum creatio.

Unde color ater in ſponſa.

H

Vineæ ſignificatio.

Nigredo haud quaquam pulchritudinem tollit.

Scripta An. 1597. profectò maturis, in aurea ætate divitem, nedum floribus odorem exhalantem, non custodivi. Curam divinæ legis ablegavi. Non fuit virtutum læta vindemia per merita, piaque exercitia, quæ graphicè, per uvas è vite pendentes, extumentesque notantur.

A

℣. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

REcordatione culpæ, quæ in tremenda ipsam discrimina compulerat, quamque admodum pertimescit, vestigio ad Sponsum conversa; sempiternæ fœlicitatis avida; tramitem rectum doceri satagens; quo arctiore charitatis fœdere Sponso copuletur: indica, inquit Sponsa, o tu, quem diligit anima mea; ubi pascas agnos tuos qui Pastoris munus capessis, sicut Prophetarum oracula ferunt? ubi lætiora pascua colas, te ipsum humanis mentibus, quæ amore adolescunt communicans? ubi meridie soleas requiescere, cum tu, o sol divine, ardentiores amoris emittens radios, ac si sol in media cœli regione consistat, velut in toro cubas inita conjugia cum Virgunculis confirmaturus, animasque amore plurimo cumulaturus. Satius profectò mihi erit nosse, viam, qua gradiendum est; quam oberrantem decipi, in aliorumve caulas incurrere, Dæmonum scilicet, aut pessimorum hominum, qui suos cum greges perditarum pascant animarum, sodales tui nuncupantur officii similitudine, non suo quidem ingenio ad perdendum, profligandumque comparato.

Sponsæ adlocutio.

B

SPONSUS.

C

℣. 7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.

QUî fieri poterit, ut Animæ ardentius amare cupientis, desiderio, atque voce non percellatur Sponsus, qui amoris paret imperio. Extemplo adest, lætus obviis ulnis occurrit quam peroptabat sponsa, viam, edocturus, si ignoras te; si te latet quam egregia pulchritudine sis a me non ita dudum decorata; cujus ignorationis ergo, me intus alloquentem haud planè audire vales; lascivientibus, exultantibus; & quietem interturbantibus hædis tuorum sensum rebelliumque affectuum, quos nondum perdomuisti; Agedùm, confestim egredere ex tenebricoso pigritantis ignorationis carcere, actutum exurge sponsa, & age impellas tuos haedos, coram te gradientes, dictoque audientes, more Pastorum, qui post suorum vestigia gregum gradi solent.

Sponsus viam docet ad semetipsum; id est a charitate parvula in charitatem adultam.

Haedum significatio.

D

Non quò lasciviam hædorum temere aberrantium sequantur, se quò funda, pedoque utentes; recta illos cogant ingredi, & festinare ante se, gradientium petulantiam explorantes atque reprimentes. Nequè verò quiescas, quoadusque reluctantes præ lascivia hædos pascas juxta casas, mapaliaque Antistitum, virorumque Apostolicorum, quibus id in primis munus obeundum est; ut si quam sint nacti animam, recondictioris vitæ, ac perfectioris satagentem; ubi ego cubare meridie soleo; hanc affectus pravos reprimere, & pertenuis auræ sibilum tranquillè percipere multò vigilantissimè nitantur edocere.

E

Pastores quis.

℣. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.

SAbaoth Dominus sponsus est; quapropter minime cuiquam debet mirum accidere, si comparet ipse bellicum apparatum in Pharaonem præliaturus, scriptum est quippè: Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Equitatus præterea deesse nequit. Nàm ingenua equus natura est, armatarum gaudens acclamatione copiarum. Buccina insonante audacter exultat, clypeorum collisionem minime perhorrescit, quod & in Job ipse sponsus luculenter ostendit. Qui ergo currus, quibus sponsus vehatur? qui equi quibus insideat? nisi Angeli rebus humanis præpositi? Sabaoth, prælium parat inire cùm humani generis hostibus, atque insignem gloriæ palmam reportare? Optimè inquit ergo, antiquæ in sinu Arabico de Pharaone victoriæ recordatus, ait, feci te, o Amica mea, similem te reddidi Angelicis Cœtibus per gratiæ vim, & pulchritudinem eximiam quibus ego insidere soleo, res humanas per eos curaturus, tanquam è sella curulli; sicut scriptum est: qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio; & ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum. Similitudo verò hæc, in curribus Dæmonis, Pharaone signati evertendis, & conterendis, tota consistit. Hic liquidò cernere possis, quo pacto in amore progressus non pœnitendos Sponsa faciat; quæ amoris armis instructa cruento accingitur bello, ex anima quippè justitiæ dono cumulata, tanquam Angelicæ jam naturæ finitima, è curru quo vehitur sponsus tela suæ potentiæ vibrat, hostiumque animam invadentium arcet improbitatem, non aliter quam per Angelos dimicans, respiciens per columnam nubis, Pharaonis currus olim dissipavit; fecit igitur sponsam similem Angelicis cœtibus, in curribus adversantis Dæmonis, Pharaone signati proterendis, potentiaque frustranda. His ergo Angelis similem animam reddidit.

Videtur jam offendisse sponsum circa tabernacula Pastorum in charitate adultiore; in qua sponsus sic loquitur. *psal. 67. 18.* Equi natura.

F

Cap. 30. 18. 19.

Exod. 14.

G

Habac. 3. 8.

Psal. 17. 11.

Greg. lib. 31. 16. & 8. homin. ipsum aff. fuisse equum Dæmonis ascensorem.

H

℣. 9

Scripta An. 1597.

℣. 9. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia. ℣. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

A

AMantis animus pulchritudine Sponſæ captus, cujus genis offuſus rubor eſt verecundiæ comes, hæc effert verba. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Capior inquit rubore tuo. Rubor verò hic turturis eſt. Quemadmodum enim turtur alterutro ſexu extincto, nequaquam induci valet, ut ultra Veneri indulgeat, in primum amatorem amoris vim effundens: ſic tu rubore genas obducente, induci non vales extraneos ut admittas amores, ſi quando ego videor extinctus, dum conſultò me celans, voluptatemque meæ præſentiæ ſubducens abſcedo. Collum proinde tuum ſicut monilia, cui murenulas aureas faciemus, quæ prius in virgulas fornacis igne lenteſcunt, poſt verò Aurificum Opera, flectuntur, atque torquentur in orbiculos affabrè mutuò inſertos. Ita ſanè tu obedientia es ſingulari; quæ per collum notari ſolet, quod jugum minimè recuſat. Lenteſcis amoris in fornace, quæ ferrea olim fueras; flecteris poſteà, facileque quoquo verſum torqueris; ſivè adſim amas; ſivè abeſſe velim, erubeſcis alieno amore diſtrahi; obtemperas, & conſtanter amas. Ergo collum bifariam exornatur, & monilibus, quibus univerſim colli ornamenta ſignificantur; ſunt enim virtutes omnes tanquam populus ad divinæ legis obedientiam evocatus; & exornatur Murenulis aureis, ut in hoc excellentia obedientiæ innuatur; quæ una imperatis obtemperans, aliarumque virtutum actus adamuſſim divinæ voluntatis emetiens, ob finis præſtantiam aureo decore præfulget inter virtutes univerſas. Maximè autem Sponſus cupit his amicam Monilibus, & Murenulis ornari. Namque uxor præclarè inculpateque cuncta egerit; cum ad prudentis viri nutum ſuos perpetim mores effinxerit. Vermiculatis argento Murenulas accipit Sponſa, dum obedientiæ leges ab Sponſo definitas audit, clarè ſonantes per concionatorum voces; quæ inſonant quaſi argentea quædam tintinnabula. Vermiculatum opus dicitur, quod teſſellis inſititiis variegatum eſt. Sic murenulæ intercurrentibus quibuſdam quaſi vermiculis argenteis per ipſos annulos, operis variegati ſpeciem exhibent. Ita igitur doctrina condecorat obedientiam ab Aurifice Sponſo obtemperanti animo inducta. Videtur Sponſa amoris in gymnaſio vehementer proficere, quandoquidem tot vinculis innectitur.

Turturis caſtimonia.

B

Colli ſignificatio.

Monilium, & Murenularum ſignificatio.

C

Uxor ad prudentis viri nutum ſuos efformet ſuos.

Vermiculatum opus quale?

D

Sponſa in amore proficit.

SPONSA.

℣. 11. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

E

OFfenderat ſedula uxor dilectum meridiantem, agnos, pecudeſque lætis herbis paſcentem, ubi correptus ille amoris flammis repentè Sponſæ intuitu excitatis, ipſam in mapalium quaſi tugurium, introduxit. Hîc verò placuit accubare Sponſa toro admiſſa; ut liquidò poſſis intueri, quo ille beneficio animæ ſedulitatem remuneret. Subtrahit ſe, ſed citò ſtudet reperiri, atque hoc non ſemel contingit; ſed creberrimè amantibus quo ſitienter inhient; & ſuaviore poſtea voluptate, velut ingenti aquarum affluxu perfundantur. Nunc igitur, ait Sponſa, poſtquam invenire licuit Dilectum, in auctioris meridie charitatis, perſuaviaque ex illius ore verba ſimilitudinum pulcherrimarum audivi; Nardus mea, herba odoris præſtantia commendata, ex qua pretioſiſſimum conficitur unguentum; videlicet amoris erga illum mei vis impotens, odorem ſuaviſſimum exhalavit. Sanè ſi virtutes odorem exhalant, charitatem fragrare præ cæteris oportet. Nardinum quippè, vel foliatum, vi naturæ ſatis calidum, amantibus puellis valde eſſe expetitum, cujus odore amatores impendio oblectantur, cunctis exploratum eſt.

Videtur ſponſa certiores nos facere de ſponſi humanitate, deque ſua in ipſum charitate augeſcente, & quidquid circa tabernaculaſibi acciderit cum ſponſo accubanti, nobis manifeſtare. Interdum verò ſe celat ſponſus.

Sponſæ allocutio.

Nardus herba odore præſtans.

F

Nardinum puellis gratum.

℣. 12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

NImirum cum Sponſa derelicta ſenſim amoris infantia, atque tenera conſtitutione valentius adoleſcat, id agam, inquit, ut Dilectus meus in ſede cordis (quod inter ubera naturæ opificio locatum eſt) poſitus, ſit mihi quædam amara potio, per myrrham aptè notata; dum me jam adultiorem, fortioremque exibeo, ipſius abſentiam, illataſque ipſius gratia amaras injurias, obducto nubibus conſolationis cœlo, perlatura.

Cordis ſedes

G

Myrrhæ ſignificatio.

℣. 13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

CYperus, Cypirus, & Cyprus, nomina perſimilia, reddunt ambiguam loci interpretationem. Quin etiam Cyperus junci genus, qui minutatim contuſus, ad conciliationem odoris veſtibus interponi conſuevit; & Cypirus, ut ferunt, herba odore Nardo proxima, apprimè Sponſo quadrare videntur. Veruntamen adjunctum nomen, Botrus, rem planiorem reddere valet. Cum enim Cypero, & Cypiro botri non eſſe legantur: Cypruſque Inſula vitibus feratur inſignis: ideò Dilectus, ait Sponſa, Botrus Cypri Inſulæ uvarum feraciſſimæ mihi eſt, quia vini

Cyperus, quid, & ejus uſus.

H

Cypirus, quid.

Inſula Cyprus vitibus præſignis.

Scripta An. 1597.

ni generosioris instar, me exhilarat, & voluptatis torrente permulcet, ut myrrhæ amaritudinem minimè pertimescam. In vineis Engaddi qui locus est in Judæa vitium satu, uvarumque proventu nobilissimus: est itaque mihi Botrus Dilectus meus. Phrasis Poetica: sicut in Italia repertum Leonem, Poetica formula, Leonem pœnum appellamus, quia pœni Leones generosissimi sunt. Ita in vineis Engaddi uvas racemosve provenientes, Botros Cypri Sponsa nuncupat, quia in Cypro proveniunt uvæ perfectissimæ.

Engaddi Judeæ locus.

Dilectus Botrus dictus

A

Leones pœni generosissimi.

Cypri uvæ perfectissimæ.

SPONSUS.

℣. 14. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

COr Sponsi blandè animam interpellat, cujus verbis trajectum quasi quibusdam sagittis erat. Commendat illam, cum a pulchritudine corporis, hoc est, decore, & cunctorum motuum, fræno Amoris ad Dei normam coercitorum, compositione oculorum demissione modesta, sermonis parcitate, gravi, sedatoque incessu, & id genus aliis, quæ præ se latentem ferunt justitiam. Tum verò maximè a pulchritudine Animam interiore commendat; quæ ex virtutum infusarum, ac subinde acquisitarum harmonia, atque concinnitate consurgit, ideoque bis pulchram appellat. Synceritatem columbarum oculis notatam, maximoperè placere docet, quæ animum auctioris pulchritudinis efficit capaciorem. Columbam vero esse animal simplex, nemo est, quem prætereat.

Sponsæ externa pulchritudo commendata.

B

Internaque, & ista maximè.

Quare sponsa bis pulchra dicta

Columba animal simplex.

SPONSA.

℣. 15. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.

C

PAr pari referendum; Amoris lege, sancitum est. Sed præstat quippiam acceptæ gratiæ apponere; ne vincaris amando. Anima igitur extollit, & admiratur Dei pulchritudinem, & decorem, per emphasim innuens, plusquam verbis significare valeat. Ac si manifestius agat. Quod ais, o Sponse, me bis pulchram, tibi acceptum referendum est: qui pulchritudinis, ac decoris fons inexhaustus existis.

Sponsus pulchritudinis fons, & origo prima.

Lectulus noster floridus: ℣. 16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

D

SI ergo ita se res habet, ut conjux uterque sit insignis pulchritudine; cum præter conjugii fœdus; ipsa per se similitudo vinculum existat, ad similes inter se familiarius conciliandos, æquum est, o Sponse divine, spiritualis tori arcana petamus. Cordis quippe lectulus sparsus floribus suaveolentibus, tua munificentia nos manet: quæ sanè virtutum divinum odorem efflantium fragrantia est; quinverò domus ipsa tignis Cedri, atque Cupressi laquearibus mirificè fabrefacta, nos ad quiescendum provocat. Tigna sanè fulciunt, laquearia celata, & emblematis variata, exornant. Ut virtutes etiam animum suffulcientes, intelligas; & charitatis laqueare, quod virtutes universas operit, & exornat: dum vi sua, quasi emblemate quodam, cæteris meriti decorem impertit. Quis autem lectulus hic erit? Certè quies est, & tranquillitas; in qua tanquam in molliore lecto, æstu maris sedato, interdum incredibili affecta dulcedine, cum sponso Anima requiescit. Domus verò cor ipsum est; undè cum animus sæculi errores pervagatus, resipiscit, ad cor redire, quasi domum reverti, phrasi pervetusta dicitur. Domorum, inquit Sponsa nostrarum. Plures innuit domos. Quocumque enim se Sponsa vertat, domum ditissimis, ac planè regiis suppellectilibus locupletem, se introspiciens, invenit; ut Sponsum regio queat excipere apparatu.

E

Materies utraque Cedri, atque Cupressi, non putrescit, ut virtutum incorruptio notetur.

Charitas cæteris virtutibus meriti decorem impertit.

Cor domus appellatam.

F

CAPUT II.

SPONSUS.

℣. 1. Ego flos campi, & lilium convallium. ℣. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Sponsus alloquitur sponsam.

MInimè mirandum, si torus Conjugum floribus sit sparsus suaveolentibus, in quo ille cubat, qui juxta priscum vaticinium flos est de radice Jesse; quique modo; Ego flos campi ait. Est enim non agri, in quo quid scinditur, ruriśve quod vomerem, sarculumque perpetitur, sed campi agricolationis expertis, cæli verò clementia, luxuriantis, floribusque vernantis. Animæ quippè, quæ sæculi curas, vomeris instar, ipsam proscindentes ad scelerum sementem concipiendam, aversantur; quibus campi apprimè intemerata competit appellatio; florem hunc gremio excipiunt; ubi facile coalescit, & enascitur. Harum itidem lilium se nuncupat animarum, quæ convallibus montibus septis persimiles existunt, dum cœlestium donorum imbres hinc inde, velut ex montium verticibus ad convallem excurrentes, humili loco gaudentes accipiunt. Ut verò sponsæ patefaciat excellentem morum integritatem, vitæque candorem, qui est castitas quædam insignis animi, non secus ac corporis, nomine lilii, tamquam semetipsum integritatis authorem, illam insignit; lilii videlicet candidi, & nusquam elanguentis.

G

Flos de radice Jesse Sponsus.

Anima lilii candore præstans.

H

Sponsa morum integritate fulget.

Quod

Sponsus, & sponsa pulchritudine insignes.

Scripta An. 1597.

Quod si in solo sentibus, ac vepribus horrente coalescat illesus; multo gratius est, spinarum horrore lilii pulchritudinem exploratiorem faciente; ita igitur anima, per charitatis ardorem Deo nupta, inter horrentes peccatorum, atque curarum vepribus, filias, hoc est, animas, carbone notatas, eminet. Vel etiam inter filias, non labe peccati inquinatas, sed nuper ad justitiæ dignitatem evocatas, quæ adhuc peccati reliquiis punguntur, tantum caput effert; sicut ait Maro.

Anima quomodo Deo nupta.

A

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Buc. Ecl. 1. v. 5.

SPONSA.

℣. 3. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.

B

Malus arborum princeps agrestium.

COncinit Dilecto. Malum autem plurimis titulis, agrestibus arboribus antecellere, odore, gustu, ac pulchritudine, latet neminem. Cætera patent.

Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.

Sponsa alloquitur sponsum, ne forte quis putet alio sermonem dirigi, quamvis phrasis tertiæ personæ videatur.

Sponsus arbor vitae dictus.

C

Sapere, dulce est.

Scientia infusa notatur.

MAli hujus sub umbra, singulari, ac plane divino munere, ac ego expetiveram, aliquantulum quiescere; ut exilii hujus lex patitur, concessum est; unde mala carpo, rore cœlesti madentia, dulcissimo perlita melle. Scilicet Sponsus est Arbor vitæ, sub qua mens Sponsæ saluberrimis umbris ab æstu laborum recreata, illuc se admitti conspicit, undè primus Parens est factus extorris. Ille vitæ sorte frustratus, mortem incurrit, hæc jamjam prælibat immortalitatem. Dulce quidem est sapere. Undè quia sponsus Arbor scientiæ est, mira sponsa dulcedine afficitur, cum interdum sub arboris hujus umbra conquiescens, se cœlesti cernit luce perfundi; & quod est amoris ingenium, ab sponso, sibi divinorum januam arcanorum videt aperiri.

℣. 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

D

FUerat jam Sponsa semel in cellaria introducta; in eum videlicet locum, ubi charitati novæ subindè fiunt accessiones, quemadmodum frequenti potu vini generosioris, nova fit caloris accessio. Quid ergo refert modo se introductam: An fortasse quia iterum, & in penitiorem cellam vocata est? Ità quidem. Neque enim alienum hoc existimari debet. Etenim si amoris progressum perlibrare libuerit, plurimos sponsæ in penitiores cellas ingressus offendemus. Invalescit amor, ac subindè magis atque magis inebriatur. Non autem vacat mysterio, quod subdit: Ordinavit in me charitatem; hoc est amorem, qui est potissima hominis passio, in qua moderanda, ad mediumque reducenda totius salutis cardo vertitur. Enimverò certò statuendum est, tanquam axioma apud universos Philosophos, Theologosque celebratum; ex amore cæteras omnes originem ducere passiones; ità sanè ut si rectus amor fuerit, passiones reliquas necesse sit rectà incedere; sin verò amor obliquus extiterit, oporteat, obliquas omnes fieri passiones. Optimè igitur sponsa, ordinavit, inquit, in me charitatem, hoc est, amorem, quasi dicat, meo sponso ad æqua lance medium, potissimum animi coercuit affectum, ut necesse sit cæteros affectus sponsi mei tramitem rectum sequi; in ipsumque me toto pectore inhiare. Hoc beneficium eximii amoris est significatio, & ad nova incrementa manuductio.

Amor potissima hominis passio.

E

S. Thom. 1. 2. Quæst. de more.

Amor passionum origo.

Amor ordinatus in sponsa.

℣. 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

F

a

COncinnè quidem, amor exerit suam vim, & inclamat. Filias Hierusalem, animas Ecclesiæ filias, è media cella penitiore vocat. Vim amoris sustinere nequit Virgo. Deficiunt me, inquit, vires, spiritus intercipitur, heu, cujus auxilium implorabo? Vos, vos o Virgines Hierosolymitanæ, Animæ quæ amoris divini leges didicistis, & progressus fecistis eximios, opem ferte; cadentem me animo fulcite. Sed quibus pharmacis, quibus herbis? Floribus, ait, atque Malis. Dictum est sponsum esse florem, & esse malum. His igitur pharmacis, & herbis, hoc singulari antidoto, sibi poscit ferri auxilium. Languentem enim præ amoris incendio animam, novit ipse sponsus miris modis recreare. Sed nunquid sponsa, flagitat, amoris flammam extingui, vel remitti? Absit. Quin verò, ideo sponso se fulciri petit, atque stipari, ut ipso quasi arce tutissima circumsepta, hoc igne sensim absumatur, exuratur instar Phœnicis. Plures denique flores, Malisque arbores, sponsus appellat, ob majorem sui fructus notationem. Ipse quippè florum omnium, atque malorum virtutem fœlicius continet. Quomodo autem Solymæ Virgines fulcire queunt sponsam Dilecto? Videlicet ipsum per amoris leges obtestando, ut sponsæ optatis obsecundetur. Adjuvetis me in orationibus vestris, *Glossa*: benè rogat Apostolus minores pro se orare; multorum enim preces impossibile est quod non impetrent. Est metonymia, ubi causa pro effectibus accipitur, per nominum conjunctionem, sic in utero Rebeccæ duo populi esse dicebantur, quia Patres cæterorum duorum populorum, sponsus, autem Pater est, & Anima plurimorum justorum, qui flores, malique dicuntur.

Filiæ Hierusalem, quæ.

Amoris incrementum precatur sponsa.

Sponsus flos & malus dictus.

G

Quare sponsa sponsi fulcimentum petat.

Rom. 15. 30.

H

Quomodo in Rebeccae utero duo populi.

Scripta An. 1597.

℣. 6. Laeva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

A

Facile quis aliquid praestat, quod cupit vehementer.

HIc jam mira quædam ecstasis notatur, qua sponsa sopitur sensim, si vos o Virgines, votis adestis, præsto erit ipse sponsus. Facile nempe quis ad id præcibus inducitur, quod cupit vehementer; quapropter amore percitus, vestrisque obtestationibus, precationibus actus, ocyssimè stipat, sepietque me prorsus incendendam. Quid vero est læva sub capite, & amplectens dextera? nisi murus spe validioris cujusdam protectam Virginem ambiens. Erit itaque, dicit Sponsa, munitissima quædam arx, & amoris erga ipsum mei custodia, ne extinguatur, neve tepescat. Petitur metaphora ab amantibus inter se, apud quos talis amplexus, qualis hic depingitur, sæpissimè cernitur. Hic jam nequit ultra vocem edere sponsa, somno correpta. Quippè ecstasis hæc Amantibus, licet non admodum perfectis, solet accidere ad Amoris incrementum.

Sponsae allocutio.

Ecstasis amantibus familiaris.

B

SPONSUS.

℣. 7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

NEscit amor sua dona differre. Annuit votis Deus. Et quia Virginem sponsam in ecstasim rapuerit, ubi incredibilibus illam gaudiis exundat, fœdera conjugalia firmans, obtestatur Virgines amore insignes, quæ pro sponsa fulcienda, fuerant ipsum deprecatæ, ne audeant quiescentem animam, ab sponso avocare; cum pro hac delibanda dulcedine sint plerumque cuncta quæ se alias offerunt, ableganda. Fit enim non rarò, ut qui sunt amore Dei ferventiores, pietatis, ac in proximos charitatis obtentu, Dei alloquio vacantes, non satis prudenter impediant. Vos itaque, ait Sponsus, qui sedulò me pulsatis, ad animas amore plurimo cumulandas, ne præmaturè illas meo gymnasio absterreatis; quoadusque locupletiores ipsæ aliorum rebus queant absque dispendio, opitulari. Cur autem per Capreas, Cervosque adjurat? Quoniam scilicet animalia hæc munda; quorum alterum Caprea nempè felle caret; alterum, nempè Cervus, serpentes fugat, & insequitur, quin etiam latibulis inspirans extrahit; homines, amore divino præstantes, indicant quibus id præstitum a Deo est, ut omni amarulento peccati felle sint immunes, atque insuper studio salutis aliorum inflammati, serpentes, hoc est, scelera atrociora è populi medio arceant, insequantur, et si in pessimorum hominum cordibus delitescunt, flatu Spiritus Sancti vehementiore, extrahant, quò perimant, ne in alios veneni vis effundatur. Adjurandi modus efficax hic per vitam, per dignitatem tuam, hoc est, sic vivas, sic in dignitate persistas, sic adjuro vos per Capreas, & Cervos; hoc est, sic sitis Capreæ, ac Cervi juxta sensum expositum, quæ est vita vestra. Hic mirum est quam amicè, Deus animam rectè gradientem complectatur, ac reficiat, dum illam tuetur ab instantibus molestiis, & dulcore mulcet; sed quid acciderit in ecstasi, audiamus sponsam nobis referentem.

Amor sua dona differre nescit.

C

Sponsus virgines alloquitur.

Modus efficax adjurandi.

E

Deus amicè animam justam complectitur.

SPONSA.

℣. 8. Vox Dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles:

VOx Dilecti mei, intellige, sonuit. Audivit quippè Anima ecstasi vocem, quæ ad ipsam spiritali somno occupatam excitandam, post adjurationem filiarum Hierusalem directa est. Quapropter voce ad laudem lacessita; ecce, ait, quasi ad nos conversa, & habitus venientis sponsi depingens; ecce actissimè venit; ad me, ocyus currit, montes collesque longe superans, dum per hominum perfectiorum corda, ob gratiæ cumulum montibus, collibusque notata saltibus quibusdam se librans, venit ad me. Hæc est sponsi via, quam solus ipse terit, quo viam plurimo splendore nobilitet, saliens, atque transiliens, inquit, ut facile perspicias sponsum, omnem hominibus collatæ gratiæ celsitudinem superantem; sed tamen amoris sublimitate, quasi verticibus quibusdam insignis mirificè gaudentem.

Sponsa ad laudem lacessita.

F

Montium, & collium significatio.

Sponsi via quae.

℣. 9. Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

G

HOc ad prædicta verba, apta similitudine declaranda, maximè conducit. Hæc quippe animalia, ut cætera prætermittamus, locis arduis impensè delectantur. Mox vero beneficium hoc accedendi per saltus quosdam extollit dum ait, eam esse munificentiam sponsi, ut quamvis parceatur à nobis pariete interjecto, non prorsus nostrum intermittat alloquium.

Caprearum, & hinnulorum natura.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

H

EXilium vitæ hujus, quid est aliud, quam interjectus paries, quo arcemur a Sponsi præsentia? Stat ergò ipse post parietem verè nostrum. At verò nisi in nos interdum propitios conjiciat oculos, cohibita suorum vi radiorum, ne luce nimia perstringamur, de no-

Vita haec exilium dicta.

Plin. lib. 11. cap. 27.

D

Homines amore divino praestantes notati.

Serpentum significatio.

Scripta An. 1597.

nobis actum est. Propterea respicit per fenestras, atque cancellos, Theophanias, sive sui manifestationes, propriè signantes. Cancellos nempè; & fenestras excipiendo lumini parat Architectura. Optimè sponsi philosophatur, cùi præclara in ecstasi, Sponsi acciderat manifestatio.

Cancelli, & fenestrae ad quid?

A

℣. 10. En Dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. ℣. 11. Jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. ℣. 12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: ℣. 13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni: ℣. 14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

B

PRopalat Sponsa; quo nos ad amorem certatim contendamus; quid Sponsus eloquatur, & cujus ore, atque labiis gratia, leporeque perfusis, melle dulcior fluit oratio: sic verò debet ordinari textus. Vox dilecti mei, ut quæcumque verba sunt interposita; post ea verba, vox Dilecti mei, parenthesim efficiant. Porrò si textus ita ordinetur, luculenter proditur amoris ingenium. Audita quippè voce sponsi, amoris impetu in laudes abrepta, interloqui festinavit, & summis laudibus efferre sponsum; neque illum passa est amatorium sermonem complere. Cum tamen existimandum sit in illomet textu Sermonis; verba hæc surge, propera, etiam ab Sponso elata fuisse. Postquam ergo modum visitationis Virgo explicuit, repetit, quod enunciaverat: dixi Vox Dilecti mei, aliis verbis dico; En Dilectus meus loquitur mihi, cujus vocem explano. Jam verò quæ sequuntur quo dulcedinis eximiæ pelago Sponsam absorbeant, quis valeat mente concipere, nedum explanare? Surge, inquit Sponsus, Amica, quia leges amicitiæ comples; Columba, synceritatis amans; Formosa, debita virtutum proportione, atque concinnitate. Veni ad sublimiorem Charitatis dignitatem, invalesce; quod enim obesse poterat, procul actum est. Hyems culpæ, qua grassante congelaras, transiit; imber præceps irruentium libidinum excessit. Quin omnibus reliquiarum hiemalium injuriis prope deletis, quibus ob admissa scelera vexabaris; vel novum apertum est, eximiæque feracitatis prætulit symbolum terra nostra. Floribus campi vernarunt, virtutibus tuo animo satis, vi maxima adolescentibus. Vineis amputata sarmenta, vetustasque recisa est, gemmarum velocius erumpentium, affuit lætitia, cum amoris tandem ardentissimi, quasi generosissimi vini, initiis primis quasi gemmis quibusdam movebatur expectatio. Vox Turturis castitate clarè sonans, novam mihi lætitiam invexit. Ficubus suus etiam honos, maturitatisque spes affuit, dulcorque præmonstratus est perfectæ charitatis, quæ omnes reficit, ac pascit, etiamque irritata dulcescit. Exhalatus est odor virtutum suavissimus; qualis ex vineis florentibus exhalari solet. Hæc universa cum apprime tibi, O sponsa quadrent, nunquid cunctandum est? Quin agis? Surge, in charitatem ardentissimam contende. Columba mea cui ego pennas addidi, quo vehi, alis fulta in fastigium cœli possis, quò requiescas in nido beatæ mansionis. At ego Petra sum foraminibus plena, & amplam quandam excavatam ostendo cavernam, qui petræ nomine insigniter notor, hominum impiorum manibus perforatus, laterisque mei vulnere latissimo, tanquam profunda cavitate hians tibi totus pateo. Surge igitur, ne me spes campi feraciissimi fallat, sonet vox optati assensus ut lubens in me velis nidulari. Benè sponsus Petram, quæ ex naturali constitutione sicca est, quia jam vitalis humor corpus exhaustum in cruce pendens defecerat; Optimèque vulnus lateris Cavernam nuncupavit; quemadmodum enim absque calce intritata lapides, lapidibus impositi, siccique maceriam componunt; sic costæ nullo jam vitali glutino coherentes, sed ordine dumtaxat litterato, speciem maceriæ præferebant. Absit gloriari nisi in me, per similimam vitæ meæ imaginem; namque hæc est valentioris sitis charitatis. Hoc verò, vel unius Pauli exemplo confirmare possemus. Brevius sic explicatur hoc totum; sponsus ait: Præterquamquod hyems peccati abscessit. Postquam primum ver gratiæ, atque virtutum per periphrasim per flores, per grossos, &c. Significatarum jam apparuit in primordio justitiæ: age jam, stude per passionem amorem experiri, & cumulare. Vox enim, quam promes libenter rei arduitatem amplectens, dulcis erit; facieique animi, qua inprimis pulchritudo proditur, egregia forma præstabit.

Turturis castitate clara.

Ficus, quid?

Haec jam inde a gratiae primordio contigerunt.

E

F

Columbae libenter in foraminibus petrae, caverniique nidulantur.

Sponsus Petra appellatus.

Petrae natura.

Maceriae compositio descripta.

G

Sponsi gloriatio.

Sponsi allocutio.

Hyemis significatio.

Florum significatio.

Sponsa dulcedine perfusa.

C

D

Columbae sinceritatis amans.

Sponsi allocutio

SPONSUS.

℣. 15. Capite nobis Vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

H

STatuendum hoc loco est, sponsam lubenter sponsi votis annuere. Unde quia ipse de-

Sponsa sponsi votis libenter annuit.

Scripta An. 1597.

desiderium in corde Virginis excitarat ulterioris amoris; ut elogium illud reddatur verum ipse dat velle, atque perficere, vitæ spiritualis duces, viros integerrimos per apostrophen interpellat; jubetque imperiosius: Capite vulpeculas, ac si diceret. Hominibus adultiorem charitatem capessentibus, minimè rarò accidit, ut Dæmones obrepant, sensim se ingerentes, illabentesque in cordis latebras. Obtendunt varias pietatis fatuæ formas; non quidem immania scelera patranda obiicientes, sed leviora quædam fucata, quo vafritie hac incautos seducant. Fit autem crebriùs, per has thechnas, ut gemmæ pampinique, vitium, quasi dicas virtutum actus, intercipiantur, interimanturque, nedum lacerentur. Nam dum levioribus quis culpis indulget, a quantumvis fœlicibus virtutum heroicarum fructibus cesset necesse est. Sic autem textus ordinatur. Quoniam vinea nostra floruit, Præsides Animarum, capite nobis &c.

A

Daemonis astus.

Modica non spernenda.

Gemmarum vitium, pampinumque significatio.

SPONSA.

℣. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia,
℣. 17. Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.

B

Sponsae progressus

HIc liquidò, & enucleatè sponsa, ad majora vocantem sponsum persequitur. Neque tamen ad alium, præterquam ad ipsum sermonem destinat. Etenim qui amant inter se, plerumque de se mutuò agunt præsentes, ac si abessent. Ergo sponsa sic agere existimanda est. Ecquid ego sponse, pro tua in me cura, & sollicitudine suavissimè tibi referre possum? Hoc unum mihi supereſt dicere, scilicet; Dilectus meus mihi, spreta rerum caducarum pompa, voluptatumque cunctarum umbra, cunctisque curis prorsus eliminatis. Et ego illi, pariter astrictiore catena conor alligari, illi inquam inter lilia candidarum, suavequeolentium virtutum, quasi in suis pascuis agenti, quibus certè pascuis opera sedulò danda est, donec dies illæ virtutis suæ, fœliciſſimo in regno, omnimoda oblata voluptate, mihi illucescat; & donec umbræ quibus obnubilor, quæ sponsi faciem mihi interdicunt, dispellantur. Pulchra translatio, nam exoriente sole, & summos montium vertices illustrante, umbræ inclinari ad convalles, planitiesque humiliores videntur. Ergo dum dies aspirat umbræ benè inclinari dicuntur.

Amantium mos.

Sponsae allocutio.

C

Sole exorto umbrae inclinantur.

Revertere: similis esto, Dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.

D

Sponsae allocutio.

SI donec aspiret dies, inter candidarum virtutum pascua, morari oportet; fac Sponse, ut qui lates, effusas ob tenebras, quibus in hac valle obruimur, crebrò revertaris, me alloquens celeri cursu interdum, quin frequenter, qui abscesseras, dulcoremque subtraxeras te ostende; nam & hoc propriè reverti interpretatur. Hoc obnixè peto, atque, te persimilem fieri, hac pernicitate, exoro. Capreæ, Cervæque hinnulo animalculus perniciſſimus, quæ assiduò Bether loci ardui in Palæstina vertices petunt, atque percurrunt, & quamvis aliò se nonnunquam proripiant, illa tamen in loca frequentius revertuntur.

Revertere quomodo intelligendum. Capreae, & hinnuli cursus, atque habitatio.

E

CAPUT III.

SPONSA.

℣. 1. In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.

SPonsi vox, insonuit, proximo Capite, Virginem ad ulteriora vocantis. surge, surge; etsi verò Virgo dum ait Dilectus meus mihi, & ego illi, respondere visa sit; modo tamen, quò urbanius agat, paucis interpositis, surgam respondsura est, per idem verbum quo usus erat Sponsus. At enim quonsam surgendum est, si modo animus victoriæ potiri avet; omnem adulterinæ quietis speciem procul abiiciendam, cum sit ignavia specimen quietis obtendens, Sponsa docet: Aptè, ait Sponsus hortatur, surge Amica mea; nam ego, quæ in interiore gratia nondum me odisse didiceram, in proprii sensus indulgentia plerumque conquiescens, velut in lectulo jacens ad somnum captandum demulcebar, existimabam, sic inveniri a me posse Dilectum, per tranquillitatis imaginem, noctibus ad quiescendum destinatis, adumbratam: quin etiam in charitatis augmentum lectulus est etiam mollis, crebra consolatio interior cum minimè pulsor adversis, adolescens amore, cujus in suavitate sponsum existimabam invenire, id est, ad ipsius amicitiam strictiorem pertinere. Veruntamen minimè id contigit; propterea.

F

Ignavia a quiete distinguenda.

Nox ad quiescendum destinata.

G

℣. 2. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.

IGnaviam pertesa suam, dispulso negligentiæ lethargo, exurgam, ait, & specimen quodcumque legitimæ quietis abiiciam, quo in penitiore divini amoris arcano, Sponsum valeam reperire. Neque verò hîc mirandum accidere fas est; animam tot divinorum beneficiorum dotibus opulentam, pigri-

H

Ignavia abiicienda.

Scripta An. 1597.

Ad Hebr.

gritati adhuc interdum, & in maceriæ cavernam se abdere cunctari. Nimirum non solum tyronibus id evenire solet, qui assertore Paulo, expertes sunt sermonis justitiæ, ac propterea lacte alendi, non cibo solidiore pascendi sunt; sed etiam provectioribus, quorum sensus prælia cum ratione Principe, inire numquam intermittunt. Testimonia suppeditantur passim, cum a sacris litteris, tum verò maximè ab experimento, quo perspicuum redditur, justitiam grandiorem in proficientibus quandoque languere desidia, arduaque obire negotia recusare. Quid ergo? Sponsi afflatu ego me urgebo, Virgo ait, vicos, ac plateas obambulabo; id est, vitæ, quam dicunt activam, sedulitatem pervigilem capessam; excursu vicorum, ac platearum in quibus negotia geruntur, optimè significatam; adoriar ocyssimè; fortasse hujus exercitatione vitæ, quasi labore improbo, voti compos ero, & in diviniorem contemplationem, post navigationis hujus procellas, velut in tranquilliorem portus stationem, sponsi propensione, appellam. Etsi verò sponsus Hierosolymitanas Virgines fuerit in superioribus obtestatus, ne somno excitent quiescentem sponsam: non continuò inferendum est, sponsum modo sibi non constare, dum virginem patitur somno solvi, hac, illacque vagari experrectam. Quippè excitatio hæc non hominum temeritate, vel parum prudenti consilio curanda est; expedit tamen divino illam consilio ibi curari permitti, & tanquam medicinam fragilis naturæ parari; quo anima variis excursionibus, semetipsam perposcens minimè fortem, nervos intendat; viam divinorum præceptorum strenuè percurrat. Tunc profectò sponsus reverti maturabit, ut fessam de via cæleſti recreet interdum allocutione, quæ aliquandiù erat interdicta. Quia tamen, etsi sponsa in virtutum exercitatione extrinsecus assumpta sponso haud careat, cum ipso afflante strenuius agit, seque piis laboribus exercet; contemplationis tamen tenui sibilo perfrui non sinitur, ubi amor dulcore inescatus, Deo navat suam operam, proindè subjungit sponsa. Quæsivi illum, & non inveni.

A

Justitia in proficientibus quandoque languet.

Activa vita.

B

Virgines Jerosolymitanae.

Divinorum mandatorum viam strenuè currendam.

C

℣. 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num, quem diligit anima mea, vidistis?

Vigiles Ecclesiae qui?

D

Ecclesiæ, quæ ædificatur, ut civitas, excubitoribus, qui in speculis nocte, dieque vitam ducere debent, id muneris injunctum est; ut non uno mœnium loco consistant, hostes, urbem obsidentes, vel invadentes exploraturi; sed obeant mœnia, cunctosque urbis angulos pervadant, secretioribus obrepant latebris, ne quid seditionis intestinæ accidat; dum hostes in urbem non invehunt pestem, sicque in pacis pulchritudine selectus populus conquiescat. Nimirum Ecclesiæ Doctores pietate insignes in dies vigilantiores, animas explorant, explorandasque perquirunt; quamvis ipsæ in requirenda excubitorum vigilantia, nihilo exindè segniores esse debeant; quin potiùs sitienter viæ rectè rationem sunt ipsos interrogaturæ, ipsos inquam, docendi percupidos. Rectè igitur Sponsa, se surrexisse diligentius, affirmat, & quæsivisse, cui non temerè contigit ab excubitoribus inveniri. Hos ubi conspexit viæ perfectionis in primis gnaros; Num ait quem diligit, quemque arctius amplecti cupit, anima mea externis fessa exercitationibus, vidistis? Ubi pariter sciendum est; sibi transeundum esse ulterius, hoc est a Doctoribus Virginem didicisse, in iis exercitationibus, quibus ipsi etiam jussu Sponsi navant operam; non esse finem. Sperant sanè, & illi per diuturnas molestias vitæ illius, quæ proximorum saluti semper insudat, ad fœliciorem se contemplationis frugem perventuros. Cæterum haudquaquam prætereundum est, hujus vitæ sollicitudine, vehementer Sponsam afflictari, atque sæpè acerbissimos dolores perpeti. Tantum est offendendi Sponsum, quod in cordis arcano coaluit desiderium, ut quamquam Martyrium, seu mors non sit corporis appetenda, id non exigente opportunitate, ipso tamen desiderio Sponsa, uti verbere quodam assiduo acerrimè cædatur; & acerbiorem cunctis corporeis cruciatibus pœnam sustineat. Ex quo elicitur veros Dei amatores dirè torqueri, secumque ipsos excruciari, etsi persecutoris gladius non deseviat; quod minimè cæcitas humana dispicere valet; ingentesque amori concepto fieri patet subindè accessiones. Sed Sponsam audiamus.

Ecclesiae Doctores.

E

Sponsa Doctores interrogat.

Activa vita notata.

F

Martyrium quando appetendum

℣. 4. Paululum cum pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

G

Sponsae allocutio.

Vix dum prætergressa eram, Virgo ait, Doctores Ecclesiæ, qui ad iter arripiendum in magis ardua, me hortati sunt; cum extemplo Sponsus totus festivus, & lætus affuit. Plerumque mater, filiorum ad amoris, atque gaudii lachrymas irritatura, se occultat, oberrantemque speculatur; neque tamen se prodit; usque dum dilationis impatiens amor erumpit, matremque filioli obtutibus obiicit. Ubi accurrens ille Parentem amplexaturus, ruit in oscula; lætus illam apprehendit, non ita confestim cessaturus. Persimili schemate amor divinus inducitur. Atqui tenui eum, ait, sic mihi arctè copulatum, neque committam, ut inter me-

Matrum mos.

H

Inter se sponsus, sponsaque stimulantur.

Scripta An. 1597.

medios maris fluctus, mihi eripiatur. Non patiar adversa, prosperave fortuna, neque latum unguem ab Sponso, dum vixero, alienari; donec solemni triumpho, vitæ peracto curriculo, uti ferculum, quo vehitur ille, introducam ipsum in supernam Hierusalem, quæ mater nostra est assertore Paulo: Spiritaliter concipitur Deus in Justificatione, adolescit in charitatis accessionibus, intra sinus animæ, tandemque illa in cœlum sublata quodam ferculum Dei est. sit consequens demum illuc ferri, atque introduci e ferculo, tanquam thronum illi insidentem. Ait autem in domum, in cubiculum, quia sedes Beatorum, id ipsis Beatis præstant, quod domus, & cubicula, hominibus in hoc exilio præstare solent; cœteroqui non dixisset Sponsus mansiones in cœlo plures esse. Animadvertere hic oportuerit, Virginem per ea verba, nec dimittam, vehementem exprimere amoris affectum. Qui nollet, si liceret, sponsum se quandoque occultare. Minimè id credit eventurum, sed explicat dumtaxat sponsa, quod amor efflagitat; id libenter acceptura si Deo placeret. Hic sponsus repentè ab sponsa inventus vi maxima dulcedinis illam absorpsit. Undè Virgo sopita est, raptuque mirabili ab omnium rerum alienata commercio.

Ad Galat. 4. 26.

A Spiritualis Dei conceptio.

Anima ferculum Dei.

Animadversio.

Sponsæ raptus.

B

SPONSUS.

℣. 5. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

VErba hæc in præcedente capite sunt exposita, ubi sponsa in ecstasim rapta est. Satis verò fuerit nunc animadvertere tanto esse alienationem hanc excellentiorem prima; quanto plures virgo in amoris schola fecit progressus.

D

C

DOCTORES ECCLESIÆ.

℣. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?

APprimè interrogatio hæc emphasis, atque admirationis plena, Doctoribus Ecclesiæ congruit. Rogaverat Virgo Doctores excubantes ad Israelis custodiam, qua sibi eundum esset, atque rectum tramitem edocta intrepidè currebat, nedum gradiebatur. Hoc ubi conspexerunt illi, ab admiratione sibi temperare nequeuntes, in hæc verba proruperunt. Quænam est ista? quæ vitæ hujus desertum graditur; desertum est profecto, ubi adeò rara est charitatis habitatio, & societas; immo quæ conscendit, & transilit tot salebras, ac si ventorum flatu raperetur; quemadmodum contingere videmus fumo ex adustis pemmatibus, myrrha, thureque exuscitato ac similitudinem virgulæ referenti, cum ventorum flatibus in sublime fertur. Porro virgulæ ardua petenti, parum viarum pravitas, scabrities montium, & rupium salebræ, atque hiatus possunt officere. Sic omnino Virgini strenuè in altiora festinanti, vitæ hujus discrimina perparum officiunt. Jam autem, Sponsam Virgula odorata myrrhæ, thuris pulveremque pigmentariorum aptè notari, nemo audebit inficias ire: si nempè non sit mentis inops. Etenim myrrha passionibus ab Sponsa æquanimiter toleratis; thus mentis pio affectu, orationisque jugi sacrificio; pulveres odorati plurimo virtutum, cœlestem inculpatæ vitæ odorem spirantium, comitatu, optime significantur. Veruntamen mirantur jurè Doctores animam, quam peccati corruptela vitiarat, elutis labibus, immunem in reconditiorem in dies se vitæ sanctimoniam insinuare. Sed neque mirum, nam & miratum fuisse Sponsum ipsum, quorundam fidem, memoriæ proditum est.

E

Myrrhae, & thuris significatio.

Doctorum admiratio.

F

℣. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: ℣. 8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

DOctorum Sponsæ pulchritudinem admirantium, est hic sermo. Periphrasis tamen est pereleganti ex media militia deprompta similitudine, concinnata. Vigilantissima igitur Dei per Angelos hominesque pios erga Sponsam custodia à timoribus nocturnis, id est a peccatis, quæ mortali nocte cor obtenebrant. Fortium armatorum militiæque peritorum habitus hic exprimitur. Dicunt ergo Doctores. En, qui fieri posset, ut Virgo hæc tanto vitæ candore niteret, & tam infestis hostium insidiis non interciperetur; nisi illam, quæ verè lectus veri Salomonis Dei est, ubi paulisper requiescit, dum præterit mundi figura, non singulari custodia Deus protegeret, & tueretur? Sexagenarius quidem numerus, ad custodiæ perfectionem innuendam, ideo selectus est; quia perfectionem indicat: alioquin non perfeciisset universa Deus sex dierum periodo, ut septimo posset requiescere ab universo opere, quod patrarat.

G

Angelorum tutela.

Mundi figura præterit.

Sexagenarii numeri significatio.

H

Excubitores Doctores.

D

Doctorum Ecclesiæ allocutio.

℣. 9

Scripta An. 1597.

℣. 9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: ℣. 10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.

A

QUam Doctores lectulum nuncuparant; Ferculum modo Salomonis appellant, varia, & perpulchra similitudine animæ perfectionem propalantes. Meritò, inquiunt, hoc sibi ferculum Deus sapientissimus fabre fecit ad regium planè apparatum spectans, de selecta montis libani materia. Columnas argenteas, virtutes Cardinales quatuor, instar quatuor columnarum mirificè cælavit, & expolivit. Hæ siquidem virtutes proximam charitatis auro, & in metallis secundam nobilitatem sortiuntur. Reclinatorium fecit prorsus aureum, id est, sellam eam, in qua qui ferendo vehitur sedet medius. Non sanè argenti columnæ, quietem Regi conciliare possent; nisi ferculi subsellium esset omninò aureum. Charitas enim auro signata ob præstantiam verè regiam, morales virtutes supernaturalis facit esse meriti compotes, & ad Dei conspectum evehit, quæ alias nihil ad meriti supernaturalis rationem conducerent. Quis autem ignoret, Charitatem, Dei sedem esse, in qua præclara est Regiæ majestatis significatio? Eccur autem ascensus purpureus est? Profectò quia per passiones, purpureo colore, vel sanguinis profusione notatas, in eam conscendit sponsa dignitatem, ut Regis summi ferculum esse possit. Atqui illud, media charitate constravit; hoc est, obtexit, & ornavit, significat expresè hujus ferculi Deum apparatu captum, in medio subsellio consedisse, quod sic est accipiendum: Media charitate, id est semetipso, qui charitas est, columnarum in medio, medioque amore sponsæ constrato, id est collocato, ferculum honestavit. Videtur alludere Salomon ad propitiatorium aureum, quod erat super arcam Testamenti, in labii arcæ medio, ubi Dei majestas sedere dicebatur, quod subnotat paraphrasis Chaldaica. Propter filias Hierusalem; videlicet, ut amantes animæ tantæ spe dignitatis, ad palmam certatim currerent Hic haudquaquam existimandum est, sponsam ad perfectionis culmen conscendisse, sed valdè perpendendum, quot charitati fiant in dies accessiones. Huc spectat quod Joannes in Apocalypsi ait, se vidisse Hierusalem tanquam sponsam ornatam viro suo. Potissimum quippè sponsæ ornamentum vir suus est.

Columnarum argenteārum significatio.

Reclinatorium quid?

B

Auri significatio.

Passiones purpureo colore notatæ

C

Propitiatorium aureum veteris Testamenti.

Paraphrasis Chaldaica.

Cap. 21. 2.

Potissimum Sponsæ ornamentum, sponsus.

D

℣. 11. Egredimini, & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

DOctorum munus est, ut cum Animam præclarè per virtutis stadium contendentem explorarint, Deumque illi præsentissimum animadverterint; Animas alias, non ita strenuas hoc exemplo, ad ulteriorem navitatem exhortentur. Quapropter egredimini; dicunt, Virgines Ecclesiæ filiæ, Regem summum, hoc mirabili undecumque ferculo vectum, intuituræ. Considerate jam Regem divinum lætum, atque festivum, firmantem jus desponsionis. Dicitur dies desponsionis, quia modo desponsio confirmatur, & novum charitatis accipit incrementum: Tunc quippè res sæpius fieri dicitur, cum novum accipit ornamentum; ut in Capite Geneseos primo, licet in mundi structura perspicere, Cum astra fieri asseruntur, cum novas accipiunt lucis, alteriusve qualitatis perfectiones. Quare tamen diadematis, atque Matris hic mentio fit? Sanè quia inter ornamenta regiæ dignitatis Diadema principem locum obtinet. Propterea ergo Virgines excitantur; ut Regem amantissimum, eo contemplentur ornamento insignitum, quod maximè Dei Regiam naturam, ac beneficentiam indicat. Hoc procul dubio ornamentum est charitas: erga homines, quæ clarissimè in prosequenda sponsa emicat, dum fœdus conjugale altiores radices agit. Attamen mater hæc, quæ sponsum coronat, Dei Patris benignitas est, quæ tanquam pronuba stabiliendo adest matrimonio. Ex hac quippè proveniisse non ambigimus, Verbum æternum Charitatis ineffabilis diademate insignitum, ante postque Incarnationis prodigium Animam sponsam thalamo suo esse dignatum.

Doctorum munus.

E

Doctorum allocutio.

Diadema regale ornamentum, & ejus significatio.

F

Mater sponsum coronans, quæ?

CAPUT IV.

SPONSUS.

G

℣. 1. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.

BOni cosulit Deus Opt. Max. virtutis œconomia, quæ Doctores extulerant, Virginis egregiam formam demirati. Quapropter ipse, qui ardentius amat morem hunc piæ laudis probaturus, varias sponsæ dotes per corporis lineamenta, membraque signatas commendare aggreditur. Intelligendum verò est, sponsum hæc effatum esse cum primum post absentiam diuturnam, voluit à Virgine sedula reperiri. Quando enim dixit sponsa, tenui eum, & sponsus immisit soporem quia interposita sunt verba, pertinent ad Doctores in scenam a Salomone introductos ut interloquerentur, sed nunc sponsus loqui-

H

Scripta An. 1597.

quitur: Arreptus ergo amoris impetu, non obſervat ſcholarum ſeriem; ſed quas impetus arripit ſponſæ dotes, has ille commendat. Ait denique. Quam pulchra es amica mea. Quam pulchra es. Repetitio hæc eximiam pulchritudinem animæ prodit, generatim tamen, quam poſtea repetitionem, quaſi pronunciatum quoddam, per partes comprobat. Exorditur ab oculis, qui tantæ virtutis exiſtunt, ut faciem cæteroqui deformem, illi dumtaxat interdum honeſtent. Quod autem attinet ad Columbarum oculos, non eſt cur novi quippiam comminiſcamur, ſed ſimplicitatem in intentione, ſicut ſcriptum eſt; ſi Oculus tuus ſimplex fuerit &c. ſynceritatem hic dicamus præferri columbæ natura vulgò interpretatam, ſynceritas vero hæc hamus quidam eſt, quo facile ſponſus capitur. Et quoniam ſynceritas, hoc eſt, ingenium ut nihil celet, aut ſimulet, ſed in actus exteriores explicet ſe; ideò de virtute hac ſponſus agit, ac ſi oculis perſpici poſſet externis: quaſi dicat, pulchra certè exiſtis, Anima gratiſſima ob virtutis ſignificationem per ſynceritatem exterius exhibitam; abſque eo quod intrinſecus latet, id eſt etiamſi non perſpiciatur ea virtus, quæ deliteſcit. Sunt ſcilicet virtutes aliæ, quæ non ita ſe propalant, & manifeſtant, ac ipſa ſynceritas.

Sponſi allocutio.

A

Matth. 6.22.

Columbæ natura.

B

Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. ℣. 2. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

Capillorum ſignificatio.

CApillis è ſuperna totius hominis parte naſcentibus, cogitatus ardua petentes exprimi, perquam manifeſtum eſt; dicunturque ſimiles Capris, quæ de montis Galaad radicibus conſcendentes, montis ardua percurrerunt. Galaad verò in Cananæorum finibus mons eſt altus, & conſpicuus, arborum plantarumque ferax, ex quibus reſinæ fluunt, & plurimi fructus leguntur ad medicam materiam expetiti; quod ex vaticinio Hieremiæ conſtat; ſic igitur interpretamur. Cogitationes tuæ, o ſponſa, id agunt; quod Caprarum Galaad montem conſcendentium greges efficere ſolent. Quemadmodum enim illi de Galaad declivio, aguntur in altiora, quo montis paſcua colant, quò in arduis, jugis ex fruticibus pabula carpant; ſic porrò tu de humilioribus Eccleſiæ paſcuis, quaſi è quodam cœleſtis Hieruſalem declivio, ad montis coagulati, & pinguis, quem Deus incredibili feracitate fecit inſignem; hoc eſt, cœli verticem cogitatione conſurgis, & Caprarum in ardua reptantium, ingenia imitaris, ſpiritales herbas cœlitus oblatas, mira aviditate depaſtura. At enimvero tuis dentibus is candor ineſt; quo greges pecudum tonſarum nitere ſolet, cum ſe abluere, quo totum corpus ſordibus expurgatum, tenuioris lanæ, breviorisque integumento candeſcat. Profectò dentes, qui non abſque difficultate ſolidiores cibos mandunt, ſponſæ meditationem denotant, quæ oblata ſponſi myſteria; dum quandoque contemplationis ſuavitas abeſt; rimatur, & quaſi fruſtillatim dentibus concerpit. Hæc itaque meditatio dentibus notata ſingulari candore nitet cum abluit ſeſe, quia meditationem plerumque vis lachrymarum perfundit: hinc proficiſcitur, ut quæ ſterilis ſuoptè ingenio videbatur meditatio a contemplationis fœcunditate valdè diſtans; minimè tamen ſit jejuna, minimè infœcunda, ſed inſtar tonſarum ovium pinguium, ſalubres herbas depaſcentium, geminos edat fœtus. Quapropter tonſis aptè comparata eſt, quibus execta vellera cedunt in uſus aliorum, nec non, & ipſæ pecudes exutæ ſacrificiis dedicantur. Ut ſanè ſponſa, proximis ſuas proprias res elargitur Deo ſe exutam ſacrificatura. Hi ſunt gemelli fœtus actus miſericordiæ in proximum, & Religionis in Deum.

Sponſi allocutio.

C

Mons Galaad ubi ſitus.

D

Dentium ſignificatio.

E

Meditationis & contemplationis diſcrimen.

Actus miſericordiæ & religionis.

℣. 3. Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet.

F

SIcut rubore ſaturo inſignia labia non vulgarem præferunt, vultuique addunt venuſtatem; ita & ſermo tuus, labiis expreſſus tanquam vitta coccinea bis tincta, amorem Dei, proximique ſemper efferens, & pronuncians. Undè fit ut eloquium tuum incredibili me dulcore reficiat. Quod autem Virgines inprimis honeſtare ſolet, eſt offuſus genis rubor ingenuus, colore mali punici notatus, qui pudoris eſt index, cum homines alloquuntur, cum in lucem prodeunt, cum quacumque de cauſa latebras exeunt; ita quidem tibi, ſponſa, contingit. Eximia proindè pulchritudine exterius præſtas; quid enim memoremus latentem animi venuſtatem? Hîc animadvertendum, exteriores virtutis indices ab ſponſo maximè probari.

Labia rubra vultui venuſtatem addunt.

Puellarum honeſtas genarum rubore notat.

G

℣. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium,

TUrrim a fortiſſimo Rege David inſignem, & excelſam fuiſſe conſtructam memoriæ proditum eſt; quam plurimis armorum generibus inſtruendam, muniendamque curavit; quò Patriæ hoſtes infeſtiſſimi perterrefierent, & Rex irrumpentium tandem Genti-

H

Scripta An. 1597.

tilium insaniam coerceret, quin etiam ad turrim Davidis tanquam ad firmissimum præsidium, obsessorum animus se poterat convertere. Nimirum universa hæc orationi, quæ actus Religionis virtutis est, congruunt, quam optimè: Oratio quippè collum quoddam est, cujus gutture trajectæ cœlestes alimoniæ, & spirituali stomacho percoctæ, hominem cæteroqui ignavum, & imbellem, mira fortitudine erigunt, atque stabiliunt. Fortitudo ergo hæc, insuper oratione cœlitus concessa, ad augendam audaciam invalescentis animi, ad tuto excipiendos hostium ictus, ad arcendos hostes, protinusque absterrendos, per turrim, per propugnacula, per clypeos, per armaturam exprimitur.

Oratio quoddam collum.

A

℣. 5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis: ℣. 6. Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ,

B

QUI novit uberum mollem constitutionem jugi lacte manantem, facilè cognoscit, illis amorem geminum erga Deum proximumque signari. Etenim nequit amor feriari, nescit opus intermittere, si verus amor est, jugi lacte Deum, hominemque pascit; ita quidem, ut semper, tanquàm uber distendatur, & intumescat lacte pietatis in Deum, & in proximum misericordiæ lacte distentus. Neque nectar dulcius hoc lacte Deo valet offerri. Namque anima, quæ hisce uberibus pressis Patris æterni voluntatem sequitur, evadit verè sponsi mater, sugentemque sponsum proindè lactat: quò verò pactò proximum altero ubere lactet, patet per opera misericordiæ, quæ charitas imperat. Amor etiam duplex figuratur propter lactis expressionem continuam, & uberum constitutionem, & teneritudinem; id est, diximus dulcorem per ubera signari metonymicos. At certè quod sequitur, non caret emphasi. In quo enim constare potest similitudo inter gemellos Capreæ, & duo ubera? Profectò fætus tenelli, teneram amoris utriusque constitutionem produnt; licet enim amor sponsæ adultioris eximiam fortitudinem, robur que nactus jam sit, minimè propterea obdurescit, sed naturalem sibi retinet teneritudinem, majora tamen audentem. Sed ideò Capreæ, non alius animantis hinnuli esse dicuntur ubera duo, ut clarè perspicias, velocitatem miram inesse in amoris natura ad sua munia obeunda, ad obtemperandum genio, quo universis patere necessè est, ac propterea vim amoris mirificè declarant. Animalcula scilicet hæc sunt pernicissima. Verùm propterea ubera hinnulis pascentibus in loco liliis consito feruntur similia; quia liliorum candore vitæ, morumque candor, atque puritas portenditur, quo nimirum morum candore septus amor uterque, & tanquam ingenuo comitatu stipatus, vix dici potest quanto resplendeat nitore, summoque Deo placeat. Verba quæ supersunt supra exposuimus, dum quid umbrarum inclinatio, aspiratioque diei proderet aperiremus.

Uberum natura, & significatio.

C

Anima sponsi mater dicta

Hinnulorum velocitas,

D

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

E

HIc oportet concipiamus sponsum inter verba suavissima, quibus Virginis pulchritudinem extollit turbine quodam amoris correptum secum, quanvis sponsa præsente pauca hæc effari. Sponsa, heu mea, mons est ob dignitatis celsitudinem myrrha arbuscula consitus; ob amaras, quas perfert in exilio molestias; Collis est sublimis thure etiam arbuscula inibi plantata, odorans, & fragrans, ob mentis in cœlum oratione perenni contentionem. Quomodo qui montes amo; qui transilio colles; ad sponsam non properabo? Nimirum hæc requies mea; in hoc monte fœdera conjugalia stabiliam, cum intereà sponsæ amorem experior. Contigit hæc Sermonis varietas non rarò amantibus, qui ceptum cum altero Sermonem intercidentes, alios quasi accersunt, & certiores sui animi faciunt.

Amantium sermocinatio intercisa.

F

℣. 7. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.

DIgressio fuit brevis. Nunc præsentem alloqui persequitur, Totam pulchram appellat; non quidem, quia neque leviss imè peccet, sed tamen, quia longo intervallo vitæ perfectione excellens, leviss imas vincit culpas, & ignis divini percoquit incendio. Et verò mos amantis est, quidquid turpe cerni possit, nolle intueri, cum totum se conferat animus in gratam venustatem contemplandam, integrisque encomiis efferendam; & propterea cæcus amor pingitur.

Sponsa quomodo tota pulchra.

Amor quare cæcus depictus.

G

℣. 8. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

ULterius gradiendum est, ait sponsus; quam enim adeò ardenter amat, quomodo non ad altiora provehat? Veni ergo, ter veni; quo numero innuit se sponsam ad perfectionis apicem evocare. Veni fiet tibi eximiis virtutibus corona texta; veni de Libano Phœnicis monte, aromatum feracissimo, hoc est, de charitatis proceritate, quæ similis est Libano monti, ubi surculi arborum aromaticarum decerpuntur, quando heroici actus ab stipitibus ramisque virtutum consitarum progenerantur; adhuc enim in magis

Ternarius numerus, quare in vocatione sponsæ adhibitus.

Libanus mons, ubi situs

H

Scripta An. 1597.

ardua conſcendendum eſt, ſcilicet uſque ad cœli faſtigium ubi corona te manet. Igitur age coronaberis: Propera etiam ut eripiaris tot ab inſecutoribus, qui te ut charitate adultam acerbius inſequuntur; ut amor ſit menſura doloris; propterea ſurge, veni de verticibus montium reproborum, Amana Ciliciæ, ut ajunt, montis, Sanir, & Hermon montium in Iudæa eminentium, qui tres, etſi aliis de cauſis execrandi non ſint; verùm quia latebræ ſunt leonum, & Pardorum, minimè probantur. Hiſce, montibus, crudelium, quas natant leones, qui pios, & inſontes homines perdere nituntur, & callidorum, quos pardi ſignificant variegata pelle, qui vafritie ſubdola ſynceros intercipere conantur. His inquam montibus repudiatis altiora pete, quo rude doneris, & quò coroneris. Porrò ita ſe res habet. Dignitatum namquè faſtigia, rerum domeſticarum apparatus, ſplendorque ille (quæ injuria homines crudeles leonibus; vafri pardis variegata pelle, notis ſignificati nefarie comparant, & ex quibus quaſi è cubilibus prodeuntes, luxu nimio effluentes, varios perdendi ſynceriores homines modos excogitant, in quorum antris tela parantur, & evibrantur ad bonos conficiendos, qui ad vitæ perfectæ celſitudinem conſcendunt) hæ inquam ſublimitates, a ſceleratis hominibus montes judicantur excelſi. Etſi verò horum hominum perditorum mores ſponſa jampridem execrata eſt; moretur tamen modò nervos intendere, quò illorum fævitiam prorſus evadat, nam in ſæculi contemptores inſanè fæviunt. Concinè ſponſæ, quæ in vertice Libani, id eſt, vitæ perfectioris moratur, è verticibus aliorum montium, id eſt, poteſtatum terrenarum, leones, pardique infeſtiſſimè adverſantur, ut perfectio exerceatur infeſtata. Sed quia ſponſa ſurgit a Libano in magis ardua, ideò coronanda eſt; quia verò ſe attollit è verticibus Sanir, & Hermon, ideò infeſtationibus eſt in pace liberanda. Suffragatur Interpretatio LXX. Veni de Libano, Sponſa, veni a Libano; venies, & tranſibis a principio fidei, hoc eſt, ab ænigmate, ad viſionem, quod dicitur, ut propoſito fine fiat alacrior.

A

Amor doloris menſura.

Amana, Sanir, & Hermon ſignificatio.

Pardorum ſignificatio.

B

C

LXX. Interpp.

℣. 9. Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

D

Amantium mos.

MIra eſt energia vocum iſtarum ad amoris vim explicandam. Sanè Amantium eſt ingenium, non ſemel ſua vulnera detegere; nec non phraſes ad id præſtandum varias excogitare. Nunc Amantes Reges, nunc Monarchas, confeſtim fratres, aliquando Conjuges ex amoris ſe nuncupant imperio. Ita vides hîc Sponſam ſimul ſororem appellatam, corque ſaucium iterato vulneris nomine reſeratum. At certè ut exploremus unius oculi, atque crinis emphaſim, ſic habendum eſt. Oculum, cum ad interiora refertur, notitiam ſignificare latentem, quapropter eas oculus, quas intellectuales virtutes vocant præ ſe fert. Verum quia plures hæ virtutes ſunt, uti ſcientia, prudentia, fides, plures oculos eſſe minimè dubitare oprtet. Et quidem, oculus hic, qui ſponſum vulneravit, fides eſt, quæ per dilectionem, quod Paulus ait, operatur; cujus certè plurima ad Hebræos egregia encomia numerantur; ut facilè illam ſponſi oculum animum percellere poſſe intelligas. Crinis verò, vel quod in Hebreo עֲנָק: Torques habetur, ornamentum colli eſt, etenim benemeriti milites torque inſigniri ſolent, quo collum inſigniter ornatur. Hoc igitur crine ſponſa velut laqueo, aut catena ſponſum irretit: quia obedientia inſignis, quæ vinculum eſt obſtringens, & ſingulare ornamentum Dei munificentia collatum, provectioribus mirificè oblectat, atque capit Deum; qua virtute præeunte apta redditur anima divinioribns ſponſi muneribus recipiendis. Plures ſunt crines, ut timor, maximè qui dicitur filialis, humilitas, & obedientia; torques, & crines ſunt ut anima obſtricta jugum ſubeat, verùm uno crine modò ſponſus capitur, quia ſpecial s obedientia requiritur, ut ter modo vocante ſponſo, morem ſponſa gerat.

Sponſa ſoror appellata.

E

Ad Galat. 5. 6.

Hbraica Lectio.

Torques colli ornamentum.

F

Crinis ſignificatio.

℣. 10. Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa! pulchriora ſunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

G

PAulò antè ubera laudarat: quid ergo iterum ad illa rapitur? Certè minimè mirari oportet: Uberibus amorem utrumque Dei, atque proximi aſſeruimus notari. Cumque prima ſit proindè amoris pulchritudo, qua una reliquis virtutibus additur egregia forma, æquum profectò eſt, amoris ſæpius meminiſſe. At quidem hoc altè memoriæ impreſſum eſſe debet; Carminis hujus ſeriem, atque verborum nexum, non præceptis Philoſophicis, ſed amoris vehementia eſſe perpendendum; quæ enim alias inconcinna viderentur; hic præclarè cohærent, & conferunt impendiò, ad amoris naturam diſpiciendam. Cætera patent ex ſuperioribus, ubi quid unguentis arcanè ſignificetur, declaratum eſt.

Uberum ſignificatio.

℣. 11. Favus diſtillans labia tua, ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.

H

PAræmia eſt protrita; ex abundantia cordis os loquitur; cum igitur amore divino cor ſponſæ æſtuet, incredibilique dulcore

Ex abundantia cordis os loquitur.

Scripta An. 1597.

core afficiatur, verba cordis ex promptuario prolata sint dulcia, amatoria sint necesse est. Neque aliud hîc, quam sermonis Sponsæ lepor proditur novum: sed thuris odor virtutibus Deo oblatis undecumque quadrat, ob ritum sacrificii, ubi thus adoletur; at virtutes Sponsæ, juge sacrificium est. Optimè autem virtutes etiam dicuntur vestes, quæ ab adversi temporis injuriis, animam protegunt, atque tuentur, ut sibi bene tecta non timeat peccatorum hyeme grassante.

Sermonis sponsæ lepor.

Virtutes vestes dictæ.

A

℣. 12. Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclūsus, fons signatus. ℣. 13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

EA est virtutis pulchritudo, ut si perspici oculis posset, mirabilem sui excitaret amorem, unde variis characteribus depingitur, vario schemate inducitur, variis translationibus significatur, nec verò tanta pulchritudo satis exprimi potest. Nemo est autem, quem fugiat hortorum amœnitatem percommodam esse, ad virtutum speciem repræsentandam. Hortis tamen septis, qui non sunt expositi præteruntium temeritati, longè majorem cum amœnitatem, tum proventum esse fructuum plurimorum, sedula id efficiente cultura, cunctis est exploratum. Hoc igitur innuit Sponsus, ac si dicat, obvallata es Sponsa, & septa Angelorum, Sponsique tui vigilantissima custodia, quapropter immunis eris a temere incursantium viatorum libidine; ego cultor pulcherrimas virtutes consevi, stipites arborum, stolonibus repurgavi amputatis, quò in eximiam uno stipite amoris adolescant proceritatem. Areas floribus satis distinxi; suoque universa loco disposui. Quò tamen horti flores aquæ humore destituti, non langueant; quò arbores minimè arescant; fontem divinæ atque singularis providentiæ obsignatum, ne temerè ad quælibet viridaria permanet aqua, intra horti amœnissimi sæpem emanare jussi, ex quo factum est, ut tu etiam Virgo fons sis, vitalem aquam me primo fonte haustam evergens, ut tumet illam ad tua plantaria, me inspirante derives; esque fons obsignatus sigillo meo, ne quis alienus humor in te abunde manans reperiatur; ut in te solus agnoscar, & lauder. Verumtamen Emissiones; hoc est, eruptiones fructuum quæ fiunt, cum arbor primum fructuum specimen effert, cum pericarpia, vel fructuum amicula tenera ramis extruduntur; hæ inquam eruptiones, referunt ad unguem hortum malis punicis consitum, pomorumque proventu divitem, te videlicet ex virtutibus tanquam arboribus novos semper fructus emittentem, & mirum est omnes tuos fructus malis punicis simillimos existere. Malos autem punicas, cum jam edide-

Virtutis pulchritudo ineffabilis.

B

Sponsi allocutio.

C

Sponsa fons est.

D

Mala punica descripta.

re fructum ultrò hiscentem, granorumque rubentium miram concinnitatem oculis exhibentem, visui gratissimas existere; hortosque oppidò honestare non est ambigendum. Qua similitudine actus virtutum excellentium, amores præsertim divini, ex habitibus, tanquam ex arboribus, vel unius charitatis ramis erumpentes, Sponsus voluit commendare, ab specie pulcherrima, & spiritualibus oculis admiranda.

E

Cypri cum Nardo, ℣. 14. Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum universis lignis Libani; myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.

IN hoc amœno, ac delitiis affluente paradiso Cypri sunt consitæ. Nardus fragrat, Crocus, & Casia, pariterque Cinnamomum. Est jugis unguenti fons arbuscula Myrrha dum stacten emittit, est etiam Aloe aromaticis unguentis materiam suppeditans. Periphrasis hæc perpulchrè virtutum universarum cœtum notat quibus hoc generatim est ingenium, ut persuavem Christi odorem exhalent; ac propterea eas dumtaxat selegit sponsus arbores, quæ sunt aromaticæ, & in delitiis habitæ. Ubertim varieque explicari potest hic locus, ob arcanas istarum arbuscularum significationes, ita ut tot sensus literales sint, quot harum arbuscularum proprietates hùc spectantes, quæ certè sunt plurimæ, sed nos ita dicimus cypro, atque nardo, ex quibus cyprinum, atque nardinum conficitur unguentum, utrumque calefaciendi vim habens, duplex amor sæpè a nobis notatus exprimitur. Crocus verò refrigerat, & temperat, undè cœleste desiderium ex amore erumpens terrenarum voluptatum incendium extinguens propalat. Calamus fistula odoratus, qui natura levis est, atque velox ad surgendum, temperantiam, vel orationem a cunctis notat illecebris, qua qui præditus est, pondere peccati minimè depressus, in supernorum velox assurgit contemplationem. Cinnamomum vehemens est, cum manditur, & in stomachum trajectum stabiliendi vim habens, atque exhindè fortitudinis est symbolum. Myrrham condiendis corporibus expetitam, qua caro præservat a corruptione, carnis integritatem; Aloemque amarulentam, conceptum vitæ malè actæ dolorem significare, satis est manifestum. Et quidem præterea omnia Libani montis fœliciſſimi ligna, omnia quæ prima unguenta pretiosiora commemorantur, ut universarum virtutum præconia celebrentur, cum non universè percensentur. Coniice modò in Paradisum oculos; non dubium quin amœnitate capiaris; sicut capitur Deus.

Cypri, nardi, casiæ, cinnamomi, mirrhæ, & aloe significatio.

F

Cypri Nardique altera significatio, & Croci.

G

Ac Cinnamomi.

Myrrhæ, & Aloe.

H

Scripta An. 1597.

℣. 15. Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

A

REpetit ſponſus quod antè nuper extulit majori cum expreſſione. Etenim quamvis hortus cæteroqui amœniſſimus eſſet, niſi variis ſulcis derivatæ interfluant aquæ, marceſcant aliquandò flores neceſſe eſt. Proindè non tenues aquarum rivulos paradiſo accommodat; ſed imperat fontem exoriri, puteum manare, vitalium aquarum, quæ ſunt Spiritus Sancti vivificantis chariſmata; atque ut fluxum copioſum facilè declaret ſimilitudinem fluminis è libano impetu maximo decurrentis accerſit. Videtur alludere ad Jordanem è libani radicibus ductus è fontibus exorientem.

Aquarum fluentium ſignificatio.

Jordanis orìgo.

℣. 16. Surge, Aquilo, & veni: Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

B

COnſevi hortum, inquit Sponſus, arbuſculis odoratis, vitalibus aquis fœcundum reddidi. Quid ergo reliquum eſt? An ne ſic agriculturæ ſatisfactum putem, ut ſi fieri poteſt, non omnem infeſti temporis injuriam avertam? Minimè verò. Sed potius ventorum infœlicium fœcunditatem prorſus abſumunt, flatus arcebo, Quid enim tam vigilanter cultus poſſet hortus reddere fructuum, ſi humorem infeſtiſſimus aquilo decoqueret? Surge denique, excede ad Garamantas Aquilo, qui hyeme graſſaris, occultos terræ meatus pervadis, humiditatem eripis, fœtamque terram abortire cogis; vel ſi minus id efficis, magnopere lædis. Aquilone è ſeptentrione vehementius flante, Dæmonis aſtutia; & livore, æſtus vehementiores excitatos, qui Sponſæ tranquillitatem turbant, & humorem vitalem quodammodo decoquunt, intelligi exiſtimandum eſt. Cæterum veni Auſter, qui flas a Meridie, dicit Sponſus, veni genialis aura, quæ ſementem foves, & vitam terræ viſceribus conceptam tueris, & auges, perfla hortum Sponſæ multis areis diſtintum, ac aromaticis arbuſculis ſapienter conſitum: nam ſi perflaveris, mirificus odor quacumque fundetur; Fluent aromata, hoc eſt, odores aromatici. Aura hæc genialis, quæ ad Sponſi imperium pervagat hortum, ſpecialior eſt Spiritus Sancti afflatus, quo anima multo redditur fœcundior, & ad edenda conceptarum animo virtutum germina promptior. Hìc profectò eximium amoris divini notatur incrementum; & quædam mira, non ab incurſionibus, non à vexationibus, ſed a victoria, & tyrannide Dæmonis ſignificatur immunitas.

Aquilonaris venti ſignificatio.

C

Auſtraliſque

Amoris incrementum notatur.

D

CAPUT V.

SPONSA.

E

℣. 1. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.

MOS eſt Hebræis præſentes alloqui, atque præcari per tertiæ perſonæ phraſin, ut paſſim in vetere Teſtamento has loquendi formulas offendas; audiat, faciat, mittat Dominus meus Rex, & alias prorſus ſimiles. Ita ergo, quandoquidem adeò amœnum ſententia tua, o ſponſe, hortum coluiſti, quid agam? quid tibi pro cultura, & ſedulitate referam? Dicam audacter incredibili flagrans tibi placendi deſiderio; veniat dilectus meus agriculturæ peritiſſimus in hortum ſuum; &, quod ipſa exigit æquitatis ratio, arborum mala primus omnium carpat, edat, & fruatur; comedat fructum pomorum ſuorum, ſcilicet fructus, qui ſunt poma ſua. Quis enim agricola qui non veſcatur primus quibuſque fructibus? Per hanc elegantem tranſlationem, innuit Salomon, Deum mirificè oblectari fructibus virtutum, qui ſunt ex Thomiſtarum ſuffragio, actus virtutum nobiliores cum ſuavitate producti. Suavitas tamen hæc provectiorum adhuc præliantium, præmii quoddam genus eſt.

Hebræorum mos.

Præſens hortus dilectus eſt, ſed ſponſa precatur præſentiſſimum.

F

Agricolæ primi fructus veſcuntur.

S. Thom. in hunc loc.

SPONSUS.

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, & bibite, & inebriamini, chariſſimi.

G

OPtatis reſpondet, atque ait ſponſus, contuli me libenter in hortum, ut tot perditorum hominum injuriis affectus, atque repulſus, poſſim interdum tecum ſponſa, quæ mihi ad unguem obſequeris conquiescere. At enim per ea, quæ ſequuntur, ſe fructibus virtutum paſci, & refici luculenter oſtendit. Non hic cenſendum eſt eſſe ſummam perfectionem, cum ſponſus venit in hortum, ſed profectò augetur valde. Cæterum ut ſingula curſim attingamus: Meſſui dicit, decerpſi ex myrrhæ arbuſcula, cæterisque aromaticis, ſurculos teneriores quò unguentum pretioſius conficiam, ungar, atque reficiar. Se gerit Deus quaſi feſſus de via, qua per filiorum Adam corda graditur, & nullibi, niſi in ſponſæ thalamo requieſcit virtutum exceptus apparatu, cum aromatibus,

Perfectionis augmentum.

H

Deus nullibi, niſi in ſponſæ thalamo requieſcit.

id

Scripta An. 1597.

id est, arbusculis, plantisve aromaticis, ut virtutes universim intelligas. Comedi, ultra inquit, favum melle plenum, a te ape sedula fabrefactum, & oppletum liquore; namque dulcorem summum ex tuis virtutibus percipio. Qin etiam vino, & lacte alternis poculis recreor, & corroboror cum tuo nunc inflammor incendio, nunc teneriore capior affectu! Videtur sponsus tacitus etiam modo Canaan terræ feraciſſimæ vini, & mellis, pecudumque gregibus opulentiſſimæ, Virginem ſimillimam nuncupare. Sed ait, Comedite Amici, bibite, & inebriamini Chariſſimi, ita ut chariſſimi ſit adjuntum illius noſtræ Vulgatæ Amici. Amicos chariſſimos Eccleſiæ Doctores appellat, quos illuſtratis animi oculis, per novam a Deo notitiam cœlitus immiſſam ad hortum hunc confeſtim perducit, ut virtutum ſponſæ eximiam pulchritudinem in contemplationis cernant arcano. Ubi quidem illi, cum divini honoris augendi ſtudio incendantur, ſponſam animam ad ſponſum direxerant, quam ipſi ſublimem jam ſuſpicientes, comedunt verè cibum immortalem cæleſtis lætitiæ prælibantes; bibunt, & ebrii, amore pocula ſubindè miniſtrante, ſenſibus alienantur. His porrò viris Amicorum rectè competit lex, & appellatio, atque ut verè amici ſunt, ita illis ſponſi arcana panduntur, illis per jus amicitiæ ſtatu animæ perfectioris patefacto.

A

Terra Canaam vini, & mellis feraciſſima.

Apoſtrophe ad Doctores Eccleſiæ.

B

Eccleſiæ Doctoribus amicorum competit lex.

SPONSA.

℣. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

C

LEgentem Sponſum arborum fructus maturiores, hoc eſt, acceptantem excellentium virtutum cum ſuavitate productos actus in horto interiore, ubi ſponſa conſpexit, tanti ardoris impatiens, ſecum colloquens: ego, ait, dormio ſomno ſuaviſſimo, ad Sponſi intuitum, correpta ſum, ut vix ſenſibus ad abſequendum corporis inopiæ uti valeam. Dormio rebus aliis minimè vacatura; verùm non me totam pervaſit ſomnus, nam interiora libera, & immunia manſere; quapropter cor meum tot Deo beneficia accepta referens Sponſo excubat, & vigilantius adhereſcit. Hîc alienatio quædam notatur ab exteriorum officio ſenſuum, quæ animæ virtute provectiori, ſolet evenire. Vel certè hic ſomnus eſt perfectior vita, quæ cum ſæculo dormiat. Deo ſtrenuiſſimè vigilat, vix ſenſuum functionibus valens, ad mortalem vitam tranſigendam. Sponſus ſermonem cæptum perſequitur: interea Virgo vocem internoſcit ipſius ad majorem charitatis cumulum, experimentumque vocantis. Poſtquam igitur Sponſa dixit, ego dormio, & cor meum vigilat, ut ſe Sponſo vigilem probet, en ait, vox dilecti mei. Optimè quidem, nam hæc vera eſt vigilia, quæ labentem cœlo rorem, ſermonem inquam Sponſi poteſt haurire; etiamſi cæteris non invigilet ſollicitudinibus. Sequitur ergò ſponſus, Aperi mihi, ſoror mea, per phraſin amantium; Amica mea, cui ego plura meæ divinitatis arcana patefeci; Columba mea, quæ ſyncéritate ſingulari te reddis amabiliorem; Immaculata mea; quam ego, (quæ mea munificentia eſt) omni turpitudine purgavi, ampliusque purgare propero; feſtina ne differas aperire cordis clauſtra, quò fias locupletior. Nonnè vides me quodammodò coactum ad te confugere? Obeo urbes, & peragro compos, neque ullum reperio ex univerſa humani generis multitudine numeroſiſſima, qui me vel recipere velit; ſed, proh dolor eliminant me, ſinuntque expoſitum roribus nocte decidentibus, quod & cæſaries mea madefacta teſtatur, quo certè nihil poteſt fieri crudelius, nihil inhumanius. Sponſi Pater æternus caput eſt; cincinni arduæ ſunt de divina natura cogitationes. Dum ergo perditi homines Deo, Deique immiſſis cogitatibus renituntur, foribus cordis oppilatis, rigoribus ventorum, & frigidiſſimis noctis roribus Filium, Patremque æternum, deque ipſius natura notitias altiſſimas expuunt, atque repellunt; quid enim probra, peſſimaque flagitia, quæ in Deum vocantem jactata ſunt aliud quam aquilonares flatus, rores immites, atque pruinæ?

E

Sponſi allocutio.

F

Caput ſponſi Pater Æternus.

Cincinnorum ſignificatio.

SPONSA.

G

℣. 3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

VOluptates hujus ſæculi, & commoda in quæ homines inhiant, quædam ſunt abſque dubio indumenta, non illa quidem levia, & lenia, quæ corporis obtegunt nuditatem, ex puriore lana contexta, vel ex bombycum operibus confecta; quæ minimè moleſta ſunt, & gravia, ſed quibus indutus facile queas quaſlibet actiones obire; verum indumenta implexo panno confecta inhabilia cum ſint homini, non illum tuentur, ac proindè frigori patet aditus, & intereà corpus illorum nimio pondere prægravatum, nequit ad communia ſe expedire exercitia. Affectus etiam humi defixi, ſordes quædam ſunt, quibus actus, id eſt, pedes expeditius ingreſſuri per virtutis ſtadium, inquinantur, atque ipſis ſordibus in articulorum juncturas penetrantibus arctantur, & torpeſcunt.

H

Voluptates indumenta quædam, & cujus generis.

Pedum ſignificatio:

Re-

Fructuum ſignificatio.

D

Senſuum alienatio notata.

Scripta An. 1597.

Respondet itaque sponsa; expoliavi me voluptatibus quibus deprimebar, ac retardabar, nè adeò confestim tibi, o Deus, fores ad charitatis augmentum recluderem, maxima currens ad te sedulitate. Quomodò ergo nunc iterum inauspicatò induar, id est, premar, & retardabor illarum pondere voluptatum? Adeò ne insipiens ero, ut cum festinandum est, ut me tibi totam aperiam, oblata jam fælicitate cuncter? Ità ne actus mei jam pridem, uti pedes, loti, celerius ingressuri, torpore inquinabuntur, ut te non ocyus persequantur? Absit; quin verò citius obsequar; depulsa qualibet ignaviæ specie geram tibi morem, extemplò obtemperabo.

Sponsæ allocutio.

A

℣. 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

DOmus sponsæ, etsi septa sit, & integris parietibus fures arceat nocte adorientes, tamen per loquendi phrasin, secretam aliquam feneſtellam, vel rimam Salomon notat, quæ furibus quidem ignota, sponso verò sit explorata. Consultò autem loca hæc frequentius ab amantibus invisuntur, quò se quasi ex insidiis mutuò observent. Nam certè amoris, ut experimento constat, hoc est ingenium, fraudulenter, sed amicè observare. Porrò foramen hoc, ille aditus est, qui solus, Deo soli in animam illabenti patet. Non enim jam aliis præterquam sponsi capitur voluptatibus. Dixerat verò Virgo divinam vocationem ad cumulatiorem multò charitatem, præcessisse, cum Deus clamitabat, aperi mihi &c. Modò tamen præbito planè assensu, qui est divinorum auxiliorum ordo, mittit manum sponsus, hoc est illabitur per aditum hunc voluntatis ad ipsum hiantis, & animam postquam illapsus est, intus pulsat sponsus; sauciat illam præsentissimus. Profectò cum apud Theologos, quasi manu quadam, universas, statutum sit, in hoc illapsu per auxilium efficax nuncupatum, animam penitus commoveri, cum vel peccatum aversatur, vel etiam ex remissiore ad ardentiorem charitatem provehitur; meritò ait Sponsa; ventrem suum intremuisse ad sponsi tactum penitissimum. Et verò in Hebræo, hæc verba redduntur significantiùs: & viscera mea tumultuaverunt super eo; quibus porrò verbis expressius commotio declaratur. Verum juxta nostram Vulgatam editionem mira est in verbis energia: quemadmodum enim venter fœtui sæpiendo, & continendo a natura destinatus est, ita voluntas charitati quasi fœtui divino excipiendo, quæ cum copiosius infunditur, spatia voluntatis dilatari opus est, atque ad extensionem hanc, latera ipsius concuti oportet; in qua certè concussione, quædam est tremoris imago; quemadmodum enim cum liquor in utrem infunditur, lateraque utris dilatantur, quæ prius corrugata, compressaque fuerant, pellis videtur intremere; ideò ait Testus: Venter meus intremuit.

B

Amoris ingenium.

Deus solus illabitur in animas.

C

Auxilium efficax notatum.

Hebraica lectio.

Comparatio

D

Comparatio altera.

℣. 5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

E

QUemadmodum orthodoxa veritas docet cum plurimis in locis, tum verò luculenter in Concilio Arausicano, ubi Salomonis, & Pauli verba hùc pertinentia accersuntur; præcurrit Deus ut purgari velimus. Hoc nunc sponsa fatetur, quæ licet lethali careat turpitudine, magis in dies, atque magis repurgatur. Etenim postquam Sponsum, manu immissa, ventrem dixit tetigisse; surrexi addit, ut aperirem, quasi diceret, liberè Deo penitius pulsanti obtemperavi: surgere enim habitus est liberè agentis. Quia tamen amor hic nervosus est, non multa dulcedine delinitur; verum ad ardua difficiliaque suscitatur. Propter sermonis verò, ac sensuum concinnitatem, concipiendum animo est; Sponsum cum primum Virginem surrexisse per assensum perspexit, quæ cupiebat fores aperire, quod est tota patere, ut exciperet sponsum, præsentiæ dulcore fruitura; sponsum inquam tunc consultò, collato quidem prius charitatis incremento, subtraxisse dulcorem eximium, qui has amoris accessiones sequi solet; atque subitò se celasse, quod metaphoricas fugere dicitur: Sic igitur ait Virgo, ut me tetigit sponsus, evestigiò exurrexi illi me patefactura; & quia non me ad delicias senseram evocari, verum ad subeundos labores; dedi operam ut manus usque ad summos digitos myrrhæ unguento delibuerem; hoc est, virtutum actus strenuos manibus digitisque notatos, continua libidinum depulsione, motuum depressione immoderatorum, mei totius maceratione, doloribus amarissimis impetita condirem. Et verè ex quo sponsus negavit dulcoris influxum, jam digiti, totæque manus stacten instillant.

Conc. Arauſ. 11. cap. 4.

Sponsæ allocutio.

F

Amoris accessiones dulcor sequi solet.

Sponsae allocutio.

Manuum, & digitorum significatio.

G

℣. 6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat.

ACcurri pessulo retracto, fores reseratura; recluſi; quasi dicat, præbito consensu, sponsi ex ore dulciora cælestis consolationis pocula, si fortè contingeret haustura, ut arens terroribus patui. Cæterum, heu me, noluit præstolari, noluit commorari tantisper, dum ego me urgebam; suspicabar festivum sponsum a me repertum iri; at verò abscesserat ille, occultarat se, quippè hæc sunt amoris stratagemata, quo fiat charitas sollicitior, & ad quærendum irritata fœstinatior.

H

Amoris stratagemata.

Ani-

Scripta An. 1597.

Anima mea liquefacta est; ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi.

A

UBI primum Sponsi per rimam observantis, manus perculit; & ubi primum tetigit ventrem (mirum dictu est) tota ego colliquata sum, ac si me ingens flamma corripuisset. Cumque amore incitata, quasi acerrimis calcaribus, domo meæ tranquillitatis, & contemplationis thalamo exiliissem; quæsivi thesaurum meum auro pretiosiorem, multa assiduaque exercitatione vitæ activæ nuncupatæ officiis vacans, hac illacque disquirens; at non affuit optatis. Identidem vocavi gemitus edens mœstissimos, at non respondit. Nescio quo me vertam, nec verò pervestigare desistam. Hîc valdè expendendum est, quam acerbè patiatur Deus pientissimus animam tot charitatis divinæ gradibus sublimem cruciari, & omnis dulcoris expertem externis exercitationibus traditam, ad novos, eosque gravissimos cruciatus tolerandos dimitti jejunam. Sed quidem ad fœliciorem frugem, nam hoc miro amoris artificio adjuta, victoriæ Sponsa potitura est. Amoris mensura cum dolore in statera appenditur, quoque amor est provectior, eo sunt acerbiora experimenta.

Vitæ activæ exercitatio notata.

B

℣. 7. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

C

PRæsulum, atque Doctorum munus non id modò est, ut quasi stent in specula excubias agentes, hostium exploraturi insidias. Verum etiam, ut quandoque circumeant urbem, quo animos eorum qui intra privatos parietes delitescunt, neque in publicum prodire audent, vel egestate, vel pudore coerciti, expergefaciant, ad virtutem sectandam, & in divinæ charitatis officia toto pectore incumbendum. Verumtamen accidit nonnunquam, ut qui Præsulum nomine censentur, minimè id exequantur, cujus eos nomen commonet. Sed quidem circumeunt domos singulas, vitæ cujusque periculum facturi, non sanè ut imbecilles corroborent, & fortes ad magis ardua exhortentur; Sed ut omnem veræ pietatis speciem abiiciant; & non ita dudum bonis omnibus erecta ædificia funditus evertant.

D

Quodque dolendum acerbius est, si quam animam divinæ charitatis opulentia divitem, atque interdum divinis consolationibus auctam sunt adepti; Dei summum erga homines amorem neutiquam considerantes despiciunt, deceptam temere asseverantes; figmenta vocant Dei consilia; quod-

Doctorum munus.

Pseudopræsules notati.

quod in se non experiuntur, difficilè inducuntur ut credant. Maximè autem suam in spiritu discernendo sententiam probatum iri existimant; quod Sponsa divinis consolationibus destituta interdum vexetur, ex errore id evenire coniicientes; quasi amandi artem plenè norint; cujus hæ sunt in gaudiis atque mœstitia germanæ vicissitudines, & verè sic se res habet, verbis feriuntur animam & vulnerant, cum siccitatem illi exprobrant; cum Dæmonis æstus Sponsi clementiam appellant; cum opus Dei mirandum, fastu quodam impio, & execrando derident. Pallium tollunt, hoc est, minimè protegunt, quam protegere, & tueri deberent. Protectio namque, pallii nomine apte significatur. Hîc non est obruendum silentio, quam dirè torqueatur Sponsa. Hic est lydius lapis, quo Deus charitatis aurum experitur. Sponsa Doctoribus credere vellet; & obtemperare, at verò adeò perspicua lux interior Sponsi est, ut nequaquam patiatur illam ambigere, an vera sit interior illuminatio, etsi quandoque lux, Dei consilio, videatur extincta. Quid ergo consilii capiet? Spernet Deum intus mira patrantem? Non valet; contemnet Præsules exterius illum candorem carbone notantes? nefas est, quia Dei munere funguntur. Conqueretur sperni se, & maledictis hominum proscindi & tanquam rebellem quotidiano convicio plecti? Sanè patientiæ firmitas labefactari videtur, qua una præsertim de charitate periculum fiebat, proculdubio anxio versatur in agone.

Pallii significatio.

Animadversio.

E

F

℣. 8. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

G

QUI mihi prælucere deberent, ait sponsa, Doctores specie pietatis obtenta, repulerunt me. Ad vos igitur sermonem convertam, animæ quæ in contemplationis quiete juxtà vestrum nomen Deum speculamini. Si fortasse vobis illius præsentia non etiam modo subtracta est; si licuerit illum cernere præsentem; dicite etiamne summe Deus, Sponsam excruciari diu patieris? Itane tot procellis obrui permittes? age dum quia languet; quia vox illam deficit; adesto illi, quò amore gliscat, & refocilletur. Hîc cogitandum est, hoc, Deum in consolatione interna reperiendi desiderium, esse pium. Quamvis enim consolationis ergo, Dei præsentiam expetere, sit animi parum provecti index; tamen ideò exoptare, quia in illo arcano, luculentior Dei paritur notitia; quia divina charitas admodum inflammatur; & ardentius excitatur cælestis patriæ, cum terrenarum contemptione voluptatum, desiderium; perfectioris animi profectò signum est.

Sponsæ allocutio.

H

Dei præsentia consolationis causa expetere non perfectum.

Fi-

Scripta An. 1597.

FILIÆ JERUSALEM

Id est, Animæ contemplationi deditæ.

℣. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

A

REspondent animæ contemplationi deditæ, non certè quod ignorent, sed quod hac ratione se ignorare simulantes, Sponsam ad miras Dei laudes incendant, ob quas illa ad gradiendum cæpto itinere fiat aptior, & Deus ipse verbis perculsus illius, fiat sua benignitate vicinior. Norunt enim in vita spirituali agentium educatores, ficta nunc persona, nunc verò aliis de causis feliciter gradientes incitare, quò anxietas, & sollicitudo, divinæ notitiæ, & præsentiæ cupidos dum in laudes, & encomia Dei sollicitati prorumpunt, reddat voti compotes, aut certè faciat optato præmio digniores. O igitur Sponsa, ajunt Filiæ Ierusalem, pulcherrima quidem inter fœminas universas, hoc est, quæ animas simplici divinæ legis observatione contentas, neque Virginum, aut Sponsarum nomine dignas Mulierum appellatione notatas, longissimo antecellis intervallo? Ecquis est hic dilectus, cujus amore langues? quo habitu corporis; qua forma; qua proceritate? Ex Hebræo textu redditur ad verbum: Dilectus præ Dilecto. מִדּוֹד. Quanvis tamen interpretatio, quæ exponit Filium dilectum, ex Patre dilecto, sit gravissima insignis auctoritate; quia verò non admodum videtur congruere interrogationi filiarum; juxta nostram interpretationem, si accipiatur simpliciter, aliter agendum est. Porrò filiæ Jerusalem rogaverunt, se ignaras simulantes, de dilecti præstantia, ut Sponsam ad Dei laudes retexendas excitarent. Et si rogantes, Dilectum Filium, ex Patre Dilecto intellexissent absolutè, aut significassent, parum essent cautè loquutæ; cum æternam Sponsi generationem ipsa propalassent formula suæ interrogationis, ac etiam indè se Sponsum penitus, nosse declarantes, quod tunc simulare cupiebant. Undè malè cohererent Sponsæ verba sequentia, quibus admirandam illius pulchritudinem, illis, quasi rei ignaris, ostendere, velut in tabula picta nititur, quodam modo succensens, quod a quopiam Sponsi ignoretur eximia pulchritudo. Denique ita exponimus, iuxta Hebraicum textum; quod cum dilectus præ dilecto, id est, præ quovis dilecto dilectus; vel qualis est dilectus tuus, ut tuais ex dilecto. Ita ut per illud adjunctum, ex dilecto, intelligamus eas non loqui quasi ex propria sententia, ut prudenter dissimulent, sed quasi ignaras mysterii, referre verba, quæ ab ipsa Sponsa audierant, quamvis non

B

Filiarum Jerusalem allocutio.

Hebraicus Textus.

C

Alia explicatio ex Textu Hebraico.

D

sint in textu omnia expressa: ac si dicerent tu sponsa rogasti ubi nam esset dilectus ex dilecto; respondemus verò erudiri cupientes, qualis est dilectus tuus ex dilecto; certè oportet esse insignem venustate; & potentia siquidem per illius vi freta sic ausa es adjurare nos?

SPONSA.

E

℣. 10. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.

IRrogatam sibi injuriam censet Sponsa propulsandam. Adeonè, ait, desipitis Virgines? Ecquid sole illustrius? Num solis ignoratio a quopiam potest obtendi? Deberetis omninò dilectum meum pernoscere, cujus pulchritudinem inter creaturas universas præstantissimam, creatæque pulchritudinis effectricem, sol ipse miratur. Dilectus meus candidus est; candor est lucis æternæ; quippè est splendor gloriæ Patris, apud quem neque umbræ versatur imago. Rubicundus æterno sui amoris incendio, rubram ignis speciem prætendens, unde tot vatibus de illo Apocalypses ignis specie factæ sunt, & quanquam mille myriades pulcherrimorum spirituum illi morem gerant, conspicua est ejus venustas, inter omnes alias, multò sanè clarior aliis, quam sit inter astra cuncta, splendidissimus sol.

Sponsæ allocutio.

Sponsus candor lucis æternæ.

F

℣. 11. Caput ejus aurum optimum: Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

HIs verbis proculdubio notat Verbi Sponsi sui, carnem assumptam. Caput enim hominis Christi, ex Pauli assertione, Deus est. Caput porrò hoc, aurum est (Regiamque aurum Numinis majestatem præfert) Comæ caput ambientes, cogitationes, atque notitiæ hujus capitis divini sunt, quæ circumeunt illud dum ineffabilibus modis hinc indè ansam capientes, & ex rerum universitate quasi ex peripheria, in divinæ naturæ centrum, quantum fas est, penetrant. Hoc certè quadrat scientiæ infusæ, atque acquisitæ Christi Sponsi, quæ a peripheria in centrum tendunt, quoad exercitium scientiæ utriusque. Interpretatio hæc congrua est, si comarum ambientium caput habitum consideres. At si comarum productionem è capite consideres contra dicendum esset; ut notitia in verbo sit coma, quæ indè exorta, post diffunditur per universum, ut a matutina vespertina oriatur. Hæ comæ verò Elatis Palmarum asseruntur similes (Elatem Plinius Abietem vocat, & tradit ab aliis Palmam, aliis verò spathen vocari,) Est etiam alia significatio congruentior. Elatæ scilicet sunt Palmarum ipsarum provectiores rami quibus prædictarum cogitationum celsitudo nunquam ponidere

1. *Ad Cor.* 11. 3.

G

Comarum significatio.

Alia explicatio.

H

Lib. 12. c. ult.

Elatæ significatio.

ali-

Scripta An. 1597.

aliquo depressâ, sed semper alta petens, more palmæ, designatur. At quid est Elatas esse nigras satura Corvi nigredine, cum notum sit spathas, spadicesque palmarum, puniceum lucentemque habere colorem? Emphasis in oratione inest. Nimirum cogitationes, & notiones divinorum arcanorum, ex se quanquam sint lucidissimæ, erga nos tamen caligine obtenebrantur; quis enim; valeat, illarum vel profunditatem pernoscere, vel flexus, atque ambages explorare. Soli hoc pelagus Deo mitescit ad navigandum; cæterum quilibet scrutator majestatis audax opprimetur a gloria. Ideo nobis, in ænigmate versantibus, nigræ sunt comæ.

A

Divinorum arcanorum notiones nobis obscuræ.

℣. 12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentjuxta fluenta plenissima.

B

OCulorum digna species, quantum totam honestet faciem, vix significare possumus. Illud tamen non est prætermittendum oculis plerunque amorem conciliari; & ut experimento discitur, homines pulchris oculis capi; undè nec mirari debebimus sponsam tam ardenter oculorum sponsi meminisse; sed profectò verba hæc parum videntur, ad oculos commendandos accommodata. Quippè sermo hujus Cantici translatè interpretandus est, & ad translationem concinnandam, verborum significationem propriè alicubi debemus exponere, ut translatio non sit inepta, atque conficta. Verùm ut Columbæ in Palæstina, ut ferunt, sint pulcherrimæ, & amnes frequentent, esto etiam cum residentpropter flumina, pulchriores fortè videantur; cum colores varii propè corpus perspicuum solis radiis illustratum clarius dispici possint. Quis tamen unquam audivit columbas lacte lavari? Nonnè hoc somnium videtur? Propterea licet translatus debeat esse sensus totius orationis; minimè verò censendum est, contextum sermonis hujus unius translationis interpretationem exposcere, sed potius cum Salomon res ita diversas in eadem oratione conciliat, satis innuit per plures metaphoras, aliundè, quam ex uno rei unius eventu, significationem hauriendam. Denique sic rem adoriamur. Oculis notitia significatur, undè & intellectus oculus eleganter nuncupatur; pariter etiam quælibet scientia, atque notitia hoc nomine non incongruè notatur. Tum ultra Sponsus quia Verbum Patris est; hoc nomen speciali sibi jure vendicat; quod Theologi pernoscentes piè admodum, & sapienter omnia nomina notitiam præ se ferentia Filio in divinis attribuunt. Postquam verò mysterium Incarnationis patratum est, Verbum, & sponsus, qui oculo uno significabatur, pluribus est oculis insignis scientia quippè divina sanctæ animæ ipsius beata, infusa, & acquisita, quæ per experimentum dicitur, oculi sunt. Hisce meritò capitur

Oculorum laudes.

Columbæ in Palestina pulcherrimæ.

C

Oculorum significatio.

D

Omnia nomina notitiam præseferentia filio a Theologis tribuuntur.

oculis Sponsa; sed explicatura interrogantibus Virginibus, quam sint mirabiles, per notiora texit argumentum. Quamobrem sic inquit; oculi animarum synceritate præstantium, quæ sunt candidiores columbæ, quibus fœliciter contigit, ascendere super rivulos aquarum, quæ videlicet aquæ fluunt in admirabili Baptismatis sacramento & residentjuxta fluenta plenissima, quæ novis semper accessionibus è latere Sponsi decurrunt, & ad sacramenta permanant animas, ipsas exundantia, dum gratia in dies augescit; quæ præterea animæ velut lacte quodam vitæ purioris ablutæ nitent: Oculi porrò harum animarum omni lippitudine, & morbidi humoris affluxu repurgati, dum nil terrenum nosse dignantur, sed divini solis in claritatem suspiciunt; divinisque illustrationibus clarescunt, oculos Sponsi repræsentant; & quia minus queunt illorum totam referre pulchritudinem, particulam saltem aliquam referunt. Ex his ergo oculis Virgines, quam sint pulchri Sponsi oculi potestis conjicere. similitudo constat, sed imparitas est; propterea inquit oculi ejus sicut Columbæ &c.

Quibus oculis capiatur sponsa?

E

F

Oculorum sponsi pulchritudo laudata.

℣. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

VUlgaris est phrasis, qua metonymicas guttur dulce appellamus; & alia id genus pleraque; effectum sonorum suavium causæ, vel instrumenti notatione significantes. Quapropter cum genæ vel, ut ex Hebræo redditur Maxillæ, labiaque ad vocem formandam, & edendam, naturalia sint instrumenta, doctrinæ Sponsi per voces prolatæ cum suas ipsius, tum suorum Concionatorum suavissimas, putandum est, Virginem laudes efferre voluisse. Hinc est optimè areolis aromaticarum herbarum radicum, & arbuscularum, qua pigmentarii ferunt persimilem appellasse doctrinam: nam quemadmodum hac ex materia optima, pretiosissimaque conficiuntur unguenta, & mirificus exhalatur odor, ita Panacea quædam, pharmacumve odoratissimum herbis compositum universas ægritudines pellens, radix virtutis eximiæ, odorem Sponsi referens; Sponsi doctrina est, quia una cœlestis ille Medicus morbis medetur universis, & conceptam jam visceribus mortem extrudit; odorem deindè efflat facilè suavissimum, quem qui olfacere potuerit, quam citissimè mirabili futuræ fœlicitatis capietur desiderio. At enim non debet præteriri, labiorum cum liliis comparatio, & Myrrhæ instillatio arcana; nimirum candor liliorum, doctrinæ sponsi, ore depromptæ, nive candidiorem indicat puritatem, & myrrhæ stillicidium perennem quandam notat mortificationem, ore Christi olim commendatam, quæ debet effrenatas sensuum libidines coercere; quæ veritas ex

Textus Hebraicus.

Genarum significatio.

G

Sponsi doctrina unguentum odorifera.

H

Myrrhæ significatio.

Scripta An. 1597.

Christi prædicatione eluceſcit; & certe niſi ſponſi labia myrrham commendaſſent, & auſteritatem, non clamaret ſponſa: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. *Pſal. 16. 4.*

A

℣. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris.

Manuum ſignificatio.

MAnuum notatione, conſueta phraſi, opera Sponſi Virgo intelligit, quæ torno fabrefactæ dicuntur, ut non arentes, non venis extuberantibus, & articulis eminentibus, internodiis compreſſis, deformes appareant. Eximia namque in manibus venuſtas eſt, cum a vola manus, quæ ſucci plena, & nabitior eſſe debet, digiti craſſiores, & rotundi, ſenſim uſque ad extrema graciliores procurrunt, & in aciem deſinunt; capta verò hinc metaphora formoſas manus interpretamur, qua ineffabilis in divinis operibus pulchritudo manifeſtatur; ſed tornatiles, quæ ob figuram rotundam perfectæ ſunt. Aureæ tamen manus, regiæ Sponſi majeſtatis, auro notatæ, quæ in ipſis quidem operibus exploratur, nos admonet, ſed quorſum hyacinthi plenæ? Porrò hyacinthus flos purpureus eſt, quem vaccinium Romani appellant. Vaccinium ſaturo colore liveſcit, & nubes denſiores refert quanquam non accedat ad cœli ſerenitatem plenè referendam; vaccinius verò color, cœleſtem refert colorem, quia certè ſicut colore res internoſcimus, ita divinorum operum colore oculis mentis percepto, divina opera facile ſecernimus ab humanis; cœleſtis color eſt ejus, videlicet, qui in altis habitat, & ſua prodigia hoc verè cœleſti decore notat, ut a perfectis viris agnita in ſuum referantur authorem. At quemadmodum venter fœtum continet, ſic Sponſus, qui Verbum eſt, univerſa ſuo ambitu complectitur ante quam fiant, ex ſe per mirabilem creationem, quaſi ex ventre in lucem cuncta producturus; quod Theologorum omnium fatetur aſſertio. Eburneus, hoc eſt, ex oſſe Elephanti dolatus, & expolitus, quo in verbo ſola eſt notatio pulchritudinis hujus ventris divini, petita ex fœminarum utero, qui tunc longè pulcherrimus eſt, cum quaſi ebore affabrè dolatus, extuberat, ſuccinctus, nitidus, & levis. At verò diſtinctus ſapphiris aſſeritur quia, ſapphirus capillus eſt, cœleſtem, & aureum colorem referens, ut in hoc verbi rationem conſideremus, quæ diſtinctiſſima eſt univerſarum rerum expreſſio, e qua creaturarum molem architectante, manus hyacinthinæ, nempè opera divina prodiere. Æquum autem erat, ſapphiris vaccinia in perſimili colore cœleſti reſpondere, quamvis vaccinia magis ſaturum oſtendant colorem, non enim Dei opera vacciniis notata, ita poſſunt omnino clariſſimam Verbi noctionem repræſentare ſapphiro ſignificatam, quin vergant in tenebras, & nigreſcant, claritati, atque perſpicuitati comparata.

Manus venuſtas deſcripta.

B

Regia majeſtas auro notata.

Vaccinii, & hyacinthi diſcrimen.

C

Ventris pulchritudo deſcripta.

Sapphirus quid?

D

E

℣. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.

CRura, quemadmodum & columnæ ſuffulciunt pondera: concinnè igitur ſponſus, qui eſt verbum portans omnia verbo, id eſt, imperio virtutis ſuæ, ex Pauli elogio, cruribus habitioribus, & firmioribus eſt inſignis. Unde crura ſponſi juſſa, id eſt, mandata ſunt, quibus creata cuncta adminiſtrat. Metaphora tamen a columnis marmoreis dolatis, ac lævibus ſumpta, ſignificationis & emphaſis acceſſio eſt, ob illarum columnarum dignitatem, ad ædificia honeſtanda. At quidem baſes aureæ, quibus nituntur hæ columnæ, hoc eſt, hæc imperia, duæ ſunt longè clariſſimæ ac prorſus aureæ, miſericordia, & veritas, univerſa quandoquidem Dei juſſa, quibus res adminiſtrat, & ſuſtinet, juſtitia, & miſericordia, quaſi elaboratis per prudentiſſimum architectum, baſibus duabus ſtabiliuntur, & exurgunt. Aurum profectò uti diximus, ad Numen divinum, ipſiuſque geſta heroica exprimenda, maximam habet energiam, propterea baſes aureæ dicuntur. *Ad Heb. 1. 3.*

F

Dei juſtitia, & miſericordia columnarum baſes aureæ.

Species ejus ut libani, electus ut cedri.

PUlchritudo ſponſi, Virgo ait, uno verbo exprimitur, quoad mea patitur infantia, ſi Libano monti celſiſſimo, arborum ſelectarum, radicum, ac fruticum odoratorum, nobiliumque plantarum feraciſſimo, comparetur; & præſertim ejus notatur præſtantia, ſi proceriſſimas Cedros perquam inſignes, jam prorſus adultas, illi conferamus.

Libanus mons ferax.

G

℣. 16. Guttur illius ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis:

NOn illi fœtet anima, ſed cum præſtantiſſima ſit corporis coſtitutione anhelitum, reddit aromatibus odoratiorem, & undecunque ſuaviſſimum. Perſpicua eſt hujus loci interpretatio, ſi meminerimus, Apoſtolis, per flatum ore editum, accipite Spritum Sanctum, dixiſſe ſponſum. Gutture redditur hic flatus, quid ergo aliud innuit Virgo, niſi Spiritum Sanctum ab ſponſo procedentem, uti anhelitus ab homine procedit, ab eo in animas divinæ ſapientiæ conſilio mitti; tuncque mentes mirabili cælitus ſuavitate perfundi, cum quaſi ex Sponſi gutture hauriunt hanc auram vitalem; undè quid mirum ſi totus aſſeritur deſidera-

Joan. 20. 22.

H

Proceſſio Spiritus Sancti a Filio aſſerta.

bi-

Scripta An. 1597.

bilis, qui Sancti Pneumatis afflatu animos, supernorum flamma desideriorum incendit?

Talis est dilectus meus; & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

A

Sponsæ allocutio.

EN Virgines Jerosolymitanæ, quoad valuit facundia, Sponsi mei pulchritudinem quasi pennicillo depinxi; hujus ardeo desiderio; & universa alia, præ tanta, tamque egregia pulchritudine mihi sordent: hunc ardenter amo; quodque mirabile prorsus est, ipse est amicus meus; ac si apertius diceret: etenim minimè mirum erat, tanta Sponsum insigne venustate, syderum claritatem facilè superantem amari; sed paradoxon censeri debet, illum suo Virginem aliquam dignari conjugio, obstupesco sanè, & in admirationem rapior.

VIRGINES JERUSALEM.

B

℣. 17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

PRosectò Sponsæ cedunt Virgines; & quas illa omni dulcore destituta, se despiciens ipsam, interrogarat, ubinam sponsus esset, si nossent, se ignorare cernit fateri. Jam serio agentes; cum enim sponsam ex Dei laudibus recensitis norint seipsis sapientiorem, jam simulare desinunt, atque discere ab sponsa festinant. Contigit quidem nonnunquam animam rectam in perfectionis fastigium gradientem, ad periculum de fortiore charitate faciendum, derelinqui mœrore confectam, & Dei præsentia qua fruebatur

C

antè interdum, uti sæpè dictum est, privatam. Tunc stimulis amoris percita, exurgit festina, hac illacque excurrit alias de sponsi perveſtigandi ratione consulens, se inferiores, quales Virgines Sionis filiæ hîc notantur, licet vacent divinæ contemplationi, quod & Sionis, id est speculæ significatione declaratur, sed cum nequeant illæ animam ita Dei conscium eo deducere, quò ipsæ nequaquam pertinuerunt, potius interrogant, quid facto opus sit, ut brevi Deum sponsum quasi aufugientem, ad revertendum flectere valeant, quò nihil delectabilius sperare possunt. Tunc verò sponsa, quæ universas creaturas Deum summis laudibus continenter cupit efferre, neque patitur illius ignorationem, vel in penitioribus arcanis imprudenter celari; acerrimis flammis instigata in

Sponsa votum.

D

laudes divinas prorumpit, ubi semetipsam magis excitans incalescit; atque incipit jam dignoscere ubi sponsus versetur, nova luce immissa; plurimisque in Deum congestis laudibus, merito jam incipit Deum flectere, obsecrans, ut non ità clam, se proripiat, & abeat, sed ocyus per tranquillioris contemplationis januam redeat ingressurus, & mirifica mentem suavitate perfusurus. Quapropter jure quo rogatæ fuerant animæ, modò rogant quò ipsam præeuntem sponsam sedulò comitentur, & lucrum ex transactis laboribus cum sponsæ ipsi, tum subindè Virginibus, non exiguum expectetur.

E

CAPUT VI.

SPONSA.

℣. 1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.

PAtet omninò Virginem divinis laudibus operam sedulò navantem, in exercitatione clariorem dilecti peperisse notitiam; quippè jam ipsa facilè respondet iis Virginibus quas anceps antè consulerat. Heu me! Virgines, eccur ego immoror? Quò mens abiit? etiamnè ego ignorare possum artem amandi? Nonnè has amor induit formas, quò lacessat, quò inflammet? Debueram ego animadvertere quandiu in hoc ergastulo corporis moror, non posse me ita ubertim perpetuò Sponsi fructibus vesci suavissimis. Debueram nosse, sponsum amoris lege debere alternatim abire, atque redire, & quamvis possit omnibus adesse locis, quippè cujus amplissima natura ubique existit, non tamen decet exilium in patriam præmaturè convertere. At ego noram Sponsi mores, verum amoris vis impotens, minimè ratiocinari sinebat. Hîc sanè Dei mira sapientia retegitur; solet enim animam divinis illustrissimam radiis, ita quandoque obnubilari permittere; ut divini majestas splendoris; quæ animam insigniter nobilitabat, ut quasi perenni solis gauderet aspectu, videatur prorsus extincta. Undè mens in tenebricosum carcerem conjecta, offusis aberrans tenebris, quantò culpa est immunior, tantò sit in malis perferendis, constantiæ armata clypeo, loricaque animosior. Affulsit ergo, inquit o Virgines, Sponsi claritas vehementer expetita, & summus ipse Deus me perspicere fecit, quo pactò descendit in hortum suum nuper consitum, id est quomodo ex vertice, atque fastigio perfectarum animarum, ad humiliora loca recens ad amorem conversarum descenderit, ut omnibus opituletur, qui condidit omnes. Et quidem graphicè Salomon descensum appellavit illam cum recens nuptis animabus conciliationem; cum de firmissimo ac celsissimo perfectæ sponsæ conjugio sermonem fecisset. Descendisse tamen fertur ad areolam aromaticarum plantarum, id est animarum, gratum, atque suavem Dei summi odorem, per recentia in tyrocinio

F

Sponsæ allocutio.

Mira Dei sapientia.

G

Horti significatio.

H

vir-

Scripta An. 1597.

virtutis opera, effundentium. Ut pascatur perrexit in hortos, quanvis enim unus Domini unius hortus amœnus, & ferax sit; tamen plures quasi areas, hoc est cœtus obedientium, temperantium, aliisque virtutum generibus insignium hortos, nuncupavit Virgo, in quibus certè pascitur Deus, & quasi reficitur, velut prudentissimus agri fœcundi cultor. At verò ex his areolis teneriorum fruticum, & plantarum, suo sibi jure candida legit lilia; nimirum vitæ puritate, & castimonia insignes animas, quæ specialiore prærogativa cumulari, & in deliciis haberi merentur; quemadmodum de Joanne Evangelista scriptum est; ut a contrario intemperantes & libidinosæ immaniore sint odio repudiandæ, & acrioribus supplicis puniendæ.

A

In ejus officio.

℣. 2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

B

OPortebit animo concipere animæ sollicitæ cum aliis Virginibus, Sponsi laudes celebranti; uti crebrò solet evenire; Deum qui mentem proxime perlustrarat, ut appropinquantem illa præsagiret sponsum, festivum illum, & vim suavitatis profundentem repentè affuisse. Quamobrem Virgo intercepto cum piis Virginibus sermone, non tam conversa, quam rapta ad suavissimum Sponsum, universa fastidiens alia: ego, inquit, dilecto meo tota, atque sempiterno ævo permansura sum adhærescens, & ille qui me sauciarat absens, mihi pariter adhæsurus est; cui mos est inter candidiores animas, tanquam inter lilia commorari. Hæc autem verba ad sponsum præsentissimum effert Virgo, quasi languens, & amanter conquerens de absentia. Quid fieri potest, ô amantissime Deus ut ego tibi præsentiori non adhærescam absque intermissione, siquidem dilectus meus es? quomodo ultrò citroquè verbis dulcissimis non certamus, & nobis ipsis fruimur? An ne sic torques, & excrucias me sponsam, cujus certè conjugio maximoperè gaudes? Dicamne quod quidam amore saucius extulit.

Sponsæ allocutio.

Dei Præsentia, à sponsa exoptata.

C

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis Amynta,
Si dum tu sectaris apros, ego retia servo?

Virgil. Bucol. Elog. 3. propè finem.

Modus harum queremoniarum tenerrimus quadrat optime; quanquam nolit Sponsa Deo reniti, se interdum subducenti. Profectò amoris impetus præsentiam percupit, & flagitat, quidquid alias leges sanciant; & hunc vehementem affectum voluit hîc Salomon explicare. Hîc credere par est raptum accidisse Sponsæ, ut quæ sequuntur, in reconditiore internæ suavitatis audiat arcano.

D

Sponsæ raptus.

℣. 3. Pulchra es, amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

E

DEus Opt. Max. (quæ sua est in homines beneficentia, & amor) a laboribus exanthlatis Virginem recreaturus, blandius alloquitur ipsam, omni extrinseco expeditam commercio, & solis roribus cœli nunc largè pluentis patentem. Et quidem laudes laudibus relaturus, Virginem modo repurgatam, & adversæ repulsionis, & siccitatis verberibus cæsam, a pulchritudine, a decore, plurimisquè capitibus commendat. Qua in re nescias utrum potius mireris Dei clementissimi amorem ardentissimum in sponsam, vel Virginis animum, tam eximiæ suavitatis in mortali corpore vim ferre valentem. Verum hîc aliquid homine fortius latere necessarium est; ait igitur sponsus: pulchra es, ob mirabilem virtutum proportionem; suavis eloquio, dum meas effers laudes, Cygnus cantu dulciores sonos edens, me mirificè oblectans, & mulcens; decora ob cunctorum actuum ad meæ divinæ voluntatis beneplacitum moderationem; ita ut intus extraque perfecta, & elegans sponsi tui judiceris imago: qua de causa ad Dæmonum copias fugandas, proculque arcendas, eximiè potens. Etenim his armis munitam minime audebit hostis humani generis, ad duellum lacessere; intuebitur quippe te terribilem, uti fortissimorum militum castra metantium; sequet propriis in stationibus ad prælium accingentium, aciem instructam, & ordinatam. Quid verò est sponsam in pulchritudine, suavitate, & decore, Jerusalem comparari? Porrò cum ad egregiam Virgo conscenderit gradatim vitæ puritatem, & quam ii solum nanciscuntur, qui cœlitibus proximi sunt, & jam sibi nequaquam vivunt, civibus supernæ Jerusalem meritò confertur. Ducit vitam Angelicam, in calamitoso adhuc morans corporis ergastulo.

Dei amor in sponsam.

F

Sponsæ laudes a sponso recensitæ.

G

SPONSUS.

℣. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.

NE nimirum se sponsa effundat extra se, & existimet inter splendidissimos præsentis jam Dei, sponsique sui radios, suæ fragilitatis oblita, impunè se posse in quantumvis abdita divinitatis arcana oculos mentis intendere, moderationis admonetur, & inter delicias minimè debere effluere, altiora quam sit fas petentem, sponsa perdiscit. Etenim oculus sponsæ nondum gloriæ lumine illustratus paucioribus debet esse contentus. Si quis verò dicat mirum videri, Deum Virginem perfectione præstantem, quasi adhuc

H

Scripta An. 1597.

huc lactentem erudire, ne plus sapere cupiat, quam oportuerit. Respondetur: Nimirum etsi sponsa (ex quo a Præsulibus acerrimè vexata est, & ob Dei absentiam secum extabescens sponsum tandem invenit) plurimum in probationis agens palæstra profecerit; verum ad lucem, quam Deus clementissimus exhibet, percipiendam, quæ cœlestis gloriæ luci propinquissima est, perfectissimus quisque, infans est tenellus, ob naturæ vitiatæ debilitatem; quamobrem sponsa monenda est, sibi temperet, ne vincatur ineffabili suavitate, & fœlicior, quam par est in hoc exilio, velit esse. Averte ergo, ait sponsus, hoc est, cohibe, moderare oculos tuos, ne sint petulantes in mea natura penitius quam fas est speculanda; ipsi enim tui spirituales oculi, ut experimento discere vales, ex quo nuper diviniore lumine perlustrati sunt, me avolare fecerunt, hoc est, me in tua notitia, fecerunt in suprema volare, quasi dicat: qui oculi hucusque non ita me sublimem a creaturæ humilitate immensis spatiis distantem, aspexerant, & per experimentum agnoverant, modo infinitam celsitudinem cernentes, quoad mortalitas patitur, me extulerunt avolare, id est, in alta volare fecerunt, me evexerunt, & qui in humiliore notitia antè quasi me depressum tenebant, nunc per hanc celsissimam notitiam in alta sublevarunt; quamobrem averte illos, id est, tempera, ne in eam, quam cernunt immensitatem velint plus nosse, quam deceat in exilio.

A

Sponsi allocutio.

B

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

VErba hæc in quarto capite sunt interpretata, nam verbum ascenderunt idem significat ac apparuerunt. Hic tamen illud altius cordi insculpatur: Verborum istorum significatione notatam in cœlestibus cogitationibus præstantiam, multò jam perfectius Sponsæ congruere; ad hoc enim in mundum verba repetuntur.

C

℣. 5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

HOrum etiam verborum ex quarto capite petatur interpretatio, ubi meditationem dentibus exprimi, asseveratum est,

Dentium significatio.

℣. 6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.

D

COmmendat Deus verecundiam (cujus aliquoties mentio facta est) hoc in loco eximiè Virgines honestatem, quando vultui rubor offunditur in quarto capite fragmine, hîc verò cortice mali punici notatus; sivè enim fragmen consideres granorum ruborem gratum ostendens, sivè corticem in extima superficie ruborem suaviorem, & subalbo permixtum oculis obiicientem, satis notatur pulcher ille Virginum verecundarum pudor. Cætera petantur ex quarto Capite.

E

Verecundarum virginum pudor notatus.

℣. 7. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

LOquitur Salomon juxta priscum veterum Patrum morem; constat nimirum, morem olim fuisse uxores ducendi plures, quæ arctiore viris fœdere jungebantur, tum deinde alias, quas Concubinas scriptura vocat, uxoris affectu ad thorum dumtaxat admissas, non item domui præfectas, accersiri solitas, quæ in secunda uxorum classe collocabantur; denique virgunculas plures seligi consuevisse, quò in delitiis mollius enutritæ, & in regum basilicis comitatem, urbanitatemque edoctæ, ad regis se thorum compararent, & pro temporis maturitate accederent. Videmus itaque gradatim ad regiæ majestatis celsitudinem illas fœminas solitas evocari; nam primæ illæ arctiore copula junctæ; reginæ nuncupabantur. Tres hos animarum rectà in cœleste domicilium gradientium, gradus solemus in virtutis semita illustrissima distinguere. Profectò ut a capite exordiamur, sunt quædam animæ Regio dignæ diademate, quæ per multa prælia, palmaque multiplicem hanc ad altitudinem pertinere, quanquam & inter has sua sint etiam discrimina, ut quandam pulchram syderum, ac stellarum in firmamento varietatem tibi cernere videaris; porrò his animabus domus cura commissa est, ut quæ satis sibi sunt divites, alias studeant locupletare. Minor autem numerus, sed tamen perfectus illis assignatus videtur. Sex quippè diebus moles universi condita est, qui numerus decies repetitus, denarii etiamnum perfectione vulgata, præsefert perfectorum classem speciosam, & numero nequaquam exiguo. Concubinæ quidem uxores, & quæ sponso matrimonio sunt adstrictæ, non tamen usqueadeo numeris, & meritis absolutæ, ut domui præfici possint, quæ nondum pravos motus pervicerunt, & mentem labe perpurgarunt, ut voluptatem parvipendant, plures dicuntur, & quadrato numero notantur, quater nempè vigesimus, octogesimum perficit. Quaternarius tamen minimè caret imperfectionis nota, sæculi nempè hujus varietatem quatuor anni temporibus emetimur, & elementis quatuor mixta quæque corpora corruptioni obnoxia componuntur. Adolescentulas, tenellas animas intelligere oportebit, quæ teneris adhuc in un-

F

Priscorum Patrum mos.

Assuerus.

Reginarum Concubinarum, & Adolescentularum discrimen.

G

Sex dierum opificio machina mundi condita.

H

Sexagenarii, & quaternarii numeri laudes.

Adolescentularum significatio.

Scripta An. 1597.

unguiculis, vix norunt. Parentem ſummum internoſcere, cùm pravæ peccatorum radices necdum ſint omninò revulſæ; procellis adhuc obruantur ingruentium imaginum cordi ex patratis paulò antè ſceleribus inſculptarum, undè ad thalami dignitatem nequaquam pertigerunt. Etſi enim ex quo gratiam adeptæ ſunt, ſpiritale conjugium iniiſſe cenſeri oporteat; at non ſe gerit ſponſus erga illas, uti erga concubinas, & reginas, id ſuæ ſapientiæ ſummæ poſtulante ratione; quæ prius illas judicat expurgandas, quò prorſus ediſcant, quanti fieri debeat, ad immenſam Numinis majeſtatem, uxoris affectu, propinquare. Harum verò multitudinem arithmeticæ diſciplinæ metas exire, ait Spiritus Sanctus hyperbolicos agens; quæ certè phraſis in vetere Teſtamento non eſt infrequens. Ergo initia virtutis capeſſentium claſſis numeroſa; nempè incipere, non ita eſt arduum, ac proficere, nedum perficere. Quorſum hæc omnia? eò quidem ut Sponſam, qualis nunc a Salomone divinitus aſſlato depingitur, Phœnice rariorem intelligas. Quotus enim quiſque in hominum ſtirpe, reperiri valeat, adeò virtutibus excultus, ita vitæ candore inſignis, tam heroicis actibus mirabilis, qui ad hoc faſtigium conſcenderit? Rariſſimus ſane; propterea ſequitur.

A

B

Hujuſmodi Anima Phœnice rarior.

℣. 8. Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ.

PAtent ex comparatione verba hæc; illud dumtaxat animadvertendum, Matrem, ac Genitricem Sponſæ hîc appellari Sponſi ſapientiam infinitam, cujus ex utero editus eſt hic fœtus nobiliſſimus; quæ interpretatio ſponte ſua hunc textum expoſcit, cum ſapientia divina contineat ſuo ambitu, uti meminimus dixiſſe cunctarum rerum rationes, ſuo illas tempore, quaſi ex utero productura. Cumque etiam in ſupernaturali ordine divinæ ſapientiæ claritas præſertim eluceat, neceſſarium videtur fateri, animam perfectione abſolutiorem, ex qua maximè diſpicitur divinæ ſapientiæ artificium, quod ſpiritales oculi liquidò cernunt, ſpeciali prerogativa filiam ſapientiæ divinæ nuncupandam, Quippè ex corrupta natura, & labe turpiſſima infecta, nive candidiorem, & omnibus titulis integram ſuſcitare animam, non vulgaris peritiæ, non cujuslibet artificis, opus eſt, ſed ſapientiſſimi, ſed potentiſſimi Dei.

C

Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicaverunt, reginæ, & concubinæ, & laudaverunt eam.

D

LAudari quidem a vulgo, non ita egregiæ virtutis argumentum exiſtit: verum a prudentioribus, ſapientioribuſque commendari, integritatis elogium eſt. Filiæ, hoc eſt, univerſæ animæ candidam juſtitiæ veſtem indutæ, quæ ex omnium Theologorum ſuffragio filiarum nomen aſſecutæ ſunt, ubi conſpiciunt ſponſam ita cœlo propinquam, & creata cuncta deſpicientem, ſummis illam encomiis efferunt; verè beatam, patriæque cæleſtis gremio jamjam excipiendam appellant. Tamen, quod pluris eſt, Proficientes, & perfectæ, Concubinæ, atque Reginæ, quæ veræ perfectionis vim norunt expendere, & in quo vera fœlicitas poſita ſit explorare, in cælum ſponſam laudibus certatim extulere. Hæc laus Deo per quam grata, paſſimque bonorum hominum ore frequentatur, ubi quem internoſcunt miros in virtutis palæſtra progreſſus facientem, nedum jam undecumque perfectum. Quid verò ajunt.

E

Reginarum, atque concubinarum ſignificatio.

Animæ Incipientes, Proficientes, Perfectæ.

F

℣. 9. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?

EGregium proculdubio facinus; quodnam prodigium eſt hoc? Vere ubi abundavit delictum, gratia nervos intendit, atque prævaluit. Quænam eſt iſta, cujus progreſſum vix oculis poſſumus conſequi? Etenim quemadmodum aurora rubente lux inclareſcit, & quaſi è thalamo procedens copioſior, & ſplendidior nobis apparet, nova ſenſim claritatis capiens incrementa, ſic ſponſa a primæva tenerioris gratiæ luce exordiens, ſenſim atque ubertim progreſſus fœliciores facit, gradiens robore virtutum ſtabilita, & nitidioribus in die ſponſi radiis nitet illuſtrata. Quænam eſt hæc eximia, qua capimur, ſponſæ, ob admirandam divinorum Chariſmatum concinnitatem pulchritudo? Verè lunæ pleniſſimæ quacumque ſolis lumen excipientis perſimilis eſt; quam ſol ipſe divinus penitus illuminat, & complet. At hoc parum videtur; nam illius præſtantia talis omninò eſt qualem ſolis inter univerſos dicimus planetas inter ſydera zodiaci univerſa: ita quidem, ut meritò velut ſplendidiſſimus ſol electa dicatur, quæ inter perfectas animas caligantes adhuc inter gratiæ primordia, luſtrare valeat, & cæca a tyronibus nubila Dæmonum profligare. Quod ut præſtare queat animoſius omni pulſo timore, ecce inſtructa eſt ad certandum, ad prælium pro ſponſo iniendum, cunctorum armorum ſpiritalium apparatu, tanquam fortiſſimorum militum acies ordinata, victoriam certò relatura.

G

Comparatio

H

Scripta An. 1597.

SPONSUS.

℣. 10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.

A

PRoximis verbis admiratione plenis Animarum chorus, quasi in scenam egrediens interloquutus est; quorum verbis minimè penituit Sponsum: nam uti diximus, laus hæc virtutis opportunè orejustorum deprompta mirificè Deum delectat. Nunc tamen, Sponsus blandius Virginem leniturus, excusationem affert, qua de causa, se interdum celarit; quanquam enim hoc jampridem Virgo didicerit, ut patet ex initio hujus sexti Capitis, & amoris mutui conscia sit; verumtamen tanta est summi Dei in animam propensio, ut humano more cum illa prorsus velit agere, creaturis non tam expendens immensitatem, & altitudinem, quam infinitam se in nos profundentem bonitatem. Hanc autem noluit cum primum Sponsæ oculis se objecit, excusationem afferre, miram hoc pactò vim amoris exprimens; ac si tunc amori ad Virginis laudandam venustatem, incitanti, otius parendum fuerit, cum de afferenda excusatione non pateretur cogitare. Jam tandem descendi, inquit, anima charissima ex hoc tuæ virtutis vertice excelso, in humiliora loca, quemadmodum. & tu dixisti, videlicet in animas recens conversas, quas cum intueor, cernere mihi videor hortum nucibus consitum. Sicut enim fructus harum arborum multis est arcibus septus, cortice, testa, vel culeolis, ipsque nucleus intercurrentibus tuniculis, quasi quibusdam intergerinis parietibus distinctus extricatu difficilis; ita quidem pravis consuetudinibus, quasi pluribus mœnibus, murisve sepiuntur, duris corticibus vetustarum morum obteguntur, interpositis pravis desideriis gratiæ, hoc est, veri nuclei, virtus hebetatur, & difficile in actus prorumpere permittitur. Poma prima convallium, locorum humilium, flos vineæ primus, balaustia malorum punicorum, tenerrimos actus infantis, & ad pueritiam aspirantis gratiæ notant.

B

Sponsi allocutio.

C

Nucis fructus descriptus.

SPONSA.

℣. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

D

REspondet Virgo: Nescivi descendisse te in convalles; hoc est, quod sciebam amor ardentissimus memin sse, cogitare, & quod ajunt, actu nosse, quo acerbius torquerer, non sinebat. Quam ob causam, tunc ani ma mea saucia exanguis, ac sui pene oblita, hominum improbitate vexata, me conturbavit mœstissimam, & propter quadrigas Aminadab, id est, propter me positam in discrimine simili ei quod tulere quadrigæ Aminadab: itaque se translatè appellat bellicum Aminadab apparatum; tanquam si lucidius dicat: meis perturbata cogitationibus videbar mihi simillima quadrigis Aminadab viri fortissimi, qui cohibitis a se artollentibus maris rubri aquis, cum Gens Hebræa trepidaret Ducem Mosen sequi per sinus Arabici alveum audacter gradientem, ille ingenuè, atque animosè in medium alveum se propipuit, cum videretur ille cum Iudæ universa stirpe aquis obruendus, quæ instar montium elatæ ruinam minari videbantur; quo in facinore, ad sempiternam rei gestæ memoriam permansuro, necesse fuit hominem illum fortissimum, quanvis divinis præsidiis satis fidentem, portento illo conturbari, trepidantisque animi vires languentes, invocato Dei auxilio, suffulcire. Aptè igitur Virgo ait, dum in custodum Urbis me sugillantium, & insequentium, interituique minitantium, manus impias incurrissem, a quibus elatis instar aquarum illarum rubri naris obruenda videbar, fieri non potuit, quin trepidarem, & verer, quanquam tuo, o Sponse, auxilio freta, me suffulciebam deficientem, & ubi nulla salutis apud mortales spes relinquebatur, ego mihimetipsi sperare jubebam.

Sponsæ allocutio.

E

Aminadab, fortissimus vir.

F

VIRGINES.

℣. 12. Revertere, revertere Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

EXistimandum est, ex quo Sponsus Virgini præsens affuit, ultrò citroque dialogum suavissimum esse contextum; ut ex Capite hoc, clarè perspicere, possumus; sed animæ justæ semel interloquutæ sunt, in scenam a Salomone productæ, nunc verò iterum in scenam prodeunt, eloquunturque, mirantes gratiæ cumulum, & virtutum ornamentum, Sponsæ sensibus alienatæ, & familiarius Dei suavitate fruentis. Quippe ut experimento compertum est, hoc plerumque divino accidit consilio; nam animæ, quam non vexat gloriæ vanæ sitis, ad Dei Opt. Max. singulare encomium, cernentiumque hominum emolumentum minime crebrò, sed tamen quandoque Deus ipse profundum quendam immittit lethargum, quandam scilicet diuturnam estasim, & somnum, non quò sensibus non fungatur, sed quò illis fungens ad obeunda vitæ munia vix aliis, quam divinis considerationibus, & colloquiis possit animum intendere, quemadmodum de B. Martino S. E. qui spiritum ab oratione invictum non relaxabat; cum interdum populo, nec cura, nec sedulitate de-

G

Sponsæ rapitus.

S. Mater Teresia.

H

S. Martinus Turonentis Episcopus.

Scripta An. 1597. deesset hoc verò prodigium patrat Deus, ut Juniores Sponsæ, quæ in virtutis gymnasio cupiunt erudiri; animadvertentes quibus modis animam semetipsa Sponsus spoliat, sibi conciliat, & consopiri erga creaturas universas facit, exardescant, & ad palmam certatim festinare nitantur. Qua certè ratione, concinnè sequitur, quædam Virginum pia irruptio, & illam somno excitare contendunt, ajentes: Revertere quater, quæ quatuor rerum gradus, corpora sensus expertia, animalia cætera, hominum naturam, Angelorum Hjerarchias mente ad Sponsum vecta excesseras; revertere ad vitales sensuum functiones, ut intueamur te venustè incedentem, cunctosque actus ad Dei nutum perlibrantem. Nimirum vehementer cupimus abs te planius, atque integrius erudiri; hinc negare non possumus, Sponsam ad perfectionis pertinuisse fœliciorem supellectilem, undè meritò seligitur dux vitæ spiritualis a Virginibus quater illam interpellantibus; at non ita facilè munus aggreditur, ut patebit. Quoad nomen autem Sulamitis illi a Virginibus impositum, minimè oportet immorari. Salomon enim eleganter introduxit in scenam illas sapientes Virgines, nomen id seligentes ad spiritalem Sponsæ pulchritudinem declarandam, quod ad rem præsentem ex historia notissima valeret plurimum. Memoriæ enim proditum est ad nobilissimum David Regem senio confectum, calore fovendum, sedulò perquisitam, & tandem inventam Puellam Sunamitidem longè pulcherrimam: notant ergo Virgines animæ perfectæ pulchritudinem; a fœmina speciosissima nomine petito.

A

Virginum allocutio.

B

Sulamitis nominis significatio.

3. *Reg.* 1. 3.

CAPUT VII.

C

V. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?

PRudentissima Sponsa non facilè morem gerit filiis Jerusalem, & ad docendum, salutemque animarum curandam exoratibus satisfacit (pro Animæ desiderio) Sponsus, probatque jurè seligi Sponsam tyruncularum educatricem, dotes ad eam provinciam subeundam expetitas, ostendens Sponsæ non deesse: propterea, inquit, quid videbis in Sulamite &c. Non enim placet hanc esse Virginis se laudantis vocem, cum illam prudentissimam, atque maximè verecundam laus in ore proprio non deceat. Quid videbis in Sulamitide, o cœtus Virginum, vel quod in Hebræo legitur, quid videbitis, nisi arcem fortissimam, ad hostes repellendos, firmissimum præsidium strenuorum militum? Etenim quemadmodum agmina in castris Imperatoris prudentia disposita, ad collatis signis classici sonum jam jam manus confertura, & in hostes irruptura, cum speciosa sunt, concinna ordinum variorum levioris, & fortioris armaturæ proportione; tum

Sponsa tyronum educatrix.

D

Textus Hebraicus.

maximè terribilia, infestis telis hastatorum, emissis Pyrabolariorum tormentis ob equitantium incursionibus; ita omninò anima spiritalis militiæ perita, eximiam virtutum ad prælium accinctarum concinnitatem, & distinctam quasi quibusdam choris infusarum comparatarumque virtutum varietatem speciosissimam exhibet; præterea heroicis actibus productis, quasi hastis infestis, sulphureisque machinis emissis terret Dæmones, atque profligat, sic Deus animabus justis perfectissimæ Sponsæ amore flagrantibus, atque illius præclaras actiones imitari cupientibus, aperire solet vel interna illustratione, vel ipsis tandem experimentis, quam sit illa omnibus armis instructa, & ad prælium committendum præparata, quò ardentius ament, quò efficacius se ad opus accingant. At verò, Sponsam modo commendare incipit Deus, quasi emeritam, & pro acceptis in certamine adversitatis vulneribus quibusdam futuræ fælicitatis exordiis demulcendam.

Comparatio ex militia.

E

F

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Junctura femorum tuorum, sicut monilia, quæ fabricatæ sunt manu artificis.

QUam compositè incedis, summi Principis Dei filia; verè quidem cum per spiritalem graderis viam, nequaquam dextrorsum, sinistrorsumve aberrans, sed recta, per arctissimam semitam incedens, emeritis jam stipendiis perfecta, talem oculis internis te intuentium speciem exhibes, qualem potentissimi, atque ditissimi filia Principis obtectis pedibus mire elaboratis sandalibus, pro regia majestate composito incessu se præferenda, gradiens exhibet. Meritò verò in calceamentis pulchri Sponsæ gressus nuncupantur; nam illa pedum opercula ingredientes, & a tactu terræ, ob noxias qualitatis infestæ, & ab illisu lapidum tuentur; ut per hoc innuatur incessum Virginis per virtutis viam, minimè terrenis affectibus, aut offendiculis esse obnoxium, nempè semetipsam legitimo certamine perdomuit. Femora, sive fœmina frequenter apud priscos Patres propagationis, generationisque symbola extiterunt; undè orta est crebra illa loquendi formula, hæ sunt animæ de fœmore hujus, aut illius egressæ. Quin famulum quendam Abraami super Abraami ipsius femur jurasse, ob notationem Christi Opt. Max. qui ab illo femore, quoad corporis molem processurus erat, litteris consignatum est, in arcano Geneseos libro. Notat igitur summus Deus junctura femorum virginis, esse pulchras, quasi dolatas, expolitas, nitro artificio fabrefactas, quali videlicet artificio monilia, hoc est, universa colli ornamenta aurea, argentea

G

Femorum significatio.

H

Cap. 24. 9.

la-

Scripta An. 1597.

lapillis pretiosis intesta fabresieri solent, ita ut similitudo non in rebus ipsis, sed in studio artificis, in opere utroque solliciti, consistat, adeò quidem, ut opus utrumque sit suo genere perfectum; aut junctura feminum, id est, proles proli adjuncta

A per metonymiam, causa generationis pro effectu, sicut monilia quæ plurimis constant annulis, ansulisve consertis, circulo alter alteri inserto ex altoque procedens, quoadusque monile perficiatur, hoc est, numerus justorum compleatur. Innuit ergo Deus, Virginem ad conceptum, partumque jam maturuisse, & spiritales filios in schola perfectionis generare valere.

℣. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

B UMbilicum, & ventrem ex ipsa naturæ notatione, generationem, quam proximè diximus, significare manifestè constat; hisce nempè, sœpibus fetus concluditur. Umbilicum figuratè oportet intelligere pro tota extima illa pelle intestina ambiente, ventrem verò interiorem partem hæc eadem complectentem significare ponendum est, deindè extima illa superficies, quæ nitet, quæ extumescit, ac mollior, & humidior cæteris partibus est, cum cratere dolato, spherico, atque pleno liquoris quiddam similitudinis habet: verumtamen juxta verborum sensum proprium, nulla prorsus inter ventrem, & acervum tritici liliis obvallatum, præter quoad unum acervi cumulum, & tumorem, videtur constare similitudo: sed aliquid amplius in re inest, quapropter ad metaphoram pergamus. Porrò

C generatio spiritalis quæ per fœminam ostensa est, non usquequaque sponsi perfectioni satisfacit, ultra tamen gradiaris. Postquam enim sponsus Virginis sedulitate utens filium genuerit ex paccati morte raptum, ad vitamque traductum, tradit ipsi sponsæ teneriores illos fœtos in lucem editos, potu, ciboque alendos, & ad proceritatem provehendos, & illis ex sponsæ spirituali utero parat alimoniam; propterea ergo ait, quem filium spiritu genueris mihi, o Virgo, ale, sedulò nutri, dedi quippè tibi duo prolis munimenta, interiore, exterioreque ventris constitutione notata. Pocula in eratere lactis, & vini, lactis tenellis fœtibus, vini, grandioribus; & triticum, panem scilicet cor hominis stabilientem, non vulgari cu-

11 stodia, sed vitæ candore, quasi liliis quibusdam circumseptum; namque hujus tritici

D custodes, sunt sensus vigiles sponsæ perpurgatæ Cygno candidiores, qui dum triticum custodiunt, pro temporis opportunitate distribuendum, obvallare acervum dicuntur. Hæc sunt tanquam affabrè cælata hieroglyphyca, & doctrinam sponsæ ex charitatis fœtæ ventre intimo haustam, qua debet animas discendi avidas, ex quò gratiæ vitam adeptæ sunt, erudire indicantia. Doctrina quippè Virginis, quam ab sponso hausit, poculum est dulcissimum, quod reficit animam, modò ut lac teneros artus pervadit; E & nutrit; modò ut vinum grandiores perfundit, & exhilarat. Doctrina hæc pariter est triticum quo panis conficitur, cujus vi usque ad Horeb ocyus properamus, quæ doctrina candidorum sensuum, in medio consistens, uti triticum videtur liliis candidis septum. Neque verò putandum est ineptè pocula hæc ventre quasi cellario, triticum eodem tanquam horreo, contineri, nos asserere; nomen enim ventris allatum est ad fœcunditatem commostrandam, & ad innuendum in gratiæ generatione, sic agere oportere, ut ab eodem parente, cujus sedulitate ad gratiam, dante Deo, evocatus est, potum escamque deinceps petas, grandior evasurus; quod totum ex eadem peni tiore charitate prægnante, quasi ex ventre uno parens spiritalis Deo jugiter suppedi- F tante depromet.

Sponsi doctrina Lac, vinum, & triticum appellata.

℣. 3. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli Capreæ.

VErba hæc jam sunt explanata Capite quarto de duplici amore, sed in hoc loco plurimum valent verba repetita ad charitatem grandiorem, filiosque generare valentem significandam, ut cum proxima periodo præcedente consentiant.

℣. 4. Collum tuum sicut turris eburnea.

QUam turrim David Capite quarto appellavit, modò vocat eburneam. Tran- G slatio est ad pulchritudinis notationem, & nos orationem virtutem interpretati sumus; quæ in eburneis operibus dolatis cernitur.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

IN Esebon oppido erant Piscinæ, quæ speciem urbi addebant non pœnitendam, propè urbis portam, filiam multitudinis appellatam, ob celebritatem hominum illuc convenientium. Est autem illud speciale in Piscinis, ut aqua quiescat, & clareat, cum pluviis aquis, limo, aut arborum purgamentis minimè inficiatur, & turbetur, sic ergo divinorum arcanorum notitia oculis explicata in anima perfecta, eximiam habet cum nobilitatem, & pulchritudinem, tum etiam quietem, & tranquillitatem quam non imbres curarum sæcularium, non limus voluptatum, non

Esebon ultra Jordanem Urbs.

Piscinarum aqua qualis.

H

Scripta An. 1597.

ramalia, arborumve ſpolia aquarum advecta fluxu, hoc eſt non bonorum, temporalium affluentia ultrò etiam offerentium ſe ſe, & quaſi fortunæ, inſtar aquæ decurrentis affluxu allato perturbant. Hæc univerſa ſordeſcunt præ notitiæ arcanæ puritate, & nitore; undè conſpicis oculos Animæ purgatiſ-
A ſimos.

Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

SYros vaſtitatem in Iudæos invehere, molitos eſſe ſæpiſſimè, nemo poteſt ignorare; quamobrem liquidò diſpicimus, qua de cauſa in Libano monte, turris munitiſſima conſtructa ſit in extremitate terræ promiſſionis: nempè hoc erat propugnaculum ad iter illis intercludendum, & ad illorum machinamenta eludenda, ex cujus ſanè turris faſtigio ab explorantibus cuſtodibus hoſtium inſidiæ poterant internoſci, & fruſtrari: apte igitur Sponſæ Naſus turri illi perſimilis aſſeritur. Naſus quippè etiam apud autores prophanos,
B ſagacitatem, & vim diſcernendi notat: ergo Sponſus ait, eſt tibi, o Virgo, gratia diſcretionis ſpirituum, & internoſcendi ſagacitas, quæ quidem gratia reſpicit è regione contra infeſtiſſimos Damaſcenos, hoc eſt Dæmones, Ieroſolymam, tanquam pacis viſionem funditus evertere ſatagentes. Conſiderare hîc oportebit, quo pacto inſtruit Deus ſpiritali armatura Animam, quæ non temerè, ſed divino conſilio, aliorum ſaluti datura eſt operam; armata eſt jam doctrina, diſcretione ſpirituum, promiſſa eſt illi figuratè magna fœcunditas.

Naſi ſignificatio.

Sponſi allocutio.

℣. 5. Caput tuum ut Carmelus: & comæ capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus.

C

CArmeli Montis celebratiſſimi fertilitas, & decor, ſatis in divinis litteris commendatur. Caput prætereà Sponſæ ſponſus eſt, nam proverbii ſpeciem habet vulgare illud, caput mulieris Vir. Inquit ergo Clementiſſimus Deus, Ego ſum tuum caput ex quo jugis tibi emanabit influxus, perennis ubertas, & in aliorum ſalute curanda fœlicitas; & quidem ſicut mons feraciſſimus Carmelus non tam parturit, quam effundit fructus uberrimos facili & ſuavi cultura; ſic ego deinceps, quod ad me attinet facilè cultus largiſſimè tibi bonorum cunctorum idoneo tempore opulentiam ſuppeditabo. Eſt
D metaphora ex influxu capitis in membra. Quod verò de comis adjungit, ſic accipiendum eſt. Purpuræ infectoribus mos eſt, aut tempore Salomonis fuiſſe credendus eſt, ut lanæ vellera tenuiſſima, aut certè jam in fila diducta, ad canalium roſtra appendiſſe, ſive admovere, ut poſtquam ebiberent ſaniem Purpuræ illam, & ſaturum induerent colorem

Caput ſponſæ ſponſus.

Carmelus mons ferax.

labente enim canalibus aqua coloris vivacitas appareat, ſeque prodat facilius; niſi malimus dicere, canalibus etiam Purpuræ, ſivè conchylii ſaniem deduci, quo fila ſecundò tingantur; undè dignitati Regiæ aptas veſtes contexi, & conſui poſſint. Purpuræ ſic infectæ, & coloris vim perfectionem tunc maximè exhibenti comparantur comæ Virginis ex ſponſo tanquam capite profuſæ. E
Comarum, capillorumve ſignificatione cogitationes de divina natura, uti dictum eſt, notantur; & quanquam Sponſa his comis ſpecioſius ornetur, dicuntur tamen Sponſi, quia ex illo ortum habent, non enim, teſte Paulo, ſufficimus aliquid divinum dignè quaſi ex noſtris viribus cogitare; ſed hæ comæ Purpuræ aſſimilantur, quia ſanguinis deſiderio tinguntur, cum verum ſit Animæ ad perfectionis tam exceliæ faſtigium evectæ, hoc maximè votis omnibus optatum, ut ſanguine purpuretur, pro Sponſi honore tuendo: hoc viri perfecti diù cogitant, hoc expetunt, & efflagitant, & quidem multis hiſtoriis habita vulgò fides, tradit, non paucos egregios viros, & virtute abſolutos: hujus ergo Purpuræ ad longinquas Paganorum regiones F
commigraſſe. Hæc purpura eſt, quæ Regem exornat Sponſum.

Comarum ſignificatio.

2. *Ad Cor.* 3. 5.

Juſtorum vota.

℣. 6. Quam pulchra es, & quam decora, chariſſima, in deliciis! ℣. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris.

ELeganter Salomon Deum pingit amatorem; inter laudes enim Sponſæ, ingens videtur incendium excitari, cujus flamma correptus ille; quæ ſua dignatio eſt; velut impotente affectu erumpente clamat; Quam pulchra es; clarius ſic: Ego interiorem tuam o Virgo exploravi pulchritudinem, quæ me mirificè delectavit; quid dicam? Profectò ſignificantius loquuturus ajo, quam pulcra es, & quam decora in deliciis, hoc eſt cum deliciis in ſpiritalibus, ubi inter alia plura dona, lux eſt illuſtriſſima, mecum familiarius agis, maximè ſe prodit eximia tua pulchritudo, tua forma elegantiſſima. Et quidem rectus tuus ſtatus, quo erecta incedis, & ardua petis, Palmæ nobilem refert proprietatem. Quemadmodum enim palma non ſuccumbit impoſitis ponderibus, ſed nititur contra molem impoſitam, & in ſublime contendit; ita tu ſtaturam ſortita proceram, robore maximo ſtabilem, non ſuccumbis, non cedis oneri pro amoris lege tuenda, ſublimitatem meam ſpretis laborum impoſitis ponderibus animoſius petitura: Amoreſque tui, quibus
H me Sponſum, tuumque proprium proſequeris; racemis tumentibus ſimillimi ſunt, ad generoſum vinum effundendum promptiſſimi.

Sponſi allocutio.
G

Comparatio ex Palma.

Scripta An. 1597.

℣. 8. Dixi: Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.

A

Sponsi allocutio.

PAlma es, o Virgo, natura moribusque ingenua, fructu plurimo es onusta. Propterea ego cum in convallibus recens muptarum versarer animarum, cum me prudens occultavi in tuarum virtutum fastigium ascensurus, dixi libenter ascendam in palmam Sponsam meam, & carpam fructus ejus. Fructus nihil aliud sunt, quam nobiliores virtutum actus, qui quadam cum suavitate producuntur, ex Theologorum peritiorum sententia; has igitur fructus decerpturus erat Deus efflans Sponsam, suoque adventu fœlicissimo post absentiæ jejunium ad suavissimos virtutum actus proferendos illam permovens, quos Deus ipse legere, quibusque libenter vesci dicitur. Et dixi etiam, inquit Sponsus, erunt ubera tua, o Virgo, sicut racemi tumentes in vite; quia videlicet amor Dei, atque proximi uberibus, ut sæpè diximus, expressus, jam maturuit, & ex vite, hoc est, Sponso, qui vitis est vera, botrus pendet vindemiam expectans, torculari exprimendus, ut in cœlestia vini generosissimi portetur cellaria; botrus certè hic percoctus solis ardore, atque maturus expectat morte quasi torculari quodam exprimi, pro Dei amore ardentissimo sanguinem profundens. Nam, uti diximus, vehemens subeundæ mortis acerbæ, in perfectis viris, flagrat desiderium. Et dixi, ultra sponsus ait, odor oris tui, cum ex abundantia latentis amoris os loquitur, suavissimus mihi, bonisque omnibus efflas odorem talem, qualis a percoctis æstate pomis flante aura genialis in amœnissimis hortis solet exhalari. Certè perpulchra, & perelegans est ad virtutum, præsertim charitatis fragrantiam exprimendam ista translatio. In quo etiam Deus sapientissimus alio armorum genere Animam saluti aliorum vacaturam munit. Est autem armatura hæc bonus Christi odor, qui suavitate mira, homines allicit, sensimque permulcet.

Palmæ fructus quid?

B

Martyrii votum in justis.

C

SPONSA.

℣. 9. Guttur tuum sicut vinum Optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandum.

D

QUid mirum, ait Virgo, si halitus meus fragrantia præstat, cum guttur quo editur sit tuum; at nemo est qui nesciat gutture tuo reddi halitum instar vini optimi, ac generosissimi fragrantem. Alludit Virgo ad Doctrinam Sponsi, quæ ore editur, & metonymicas per instrumenta significatur; & quanquam concionator suo videatur penu verba promere, verum hoc tam ille, quam Christus effert; sicut scriptum est: Non enim vos estis, qui loquimini &c. Denique dicit Sponsa Guttur tuum, quod in medium arcana cœlestia patefacio, & eloquor, vocem edit est sicut vinum optimum. Doctrinam quippe esse vinum, quod stabilit, quod exhilarat, quod calefacit, manifestè patet. Vinum verò hoc dignum est te Dilecto meo, quo reficeris uti potu suavi, cum me tua mysteria promentem intueris: quodque mirandum accidit, est hoc tuis dentibus vinum hoc comminuendum, mandendumque, & postea ruminandum. Hoc si ex materialis vini natura velimus exprimere, non est rationi consentaneum; ubi enim visum est unquam vinum adeò crassum, & densum quod esset dentibus conterendum? Quapropter translatè agendum est. Cum hoc vino doctrina sacra exprimatur, quæ anima exhilarat, quæ vires reficit, quæ fragrat odore Christi, quæ inebriat, atque inflammat, ut sit quædam animi vino absoluta similitudo; hoc proculdubiò animadvertere debemus, de illa evulganda nos præmeditari oportere: meditatio quippe, cujus est laboriosè discurrere, ac ratiocinari dentibus escas conterentibus mutuo allisu, aptè notatur. Ergo doctrina dilecti, dentibus hoc est, meditationi traditur mandenda, quò postea in stomachum traiiciatur, & excoquatur. Neque tamen hoc repugnat illis verbis Sponsi: Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; nam solum aget at tunc servator noster, de tempore conflictus cum tyrannis, ubi se verba absque præmeditatione suggesturum pollicitus est. Cæteroqui strenuam meditationi doctrinæ sacræ Concionator debet operam navare, quò serat, quò irriget, quò metat opportunè, atque fœliciter.

E

Matth. 10. 20.

Vini significatio.

F

Meditationis natura.

G

℣. 10. Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.

MInimè reluctari possum Dilecti mei, ad aliorum me salutem destinantis, justis; hoc mihi precor, ait Virgo, sit patrocinium, in aliorum salute tuenda, ut ego non propterea mei jacturam faciam; sed ego medullitus hæream animo indefesso Deo, ac sponso meo suavissimo per inculpatæ vitæ integritatem; & ille sit mihi propitius, mihi vires suggerat, quia hæc est ejus ad me optatissima conversio. Verum obiiciat quis, ex quo loco Cantici hujus constet, sponsum Animæ præcepisse aliorum curam capessere? Sanè hucusque sponsam non subiit Provinciam prospiciendi aliorum saluti; at verò Capite hoc toto armatura multiplici Deus sponsam sepsit, atque munivit, ad munia quæ salutem proximi spectant obeunda. Undè liquidò Virgo Dei voluntatem

Sponsæ allocutio.

H

Sponsæ allocutio.

Scripta An. 1597. exploravit, ad agrum colendum, simulque præliandum illam accingentis; quam ob causam lubens id amplectitur munus. Quippe tunc integrior est obedientia, cum nondum lata lege, nondum invulgato præcepto, agnitæ Dei moventis obtemperamus voluntati. Quapropter sequitur.

Sponsa ad proximorum salutem curandam destinata.

A ℣. 11. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

AGE tandem, Deus Clementissime, flagro enim salutis proximorum desiderio, adest mihi, & egrediamur in agrum fidelium, atque etiam nondum credentium, ut omnium lucra comparamus. Commoremur in villis. Rusticemur, edocturi homines urbanitatis expertes, quò pagis derelictis, ubi grassatur rusticitas, & salutis ignoratio, commigrent in urbem Jerusalem, divinæ sapientiæ gymnasio celeberrimam.

B ℣. 12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

EXpulsa caligine, nocteque peccati, cum munificentia tua peccatoribus mane lætissimum Gratiæ jubes apparere, illos lethargo jacentes excitans, surgamus è quiete nostra, pergamus ad vineas odorem spirare solitas, exploremus an vinea, quam plantavit dextera tua, emiserit flores, si ex floC ribus naturæ ordine in vitibus manifesto formantur fructus; & accuratius inspiciamus an mala punica cytinos protulerint. Eleganter hoc ambitu verborum tenelli virtutum infusarum actus, uti flores, uti fructus primi notantur; præsertim vineæ punicorumque malorum hjerogliphyco, nam vinea & metaphoricωs, vinum translatione una, amorem significat; mala punica, quod supra explicatum est, eumdem notant amorem, amor verò ad actus producendos propensissimus est, sivè ille sit naturalis, sivè infusus; undè meritò fructus hos cupit Virgo in agro reperire. Quos si repererit ad majora facilè hortabitur tyrones, & Dei munificentia implorata doctrina illos ex charitate, quasi ex uberibus expressa lactabit. Propterea in-

Vineæ & malorum punicorum significatio.

D quit; ibi, o sponse suavissime, tibi in tyrunculis viventi, adhuc infantiæ metas vix egresso, dabo ubera mea. Certum autem est inter spiritalis vitæ peritos Suavissimam illam esse considerationem, qua Deum concipimus in recens conversis infantem, quibus per charitatis incrementa ad pueritiam adolescentiam cæteraque vitæ periodos pertinentibus, ipse in illis Deus crescere perhibetur usque ad ætatem perfectissimam: infans ergo in conversis rectè lugit lac sponsæ uberibus expressum.

Deus in recens conversis tenellus infans.

℣. 13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia E poma: nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.

MAndragora, quæ, & Circejum appellatur, soporem inducit. Sic igitur ait Virgo, Mandragoras enascentes, ac odorem effundentes percipio. Quippe nuper conversi dormire incipiunt deliciis, ac voluptatibus, a te immissis, quasi somno vitali correpti, quò magis ad salutem evigilent. Opus est tyrones, qui ad perferenda asperiora non sunt idonei, suaviore tua allocutione somnum inducente; quasi quadam mandragora mulceri, atque sopiri. In portis nostris præterea sunt universi generis poma. Nempè universim, o sponse, ex omni statu aliquos meæ culturæ, atque doctrinæ fructus F assequor, qui omnes cum primum Peccatores varii ad justitiam evehuntur, dicuntur in portis, hoc est, in aditu, in introitu esse vitæ æternæ. At enim non ego dumtaxat, nova hæc poma tibi offero, vero cultori feracissimi agri, sed & quæ vetera fuerint ob plurimos, ac maximos in charitate progressus servabo tibi; ubi Hebraico more præteritum pro futuro collocatur.

Mandragorae proprietas.

CAPUT VIII.

SPONSA.

℣. 1. Quid mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? G

DEstinatur Anima perfecta, multisque præsidiis munita, saluti aliorum curandæ; qua in re duellum quoddam præ oculis versatur: etenim nolle acquiescere imperio Dei præcipientis suarum agrum animarum sedulò colere, quasi hariolandi peccatum censetur, ac proindè Virgo libenter acquiescit. Verum enim cum perfectæ charitatis quæ cælestem patriam gemitibus ejus poscit, divitias comparavit, inter ipsas agriculturæ functiones, cœli tranquillitatem percupiat, & dissolvi corporis vinculis exoptet; identidem suspiria emittens ardentissima, necesse est; sic igitur inquit: Aggredior lubens, arduum hoc agricolendi opus, o Sponse suavissime, quippè non nobis solum nati sumus, & præterea animarum salutem ac fœlicitatem ardentius amo. Illud H

Inobedientia quale peccatum?

Scripta An. 1597.

tamen charitatis igne incensa efficere nequeo, ut extorris, optatissima cœli pace, non clamem; Quis mihi det te fratrem meum, qui supernæ Jerusalem quæ est mater nostra, ubera percupidè sugis, ut hisce corporis custodiis liberata inveniam te extra hoc ergastulum, scilicet in fœliciſſima patria, ubi ex ore tuo, per arctissimum perfectissimi amoris, atque sempiternæ suavitatis fœdus, oscula legam dulcissima, copulam strictissimam significantia, & cum ibi tuta sit ab omni obstrigillantis mundi suggillatione immunitas, sciam me non ultra a quopiam insectatore despectum iri. Hic oportuerit meminisse, quod supra exspensum est, Amantes inter se, modò fratres, modò dominos, nunc sponsos nunc etiam reges se nuncupare; neque aliud arcani subesse illis verbis. Quis mihi det te fratrem meum, necesse fuerit existimare; nisi fortè ideò dictum est, quia Pater æternus decrevit, ut salvator noster esset primogenitus in multis fratribus. Attamen Deus ipse dicitur ubera civium cœlestium exugere, quia dum illi æternam Dei clarè cernentes bonitatem, se in illius pelagus amore impellente proripiunt, & illi ævo sempiterno laudes dulcissimas concinunt, quas Deus acceptat; quasi lactis rivos evergunt, quos Deus clementissimus haurit.

Sponsæ votum.

Amantium usus.

Sponsus primogenitus in multis fratribus.

A

B

℣. 2. Appræhendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

QUis meis votis adsit, Virgo ait, nam si licet, in cœli adyta volare; te sponse suavissime, quem dum divina verba eloquor, & concionor, quasi discerpo, quo frustillatim concisus parvulorum ori immittaris, & excoqui modico calore valeas, te inquam dispersum arte divinæ sapientiæ miranda colligam, quem in plures quasi partes diviseram, atque secueram apprehendam, & cursu peracto ducam te qui semper mecum versaris, in sedem Jerusalem cœlestis, ubi lumine gloriæ, me insigniter illustrabis. Ubi quidem ego, cum me totam effudero; & amore perfectissimo æstuavero, quem tu perlibenter uti holocaustum gratissimum accipies, poculum tibi tanquam ex generoso vino aromatibus condito, & mustum punicorum malorum propinabo. Vino tamen punicoque malo notari amorem satis explicatum est. Hic vero videtur sponsa vinum illud innuere novum, quod Dux noster Jesus, in cœlesti Regno se dixit bibiturum. Eleganter dicitur Sponsus duci in urbem cœlestem ab Sponsa emerita, nam si in recens justis tenellus dicitur, si in provectioribus adultus nuncupatur ipse Deus, profectò in animabus, quæ agone peracto, ingrediuntur in patriam ingredi, & ipse graphicè describitur.

Sponsae allocutio.

C

Vini punicique mali significatio.

D

℣. 3. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

E

SPonsa sequitur quasi ad alias animas conversa non vulgari me humanitate prosequetur in patria Deus; perfectis quippè mihi blandietur amplexibus, atque fovebit; nunc sanè dum me ab ingruentibus procellis tuetur, quasi amplecti incipit suppositа sinistra quæ hierogliphycum est illius auxilii, quod exulibus fert ipse Deus, veruntamen fœlicius mecum agetur in Patria, nam brachio utroque cinget me; hoc est summis me beneficiis ævo sempiterno cumulabit, ubi plenam charitatis significationem omnino propitius exhibebit amplexu integro, quasi perfecto circulo notatam.

Laevae manus significatio.

SPONSUS.

F

℣. 4. Adjuro vos filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Verba hæc supra sunt explanata.

HIc verò illud non est prætereundum velle Deum amoris satisfacere desiderio, quoad exilii conditio patitur; ac si luculentius dicat: Optimè Patriæ desiderium percalleo, neque tibi fœlicitatem invideo; at opus est pluribus te prodesse, mei ergo aliquantò diutius agrum culturam; neque verò mea omninò præsentia carebis; te quippè interdum aliis curis eripiam, & contemplationis somno vigilantius dormientem alloquar. Etenim non usquequaque, in agri culturam debes mentem effundere; sed nosse ad contemplationis arcanum, in quo ego delitesco, in arduis, si minus licuerit in omnibus negotiis ob temporis angustiam, te esse confugituram. Propterea vos alloquor Puellæ Solymæ, quæ filiarum estis adeptæ dignitatem, ne velitis improba flagitatione, temerè Animam proximi curæ præfectam, quavis de causa ab orationis somno, hoc est, quiete mihi gratissima excitare; non enim quia vacat aliis, continuò jus exigit, ut temerariis contemplationis tranquillitas exponatur incursibus. Advertendum ecstases has multò esse nobiliores illis, quas supra diximus Sponsæ accidere.

Sponsi allocutio.

Bernard. ad Eugen.

G

H

Scripta An. 1597.

FILIÆ JERUSALEM.

℣. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, A innixa super dilectum suum?

ANimæ, quibus prudentius agere jussum est, perfectæ Sponsæ integritatem jurè mirantur, & proindè impotens per admirationem affectus erumpit: Quænam est ista, inquiunt adeòne? Deus præsens est? Ascendit de deserto, hoc est, magis, magisque evehitur, in charitatis fastigia; quanquam enim perfectam sit adepta charitatem, non ideò sistit; nempè perfectio hæc in Viatoribus nova semper capit incrementa; quod unius Mariæ Virginis puritissimæ, patet exemplo, cujus in charitate perfectio a teneris infantiæ unguiculis constitit, neque propterea destitit novos, & eximios in vitæ hujus stadio charitatis facere progressus. Ergo jure mirantur, & verè dicunt, quænam ista B est, quæ semper magis ardua petit, & recedit non loco, sed moribus a deserto hoc sæculo, in quo rarissima est divinæ charitatis habitatio? At illa deliciis affluit, quia Sponsi crebra suavitate fruitur, a qua ne illam excitemus nobis imperatum est; & conscendit innixa super dilectum lævam, qua præsentis vitæ auxilium notatur, supponentem ne Sponsa impingat; quò nihil delectabilius valet excogitari.

Filiarum Jerusalem allocutio.

Puritissimae Virginis Mariae perfectio.

Laevae significatio.

SPONSUS.

Sub arbore malo suscitavi te:

NE tanta bonorum ubertate Virgo intumesceret, cui præsertim malo pharmacum præparari oportet, erga eos, qui maxima in fœlicitate versantur; monet Clementissimus Deus Sponsam, ut meminerit totum C id fœlicitatis, quo præstat Sponso esse acceptum referendum; quæ commonitio jam semel a nobis in tyrocinio notata est; sed nunc beneficiorum magnitudo hoc fieri suadet oportere: esto sit Anima perfecta. Quod ut planius percipiatur recordari nos decet, Virginem mali typo sub Cantici hujus exordia Sponsum significasse; sic igitur Deus: Ego sum, tuo judicio, sicut malus inter ligna sylvarum; memineris ergo, te, sub arbore hac fuisse suscitatam, ex peccati somno qui medullas permearat. Quamobrem te imbecillem prorsus existima, & ad me cuncta bona referto.

Malus arbor sponsi typus.

Sponsi allocutio.

D Ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua.

PArticula ibi non ad malum eandem, hoc est Sponsum, sed ad veterem in paradiso hujus mali typum, videlicet arborem scientiæ boni, ac mali referenda est. Contigit enim interdum in sacro textu, particulas hasce non id referre, quod proximè præcesserat, sed ad alia longè distantia referri; ut patet in vaticinio Baruch in illis verbis; ibi fuerunt Gigantes &c. Dicit ergo Sponsus, ibi, sub arbore, quæ mei typum gerebat, e qua jusseram ne fructum legeret, ob impudentiam, & tumorem mater tua Eva corrupta est, penitusque violata cujus ex temeritate malorum lerna exorta est, atque ex Adami etiamnum petitum fructum edentis ipsius uxoris precibus improbis victi, scelus; haustum serpentis ex ore venenum in cunctos mortales misera contagione proserpsit; Memineris igitur quibus ex parentibus genus ducas sic quippè te innumeris calamitatibus septam fuisse cernes & ad gratiæ arduitatem ineptam mihique tot malis efficacissimum antidotum exibenti, ages grates immortales.

Cap. 5. 26.

E

Eva corrupta & Adam sub malo.

℣. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum. F

PRofectò mos est, non apud unam modo G nationem, sed quam latè natura patet ubique celebratur, ut quas ardenter amamus rerum memoriam animo discedere minimè patiamur, naturæ imbecillitati amoris succurrentes artificio. Nempè mnimosynon aliquod adhibemus, quod haudquaquam nos sinat oblivisci; & quidem hoc contingit tum aliis in rebus, quæ alicujus ponderis esse cernuntur, tum verò maximè, ubi zelotypia dominatur. Enimverò cum zelus sit amoris effectus & affectus vehementissimus, qui rerum, quæ amantur consortes amatores nequaquam ferre valet; qui tunc tanquam furculus è libro truditur, & erumpit, cum amor ardentissimus est: propterea Clementissimus Deus cui cum sponsa incredibilis jam intercedit amor. Sponsæ ipsi leges fert zelotypiæ. Quid enim est imperare, ut Cor brachiumque sigilletur, non sigillo alio, quam Sponso ipso? Certè cum cor cogitatus, brachium opera significet externa; hoc modo præcipit Deus, ut Anima perfecta cogitationes, externaque exercitia Sponsi desiderio, memoriaque obsignet, ut hisce januis obseratis nullum exterum, adulterinumve admittat amorem. Verum audire delectat, quam profert Sponsus rationem hujus imprimendi sigilli; ait siquidem quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; ac si apertius dicat: mirum videri nefas est, O Virgo, me has zelotypiæ leges ferre; nam qui

Omnium Nationum mos.

Zelus amoris effectus, & affectus vehementissimus.

Cordis brachiique significatio.

H

Sponsi allocutio.

Scripta An. 1597.

qui me ſauciat amor, & jubet hoc tibi munus injungere, fortis eſt ut mors. Quemadmodum enim mors nemini parcit, munitiſſima quæque mœnia diruit, & fortiſſima ædificia funditus evertit, viros robuſtiſſimos enervat, & quamlibet perdomat ferociam; A ita quidem amor nec mihi ſummo Deo parcit, omnia diruit, & ut vulgò dicitur, ne longum faciam;

Omnia vincit amor.

Virg. Bucol. Elog. propè fin.

Et quo pacto infernus inexorabilis eſt, ut quem æternis cruciatibus extorquendum abſorpſerit, non ultra reddat luci vitali; ſi profectò quem ſemel abſorpſerit amoris flamma hæc, eo deducet, ut zelotypiæ parere debeat ævo ſempiterno, neque remiſſionem patietur ullam, non ſe ſinet exorari. Hîc certè mirari debemus ardentiſſimam Dei erga animas perfectas charitatem. Lampades dilectionis actus ſunt ardentiſſimi, qui erumpunt ex incendio Amoris; quod quia patet; prætermittitur.

Comparatio

B

℣. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam:

HAs zelotypiæ leges, ſi ad unguem, Virgo, ſervaris, fiet omninò, ut procellæ hoſtium flatibus excitatæ; nequeant ullo pacto charitatis divinæ incendium tuis viſceribus conceptum extinguere; illud vero nec flumina obruent illam, habet ſenſum eumdem, ſed majorem habet ſignificationem, & ad majorem pertinet energiam.

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

C

NEque verò Sponſa, quæ te ad alios erudiendos, plurimis etiamnum laboribus vexanda, comparas; arbitreris te aliquid eximium patraturam, non enim hoc eſt perfectæ charitatis ingenium, maximi ſua opera facere, terminosve amori definire; quin vero charitas omnia perfert adverſa, ſe ſuaque prodigit; nec propterea ſibi ſatisfacit; & hoc verè ſignificant illa verba? ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil; homo ſcilicet ipſe præ amore; deſpiciet eam. Non eſt ullo pacto prætereundum, quam hîc clarè doceat Spiritus Sanctus, quibus armis, & conſiliis muniti, quo charitatis incendio inflammati ad aliorum ſalutem curandam, ſe debeant homines conferre:

Charitatis natura.

D

SPONSA.

℣. 8. Soror noſtra parva, & ubera non habet: quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?

COnſiliis è divinæ prudentiæ penu promptis, cordis gremio exceptis, & ad memoriam ſempiternam tenacius apprehenſis jam Virgo munus injunctum obire adornat, atque ita ſe gerit; perſpicuè, o Deus, & Sponſe Clementiſſime, cerno quibus me donis auxeris; tuoque proindè auxilio freta, jam jam rem aggredior. At verò ſoror noſtra, plebs videlicet illorum, qui nuper amare cæperunt eſt adhuc in amore tenella, etſi enim tecum jam conjugium per gratiam inierit, deſunt ubera lactis plena, quæ poſt matrimonium contractum, partui proximam indicant Animam, tibi uxorio affectu ſtrictius copulatam, & ex hac ſpiritali copula fœcundam; quid ergo faciendum? Qua herba ſorori noſtræ, ad quam provehendam, & fœcundandam, me deſtinas, medebor? ſi tu mihi frater es, & plebs ſoror eſt mea, ſimus omnes germani neceſſe eſt. Quid ego faciemus ſorori noſtræ, eo die, vel tempore, quo me oportet, juſſu tuo, illam alloqui ad partus fœcunditatem, uberumque plenitudinem illi conferendam? Expendere licet hoc loco, plures accepta etiamnum divina gratia, quaſi ſomno oppreſſos, vix ſe poſſe pravis veterum conſuetudinum radicibus obſiſtentibus expedire, quò fœtum divinæ charitatis edant; & quanvis omnibus Sponſa mederi ſtudeat, tam ſcilicet iis, qui gratiam ſortiti ſunt, quam qui nondum ſunt ad illam evocati, conſultò tamen doceri cupit; quid facto opus ſit erga illos, qui jam evocati torpeſcunt, & ad meritorum ubertatem pervenire minimè ſatagunt; quippè reſides equi, qui, verberibus cæſi, calcaribusque incitati; carceribus non exiliunt ſtadium percurſuri, nullam de ſe movent expectationem, aut certè perexiguam.

Sponſæ alloquutio.

Soror ſponſae quae?

Exemplum. ex equo reſide petitum.

E

F

G

SPONSUS.

℣. 9. Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.

ADeſt Numen Sponſæ votis flagrantiſſimis, ſicque, inquit habeto; quia jam murus eſt ſoror noſtra, ex quo ipſius ego animam Gratia uti muro ſepſi, & nihilo ſollicitior evaſit, ut ſe urbem muro tueretur, & hoſtium arceret infeſtationes: pergamus ulterius; & muro addamus per mirandam architecturam, meæ ſapientiæ propugnacula ſuper extruamus turres excelſas, è quibus inſidiæ facilius explorari, & emiſſis telis hoſtium copiæ facilius poſſint deterreri: quæ ſane turres, & propugnacula virtutes ſunt proceriores, & præſertim charitas ardentior. At propugnacula argentea, hoc eſt deargenta-

Turrium, & propugnaculorum ſignificatio.

H

Scripta An. 1597.

tata esse oportet: quia videlicet doctrina Apostolica argenti clarè sonantis signo perfectè notata, animæ quæ soror dicitur, virtutes debet obducere, & illis animo exceptis quasi insidere: quemadmodum argentum alia metalla ad elegantiam, & venustatem solet ornare, & elaboratis vasis aurificis opera ad decorem inducitur. Primum quidem virtutes per doctrinam soror animo concipit, post verò eloquia divina, quod est argenti pulcherrimum integumentum avidius excipit ad charitatem augendam, undè meritò possis illam, vas argento tectum, Columbamque deargentatam nuncupare. At quia hostium illi est, habet enim januam sibi ad fœlicitatem ex gratiæ munere fabrefactam; mens enim, quæ ante humi defixa erat, & per creaturas repere tantum norat, gratia divinitus infusa ostium sibi ad alta petendum perspicit patefactum: quo oppilato irrumpenti hosti resistat. Sed quia hæsitat, quia torpet, postquam ingressa est aulam Regiam, & videtur sua desidia parum vigilanter ostium custodire, ne quis hostis irrumpat, cui tenujores ostii tabulæ parum possent obsistere. Ideò januam gratiæ hujus non admodum fortis compingamus, constabiliamus tabulis è selecta cedri materia habitioribus, quæ cariem non sentiant, & corruptionem exuant, ut occlusum ostium minimè adversarii impetus perrumpat; nempè virtutibus fortioribus, quæ veterum consuetudinum corruptioni non cedant, sed sint & corruptione alienæ, quibus virtutibus clausa opportunè janua animæ urbis, tuta sit arx charitatis. Sanè dubitandum non est, virtutes cum gratia infundi ex gratiæ ipsius essentia erumpentes, sed modo de ipsarum incrementis virtutum; agit Sponsus cum de actibus grandioribus, qui proximè a virtutibus oriuntur sermonem instituerit.

Exèmplum.

A

B

Quandò infundantur virtutes?

SPONSA.

C ℣. 10. Ego murus: & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

Sponsæ allocutio.

PLacet, Clementissime Deus, consilium hoc tua prudentia depromptum; ait Virgo. Et quandoquidem in me liberalitate summa, non murum dumtaxat, sed & propugnacula, celsasve gemini amoris, uberibus significati, placuit ædificare turres, ex quo mihi absentia tua languenti, & irrogatis plurimis injuriis divexatæ occurristi, ut pacem reperirem; libenter rem aggrediar, & enitar vigilantissimè, sororem nostram, D quæ urbs est, non muro tantum a te sœpiri sed & turribus instrui munitissimis, sed & portis obserari; sic itaque verba interpretanda sunt: Ego murus sum propter virtutes me tuentes; ulteriusque ubera mea, hoc est, amores mei, erga te, Deus Optime, sororemque dilectam, sunt instar turris celsæ, & multiplici armatura munitæ. Amor, non tener, qui lacte, sed qui cibo pascitur solidiore, & ad bellum gerendum audacter graditur. Cætera patent. Illa verò particula, quasi, satis indicat pacem in hoc exilio integram minimè inveniri, sed quasi pacem &c.

E

℣. 11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

Salomon pacificus nuncupatus.

METaphoram aliam perpulchram eidem sorori significandæ, Salomon, qui pacificus nuncupatur, accersit ex vinea. Etenim fidelium cœtum vineam esse Dei Vates prodiderunt. Vinea quippè Domini sabaoth Domus Israel est; hanc colendam diligenter, plurimis commisit custodibus, qui sunt ipsius Antistites. Vinea hæc fœlix, dicitur in ea, *Isai. 5. 7.* vel potius ea, quæ habet populos; quem enim præterit populos alienos in unius Ecclesiæ gremium convocatos? sicut scriptum F est; ecce Alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic, cum Raab, & *Psal. 86. 4.* Babylonis mentio facta esset; Vinea ergo habet populos. Et vir; tanquam dicat, Cui verè virilis est animus; qui verè vineæ hujus quasi uxoris dilectissimæ vir est, nam Præsul conjugium cum Ecclesia spiritale init; hic procul dubio pro animarum fœnore plurimarum vineæ diù, multumque excultæ, mille argenteos, hoc est uberrimum præmii proventum myriade notatum cultura peracta refert. Præsules enim assiduis elucubrationibus, & laboribus populum excolentes, atque veræ pietatis rationem perdocentes, vix dici potest, quam cumulata lucra meriti, præmiique conquirant, ergo sic ordinamus: Ecclesia fuit, atque est summo Deo, quæ populos gremio continet; eam Præsulibus committit erudiendam, & qui verus est G Præsul, affert, vel comparat, pro fructu laborum meritorumque uberrimo, præmium cumulatum essentiale, qui numerus est perfectus, symbolo mille argenteorum intellectum, de accidentali verò sequens periodus meminit. Et accidentale. Per hoc innuit Sponsa, quæ jam præsidet aliis, se didicisse rationem administrandi Rempubblicam spiritalem.

Præmium essentiale.

℣. 12. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

OCulis etiam meis obversatur vinea hæc, quam o Sponse, meam liceat nuncupare, quæ consilio tuo mihi commissa est. Et quidem consiliis debebo tuis per quam libenter acquiescere; quàm enim amplum præmium cultores illius sedulos maneat, mihi satis exploratum est; Porrò mille tui argenteri nummi, o Pacifice Rex Ierusalem

Sponsæ allocutio. H

su-

Scripta An. 1597.

ſupernæ; atque inſuper ducenti tuo ex erario locupletiſſimo promentur illis, qui tuendis fructibus vineæ ſtrenuam operam dederint: quapropter etſi me non purus, atque incorruptus cieret amor, expectatio ſaltem coronæ fœliciſſimæ, fortiter, ac ſedulò agere ſtimularet. At hic millenario numero præmium eſſentiale appellatum in ſcholis ob numeri perfectionem, & amplitudinem, intelligere oportebit; verum bis centeſimo nobiliſſimum quoddam præmium, accidentale tamen, ſcilicet Doctorum Aureolam notari exiſtimamus; quæ ideò ſub hoc numero intelligitur quia Doctor, quaſi duabus Centuriis præeſt Incipientium atque Proficientium, nam qui perfecti nominantur, Doctore ultra non egent cum ipſi divino munere alios debeant erudire.

Millenarii numeri laudes.

A

Ducenteſimi numeri ſignificatio.

SPONSUS.

℣. 13. Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac audire vocem tuam.

B

TAndem poſtquam novelletum cogitatione ſepſiſti, o Virgo, ait Sponſus ſapientiſſimus, & perſpicis erumpentes gemmas, cœli clementia indigentes, perſpicis agrum feracem prima germina emittentem, perſpicis nuper ad charitatem evocatas animas, age jam: Aula regia, quam inhabitas, horti ſunt juſtorum nuper conſiti; & amici, hoc eſt, qui jam meam ad amicitiam ſaltem pertinuerunt, te audiunt, atque hiant arentes propinatæ doctrinæ imbres ſitienter hauſturi. Fac ergo me audire vocis tuæ harmoniam ſuaviſſimam, nam ego in plantariis teneris adhuc tener habito in illis tuam doctrinam excepturus: Animadvertendum placere impensè Sponſo zelum proximorum ſalutis opportunum, ut hîc depingitur.

Amici qui?

C

SPONSA.

℣. 14. Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes aromatum.

D

MIrandum quidem; opus quam maximè arduum animarum curam Virgo aggrediens, Sponſum fugere monet; cum ſciamus tunc ardentiſſimè cupiendam, & flagitandam Dei propitii præſentiam, cum tanti ponderis res aguntur, ut ſingulare ſpiritalis vitæ ſi fœliciter eveniant ſit ſperandum emolumentum, vel miſerrima, ſi reflet ventus ſit timenda jactura; quam ob cauſam in verbis obſcurioribus; & ſenſui, ut videtur, contrariis, penitiore conſideratione commodam petere interpretationem oportebit. Monet igitur Sponſa, fuge, hoc eſt, ea celeritate hortos hos agroſque mihi commiſſos percurre, qua ſe urgere ſolent qui hoſtes fugiunt inſequentes; quid enim cultura noſtra prodeſſe poteſt, ſi tu non arva percurras? Quam ſanè interpretationem mirifice amplificat quod ſequitur. Aſſimilare Capreæ, & Hinnulo. Profectò animalcula hæc, utpotè timida, tunc incredibili celeritate non tam currunt, quàm pervolant, cum canibus improbo latratu inſequentibus exagitata, in denſas ſylvas, aut occultiores montium latebras ſe proripiunt, & penetrant. Ita igitur, Sponſe, curras ocyſſime (dicit Sponſa) uti ſolent capreæ, atque hinnuli montium vertices aromaticis arboribus conſitos percurrere. Sic habendum eſt, in hujus Capitis dialogo colloqui Sponſos in contemplationis quiete, licet agant de vitæ activæ ſtudiis, & ſalute proximorum. Undè concipere debemus, eos ſeorſum quaſi in thalamo agentes; ubi cum Sponſa didicerit hanc eſſe Dei voluntatem, ut illa interdum careat tranquillitate, & Sponſi præſentia ſuaviſſima quo vacet proximorum ſalutl, cumque id ſciat Sponſo præeunte actum iri, propterea ſe quaſi expergefactam, ocyus agere monet Sponſum, & quaſi ab illa ſuavitate, quæ ſibi ſoli prodeſt, fugere interdum, ut præcurrente Sponſo, ipſa quoque currat ſuam provinciam ſubitura. Ergo ait, fuge, id eſt, recede a me, ne me dulcore abſorbeas tibi vacantem ſoli; ſi enim provincia hæc ſalutis aliorum ſubeunda mihi eſt, ab hac eſt tranquillitate ſurgendum. Ergo ocyus age; & eſto ſimilis capreæ hinnuloque animali oculis perniciſſimis petentibus pabula, quæ utique proveniunt in montibus aromaticarum plantarum feracibus, ſic rem audacter, neque verò temere adorior; ſic armis ſepta, tuo juſſu pulſata, ſpe firmiſſima erecta certamen ineo, jugum ſubeo, te auſpice multo fœlicior, multo ad te mari tranſmiſſo laboribus exhantlatis locupletior reditura. Cupio certè diſſolvi, & frui in optatiſſima patria, ut perfectionis exigit amoris ingenium; ſed morabor te jubente, in exilio, quoadusque abs te, nuncio vocer jucundiſſimo.

Sponſa animarum curam aggreditur.

E

Capreæ, Hinnulique natura.

F

Sponſæ votum.

G

Sponſæ firmiſſima ſpes

Sponſæ reſignatio ad voluntatem ſponſi.

H

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QVAE HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

Numeri paginam, Litterae verſus deſignant.

A

ABies, eius natura, & myſtica ſignificatio. pag. 244. F.
Abnegatio, affectuum commendata. 529. E.
Abraham, credentium pater. 267. A. ejus humilitas. 539. D.
Abſalon, & ejus capilli. 104. C.
Abſconſio vultus, quid? 173. H.
Abſcondere faciem quid? 80. F.
Abſentia amantibus gravis. 490. F. V. *Amantes. Amor.*
Abuſus condendi theſauros. 23. B.
Acervus tritici, ventri comparatus. 335. E. 593. C. ſimilitudo intellectus. 335. F. & ſapientiae. ibid. G.
Accipiter, quid ſignificet? 195. G. 309. B. quare ad flatus meridionales volet? 195. G. ejus proprietas. 253. G.
Achero, quid? 123. G.
Achitophel, mors. 74. G.
Acies ordinata, terribilis. 320. A.
Actus dilectionis, ut faces. 366. A. humilitatis externi, laudabiles. 446. E. miſericordiae, & religionis. 576. F.
Adam, unde Eva. 315. A. in paradiſum translatus. 293. G. eius ibi praeſentia non neceſſaria. ibid. H. ſub malo corruptus. 598. E. in monte Calvariae ſepultus. 361. D. a Deo inriſus, & quando? 394. C. poſt peccatum depictus. 436. C. eius ignorantia. 535. F. eius poſteri durae cervicis. 511. C. crudeles. 549. D. laudati. 512. A. V. *Homo. Mortalis.*
Adcingere lumbos, quid? 186. H.
Adiurare in foemore, quid? 333. H.
Adiuratio, quid? eiuſque virtus. 250. E. F.
Admiratio, ignorantiae filia. 81. D.
Adoleſcentes ad venerem propenſi. 484. E.
Adoleſcentiae vitia difficile ponuntur. 115. A.
Adoleſcentulae, earumque in Sacra Script. ſignificatio. 224. G. 323. B. 325. C. 589. H. earum figurata adloquutio. 331. G.
Adparatus belli. 236. A.
Adparitiones coeleſtes, cur timorem incutiant? 27. E.
Adpenſio aquarum quid? 149. D.
Adpetitus ſenſitivi affectus innocentes. 67. A. effraenis, hoſtis animae. 473. A. ad evadendam poenam pronus. 436. E. poenitentia coercitus. ibid.
Adverſitas, bono patientis a Deo immiſſa. 33. A. an culpae argumentum? 123. A. Dei memoriam parit. 440. H. ejus tollerantia. 506. E.
Adulteri tenebrarum amatores. 134. H.
Adulterium igni comparatum. 161. C.
Aedificia, eorumque firmitas deſcripta, & pulchritudo. 346. G. 435. B.
Aegyptii, eorumque ſiguificatio. 236. E. & tenebrae. 53. G.
Aegrotus, eiuſque ſtatus Iobo comparatus, deſcriptuſve. 17. F. 170. F. eiuſque proprietas. 42. E.
Aemulatio inferno comparata. 366. C. neceſſaria ad proficiendum. 226 F.
Aerumna, quid? 70. E. patienter tolerata dulcis. 192. G.
Aer, quid conferat plantis? 291. G.
Aetas prima, quae addiſcit diutiſſime ſervat. 445. B. eius gradus. 329. E.
Affectus, dolentium. 43. G. 102. D. V. *Dolor.*
Affectuum pugna. 44. B. 61. D.
Afflicti, ſaepe ab aliis exaſperati. 42. G. eorum verba inconcinna. 19, G. 62. C. eorum querimoniae. 150. F. juſti eorumque ſtatus. 95. F. amicos quaerunt. 411. A. V. *Iob. Iuſti.*
Afflictio, eiuſque effectus. 432. B.
Agareni, qui? eorumque habitacula. 229. H.
P. F. Agathangeli a Ieſu Maria munera, & encomia. VIII. C.
P. F. Agnelli a SS. Sacramento Laudes. XIV. A.
S. Agnes, eiuſque cum Deo myſtica unio. 258. A. ejus mentis maturitas. 519. G.
Agnus myſticus, eiuſque nuptiae. 502. G.
Ager, quid myſtice? 254. C. 348. B. eius ab urbe diſcrimen. 348. C.
Agricolae, primis fructibus veſcuntur. 580. F.
Alapam impingere gravis iniuria. 447. A. ob. Chriſtum ferenda. ibid.
P. F. Albertus a SS. Sacramento. X. B.
Alexander Magnus, eiuſque ambitio. 494. F.
P. F. Alexandri a S. Franciſco vocatio religioſa. XIII. D.
Alipius ab amicis ſeductus. 399. E.
Alluvionum pericula, & perturbatio. 458. G.
Aloe natura, deſcriptio, & ſignificatio. 290. E. 579. H.
Alopecia, qualis morbus? 321. F.
P. F. Alphonſi a S. Maria, virtutes. XXVII. D. . . . . a Matre Dei, laudes. XIV. B.
Altiſſimus. V. *Deus.*
Alvarez (P. Didacus) Ord. Praed. & Archiep. XXII. D.
Alvearia in hortis ponuntur. 294. H.
Alveus, quid? 85. A.
Amana mons, eiuſque ſitus, & ſignificatio. 281. E. 578. A.
Amantes, floribus dediti. 294. F. ſe ſe inviſere cupiunt. 379. E. amati abſentiam aegre ferunt. 490. F. abſentem mente verſant. 493. A. eorum mollis & furtiva conloquutio. 250. E. 299. H. effata. 273. A. 285. H. ſermo interciſus. 577. F. ingenium. 564. H. mos. 239. D. 252. E. 313. F. 319. C. 327. E. 572. B. 578. D. 597. A. amore languentes quomodo ſolandi. 305. E.
Amare, ſponſi proprietas. 298. A.
Ambitio, eiuſque damna. X. A.
Amici, eorumque officia. 111. B. rerum communio. 253. B. ſocietas ab afflictis quaeſita. 411. A. averſio verberibus gravior. 38. E. moeroris ſolatium. 394. A. cariſſimi qui dicti in Canticis. 296. E. 581. A. 601. B. quid myſtice. 411. A.

Amici Christi, & Dei infideles, gravius plectuntur a Deo. 39. B. fideles, honorificati. 521. E. carissimi, qui? 512. F.
Amici Iob, quid de eo, eiusque familia mente volutarent? 9. C. reges erant, & ubi. 15. E. quomodo eius infortunii certiores facti? ibid. E. veri eius amici. ibid. G. ad eum recta pergunt. ibid. H. quomodo eum cognoverint in fimeto positum. 16. A. quid egerint, quidve silentio cogitarint primis septem diebus? ibid. C. eorum disputatio qualis, cuius argumenti, quo fine acta? 24. E. 107. De illo mala opinio. 39. F. eum fugiunt, & quare? ibid. H. eorum vulgaris animus. 40. B. communis sententia. ibid. F. H. erronea. 124. A. eorum conatus. 102. B. quid de futura vita senserint? 129. D. V. *Iob*.
Amicitiae munera, & partes. 15. D. 16. C. 111. B. ius. 297. H. V. *Amici*.
Amicus falsus, eiusque imago. 68. A. fidelis thesauro pretiosior. 515. F.
Aminadab, Iudae abnepos. 330. B. eiusque tribus princeps. ibid. C. eius magnanimitas, & conflictus, ibid. & 591. E. quale nomen? 330. G.
Ammonius, quomodo memoriam exercuit? V. B.
Amor, eius natura. 217. A. 305. D. 365. A. ingenium. 582. B. proprietates. 240. E. actus. 295. G. 342. D. 365. G. & eorum origo. 366. A. impetus. 284. A. & in rem amatam tendentia. 219. G. strategemata. 582. A. liberalitas absque mensura. 368. B. leges. 587. F. modus nullus. 297. G. impatientia in absentem amatum. 409. A. incrementum. 580. D. & hujus incrementi effectus. 582. F. languor quomodo curandus? 405. E. affectuum humanorum princeps. 247. G. 248. A. 569. E. eorumque origo. 569. E. magnorum votorum parens. 496. H. doloris mensura. 578. A. sua dona non differt. 570. C. omnia vincit. 554. C. cur caecus depictus? 280. E. 577. G. Amoris humani & Divini discrimen. 478. F. impuri effectus. 523. C. in Deo erga homines quam fortis? 363. G. 380. B. V. *Zelotypia*.
Amor Dei, amaritudine conditus, quam illi acceptus? 294. F. diuturnitate maturit. 357. H. eius suavitas, & dulcor. 514. B. 551. D. mysticus in sponsa, quomodo ordinatus? 569. E. impetuosus. 314. F. ferventioris exempla. 564. ab ea eius incrementum petitum. 569. F. Amor Dei & proximi descriptus. 240. E. & graviter praeceptus. 522. C. Amor patriae aeternae gloriosus. 357. E. & quam efficax? 447. B. imperfecti natura. 564. G.
Anachoretae, haud inhumani. 392. A.
Ancillaris hominis pars. XI. A. V. *Homo*.
P. F. Andreae a Iesu memoria laudata. XV. D.
Angeli, quomodo ante Deum adsistere dicti? 4. H. eorum conventus. 4. G. sub qua forma? 5. A. suavissima Dei societate gaudent. 392. A. loco Dei praesunt. 5. A. eorum inter se conloquutio. 4. G. 5. D. submissio. 55. G. portant orbem. ibid. cur filii Dei nuncupati? 4. F. cur milites Dei? 137. C. cur caeli columnae? 139. H. cur volucres caeli? 148. G. cur equi sponsi? 236. A. cur amici nostri? 378. F. pro nobis intercedunt. 171. E. & vigilant. 475. H. custodes hominum. 5. B. 171. B. H. 574. G. Iobi tutelares. 5. A. cur alati depicti? 476. A. boni, quare steterunt? 90. H. Angelorum malorum peccatum. 90. F. 518. D. filii alieni adpellati. 231. E. V. *Daemones*.
P. F. Angeli a Iesu Maria laudes. VIII. A. XXVII. D.
Anima, unde dicta? 267. D. cur, & unde spiritus? 73. E. 267. D. princeps hominis pars. 261. H. quomodo a corpore discernatur? 46. C. a Deo creata, & quando? 138. D. humili loco nata. 393. A. cur sedere dicatur? 392. E. eius in sua creatione pulchritudo, & deformitas ex peccato originali. 242. E. rationalis ab irrationali discrimen. 73. D. utraque a Deo pendet. ibid. in corpore perenni voluptate frui nequit. 565. B. viatrix descripta. 411. A. 491. B. falce mortis praeciditur. 136. E. potentiis subfulta, & ornata, & unde? 295. A. 443. D. iis quasi membris utitur. 442. D. eius ostia plura. 302. D. a sensibus seducitur. 411. A. V. *Potentiae Animae*. *Sensus*. moerore contrahitur, laetitia dilatatur. 502. D. separata, an hujus vitae res noscat? 8. B. 88. A. magis ubi amat, quam ubi animat. 457. C. affectibus graditur. 299. G. in rem amatam fertur. 364. C. eius domus. 244. A. fragili corpore revincta. 413. G. haereditas Christi. 478. H. & quando ab eo possideatur? 479. A. eius inspiratione vivit. 476. E.
Anima iusta multimodis descripta. 393. A. 468. F. gratiae rore conspergitur. 241. H. eiusque dominium nanciscitur. 299. A. mundi domina. 393. A. 483. G. prudentia venerabilis, & honore digna. ibid. quid divinum. 264. E. in Christo radices agit. 454. E. Ecclesiae filia. 479. E. eius pulchritudo. 319. D. stuporem excitat. 399. B. ineffabilis. 468. G. eius multiplex imago. 418. B. candor. 468. F. caeli, corona; terrae ornamentum; orbis fulcimentum, & tutela dicta. 425. A. Dei templum, & sacrarium. 396. F. 428. F. 464. G. 471. B. qui eius sub hac figura sacerdotes? 396. F. quae ornamenta? 464. G. spiraculum omnipotentis Dei. 168. E. cor Dei. 419. A. Divinae bonitatis scopus. 436. G. phialae aromatum comparata. 318. E. eius ex Dei amore dignitas. 403. E. & votum. 221. E. Christi sponsa. 216. n. XIII. 465. E. quomodo Deo nupta. 393. A. 569. A. non equidem ex sua iustitia. 362. C. a Sponso Christo quam ornata? 393. A. 398. F. sedes, & thalamus Sponsi. 414. H. Dei ferculum. 263. C. 574. A. eiusque mater dicta. 577. B. eius pabulum sponsus. 233. C. phoenice rarior. 590. B. Saron dicta. 245. B. Dei lectulum. 574. G. Angelis similis. 566. H. qui populum numerosum ferat? 392. C. eius ab amore Dei duplex poena. 434. E. pax ab sponso curata. 266. B. & tranquillitas vitae Divinae similis. 395. B. qui eius voluptuosus cibus mystice? 467. F. viatrix quomodo sponsum experiatur. 222. G. eius expectatio. 444. G. & commercium cum Deo, eiusque praestantia. 276. H. tanto familiarius, quanto cum hominibus parcius. ibid. orationi dedita agilitatem adequirit. 289. E. precibus intenta depingitur. 409. E. non exaudita. ibid. eius proles, quae nuncupata? 410 E. eius virtute praestantis dignitas. 293. A. 403. C. & paradisi simillima imago. 293. A. illi fausta praedicta. 477. F. humilitas. 245. C. & resignatio. 413. A. 453. F. sinceritas columbis similis. 309. D. puritas ab sponso dilecta. 258. A. & liliis comparata, ibid. C. & divinae contemplationi apta. 259. D. eius absoluta integritas Dei opus: 590. C. quam bene Deo inhiet. 444. B. eius spiritalis ariditas, afflictio, desolatio descripta, aut notata. 157. A. 158. H. 420 B. 433. D. 400. F. 444. F. 490. A. 502. A. V. *Afflictio*. *Ariditas*. *Probatio &c.* per eam quomodo a Deo probata? 304. G. 431. G. & expiata, & purgata. 431. G. 434. F. 478. E. sic ad partum incurvari dicitur. 193. D. suavitates fugere debet. 247. H. & tamen amicos adcersat. 411. C. & patrocinium exposcit. 461. B. saepe contra votum evenit. 411. C. Daemones ad iudicium postulat. 461. C. incipientis animae, proficientis, & perfectae testimonium incorruptum. 325. E. incipientis mos. 225. A. *variis figuris toto Canticorum Libro & Lamentationum descripta* V. a pag. 217. & seqq. & 391. & seqq. & 560. & seqq.
Anima iusta, & eius variae adloquutiones, & vota descripta. 406. D. 412. C. 413. A. 443. E. 453.

A. 460. C. 461. F. 463. G. 464. B. 488. C. 492. C. 493. C. 494. A. querimoniae. 431. A. 433. E. 434. A. 454. B. deprecationes. 413. F. 459. D. 478. C. 482. B. 488. H. 494. H.
Anima iusta, quî ab iniusta distinguatur? 402. E. eam servare, quid sit in Scripturis? 13. B. post Christi discessum qualis? 392. B. eius pastu destituta perit. 483. A. eius gratia orbata cur miserrima? 392. B. quum peccat locum honorificum amittit, & deformatur. 454. E. olim inluminatam difficilius peccati poenitet. 472. F. iure propterea lachrymas fundit. 393. F. eius poenitentis luctus descriptio. 441. B.
Anima iniusta, & peccatrix, vilis, & infamis. 400. C. Christi adultera. 135. A. 337. A. 391. C. 392. H. vitula lasciviens. 407. E. eius miserrima conditio varie descripta. 392. H. 393. F. 394. F. 396. E. 401. F. 404. E. 405. B. 408. G. 457. C. 465. A. 467. A. 470. A. 472. E. 482. E. 485. H. 492. E. eius finis. 395. G. clades multifarie descripta. 471. A. spectaculum funestum. 396. C. deformitas turpissima. 397. H. 399. B. 405. B. 469. D. 414. H. 402. G. 492. H. Daemoni similis. 469. D. & sterquilinio. 414. A. crudelitas. 466. C. excaecatio. 401. D. derelictio & desolatio, a Deo. 391. C. 392. H. 402. G. 405. B. 479. E. 494. C. & contemptus, & irrisio. 394. C. inopia, & miseria. 467. F. 405. B. 479. H. 480. A. insania. 470. E. infirmitas. 408. A. 416. A. inconstantia. 395. C. exagitatio, & dolor effraenis. 395. C. 405. E. 408. A. 435. B. inquietudo extra Deum. 395. C. questus, & imprecationes. 405. E. 408. G. 435. B. patre Deo orbata. 479. E. quando etiam matre Ecclesia? 479. E. Daemonis captiva, & depraedatio. 371. G. 393. C. 396. F. 399. F. 410. E. 434. B. 435. G. & sensuum, & adpetitus effraenis. 393. C. 398. A. eisque tributa rependit. 393. C. graviter peccasse animadvertit. 409. E. gravi poena angitur. 435. B. cur verba edere non possit? 467. B. qualium eius amicorum affluentia? 394. D. nihil est. 374. A. scopus irae Dei. 437. C. igni destinata. 405. C. 454. E. eius poenitentia commendata. 427. E.
Animae nonnullae praesides. 414. G.
Animarum directores, ambidextri esse debent. 268. D.
Animus, dolore inrequietus, & exasperatus. 42. G. 89. H. 99. F. Dei iussu sedatur. 191. G. aeternam requiem optat. 355. A. per poenitentiam renascitur. 70. H. eius impudentia carbone notanda. 127. C. excelsus labores non horret. 355. A. difficile reprimitur. 172. E.
Annus redemtionis notatus. 549. E. V. *Redemtio*.
Antiochus, & eius mala laetitia, & tragicus finis. 477. C.
Antiqui, eorum mores aliquot descripti. 9. H. 204. E. V. *enucleatius suis locis*.
Antistites degeneres notati. 479. G.
S. Antonius vir perfectus. 331. H. cultui memoriae addictus. V. B. eius conflictus. 318. A. a Constantino M. honore habitus. 393. B.
Anxietas descripta. 42. G. mors ei aliquando praeferenda. 45. G.
Apostoli adversitatibus probati. 25. H. imitandi, 530. B. quomodo Spiritum Sanctum receperint? 586. G.
Apparatus. Appensio. Appetitus. &c. V. *Adparatus. &c.*
Apparitiones. V. *Adparitiones*.
Aqua, & eius natura. 85. A. 287. C. 309. A. creatio. 188. A. proprietates, & significationes variae. 290. H. 291. A. 366. H. 367. D. 585. E. aequilibrium miraculo adscriptum. 139. F. adpensio, quid? 149. D. frigida, & eius significatio. 367. C. piscinarum. 337. F. necessaria in hortis. 287. A. nivea purior. 60. F. gratiam Dei notat. 290. H. & seq. & praesertim in baptismate. 314. D. 585. E.
Aquae Hesebon quiescentes. 515. A. adpensae, quid? 149. D. quid *praetereuntes*? 70. E.
Aquila, & eius proprietates, & significationes. 196. B. 476. A. velocitas comparata. 475. H.
Aquilo, locus excelsus. 292. B. ventus immitis. 291. H. quae eius figura in Scripturis? ibid. & 292. A. eius propretates. 291. H. & significatio. 580. C.
Arbor, succisa, & evulsa quî distinguatur? 108. F.
Arboris fructus descriptus. 247. D.
Arbor scientiae boni & mali, qualis fuerit? 247. B.
Architecti similitudo. 46. G.
Arctare gressus quid? 104. A.
Arcturus, quae stella. 54. C. 190. H.
Arena, ventis in Arabia exagitata. 53. C.
Areola, quid? & eius significatio. 310. B. 318. D.
Argentea propugnacula, quid? 371. A.
Argentum, quid? 238. E. eius & auri origo, species, nobilitas. 145. B. 465. B. significatio. 378. A. 600. A.
Argumentum a contrario. 119. D.
Ariditas spiritualis, & eius effectus. 302. G. 305. A. 432. C. 587. C. ei misericordia aeterna repromissa. 448. D.
Aromata, quid significent in Script.? 292. E.
Ars fossoris, & fusoris, eiusque antiquitas. 145. E. 362. G.
Artifices, eorumque mos. 64. A.
Ascensus montis, difficilis. 279. G. mysticus sponsae, eiusque causa. 360. D. 270. D. ab sponso dispositus. 270. D.
Aselli sylvestris natura. 69. F.
Asina Balaam. 436. D. V. *Balaam*.
Aspectus Principum benevolus. 154. F.
Aspis venenum inspuere dicitur. 115. F.
Assertа amicorum Iob erronea. 124. A. V. *Amici Iob. Iob*.
Astra matutina, quae dicta? 187. E.
Avaritia, opes perdit. 116. E. Idolorum servitus. 517. A.
Auctor, opera sua diligit. 63. H.
Aucupes, eorumque solertia. 457. F. dolus, quae figura? 457. F.
Audacia, eiusque gradus. 92. G. quando laudabilis, quando contemtibilis? 132. A.
Aversionis, & conversionis proportio. 347. C.
P. F. Augustinus a Regibus. VII. A.
Aula coelestis, quot cives, tot reges habet. 497. H. ideo a Davide expetita. 498. A. & a nobis expetenda. ibid. Dei domicilium. 418. B.
Avolare, quid? 321. A.
Aureum subsellium, quid mystice? 270. B.
Aureolae coelestes, earumque distinctio. 440. D. V. *Doctores. Martyres. Virgines*.
Aures internae, quae? 170. B. Dei, ad preces humilium intentae. 549. B.
Aurifices, eorumque mos. 334. B.
Aurora, eiusque significatio. 326. A. V. *Lux*.
Aurum, eius natura, proprietates, nobilitas, & origo. 145. B. 307. A. 352. F. 465. B. significatio. 238. A. 271. F. 464. H. 465. B. 575. B. Regiae maiestatis insigne. 311. B. obrizum quale, & unde dictum? 128. C. 307. A. Auri subsellium. 270. B.
Ausitis regio, ubi sita? 1. A. eius gentis indoles. 152. D.
Auster, qualis ventus? eiusque significatio. 292. D. 580 D.
Auxilium Dei efficax, eiusque ordo. 582. C. E.

B

Babylonici, leones adpellati. 435. E.
Balaam, eius votum. 536. G. eius asina. 436. D.
Baldad Rex Svetae urbis. 48. C. qualis homo? 69.

69. B. 89. F. eius inurbanitas. 48. C. error. 49. A. faſtus in diſceptando. 103. E. argumenta. 51. E. 52. C. 137. F. adhortatio Iobo facta. 49. A. 106. F. in Iobum accuſatio. 103. A. adclamatio in abſolutione ſermonis. 106. F.
Balneum ſanguinis Chriſti, Sacramenta. 519. E.
Balthaſaris mors. 494. G.
Baltheus, quid? 74. H. eius comparatio cum fune. 75. A.
Baptiſmus. 291. E. ſalutis ianua. 396. A.
P. F. Bartholomaeus a S. Franciſco. XXVIII. A.
Baſes, earumque ſimilitudo. 586. F.
Beati, eorumque domus, & ſedes, 263. D. 498. C. ſpiritus innumerabiles. 171. D.
Beatificatio S. M. Tereſiae. XXIII. A.
Beatitudo multiplex, & eius natura. 325. F. eius imago, 343. F.
Behemoth, quid? 197. H.
Bellarmini (Card. Roberti) amor in Ven. P. Iohannem, & reverentia. XVIII. C.
Bellum, eiuſque adparatus. 236. A.
Bene loqui in proſperis, facile. 36. C.
Benedicere pro maledicere, Script. familiare. 4. A. 12. H. 14. E. 418. H.
Beneficentiae divinae tres gradus. 64. H.
P. F. Bernardi a S. Ioſeph, virtutes. XV. C.
. . . . . a Reſurrectione, laudes. XIX. B.
Bether, qualis mons? eiuſque ſignificatio. 258. G. 259. B.
Binarii numeri ſignificatio. 377. H.
Bonitas divina, eiuſque characteres. 280. G. 426. B.
Bona fortunae cum ſpiritualibus comparata. 7. B. a viris piis deſpecta. 492. F.
Bonum, & pulchrum, an idem? 316. A. ex integra cauſſa. 444. D. in carne non habitat. 537. H. Bonum Reipublicae. 52. F. Synagogae, a Chriſto. 374. G. V. *Reſpubblica*. *Divitiae*, *Foelicitas*.
Bonus, ac fortis, quî exerceatur? 25. H.
Bonus Princeps, qualis? 152. F.
de Bonzi (Card.) XXVII. B.
Boreas, qualis ventus? 184. E.
Bos, quid deſignet? 36. E.
Botrus, quid? 94. C. 342. E. vinum praeſtantiſſimum gignit. 241. B.
Botrus, adpellatus Dilectus in Canticis. 568. A.
Brachia, eorumque multiplex in Script. ſignificatio. 105. C. 363. C. 598. G. quid Hebraice, 105. C.
Brevitas vitae. 43. D. orationis in adverſitate praeſcripta. 505. A.
Byſſinum, quid ſignificet? 286. A. 552. E.

C

CAecitas impii. 94. A. poſtremum ultionis divinae genus. 414. F. iuſtorum. 65. D.
Caeleſtis. Caelum. &c. V. *Coelum*. *Coeleſtis*.
Caeſar, ei tributa reddenda ex Chriſti praecepto. 525. G.
Caeſaries ſponſi. 321. E.
P. F. Caeſarii a S. Ioſeph, laudes. XV. B.
Cain a Deo ſignatus, & quali ſigno. 394. E.
Calamitas an culpae effectus? 30. C. 59. B. quae eius origo? 82. C. quî cognoſcatur? 405. B. Iobi multiplex, unde? 156. F. V. *Iob*. peccati, ineffabilis. 411. G. V. *Peccatum*. *Poena*.
Calli cordi inhaerentes, quomodo excidendi? 328. A.
Calor, divini amoris ſymbolum. 253. F.
Calvinus, eiuſque error. XXI. D.
Canales, quid? 339. G. lignei ab Italis uſitati. 340. F.
Cancelli, & feneſtrae, ad quid? 571. A.
Candor animi, virtutis argumentum. 246. A. divinitatis ſymbolum. 214. B.
Canis blandimenta. 525. B.
Cantici Canticorum liber explicatus. 217. & ſeqq. eius interpretes. 241. D. eius ſenſus. 561. n. VII. hexametris, & pentametris ſcriptum. 215. n. IV. epithalamium adpellatum, & cur? ibid. n. V.
Canticum Domini ſuaviſſimum. 492. B.
Caphura, eiuſque proprietas. 288. V. *Copher*.
Capilli, cur dolore urgente vulſi ab antiquis? 9. F. quid ſit eos pruinae, & guttis noctium exponere? 298. G. eorum criſpitudo, quid? 308. A. criſpi a propexis qui differant? ibid. eorum ſignificatio, 273. F. 576. C. gloria mulierum. 321. E.
Capra, quod animal? 250. F. 273. F. peccatoris imago, 321. G.
Caprea, eiuſque natura. 336. A. 570. G. 601. E. animal mundum. 336. A. 570. D. curſu & viſu pollens. 279. A. 336. C. 572. E. felle caret. 250. G. 570. D. quid ſignificet? 336. D. altero oculo aperto dormit. 379. H. 380. A.
Caput princeps corporis pars. 271. F. eius agitatio, quid notet? 424. E.
Caput Chriſti, Deus. 306. G. 584. G. mulieris vir. 270. H. ſponſae, ſponſus. 339. A.
Caricis & Iunci natura. 50. B.
Cardines maris, quî? 182. E
Caritas. Carus. v. *Charitas*, *Charus*.
Carmelitae Diſcalceati, eorumque ſimplicitas, & doctrina notata. VII. A.
Carmelus, duplex mons: 339. C. ubi ſiti? eorumque diſcrimen. ibid. mons ferax, & decorus, ibid. & 544. C. 594. C. Eliae habitatio. 339. A.
Carmeſini nomen, unde? 340. C.
Carmina prophana deſcripta. 494. C.
Caro edit omnia. 261. H. nocet. 517. C. eius mortificatio difficilis. 279. G. eius amor divinis contrarius. 302. E. eius generalis reſurrectio. 86. D. eius lex, rationi contraria. 359. E.
Carpus Cretenſis, quantae vir puritatis? 259. D.
Caſia, eius natura, proprietates, & ſignificatio. 206. G. 579. F.
Caſtigati a Deo opibus non efferuntur. 34. C.
Caſtitas, ad clariorem vocem conducit. 254. ampliori dilectioni Dei dignos facit. 523. B. eius premium. ibid. A. fatuarum virginum improbata. 302. A.
Caſtra, eorumque munus, finis, & a choris diſcrimen. 332. C.
Cataractae, quid ſint? 504. B.
Cauma, quid? 159. E.
Cauſa, pro culpa. 56. F.
Cedar filius Iſmaelis unde Saraceni. 229. H.
Cedrus eiuſque proprietates, & ſignificationes. 269. E. 314. G. electio, & incorruptio quid. 315. C. 361. E. materia non putreſcens. 568. E. ex eo Templum Salomonis extructum. 314. H.
Cellaria, quid myſtice? 227. E. cellaria duo. 226. H. vini, & unguenti receptacula. 227. D. alterum contemplationis, alterum intimi amoris. ibid. C.
Centenarium doctorum Eccleſiae duplex. 378. A
Ceroma, quid? 222. C.
Cervae, & earum partus deſcripti. 193. C.
Cervus, eius natura, & ſignificatio. 250. F. 501. D. eius dotes. 251. H. velocitas. 512. D. 513. C. mos alta potendi. 279. E. ſerpentes urit. 250. G. & fugat. 570. D.
Cetus, immanis bellua. 44. H. tyrannorum imago. ibid. quid myſtice? 199. H. 203. F. quare creatus? 200. H. eius pellis glabra. 201. E. formidinis expers, 203. D. ſuperbiae typus, & Daemonis. 203. F.
Chaldaei, eorum inruptio in camelos Iob 8. E. convicia, & blaſphemiae. 425. C. 426. E. 462 D. urſi adpellati. 435. E. eorum feritas, & furor. 461. D. 472. G. adloquutio figurata. 474. A. in Hebraeos perſequutio. 462. D. 475. F. incontinentia. 483. C. & libido praepoſtera. 484. B. & ironica interrogatio. 491. D.
Chaldaica Paraphraſis. V. *Paraphraſis Chaldaica*.
Chanaan Regum divitiae, ad Hebraeos translatae. 143. F.

Charitas, animae pulchritudo. 242. D. vera cum Deo amicitia. 242. D. numquam excidit. 244. D. regiae coronae symbolum. 271. E. virtutum omnium foecundissima. 244. D. & princeps. 464. F. & regina 270. B. 350. E. & decor. 280. G. & forma. 288. G. 337. B. virtutum altissima. 244. G. eius caput Christus. 244. G. ordinata, & fortis, quae? 247. H. 471. H. rarissima in hoc mundo societas. 264. E. aureum diadema. 271. D. eius nativus actus. 271. F. eius nexus cum Deo, sola culpa disrumpitur. 272. B. turri comparata. 278. B. eius dotes singulares. 278. C. 279. A. eius augmentum, sanctitatem adcrescit. 303. A. eius aetates notatae. 329. B. eius meritum. 464. G. in alias virtutes derivatum. 568. E. divortii, & adulterii nescia. 465. A. sedes Dei dicta. 575. B. eius natura. 599. C. qualis in initio? 349. E.
Charus, quale nomen? 394. C.
Chori, eorumque munia, & finis explicata. 332. D.
Christiani degeneres, increpantur. 1. B. eorum querimonia. 479. B. & meditatio, quae? 537. D. V. *Populus Christianus*.
Christus, id est unctus. 223. H. nomen adpellativum, non proprium. ibid. A. & dignitatis. ibid. etiam aliis a Iesu tributum. ibid. antonomastice ipsi soli convenit. ibid. verus Deus. 476. C. & Dei virtus, & sapientia ab aeterno. 535. B. 540. G. 551. G. candor lucis aeternae. 468. F. 521. F. splendor gloriae, & Unigenitus Patris, & figura substantiae eius. 533. G. eius pulchritudo, & bonitas. 521. F. 553. B. nobilitas, & alia eius adtributa. 552. C. eius misericordia ab utero Matris. 511. A. 513. A. Rex regum. 544. C. princeps, & Rex pacis. 521. G. 538. C. 540. G. 546. G. Emmanuel dictus. 546. G. sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 554. A. eius caput Deus. 306. G. 584. G. eius mater Virgines, & martyres a Deo afflicti. 58. C.
Christus, eiusque similitudo, & figura. 315. A. lapis angularis dictus. 370. F. sol splendidissimus. 393. F. 496. B. quomodo diem, ac noctem efficiat? 393. F. lux adpellatus. 454. F. panis vivus. 404. C. via, & cur? 405. D. Ecclesiae Sponsus. 417. C. vir antonomastice. 448. E. eius statura palmae adsimilata. 553. C. ubera mistice illi adficta, & quare? 220. B. 563. C. & cur vino meliora? ibid. 467. B.
Christus, salus nostra, & Salvator. 444. E. 530. F. & saluti nostrae intentus. 440. B. & pro nobis cum Diabolo conflixit. 416. B. domuit orbem ligno. 519. D. 524. C. pontifex noster factus. 522. E. 525. A. 546. A. amicus, frater, soror, pater, mater, & sponsus noster. 515. H. 521. E. 546. E. caput nostrum, & verus Salomon. 486. A. eius latus fons vivus. 512. A. magister, & Dominus. 524. A. primogenitus inter fratres. 537. F. eius erga praedestinatos affectus. 448. F. patronus noster. 500. A. & adiutor in tribulationibus. 519. A. eius pro Ecclesia deprecatio. 459. E. & ad Patrem adloquutiones 457. E. 458. F. 460. E. 462. G. 463. E. 464. A. & ad Apostolos. 502. H. & ad Virginem Gertrudem. 419. A. admonitiones eius. 512. B. & querimoniae. 513. B. omnibus omnia factus. 522. C. eius meritum, & satisfactio. 245. C. 377. F. eius divinitatis manifestatio. 245. C. finis legis. 401. H. 402. G.
Christus, spiritus vitae. 476. E. vita animae. 397. E. 477. A. eique melior mundi opibus. 392. G. eiusque princeps. 394. B. & finis. 402. G. & corona. 485. G. quam pretiosis vestibus exornat. 465. E. eiusque pulchritudine captus. 399. B. ab ea non recedit, nisi expellatur. 399. C. quomodo eius iactura defienda? 393. G. 394. A. virtus, & vita iustorum. 531. C. eius conversatio melle dulcior. 553. E. quemadmodum et eloquia. 535. C. vulnerant, & delectant. 513. D. sinceritate cordis delectatur. 530. E. orationis perseverantiam commendat. 456. G. eius iugum, quid pariat? 511. B.
Christus virgo, Virginisque filius. 523. A. eius opera numerata. 552. C. obedientia. 522. F. a Patre derelictus & percussus. 514. E. opprobrium hominum factus. 523. H. veste alba, & purpura indutus. 533. G. sceptro inrisus, & corona spinea redimitus. 361. C. 533. G. Barabbae postpositus. 533. H. de peccato accusatus, non revictus. 40. F. captus, & necatus propter peccata nostra. 476. F. substinuit crucem. 513. G. exemplar nostrum. 534. A. & maxime humilitatis. 446. E. 542. E. 555. A. ad inferos descendit. 458. B. eius sepultura, ibid. e limbo patrem invocat. 459. B. eius requies. 533. C. in fractione panis cognitus. 467. C. V. *Sponsus*.
Cincinni, quid significent? 298. F. 581. F.
Cinnamomum, quid significet? 290. A. 579. F. eius natura & proprietates. 579. G. vires, 289. G.
Circuire, quid sit? 260. B.
Circuli perfectio descripta. 249. E. significatio, 335. A.
Civitas vastata, luctuosum spectaculum. 33. G. captae civitatis imago. 428. D. Civitas Ecclesiae symbolum. 260. C.
Clemens VIII. P. M. reformationi religiosorum intentus IX. C. eius in nostros amor, cura, opera. ibid. pro missionibus studium. XVII. A.
P. F. Clemens a S. Maria, Calvini pronepos, eiusque laudes, & virtutes. XV. B.
Clementia, animam in ariditate relinquere. 409. G. Clementia Dei. V. *Deus*.
Clypei, arma defensiva. 277. E. quid arcane significent? 278. D. congruunt charitati. ibid.
Coccum, eiusque usus, & significatio. 275. F. 467. F.
Cocytus, quid? 123. F.
Coeli solidissimi reputati, & quare? 185. F. & incorruptibiles. 85. B.
Coelum, & terra, simul creata. 187. F. sedes Dei 139. E. 418. B. tabernaculum admirabile dictum. 502. F.
Coelestis aulae proprietas. 418. B. 497. H.
Coena nuptiarum agni. 502. G.
Caetus Prophetarum quomodo figuratus? 274. E. animarum, vineae dicti. 349. B.
Cogitatio nostra, quae? 551. A. cogitationes sponsae mysticae, quae? 274. E. 340. A.
Cogitavit, quomodo accipiendum? 420. A.
Collis, quomodo a monte differat? 251. E. collis thuris, quid? 279. H. quid, *Ante colles*? 89. C.
Collum, eiusque variae significationes. 277. G. 278. A. 336. G. 567. B. eius arteria. 277. G. & pulchritudo. ibid. C. quid recurvum? 237. E.
Color candidus, eiusque natura. 337. C. carnicinus. 306. C. purpureus, eiusque symbolum. 340. A. 575. C. marinus, sive coeruleus. 311. D. quid, & an in tenebris? 288. F. lux dicta 188. G.
Coloni, eorumque mos. 349. C.
Columba, eiusque natura, & variae significationes. 242. H. 308. H. 309. A. 571. F. 576. A. volatus. 253. C. & sinceritas. 571. D. nidificatio, ubi? 255. F. oculi quomodo a vulpis discreti? 243. A. animal simplex, & felle carens. 242. H. 568. C. eius statio iuxta aquas. 309. E.
Columbae Palestinae pulcherrimae. 585. C.
Columnae, earumque usus. 586. E. argenteatum arcana significatio. 269. H. 575. A.
Coma, eius natura, & significationes variae. 307. C. 322. A. 339. D. 340. G. 584. G. 594. E.
Lycia, qualis? 322. A.

Comedere, quid? 293. E. comedere panem, quid? 206. A.
Comediae, earumque ſtylus. 215. n. I. & quſa tragediis differat? 561. n. I.
Compatientis animi ſigna. 16. E.
Complexus Sponſi divini, eiuſque ſuavitas. 263. H.
Conatus, eiuſque ab effectu diſcrimen. 55. G.
Conceptus peccati. 94. E.
Conceptus ſermo difficile cohibetur. 25. A.
Concionatores quomodo ſe gerant in recens converſos? 356. B. deriſi, & cur? 437. G. 438. A. eorum ambitio. 423. B. & alia vitia notata. 424. A.
Concordia, idem ac oſculum. 219. B.
Concubinae, quae? 323. B. earum teſtimonium quale? 325. C. earum ſignificatio. 590. E.
Conditio mortalium. 122. D. V. *Homo*.
Confeſſarii munus, multiplex. 424. A. quale in recens converſos? 356. B. eorum abuſus. 424. C.
Confeſſio peccatorum. 171. G.
Confuſio, ruborem efficit. 51. H.
Congregatio, quid? 94. E.
Coniuges, poteſtatem corporis mutuo ſibi tradunt. 271. H.
Contraſores. V. *Corraſores*.
Conſanguinei, fratres dicti. 38. G.
Conſcientia faucia, qualis? 91. H. malae metus, 395. E. & accuſatio. 444. A. ſtimulus. 405. E. 480. D. 485. A. 547. H. nemini parcit. 412. C. actus intellectus. 429. G. vinea dicta. 542. F. foedata, Deum ultorem nequit evadere. 429. G. bona, & pacata, arx invicta. 164. F. iuge convivium. 485. A.
Conſervatio vitae omnibus aliis praecellit. 12. E.
Conſiliarii, eorumque vitia. 424. A.
Conſilium, reiicere lethalis morbi indicium. 34. H. aegris intempeſtivum. 78. D.
Conſortium malorum, prohibitum. 553. D.
Conſpuere, extrema ignominia. 96. G.
Conſtantia commendata. 532. C.
Conſtantinus M. Imp. S. Antonium honore habet. 393. B.
Conſtellationes, earumque effectus. 54. E.
Conſuetudo, altera natura. 37. C.
Contemplatio, quo loco, ac tempore facienda? 27. B. quare cella vinaria dicta? 247. F. 248. C. amore effervеſcit. ibid. oculis indicata. 457. A. eius a meditatione diſcrimen. 576. E. nemo ab ea temere avocandus. 250. E.
Contendere, quid? 52. F.
Converſio peccatoris, a Deo. 488. C. eius effectus. 563. A.
Convivia, vix abſque vitio. 3. H. 4. C. filiorum Iob, caſta & pura. 3. C. convivium Iethro. 481. B.
Copher, ſeu Caphura, qualis arbor? & cuius ſignificationis? 241. F.
Cor, eius natura, & actus. 412. A. principium vitae, fons arterarium, paſſionum ſedes, princeps corporis pars, & alia. ibid. membrorum potiſſimum. 397. E. eius ſedes inter ubera. 567. G. amantis habitatio. 378. E. eius ſignificationes. 496. D. 598. G. moraliter, qua ratione cuſtodiendum? 545. E. ſoli Deo ſacrandum. 403. D. 545. A. eius ſanitas a ſolo Deo. 423. C. eius fragilitas. 545. E. eius duritia. 552. H. amore nobilitatis facile trahitur. ibid. B. myſtice cor ſponſae, lectulum ſponſi. 265. H. & epiſtola quaedam. 362. F. & thuribulum. 531. D. & domus. 568. E. Regum, in manu Dei, 76. B. Samaritanae figuratum. 328. A.
Coralium, eius natura, & ſignificatio. 468. G. 469. A.
Corium, eiuſque ſignificatio. 333. C.
Cornua, ad pugnam data 253. H.
Cornuſtibii, quid. 206. G. nomen tertiae filiae Iobi. ibid.
Corporum reſurrectio. V. *Corpus*.
Corpus, ex qua materia concretum? 137. F. eius ornamentum, caput. 339. A. animi angoribus afficitur. 23. G. qualis animae carcer? 354. A. eius aequalis omnium ſors, non animae. 32. A. non ſemper in ſepulchro futurum. 112. E. eius generalis reſurrectio adſerta. 84. G. 449. A. quale reſurget? 85. H. eius glorificati dotes, 86. H.
Corona regalis, eiuſque deſcriptio. 271. F. varia pro meritis, in omnibus. 513. G.
Corraſores alienarum opum, qua poena affecti? 29. H.
Correptio a Deo, beatum efficit, & quare? 32. G. dulcis, feros etiam homines lenit. 285. E.
Corruptio ſenſuum. 420. F. optimi, peſſima, 472. F.
Cortex mali punici, quare abrumpatur? 322. G.
Corvus, eius crudelitas & voracitas. 192. E. quare pullos ſuos negligat? ibid. eius color 308. B.
Coxendices, quid? 334. C.
Crater tornatilis, quid? 334. G.
Creatio, ſolius Dei opus. 54. B. 185. E.
Creatura, haud Creatore innocentior. 27. H.
Creaturae omnes, quo poſſunt modo Creatorem adgnoſcunt, & confitentur. 73. C. a Deo trahuntur. 226. A.
Criminum deteſtatio, ſpem gignit. 441. F.
Crinis eiuſque natura, & ſignificationes variae. 283. C. 578. F.
Crocus, ebrietatis remedium. 289. C. eius vires, proprietates, ſignificationes. ibid. B. 579. F.
Crudelitas, fugienda. 553. E. eius ſupplicium. 536. H. & ſeq. nulla in Deo. 448. H.
Crura, eorumque munus. 312. H. debilitas. 475. E. ſignificationes. 313. A. 586. E.
Crux, eiuſque figura. 340. F. omnes ad ſe traxit populos. 375. E. eius ſignum, validiſſima armatura. 525. E.
Cryſtallum, ex qua materia generatum? 190. D.
Culpa, eius vilitas, & damna. 400. E. effectus 412. A. 486. C. turpitudo. 398. G. 419. C. nullam habere poteſt honeſtatem. 400. C. creſcit proportione luminis divini. 468. B. cum proximi culpa confligere, bellum miſerrimum. 440. C. Prima, deſpectum, & afflitionem animae gignit. ibid. hominem dementat, conrodit, & turbat. 484. G. culpae ſtatus. 361. E. eius gravitas explicata. 407. B. a Deo permiſſa, & quare? 458. H. ultionis cauſa, & incitamentum. 452. A. 484. C. igne ſempiterno digna. 451. E. & tamen ad menſuram non punita. 442. D. eam, non poenam. condonat Deus, & quare? 409. F. humilitatis incentivum. 421. C. eam exhorreſcere, puritatis argumentum. 37. H. difficultas ab ea reſurgendi. 458. D.
Cupiditas inexplebilis. 96. F.
Cupreſſus, eius natura, ſexus, proprietates, ſignificationes. 244. C. non putreſcens, 244. C. 568. E.
Curioſitas, eiuſque poena 299. E.
Cuſtodes lectuli Salomonis, quot? 266. D. hominum. V. *Angelus*.
Cutis, eiuſque pulchritudo, quid? 105. C.
Cyperus, & Cypirus, quid? & eius uſus. 567. H.
Cypri, quid? 288. E. V. *Caphura*.
Cyprus Inſula, vitibus percelebris. 567. H. eius vinum generoſum. 241. B. & uvae perfectiſſimae. 568. A. eius ſignificatio. 579. F.
Cyrus, & Darius, Babylonem debellarunt. 494. E.

D

DActyli, palmarum fructus. 307. E.
Daemon, ſerpens annoſus, & truculentus. 202. F. filius ſuperbiae, & ſagaciſſimus. 203. F. pec-

F. peccator antonomastice. 400. E. caput Iudae proditoris. 397. E. eius mystica descriptio. 202. D. marius, quae? 13. A. oculi, halitus, sternutamentum? 202. A. rugitus terrificus. 425. E. obduratum cor. 463. G. audacia, & invidentia. 5. C. 398. B. potentia. 202. H. 292. A. in hominem tamen divinae omnino ordinationi subiecta. 7. B. rabies multigena. 463. A. astus, nocendique cupiditas. 4. F. 232. A. 257. B. 399. D. 572. A. conatus in animam. 397. E. & exprobrationes. 491. E. Christum aemulatur. 358. B. eius tamen praeda. & triumphus. ibid. C. animae captura insolescit. 398. F. a Dei tamen cultoribus sauciatur. 200. quomodo a Deo discedere dictus? 7. E. eius in Iobum calumnia. 6. G. confidentia, & audacia. 7. A. C. rabies, & saevitia. 13. A. H. V. *Iob.*

Daemones, antiquum nomen. 565. G. ursis comparati. 435. G. Leones, & Lupi adpellati. 454. H. & aucupes. 457. F. vilissimi servi. 482. A. meridiani, qui? 268. F. eorum elatio unde? 424. F. & in Deum insania. 426. G. & blasphemiae. 462. A. versutia, & conatus in homines. 236. B. 457. G. 458. C. 461. B. 462. A. & saevitia. 413. E. 425. D. 426. G. 483. G. 494. B. a Deo coercita. 425. D. finis perversus in tentando. 461. B. exultatio. 419. E. cohortes inrumpentes. 458. G. iustorum hominum exercitatio. 477. H. per angelos bonos fracti. 236. B. postulant non extorquent voluntatem. 430. A. circa animam castrametantur. 433. H. in culpa principes. 482. A. sibi vindictam parant. 463. C. extremo iudicio damnandi. 464. B. 482. B.

Damasceni, eorumque significatio. 594. B.

Damascus Syriae metropolis. 338. B.

Damnati, an igne tantum torquentur? 135. D. eorum in Deum aversio. 123. H. eorum tormenta. 433. E. & suprema calamitas. 463. F.

Dare ad peccandum guttur, quid? 163. G.

Darius, & Cyrus Babylonem debellarunt. 494. E.

David Rex. 518. H. vir bellicosus. 277. D. eius ad Achim fugientis historia. 394. D. eius adulterium. 455. B. adloquutio. 471. E. confessio 532. F. humilitas. 539. D.

Decas, eiusque perfectio. 266. C.

Declinare, quid? 303. A. 317. C.

Delectatio spiritualis, carnalem vincit. 422. G.

Delectabilis visio, rerum possessio. 115. H.

Delirium, quid? 15. A.

Denarius, & millenarius numerus. 107. B. 306. E.

Dentes, quid mystice? 274. H. 322. C. 346. B. 576. E. 589. C. eorum pulchritudo. 274. G. & usus. 346. C. acuti, & ad sectionem idonei. 322. C. elephantini, eorunque candor. 337. B.

Depravatio iudicii. 526. A. & gustus animae. 480. H.

Deprecatio. V. *Oratio*.

Derelictio, dolorem auget. 394. A. an peccati argumentum? 330. A.

Desertum, eiusque descriptio. 264. D. terra maledicta, extra Ecclesiam adpellatum. 360. A.

Desiderium ab amore, & amoris extensio. 316. A. 495. H.

Desolatio Ierusalem descripta. 391. A. 415. B. 417. C. 428. G. 445. E. V. *Ierusalem*.

Desolatorum lamenta. 47. A. V. *Iustus. Lamenta. Vir.*

Despectus, eiusque signa. 90. A. in pietatem. 120. G. in Ecclesiasticos viros. 465. D.

Desperatio, eiusque remedia. 441. H. quale peccatum? 442. A.

Despicere pro liberalissime largiri. 368. H.

Desponsationis dies, mystice? 272. F. 575. E.

Detractores, eorumque ingenium. 110. D.

Deus actus vitae purissimus. 112. D. 395. B. & omnis vitae actus & finis. 499. D. 504. H. infinite perfectus, totiusque perfectionis complexio. 177. E. 182. B. 395. B. quare non solus. 264. D. summa maiestas ac celsitudo. 55. E. 140. H. 452. B. 459. C. 487. F. eius gaudia penitissima. 485. C. Lux purissima. 414. E. infinita sapientia, quem nihil latet. 52. G. 53. B. 539. G. 75. F. 147. A. 149. E. 408. B. 555. A. totius cognitionis auctor. 74. A. nec per oculos carnis cernit. 62. H. eius arcana obscura. 585. A. nec fallere nec falli potest. 77. F. cur tamen interroget? 5. D. quomodo decipere dicatur. 76. C. & inridere. 58. F. novit tempora omnia. 132. C. immensitas eius. 130. F. & potentia infinita, cui nihil resistit. 48. H. 52. G. 53. B. 54. B. 74. B. 138. E. 450. E. 551. G. & omnia facit. 15. G. & quae homines nequeunt 200. D. cuius opera miranda & inscrutabilia. 31. B. 186. A. 187. A. 463. B. 552. C. a quo omnis paternitas. 539. C. eius dominatio. 55. E. 395. F. 552. F. non veretur personam principum. 174. G. providentia adserta, & demonstrata, 30. F. 57. A. 74. E. 83. B. 174. A. 450. D. qua etiam mala in bonum dirigit. 157. B. 450. B. & ipsis animalibus providet. 192. B. concursus eius ad actus humanos. 450. B. immutabilis. 11. G. cui nihil ex hominum actibus novi adcedit. 177. E. & tamen cur, commoveri, & poenitere dicatur? 11. H. 205. F. ineffabilis. 218. B. 449. C. & quomodo humani affectus illi tributi. 108. H. incomprehensibilis. 68. H. summe bonus, sibi, nobisque. 83. A. 134. C. 180. B. 280. G. 395. B. 426. B. 520. H. 540. A. culpam odit. 62. H. 452. A. 456. G. & cur eam permittat? 59. A. 450. D. 451. A. 468. H. & cur Adae peccatum? 450. E. charitas ipsa est. 575. C. & suprema iustitia. 172. H. 179. C. F. 410. A. 437. C. 449. E. 481. D. 484. C. arx dicta. 433. G. vindex in malos. 56. F. 122. B. 470. H. 471. C. & zelotes. 365. A. 450. A. 452. A. *non tamen* crudelis. 448. H. quin & mitius pro meritis punit. 301. A. 442. C. 449. F. nec sine caussa. 56. G. supremus omnium Iudex, & explorator. 35. E. 47. C. 48. H. 51. G. 61. B. 80. A. 86. E. 108. A. 131. C. 174. C. 197. B. 451. H. aequus & incorruptus. 397. G. 410. A. 499. G. 451. B. 462. C. insontes non damnat. 450. A. 462. C. nec respicit personam cuiusque. 453. C. 542. G. etiam iustitias iudicabit. 408. B. nec iudicium invertet. 174. C. 453. C. eius ad iudicandum adventus. 118. A. eius ab humano iudicio discrimen. 452. A. clementissimus. 49. C. 65. E. 205. B. 447. E. 449. F. 451. D. 454. A. 477. H. 505. B. summe, & multumodis misericors. 425. F. 442. B. 447. G. 448. A. D. 512. H. 519. C. miserendi occasiones captat. 171. F. liberalis & munificus. 49. E. 436. G. 448. B.

Deus quantum ab homine discernatur? 63. A. 376. A. 459. G. quomodo a Moyse descriptus? 415. F. varia eius symbola. 184. H. 265. E. 432. F. 436. G. 460. B. 462. B. & mores. 460. B. quomodo cum Iobo? 151. D. 186. H. quomodo cum eo loquutus. 187. E. 192. G. & eius sermones carpens. 197. A. E. in eum & amicos sententiam dicit. 204. G. eius custodia a Iobo expetita. 150. E.

Deus naturam umanam adsumpsit. 306. C. iustorum conditor. 374. B. salutis humanae instaurator. 413. G. quam in omnes homines vult. 512. H. eius erga creaturas amor. 225. D. 549. B. 551. D. & in populum iudaicum. 419. A. & in sponsam animam. 419. B. 432. G. 479. C. 521. G. 588. E. eius in eam intimus inlapsus. 582. B. & suavissima praesentia. 217. D. 219. F. 480. A. cum ea quomodo quasi misceatur? 217. C. & eam dulcissime adloquatur? 27. G. 169. H. 455. D. et eam excolat? 406. C. & amice complectatur? 481. B. 570. E. & in ea veluti in thalamo requiescat? 580. H. eius sedes, centrum, & domici-

micilium. 6. D. 395. A. 399. A. 401. C. & decor, lux, ornatus. 398. F. 399. A. 432. F. custos & propugnator. 6. F. 38. F. 432. G. ab ea exoptatus. 588. C. & quando conceptus? 263. C. in tyronibus infans. 596. D. & adcommodatus. 564. H. cur eam aliquando congelare sinat? 184. E.
Deus iustos, ac peccatores in hac vita divexat & cur? 36. D. 57. A. 58. B. 450. D 453. D. 472. D. afflictos non neglit, sed experitur. 58. F. & quidem manu forti, & mascula virtute. 437. E. 480. A. & expresso decreto. 419. H. & quam diverse a Lucifero? 413. A. idem in prosperis, & adversis. 15. A. 450. F. afflictae animae expensor, & liberator. 411. G. adiutor in opportunitatibus, in tribulationibus. 460. C. humili propitius. 523. F. creaturae non oblivisciturr. 316. E. 440. F. licet aliquando non exaudiat. 261. C. 405. G. derelictorum auxilium, & asylum. 32. D. 72. C. 474. F. sua gratia adiuvat, & couroborat. 400. F. 488. C. & lacte alit recens conversos. 350. B. in patria praeceptor & quies. 357. A. 498. C.
Deus peccatoribus infensus. 395. F. 432. H. quemadmodum olim Ierosolymae. 415. H. 418. F. 425. H. quam delere statuit. 419. E. quomodo adcedat, recedatve ab impiis? 127. C. quare eos in hoc vita non puniat? 178. F. quin & daemonem reprimat? 201. A.
Deus infinitio honore dignus, & colendus. 396. F. 442. D. non corde tantum, sed etiam externo cultu. 452. C. & super omnia diligendus. 517. A. 538. F. 555. D. & id quidem dulce, & honorificum est. 545. D. 547. D. nec munera despicit exigua. 545. G. etiam dum irascitur. 442. E. 471. C. 472. E. illi soli fidendum. 405. G. eius iudicium formidandum. 81. G. iugum humiliter ferendum. 444. H. illi minime repugnandum. 53. B. 453. A. 530. A. clementia Imploranda. 49. C. & pro peccatis propitianda. 205. B. animae intime loquens, quomodo audiendus? 27. G. eius memoria, & presentia quam utilis animae? 10. F. 402. G. 493. E. 537. E. 541. D. lumini prophetico comparata. 420. G. non tamen humana consolatione expetenda a perfectis. 583. H.
Dextera, & eius significationes. 86. D. 249. F. 358. G. Gladio apta. 268. C.
Diabolus, eius superbia, & vis. 5. E. Iobi accusator. 6. A. V. *Daemon. Hostes Animae.*
Diadema, quid? 575. F.
Dies quando pleni? 94. B. perditionis, & furoris. 123. B. Desponsationis mysticae. 272. B. afflictionis. 400. B.
Diffidentia cavenda. 546. B.
Digiti, eorum carentia deformis. 301. H. eorum discretio notata. 301. H. eorum significatio. 582. G.
Dignitas Sacerdotalis. 543. F. V. *Sacerdos. Rex.*
Dilectio Dei, qualis? & quam fortis? 225. E. 363. F. 545. F. 555. B. eius victoria. 363. G. proximi, plenitudo legis. 322. D. eius praeceptum. 525. H. Ionathae in David. 439. F. V. *Charitas.*
Dilectus mysticus in Canticis, quis? 306. B. eius variae adpellationes. ibid. & 568. A. 580. E.
Diluculum, quid? 46. F.
P. F. Dionysius a Matre Dei, eiusque laudes. XV. B.
Directores animarum, quales esse debeant? 268. D. grave ipsis monitum. 48. A.
Dirigere cor, quid? 174. B.
Discessus, amantibus mors. 490. C. V. *Deus Peccator.*
Discipulae sponsae: quando dormiant? 347. A.
Discretio spirituum. 338. C.
Disputantes, eorumque vitia. 126. E.
Disputare cum Deo, quid? 76. G.
Dives, eiusque abiectio. 100. D. raro corripitur. 123. D. eius funera. 123. E.
Divitiae, avaritia dilatantur. 116. E. post mortem in aliam vitam non asportantur. 122. A. quid eas devorare? 115. E.
Divitis Epulonis historia. 116. E.
Divortium dolorem parit. 490. E.
Doctores, eorumque munus. 575. E. 583. C. adloquutiones, & adhortationes. 271. C. 575. E.
Doctores Ecclesiae, eius custodes. 375. F. eius excubitores dicti. 573. E. vigiles adpellati. 261. E. eorum munia. 261. F. amicorum nota decorati. 581. B. interdum visitati. 359. A. eorum luctus. 396. A. admirationes, & adloquutiones. 264. A. 574. D. aureola. 378. A. 440. D. 601. A.
Doctrina, caelestis, quemodo acquirenda? 285. C. eius vis. 346. G. parvulis, potus & esca. 342. G. eius meditatio. 346. B.
Dogmata sponsi coelestis, argento simillima. 371. B. V. *Sponsus.*
Dolentes, eorumque agitatio. 84. A. mos. ibid. B. affectus. 67. D. V. *Afflicti. Iob*
Dolor, sermone lenitur. 79. F. eius effectus. ibid. H. & 170. G. spem parit. 441. G. animae a solo Deo temperari potest. 423. D. de peccatis imperfectus, attrictio dictus, & quanti valeat in Sacramento Penitentiae? 360. F.
P. F. Dominicus a Praesentatione, eiusque munera. IV. C. VII. A.
. . . . . A Iesu Maria laudatus, VIII. B, X. B. XXII. A.
Domus coelestis Ierusalem mystice. 356. C. sponsae mystice clausa. 582. B. cordis, Deus. 498. D. Dei nihil speciosius. 478. H.
Dona spiritus sancti. 222. D.
Dorcas, eiusque dotes. 251. H.
Dormire, ubi periculosum? 528. H.
Dotes. V. *Anima. Homo.* &c.
Ducentesimus, & huius numeri significatio. 601. A. duri designatio. 365. C.

E

EBrietas, eius effectus. 297. A. mentis & corporis, eiusque discrimen. 346. H. natura, & significationes. 96. H. 337. A. 346. H. 438. E.
Ecclesia magna, ubi sita? 534. B. eius patrimonium Deus. 443. B. sponsus Christus Iesus. 216. n. XIII. 426. F. 515. B. a Synagoga discrimen. 375. C. a Cristo vite propagata. 374. G. eius decor, in suis Praefulidus. 398. E. figura. 315. A. coma, quae dicta? 274. C. lunae comparata. 487. C. & vinae, & quomodo a Christo culta, & a nobis colenda? 360. A. 374. E. sion adpellata. 368. E. 541. F. & locus excelsus. 360. A. & paradisus amoenissimus. 360. A. & quae in ea novae plantae introductae? 375. G. & civitas. 260. C. eius substantia, quae? 368. E. eius doctrina. 421. G. pastores struthonibus adsimiliati. 466. B. & doctores vigiles dicti. 261. E. & excubitores, qui? 573. D. V. *Doctores.* & filii & populi multi. 360. A. 375. D. 446. C. eorumque mos. 345. E. eius membra in duo lumina distincta. 326. G. & eorum unanimitas. 533. B. auxilium a Principibus. 409. C. asylum. 444. A. descriptio. 404. G. 433. B. status, & conditio varia. 411. E. 414. C. 416. A. F. 420. D. 422. D. 466. G. 467. E. luctus, agones, & persecutiones. 260. F. 391. B. 393. E. 394. G. 399. H. 402. A. 404. G. 409. C. 415. B. 432. F. 445. A. 448. C. G. 449. G. 469. G. 481. H. 484. B. 485. B. viduitas. 391. B. 393. E. adhortationes, & preces. 404. H. 413. D. 435. H. 478. B. 488. B. F. adloquutiones, & questus notata. 405. H. 406. H. 407.

H. 407. G. 408. E. 410. B. G. 412. F. 413. D. 428. B. 429. E. 430. B. 431. D. 432. A. 433. G. 434. C. 436. F. 439. D. 454. D.
Eccleſiaſtici, & eorum deſpectus. 465. D. 483. F. vitia. 404. A. 464. G. 541. G. voluptuoſis horrenda ſupplicia incuſſa. 437. B. primorum laudes. 541. F.
Ecſtaſis, ad intellectum pertinet. 359. C. ſomnus adpellata. 331. E. amoris divini effectus. 415. E. amantibus familiaris. 570. B. ſponſae, qualis? 250. B. V. *Sponſa*.
Effectus amoris. 439. F. V. *Amor*.
Elatae, quid? 344. A.
Elatae, quid? 307. C. F. & eius ſignificatio. 584. H.
Electio, aut gratia, aut natura. 306. E.
Eleemoſina, eiuſque fructus. 6. E.
Elephas, animal clemens, & caſtum. 198. F. 336. F. 337. A. quid myſtice? 198. B. cur *principium viarum* dictus? 198. D. eius captura. 199. C. Dentes. 337. B.
P. F. Elias a S. Martino Ord. Generalis. VII. D.
Eliphaz Themanites, eiuſque exordium in Iobum. 24. D. qualis homo? 66. B. an Iobo natu major? 89. F. iniquus dictus. 97. A. & falſiloquus. 96. A. eius revelatio, qualis, & an vera? 26. G. 27. A. H. contemplationi dedicus. 27. C. eius & ſociorum errores. 25. G. 35. B. 125. A. in Deum blaſphemiae. 126. E. & ad Deum deprecationes. 30. G. excandeſcentia. 88. G. promiſſiones. 34. F. 128. G. doctrina vera, ſed in Iobum importuna. 31. G. & ſeq. 28. C. 29. B. 30. H. 90. G. 129. C. argumenta contra divinam providentiam. 28. A. 30. B. 31. C. & in Iobum, & in eum convicia, & exprobrationes. 24. G. 25. C. 28. B. G. 29. A. H. 30. B. E. 31. A. 89. B. 90. D. 125. C. F. 126. D. 491. H. conſilia, & admonitiones. 28. H. 31. F. 32. E. 89. H. 91. C. 127. G. ſecundum certamen. 88. D.
P. F. Eliſeus a S. Ioſeph, eiuſque virtutes, & munia. IX. B. corporis integritas. ibid.
Eliu, eiuſque Patria, genus, natura, aetas, ingenium. 165. G. 166. D. religio. 182. E. 184. B. doctrina rerum naturalium, & eloquentia. 182. H. 183. A. 186. G. contemplatio. 183. H. loquacitas. 167. F. 179. C. faſtus, & adrogantia. 172. E. 176. D. 186. G. zelus. 166. E. dogmata propoſita. 171. D. benevolentia, & adtentio aliorum captata. 168. C. 172. E. errores in controverſia propoſita. 173. E. 175. E. 176. F. 177. A. C. 179. A. C. 180. D. 181. B. 186. G. argumenta, & cuius roboris? 169. C. 182. B. in Iobum inriſiones, obloquutiones, & calumniae, & conſilia. 172. H. 174. E. 176 C. 177. A. 178. A. 179. A. 180. D. 181. B G. 185. E. H. promiſſa. 167. B. validus propugnator. 166. H. quomodo orationem claudat? 186. H. an ſacrificio amicorum interfuerit? 205. D.
Eloquium, eiuſque a facundia diſcrimen. 276. A.
Emiſſiones, quid? 288. B.
Energumeni, eorumque vexatio comparata. 461. F.
Engaddi, Iudeae locus. 568. A.
Enſis fulgur. 117. C.
Epiſcopatus, & eius bonum. 542. A. non ad divitias, & honores. 530. G.
Epiſcopus, & eius munia. 542. C. Eccleſiae ſponſus. 376. D.
Epulonis Evangelici hiſtoria. 116. E.
Equi reſides. 599. G.
Equus, & eius natura. 195. B. 236. A. 566. A. proprietates. 195. B. 235. G. 236. G. 237. D. deſcriptio. 195. C. 236. A. myſtica ſignificatio. 195. E. 236. G. 566. F.
Eremus, quales in eo deliciae? 359. H.
Errores Dei providentiae adverſi. 41. A. V. *Baldad. Eliphaz. Eliu, & Sophar*.
Errores, pueritiae, & adoleſcentiae minus graves. 484. D.
Erubeſcentes elingues. 276. F.
Eſdras ſacrorum Codicum reſtaurator. V. C.
Eſebon, nomen adpellativum. 337. E. ubi ſita? 593. G. V. *Aquae Heſebon*.
Eva, Adae caro. 315. A. cum Adam ſub malo corrupta. 598. E.
Euchariſtia eximium donum. 368. G. tota Chriſti ſubſtantia. ibid. E. eius abſtinentia infauſta. 483. B.
Eufrates, qua excurrat? 491. A.
Excidium Ieroſolymitanum. 413. B.
Excubitores Eccleſiae, qui? 573. D.
Exemplar ſequendum. 534. A.
Exemplum terribile. 468. C.
Exercitia ſpiritus pro tyronibus. XII. C.
Exercitus, eiuſque mos. 332. E. eius bona diſpoſitio, magna victoriae pars. 432. H. moenia mobilia dictus. 433. F. Angelorum innumerabilis. 137. C. Chaldaeorum in Templum Ieroſolymitanum. 403. A.
Exinanirl, quid in ſacris ſcript.? 224. B.
Experientia optima malorum interpres. 17. C.
Eſterni geſtus, quid in oratione valeant? 452. E.
Extimoratus; eiuſque vitium. 38. E.
Extrema gaudii luctus occupat. 50. E.

F

Facere pro ornare, ac perficere. 272. A.
Facies, quid myſtice? 256. C. facies indumenti, quid? 201. C. *Faciem avertere*, quid? 218. H. 256. C. & *abſcondere*. 80. F. conſcientiae indicium. 128. H.
Facile, quid a quo agatur? 249. E. 570. A.
Fames, eiuſque effectus, & exitus. 105. A. 469. H. 470. A. vitae index. 233. C. gladio atrocior. 469. H. quo minus urget, eo mors vicinior. 233. C. homines anthropophagos facit. 470. E. fame interire miſerrimum. 469. G.
Faſtus Phariſaicus. 473. F. humilitate proculcandus. 516. G.
Fatuae virgines. 302. A. V. *Virgines*.
Fauces, quid? 41. E.
Favus, eiuſque artificium. 284. B.
Femur, eiuſque ſignificatio, cum phyſica, tum moralis. 262. F. 333. G. 334. C. 592. G.
Feneſtrae cancellatae deſcriptae. 252. B.
Fera, Magdalena cur dicta? 406. F. V. *Magdalena*.
Ferae, earumque ſaevitia. 491. F. nobiles, & ignobiles, quae? ibid.
Ferculum, quid ſit? 268. H. eius conſtructio. 269. G. tabernaculum, & tabernaculi foederis figura. 269. B. 270. E.
P. F. Ferdinandus a S. Maria, eiuſque virtutes, encomia, & munera. IV. B. XVII. D. XVIII. A.
Feſta coeleſtia ex peccatorum reſipiſcentia, & Tartarea ex juſtorum ruina. 419. E.
Feſti dies, atque profeſti. 429. F.
Ficus, eiuſque ſignificatio. 571. E.
Fideles, eorumque coetus vinea dictus. 600. E. quomodo ab Apoſtolo adpellati? 422. B.
Fides catholica, eiuſque definitio. 514. C. captu humano altior. 380. E. oculus dicta. 578. E. adulterium neſcit. 336. F. caritate formata in collo expreſſa myſtice. 336. G. ſine illa, obnubilata. 337. B. eius exercitium commendatum. 520. D.
Fiducia humana, eiuſque imago. 474. H. divitis impii, quae? 105. E. divinae, quale adiutorium? 443. G. V. *Spes*.
Fieri in capite, & *in caudam*, Hebraice, quid? 397. D.
Figura huius mundi fluxilis. 514. H.
Filia Sion inclyta, quae myſtice? 465. F.
Filiae, quae? earumque ſignificatio. 245. G. 325. B. 457. C. 569. A. 590. E.
Filiae Aegyptiorum, earumque in Ioſeph pulchritudinem admiratio. 271. D.
Filiae Edom, earumque ſignificatio. 495. B.

Filiae Ierusalem, quae? 229. D. 250. C. 270. H. & seq. 359. G. 569. F. earum adloquutio varia. 229. D. 305. G. 317. A. 360. C. 584. B. 598. A.
Filiae Sion, quae? 271. C.
Filii, qui? 232. E. 409. B. iniquitatum parentum aemulatores. 29. F. poenas pro parentibus luunt. 481. E. eorum mors, quale infortunium? 9. B.
Filii Adae, eorumque stultitia, & crudelitas. 521. C. 528. D. 514. E. Filiorum hominum mendacia. 515. F.
Filii Dei, qui? 187. E. eorum spiritalis procreatio. 334. B. eorum libertas. 545. C.
Filii Ecclesiae. 480. C.
Filii huius, saeculi prudentiores filiis lucis. 456. G. 527. B.
Filius sapiens, gloria patris. XIII. A.
Filius Dei electus naturalis. 306. E.
Filius prodigus, eiusque parabola. 7. F. 353. G. 441. E.
Finis beatae vitae, qualis? 499. D. praedicationis, proximorum salus. 440. A.
Fistula, quid? physice, & mystice? 289. D.
Flagitia, eorumque effectus. 26. B.
Flagitiosi, quare non semper in hac vita puniti? 132. E. eorum in viros pios conatus. ibid. H.
Flammae volatiles, quid? 365. G.
Flores, & Flos, quid? 286. F. 329. A. eorum usus aegrotis. 248. F. & variae significationes. 329. B. 568. G. 571. G. 591. C.
Flumina, eorumque significationes. 367. E. 580. A.
Foelicitas huius vitae, male fulta. 114. E. vera, quae? 247. C. unde oriatur? 498. G. qualis in domo Dei? 500. F.
Foemina pulchra, & comta, eiusque imago, & arcana significatio. 256. G. 333. B. H.
Foetus abortivus, eiusque fors. 22. E.
Fontes in viridariis, quid? 287. A.
Fons, eiusque figura. 290. G. salubris, quomodo custodiendus? 287. B. duplex mystice ex latere Christi. 313. H. 314. C. aquae salientis in vitam aeternam, qui? 291. C. 469. E.
Foramen, quid? 300. A.
Formido spiritualis, eiusque origo. 416. C.
Fortes, qui? 266. E. 267. C.
Fortitudo, eiusque excellentia. 19. B. eius laus. 525. D. 540. C. eius, & prudentiae simul explicatio. 140. A. eius cum mortis voto conciliatio. 38. C.
Fortuna, ex ea quale argumentum? 124. D.
Fossor metallorum. 145. E.
Fraenum, quid? 156. B.
Fragilitas cordis humani. 545. E.
Fragmen mali punici, quid? 276. E.
P. F. Franciscus a S. Anna, eiusque laudes. VIII. C.
. . . . . a Iesu, virtutes, & officia. XIV. C.
. . . . . a SS. Sacramento, eiusque munera. X. B.
Fratres &, sorores consanguinei dicti. 206. A. simul habitare debent. 353. F.
Fremitus, quid? 96. D.
Frigus, eiusque figura. 253. F. & effectus. 303. F.
Frons extensa, quid? 338. F. turri comparata. ibid. G.
Fructus, quid? 293. D. agricolarum praemium. 293. C. ultimus in planta. 376. E. eius variae significationes. 581. C. palmae. 595. A. mali punici. 350. F. timoris Divini. 441. D. Paradisi terrestris fructus, quales creati? 287. H.
Fulgur, prius tonitru. 183. F.
Fundamentum, eiusque significatio. 494. C. spei quale? 459. F.
Funditores Gabaa. 436. H.
Funiculum, eiusque significatio varia. 276. B. 420. A.
Funis, & balthei comparatio. 75. A. eius significatio. 179. G.
Fur, eiusque solertia. 81. G. & comparatio. 133. B. Fures suspicari, opulentiae argumentum. 2. B.
Furor, eiusque effectus. 96. C. V. *Ira*.
Fusores metallorum. 145. E. numismatum. 362. G.

G

GAbaa, eiusque habitatores quales? 268. D. V. *Funditores*.
Galaad qualis mons, & ubi situs? 273. F. 576. C. eius ubertas. ibid.
Gemma, quid? 349. F. eius eruptio. 350. A. & significatio. 572. A.
Gemelli, duo ameris actus dicti. 275. D.
Genae, earumque natura, & usus. 276. E. 310. A. constructio. 585. F. significatio. 310. A. 585. G. ruber, eiusque indicium. 236. H. 276. C. in sponsa mystica, quales? 322. G.
Generatio casta, quae? 523. A. similaris in animantibus. 373. B. humani corporis, quae? 64. G.
Generosus vir, & eius ab ignavo discrimen. 40. C.
Genitrix sponsae mysticae, quae? 590. B. Christi, eiusque forma. 554. F.
Gentes, propagatione augentur. 75. H.
Gentiles, eorumque peccata in Ecclesiam transfusa. 541. F.
Genus humanum, incultarum arborum sylva. 246. D.
Glacies, eiusque generatio. 190. D.
Gladius, femori cinctus, quid? 268. D. quid gladius spiritus? 267. D.
Glarea, quid? 123. F.
Gloria mulieris, coma. 321. E. Ecclesiae, quando? 376. E. crucis Christi, quae? 516. H.
Gracilitas corporis, eiusque mystica significatio. 483. A.
Grando, & nix, arma Dei. 189. G.
Gratia Divina, eiusque a natura discrimen. 534. G. reddita homini. 171. G. quando in iustificatione infundatur? 219. F. ad eam praeparatio, quae? 217. C. eius, & caritatis effectus. 280. F initium beatae vitae. 499. D. vim incorruptionis tribuit. 315. A naturam erudit. 320. E. eius status firmissimus, & quare? 401. B. 471. G. eius maiestas. 286. B. incertitudo, & eius utilitas. 55. B. 57. E. H. eius abundantia proportione praeteritae culpae. 590. F. gratia originalis Adae. 565. E.
Gratulatio, eiusque signa. 206. B.
Gravitas, hilaritate temperanda. 154. E.
Greges haedorum, quid? 235. D.
Gregorius de Valentia Iesuita. XVII. in Adnot.
Gressus, quid? eiusque similitudo. 86. F. 104. A.
Gudiellus (D. Augustinus.) XXIII. A.
Gulielmus, D. Bernardum honore excipit. 393. B.
Gurgustium, quid? 200. C.
Guttur, eiusque variae comparationes. 345. G. 346. A. dare guttur ad peccandum, quid? 163. G. eiusque usus. 346. C.
Gyara, & Seriphus insulae. 395. G.

H

HAbenae, mystice quid? 238. A.
Habitus, difficile mobilis. 254. C. virtutum, eorumque symbola. 254. A. 294. E.
Haedi, eorumque significatio. 566. D. eorum greges, quid? 235. D.
Haereditas filiorum Dei. 538. F. impii, quae? 105. B.
Haereses, earumque origo. 400. H. & seq.
Haeretici, efferati Ecclesiae hostes, eorumque errores varii notati. 403. B. 473. E. conciliabula. 463. A. irrisiones. 400. A. divitiae ex spo-

ſpoliis Chriſtianorum. 397. C. Iobi hiſtoriam reſpuunt. 1. A.
Halitus, corporis conſtitutionis index. 315. E. 344. H. eius e naribus effuſio. 345. C. cervi, eiuſque vis. 250. G. myſticus, qualis? 315. F. 345. G.
Harmonia in iuſtitiae progreſſu. 300. E.
Haſta Dei, quid, & qualis? 437. F.
Hebraei, eorumque mores. 215. n. II. 580. E. ſtatus inluſtris, & unde? 472. E. exules, eorumque adloquutio. 489. G. & ſpes. 474. E. Deum colentes, invicti. 413. B.
Hebraicae litterae, cur Lamentationum verſibus praefixae, & variae de hac re opiniones. 388. n. I.
Hebraicus Textus. V. *Textus Hebraicus*.
Hebraiſmus notatus. 499. B.
Helias Galaadites, eiuſque deſcriptio. 274. A. Monacorum, & continenter viventium auctor, & exemplar. ibid. & 260. C. eius habitatio in Carmelo. 339. A.
P. F. Henricus a S. Nicolao, eiuſque encomia. XV. C.
Hepar, delectationis ſedes. 421. F. & triſtitiae. 422. A.
Herinaceus, eiuſque proprietas, & ſignificatio. 420. B.
Hermon, & Amana, quales montes, & ubi? 281. E. Hermon & Sanir, idem mons. 281. E. variae de illo ſententiae. ibid. in eo Leones & Pardi, & eius ſignificatio, 578. A.
Hermoniorum montium ſitus. 504. A.
Hero Monachus, memoriae cultor. V. B.
Heva, communis parens, & peccati occaſio. 82. C. 137. F. eius peccatum, mortis origo, 526. F. caſus deſcriptus. 399. D.
Heſebon. V. *Eſebon*.
S. Hieronymus eiuſque oratio. 456. F.
Hieremia. V. *Iremias*.
Hieruſalem. V. *Ieruſalem*.
P. F. Hilarion a S. Ioanne Baptiſta, XXV. D.
Hinnulus, eiuſque natura. 336. D. 570. G. 601. E. proprietates. 279. C. 336. E. curſus velocitas. 380. F. 572. E. 577. D. habitatio. 572. E. ſignificationes. 279. E. 336. D.
P. F. Hippolitus a Sanctis, eiuſque virtutes & munera. XIII. B.
Hircus, eiuſque ſignificationes, 235. D.
Homines, filii doloris dicti. 362. B. amore divino praeſtantes. 570. D. ideo recti. 229. B. proni ad malum. 517. E. ignari, quomodo erudiendi? 348. E. mundi bona admirantes. 369. B. tumentes, eorumque poena. 75. D. caritatis expertes, quibus ſimiles? 264. F. eorum claritas unde? 417. E. levitas. 29. E. 472. A. aegeſtas. 479. H. ingratitudo. 520. C. 525. B. 541. B. ambitio. 516. F. 519. A. pavor in tenebris. 53. G. 433. C. vita brevis. 82. D. internis ſtimulis duri. 351. B.
Homo, animal ſociale. 38. D. 391. D. eius origo. 82. C. 64. D. G. 374. A. cur rectus creatus? 515. A. arbor inverſa. 307. F. vita brevis. 82. H. 512. B. E. fragilis, & inconſtans. 46. D. 80. G. 82. C. 594. E. ad laborem natus. 30. D. & nudus. 10. C. peccato abnoxius. 30. G. 91. A. & ſuperbiae. 430. E. primaeva eius conditio, & felicitas. 407. B. Angelis antepoſitus. 546. E. omnia diſcernere poterat. 420. H. veram felicitatem expetit, 497. B. Divinae naturae per gratiam particeps. 316. G. eius duplex pars explicata. 17. H. 46. F. quae, & qualis inferior, & quomodo compeſcatur? XI. A. 188. C. malis ſapientior effectus, 413. A. nihil abſque Dei auxilio poteſt. 218. H. 226. A. 445. C. 474. E. nullus abſque aliquo bono. 260. H. nullius tamen boni gloriari poteſt. 52. B. 124. F. ſuae gratiae ſtatus ignarus. 55. D. infelix. 82. E. 108. C. & plantis inferior. 84. B. ex qua materia formatus? 10. C. iugo indiget. 445. C. & utiliter a Deo probatur. ibid. & 131. E. 545. H. eius iuſtitia. 42. E. nulla, comparatione Dei. 138. B. flori ſimilis. 82. F. *veterem hominem exuere*, prima Chriſti. lex. 234. G.
Honor, virtuti debitus. 119. B.
Horae ad orandum opportuniores. 442. H.
Horatius. 303. G. 310. F. 373. H. 406. B. 445. B.
Horrendum incidere in manus Dei viventis. 532. E.
Horti Principum, & eorum deſcriptio. 286. E. metaphorici, & eorum variae ſignificationes. 378. C. 379. A. 587. G.
Hortus myſticus, 580. E. & eius ſeptus. 286. G. eius ſignificationes. V. *Horti*.
Hoſtes animae Daemones. 397. E. vis illis in eam permiſſa, 409. G. eorum opulentia. 397. F. exprobrationes. 502. B. carcer ſempiternus. 477. H. laetitia tartarea. 412. E.
Humilis quis, quis excelſus? 343. B.
Humilitas, & eius origo. 446. D. quomodo comparata & ſignificata? 56. C. & commendata? 516. F. a Chriſto docta. 523. G. minime deſpecta. 538. E. quo praemio cumulata? 539. A.
Hoſtes Eccleſiae, qui? & eorum in eam conjuratio. 408. E. 454. H. 483. E.
Humerus, & eius uſus, 278. A.
Huſitae, quales populi? 1. B.
Hyacinthus qualis flos, & unde hoc nomen? 311. C. D. 586. B. eius a vaccinio diſcrimen. 586. B.
Hyems, eiuſque ſignificatio. 571. G.
Hypocrita, & Hypocriſis, quale vitium? eiuſque deſcriptio. 113. G. 164. D. 473. F. eius deſperanda correptio. 473. G.
Hypoſtaſis, quale nomen? & cuius ſignificationis? 504. B. adſumtae a Verbo naturae, ceu caput & radix. 306. G. 307. E. 314. A. V. *Incarnatio*.

I

IAcob Iſrael adpellatus, & quare? 266. E. 538. B. ſalutare Dei expectavit. 444. E. in exilium pulſus. 539. F.
P. F. Iacobus a S. Vincentio. XIV. A.
Iactantia fugienda. 538. F.
Ibices, quid? 193. B.
Idololatrie ſceleſus, punitum. 399. G. ſervitus quae? 517. A.
Idumaei, conditione ſervi. 481. G. poſteri Eſau. 493. G. Chaldaeis foederati. 477. C. eorum invaſiones. 482. E. & ſignificationes. ibid. & 477. B.
Iebuſaei, quid arcane? 277. E.
Iecur, concupiſcentiae ſedes, & amoris. 421. G. & ſeq.
Ieſus nomen Auguſtiſſimum, Salvator ſonat. 223. A. H. V. *Nomen Ieſu*.
Ietro eiuſque convivium. 481. B.
Ieremias, & eius laudes. 373. D. humilitas. 430. E. amor in proximum. ibid. F. in cives ſuos. 439. D. in Deum. ibid. haereditas quae? 443. B. fletus amariſſimus, & maeror. 439. E. 441. G. 453. H. 455. F. 456. B. 476. B. adloquutiones, & deprecationes, deſcriptae. 402. A. 428. C. 439. B. D. H. 440. E. & ſeqq. 445. D. 447. H. 451. G. 452. F. 460. B. 464. H. 472. A. 476. H. 477. G. 478. B. 484. E. 487. E. G. & ſeq. cur deriſus? 437. G.
Ieroſolyma, eiuſque excidium a Deo decretum. 419. E. eius peccatis effectum. 415. H. multimodis deſcriptum. 416. H. ſtatus miſerrimus. 411. E. V. *Ieruſalem*.
Ieroſolymitani, eorumque infelicitas. 454. G. & poenitentia. 421. A. fame vexati. 482. G. eorum adloquutiones, & quaerimoniae. 459. B. 460. E. 461. A. 462. G. 479. F. 488. A.
Ieruſalem deſcripta. 495. F. & eius ſtatus. 409. C. 444.

C. 444. F. & in Chaldaeam adſportatio. 407. F. 410. A. deſolatio. 391. A. 414. C. 415. B. 417. C. 428. G. 445. E. 470. H. abiectio. 454. C. fames. 403. H. 410. F. culpa punita, & eius gravitas. 425. H. 467. H. 472. C. & maxime ſacerdotum eius. 410. F. 472. C. inconſtantia. 400. G. moeroris origo. 436. A. foedus cum Aegyptiis & Aſſyris. 410. F. 480. G. inexpugnabilis credita. 471. G. ludibrio expoſita. 400. G. eius filiae, quae? 305. A. eius filii patribus ſimillimi. 481. F. Arae a Deo ſubverſae. 418. F. adloquutiones, & querimoniae. 404. G. 406. G. 407. F. 408. E. 410. A. 412. E. 413. C. 428. *ad* 436. *ſaepe*. 475. B.
Ieruſalem coeleſtis deſcripta. 516. A. mater noſtra adpellata. 263. C. 324. E. 355. G. & domus Matris ſponſae. 356. C.
Iezabel, & eius laetitia. 477. C. & tragicus finis. ibid.
P. F. Ignatius a S. Iohanne. XIV. C.
Ignavia, a quiete diſtincta & abiicienda. 572. F. H.
Ignis Dei, quid? 8. C. & quid myſtice. 265. B. 275. D. tartareus, & a noſtro quomodo diſtinctus? 117. E.
Ignorantia, excuſatione digna. 522. A.
Ignoto Deo Ara erecta. 515. D.
Illiberalitas ingenii in filiis concubinarum. 110. B.
Imbecillitas humana, eiuſque cognitio. 421. C.
Imber myſtice, quid? 253. H. ſerotinus, qualis? 154. D.
Immiſſio Spiritus Sancti in hominem, quando? 219. A.
Immutatio, quid? 85. H.
Imperatorum Ethnicorum in Eccleſiam perſequutio. 475. G.
Imperium aureum, argenteum, &c. 516. G.
Impii, & eorum pars. 536. D. & figura. 50. H. 51. A. & fundamenta, quae? 51. B. 127. A. eorum caeca deceptio. 121. E. crudelitas, & inhumanitas. 133. F. & barbara voluptas. 50. E. 133. H. inſolentia. 92. G. 101. B. inexplebilis nocendi cupiditas. 94. F. timor 92. E. 104. G. 319. H. felicitas momentanea, vera calamitas. 121. D. & pauperies temporalis. 51. E. 93. D. & eorum familiae infoecunditas. 94. E. inopinata mors. 116. D. & poſt mortem aeternus cruciatus 106. G. vaſa irae dicti. 536. B. temporales magis quam aeternas paenas timent. 134. F. & illas aliquando, non tamen has effugiunt. 429. G. cur honorati, & fortunati? 119. A. 123. A. cur in hac vita proſperati? 106. G. 123. A. licet non ſemper. 117. G. 121. A. nec ſemper puniti. 118. C.
Impius, & eius deſcriptio. 91. H. & bonorum expoliatio. 51. C. imprudentia. 104. B. inconſtantia. 135. B. cupiditas inexplebilis. 116. C. fluxiles divitiae. 143. B. ruina formidabilis. 106. F. optanda mors. 116. G. omnibus exoſus. 136. B. ſuis conatibus captos. 104. D. eius primus accuſator, propria conſcientia. 429. G.
Implere ſtomachum ardore, quid? 88. E.
Imprecandi mala conſuetudo, apud quos? 20. H.
Imprecatio, quid? 105. A.
Immodeſtia altercandi. 77. E.
In animabus noſtris, quid? 482. E.
Inauris, quid? & ubi a viris etiam uſitata? 206. B.
Incarnationis myſterium. 312. G. 546. D. quomodo a Patribus adpellatum? 306. C. G. quid ſit? 307. A. 354. C. quid in eo hypoſtaſis? 306. G. quid manus torno fabrefactae? 310. H.
Inceſſus, lubricus quale indicium? 475. C.
Incipientes, quam multi? 323. H. eorum via, non ita ardua ſicut proficientium. 590. B.
Inconſtantia, & eius origo. 406. C. 532. A. odio habita. 401. E. eius remedium 532. B.
Incontinentia, & eius vitium. 483. C. turpior in locis ſacris. ibid. E.
Increpationis cauſa duplex. 32. G.
Indignatio, quid? 100. G.
Infantes, a matribus cocti. 470. C.
Inferior hominis pars, quae? 496. E.
Infernus, quid? 85. C. quid hebraice? 120. C. pro ſepulchro. 102. E. eius poena culpis aequata. 116. A.
Ingenium inliberale quale? 110. B. amantium. 368. A.
Innocens, & eius ſecuritas, unde? 33. F. 62. D.
Innocentia, quomodo a probitate, & iuſtitia diſcreta? 11. F.
Innocentius VI. P. M. XX. C.
Inobedientes, Luciferi diſcipuli. 522. G.
Inobedientia, quale peccatum? 522. G. 596. G.
Inopes, & eorum miſeria. 133. D.
Inopia viris iuſtis, haud pudenda. 72. G. communis iuſtis, & peccatoribus. 73. A.
Inſignia nobilitatis, quae? 552. C.
Inſipientes, & eorum conſilia reſpuenda. 543. D.
Inſpirationes, a Deo. 455. D. illis obtemperandum. 529. H.
Inſtillatio, quid? 301. G.
Intellectus, pro intelligentia. 74. A. potiſſima hominis pars. 429. G. oculus dictus. 308. F. & venter. 335. H. & ſeq. 411. H. & uterus. 334. F. & crater. ibid. G. & acervus tritici. 335. F. & cellarium. 227. F. & ſacerdos, & quare. 396. G. & oſculum, & quando? 354. C. in patria, Deum intime adtingit. ibid.
Interitus, quid? 160. C.
Interpretes Septuaginta. V. *Septuaginta Interpretes*.
Invidus, & eius mala adfectio. 397. F.
Ioannes. V. *Iohannes*.
Iob, & eius hiſtoria deſcripta. 1. & ſeqq. 491. G. qualis vir? 1. D. ſeipſum exponit. 192. E. princeps, vel rex. 2. F. 154. H. locupletiſſimus, & genere, & *nomine* clarus. 2. F. 152. E. & magis poſt, quam ante calamitatem. 206. D. ſapientiſſimus omnium Orientalium. 2. F. & maxime in rebus divinis. 112. B. 140. G. & huius ſapientiae argumenta in diſputatione cum amicis. 10. A. 19. C. 35. C. E. 36. E. 55. H. 58. B. H. 65. E. G. 66. E. 72. G. 73. F. 77. D. 83. D. 107. G. 122. E. 132. E. 142. F. 158. G. *& ſaepe in eo libro*. ſermone eloquentiſſimus. 68. C. 140. F. 147. G. ſacerdos, eiuſque ſacrificia deſcripta. 3. E. politicae, & oeconomicae artis peritiſſimus, 3. F. 40. C. eius proſperitatis varius ſtatus. & adparatus. 2. E. 72. F. eius familiae, & filiorum facies, qualis? 28. E. quales illi nuncii? 7. H. & ſeq. amicis ſecum diſputantibus probabilius natu maior. 89. F. in proſperis, quae eius vita? 80. B. & an peccaverit unquam, & que eius culpae? 80. B. 35. F. 81. C. 86. G. 107. D. 142. A. nunquam idololatra. 163. C. falſa illi crimina obiecta. 60. B. 65. H. 80. B. 100. C. quo ſenſu diei ſuae maledixerit? & aliae eius in calamitate imprecationes. 17. A. 18. F. 78. E. 135. F. 160. G. 162. D. & quomodo mortem obpetat? 37. D. 42. D. 44. C. 46. A. 67. A. 83. H. & priſtinum felicitatis ſtatum. 150. D. eius luctuoſa calamitas varie deſcripta. 21. D. 24. A. 36. H. 43. A. 45. G. 96. F. 156. F. 157. B. morte funeſtior. 45. G. ab eo profunde expenſa. 158. D. & ab aliis in proverbium uſque adducta. 100. E. 156. A. H. quo ulcere percuſſus? 13. D. & qui caeteri eius morbi multiplices? 23. F. 36. C. 47. A. 57. A. 110. A. F. in ſterquilinium proiectus. 13. E. ab omnibus derelictus. 13. E. 36. A. 38. D. 39. F. 41. B. 109. E. etiam interna luce orbatus. 151. G. 505. E. an a ſe, vel a civibus civitate expulſus? 13. E. tentatus, & ſaeviſſime probatus a Daemone. 6. G. 7. A C. 12. A. 13. A. 425. E. & ab uxore. 14. A. G. eiuſque ad eam admonitio. 15. A.

15. A. ab amicis incitatus, 25. E. a plebe inrisus. 100. E. 153. A. consputus, 96. G. 156. A. leoni turpiter comparatus, 26. F. eius luctuosa imago, 96. A. & alia eius symbola. 43. H. 72. E. 157. G. eius doloris signa. 9. F. Deum adpellat, 99. A. 124. H. 204. B. & variae eius deprecationes, 48, A. 47. H. 61. H. & seqq. 82. C. 83. G. 86. F. H. 87. A. 101. D. 150. D. eius vota, quae? 165. E. lamenta, & intimae secum, & cum amicis conquestiones. 39. D. 45. A. 60. A. 65. F. 66. B. 80. H. 81. B. 95. A. 97. C. E. F. G. 98. B. 101. F. 102. B. 107. A. 109. E. 123. H. 130. F. 151. A. D. 156. D. 157. E. 159. A. eius mira constantia, & magnanimitas in adversis. 9. E. 10. C. 11. B. 14 E. 16. H. 17. D. 33. C. 44. E. 60. E. 61. B. 68. E. 78. H. 79. F. 98. E. 100. H. 101. E. 110. A. 141. D. 154. H. incorrupta iustitia, & vitae sanctimonia. 1. D. 2. A. 10. G. 11. E. 47. C. 68. D. 94. F. 131. D. 141. F. 142. B. 153. A. 160. G. 161. F. 207. B. pietas & religio insignis in Deum. 3. G. 4. D. 37. F. 61. A. 65. C. 151. C. 162. E. & firmissima spes. 56. G. 79. B. & humilis perfectaque in eum submissio. 9. G. 56. B. 72. C. 191. C. 530. H. modestia, & mansuetudo. 54. G. 155. C. 159. G. 526. F. animi puritas, & ingenuitas. 35. H. 52. C. 196. F. unde & suae iustitiae confessio, & defensio. 71. H. 141. G. castimonia. 159. H. 161. B. divitiarum contemtus, & liberalitas. 2. G. 3. A. 162. B. 164. B. charitas, & misericordia in pauperes. 152. G. 162. C. prudentia in familiae & regni regimine. 2. A. 3. D. 161. E. perseverantia in bono. 4. D. Christi crucifixi vivissima imago, 3. G. 39. G. 60. B. 71. C. 97. A. 109. F. 156. A. & iustorum afflictorum. 37. A. eius mystica vestimenta, quae? 152. H. 157. F. eius de futura resurrectione, & de extremo iudicio propugnata sententia. 112. B. 113. E. eius vaticinium. 78. A. laudes, & historia propugnata. 1. B. 5. G. quando sanitati restitutus? 205. G. quando mortuus, & ubi sepultus? 207. B. quot annos vixerit? 207. A. eius filii, & filiae, eorumque dotes. 3. C. 206. H. eius amici, & eorum errores; 124. A. & vana promissa. 102. E. V. *Amici Iob*,

Ven. P. Fr. Iohannes a Iesu Maria. I. A. ejus vita ibid. & seqq. Patria ibid. ortus & infantia. ibid. quo Christi anno? ibid. ejus parentum dotes. ibid. & II. B. in matre gravida miraculum. ibid. B. partus absque dolore. ibid. ejus materterae visum ac vaticinium. ibid. C. Puer Sancto Francisco devotus. ibid. C. ejus pueritia & adolescentia. II. A. ejus miseratio in pauperes. ibid. ejus aequitas. ibid. B. ingenium, & puerilia studia. ibid. majoribus disciplinis incumbit. ibid. C. ejus Religiosa vocatio. III. A. Pastranae habitum induit. ibid. tyrocinium agit. ibid. ejus constantia. ibid. & rerum domesticarum contemtus. ibid. C. ejus Genuam adventus. IV. B. primus Carmeliticae Reformationis per Italiam propagator, ibid. studiis scholasticis incumbit, ibid. C. memoria ab eo culta & commendata. V. A. ejus in S. Scripturam reverentia. ibid. C. & in S. Thomae scripta. ibid. ejus diligens exercitiorum distributio. ibid. D. oratio studiis ab eo praemissa. ibid. adhuc iuvenis Discretus eligitur. VI. B. Sacerdotio initiatur, ibid. eximia ejus devotio in sacro faciendo. ibid. C. Cremonam proficiscitur, & cur? VII. A. eius publicae concertationes laudatissimae. ibid. B. modestia. ibid. Congregationis a Calceatis divisio illi debita. ibid. C. Genuam revertitur. ibid. & Novitiis praeficitur. ibid. D. clariores ejus Novitii, Genuae, VIII. & seqq. Romae. X. B. XIII. B. Romam vocatus. IX. D. quartum de non ambiendo votum primus emisit. ibid. eius Cantici Canticorum duplex Interpretatio. X. A. 211. 559. Romae Novitiis praeficitur. X. B. & Novitiorum magistri adiutor sit. ibid. iterum Magister factus Romae. ibid. ejus adiutores, ibid. ejus regiminis & institutionis forma. ibid. C. Novitiorum ejus fervor & praxis virtutum. ibid. D. ejus insigniores virtutes. XI. A. C. quae Novitios doceret. ibid. D. XII. A. Novitiorum Instrutio ab eo scripta. ibid. Italice versa, & a quo? ibid. quotque aliis idiomatibus? ibid. ejus in Novitiorum progressu artificiosa sollicitudo. ibid. & suavitas. ibid. B. varii ejus docendi modi ad vivum expressi. ibid. spiritualia. exercitia ab eo corporalibus mista. ibid. C. lupos arcebat. ibid. D. celebriores alii ejus Novitii. XIII. B. XIV. A. XV. A. XVI. A. a viris Principibus de spiritu consulitur. XVI. B. duorum Cardinalium director. XVI. B. Librum *de Schola Iesu Christi* scribit. ibid. in quaestionibus de Auxiliis divinae gratiae a Pontifice consultus, ibid. D. & a Cardinalibus. ibid. Nota. 2. humilitatis ejus artificium, ibid. scribit pro missionibus. XVII. B. primo Congregationis Generali Capitulo interfuit. ibid. D. secundus Definitor Generalis eligitur. XVIII. A. *Institutionem Novitiorum, & Magistri* quando evulgavit? ibid. & seq. delicata eius corporis complexio. ibid. & animi virtus. ibid. C. ejus vitae austeritas. ibid. D. monastica observantia & oratio. XI. B. XIX. A. studium variaque eius opera scripta. ibid. Liber *de Prudentia Iustorum*. ibid. B. *& Interpretatio in Threnos Ieremiae*. ibid. C. Lector factus. ibid. D. morborum ejus pertinacia. ibid. D. Cathedram abdicare cogitur, quibusque exercitiis vacet? XX. A. ejus oratio pro studiorum initio. ibid. erga D. Thomae doctrinam affectus. ibid. & in illius laudem habitae ab eo Orationes. XXI. A. & Instructiones pro studiosis absentibus. ibid. Procurator Generalis eligitur. XXII. C. ejus labores ac diligentia. ibid. Beatificationem S. M. Teresiae promovet. ibid. D. ejus vitae compendium scribit, & evulgat, & quando? ibid. officia propria sanctorum Ordinis obtinet. XXIII. A. aliaque plura providet. ibid. ariditate spiritus, & tentationibus afflictus. ibid. C. ariditatis ejus duplex causa. XXIV. A. ejus pugnandi modus, ibid. ac Divinae voluntati resignatio, ibid. & constantia, ibid. Praepositus Generalis electus. XXV. A. eius in hoc regimine virtutes, ibid. & praesertim amor, & suavitas. ibid. in Constitutionem Ordinis derivata. ibid. Fratrum sub eo profectus, ibid. D. eius dolor & odium lapsuum. XXVI. A. eiusque vigilantia in idoneos operarios. ibid. B. aliorum talenta iuvat ac promovet. ibid. C. eius studium in Congregatione propaganda. ibid. D. *Stimulus Compunctionis* alter ab eo evulgatus. XXVII. B. Monasteria ab eo erecta. ibid. C. eius in missiones sollicitudo. XXVIII. A. librum de *Disciplina Monastica* scribit. ibid. B. mortis suae vaticinium. ibid. eius solitudinis ardor. ibid. C. saepe ad S. Silvestri recessum pergit. ibid. *Viale contemplationis* ab eo dictum, & cur? XXIX. A. praecipua veneratione habitum. ibid. B. mira ejus obedientia. ibid. C. & paupertatis amor, ibid. eius in Superiores obsequium. ibid. D. & in morbis virtutes. XXX. A. aequanimitatis & patientiae cultor, ibid. eximia eius gratitudo. ibid. B. spes ac desiderium beatitudinis. ibid. aeternae foelicitatis figura ab eo descripta. ibid. varia divini amoris exercitia ab eo excogitata, ibid. C. Respirationis, & Inspirationis exercitium quale? ibid. rerum temporalium abdicatio. ibid. atque patiendi studium. ibid. eius salutis animarum zelus. ibid. ac puritas intentionis. ibid. D. aliaeque virtutes eximiae. ibid. & seq. in Dei praesentia adsiduus. XXXI. A. mortis suae vaticinium repetitum. ibid. B. morti proximus Ven. P. F. Dominicum a Iesu Maria postulat. ibid.

extre-

extremis Sacramentis reficitur. ibid. obit. ibid. sepelitur. ibid. C. Gloria ornatus adparet praedicto P. Dominico. ibid. & Sanctimoniali. ibid. alia eius insignis adparitio. ibid. D. eius corpus incorruptionis dote ornatum describitur. XXXII. A. illud biennio post mortem P. Dominicus a Iesu Maria Praepositus Generalis invisit. ibid. iterum post viginti annos visitur. ibid. C. elogium a Patribus Tusculanis illi positum. ibid. Operum ejus catalogus. XXXIII. C. eius adloquutiones, & deprecationes. 271. E. 380. H. 381. A. 489. A. 555. D. 556. A. quibus Bibliis usus? 215. n. X.
P. F. Iohannes Maria a S. Ioseph, eiusque virtutes. XIV. C.
. . . . . Augustinus a S. Angelo, eius munia & laudes. XIV. C.
. . . . . ab Adsumtione, & eius encomia. XIV. A.
. . . . . Petrus ab Adsumtione eius elogium. XIV. B.
. . . . . a S. Hieronymo, eius commendatio. VI. B.
Ionas, eiusque fuga a Deo praepedita. 435. C. a bellua absertus. 459 C.
Iordanis origo, unde? 291. D. 580. A.
Ioseph, eiusque in illum fratrum invidia. 455. A. eius exilium. 539. F.
Ven. P. F Ioseph a S. Gabriele, eiusque virtutes. X. B.
Ira cum moderamine susceptа, quando virtus? 338 E. repressa vires adquirit. 477 H.
Ira Dei, & eius effectus. 116. H. 416. G. timenda. 433. A. in Ecclesiam. 435. E.
P. F. Iraeneus a S. Petro, eiusque virtutes. XV. B.
Ismael, & eius filius Cedar. 229. H.
Ismaelitae, & eorum genus. 565. D.
Israel, irati Dei recessum moerens. 408. H. quare repulsus? 536. A.
Iudaei, purpurarii. 340. D. cantores & poetae clarissimi. 491. C. eorum in deserto caedes. 399. G. Christo, & Christiano nomini infesti. 461. A. 462. D. Daemonibus comparati. 476. E. V. *Populus Iudaicus*.
Iudas proditor. 476. E. 548. G. eius vigilantia in malum. 527. B.
Iudex sedulus, quis? 153. B. veneratio illi debita. 152. B.
Iudices Babilonii, eorumque mors. 74. G.
Iudicia, ubi olim exercerentur? 29. F.
Iudicium, quid? 172. H. divini & humani discrimen. 57. C. 63. E. 452. A. divinum adsertum. 113. A. timendum. 518. C. particulare. 83 C. universale, & eius rigor. 85. F. 86. F. & locus. 518. C.
Iugum Christi suave. 480. E 547. F.
Iunci, & Caricis descriptio. 50. B.
Iuniperus, eiusque radix, quale esculentum? 155. E.
Iuramentum, & eius forma. 570. E.
Iuvenalis. 15. G. 369. G. 405. E. 494. F.
Iuventus, & eius flos. 500. A. bonis moribus imbuenda 445. B.
Iusti, & eorum nota, quae? 536. B. & figura? 39. G. eorum vita. 319. G. & sermo. 275. A. pulchritudo mirabilis. ibid. E. cor & manus. 301. D. studium & sapientia. 537. F. vigilantia, & in seipsos reflexio. 362. E. 529. B. prudentia. 529. B. 533. G. pax vera. 538. C. libertas. 319. G. conatus sanguine Christi ascendentes. 360. G. fructus. 350. C. quaedam aeternae felicitatis praelibatio. 332. G. 360. B. quando formidabiles, & terribiles? 320. A. afflictionibus & aerumnis a Deo varie vexati, & probati, & cur? 13. B. 23. E. 35. H. 43. E. 59. A. 260. B. 374 E. 450. B. 534. C. 535. H. 536. A. 539. F. 573. F. & derelicti. 154. A. & ab inexpertis magistris male habiti. 48. F. eorum ab impatientibus discrimen. 38. A. tamen Deo in modicis repugnant. 53. A. eorum lamenta. 60. B. 63. A. & anxietas. 58. A. 108. G. & vota, & suspiria. 501. E. 594. A. & moeror. 37. C. & laetitia. 127. E. & mors iucunda, 23 C. & quoad corpus cum impiis aequalis. 122. E.
Iustificatio, veluti quaedam creatio. 374. A. eius expetitio. 62. E.
Iustitia, qualis virtus? 229. A. eius symbolum. 350. C. peccato prorsus adversa, & repugnans. 81. C. caritate formari debet. 229. B. toto corde diligenda. 525. G. in proficientibus aliquando languens. 573. A. in mortalibus velut sordes. 124. G. eius gradus, & discrimina. 350. G. ab Eliu adserta in disputatione cum Iobo. 173. G.
Iustitia, Mundi basis. 313. B. vindex Principum in scelestos. 436. H.
Iustus, & peccator a Deo torquentur, & quam diverse. 58. B. V. *Iusti. Impii*. eius sapientia. 530. G. laetitia in adversis. ibid. zelus. 101. B. perseverantia. ibid. C. modestia in Deum. 52. F. mare spatiosum navigat. 504. D.

L

Labia, quid? 275. E. 284. B. pro ore posita. 346. A. eorum usus. 346. C. rubra venustatem addunt. 576 G. eorum significatio. 310. D.
Labor, & anxietas corpus enervant. 301. F. 432. A. modico labori aeterna requies. 536. E. nemo ab eo immunis. 59. D.
Lac, & eius natura, & proprietates. 309. A. F. quibus cum melle congruat, vel ab eo differat? 284. H. 285. B. vino melius ac praeferendum. 220. D. 564. A. fragrans. 222. E. eius significationes. 220. E. 351. A. 563. C. arcanum collyrium. 309. F.
Lachrymae, & earum fructus, abundantia, & efficacia. 275. A. 393. G. 456. A. verborum loco sunt. 408. G. 427. A.
Lachrymae Ierusalem. 393. D. V. *Ierusalem*.
Laetitia iustorum, & impiorum. V. *Iusti. Impii*.
Laeva, antiquis dextera honoratior, & quare? 358. E. eius significationes. 570. A. 597. E. 598. B.
Lamentationes Ieremiae, quando compositae? & *caetera ad hanc rem pertinentia*, vide. 388. & seq.
Lamiae, earumque varia nomina, & de illis fabulosa commenta. 466. F.
Lampas, quid? 365. G. 367. F.
Languor, unde? 249. C.
Lapis angularis, quid? 187. D.
Lapides caliginis, quid? 145. G.
Lapsus Angelorum & hominum, eiusque discrimen. 313. E. animae iustae lugendus. 392. F. V. *Angeli. Anima*.
Laqueus, quid? 125. G.
Largitio opes auget. 116. E.
Laricis natura. 244. F.
Latebrae Daemonum. 338. C.
Latrones Dei, qui? & quare sic dicti? 109. B.
Latus dexterum, in amplexu sinistro respondet. 358. F. Christi, fons vivus. 512. A.
Lavacrum, quid? & eius virtus. 322. D.
Lavare pedes butyro, quid? 151. E.
Laus, divinae Sapientiae. 188. B. virtutis, Deo grata. 591. A. vulgi, spernenda? 590. D. in ore proprio indecens. 57. E. 592. D. impiorum in statu florenti. 113. G. humana sono evanescens. 550. A. sponsi coelestis. 315. A. & sponsae. 326. A. 352. G.
Lautitia, eiusque mali effectus. 93. C.
Leaena, qualis bellua? 66. C. praedae cupidissima 146. G. eius cura erga partus suos. 192 C.
Lectulus, & eius ornamenta, eorumque significationes. 243. E.

Lectus, & nox, quid? 259. G. eius cuſtodes myſtice. 266. C.
Leo animal generoſum, nobile, impavidum. 41. B. 192. C. 491. F. caeterorum rex. 192. C. urſo terribilior, & fortior. 435. H. ſubiugatis facile parcit. 491. F.
Leones, homines crudeles dicti. 281. F.
Leones Poeni, generoſiſſimi. 568. A.
P. F. Leonis a S. Paullo, inſignis humilitas. XIV. D. XV. A.
Levamen moeroris inculpatum. 44. E.
Leviathan, qualis beſtia? 20. H. & eius proprietates. ibid. 199. G. 200. F. 202. B. quid ſignificet? 21. A. 199. G.
Levitas animi deſcripta. 401. E.
Lex Dei, & Chriſti, eiuſque ſanctitas, & ſuavitas. 131. A. 513. E. 535. G. primum eius mandatum. 551. C. a lege mundi, & carnis longe diſſita, & adverſa. 446. H. 540. D. connubii, quae? 110. A.
Libanus mons, eius ſitus, & deſcriptio. 281. A. 313. G. 314. A. 577. H. eius fertilitas, 281. A. 577. H. 586. G. eius ſignificationes. 269. E. 281. B. 314. A. 578. B.
Liberalitas Dei, & Chriſti. 376. B. 552. G.
Liberi ſuaviter inſtituendi. 3. F.
Ligna ex terrae humore aluntur. 290. A.
Ligneum cor. 343. D.
Lilia, & eorum natura, dotes, & ſignificationes. 245. D. 278. G. 318. A. 335. G.
Lingua detractoris, quid? 33. E. modicus ignis, dicta. 526. E. Lingua Sponſae myſticae laudata. 284. H.
Linguarum confuſio. 534. H.
Liquefactio, amoris effectus. 249. B.
Liquida, loco ſpeculorum. 309. G.
Lis Deo intentata, delirium. 57. E.
Livore ſponſi myſtici, ſponſa ſanata. 290. E.
Loca deſerta, quid ferant? 359. G.
Locus ſapientiae Deus. 149. D.
Loquacitas, eiuſque effectus. 526. C. quale vitium? 68. A.
Loqui bene in proſperis, facile. 36. C.
Lucanus. 480. F.
Lucerna Dei, quid? 50. H. 103. G.
Lucifer, & veſperus, quid? 190. H.
Lucifer Angelus, eiuſque caſus. 140. D. ebrietas. 289. C. ſolatium. 412. H. elatio in animam captam, & in Deum. 402. F.
Luctatorum mos. 262. E.
Luctus è culpa. 396. H. ad Dei amicitiam ineundam efficax. 417. F. luctus Eccleſiae. 436. B. V. *Eccleſia*.
P. F. Ludovicus ab Adſumtione, eiuſque laudes. XV. C.
. . . . . a S. Franciſco, memoria celebris. XV. B.
. . . . . a Matre Dei, Miſſiones. XXVIII. A.
Lumen divinum, quid, & quotuplex? 137. D. 472. E.
Luminaria coeleſtia, quid Dei comparatione? 137. G.
Luna pulcherrima in plenilunio. 326. C. & unde, eiuſque symbolum. ibid.
Lupus rapax, Saulus dictus. 406. E.
Lutherani notati. XXII. A.
Lux, forma colorum. 188. G. 337. B. eius candor. 274. G. aurorae, lunae, ac ſolis. 327. B. quid myſtice? 21. B. nimia oculum laedit. 321. A. a malis odio habita. 183. B.
Lycia coma. 322. A.
Lycii, capillorum ſtudioſi cultores. 322. A.

M

MAceria, quid? eiuſque ſignificatio myſtica. 255. G. deſcriptio. 571. G.
Macula, quid in Canticis? 280. G.
Magdalena, cur fera dicta? 406. F. eius poenitentiae exemplum. ibid. ad pedes Chriſti. 379. D. eius nardus. 289. A. Deo arctiſſime adhaeſit. 221. A.
Mahumetani, Chriſtianorum ſpoliis ditati, & cur? 397. C. eorum inriſiones. 400. A.
Mala, quomodo Deo, ac Daemoni tributa? 62. F. eorum praedictio, quam formidinem generet? 455. D.
Maledicere, pro Benedicere. 4. A. 12. H. 14. E. 418. H.
Maledicentia, qualis apud varios populos? 18. E. an, & quando ſine culpa? ibid. C.
Mali, eorumque in bonos convicia. 355. B. eorum, quomodo habenda nativitas? 19. H.
Malum culpae, eiuſque magnitudo. 423. C. 456. C. quando clarius dignoſcatur? 400. E. ſola Dei clementia pellitur. 407. D.
Malum granatum, eiuſque myſtica ſignificatio. 357. G.
Malum punicum, eiuſque deſcriptio. 287. F. 329. E. 579. D. & ſignificatio. 329. C. 350. E. 361. C. 579. E. 596. C. 597. D.
Malus, arbor, & fructus. 248. G. & arborum princeps. 246. B. 569. B. cuius typus? 361. B. 598. C.
Mancipia, ſtigmatibus obſignata. 363. C.
Mane, quid myſtice? 349. B.
Manifeſtatio divinae, ſapientiae, quid in Angelis? quid in hominibus? 149. F.
Mandata Dei, ſtrenue ſervanda. 573. C.
Mandragora, eiuſque proprietas. 351. C. H. 596. E. eius figura, & ſignificatio. 351. D.
Manichei. XXII. A.
Manna, eiuſque ſapor, & typus. 295. C.
Manſiones multae in coelo. 574. A.
Manſuetudo, quando exhibenda? 524. C.
Manus, earumque pulchritudo, & venuſtas deſcripta. 310. G. 586. A. earumque multiplices ſignificationes. 60. G. 98. B. 300. A. 301. B. 310. G. 582. G. 586. A. plenae hyacinthis, quid? 311. E. Dei, quam efficaces? 64. C. 300. H.
Mare, eique confinia praeſcripta. 44. G. Mediterraneum, quomodo in Script. adpellatum? 311. D. Glaciale. 190. E. Rubrum exſiccatum. 546. B. quare ſuperbum dictum? 140. B.
Margarita, Medicea, Galliae Regina, eiuſque in Noſtros beneficentia. XXVII. A.
Maria Virgo, Mundi Regina. 524. B. eius perfectio. 598. B.
Marthae, & Mariae ſignificatio. 490. C.
Martialis. 364. A.
P. F. Martinus a S. Maria, eiuſque laudes. IX. B.
Martyres, Mater Chriſti dicti. 58. C. eorum conſtantia. 289. F.
Martyrium, poculum pretioſum. 358. A. quando adpetendum? 573. F. eius votum in iuſtis. 595. B.
Mater, & eius cura, & mos. 263. E. 573. H. quae myſtice? 575. F. 590. B. quae anagogice? 574. A.
P. F. Matthias a S. Franciſco, eiuſque enconia. X. B. XXVII. C.
Maxilla, eiuſque percuſſio, gravis contemtus. 96. G.
Merces magna, iuſtis repoſita. 539. H.
Medicorum mos. 320. D.
Meditatio, eiuſque natura. 528. G. 595. F. idem ac cogitatio. 462. E. eius a contemplatione diſcrimen. 275. A. 576. E. adſidua, commendata. 540. F. duos amoris actus producit, & quales? 275. C. eius foecunditas, & quemodo abſolvenda? 275. A.
Mel, eiuſque confectio. 295. A. ſignificatio. 285. C. proprietas. 285. B.
Mellinus (Cardinalis) Ordin. Protect. XVIII. C. eius in Ven. P. F. Iohannem a Ieſu Maria devotio. ibid.
Membra Corporis, mutuo ſe ſe fovent. 256. B. mortua ſuſcitare myſtice, quis valeat? ibid.

eorum lex, legi mentis contraria. 328. B.
Memoria eiusque cultus a PP. commendatus. V. B. vitae anteactae, quam utilis? 180. C. mortis, & Iudicii commendata. 402. C. impii, cito excidit. 106. A.
Mendaces, a S. Script. reprobati. 1. D.
Mens, eiusque lex legi carnis contraria. 328. B. eius excessus unde? 359. E.
Menses vacui, & noctes laboriosae, quid? 42. E.
Mensura, & linea, quid? 187. D. eius varietas. 57. A.
Mercatores iniusti, eorumque mulcta. 26. C.
Mercenarius, quis? 42. B.
Merita, racemis uvae comparata. 232. D.
Metaphorae explicatae. 141. D.
Metere, quid? 294. D.
Michael adversus Diabolum, 289. C. Synagogae Princeps. 493. H.
P. F. Michael a S. Ioseph, eiusque laudes. XV. D.
Miles Christi mortem ex charitate obpetit. 369. A.
Militis vita. 41. H. licentia. 109. C.
Milites Dei, Angeli dicti. 137. C. V. *Angeli*.
Millenarius numerus, eiusque laudes, & significationes. 376. C. 601. A. illi praemium addictum, 378. A.
Mimesis. 100. B.
Minima, non contemnenda. 528. H. 572. A.
Miracula, a Deo non expetenda. 102. B. divinae sapientiae adscripta. 587. G.
Misereri, Deo magis naturale, quam punire. 448. E.
Miseri, eorumque lamenta. 431. G.
Miseria, eiusque origo, Dei absentia, 417. E. summa, quae? 422. H.
Misericordia, quid? 65. A. eius gradus, 64. H. ea & iustitia, mundi bases. 313. B. in pauperes commendata. 533. E. 544. F. potius homini, quam Daemoni impendenda. 484. A.
Misericordia, & iustitia in omnibus Dei operibus. 420. A. etiam in suppliciis. ibid.
Misericors adpetitum compescit. 470. F. dolorem fletu exhalat. 421. H.
Missiones, eorumque munus a Nostris disputatum, & cultum. XVII. A.
Moab, cum eius filiabus prohibita connubia, 553. D.
Modestia oculorum, Christianae doctrinae quam conformis? 526. G.
Moenia, eorumque significatio. 417. F.
Moerentes, eorumque sermo. 78. C. 109. A. eorum status miserrimus. 45. D.
Moestitia, eiusque signa. 47. A. longiores illi dies. 487. H. V. *Afflicti*,
Molestia, ex Dei timore, 47. E.
Monachi, eorumque veteres institutores. 274. B. 376. B. eorum conditio, & mores. 446. E. 468. E. 469. C.
Monilia eorumque explicatio. 567. C. 592. H.
Monita pia, eorumque inrisio. 439. A.
Mons, quid? 279. E. eius a colle discrimen, & significatio varia, 251. F. 270. F. 275. F. 280. A.
Mons Myrrhae, quid? 279. H.
Montes aromatum, eorumque significatio, 380. F.
Montes reprobi, qui dicti? 578. A.
Mores, nullimode ex varia hominum fortuna inferuntur. 136. G.
Mortalitas, eiusque misera conditio, 59. A. 82. A. 122. D.
Mors, communis omnium interitus. 23. A. ultimum terribilium. 536. D. eius descriptio 87. F. 364. C. peccati, & cibi effectus, 105. B. 532. H. 537. B. 550. G. eius cum amore comparatio, & simillimi effectus, 364. C. nemini parcit. 599. A. improvisa, & inopinata, quam timenda? 55. E. 532. D. praesertim in bello. 33. D. honeste, & inculpate exoptata, quando? 58. E. 85. E. & quando vita aerumnosa desiderabilior? 22. G. 45. H. ex gladio mitior, quam ex fame. 469. G. iustorum, quae? 433. E. 536. D. impiorum quae? 144. E. animae quae? 422. H. haec per fenestras intrat. 517. F. eius memoria commendata. 402. C. 517. H. 518. A. omnibus statuta, 536. H.
Mortificatio corporis, commendata. 517. E. difficilior pars scholae Christi. 12. C. eius fructus, & finis, 290. C. 514. F. provectis, familiaris. 301. F. nimia, improbata, 301. F.
Mortui, huius vitae curarum expertes. 87. H.
Mos amantium. 282. A. salutandi reges antiquus. 206. B. funerum. 106. A. matrum in filias. 347. G.
Motus animalis, a corde incipit. 363. A. capitis in hominem, eiusque varia significatio. 95. E. 206. A. 260. B. animi, & voluntatis, quales, & quomodo regendi, & coercendi? 74. E. 232. G. 267. E. 268. E. 275. A.
Mutabilitas, generalis in orbe. 75. B.
Moyses, eiusque ingenuitas. 520. E. eius manus in oratione sustentatae. 452. E.
Mulier, & eius imbecillitas. 234. G. eius caput, vir, 339. A. 594. C. eius coma adscititia. 321. E. eius venter, qualis? 137. F.
Mundi sectatores, eorumque error notatus. 533. A. eorum merces. 394. E. qui in virtutis adspectum? 393. B. cur Christi imitatorum inrisores? 369. A.
Mundus, eius figura, 54. B. opificium sex dierum spatio a Deo peractum, 589. G. partes. 130. G. & quatuor eius rerum praecipui gradus. 331. F. deserto comparatus. 264. C. & theatro. 378. E. vanitas, inlecebrae, & instabilitas eius, 526. F. 574. G. minae contemnendae. 546. C. Animae hostis. 394. E. eius pericula. 472. B.
Murenulae, earumque significatio. 567. C.
Muri, eorumque custodes, qui mystice? 304. C. eorum significatio, 419. G. eorum firmitas. 370. G.
Murrha, vel Myrrha, lapidis pretiosi genus, eiusque origo, natura, proprietas. 357. E.
Musica, eius abusus, & periculum, 120. A.
Mustum, eiusque allegoria. 358. A.
Myrrha, eiusque natura, origo, adtributa, usus, & descriptio. 240. A. 279. F. 290. C. 357. D. 579. H. eius odor, & acuta amaritudo, quid praestent? 240. A. 357. B. F. eius significationes variae. 240. A. 265. A. 567. G. 574. E. 579. F. 585. H. quid eius fasciculus? 240. C. caeteris aromatibus praelata. 294. G.
Mysteria eorumque perversa manifestatio. 75. F.

N

NArdus, eiusque natura, & descriptio. 239. C. odor, virtus, usus, proprietates. ibid. 288. E. 567. F. eius variae significationes. 239. B. 567. F. 579. F.
Nares, earumque usus, & significatio. 345. B. D.
Nasus, irae index, 338. E. eius venustas, & significatio. 338. C. 594. B.
Natatores, eorumque institutio, 358. H.
Nativitas masculi, laeta, & quare? 19. E. malorum hominum, lugenda. 19. H. 20. B.
Natura, & eius a gratia discrimen. 534. F. proprium cuiusque, quidquid ab ea. 299. A. hominis, vitiata, eiusque debilitas. 589. A. a verbo adsumta, calceamentum divinitatis adpellata, 547. A. animae rationalis, quae? 395. B. Angelica, Dei filia nuncupata. 231. E. 565. G.
Nazaraei, qui? eorumque significatio. 468. E. H.

Negotia, silentio tractanda. 445. G. saecularia, totum hominem ad se trahunt. 452. F.
Nescire, turpius, quam non recordari. 415. A. pro *non animadvertere*. 329. G.
Ven. P. F. Niccolaus a Iesu Maria, eiusque obitus, & encomia. IV. A. VI. D. VII. D. . . . . A Conceptione. X. B. . . . . Viviens. XXVII. C.
Nigredo, pulchritudini non adversa. 565. D.
Nilammonis mors stupenda. XV. A.
Ninivitae, laudati. 522. A.
Nix, & grando, arma Dei. 189. G.
Nobilitas, eiusque insigna, quae? 552. C.
Nomen Dei Hebraice. 52. D. Tetragrammaton, illi soli competens. 476. E.
Nomen Iacob, & Israel, quid? 266. F.
Nomen Iesu, eiusque a Christi discrimen. 223. H. eius vis, dignitas, praestantia, laus, significatio. 223. B. 224. B. obedientiae remuneratio. 522. H.
Non oritur, quid? 53. G.
Notitia matutina, vespertina, & meridiana, quid in coelitibus? 233. H.
Novissima hominis, eorumque memoria commendata. 402. E.
Novitas, eiusque amor. 546. D. maxima in libris. 513 E.
Nox, quid? 259. G. eius obscuritas. 189. C. ad quiescendum destinata. 572. G. infausta, qualis? 20. E. eam inducere, quid? 175. E. eius significationes. 326. H. 504. F. in ea opportunior oratio. 427. F. noctis timores, qui? 268. E.
Nubes, quid? eiusque descriptio. 44. B. 182. F. quando cataractae, nubes dictae? 504. C.
Nucleus nucis. 328. A.
Nummi, eorumque custodia. 87. B.
Nuncius sedulus, quis? 59. E.
Nuptiae, earumque dies festivi. 272. A.
Nutrimentum perfectum, eiusque signa. 285. B.
Nux, quid? eiusque externa descriptio. 327. H. 328. C. & eius fructus. 591. B. inter poma adscripta. 328. E.

O

Obedientia, vinculum dicta. 578. F. Religiosorum iustitia. 522. H. & via vitae. ibid. 262. C. melior quam Praelatio, 542. H. eius praestantia, & praemium. 262. B. D. illi Christus nunquam deest. 347. E.
Obsidio Urbis postrema eius infoelicitas. 428. C.
Obstetrix, eiusque similitudo. 140. D.
Obtrectatores, ubi? 41. A.
Oculi, quid? eorumque descriptio. 273. B. 308. F. potissima vultus humani pulchritudo. 273. B. 283. C. eorum naturalis, & mystica venustas. 337. E. G. 585. B. F. & significatio. 282. E. 283. A. 308. F. 337. H. 273. B. 578. E. 585. C. eorum virtus. 576. A. & fermo, qualis? 98. H. 456. D. & laudes. 585. B. defectus. 337. G. dolorem augent. 457. B. a fletu hebetantur. 456. C. aegris illis, quid prosit? quid noceat? 309. F. 327. C.
Oculi Dei, qui? 44. A.
Odor tactui contrahitur. 239. C. vestimentorum, quid? 285. G.
Offensa, dignitate personae lesae mensuratur. 452. A.
Oleum eiusque natura, vires, proprietates, & significationes, 222. H. 223. C. 224. E.
Omphacium. 94. C.
Omnipotentia Dei, nihil illi resistit. 74. B. 85. F. V. *Deus*.
Onager, quid mystice? 36. E. 193. G. eius a bove discrimen. 36. E. eius indoles, quae? 193. F. eius comparatio. 69. F.
Opera misericordiae, a charitate. 577. C. myrrhae, quae? 301. C. vermiculata, quae? 238. D.
Opes, virtuti posthabendae. 2. F. earum signum. ibid. B.
Optimates Ierusalem. 467. D.
Oratio, quae virtus, & actus. 280. G. 577. A. eius necessitas. 412. G. maxime in adversitatibus. 505. A. & tentationibus. 548. H. studium commendatum. 474. F. 527. H. eius vis, & efficacia. 56. D. 69. H. 277. C. 427. F. 438. F. fervor, & perseverantia adhibenda. 289. E. 427. F. 552. A. fructus ingens. 70. B. 277. F. 528. B. mortificatio illi adiungenda. 265. A. collo mystice comparata. 577. E. & fistulae. 289. E. Oratio Christi in horto. 460. A.
Orbes coelestes, eorumque concordia. 137. A.
Ordinare, & Ordo, quid? 247. G. 276. A.
Organum, quid? 159. E.
Ornamenta muliebria puellarum, a Saule designata. 465. E.
Orthodoxi, mystice ex Libano. 315. B. veri Ecclesiae filii. 486. B.
Os, eius, & gutturis significatio. 315. E. ex abundantia cordis loqui dictum. 578. H. mystice exosculans quis? 218. C. eius odor, exspiratione percipitur. 345. A.
Osculum, quid? eiusque simbolum, & mystica significatio multiplex. 217. D. 218. A. 219. A. 374. C. 563. B. 597. A. eius proprietas. 218. D. 354. F. ardentissima affectus impressio & excitatio. 354. D. allegorice ad voluntatem potius quam ad intellectum pertinet. 354. E. divinitatis, nemo illud consequitur. ibid. C. ipse Spiritus Sanctus. 218. D.
Ossium significatio. 505. E.
Ostentatio, eiusque poena. 538. H.
Ostium, quid? 371. E. vi pandendum. 301. C. inani gloriae claudendum. 371. F.
Ovidius eiusque testimonia. 19. D. 37. F. 45. F. 79. F. 84. C. 102. D. 111. C. 153. E. 156. C. 157. D. 225. G. 304. B. 337. G. 358. E. 397. A. 398. A. 400. D. 402. F. 403. F. 408. G. 409. A. 423. C. 426. G. 432. B. 434. G. 435. G. 444. G. 453. G. 455. H. 456. D. 458. H. 459. A. D. 478. F. 482 C. F. 485. A. 486. E. 490. D. E. G. 492. E. 493. B. 496. B. G. 498. A. 499. E. 503. D. E. 506. E. 564. F.

P

Pacifici, filii Dei dicti. 538. B.
Pactio inter Deum, & animam iustam. 404. C.
Palaestini, & apud eos nardi usus, ad comam ungendam. 239. D.
Palatia agrestia, eorumque usus. 22. B.
Palatium a vulnere immune. 372. E.
Palatus, eiusque usus. 346. F.
Pallium, eiusque significatio. 583. E.
Palma, eiusque descriptio, & natura. 307. D. 341. F. 342. A. & species. 341. H. proprietas. 594. G. fructus, eorumque descriptiones. 342. E. 343. C. ex iis vinum, & farina. 343. C. & dactyli, quales? 342. E. qualis in oriente? & in Aegypto? 343. B. E. non cedit oneri. 307. G. similitudo iustis omnibus conveniens. 344. A.
Palmes, eiusque sectio. 414. A. animae symbolum. 414. A.
Palpebrae, quid? 201. H.
Pamphilius (Cardinalis) XXII. D.
Pampinus, eiusque significatio. 572. A.
Panis, quid in script. denotet? 481. B. sapientiae. 335. F. animae iustae. 404. C. doloris. ibid. D. Babylonicus, qualis? 438. G
Papiliones, quid? 270. E. eorum color. 229. H.
Parabola, quid in script.? 141. C.
Paradisus electorum. 512. B. eius fructus. 288. C. terrestris eiusque conditio. 490. B. quam

do conditus? 287. H. & variae de hac re opiniones. 288. A. quandiu in eo Adam, & Eva? ibid.
Paraphrasis Chaldaica, eiusque varia lectio adlata. 174. E. 230. B. 234. E. 237. B. 241. D. 259. B. 294. A. 322. B. 330. G. 347. E. 380. A. 493. H. 501. H. 575. C.
Paraphrasis in Iob, eiusque solandi vis. XXIV. C.
Parcere, quid? 47. A.
Parentes, eorumque in filios derivata Religio. 3. F. & in eos saevitia. 479. E.
Pardi, eorumque significatio. 281. F. 578. A.
Paris, & eius amor adversus Oenonem. 419. C.
Pars Domini, quid? 160. A. 443. E. & eum quaerentium. 443. E. 551. E. pro toto. 89. C. Ecclesiae electior, quae? 543. B. inferior hominis, quae? & eius vis, & actus. 18. A. 192. A.
Partus abortivus, qui? 66. H. primogenitus peccati, qualis? 105. B. eius enitendi conatus. 350. B.
Parvula soror, in script. quid? 372. B.
Parvuli, eorumque significationes. 422. B. 427. H.
Passio in homine prima, amor. 316. A. eius symbolum. 575. C.
Passio Christi, eiusque signa, 547. A.
Pastor, quis? 377. A.
Pastores Ecclesiae, qui? 235. F. 566. E.
Pater aeternus, eiusque osculum. 218. C. ab eo omnis Paternitas. 539. C.
Paternitas. V. *Deus*.
Patibula, facinorosos deterrent. 402. C.
Patientia iusti, quae? & eius effectus. 480. E. 524. G. rara virtus. 524. E. V. *Iob. Iusti*.
Patres Ecclesiae eorumque versiones. 250. H. & *passim alibi*.
Patria coelestis, eiusque variae mansiones. 324. B. eius votum, & desiderium. 234. B. 503. H.
Patriarchae a Deo divitiis aucti, & quare? 2. D. eorum ducendarum uxorum ritus. 323. A.
Patroni & iudices iniqui. 77. E.
S. Paullus Apost. eiusque conversio. 224. E. Lupus rapax dictus. 406. E. & vas electionis. ibid. eius scientia. 515. E. & raptus. 534. C. & labores. 406. E. & in profundum mare demersio, qualis? 504. E. & in Christum amor. 493. E. & frequens eius nominis invocatio. 223. E. laudes fidei ab eo enumeratae. 336. H. eius filii, qui?
S. Paullus, Eremitarum Princeps. 332. A.
Paullus V. P. M. eiusque litterae ad Henricum IV. XXVI. D. XXVII. A.
Ven. P. F. Paullus Simon a Iesu Maria, eiusque munera, & laudes. VIII. D. & seq.
Pauper divite non minor apud Deum. 174. G.
Pauperum mos. 351. C.
Paupertas, divitiis anteponenda. 516. E. Christi sponsa. 523. E. eius comites, quae? 523. E. commendata. 517. B. 523. D.
Pax Mundi, quae? 548. E. animae interna descripta. 332. H. a Christo discipulis relicta. 538. C. in hac vita perfecte non datur. 600. E. sempiternae origo, 374. B.
Peccare, quid? 454. E. quid contra liberalitatem? 299. B. eius symbolum. 480. B. peccandi occasio vitanda. 595. F.
Peccator, eiusque infelix conditio. 539. G. & vita. 536. B. iunco comparatus. 50. C. & domui incustoditae. 371. E. & eremo caritate orbatae. 360. B. & membro mortuo. 315. B. importunus dictus. 47. F. & sine humana figura. 351. E. cor lapideum, & manus molles habet. 301. D. nescit sapientiae pretium. 147. F. eius animae sedes, quae? 123. G. eius protervia, & audacia. 120. F. 436. D. impudentia. 438. B. infamia. 394. E. 454. F. caecitas, & amentia. 32. B. 227. G. 327. C. 426. C. phrenesia, & temeritas. 92. H. 400. B. incostantia. 401. B. timor, & terror, maxime in morte. 78. B. 548. A. memoria eius cito excidens. 106. A. in eum omnium creaturarum coniuratio. 429. G. latebras quaerit, & veram lucem fugit. 135. A. 183. B. velox ad effundendum sanguinem. 512. D. inimicus crucis. 548. C. fame perit, & Christi mensam fastidit. 481. A. sibi vindictam parat. 463. D. eius futurum iudicium. 537. C. & poenae. 28. E. & mala ad pondus, & numerum inlata. 450. D. graviora in Christianos, quam in Ethnicos; in Monaches, quam in saeculares, parata supplicia 468. B. & mors aeterna. 433. E. vana illius excusatio. 473. C. cur tamen multa illi modo permissa? 477. B. & cur illi ignoscat Deus? 335. D. quin, & ad veniam invitetur? 442. E. & ceu filius carissimus iterum concipiatur? 335. C. & in filios, & in partem haereditatis Christi ceepretur? 511. A. filio prodigo comparatus. ibid. B. & cur expeditior ex conversione ad doctrinam Christi effectus. 372. E. recenter conversus, quomodo adliciendus? 328. D. nuces, & poma adpellatus. 328. D. post primum lapsum in peiora demergitur. 395. E.
Peccatum, eiusque malitia. 521. H. & summum malorum. 532. C. vel ab *ipsis* cruciatibus mensurandum. 433. E. mors animae. 467. C. 456. D. eius ineffabilis turpitudo. 400. C. maior in Christianis, quam in Ethnicis. 468. A. & Dei gloriam obtenebrans. 177. E. & eius patientiam minime recogitans. 451. E. immensum a iustitia distans. 313. E. & lumini naturali adversum. 473. B. & grave iugum. 406. H. 407. C. & durissima servitus. 482. A. 547. G. & nihil recte dictum. 224. D. semper fugiendum. 518. F. severissime punitum. 485. F. etiam patrum in filiis. 481. C eius malae radices. 590. A. & series generationis. 361. F. & reliquiae in recens iustificatis. 565. C. IIII. nullus, praeter Deum medetur. 423. C. eius contritio praecepta. 519. B. & maxime Ecclesiae propria. 441. A. & syncera confessio, quam utilis? 410. C. semper innoxiis displicet. 474. C. & iustis in bonum etiam cooperatur. 512. E. eius quoddam genus teterrimum. 472. F. eius venia non desperanda. 521. A.
Peccatum originale, eiusque transfusio, & demostratio. 83. C. a quo ortum? 82. C. nova ceu creatione deletur. 374. D. eius tamen fomes in iustis relictus. 374. E.
Pedes, quid? & eorum significationes variae. 202. E. 299. E. 333. A. 581. H. eorum tegumenta. 333. C. basibus columnarum, adsimilati. 313. A. quid eorum lotio ex butyro? 151. E.
Pelles Salomonis, qnid? 230. A.
Percussio maxillae, gravis iniuria. 96. G.
Perdere, & Perditio, quid? 87. E. 138. G. 148. H.
Peregrinantium, & indigenarum discrimen. 146. A.
Perez (P. Bartholomaeus) XXIII. A.
Perfecti, qui? & quam pauci? 323. H. 590. B.
Perfectio animae, quae? 373. C. eius excelsus gradus. 326. E. 343. F. eius augmentum. 580. H. eam non dedecet pro premio decertare. 374. F. eius typus. 249. G.
Perfectus Christi discipulus, quis? 554. G.
Pericula animam erudiunt. 405. H. 459. B.
Persecutiones iustis solatia. & cur? 548. B.
Perseverantia a Christo praedicata, & solius Dei donum. 528. D.
Pessulum, quid? 302. D.
Petra, eius natura, descriptio, significatio. 255. F. 571. F.
S. Petrus Apost. eiusque fletus explicatus. 394. A. 397. A.
V. P. Petri a Matre Dei, eiusque virtutes, munera, elogia. XVI. C. XVII. A. XVIII. A.

. . . . . A S. Benedicto, & eius laudes. X. B.
Pharao, eius nomen, & significatio. 236. A. 566. G. eius perfidia. 52. H. eius mala laetitia & tragicus finis. 477. C. ab orandi studio alienus. 409. E. quorumnam symbolum? 120. F.
Pharao, quid in Saram? 459. C.
Pharetra, quid? & eius descriptio. 156. C. 437. B.
P. F. Philippus a S. Iacobo eiusque virtutes & munera. XIV. A.
Philosophi, & vana eorum scientia. 520. E. quare non de deserto adscendere dicti? 360. E. nova quorumdam philosophandi institutio. 274. A.
Phoenix, diuturnitatis symbolum. 153. F. quare nidum construat? 153. F. & unde? 248. G.
Pictor, quando opus suum perficiat? 280. F.
Pietas, eiusque premium. 34. E. orationis medulla. 69. H. eius inlusio. 120. G.
Pius homo eiusque zelus. 118. E. & sors felix. 145. B. & querimoniae aliquando honestae. 109. A. & laus propria. 141. H. & pugnae internae. 420. E.
Pinellus (Cardinalis) Ord. Protector. IX. D.
Pinguedo faciem deformat. 93. B.
Piratae, eorumque characteres. 425. E.
Piscina, eiusque ab amne discrimen. 337. B. Ierusalem, quomodo dicta? ibid. F. eius aqua, quae? 593. H.
Planta, eiusque radix caput dicta. 290. A. nutritio. 257. E.
Plebs peccatorum, cur parvula dicta? 369. F. & seq.
Pleiades stellae, quae? 190. G.
Pluralis numerus, pro singulari. 248. H. 255. C.
Pluvia, eiusque origo, & proprietates. 31. D. 139. C. 190. D.
Poena, eiusque plura genera Deo, ac Daemoni tributa, & quomodo? 435. F. eius a culpa discrimen. 400. D. culpae consentanea, quae? 119. B. levior gravior, graviori succedens quies reputatur. 84. C.
Poenitentia, eiusque symbolum. 21. G. 427. A. fructus. 31. E. 70. F. consilium. 427. C. promtitudo pestualta. 522. B. ritus antiquus Ecclesiae. 204. E. praemium a Deo donatum. 49. F.
Poenitentiae sacramentum, balneum Sanguinis Christi. 532. E.
Polygamia vetreribus Patribus permissa. 589. F.
Poma, nova & vetera, quid? 352. E. eorum multiplex significatio. 352. H. 591. C. eorum voluptas tribus sensibus serviens. 246. C.
Pompa funebris, animae, inutilis. 123. E.
Pondus ventorum, quid? 149. C.
Ponere, quid? 61. A. 130. A.
Pontifices caritate eximii. 2. D.
Populi, eorumque diversi mores, & usus. 598. F. *Caetera vide suis locis*. duo in utero Rebeccae. 534. F. 569. H.
Populus Christianus igne ustulatus visus, & cur? 482. H. moerore adfectus. 475. B.
Populus Iudaicus, eiusque status. 394. G. servitus Babylonica, & in ea lamentationes. ibid. & 492. G. 493. C. Deo carus. 448. C.
Portae, fenestella ornatae. 300. G. eorum significatio. 420. F.
Potentiae Animae, quae? & quomodo adpellatae. 242. D. 443. D. 465. B.
Praedestinati, filii adpellati. 448. E.
Praedia, eorumque limites, quomodo signati? 34. A.
Praedicatio Evangelica, qualis esse debeat? 530. E. quae in Ethnicos? 380. E.
Praedicatores Sancti, qui? 284. E. quomodo figurati? 370. A. 376. F. & exprobrati. 549. G. eorum praemium. 377. F.
Praefectura, quomodo adpetenda? 348. B. multis caussa ruinae. 347. D.
Praelati Ecclesiae, eorumque saevitia. 470. C.
Praelatio fugienda studiose. 542. G.
Praemium iustorum, ineffabile. 527. D. essentiale, & accidentale. 600. F. pro meriti mensura. 376. B. numerorum serie explicatus. 377. G.
Praesentia Dei commendata. 537. E. eam consolationis caussa expetere, quibus conveniat? 305. C.
Praesul, eiusque cum sua Ecclesia conjugium. 600. F. & residentia iure divino praecepta. 377. A. munus. 304. C.
Praesules, murorum custodes dicti. 304. C. V. *Doctores Ecclesiae*.
Praesumptio, quale peccatum? 472. B.
Praeteritum, pro futuro. 375. A.
Preces multorum, validiores. 569. G.
Pretium, quid? 93. H. Pretium depositi, unde? 375. G.
Priapus, eiusque simulachrum in hortis. 286. G.
Primogenita omnia, Deo deputata. 531. B.
Princeps, Reipubblicae caput. 153. C. bonus qui? 152. F. eius clementia. 47. G. qualis ornatus? 270. G.
Princeps coelestis Ierusalem. 356. D.
Principes, eorumque mores. 448. A. & adspectus. 154. F. & intimi consiliarii. 110. E. domus. 444. A. superbi, qui? 75. E. eorum gratia, quae bona ferat? 417. E.
Principium viarum Dei, quid mystice? 198. E.
Probatio spiritus in provectoribus acerbior. 583. B.
Probi viri, eorumque confessus, & vis. 4. D.
Proceres, ac pro eis utile documentum. 10. A.
Proceritas crurium, quid mystice? 313. D.
Processio Spiritus Sancti a Filio adserta. 586. H.
Profesti dies. 429. F.
Proficere, quam arduum? 590. B.
Proficientes, quam pauci? 323. H. ad montem adscendunt. 273. G. siti sacramentorum ardent. 291. F.
Profunditas abyssi. 180. H.
Progenies, quid? 34. D.
Prophetae, eorumque coetus, quomodo adpellatus? 274. E.
Prophetia, eiusque abusus a Ieremia desletus. 472. E.
Propensio Dei in animam. 415. D. 591. B. V. *Anima iusta. Deus*.
Propinquitas cum Deo mystica, quid animae praestet? 99. G. eius gradus. 333. B.
Propitiatorium, quid? 575. C.
Propugnacula, & eorum usus, & significationes. 277. D. 278. B. 370. H. 372. F. 599. H. quid argentea? 371. A. 372. E.
Prosperitas impiorum, brevis, & somnio similis. 51. D. 103. F. 113. G. 114. D. an iustitiae argumentum? huius vitae, hominem dementat. 430. C. oblivionem Dei parit. 440. H. opulentia nutritur. 121. A. vana eius fiducia. 50. F. eius symbolum. 34. F. 121. B. eius ab adversitate dispar eloquium. 25. D.
Prostrationes, & earum apud veteres significatio. 9. G.
Protectio, pallio significata. 583. E.
Protervia, eiusque vindicta. 397. G.
Providentia Dei, eiusque admirabilis harmonia. 225. A. & ordo. 406. E. & de illa concertatio apud Iobum. 24. F. V. *Deus. Iob*.
Provocatio ad Divina perquirenda. 147. E.
Proximus indigens, quomodo iuvandus? 522. E.
Prudentia eiusque laudes. 590. E.
Pseudopraesules notati. 304. D. 583. C.
Ptholomaeus Gallius (Cardinalis.) XVI. B.
Pubblicani, & peccatores amanter recepti. 522. C.
Pubblicanus Evang. 441. E.
Puellae, earumque honestas. 576. G. & ornamenta. 237. A.
Pueri, Puellarumque ornatus. 465. E. eorum signifi-

gnificatio. 429. B. Ieroſolymitani fame peremti. 422. D.
Pulchritudo corporis, eiuſque origo; & deſcriptio. 242. D. 319. C. 341. B. maxima in oculis. 321. B. & in coma. ibid. E. ea nihil amabilius. 553. A. efficacior, que trahit, 316. B. in honore habita. 398. G. & praecipue a mulieribus. ibid. eius, & decoris diſcrimen. 341. B.
Pulchritudo animae, ineffabilis, & Deo ſumme accepta. 415. C. externe quoque relucet. 399. A. naturalem Angelorum venuſtatem excedit. ibid. unde eius origo? 398. H.
Pulchritudo Chriſti laudata, & deſcripta. 516. B. 553. B.
Pulchritudo Iudith commendata. 527. E.
Pupilli, eorumque ſtatus commiſeratione dignus. 41. B.
Purgatorium adſertum. 409. F.
Puritas, & caſtimonia praecepta. 588. A. quidquid illi non congruit, pudendum. 467. G. intentionis, rara virtus. 530. C.
Purpura Regis, quid? 339. F. 594. F. eius ſignificatio. 552. E. concha in Syria naſcens. 340. C. veteris a noſtra diſcrimen. 340. C.
Purpurarii, eorumque mos, & uſus. 594. D.
Puteus, & eius a fluvio diſcrimen. 180. G. quid *Puteus aquarum viventium*? 291. F. quid *Puteos effodere*? 291. B.
Putredo, quae dicta a Iobo? 102. C.

Q

QUadrigae, quid? 330. G.
Quaeſtio perdifficilis. 19. C.
Quaternarius numerus imperfectionis notatus. 589. H. eius ſignificatio. 323. F.
Querimonie, afflictis familiares. 55. H. iuſtorum, quae? 505. C. Ieremiae. 438. C. 439. A.
Quies rerum omnium in centro, 395. B.
Quietis Palatia. 22. B.

R

RAbies, famis effectus. 470. A. Iudaeorum in Chriſto. 461. D.
Radii ſolis, quid myſtice? 203. C.
Radix, eiuſque ſignificatio. 105. H.
Rami, quid? 93. G.
Raptus, & eius exempla. 591. H.
Ratio ſuperior & inferior, eiuſque diſcrimen. 330. F. Rationes Dei inveſtigabiles. 31. A.
Rebecca, in eius utero duo populi, qui intelligantur? 534. F. 569. H.
Recedere, quid? 83. G.
Receſſus, quid? 84. B.
Reclinatorium, idem ac propitiatorium. 270. B. E. 575. B. aureum in Canticis deſcriptum. 464. F. Chriſti, quale? 529. G.
Recti, qui? 228. G. 229. A.
Rectores, eorumque exercitium. XXV. B.
Redemtio, eiuſque annus apud Hebraeos. 549. E. humani generis per Chriſtum, eiuſque ſanguinem. 224. A. 546. H. eius myſterium mente recolendum. 547. B.
Redemtor. V. *Chriſtus*.
Reformatio, eiuſque difficilis adgreſſio. 446. G.
Reges, quaſnam artes exerceant? 269. C. quare mundum portare dicantur? 55. F. boni, divitiis aucti. 2. D. eorum exempla. 52. H. a Deo proiecti, qui? 417 H. mortalium, ab immortali differentia. 452. B. Chriſtiani, quando in anguſtias compulſi? 488. G.
Reges Medorum, & Perſarum, quid in Chaldaeus? 495. A.
Reginae, quae dictae? 323. B. earum a Concubinis, & Adoleſcentulis, in Script. diſcrimen. 323. C. 589. F. teſtes omni exceptione maiores. 325. D. ipſis regium diadema convenit. 485. G. earum ſignificatio. 323. C. 590. E.
Regio Auſitis. 1. A.
Regna, eorumque praecipua numeratio. 415. C. eorum caſus. 397. H. 487. A.
Regnandi cupido, arduum neſcit. 403. F.
Regnum, & Sacerdotium, Hebraeis ablatum, 398. D.
Regnum Dei, ſuper omnia quaerendum. 515. B. & vi rapiendum. 517. F.
Regreſſus a privatione ad habitum non datur, 112. D.
Religio, eiuſque actus externi commendati. 467. E.
Religioſi, eorumque felicitas. 6. E. Eccleſiae ornamenta. 274 A. ſtellae matutinae comparati. 543. C. eorum corruptela. 530. D. & Apoſtaſia. 472. B.
Remedium rebus deſperatis adferre, Dei eſt. 444. D. Remedia memoriae. 493. B.
Renes, eorumque ſignificatio. 437. C.
Repelli a Deo, quid? 144. H.
Repetitio, &, exaggeratio moerentibus familiaris. 485. B.
Repletio, quid? & eius effectus. 82. D.
Reprobi a nuptiis coeleſtibus arcendi. 302. C. V. *Impii*. *Peccatores*.
Requies aeterna, medico labori repromiſſa. 536. E. extra Deum nulla. 401. C. in Chriſto, quae? 529. G.
Res, earumque productio, & conceptio. 340. G.
Reſignatio cordis, quae virtus? 530. G.
Reſpubblica, eiuſque bonum regimen. 152. F.
Reſurrectio. 86. B.
Rete Palatinum. 104. B.
Rethores, eorumque artificia minime amantibus grata. 275. H.
Revertere, & *Revertere ad cor*, quid? 429. A. 572. E.
Rex, eiuſque maieſtas explicata. 152. B. 154. E. 238. B. 306. G. 586. B.
Rex Ninive, Populo ſuo poenitentiae auctor. 421. E.
Rex Pacificus, quis? 544. E.
Rhamnus, ſpinae genus. 471. C.
Rhinoceros, quale animal? eiuſque proprietates, & myſticae ſignificationes. 194. B.
Rhoites, quid apud veteres? 357. G.
Riſus familiaris ineſtimabilem reddit. 154. F.
Ritus ſacrificandi Hebraeis. 265. F. manus oſculandi antiquis populis. 163. D.
Romani, eorumque mos ungendi capillos. 239. D. & ſupplicierum. 395. G.
Ros, eiuſque generatio. 190. D.
Roſa, quomodo germinet? 245. B.
Rugae, quid? 96. A.
Ruminare, quorumnam animalium? 346. E.

S

SAbaei, eorumque inruptio in Iobi poſſeſſiones. 7. G.
Saccharum, eiuſque arundines, & confectio. 289. F.
Sacerdotes, eorumque ſignificatio. 411. B. dotes, inſignia, & honor illis conlatus. 474. B. mundo altiores. 544. A. Templum Dei facti. 543. H. eorum deſpectus. 396. A. a Deo proiecti. 417. H.
Sacramenta, a Chriſto orta. 273. F. fontes arcani. 314. E. & viae. 396. D. & ſanguinis Chriſti balnea. 519. E. infrequentata. 396. E.
Sacrarium, eiuſque deſcriptio. 269. G.
Saccus, poenitentiae nota. 97. H. & ſeq.
Saeculum, eiuſque tenebrae. 548. E. myrrha quae? 310. E. futuri ſupplicia. 417. A.
Sagena, quid? 200. C.
Salices, arbores ſteriles. 490. F.
Salomon Rex pacificus dictus. 377. E. 600. E.

ex cedris libani Templum aedificavit. 314. H. Christi imaginem praetulit. 375. A. Cantici Canticorum scriptor. 215. n. III. eius lapsus, 472. B. mysticus, quis? 230. E. 236. E. 266. A. qui eius lectuli custodes? 266. D.
Salvator, eum respuere, grave malum. 120. H. P. F. Salvator a S. Maria, eiusque laudes. XIII. C.
Salutatio Regum, eiusque antiquus ritus. 206. B.
Samaritana, eiusque cordis typus. 328. A.
Samuel Propheta, fidelis Dei servus. 520. B.
Sancta, sancte tractanda. 543. F.
Sancti, quandoque seipsos inculpate laudant. 72. A. & lamentantur. 24. B. & mortem exoptant. 37. E. eorum laetitia, & oblectamenta. 516. C. 541. A.
Sanctitas, quomodo ab innocentia differat? 11. F.
Sanguis menstruus. 409. H. viri innocentis, quamdam vocem habet. 98. D. Christi, pretiosior viventis, quam mortui. 340. E.
Sanir, & Hermon, idem mons, & variae de eo sententiae. 281. E. quae in eo animantia? ibid. F. eius significatio, & situs. 578. A.
Sapere dulce est. 569. C. sapere ad sobrietatem. 285. C.
Sapiens, quomodo in prosperis se habeat? 23. H. 239. H. eius a stulto discrimen. 8. F. eius commendatio, virtutis argumentum. 325. B. quae eius sermonis vis? 378. F.
Sapientia, in intellectu residet. 247. D. facilius in solitudine invenitur. 531. F. potus & esca dicta. 247. F. 334. H. eius gradus tres notati. 191. D. iustorum, quae? 518. G. quae vera? 150. A. Spiritus Sancti donum. 247. B. mystica Theologia dicta. ibid. nihil cum ea conferri potest. 148. A.
Sapientia Dei, infinita. 124. G. rerum omnium ratio. 590. C & mater. 231. E. nihil illi absconditum. 138. G. nec resistens. 188. E. superbiam percussit. 140. C. eius in Angelis, & hominibus manifestatio. 149. F.
Sapphirus, qualis lapis? eiusque color, excellentia, & significatio mystica. 146. D. 312. C. 468. G. 586. C.
Sara in aulam Pharaonis inducta. 459. C.
Sardonyx, quid? 148. B.
Saron Regio, unde dicta? 245. B.
Satan, tenebrarum princeps. 549. C. & princeps huius mundi dictus. 59. A. antonomastice impius. ibid. incensor culpae. 465. G. astus. 252. G. 425. F. tentator importunus. 12. D. eius domicilio nihil horribilius. 478. H. quid in Iob? 11. E. V. *Iob*.
Saxum, aquae guttis repetitis cavatur. 87. C.
Sayes Torres (P. Petrus de) XXIII. A.
Scelesti, eorum nativitas execranda. 21. E. illis in meridie sol occidit. 70. E. cur saepe in hac vita impuniti, & prosperati? 35. C. 134. A. cur etiam pulchri? 142. D. quae eorum hilaritas? 424. F. quale ingenium? 281. F. & in viros Apostolicos despectus. 354. H. & inopinatus interitus. 26. C. eorum impia adloquutio. 402. D.
Schola Christi, & Dei, & eius elementa, quae? 170. F. 524. C.
Scientia, eiusque amor. 535. A. quae inflat. 167. G. 549. H. infusa, qua Deus mentes inluminat. 189. H. 307. G. 569. C. nostrae a Divina discrimen. 308. D.
Scorta olim in triviis. 234. D.
Scriptio eiusque vetusta materia, & instrumenta. 111. G.
Scriptura S. ad iustitiae progressum confert. 372. G.
Scutum, eiusque significatio. 463. F.
Sectae, haereticorum inter se discordes, contra Ecclesiam unanimes. 435. A.
Sectarii, eorumque licentia. 472. H. impiae voces. 426. F. inrisiones. 424. E. iactantia, & plausus. 418. F. miserandus triumphus. 477. A.
Sedechia, eiusque captivitas. 420. C.
Sedes Regia, eiusque ornatus. 544. D.
Sedulitas agricolarum descripta. 349. C.
Sella Principum gestatoria, eiusque constructio. 268. H.
Senarius numerus. 266. D.
Senectus, quae aetas? 519. F. quae vera? 410. G.
Senex, iisque debita veneratio. 483. F. eorum, & iuvenum significatio. 429. B. 484. G.
Sensus, animae filii nuncupati. 470. F. & eius portae, caute custodiendae. 396. E. eorum adpetitus. 84. F. pugna. 517. G. corruptio. 420. F. alienatio in mystica sponsa. 581. D. stupiditas in oratione a Daemone, eiusque remedium. 452. E. abusus, hostibus animae opportunus. 430. A. externi, cur parvuli dicti? 397. H. 422. F. 466. H. *sepeliri in interitu*, quid? 143. E.
Septenarius numerus, quomodo olim luctui consecratus? 16. D. eius explicatio varia. 2. C. 33. B.
Septuaginta interpretes eorumque variae lectiones. 1. B. 2. D. 3. E. 4. F. 9. H. 14. C. 15. E. 16. A. 20. H. 22. A. 23. G. 24. H. 25. E. H. 29. G. 30. E. 32. E. 34. F. 36. C. 38. B. 39. A. 43. B. 45. A. 46. A. 47. C. E. 49. F. 50. G. 51. B. 54. C. 57. A. 62. A. 63. F. 65. H. 66. C. G. 67. F. 70. C. 71. F. 74. A. 75. B. 76. H. 81. F. 82. E. 83. E. 86. F. 89. D. 90. C. 91. F. 92. E. 94. C. 95. B. 96. D. 100. E. 101. C. E. 104. D. 106. C. 107. E. 108. A. 109. C. 110. A. 111. D. 112. F. 114. B. 115. B. 118. A. 119. F. 123. B. 124. C. 125. G. 126. A. F. 128. E. 129. A. G. 132. H. 135. G. 140. E. 142. A. H. 144. A. H. 150. B. 151. C. 152. G. 155. E. 160. A. G. 165. D. E. H. 167. F. 168. A. 169. B. 170. B. 172. A. E. 174. E. 185. G. 186. B. 187. E. 194. C. 198. E. 202. A. 203. E. 204. C. E. 206. B. 222. F. 223. E. 225. C. 231. A. 236. B. 238. A. 246. G. 250. D. 251. A. 260. C. 273. E. 276. A. F. 277. D. 281. B. 291. H. 294. A. D. 295. C. 301. H. 303. F. 307. A. H. 311. C. 312. F. 318. E. 321. D. 328. F. 330. G. H. 339. H. 341. G. 345. B. 346. F. 355. E. 362. A. 365. G. 368. C. H. 370. E. 375. A. 376. B. 377. E. 378. F. 392. E. 396. G. 397. F. 399. C. 400. C. F. 402. E. 404. E. 408. A. 411. C. 412. B. 413. F. 414. F. 415. E. 417. F. 418. C. 419. C. 422. A. 423. D. 424. G. 425. E. 426. B. 427. A. E. 428. C. 429. A. H. 430. F. 431. A. 434. A. 435. C. 436. C. 437. D. 438. A. E. 440. C. G. 442. C. H. 444. A. 446. A. 448. A. E. 449. D. 450. A. 454. E. 455. G. 456. B. 457. D. 458. G. 464. C. 465. A. G. 466. C. 467. F. 468. C. 470. A. 474. C. 476. E. 482. F. 501. G. 578. C.
Sepultura, eiusque antiqua religio. 71. A.
Sepulchrum, infernus dictum. 102. F.
Seriphus, & Gyara, quae Insulae? 395. G.
Sermo conceptus difficile cohibetur. 25. A. amantium qualis? 340. B.
Serpens, quomodo capiendus? 356. A.
Serpentes, eorumque significatio. 570. D. igniti, in homines scelestos missi. 33. G.
Servi, eorumque significatio. 532. G. insolentia. 109. G.
Servire Deo, dulcius, quam mundo. 545. D. & regnare est. 547. D. nemo potest duobus dominis. 521. C.
Servitus Iudaeorum descripta. 397. B. Aegyptiaca, mysticae explicata. 531. G.
Servus nequam. 441. E.
Sexagenarius numerus, eiusque significatio, & laudes. 323. D. 574. H. 589. H.
Sfondratus (Cardinalis). XVI. B.
Sidoniae mulieres, earumque vetita connubia. 553. D.
Silentium, eiusque cultus, & custodia commendata. 284. H. & seq. 421. D. 526. B. maxime actuosi. 421. D. eius utilitas praecipue rebus agen-

agendis. 77. A. 445 G. & orationi. 276. H. urbanitatis argumentum. 88. D. & ſolitariorum nota. 445. H. quibuſnam moleſtum? 103. C. eius indicatio. 118. G.
Ven. P. Simon a S. Paullo, eiuſque virtutes. XIV. B.
Simplicitas, quid? & quale indicium? 72. D.
Simulatio, eiuſque poena. 180. B.
Singularitas fugienda. 538. G.
Siniſtra, eiuſque interpretatio. 88. H. 249. F.
Sion, quid? 489. H. & ſeq. locus ſacer. 471. B. patria noſtra. 550. G. eius decor. 514. D.
Sitis cervina, quae? eiuſque cauſſa. 501. D.
Societas, ea carere infelicitas. 392. A. mala, fugienda. 520. A.
Sodomae, earumque incendium, 105. G.
Sodales, quid? 234. E.
Sol, quid? 231. B. fons luminis, & propria luce fulgens. 326. F. umbras fugat. 572. C.
Solatium eſt, ſolatium ſperare. 45. C.
Solitudo, quibus amabilis? 531. E. quando moeſta? 391. D. per ſocietatem extraneae naturae non tollitur. 264. E.
Solitarii facilius culparum gravitatem inſpiciunt. 446. A. verorum a falſis diſcrimen. 445. H. & ſeq.
Sollicitudo mundana improbanda. 302. B.
Somnia, eorumque ludibria. 45. F. peccatorum, quae? 170. B.
Somnus, quid? 297. A. mortis imago. 347. A. a Deo datus. 49. B.
Sophar, cuius regionis Rex? 68. A eius facundia, & ſapientia. 118. A. ſermonis prolixitas, importuna. 69. B. 118. B. error, & num cum Iobo aliquando conſenſerit? 70. A. 113. E. argumenta. 69. C. 71. E. 113. H. pollicitationes Iobo factae. 70 E. orandi methodus praeſcripta. 70. B. epiphonema inſigne. 118. A.
Soror parvula, quae dicta? 369. E. 372. B ſponſae, quae? 370. G.
Sors adverſa, unde, & quare? 420. E.
Species, pro ſtatu proſpero. 34. C.
Spes, & eius effectus. 79. A. 501. A. incitamentum. 497. G. fomentum. 444. A. labores lenit. 480. E. eius cum oculis cognatio. 100. C. in ſolo Deo figenda. 520. G. veniae peccatorum, qualis? 441. F. 483. H. felicitatis aeternae odor dicta. 222. B.
Spirituales nuptiae cum ſponſo, ad quid? 370. F.
Spiritualis animae cuſtodia. 65. A. ſpiritualis Dei conceptio, quae? 574. A.
Spiritus, & anima, eadem res functione diſcreta. 267. D. hominem vivificat. 517. C. ſuperna concipit. 267. D. eius inroratio, quae? 139. C.
Spiritus Beati innumeri. 171. D. eorum ſtatus 332. G.
Spiritus Sanctus halitus ſponſi myſtice dictus. 345. G. & oſculo Apoſtolis infuſus. 219. E. vita animae. 218. F. eius a Filio proceſſio aſſerta. 586. H. & in hominem inmiſſio. 219. A. in Stephano loquutus. 345. H. V. *Deus*. *Sponſus*.
Sponſa myſtica, quae dicatur? & quomodo intelligenda? 217. B. 342. H. eius cum Sponſo arctiſſima coniunctio. 258. A. nec ſuae animae, & voluntatis poteſtatem habet. 272. G. eius caput, & ornamentum praecipuum ſponſus. 321. E. 339. A. E. 575. D. eius dotes praecipuae. 575. H. interna externaque pulchritudo. 230. F. 242. D. G. 253. D. 272. H. 273. D. 280 D. 282. D. 316. H. 326. D. 568. B. 590. G. ſplendidiſſima luce inluſtrata. 327. C. & tamen fuſca dicta, & nigra. 230. H. 565. H. eius coma, quae? 321. F. collum recurvum. 237. C. ſomnus levis. 297. E. armatura. 594. B. cor perfectiſſimum. 343. F. lepor ſermonis. 579. A. natura imbecillis. 320. E. 360. D. intellectus, cur crater tornatilis dictus? 339. G. voluntas ſimilitudine deſcripta. 239. A. amor in ſponſum ardentiſſimus, eiuſque progreſſus, & incrementum. 285. D. 566. G. 567. D. 569. F. 572. B. & ferventiſſima vota. 217. B. 234. H. 246. H. 349. H. 303. F. 353. G. 569. F. 587. D. 597. A. 601. G. & in illum conatus, & inquiſitiones. 304. A. 380. D. & in eum dulcis raptus, & liqueſcens ecſtaſis. 330. H. 360. H. 570. A. 571. D. 574. B. 588. D. 591. G. & ſuavis innixio. 127. A. 360. H. 535. E. ſanctitas, & perfectio eximia, 333. E. 335. A. & charitas in proximum, & zelus animarum. 556. A. 601. D. pro Chriſto legatione fungens. 333. G. 354. G. & in eius hoſtes armata. 287. F. peccatorum converſionem optans. 285. E. ſpiritualis vitae magiſtra. 334. G. 388. D. 592. B. Doctores interrogat. 573. E. & ab iis expulſa, alio aſylum quaerit. 304. H. concionatoris munere functa. 356. F. & praefectura. 348. A. eius ſpes firmiſſima. 601. G. & timor ſanctus. 225. F. & humilis reſignatio. 601. G. & obedientia. 237. H. & vitae auſteritas. 342. A. 347. C. & moderatio commendata. 588. H. & cur aliquando irae honeſte indulgeat? 338. F. ſapientia, & doctrina dives. 345. A. 593. E. & nihilominus ſemper oſcula ſponſi adpetit, & poſcit. 219. E. 563. C. eiuſque voluptate abſorbetur. 228. A. illumque pingit. 306. A. eius fulcimentum petit. 569. G. illius votis adnuit. 571. H. uberibus adlicitur. 563. D. ad eius laudes laceſſitur. 570. F. oculis eius capitur. 585. E. eius ſpiritu vivit. 292. E. & divinam contemplatur celſitudinem. 320. G. coniugio avidiſſime inhians. 564. E. eiuſque repulſam patienter ferens. 330. E. in eo pacem reperit. 374. C. ad eius pedum oſcula exultans. 354. B. e culpa, & damnatione per illum miſericorditer erepta. 290. B. 361. F. & cur de vertice montium vocata? 281. G. & eius ſponſa, filia, mater ſoror, ac ſubdita effecta. 271. F. 333. B. & membrum ſuae militantis Eccleſiae. 356. E. etſi matrem ſynagogam habuiſſe dicatur. 361. G. in eo nidum ſuum conſtruens. 255. H. unguentis inlita. 222. F. & confecto agone coronata. 250. A. digna prorſus aliorum imitatione. 332. B. & a levioribus animabus alte diſcreta. 285. A. quibus vere filiis ſtipata? 334. A. & ſociis? 215. n. VII. & qua ſorore comitata? 599. E. merito ſummis laudibus elata. 245. H. 316. F. 324. A. 333. E. 339. H. 341. E. 388. F. ſponſi ſimillima imago. 326. F. licet eius mancipium. 363. D. & ab eo dulciſſimis nomenclaturis habita. 324. G. puerula dicta. 259. G. electa. 324. G. virgo. 562. n. IX. 579. C. amica, & columba. 324. C. 571. D. 581. E. & columba deargentata. 600. A. & ſoror. 282. B. 571. D. 578. D. & bis, & tota pulchra. 568. B. 577. F. & formoſa. 565. C. cur nigra, & unde? 565. C. electa ab aeterno. 536. F. & ſponſi ferculum. 263. B. 269. A. & lectulum Salomonis. 265. H. & bellicus Aminadab adparatus. 591. E. hoſtibus terribilis, & formidabilis. 327. D 332. F. & Sulamitis. 592. B. hortus concluſus, & amoeniſſimus. 286. E. 293. B. 317. F. & fons ſignatus. 287. B. 295 H. 579. C. & Paradiſus. 288. E. lilii candore praeſtans, & cur? 568. G. palmae ſtaturam adſequuta. 342. B. 343. A. ficus etiam adpellata. 254. H. favus mellis. 294. H. virgula fumi. 264. G. ſcalae ſimilis. 343. G. puteus altiſſimus. 291. C. mundum animal. 336. D. equus generoſus, & docilis. 237. B. phoenicis aemula. 248. G. turturis inſtar. 254. E. lunae pulchritudinem adtingens. 590. G. Adae comparata. 232. D. & terrae Chanaan. 295. F. murus aereus. 373. E. Ieruſalem aequata. 588. F. & Arcae Teſtamenti. 336. B. Paulli & Apoſtolorum typus. 344. G. ſponſo crucifixo ſimilis, & ſacram divinitatis Triadem ad vivum exprimens. 218. B. eius figuratae adloquutiones. 218. G. 220. C. 221.

221. B. D. 225. A. H. 226. A. B. 227. B. 228. C. 229. E. 231. C. 233. D. 234. A. 241. B. 243. H. 244. E. 248. B. D. 249. C. H. 252. F. 259. A. E. 260. D. 262. D. 263. A. 293. A. 297. C. 298. B. 299. B. C. D. F. G. 300. F. 301. E. 303. C. E. 304. F. 305. B. C 308. G. 315. G. 316. B. E. 317. E. F. G. 318. G. 330. E. 341. B. 345. F. 346. C. E. 347. E. F. 348. D. 349. A. C. 352. F. 353. A. E. F. 354. A. E. 355. A. B. C. D. 356. E. F. 357. A. 358. B. G. 367. B. G. 369. E. 370. B. D. E. 372. C. 377. D. 379. F. 380. E. C. F. 564. D. F. 565. A. G. 566. B. 567. E. G. 568. C. E. 569. B. E. 570. A. 572. B. C. D. 573. A. G. 581. D. 582. A. E. G. 583. G. 584. E. 587. A. F. 588. B. 591. E. 595. D. G. 596. A. F. 597. C. E. 599. E. 600. C. H.

Sponſalia, eorumque a Matrimonio diſcrimen. 272. B.

Sponſus myſticus, quis, & quomodo concipiendus? 341. G. 342. H. eius caput, Deus. 298. F. 581. F. & ipſe caput ſponſae 333. F. 594. C. & coma. 321. D. & ornamentum praecipuum. 270. G. ſuae voluntatis poteſtatem non habens. 272. C. ſponſae amicus & dilectus. 378. G. 584. D. 587. A. & cor dictus. 297. B. cultor, & cuſtos. ibid. dux. 306. E. Agnus, & princeps paſtorum. 258. B. Princeps pacis. 271. B. 333. A. & Rex pacificus. 375. A. & verus Salomon. 271. B. & mater. 220. A. 362. A. matris proprietatibus gaudens. 324. F. & frater nuncupatus. 353. F. & ſecundus Adam. 369. G. lubricus. 356. A. oculus dictus. 308. F. & Argus oculatus. 377. B. Artifex. 334. B. natatoriae artis peritus. 359. A. vitis vera, ferax, & botris onuſta, & quomodo? 255. B. 344. E. 349. B. 595. B. cui flores, ſed magis fructus placent. 350. D. quando vinum, & quando lac bibat? 296. A. flos etiam, & malus nuncupatus. 244. H. 248. F. 344. G. 345. A. 569. G. & flos radicis Ieſſe. 244. H. & palma. 307. H. 360. E. & arbor vitae, & ſcientiae boni & mali. 247. B. 569. B. cuius ſapientia nobis incomprehenſibilis. 308. B. & doctrina velut unguentum odoriferum. 585. G. & lac, & vinum, & triticum nuncupata. 593. G. cuius dogmata argento ſimillima, & propugnacula dicta. 371. B. exemplo ſui mirando confirmata. 310. E. & deſiderium collium aeternorum. 316. C. via. 570. G. murus & oſtium. 372. A. petra. 571. F. & gladius anceps. 294. E. & aquila pullos ſuos ad volatum provocans. 347. F. quum tamen ſit verbum Patris. 585. C. & candor lucis aeternae. 245. E. 306. A. 584. F. ſole utique clarior. 306. B. eiuſdem naturae, & ſubſtantiae. 240. C. majeſtatis, & gloriae excelſae. 257. G. 571. G. immenſus, ubique praeſens. 318. B. immortalis, & omnis corruptionis expers. 249. E. 314. G. inviſibilis divinitate. 380. F. & omni laude major. 313. F. ideo primogenitus in multis fratribus. 597. B. cuius nomen ſuper omne nomen. 239. E. multifariam laudabile. 223. A. velut oleum effuſum. 564. C. & mel dulciſſimum. 284. B. homo factus. 258. C. & homo altiſſimus nuncupatus. 368. E. verus Deus, & homo. 243. C. ceu pelle caprae contectus. 321. H. cuius humanitas in lilio eſt. 245. E. & inter lilia paſcens. 258. C. & quae erga ſponſam? 242. C. quomodo e dextera in ſiniſtram tranſiit? 249. F. & quid eius dextera, & laeva perfecerint, & ſignificarint? 250. A. recte proinde corporea imagine expreſſus. 221. F. cur etiam muliebri ſub ſchemate? 563. C. & uberibus praedictus? 219. H. cuius membra viva nuncupata. 296. B. & quale guttur? 346. A. & brachia, arx tutiſſima. 249. E. & manus aureae. 311. B. qui plures formas induit. 355. C. ſpecioſiſſimus, & pulcherrimus, & totius pulchritudinis fons, & origo. 243. C. 280. F. 339. B. 568. C. inſtar pomi pulcherrimi. 345. B. etſi externa pulchritudine non mulceatur. 276 E. amore ſponſae, eximie captus. 365. E. & in omnes homines caritate fervens. 220. H. 270. G. 339. B. qui eſt ipſa charitas. 270. G. arctiſſimo voluptatis amplexu cum ſponſa coniunctus. 263. F. 279. C. zelotypiam paſſus. 365. B. & univerſis cum amore praeditus virtutibus. 290. A. quando in horto ſponſae? 297. F. & quomodo illi adſit, aut ab ea abſit? ibid. cuius ſpiritalem generationem vehementur optat. 344. B. & illam dilectionem amantiſſime vocat? 250. E. & eius cor viſitat. 328. E. & multimodis quatit. 298. F. & ad virtutem excitat. 294. E. 573. H. eius voluntatem exſugere dictus. 353. G. eiuſque diſcipulos etiam ad ſui unionem impellens. 344. A. ob ſolam tamen dulcedinem minime quaerendus. 259. H. in ſponſam intime inlabitur. 317. H. 318. C. & velut planta in ipſa ſatus. 379. A. medio eius corde ſiſtens. 257. E. quſi in ea creſcat? 263. C. etſi ſuae praeſentiae aliquando ſenſum neget. 317. F. nec ab ea niſi ob lethalem culpam recedat. ibid. & ſui deſiderium in ea perpetuo auget. 259. B. & ſecum humano more verſatur. 318. B. & caſte conloquitur. 310, D. velut princeps. 215. n. VII. ut animas univerſas iuſtorum adloqui poteſt. 318. B. cuius verba aromatibus ſimillima. 310. A. & ineffabilia. ibid. C. quando ad montem Myrrhae, & ad collem thuris ierit. 280. A. & inter lilia paſcatur? 258. C. qui pro nobis crucem ſubſtinuit. 374. F. prorſus exinanitus. 224. C. malo punico, e cruce pendens, merito comparatus. 361. C. factus nihilominus inter mortuos liber. 315. C. Eccleſia Sponſa proprio ſanguine propagata. 375. D. cuius mira & abſolutiſſima opera. 310. F. 311. A. electus ex millibus. 306. E. candidus, & rubicundus. ibid. F. onere peccatorum minime obpreſſus. 307. G. factus pro nobis mediator, & interceſſor. 250. E. mortificationem ſuam nobis ſaepe commendans. 310. E. & viam, qua ad eum itur, docens. 566. C. & ad ſe confugientes regali convivio excipiens. 247. A. eius variae adloquutiones, & admonitiones. 235. A. 250. C. 253. B. 256. A. 263. F. 273. G. 274. D. 276. A. D. 277. F. 279. B. 281. G. 283. A. 284. E. 286. C. 292. C. 294. B. 296. C. G. 298. C. E. 319. G. 320. E. H. 321. C. 325. D. 328. C. G. 329. B. F. 332. C. 333. D. 334. D. 335. F. 337. C. 338. D. 339. C. 341. D. 344. D. 362. H. 363. D. H. 366. A. 368. B. F. 371. H. 373. A. C. G. 376. G. 378. E. 567. B. 568. G. 570. C. 571. D. 572. A. 575. A. 576. D. 577. E. 579. B. 580. C. H. 581. A. 589. A. 591. B. 594. B. G. 595. A. 597. F. 598. C. H. 599. B. 601. B.

Squamae, quid myſtice? 201. F.

Stare, quid? 158. A.

Statura ſponſae myſticae. 342. A. V. *Sponſa*.

Stellae, an tempeſtatum cauſſae? 184. D.

Ven. Fr. Stephanus a Sanctis, eiuſque obitus, & ſanctitatis fama. X. B

Struthio, animal ſtolidum. 194. E. ſemper reptans, & curſu velociſſimus. ibid. F. ova ſua negligit. 466. A. eius proprietates. ibid. E.

Stultitia, eiuſque audacia. 55. A. & mala cogitatio. 544. E.

Stultus, quare proſperatus? 29. D. ſtultorum infinitus numerus. 298. F.

Stupiditas peccatoris. 474. H.

Suavitas, amoris imperfecti eſt. 514. B.

Subditi amore potius, quam timore regendi. XXV. D.

Subſellium, quid? 270. B.

Subſignaculo, quid? 53. H.

Subſtantia eiuſque ſignificatio. 368. B.

Sulamitis, eiuſque explicatio. 331. G. 332. C.

Superbi, & eorum poena. 74. F. 75. C. eorum ſedes deſtructae. 524. B.

Superbia hominis praemonita. 150. A. ventus vulgo dicta. 292. A.
Superior, eiusque exemplum quanti valeat? XI. D.
Supplicia futurae vitae, Dei providentiae est decernere. 123. D. temporalibus acriora. 417. A. eorum ratio. 400. C.
Surgere quid? 253. A. 260. B. liberi animi est. 300. F. 582. F.
Synceritas, qualis virtus? 273. C. commendata. 520. F. 576. B.
Synagoga corrupta, & Sponsa violata, & cur? 361. F. 362. A. eius bona a Christo. 374. G.
Syrenae, earumque proprietas, 466. D.
Syrii, eorumque in Ierusalem despectus, 393. D.
Sysiphus, eiusque fabula, 417. A.

T

Tabernaculum Foederis, eiusque descriptio. 230. E. 270. E.
Tabulae cedri, quid? 372. A.
Tantalus, eiusque fabula, 417. A.
Tartarus, eiusque notae. 67 G. & descriptio. 258. E. 278. H. & timor, 67. F. & ius in impios. 425 F.
Tela divinae ultionis, quomodo hebetanda? 437. A.
Telae coccineae in Tabernaculo Foederis quae, quid mystice? 275. F.
Templum, eiusque desolatio. 395. H. Ierosolymitani destructio. 464. E.
Temporalia Dei beneficentia. 46. D. & poena in peccatores. 451. E.
Tempus omnibus rebus suum, 276. G. 408. C. 534. C.
Tenebrae, quid mystice? 54. A. 93. G. hominibus, non Deo. 145. G. nigrae adpellatae. 308. C.
Tentationes, earumque imago. 455. A. doloribus inferni comparatae. 23. C.
Tentorium, eiusque significatio. 418. C.
Terra, eiusque fertilitas in sterilitatem versa. 34. A. cur ea adversum caput, apud antiques? 9. H. eam osculari, humilitatis actus. 446. B. eius mystica commotio 53. E.
Terra Canaan, eiusque feracitas. 581. A.
Terra viventium, quae? 550. H.
Terrena coelestibus posthabenda. 282. G.
S. Teresia Carmelitanae reformationis parens. I. C II. D tentationibus probata XXIII. B. eius obitus, II. D. miracula duo. XXIII. A. & beatificatio decreta. ibid.
Ternarius numerus, pro incerto. 172. A. quid mystice? 281. C. 577. G.
Testes, eorumque genera, & classes, 66. E. 325. B. ad quid producantur? 66. F.
Textus Hebraicus, eiusque varia lectio adlata. 11. A. 48. H. 105. D. 219. E. 224. E. 225. C. 230. B. 234. D. 237. A. 241. D. 245. A. 251. A. 277. D. 283. G. 300. C. 303. A. 305. B. 306. E. 307. A. H. 310. A. 311. B. 320. C. 330. G. 332. C. 334. C. 339. H. 341. G. 345. B. 346. F. 347. F. 349 F. 350. A. 355. F. 356. F. 359. C. 361. B. 366. A 368. A. 372 F. 375. A. 377. B. E. 395. D. 397. F. 410. D. 414. E. 424. G. 427. A. 432. G. 437. D. 438. A. 441. D. 442. A. 445. B. 446. B. 448. E. 465. A. 466. C. 469. A. 471. C. 476. E. 494. E. 496. A. 499. H. 500. C. E. 501. G. 504. H. 505. B. 578. E. 582. C. 584. B. 585. G. 592. D.
Tharsis, vel hyacinthus gemma. 311. C. mare mediterraneum dictum in Script. ibid. D.
Theca sacri Calicis. 318. C.
Theodosius Imperator, D. Ambrosium honore habet. 393. B.
P. F. Theodosius a Iesu. XIV. A.
Theophanias. 571. A.
Thesauri eosque condendi abusus. 23. B.
S. Thomas Aquinas, eiusque in Script. exponendis usus. 322. E.
Ven. P. Thomas a Iesu, eiusque laudes. XV. D.
P. Thomas de Lemos, Ord. Praed. XVII. nota.
Thus, eiusque descriptio, 280. B. divinitatis tributum. 286. B. 315. C. quid mystice? 265. A. 279. F. 579. A. myrrha, eiusque & thuris significatio. 574. E.
Tigna, & Laquearia, quid? 243. H.
Tigris flumen, eiusque situs. 489. G.
Timor, quando laudabilis? 132. A. eius & doloris effectus. 79. H. Dei, 53. G. Dei in Iobo, quali? 2. A.
Timoratus animus, eiusque mos. 303. E.
Tinea, quid methaphorice? 168. A.
Tirius, eiusque fabula. 417. A.
Tobias, fidelis Dei servus. 520. B. eius caecitas, & huius symbolum. 431. A.
Tonitrus, cur posterior fulgure? 183. F.
Topazius gemma. 148. E.
Torpor Animae, periculosa conditio. 372. D.
Torques colli ornamentum, & vinculum. 283. G. 578. E.
Torrens, quî a fluvio distinguatur? 38. H.
Tortila, D. Benedictum benore excipit. 393. B.
Tragoedie, earumque a Comoedis discrimen. 561. n. I.
Transcursus, pro Coma. 340. B.
Transformatio in proximum, charitatis proprium, 440. G.
Transitus ab aenigmate ad visionem. 578. C.
Tremor, quid? 300. C. Dei in Angelis, qualis? 140. A.
Tribunal conscientiae. 55. C.
Trinae admonitionis usus. 172. B.
Τρισαγιον, Canticum Seraphicum. 498. D.
Tunica nostra, corruptela peccati. 299. A.
Turpitudo peccati, 229. F. 482. A. & impii. 135. H.
Turres, earumque significatio. 419. D. 599. H. cur in urbibus? 371. B.
Turris, quid? 277. E. 336. G. David, ubi? & quae? 277. B. 576. H. Libani, cur, & ubi constructa? 338. B. 594. A eburneae significatio. 593. G. Babylonica, eiusque casus. 397. G.
Turtur avis casta. 254. D. 497. D. 567. A. 571. E. eius natura descripta, 236. H. quid mystice? 254. F.
Tusculani nemoris descriptio, XVIII. D. XIX. A.
Tutela Angelorum. 356. D.
Tyrannis, quare non diuturna? 91. E. eius effectus. 480. F.
Tyrannus, cur hypocrita dictus? 175. H. eius a Rege discrimen. 298. A. eius poena. 175. B.
Tyrenes, quomodo alendi, 335. F 573. A. eorum coetus, quomodo nuncupatus? 327. G. quam frequens. 590. B. eos grandia concipere oportet 233. G. eorum aliquot exercitia. XII. C. infidelitas erga magistrum, omnium malorum caussa. ibid. D.

V

Vaccinium, eiusque a hyacintho discrimen. 586. B.
Vagitus spiritualis, qui? 351. G.
Vallis lachrymarum, 499. A.
Vana gloria, eiusque motus, quomodo cohibendi? 362. A. 552. B.
Vanitas, quid? 22. D. 160. E.
Vasa sacra. 396. E. electionis ex argento. 554. E. contumeliae. 465. F. misericordiae. 536. B.
Vates Ierusalem falsa praedicantes. 423. F. luctu digni. 423. H.
Ubaldinus, Nuncius Apost. XXVII. A.
Uber, & Ubera, eorum natura, & constructio. 219. G. 240. B. 283. H. & seq. 353. B. 563. C. 577. B. amoris symbolum. 219. G. 220. B. 595. B. eorum variae significationes. 220. B. 342. C. G. 336. C. 353. G. 372. C. 373. E. 564. B. 578. G. 595. B. 600. C. quid duo ubera? 220. B. 278. G. 351. A.

Udo Archiepiſcopus, eiuſque miſerandum exemplum. III. A.
Vecordia, fortunae comes. 50. E.
Vectes, eorumque ſignificatio. 420. F.
Vectigalia iniuſta. 526. A.
Velocitas Daemonum. 475. H. V. *Daemon*.
Venari animas, quid? 348. G.
Venatio Elephantis. 458. C.
Venatores, eorumque peritia, & artes. 104. E. 496 D. 458. C. & figura. 107. H.
Venter, eiuſque pulchritudo deſcripta. 312. B. 335. A. 586. C. pars mollis & fragilis. 300. D. 312. B. eius ſimilitudines variae. 37. B. 335. E. & eius uſus. 582. D. quid diſtinctus Saphiris? 312. D. eius ſignificationes. 312. E. 335. E. 411. H.
Ver, eiuſque deſcriptio. 254. A. 255. A.
Verba eorumque pronunciatio, hominis propria. 256. F. alte imprimuntur animo. 380. C. elegantiora & dulciora, quae? 275. F. & amantium. ibid. ſimplicia, ſpiritu Dei plena. 550. D. dolentium, leniter accipienda. 78. D. Principis ſeveriora, mortem etiam inregant. 394. B. Chriſti ardent ut ignis. 513. E. Sponſi, ad Sponſam, myſtica. 274. D.
Verbeſus, eiuſque, a contumelioſo diſcrimen. 107. B.
Verbum Aeternum, eiuſque incarnatio. 370. E. proprietas. 224. A. notitia omnium illi in Divinis tributa. 585. D.
Verbum Dei, quomodo praedicandum, & audiendum? 550. B.
Verbum Crucis, ſapientia eſt. 519. F. durum, & inſuave filiis Adae. 547. C. quid Iudaeis, & Gentilibus? 549. G.
Verecundia, Virgines honeſtat. 589. D.
Vermiculatum opus, quale? 567. D.
Vermis conſcientiae damnatorum. 365. C. quid apud Iobum? 102. C.
Veritas, nihil ea fortius. 40. A. quid illi debeatur? 41. E. quomodo proculcata? 98. E.
Vertebrae, quid? 334. C.
Veſtigia Dei, quid? 69. A.
Veſtimenta, eorumque explicatio, 285. A. quid ea ſcindere, & apud quos? 9. F. 16. A.
Vexatio varia a Deo, & a Daemone. 12. H. dat intellectum. 96. F. 409. E. 461. C. eius bona & fructus. 367. G. 406. B. 421. B. veri amoris character. 357. E. peccatoris graviſſima. 437. A. deſperationis ſigna praefert. 434. G.
Vexillum a victoribus ubi erigatur? 248. D.
Via ſapientiae, quae? 149. A. perditionis, & vitae, quae? 547. F. 548. B. Sponſi myſtici? 251. F.
Viae, earumque a ſemitis diſcrimen. 435. D. tres diſtinctae. 172. B. Sion, quid ſignificent? 396. C. viarum ſymbolum. 475. D. quid *vias conſiderare*? 160. D.
Vicini ſocii adpellati. 105. F.
Victores, eorumque vetuſtus mos. 231. G. 398. A. 419. E.
Victoria mundi. 357. D. impii. 144. G.
Vicus, eiuſque a platea diſcrimen, & ſignificatio, 260. F.
Viduae earumque ſubſidium laudatum. 162. C. a multis vexatae. 392. F.
Vigiles Eccleſiae, qui? 573. D. V. *Doctores*.
Vigilantia commendata. 529. A. 548. H.
Vilitas peccatoris, 442. D.
Villa, eiuſque ſignificatio. 348. F.
P. F. Vincentius a S. Franciſco, eiuſque laudes. X. B.
Vindemia, quid? 294. D. 413. H.
Vinea, pro vite. 344. D. eius cuſtodia, quid? 231. H. & ſignificationes. 374. G. 376. E. 565. H. 596. C.
Vinea Sodomorum, & Gomorrae. 375. B.
Vinea Domini, Domus Iſrael. 600. E.
Vinum, eiuſque natura, & proprietates, 220. D. G. calorem parit. 569. D. ebrietatem. 357. D. amoris ſymbolum. 342. F. & ſanioris doctrinae. 347. A. eius aliae ſignificationes. 220. F. 345. F. 346. B. 357. D. 595. F. 597. D. Cypri generoſum. 241. B. aromatibus conditum veteribus gratiſſimum. 357. B. ex malis granatis, quomodo adpellatum? eiuſque uſus vetuſtior. 357. G.
Violentum, nihil perpetuum. 448. D.
Vipera, eiuſque natura, & proprietates. 115. G.
Vir, caput mulieris. 249. H. ſapiens, correptionem facile recipit. 77. B. fortis, nec audax, nec tumidus. 132. A. fortis, eiuſque a bono varia diſcrimina. 25. H. & experimenta. 17. H. & deſcriptio. 155. G. & conſtantia. 492. D.
Virga, quale ſymbolum? 119. F. 407. E. 430. F.
Virgo Maria, Mater noſtra eiuſque natura, & dotes, 554. D.
Virgo, ad conceptum matura. 593. A.
Virgines, earumque pudor. 589. E. matres Chriſti dictae. 58. C. earum ſignificatio. 421. A. E. & adloquutio. 592. A. fatuae, quae? 302. A. Sionis, illiſque inlata vis. 396. H.
Virgilius, eiuſque teſtimonia. 19. C. 267. H. 311. G. 319. A. 348. B. 366. A. 414. E. 420. F. 437. E. 475. E. 497. F. 583. C. 599. A.
Viri, eos non foeminas decet convivia cogere. 3. B. perfecti, quare adverſa, imperfectis aliquando precentur? 95. E. iuſti eorumque ſermo morte imminente. 99. B. & quomodo mortem ipſam obpetant? 58. F. Apoſtolici, Chriſti adpellati. 363. E.
Virtus humana, eiuſque in adverſis inconſtantia. 6. H. eius ſedes. 465. B. ſplendor, & pulchritudo. 393. C. 579. B. opibus praeferenda. 2. G. eius opera, veſtimenta adpellata. 286. A. odorem divinitatis exhalant. 286. A. multum dulcorem animae pariunt. 350. D. & moerorem elevant. 61. F. heroica, quae? 367. H. eius actus repetiti charitatem augent. 360. G. & cibus Dei adpellantur. 293. E. & Regii. 418. E. quae conſtans, & fortis? 74. A. 246. A. illi omnia cedunt. 393. B. eius progreſſus. 104. A. 499. C. manuum, quae? 155. B.
Virtutes multifariam deſcriptae. 465. F. ſeſe manifeſtant. 273. C. pulchritudo animae dictae. 519. H. & eius cuſtodia. 371. H. & veſtes. 579. A. & poma. 293. F. quae audaciam praeſeferant? 277. E. quando infundantur? 600. E. omnes a charitate pendent. 278. E. & ſine illa nihil computatae. 238. F. morales, & earum a donis Spiritus Sancti diſcrimen. 226. D. Cardinales & earum ſymbolum. 269. H. Sponſi myſtici, quae? 290. A.
Vis irae, 338. E. animae ſuperior. 421. B. charitatis. 244. B. amoris. 358. D.
Viſio vera, & falſa, quae? 27. E. unde illi pavor? ibid. rerum poſſeſſio dicta. 115. H. nocturna, quando laeta? 114. E. Eliae. 27. F.
Viſitare, & probare, quid? 46. G.
Viſitatio, quid? 65. A.
Viſus, eiuſque ab odoratu, & guſtu diſcrimen. 246. D.
Vita, primum hominis votum. 496. H. eiuſque conſervandae, cura. 12. E. eius gradus. 350. G. tempori obnoxia. 447. H. inconſtantia, & brevitas, varie figurata. 44. B. 59. D. 82. B. G. 299. E. 548. G. eius miſeria, & aerumnae. 23. D. 65. G. 82. B. militia eſt, & bellum perenne. 41. F. 320. B. 548. G. & exilium, & peregrinatio. 252. B. 514. G. 570. B. & veluti deſertum. 574. E. ſpiritualis, eiuſque varius ſtatus & conditio. 396. C. & puritas, eiuſque mirabilis effectus. 309. C. activa eiuſque propria opera. 304. A. 373. A. E. 583. A. impii, ſuperbia. 91. E. eius ignoratio in patria ceſſabit. 356. H. anteactae memoria, quam utilis? 180. C.
Vitis, eiuſque fructus deſcriptus. 349. G. & ſeq. & ordo ibid. E. in hortis, quid? 295. F. palmis maritari credita. 342. E.
Vitia varia mortalium. 89. D. 134. E. 517. A.

Vitrum, eiusque pretium cum auro comparatum. 148. D.
Vitta coccinea, quid mystice? 275. G. 276. B.
Vitula lasciviens, anima peccatrix. 407. G.
Vituperium animae, duplex. 417. F.
Ultio Dei, arx adpellata. 433. G. eam nemo evadere potest. 117. A. quae aliquando in Ecclesiam? 430. G.
Umbilicus ventris centrum, eiusque officium. 335. B. & significationes. 334. F. 593. B.
Umbra arborum, aut nutrix, aut noverca. 246. G. non omnium bona. 246 F. Petri Apostoli, eiusque virtus. ibid. H. solem fugit. 258. E.
Umbrosa loca, quid mystice? 199. A.
Ungere caput, eiusque usus antiquus. 223. F.
Unguenta, eorumque materia, & confectio. 289. A. 310. B. quae optima? & oderifera? 221. G. & seq. eorum significationes. 226. C. 564. A. F.
Ungulae, cui usui? 253. H.
Unio hypostatica. 307. F.
Unum pro mille, quid? 52. F.
Vocatio peccatorum. 511. A.
Vola, quid? 301. G.
Volatilia pennata, quid? 365, H.
Voluntas, & eius obiectum. 353. G. eius ab intellectu discrimen, in via, & in patria. 295. H. 353. H. 357. C. cor saepius dicta, & cur? 76. B. 297. B. 363. A. 411. H. & seq. 496. E. eius dotes, & vires praecipuae. 412. A. & requies, quae? 476. G. ostium adpellata. 302. D. & lectus. 243. D. & cellarium. 227. F. & guttur. 247. D. & venter. 300. C. 582. D. & gremium spiritualis Sponsi. 263. C. & aeris officina. 363. B. quomodo in meditatione permoveatur? 275. A. propria Babylonem aedificare dicta. 522. F.
Voluptas, quid significet? 341. E. tactus vehemens dicta. 367. A. parce ea fruendum. 259. H. somnum inducens, quae? 352. A. sensuum multiplex, & quomodo adpellata? 367. B. 581. G.
Voracitas, eiusque poena. 116. F.
Votum mortis, quando castum? 37. H.
Vox, eiusque formandae instrumenta. 585. F. ea quando utamur? 297. E quibus iucunda insit? 254. E. quale distintivum [illegible] B. interna, & externa, quid? 256. E. am[illegible]? 251. C. dilecti mystici? 251. C. 553. G. futuris? 254. F. tyranni? 298. A. Filii Dei? 86. C.
Urbanus V. P. M. XX. C.
Urbs, quid hoc nomine, & eius significatio? 348. C. 457. C. eius ab agro discrimen. 348. C. & captae imago. 428. D. eius spes, iuventus. 410. E. in solitudine, quare urbes restauratae? 22. B.
Urbs sancta, & eius libertas. 446. G. vastitas, & calamitas descripta. 421. F. 466. A.
Urbs Esebon, ubi sita? 337. E.
Ursus, eius natura, & cum Leone comparatio. 435. F.
Uterus, & eius significatio. 334. F.
Uvae, earumque figura. 566. A.
Uvlpes, & earum a Columbis discrimen. 243. A quid significent? 257. A. 486. H. vulpes parvulae, quid? 257. C.
Vulcani, eorumque descriptio. 146. C.
Vulgus, eius laudatio, an virtutis certum argumentum? 325. B.
Vultum tenere, quid? 139. E.
Uxor, & a Concubina discrimen. 323. B. eius ornamentum. 339. A. & ad viri nutum morum conformatio. 567. C. quae proli destinata? 110. A.
Uxores veterum Patrum in tres ordines discretae. 323. B.

Z

Zelotes, Deus dictus. 365. B. & Sponsus mysticus. 366. E.
Zelotypa, cur Sponsa dicta? 366. F.
Zelotypia, unde, & eius natura, & characteres? 364. A. 365. A. an Sponso aeque ac Sponsae competat, & quomodo? 364. H. & seq. 366. E. vehementioris amoris effectus. 363. F. 364. B. 598. G. dura ut infernus, & eius remedium. 365. D. 366 A. divinae ab humana differentia. 366. F. eius effectus. 364. D. & leges, 363. A. 403 D. 598 H.
Zelus ardentioris amoris effectus. 598. G. qualis [illegible] Sponsa? 338. F.
[illegible]s Dei, eiusque effectus. 338. E. & proximo- [illegible] salutis, Deo placens. 601. C. indiscretus, [illegible]is? 68. F.

FINIS.

Errata	Pag.	Col.	Lin.	Sic	Corrige
atque	87.	1.	ult.		aquae
ansamume	95.	2.	51.		ansam me
adducentur	123.	1.	33.		adducetur
pute	157.	2.	16.		pure
agita	177.	2.	48.		agit
prasis	207.	1.	56.		phrasis
sensili	220.	2.	13.		sensibili
siliorum	230.	1.	13.		silorum
prospiciar	251.	2.	55.		prospiciat
verturos	281.	2.	nota 3.		versutos
si	286.	1.	32.		sic
digitor	302.	1.	43.		digitos
creatione	302.	2.	n. 2.		oratione
scrutatur	304.	1.	2.		scrutantur
reluctatium	328.	2.	27.		reluctantium

Errata	Pag.	Col.	Lin.	Sic	Corrige
fons	338.	1.	47.		frons
amris	339.	2.	56.		amoris
nativitate	356.	2.	11.		navitate
ciciuntur	360.	2.	n. 4.		dicuntur,
colori	367.	1.	48.		calori
matura	367.	2.	42.		natura
discussio	400.	1.	28.		discusso,
muro	404.	2.	29.		muros
impleret	405.	1.	56.		impleret
salum	458.	2.	in fin.		solum
respicienda	543.	1.	n. 2.		respuenda
calcamentum	547.	1.	n. 1.		calceamentum
has	595.	1.	16.		hos
suggst urum	595.	2.	40.		suggesturum

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Juan, de Jesús Maria, 1564-1615

Ven. Patris Fratris Johannis a Jesu Maria ... opera omnia

Bd.: 1. (1771). - XLIII, 628 S. : Ill.

Florentiae 1771

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/2Theol.syst.99(1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11059653-5